




2 400 50



MADE IN SPAIN








*del Colegio Mayor de S. Catalina de S. J. de*

DIVI  
AMBROSII  
MEDIOLANENSIS  
EPISCOPI  
OPERA

SACRÆ SCRIPTURÆ CONTEXTVM, AD FACILIOREM  
lectorum intelligentiam, ex ipsa sancti Doctoris lectione, & ex LXX. Interpretum, quos  
potissimum sequitur, translatione erutum, complectentia.

QUAE VITIO VEL INCURIA ERANT ADIECTA, SVNT  
*reiecta: qua sublata, restituta: qua transposita, reposita: qua deprauata, emendata: omnia ad veterum  
manuscriptorum & emendatorum codicum excusorum fidem summa cura examinata,  
& aliorum Patrum lectione, pristinae integritati ac puritati reddita.*

Librorum, & Enarrationum catalogum, indicabit pagina quint




DE LA LIBRERIA  
DEL REAL COLEGIO MAYOR  
Reunido de Santa Cruz, y  
Santa Catalina.  
E. 4.º C. 83-N. 14.

PARISIIS,

M. D. LXXXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS





SANCTISSIMO AC BEATISSIMO  
D. N. GREGORIO PAPÆ XIII.

F. Felix Cardinalis de Montealto.

Extrait du Priuilege du Roy.

**LE** Roy Lettres Patentes de sa Majesté, donné à Paris le 12. de Novembre, 1585. signé, Moré, est permis à Jacques du Puis, Sebastien Niuelle, & Michel Somnius, libraires iurez en l'vniuersité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer les Oeuures S. Ambroise, S. Gregoire & S. Bernard, avec defences à tous libraires, & Imprimeurs n'imprimer, vendre, distribuer durant le temps & espace de neuf ans, d'autres que ceux qui auront esté imprimez par lesdits supplians, & ce à peine de confiscation desdits liures, & de deux cens escus d'amende, avec condemnation de tous despens, dommages & interests, qui pour ce fait seroient intentez. Et en outre ladite Majesté veut, qu'en appoiant le priuilege ou extrait au commencement, ou à la fin desdits liures, il soit tenu comme chose publique, deuement notifié à tous & chacuns libraires de ce Royaume, ainsi que plus amplement est contenu en l'original dudit Priuilege.

**INTER** præstantiora munera, potioraque munimenta, quibus Iesus Christus, unigenitus Dei filius, Dominus noster infallibilis dispositione prouidentia dilectam sponsam suam, militantem Ecclesiam, ut ea non tantum in medio nationum peruersarum sublimioribus coruscaret virtutibus; sed aduersus principes tenebrarum, mundique rectores iugiter inuicta consisteret, in hac terrena colluctatione decorauit atque suffulsi; sanctos Doctores, orthodoxos Patres, eorumque scripta merito esse connumeranda semper existimaui. Illi namque, ut sanctus ad Ephesios scribit Apostolus, ne tamquam paruuli fluctuemus, aut circumferamur omni vento doctrinae, in astutia hominum, sed ut fidei unitate in virum perfectum formati, Christo redemptori occurramus, pastores doctoresque diuinitus sunt constituti: hac vero (sancto Augustino teste) ut fidem gignant, nutriant, defendant simul, ac roborent, nobis tradita. Iis quippe sancta Romana Ecclesia, omnium ecclesiarum mater & magistra, suffulta praesidiis, fideles excoluit, diuina mysteria reserauit, haereses aboleuit, schismata destruxit, alititudinem omnem aduersus Dei scientiam se extollentem euertit, pacem ac tranquillitatem, unitatemque prouinciis, nationibus, uniuerso denique orbi Christiano perpetuo restituit. Non immerito igitur dolenter ferebam, animoque vehementer angebar, quod præclara hæc Patrum monumenta Ecclesiae, diuina, ut diximus, benignitate concessa, siue temporis iniuria, siue pastorum dormitatione, inimico in medio tritici zizania superfeminante, adeo corrupta ac temerata depromerentur, ut interdum nullam, interdum ineptam, aliquando falsam, nonnumquam vero à fidei institutis, & ab ipsorum auctorum mente alienam efficerent sententiam. Vnde Inquisitores, sanctae fidei negotiis præfecti, lectionem illorum (ne qua ad vitam data erant, operarentur mortem) nec omnibus, nec absque delectu permittebant. Quare caelestibus his Ecclesiae auxiliis pene destituta videbatur. Cui malo ut quoquo modo tandem occurrerent Pius III. & deinde Pius V. fel. rec. summi Pontifices, prædecessores S. V. mihi tunc iuxta meae professionis institutum, in conuentu ordinis Minorum degenti, sanctissimi aequae ac grauissimi Ecclesiae doctoris Ambrosij Mediolanensis episcopi opera, perinde atque aliorum huius generis sanctorum Doctorum deprauata ac violata, & proinde interdicta, de nouo diligenter euoluenda ac recognoscenda, & ab interiectis erroribus repurganda, atque ad pristinam auctoris ipsius puritatem, veterum collatione exemplarium et alio quocumque aptiori studio reformanda mandarunt. Quod negotium licet graue, ac supra tenuitatem meam illius tamen qui aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas, auxilio fretus, obedienter ac libenter accepi. Quapropter antiquiores illico bibliothecas lustrare, ac cum manuscriptis veteribus, emendatioribusque excusis codicibus conferre, necnon aliquos præter impressos, si quos reperirem libellos, inuestigare, quæ denique loca ex sanctissimi huius Doctoris scriptis in Conciliis generalibus & prouincialibus, tum in priuatis lucubrationibus maiores nostri citauerint, exquirere sedulo cepi: opusque proculdubio absoluissem, nisi variis et itinerum, & aliarum curarum distractionibus præpeditus id imperfectum deserere coactus fuisset. Qualemcumque postea naetus quietem, hortatu iussuque S. V. inchoatum opus repetens, præclaros doctores, viros doctrinae & pietate graues, ac linguarum intelligentia, & historiarum cognitione insignes, præterea in scholastica Theologia & Patrum lectione admodum versatos delegi, mihiq; laboris socios adsciui. Itaque onus alacriter subeentes, munerique plures annos stre-

Ephes. 5.

Philip. 2.

Ephes. 6.

Ephes. 4.

2. Cor. 10.

Matth. 13.

Sapient. 16.

nue una incumbentes, tandem multis vigiliis, plurimoque impendio, Deo bonorum omnium largitore nobis propitio, opus absolvimus, munus perfecimus, absolutumque. S. V. qua beatissimi Petri fidem tenet & sedem, ut studium nostrum comprobare, gratiaque suscipere animo dignetur, reuerenter offerimus. Insigniores, vetustioresque diuersarum prouinciarum bibliothecas peruestigauimus: manuscriptos, ac excusos codices contulimus: Philonem, Iosephumque Hebraeos, ac Eusebium Casariensem, sanctum Basilium re & cognomero magni, ac reliquos superiores, quorum lectione imitationeque sanctus hic delectatus est Doctor, accuratè legimus: plura Concilia generalia & prouincialia diligenter euoluimus: sanctum Augustinum, Theodoretum, ceterosque posteriores qui aliqua ab eo sunt mutuati, legentes perpendimus: quorum ope atque adiumento obscura explicuimus, manca suppleuimus, adiecta reiecit, transposita reposuimus, deprauata emendauimus, omnia demum ut germanam Ambrosij phrasim redolerent, eiusque dignitati atque grauitati responderent, sedulo curauimus: et ut ipsemet Auctor loqui videretur, supposititiis quibuscumque abscissis, pro viribus studiuimus. Nonnullos praeterea tractatus, & epistolas, ac sermones nusquam adhuc typis datos, à maioribus tamen diu desideratos, multo conquisitos labore, operi addidimus. Quae omnia in uniuersum quinque tomis comprehendimus: in quorum distributione commentitiam illam Erasmi seriem in recentioribus editionibus obseruatam validissimis rationibus adducti sequi nolimus: verum aptiorem quandam, rationi, necnon sancti Doctoris proposito atque instituto magis consentaneam aliam nacli sumus: nimirum ut Primus, Secundus, et Tertius tomus ordinem sacrorum Bibliorum teneant: Quartus eam, quam postea in scholis sibi vendicarunt Theologi. Quintus quo sermones & epistola continentur, quantum ad sermones attinet, pro maiori studiosorum utilitate, ut ad Missalis Romani ordinem accommodetur: quod autè ad epistolas, ut proprios habeat libros, ad materiarum diuersitatem distinctos. Ceterum ubi sanctus ipse Doctor ordinem praescripsit, eum ipsum fideliter secuti sumus. Primo, Secundo, et Tertio tomis commentaria & explanationes continentibus sacrorum librorum contextum vel propria Auctoris versione, prout ex eius scriptis haurire nobis licuit, vel ex septuaginta interpretum translatione, qua potissimum Auctor usus est, ad faciliorem lectorum intelligentiam summo studio adiunximus. Quod reliquum est, sanctus hic Doctor tanto veritatis candore nitescit, ut quod pater Augustinus tradit, ne inimici quidè in illius scriptis quod arguerent inuenire unquam potuerint: tanta praeterea fuit sanctitatis fama, ut Theodosius magnus dicere soleret: Solum Ambrosium noui dignè vocari Episcopum: tanta postremo existimationis maiestate, ut quod plerique meminere scriptores, nec ullus censeretur Imperator, cui non consensisset Ambrosius. Tantus igitur Doctor & Episcopus, qui Liguriam olim Aemiliamque prouincias feliciter administravit, qui Galliam erudiuit, Mediolanensem Ecclesiam sublati dissidiis pacauit, tyrannos compefcuit: Caesares ad religionem, pietatem, iustitiam, obedientiam erga sanctissimos Episcopos formauit: Sanctae Romanae Ecclesiae auctoritatem contra schismaticos, ac hereticos, Damaso Siricioque sanctissimis Pontificibus, S. V. etiam praedecessoribus summa prudentia, libertate, constantiaque defendit ac roborauit: nunc ad mores emendandos, ad ecclesiasticam disciplinam restituendam, dignitatem retinendam, libertatem tuendam, ad haereses quascumque eliminandas, vestra praesto est Sanctitati. Nostros igitur conatus Roma amplectatur, quia praclarum ei ciuem: amplectatur Liguria Aemiliaque, quia praesidem eis consularem: Mediolanum, quia Episcopum peruigilem: Sanctitas denique vestra, quia in egerimum Ecclesiae Doctorem restituere curauimus. Quare iucundo gratoque ipsum, Beatissime Pater, animo suscipe, obtusque amplectere vlnis, nostris benedicens laboribus. Demum ut breuiori, tibi autem Ecclesiaeque Dei epistola haec nostra prospero claudatur sine: Iesus Christus Dominus noster, pastor bonus, pastorque creator omnium, S. V. una cum commisso sibi grege saluet semper & munit Amen.

Roma, Kalendis Decembris, M. D. LXXX.

## EORVM QVAE TOTO HOC VOLV LVINE CONTINENTVR, ELENCHVS.

In quo, quae asterisco simplici notantur, nuper inuenta, nunc primum in lucem emittuntur: quae verò duplici, an ipsius sint, ambiguntur.

### TOMVS PRIMVS.

In librum Genesis.

|  |      |
|--|------|
| <b>E</b> xaameron, id est, de operibus sex dierum, super primum caput Genesis, libri sex. Col. i.    |      |
| De dignitate conditionis humanae, super idè cap. i. Genes. libellus.                                 | 131. |
| Examinantur duo dubia, super idem cap. i. Genesis, per duas enarrationes ad Horontianum.             | 529. |
| De paradiso, super cap. i. i. & i. i. Genes. liber vnus.   | 137. |
| Paradisi locus examinatur per enarrationem vnam ad Sabinum.  | 539. |
| De arbore interdicta, super cap. i. i. Genes. libellus.  | 541. |
| De Abel & Cain, super cap. i. i. i. Gen. libri duo.  | 171. |
| De Noè & arca, super cap. v. vi. vii. viii. ix. & x. Gen. liber vnus.                                | 213. |
| De Abraham patriarcha, super cap. xii. xiii. xiiii. xv. & aliis vsque ad cap. xxiii. Gen. libri duo. | 265. |
| De Isaac & anima, super cap. xxv. & xxvi. Gen. liber vnus.   | 345. |
| De bono mortis, liber vnus.  | 375. |
| De Iacob & vita beata, super ca. xxvii. xxviii. & seq. vsq; ad cap. xxxv. Gen. lib. duo.             | 397. |
| De Ioseph patriarcha, super cap. xxxvii. xxxix xl. & seq. vsque ad cap. xlvi. Genes. liber vnus.     | 471. |
| De benedictionibus Patriarcharum, super cap. xlviii. & xlix. Gen. liber vnus.                        | 511. |
| <i>In librum Exodi.</i>  |      |
| Annotationes super cap. viii. Exod. Col. 547.  |      |
| Super cap. xvi.  | 553. |
| Super cap. xxiii.  | 556. |
| Super cap. xxx.  | 559. |
| Super cap. xxxii.  | 565. |

In librum Leuitici.

|   |      |
|---|------|
| Annotationes super cap. x. Leuitici. Col. 569.  |      |
| Super cap. xii.   | 574. |
| Super cap. xxvi.  | 580. |
| <i>In librum Numerorum.</i>   |      |
| Annotationes super cap. xxi. i. Numerorum. Col. 583.  |      |
| Super cap. xxxiii. de xlii. mansionibus filiorum Israel, tractatus.                           | 589. |
| <i>In librum Deuteronomij.</i>  |      |
| Annotationes super cap. xxii. Deuteronomij. Col. 619.   |      |
| <i>In librum secundum Regum.</i>  |      |
| Annotationes super cap. xi. libri secundi Regum sub titulo prioris Apologiae Dauid. Col. 623. |      |
| Super cap. xii.   | 626. |
| Apologiae posterioris Dauid liber vnus.   | 639. |
| <i>In librum tertium Regum.</i>   |      |
| De Elia & ieiunio, super cap. xvii. xviii. & xix. libri tertij Regum, liber vnus. Col. 665.   |      |
| De ieiunio Eliae, super iisdem capitibus libri tertij Regum, sermo.                           | 693. |
| De Nabuthe Iezraelita, super cap. xxi. libri tertij Regum, liber vnus.                        | 697. |
| <i>In librum quartum Regum.</i>   |      |
| Sermones duo super cap. vi. libri i. i. i. Regum. Col. 717.                                   |      |

### TOMVS SECVNDVS.

In librum Tobiae.

**D**E Tobia, seu aduersus faenoris, faenratorumque prauitatem, liber vnus. Col. 725.

In librum Iob.

De Iob, seu de interpellatione sancti Iob, libri duo. col. 765.

In eiusdem libri cap. vii. sermo. 825.

|  |            |
|--|------------|
| <i>In librum Psalmorum.</i>  |            |
| In Psalmos David argumentum.   | Col. 827.  |
| In primum Psalmum David, enarratio.  | 831.       |
| In Psalmum XXI. enarratio.   | 851.       |
| In Psalmum XXXV. enarratio.  | 855.       |
| In Psalmum XXXVI. enarratio.   | 867.       |
| In Psalmum XXXVII. enarratio.  | 903.       |
| In Psalmum XXXVIII. enarratio.   | 929.       |
| In Psalmum XXXIX. enarratio.   | 945.       |
| In Psalmum XL. enarratio.  | 955.       |
| In Psalmum XLI. seu de interpellatione sancti David, enarratio.                | 971.       |
| In Psalmum XLII. seu de interpellatione sancti David, enarratio.               | 981.       |
| In Psalmum XLIII. enarratio.   | 985.       |
| In Psalmum XLV. enarratio.   | 1023.      |
| In Psalmum XLVII. enarratio.   | 1033.      |
| In Psalmum XLVIII. enarratio.  | 1043.      |
| In Psalmum quinquagesimum, seu de apologia David, enarratio.                   | 1053.      |
| In Psalmum LXI. enarratio.   | 1065.      |
| In Psalmum LXXII. seu de interpellatione David, enarratio.                     | 1077.      |
| In Psalmum CIII. tractatus.  | 1089.      |
| In Psalmum CIX. sermo.   | 1099.      |
| In Psalmum CXVII. sermo.   | 1101.      |
| In Psalmum CXVIII. enarrationes vigintiduae ad Hebraici alphabeti partitionem. | 1105.      |
| <i>In librum Proverbiorum Salomonis.</i>                                       |            |
| In cap. XXX. Proverbiorum, seu de Salomone liber.                              | Col. 1369. |
| * In eodem cap. fragmentum enarrationis.                                       | 1375.      |
| * In cap. XXXI. Prouerb. seu de Muliere forti, enarratio.                      | 1377.      |
| <i>In librum Ecclesiastes.</i>   |            |
| In cap. IIII. libri Ecclesiastes ad Clericos exhortatio.                       | Col. 1391. |
| <i>In librum Ecclesiastici.</i>  |            |
| In cap. III. libri Ecclesiastici, sermones duo.                                | Col. 1393. |
| <i>In Esaiam Prophetam.</i>  |            |
| In cap. I. Esaiæ prophetæ, sermo.  | Col. 1347. |
| In cap. LI. Esaiæ prophetæ, enarratio.   | 1401.      |
| <i>In Hieremiam Prophetam.</i>   |            |
| In cap. XVII. Hieremiæ prophetæ, enarratio.                                    | Col. 1407. |
| <i>In Danielem prophetam.</i>  |            |
| In cap. XIII. Danielis prophetæ, sermones duo.                                 | Col. 1411. |
| <i>In Ionam prophetam.</i>   |            |

|   |            |
|---|------------|
| In cap. III. & IIII. Ionæ prophetæ, enarrationes duæ. | Col. 1417. |
| <i>In Micheam prophetam.</i>                          |            |
| In Micheam prophetam, obseruationes duæ.              | Col. 1423. |
| <i>In Aggeum prophetam.</i>                           |            |
| In cap. I. & II. Aggæi prophetæ, obseruatio.          | Col. 1435. |
| <i>In Malachiam prophetam.</i>                        |            |
| In cap. I. Malachiæ prophetæ, sermo.                  | Col. 1441. |

TOMVS TERTIVS.

|  |           |
|--|-----------|
| <b>C</b> ommentaria in Euangelium secundum Lucam, decem libris diuisa. pag. 2. |           |
| In Epistolam Beati Pauli Apostoli ad Romanos, cap. XVI.                        | Col. 243. |
| In priorem Beati Pauli ad Corinthios Epistolam, cap. XVI.                      | 415.      |
| In posteriorem Beati Pauli ad Corinthios Epistolam, cap. XIII.                 | 505.      |
| In Epistolam Beati Pauli ad Galatas, cap. VI.                                  | 565.      |
| In Epistolam Beati Pauli ad Ephesios, cap. VI.                                 | 601.      |
| In Epistolam Beati Pauli ad Philipenses, cap. IIII.                            | 633.      |
| In Epistolam Beati Pauli ad Colossenses, cap. IIII.                            | 651.      |
| In priorem Epistolam Beati Pauli ad Thessalonicenses, cap. V.                  | 673.      |
| In posteriorem Epistolam Beati Pauli ad Thessalonicenses, cap. III.            | 687.      |
| In priorem Epistolam Beati Pauli ad Timotheum, cap. VI.                        | 695.      |
| In posteriorem Epist. Beati Pauli ad Timotheum, cap. IIII.                     | 719.      |
| In Epistolam Beati Pauli ad Titum, cap. III.                                   | 733.      |
| In Epistolam Beati Pauli ad Philemonem.  | 741.      |
| In Epistolam ad Hebræos, cap. X.   | 743.      |


TOMVS QVARTVS.

|   |      |
|---|------|
| <b>D</b> e vocatione omnium gentium, lib. II. |      |
| Col. I.                                       |      |
| De fide, ad Gratianum Augustum, lib. V.       | 53.  |
| De Spiritu sancto, ad eundem, lib. III.       | 169. |
| ** Tractatus de Spiritu sancto.               | 253. |
| De  |      |

|  |      |
|--|------|
| De fide orthodoxa, contra Arrrianos, lib. I. | 649. |
| 259.   |      |
| De incarnationis dominicæ sacramêto, lib. I. | 657. |
| 273.   |      |
| De mysterio Paschæ, lib. I.                  | 667. |
| ** De fide resurrectionis, liber ἀκρίβητος.  | 689. |
| 297.   |      |
| De iis qui mysteriis inicianur, lib. I.      | 695. |
| 305.   |      |
| De Sacramentis, lib. VI.                     | 711. |
| 315.   |      |
| De pœnitentia, lib. II.                      | 727. |
| 347.   |      |
| Ad pœnitentiam agendam exhortatio.           | 755. |
| 383.   |      |
| ** De pœnitentia, lib. I.                    | 771. |
| 387.   |      |

TOMVS QVINTVS.

|   |           |
|---|-----------|
| <b>O</b> fficiorum, lib. 3.                                       | Col. 421. |
| De virginibus, ad Marcellinam sororē suam, lib. III.              | 527.      |
| Ad virgines exhortatio.   | 577.      |
| Institutio virginis, ad Eusebium.                                 | 597.      |
| Ad virginem deuotam, liber.                                       | 615.      |
| Ad virginem lapsam, liber.  | 621.      |
| De viduis, lib. I.  | 631.      |
| De dignitate sacerdotali, lib. I.                                 | 649.      |
| Precationes ad missam præparantes, II.                            | 657.      |
| Orationes, siue meditationes aliquot.                             | 667.      |
| Hymni.  | 689.      |
| Oratio funebris de obitu Valentiniani imperatoris.                | 695.      |
| Oratio funebris de excessu fratris sui Satyri.                    | 711.      |
| Oratio funebris de eodem, de fide resurrectionis.                 | 727.      |
| Oratio funebris de exitu, vita & virtutibus Theodosij imp.        | 755.      |
| Sermones.   | 771.      |
| Epistolarum, lib. X.  | 921.      |
| Epistola de inuentione corporum Geruasij & Prothasij, ad sororem. | 1174.     |
| * Epistolæ 5, ad Theodosium imp. Eugenium Augustum, & sororem.    | 1177.     |
| ** Epistolæ aliæ duæ.   | 1187.     |
| Epistolæ Philosophorum, Ambrosio interprete.                      | 1189.     |



Lectori S.

**N**olumus te celare, beneuole Lector, quod in hac nostra D. Ambrosij editione tres priores tomos ea forma & ordine expressimus, quem Romana impressio suggessit. At in duobus posterioribus, quia horum publicatio Roma differebatur, & nos nihilominus ad operis absolutionem à plurimis urgeremur, seriem ex maturo doctissimorum & prudentissimorum Theologorum Parisiensium consilio nobis prescriptam secuti sumus. Vale, & nostris laboribus faue.

### Summarium primi libri Hexaameron.

*A cap. I. usq. ad cap. VIII. agit de rerum creatione in uniuersali.*  
*A cap. IX. usq. ad finem libri agit de creatione lucis, quod est opus primi diei.*

#### Capita primi libri.

- Quo efficacius mundi creationem adstruat, varios de eius principio, duratione ac unitate philosophorum errores perstringit. Cap. I.
- Commendat Moysen ex multis, eique asserenti Deum mundi, rerumque omnium principium & auctorem, credendum esse docet. Cap. II.
- Quod cum mundus habeat principium, non potest esse coaeternus Deo. Cap. III.
- Afferit distinctionem principij, ut explicet quomodo Deus mundum fecerit in principio. Cap. IIII.
- Ponit distinctionem artium, & adstruit quomodo uniuersa per Filium facta dicantur. Cap. V.
- Credendum ad salutem, quod in principio temporis factus est mundus, et quod terra Dei voluntate subsistit; reiectis philosophorum opinionibus. Cap. VI.
- Quomodo terra facta sit inuisibilis et incomposita, et cur prius sit facta, quam ornata. Cap. VII.
- Quomodo terra erat incomposita: quis spiritus superferebatur super aquas: quod malitia est ab homine, & quomodo tenebrae erant super abyssum. Cap. VIII.
- De creatione lucis, per quam ornata sunt prius condita: et de distinctione inter lucem & tenebras, atque ita inter diem & noctem. Cap. IX.
- Quod non diei nox, sed dies nocti secundum scripturam anteferatur, et de unitate diei, in quo calum & terra, ceteraque sunt condita & creata. Cap. X.

SANCTI



## S. AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI HEXAEMERON LIBER PRIMVS, AGENS DE OPERE PRIMI DIEI.

### PROOEMIUM.

Quo efficacius mundi creationem adstruat, varios de eius principio, duratione, ac unitate, Philosophorum errores perstringit. CAP. I.



**I**NTVM NE opinionis assumpsisse homines, ut aliqui eorum tria principia constituerent omnium, Deum, & exemplar, & materiam (sicut Plato, discipuli que eius) & ea incorrupta & increata, ac sine initio esse asseuerarent; Deumque non tamquam creatorem materiae, sed tamquam artificem ad exemplar, hoc est, ideam intendentem, fecisse mundum de materia quam uocant hylen, quae gignendi causas rebus omnibus dedisse asseratur; ipsum quoque mundum incorruptum, nec creatum aut factum existimarent. alij quoque (ut Aristoteles cum suis disputandum putauit) ut duo principia ponerent, materiam, & speciem, & tertium cum ijs quod operatorium dicitur, cui suppeteret competenter efficere, quod adorandum putasset? Quid igitur tam inconueniens, quam ut aeternitatem operis cum Dei omnipotentis aeternitate coniungerent, vel ipsum opus Deum esse dicerent, ut calum & terram & mare diuinis prosequerentur honoribus? Ex quo factum est, ut partes mundi deos esse crederent: quamuis & de ipso mundo non mediocris inter eos quaestio sit. Nam Pythagoras unum mundum asserit; alij innumerabiles dicunt esse mundos, ut scripsit Democritus, cui plurimum in physicis uetustas auctoritatis detulit. Ipsum quoque mundum semper fuisse & fore Aristoteles usurpat dicere; contra autem Plato non semper fuisse, sed semper fore praesumit adstruere: plurimi uero nec fuisse semper, nec semper fore scriptis suis testificantur. Inter has eorum dissensiones quae potest esse ueri aestimatio, cum alij mundum ipsum Deum esse dicant, quod ei mens diuina, ut putant, inesse uideatur; alij partes eius, alij utrumque: in quo nec qua figura sit deorum, nec qui numerus, nec qui locus, aut uita possit aut cura comprehendi? Siquidem mundi aestimatione uolubilem, rotundum, ardentem, quibusdam citatum motibus, sine sensu Deum conueniat intelligi, qui alieno, non suo motu feratur. Unde diuino spiritu hos prauidens sanctus Moyses fore hominum errores, & forte iam caepisse, in exordio sermonis sui sic ait:

Genesis Cap. I.

Commendat Moysen ex multis, eique asserenti Deum mundi rerumque omnium principium & auctorem, credendum esse docet. CAP. II.

**I**N principio fecit Deus calum & terram. Terra autem erat inuisibilis & incomposita, & tenebrae erant super abyssum: & spiritus Dei superferebatur super aquas. Et dixit Deus, Fiat lux. Et facta est lux. Et uidit Deus lucem quia bona: & discreuit Deus inter lucem & tenebras. Et uocauit Deus lucem, diem; & tenebras uocauit noctem. Et factum est uespere, & factum est mane dies unus.

S. Ambr. tom. I.

**I**nitium rerum, auctorem mundi, creationemque materiae comprehendit; ut Deum cognosceres ante initium mundi esse, vel ipsum esse initium uniuersorum; sicut in Euangelio Dei filius dicentibus sibi, Tu quis es? respondit, Principium, quod & loquor uobis: & ipsum dedisse gignendis rebus initium, & ipsum esse creatorem mundi, non idea quadam duce imitatore materiae, ex qua non ad arbitrium suum, sed ad speciem propositam sua opera formaret. Pulchre quoque ait; *In principio fecit;*



Act. 7.

Exod. 2.

Hebr. 11.

Exod. 1.

Ibid. Deut. 34. Num. 12.

Exod. 33.

Exod. 4. 1. Cor. 2.

Esa. 59.

Psal. 103. Act. 17.

vt incomprehensibilem celeritatem operis exprimeret, cum effectum prius operationis impleta, quam indicium coepit explicuisset. Quis hoc dicat, aduertere debemus. Moyses utique ille eruditus in omni sapientia Aegyptiorum, quem de flumine collectum filia Pharaonis vt filium dilexit, & subsidiis regalibus fultum, omnibus secularis prudentiae disciplinis informari atque instrui designauit. Qui cum de aqua nomen acceperit, non putauit tamen dicendum quod ex aqua constarent omnia, vt Thales dixit. Et cum esset in aula educatus regia; maluit tamen pro amore iustitiae subire exilium voluntarium, quam in tyrannidis fastigio peccati perfunctionem deliciis acquirere. Denique priusquam ad populi liberandi munus vocaretur, naturali aequitatis studio prouocatus, accipientem iniuriam de popularibus suis vltus, inuidiae sese dedit, voluptati que eripuit, atque omnes regiae domus declinas tumultus, in secretum Aethiopiae se contulit, ibique a caeteris negotiis remotus, totum diuinae cognitioni animum intendit, vt gloriam Dei videret facie ad faciem. Cui testificatur scriptura, quia nemo surrexit amplius propheta in Israel sicut Moyses, quem sciuit Dominus facie ad faciem. Non in visione, neque in somniis, sed ore ad os cum Deo summo locutus: neque in specie, neque per aenigmata, sed clara atque perspicua praesentiae diuinae cognitione dignatus. Ita itaque Moyses aperuit os suum, & effudit quae in eo Dominus loquebatur, secundum quod ei dixerat cum eum ad Pharaonem regem dirigeret: Vade ergo, & ego aperiam os tuum, & instrua te quid debeas loqui. Etenim si quod de populo dimittendo diceret, a Deo acceperat, quanto magis quod de caelo loqueretur? Denique non in persuasionem humanam sapientiae, nec in philosophiae simulatoris disputationibus, sed in ostensione spiritus & virtutis, tamquam testis diuini operis ausus est dicere, *In principio fecit Deus caelum & terram.* Non ille vt atomorum concussione mundus coiret, serum atque otiosum expectauit negotium: neque disciplinam quandam materiae, quam contemplando mundum posset effingere, sed auctorem Deum exprimendum putauit. Aduertit enim vir plenus prudentiae, quod visibilium atque inuisibilium substantias, origines & causas rerum mens sola diuina contineat, non vt philosophi disputant, validiorem atomorum complexionem perseuerantiae iugis praestare causam; sed iudicauit quod telam araneam texerent, qui sic minuta & insubstantia principia caelo ac terris darent: quae vt fortuito coniungerentur, ita fortuito ac temere dissoluerentur, nisi in sui gubernatoris diuina virtute constarent. Nec immerito gubernatorem nesciunt, qui non nouerunt Deum, per quem omnia reguntur & gubernantur. Sequamur ergo eum qui & auctorem nouit & gubernatorem, nec vanis abducamur opinionibus.

Quod cum mundus habeat principium, non potest esse coaeternus Deo. CAP. III.

In principio, inquit. Quam bonus ordo, vt illud primum assereret, quod negare homines consueverunt; vt cognoscerent principium esse mundi, ne sine principio mundum esse aliqui arbitrarentur.

Vnde & David cum de caelo & terra & mari loqueretur, ait, Omnia in sapientia fecisti. Dedit ergo principium mundo, dedit etiam creaturam informem materiam, ne anarchon, ne increatum, nec diuinam consortem substantiae crederemus. Et pulchre addidit, *Fecit;* ne mora in faciendo fuisse existimaretur: sed vt sic intelligerent homines quam incomparabilis operator esset, qui tantum opus breui exiguoque momento suae voluntatis absolueret, & operationis effectus seculum temporis praerueniret. Nemo operantem vidit, sed agnouit operatum. Vbi igitur mora, cum legas, Quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt? Nec artis igitur vsum, nec virtutis expendit, qui momento suae voluntatis maiestatem tantae operationis impleuit, vt ea quae non erant, esse faceret tam velociter, vt neque voluntas operationi praeriret, neque operatio voluntati. Miraris opus, quaeis operatorem, quis principium tanto operi dederit, quis tam cito id fecerit; subiecit statim, dicens, quia *Deus fecit caelum & terram.* Audisti auctorem, dubitare non debes. Hic est in quo benedixit Melchisedech Abraham patrem multarum gentium, dicens, Benedictus Abraham Deo summo, qui fecit caelum & terram. Hic est de quo Abraham ait, *Extendam manum meam ad Deum summum, qui fecit caelum & terram.* Vides quia hoc non homo inuenit, sed Deus annuntiauit. Deus est enim Melchisedech, qui est rex pacis & iustitiae, nec initium dierum neque finem habens. Non mirum ergo si Deus qui est sine initio, initium omnibus dedit, vt quae non erant, esse inciperent. Non mirum si Deus qui omnia virtute sua continet, & incomprehensibili maiestate vniuersa complectitur, fecit haec quae videntur, cum etiam illa fecerit quae non videntur. Inuisibilia autem iis quae videntur, potiora esse quis neget; cum ea quae videntur, temporalia sint, aeterna autem quae non videntur? Quis dubitet quod Deus haec fecerit, qui per Prophetam locutus, ait, *Quis mensus est manu aquam, & caelum palmo, & vniuersam terram clausa manu? Quis statuit montes in libra, & rupes in statera, & nemota in iugo? Quis cognouit sensum Domini, aut quis eius consiliarius fuit? vel quis instruxit eum?* De quo etiam alibi legimus, *Qui tenet circuitum terrae, & terram velut nihilum fecit.* Et Hieremias ait, *Dij qui non fecerunt caelum & terram, peribunt a terra, & de sub caelo isto.* Dominus qui fecit terram in virtute sua, & correxit in sapientia sua orbem, & in sua prudentia extendit caelum, & multitudinem aquae in caelo. Et addidit, *Infatuatus est homo a scientia. Qui enim corruptibilia mundi sequitur, & ex his putat quod diuinae possit naturae comprehendere veritatem, quomodo non infatuatur versuta disputationis astutia? Cum ergo tot oracula audias, quibus testificatur Deus quod fecerit mundum; noli eum sine principio esse credere, quia quasi sphaera mundus esse dicatur, vt principium eius nullum videatur extare: & quod quasi in circuitu omnia moueantur, vt vnde incipiant, vbi desinant, non facile comprehendas: quia circuitus principium sensu colligere, impossibile habetur. Neque enim sphaerae potes initium reperire, vel vnde coeperit vel vbi desinat centro & interuallo positus. Neque vero*

Psal. 103.

Psal. 148.

Rom. 4.

Gen. 14.

Ibid.

Hebr. 7.

2. Cor. 4.

Esa. 40. Rom. 11.

Esa. 40. Ibid.

Hier. 10.

Ibid. 1. Cor. 2. 1. Cor. 1.

Matth. 24. Matth. 28. 1. Cor. 7.

Proverb. 8.

Ibid. Proverb. 1.

Exod. 12.

si ipse non comprehendas, idcirco non coepit, aut nequaquam desinet. Si ipse circuitum atramento vel graphio ducas, vnde coeperis, aut vbi desieris, non facile vel oculis colliges, vel mente repetes: & tamen & coepisse & desuisse ipse tibi testis es. Na etsi sensum subterfugit, veritatem non subruit. Quae autem initium habent, & finem habent: & quibus finis datur, initium datum constat. Finem autem mundi futurum ipse Saluator docet in Euangelio suo, dicens, *Caelum & terra praeteribunt.* Et infra, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem mundi.* & Apostolus: *Praerit enim figura huius mundi.* Quomodo ergo coaeternum Deo mundum asserunt, & creatori omnium sociant atque aequalis esse disputant creaturam, corpusque materiale mundi, inuisibili illi atque inaccessiblei naturae coniungendum putant; cum praeritum secundum suam sententiam non possint negare, quoniam cuius partes corruptioni & mutabilitati subiacent, huius necesse est vniuersitatem iisdem passionibus, quibus propriae portiones eius sunt obnoxiae, subiacere? Principium igitur esse docet qui dicit, *In principio fecit Deus caelum & terram.*

Afferret distinctionem principij, vt explicet quomodo Deus mundum fecerit. CAP. IIII.

Quia dixit, *In principio;* principium aut ad tempus refertur, aut ad numerum, aut ad fundamentum. Principium quoque conuersionis & deprauationis dici posse, scripturarum cognoscimus auctoritate. Est & principium artis ars ipsa, ex qua artificum diuersorum deinceps coepit operatio. Est etiam principium bonorum operum finis optimus, vt misericordiae principium est, Deo placere quod facias. Eo enim ad conferendum hominibus subsidium maximè prouocamur. Est etiam virtus diuina, quae hac exprimitur appellatione. Ad tempus refertur, si velis dicere in quo tempore Deus fecit caelum & terram, id est, in exordio mundi quando fieri coepit, sicut ait Sapientia: *Cum pararet caelum, cum illo eram.* Ad numerum autem si referas, ita conuenit vt accipias, *In primis fecit Deus caelum & terram;* deinde colles, regiones, fines inhabitabiles. Vel sic: Ante reliquas visibiles creaturas, diem, noctem, ligna fructifera, animantium genera diuersa, caelum & terram fecit. Si vero ad fundamentum referas, principium terrae fundamenta esse legisti, dicente Sapientia: *Quando fortia faciebat fundamenta terrae, eram penes illum cuncta disponens.* Est etiam bonae principium disciplinae, sicut est illud: *Initium sapientiae, timor Domini: quoniam qui timet Dominum, declinat errorem, & ad virtutis semitam vias suas dirigit.* Nisi enim quis timuerit Deum, non potest renuntiare peccato. Quod aequè etiam de illo possumus accipere: *Mensis hic initium mensium est vobis;* quamuis & de tempore istud accipiatur, quia de pascha Domini loquebatur, quod veris initio celebratur. In hoc ergo principio mensium caelum & terram fecit, quod inde mundi capi oportebat exordium, vbi erat oportuna omnibus verna temperies. Vnde & annus mundi imaginem nascentis expressit, vt post hybernas glacies atque hyemales caligines, serenior solito verni temporis splendor

eluceat. Dedit ergo formam futuris annorum curriculum mundi primus exortus, vt ea lege annorum vices surgerent, atque initio cuiusque anni produceret terra noua seminum germina, quo primum Dominus Deus dixerat, *Germinet terra herbam foeni, seminans semen secundum genus & secundum similitudinem, & lignum fructiferum faciens fructum.* Et statim produxit terra herbam foeni, & lignum fructiferum, in quo nobis & moderationis perpetuae diuina prouidentia, & celeritas terrae germinantis ad aestimationem verna suffragatur aetatis. Nam etsi quocumque tempore & Deo iubere promptum fuit, & naturae obedire, vt inter hybernas glacies & hyemales pruinas, caelestis imperij motu germinans terra foetum produceret; non erat tamen dispositionis aeternae, rigido stricta gelu in virides subito fructus arua laxari, atque horrentibus pruinis florulenta misceri. Ergo vt ostenderet scriptura veris tempora in constitutione mundi, ait, *Mensis hic vobis initium mensium;* primus est vobis in mensibus anni, primum mensium, vnum tempus appellans. Decebat enim principium anni, principium esse generationis, & ipsam generationem mollioribus auris foueri. Neque enim possent tenera rerum exordia aut asperioris labore tolerare frigoris, aut torrens estus iniuriam sustinere. Simul illud aduertere licet, quia iure concurrit vt eo tempore videatur in hanc generationem atque in hos vltus tributus ingressus, quo tempore ex hac generatione in regenerationem est legitimus transitus. Siquidem verno tempore filij Israel Aegyptum reliquerunt, & mare transierunt, baptizati in nube & in mari, vt Apostolus dixit: & eo tempore Domini quotannis Iesu Christi pascha celebratur, hoc est, animarum transitus a vitis ad virtutem, a passionibus carnis ad gratiam sobrietatemque mentis, a malitiae nequitiaeque fermento ad veritatem & sinceritatem. Regeneratis itaque dicitur: *Mensis hic vobis initium mensium;* primus est vobis in mensibus anni. Derelinquit enim & deserit qui abluitur, intelligibilem illum Pharaonem principem istius mundi, dicens, *Abrenuntio tibi diabolo, & angelis tuis, & operibus tuis, & imperiis tuis.* Nec iam seruiet ei, vel terrenis huius corporis passionibus, vel deprauatae mentis erroribus, qui demersa omni malitia, vice plumbi, bonis operibus dextra laeuaque munitus in offenso saeculi huius freta studet transire vestigio. In libro quoque, qui inscribitur Numeri, ait Scriptura, *Initium nationum Amalech, & semen eius peribit.* Et utique non omnium nationum primus est Amalech, sed quia per interpretationem Amalech, rex accipitur iniquorum, ini quae autem gentes sunt, vide ne principem mundi huius accipere debeamus, qui imperat nationibus voluntatem suam facientibus, cuius semen peribit. Semen autem eius impij & infideles sunt, quibus ait Dominus, *Vos ex patre diabolo estis.* Est etiam principium mysticum, vt illud est: *Ego sum primus & nouissimus, principium & finis.* Et illud in Euangelio praecipue, quod interrogatus Dominus, *Quis esset,* respondit, *Principium, quod & loquor vobis.* Qui verè & secundum diuinitatem est principium omnium, quia nemo ante ipsum: & finis, quia nemo vltra ipsum: & secundum Salomonem, *initium est*

Gen. 1. infr.

Exod. 12.

Exod. 14. 1. Cor. 10.

1. Cor. 5. Exod. 12.

Num. 24.

1. Cor. 14. Psal. 36. Ioan. 8.

Apo. 1. Or. 22.

Ioan. 8.

Proverb. 8.

1017.6.  
1017.1.  
Coloss.1.  
Exod.13.  
Exod.4.

Rem.8.

psal.18.  
Rom.11.

psal.103.

viarum Domini in opera eius: vt per ipsum disceret G hominum genus vias Domini sequi, & operari opera Dei. In hoc ergo principio, id est in Christo, fecit Deus cælum & terram: quia per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso, vita erat; quia in ipso constant omnia. Et ipse est primogenitus omnis creaturæ: siue quia ante omnem creaturam; siue quia sanctus, quia primogeniti sancti sunt, vt primogenitus Israel: nõ quia ante omnes, sed quia sanctior cæteris. Sanctus autem Dominus supra omnem creaturam etiam secundum corporis susceptionem, quia solus sine peccato, solus sine vanitate: Omnis autem creatura subiecta vanitati est. Possumus etiam intelligere, *In principio fecit Deus cælum & terram*, id est, ante tempus: sicut initium viæ, nondum viæ, & initium domus, nondum domus. Denique alij traduxerunt, *ἐν κεφαλαίω*, quasi in capite, quo significatur in breui & in exiguo momento summa operationis impleta. Sunt ergo & qui principium non pro tempore accipiant, sed ante tempus, *καὶ κεφαλαίω*, vel caput; vt dicamus Latine, quasi summa operis; quia rerum visibilibus summa cælum & terra est, quæ non solum ad mundi huius spectare videntur ornatum, sed etiam ad iudicium rerum inuisibilibus, & quoddam argumentum eorum quæ non videntur, vt est illud propheticum, Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Quod secutus Apostolus alijs verbis eadem conclusit sententia, dicens, Quia inuisibilia eius per ea quæ facta sunt, intelliguntur. Auctorem enim angelorum & dominationum & potestatum facile intelligimus eum, qui momento imperij sui hanc tantam pulchritudinem mundi ex nihilo fecit esse, quæ non erat; & non de extantibus aut rebus aut causis donauit habere substantiam. Est ergo hic mundus diuinæ specimen operationis: quia dum opus videtur, præfertur operator.

*Ponit distinctionem artium, & adstruit quomodo vniuersa per filium facta dicantur. CAP. V.*

**A**rtium autem alia sunt theoretica, quæ vigorem mentis exercent, alia sunt actiua, & istarum aliqua sunt in corporis motu, aut sono vocis, quarum vbi cessauit motus aut sonus, nihil superfuit nec remansit spectantibus vel audientibus: alia humani modi, vt cessante quoque operationis officio, operis munus appareat; vt edificatio atque textura, quæ etiam tacente artifice peritiam eius ostendunt, vt operatori operis sui testimonium suffragetur. Similiter hic mundus diuinæ maiestatis insigne est, vt per ipsum Dei sapientia manifestetur. Quæ videns Propheta, simul & ad inuisibilia oculos mentis attolens, ait: Quam magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti. Nec otiosè vti que factum legimus: quia plerique qui coeternum Deo mundum volunt esse quasi adumbrationem virtutis diuinæ, afferunt etiam sua sponte subsistere: & quamuis causam eius Deum esse fateatur, causam tamen volunt non ex voluntate & dispositione sua, sed ita vt causa vmbra, corpus est. Adharet enim vmbra corpori, & fulgor lumini, naturali magis societate, quam voluntate arbitria. Pulchrè ergo ait Moyses, quia fecit

*Deus cælum & terram.* Non dixit, quia subesse fecit; non dixit, quia causam mundo vt esset, præbuit; sed, *fecit*, quasi bonus quod foret vtile; quasi sapiens quod optimum iudicabat; quasi omnipotens quod amplissimum præuidebat. Quomodo autem quasi vmbra esse poterat, vbi corpus non erat, cum incorporei Dei corporea adumbratio esse non possit? Quomodo etiam incorporei luminis splendor possit esse corporeus? Sed si quæris splendorem Dei, filius est imago Dei inuisibilis. Qualis ergo Deus est, talis imago. Inuisibilis Deus, etiam imago inuisibilis. Est etiam splendor gloriæ paternæ, atque eius imago substantiæ. *In principio* (inquit) *fecit Deus cælum & terram.* Factus est ergo mundus; & cepit esse, qui non erat. Verbum autem Dei in principio erat, & erat semper. Sed etiam angeli, dominationes & potestates, etsi aliquando coeperunt, erant tamen iam quando hic mundus est factus. Omnia namque creata & condita sunt, visibilia & inuisibilia, siue sedes, siue dominationes, siue principatus, siue potestates: Omnia, inquit, per ipsum facta sunt, & in ipso creata sunt. Quid est, in ipso creata? Quia ipse est hæres patris, eo quod à patre in ipsum transferit hæreditas, sicut Pater dicit: Posce à me, & dabo tibi gètes hæreditatem tuam. Quæ tamen hæreditas à Patre trāsfit in Filiū, & in Patre reuertitur à Filio. Egregiè itaque Apostolus & hoc loco filium dixit auctorem omnium, & maiestatem suam continentem omnia. Et ad Romanos de patre ait, Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipsum sunt omnia. Ex ipso principium & origo substantiæ vniuersorum, id est, ex voluntate eius & potestate. Omnia enim ex eius voluntate coeperunt, quia vnus Deus pater, ex quo omnia. Etenim tamquæ ex suo fecit, quia vnde voluit fecit. Per ipsum continuatio, finis in ipsum. Ex ipso ergo materia, per ipsum operatio qua ligauit atque constrinxit vniuersa: & quamdiu vult, omnia eius virtute manent atque consistunt. In ipsum est finis eorum. Nā cuncta in Dei voluntatem recurrunt, & eius arbitrio resoluuntur.

*Credendum ad salutem, quod in principio temporis factus est mundus, & quod terra Dei voluntate subsistit, reiectis philosophorum opinionibus. CAP. VI.*

**I**n principio itaque temporis, cælum & terram Deus fecit. Tempus enim ab hoc mundo, nõ ante mundum; dies autem temporis portio est, non principium. Et quamquam lectionis serie possimus adstruere, quod primo die diem fecerit Dominus & noctem, quæ sunt vices temporum; & secundo die firmamentum fecerit, quo discreuit aquam quæ sub cælo est, & aquam quæ super cælum: tamen satis est ad præsentem assertionem, quod in principio cælum fecerit, vnde generationis causa; & terram in qua esset generationis substantia. In his enim elementa creata sunt, ex quibus generantur omnia ista quæ mundi sunt: Elementa autem quatuor, aër, ignis, aqua & terra, quæ in omnibus sibi inuicè mixta sunt. Siquidem & in terra ignem reperies, qui ex lapidibus & ferro frequenter excutitur: & in cælo, cum sit ignitus & micans fulgētibus stellis solus, aqua esse possit intelligi, quæ vel supra cælum est; vel quæ de illo superiore loco in terram largo frequenter

Coloss.1.

Hebr.1.  
Ioan.1.

Coloss.1.

psal.2.

Rem.11.

1. Cor. 8.

Sap.11.

psal.92.

psal.74.

Esai.51.

Esai.40.

Id.  
Esai.34.

Luc.10.

Iob.16.

Iob.38.

Ibid.

Sap.11.

psal.92.

psal.74.

imbrem demittitur. Quæ pluribus colligere possemus, si quid ad ædificationem Ecclesiæ ista proficere videremus. Sed quia his occupari infructuosum negotium est, ad illa magis intendamus animum, in quibus vitæ sit profectus æternæ. De qualitate igitur & substantia cæli satis est ea promere quæ in Esaiæ scriptis reperimus, qui medioeribus & vltatis sermonibus qualitatem naturæ cælestis expressit, dicens, quod firmauerit cælum sicut fumum, subtilem eius naturam, nec solidam cupiens declarare. Ad speciem quoque eius abundat, quod ipse de cæli firmamento locutus est, quia fecit Deus cælum sicut cameram; quod intra cæli ambitum vniuersa claudantur, quæ vel in mari cernuntur, vel terris. Quod similiter significatur, cum legitur, Quia cælum Dominus extendit. Extendit enim vel quasi pellis ad tabernacula habitationis sanctorum; vel quasi liber, vt plurimorum scribatur nomina, qui Christi gratiam fide & deuotione meruerunt, quibus dicitur: Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælo. De terræ quoque vel qualitate vel positione tractare nihil prodest ad spem futuri, cum satis sit quod scripturarum diuinarum series comprehendit, quia suspendit terram in nihilo. Quid nobis discutere, vtrum in aère pendeat, an super aquam, vt inde nascatur controuersia, quomodo aëris natura tenuis & mollior molem possit sustentare terram? Aut quomodo, si super aquas, non demergatur in aquam grauis ruina terrarum? Aut quomodo ei maris vnda non cedat, & in latera eius sese loco suo mota diffundat? Multi etiam in medio terram esse dixerunt, & mole sua immobilè permanere, quod æquali momento hinc atque inde propèdeat. De quo satis putamus dictum à Domino ad Iob seruum suum, quando locutus per nubem ait, Vbi eras cum fundarem terram? Indica mihi, si habes scientiam. Quis posuit mensuras eius, si nosti? Aut quis est qui superinduxit mensuram super eam, aut super quid circuli eius confixi sunt? Et infra: Conclusi mare portis, & dixi, Vsq; huc venies, & non transibis, sed in te comminuentur fluctus tui. Nonne euidenter ostendit Deus, omnia maiestate sua consistere in numero, pondere atque mensura? Neque enim creatura legè tribuit, sed accepit, & seruat acceptam. Non ergo quod in medio sit terra, quasi aqua lance suspenditur, sed quia maiestas Dei voluntatis suæ eam lege constringit, vt supra instabile atque inane stabilis persisteret; sicut Dauid quoque propheta testatur, dicens, Fundauit terram super firmitatè eius: non inclinabitur in sæculum sæculi. Non vti que hic quasi tantummodo artifex Deus, sed quasi omnipotens prædicatur, qui non centro quodam terram, sed præcepti sui suspendit firmamento, nec eam inclinari patiatur. Non ergo mensuram centri, sed iudicij diuini accipere debemus, quia non artis mensura est, sed potestatis, mensura iustitiæ, mensura cognitionis, quia omnia nõ tamquæ immensa prætereant eius scientiam, sed cognitioni eius tamquam dimensa subiaceant. Neque enim cum legimus: Ego confirmaui columnas eius; verè columnas eam subnixam possumus æstimare, sed ea virtute quæ suffulciat substantiam terræ atque sustineat. Denique quod in potestate Dei sit terræ constitutio, etiã hinc collige,

quia scriptum est, Qui aspicit terram, & facit eam tremere. Et alibi, Adhuc ego semel concutio terram. Non ergo libramētis suis immobilis manet, sed frequenter Dei nutu & arbitrio commouetur, sicut & Iob dicit: Quia Dominus commouet eam à fundamentis; columnæ autè eius exagitantur. Et alibi, Nuda inferna in conspectu eius, & non est morti inuolucrum, extendens Boream pro nihilo, suspendens terram in nihilum; alligans aquam in nubibus suis. Columnæ cæli auolauerunt, & expauerunt ab increpatione eius; virtute mitigauit mare, disciplina stravit cætum, claustra autem cæli timent eum. Voluntate igitur Dei immobilis manet & stat in sæculum terra, secundum Ecclesiastæ sententiam, & voluntate Dei mouetur, & nutat. Non ergo fundamentis suis nixa subsistit, nec fulcris suis stabilis perseuerat, sed Dominus statuit eam, & firmamento voluntatis suæ continet; quia in manu eius omnes fines terræ. Et hæc fidei simplicitas argumentis omnibus antecellit. Laudent alij quod ideo nusquam decidat terra, quia secundum naturam in medio regionem possideat suam, eoque necesse sit eam manere in regione sua, nec in partem alteram inclinari; quando contra naturam non mouetur, sed secundum naturam: prædicent artificis diuini & operatoris æterni excellentiam. (quis enim artificum nõ ab illo accepit? aut quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, aut varietatis disciplinam?) ego tamen qui profundum maiestatis eius, & artis excellentiam non queo comprehendere, non disputatoris me libramētis committo atque mensuris, sed omnia repõta in eius existimo potestate, quod voluntas eius, fundamentum sit vniuersorum, & propter eum adhuc mundus hic maneat. Quod apostolica quoque licet adstruere auctoritatis exèplo. Scriptum est enim, Quia vanitati creatura subiecta est, non sponte, sed propter eum qui subiecit eam in spe. Liberabitur autem & ipsa creatura à seruitute corruptionis, cum gloria diuinæ remunerationis affulserit. De natura autem & qualitate substantiæ cæli quid enumerem ea quæ disputationibus suis philosophi texuerunt, cum alij compositum cælum ex quatuor elementis asserant, alij quintam quandam naturam corporis ad constitutionem eius inducant, atque affingant æthereum esse corpus, cui neque ignis admixtus sit, neque aër, neque aqua, neque terra: quod huiusmodi elementa suum quendam cursum habeant atque vsum & motum naturæ, vt grauiora demergant & in pronum ferantur; vacua & leuia in superiora se subrigant. Est enim proprius cuique motus. In sphaeræ autem circuitu ista confundi, & vim sui cursus amittere, quoniam sphaera in orbem suum voluitur, & superiora inferioribus, superioribus quoque inferiora mutantur. Quorum autem secundum naturam motus mutati sunt, horum necessariò ferunt mutari solere. Qualitates substantiarum suarum. Quid igitur defendimus æthereum corpus esse, ne videatur corruptioni obnoxium? Quod enim compositum ex corruptibilibus elementis est, necesse est resoluatur. Nam hoc ipso quod diuersa sint elementa naturæ, simplicem & inuolabilem motum habere nõ possunt, cum se diuersus elementorum motus impugnet. Vnus enim motus omnib' aptus

psal.103.  
Agg.2.  
Hebr.12.

Iob.9.

Iob.26.

Ecclesi.1.

psal.94.

Iob.38.

Rom.8.  
Ibid.

esse nõ potest, & elementis distantibus conuenire. Nam qui leuibus accomodatus est, fit incommodus grauioribus. Itaque quando ad superiora motus est necessarius, terrenis grauatur: quãdo ad inferiora decursus expetitur, igneus vigor ille violenter attrahitur. Etenim contra naturã suã vsum deorsum cogitur. Omne autem quod in contrarium cogitur, non naturã seruiens, sed necessitati, citò soluitur, & in ea scinditur ex quibus videtur esse compositum, in suam quamque regionem singulis recurrentibus. Hęc igitur illi considerantes stabilia esse non posse, æthereum corpus cæli stellarumque esse arbitrati sunt, quintam quandam naturam corporis introducentes, quò diuturnam cæli putarent esse substantiã. Sed nõ ista opinio prophetica potuit obuiare sententiã, quã diuina quoque Domini Iesu Christi, Deiq; nostri maiestas in Euangelio cõprobauit. Dixit enim Dauid, Principio terrã tu fundasti Domine, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnia sicut vestimentũ veterascent, & tamquam amictum mutabis ea, & mutabuntur: tu verò ipse es, & anni tui non deficient. Quod adeo probauit in Euangelio Dominus, vt diceret, Cælũ & terra transibunt, mea autem verba non præteribunt. Nihil igitur agunt qui propter cæli afferendam perpetuitatem, quintum corpus æthereum introducendum putarunt, cum æquẽ videant diuisilem cæteris adiunctam membri vnus portionem, labem corpori magis asferre consueuisse. Simul illud aduerte, quia propheta Dauid cum terrã priori loco nominauit, & postea cælum, credit opus esse Domini declarandum, ne saltem prærogatiua primogenituræ cælum diuinæ videatur adiudicari substantiæ, cum primogenitæ creaturæ priuilegio potius æstimeretur. Quãdo ergo dixit, Ipse dixit, & facta sunt, simul vtrũque factum esse designauit. Nihil ergo interest quid prius exprimas, cum scriptum sit, Qui viuut in sæculum, creauit omnia simul. Itaque illos suis relinquamus contentiõibus, qui mutuis disputationibus se refellunt. Nobis autem satis est ad salutem, non disputationum controuersia, sed præceptorum veritas: nec argumentationis astutia, sed fides mentis, vt seruiamus creatori potius quam creaturæ, qui est Deus benedictus in sæcula.

Psal. 103. Hebr. 1.

Matth. 24.

Psal. 148.

Ecl. 1. 8.

Rom. 1.

Quomodo terra facta sit inuisibilis & incomposita, & cur prius sit facta quam ornata. CAP. VII.

1. cor. 3.

Gen. 4. 1. ibid.

**T**erra (inquit) erat inuisibilis & incomposita. Bonus artifex prius fundamentum ponit; postea fundamento posito, ædificationis membra distinguit, adiungit ornatum. Posito igitur fundamento terræ, & confirmata cæli substantia, (duo enim ista sunt velut cardines rerum) subtexit, Terra autem erat inuisibilis & incomposita. Quid est, Erat, nisi fortè in infinitum & sine principio extendant opinionem suam, & dicant, Ecce quia materia (id est hyle, sicut philosophi dicunt) etiam secundum Scripturam diuinam non habuit initium? Verum hoc dicentibus respondebis quia scriptum est, Erat autem Cain operans terram. Et de eo qui Iubal dictus est, habet scriptura, Hic erat qui demonstrauit psalteriũ & citharam. Et, Homo erat in Austide regione, cui

G nomen Iob. Definãt ergo de verbo quæstionẽ mouere, cum præmiserit Moyses, quia fecit Deus terrã. Erat ergo, ex quo facta est. Nam si sine principio eã dicunt esse, iam non solum Deum, sed etiam hylem sine principio dicentes, definiant vbĩnam erat. Si in loco, ergo etiã locus sine principio fuisse adstruitur, in quo erat materia rerum, quæ principium non habebat. Quod si absurdum videtur de loco credere, videre ne fortè volatilem terram debeamus æstimare, quæ non habens fundamentum, alarum remigiis suspendebatur. Vnde ergo ei alas sumemus, nisi fortè huc deriuemus prophetici sermonis interpretationem, A pennis terræ prodigia audiuiimus? Et illud, Væ terræ nauium pennar? Sed hoc si sic accipiamus, in quo aère volabat terra? Sine aère enim volare non poterat. Sed aër adhuc esse non poterat, quia nõ erat elementorum facta distinctio, cum ipsa adhuc elementa non essent. Vbi ergo erat materia ista alarum suffulta remigiis? In aère non erat, quia aër corpus est mundi. Corpus autem esse aèrem docet lectio, quia emissa sagitta in locum quem iaculator intendit, incisus aër statim in seipsum resolutus est. Vbi ergo erat hyle, nisi fortè dicatur quadam dementi intentione, quia in Deo erat? Ergo Deus qui est inuisibilis naturæ atque inuolabilis, qui lucẽ habitat inaccessibilem, incomprehensibilis & purissimus spiritus, locus erat materiæ mudiãlis, & erat in Deo mundi portio, cum de hoc mundo non sit nec mens seruulorum eius, sicut habemus scriptum, De hoc mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo? Quemadmodum ergo visibilia inuisibilibus, & ei qui ordinem ac decorem donauit omnibus, incomposita copulabatur, nisi fortè quia dixit, Terra autem erat inuisibilis; & inuisibilem eam per substantiam credant, & non ideo quia aquis operata, visibilis corporis oculis esse non poterat, quemadmodum pleraque in profundo aquarum sita, visum oculorum aciemque prætereunt? Non enim Deo aliquid inuisibile, sed creatura mundi creaturæ vtriusque æstimatione censetur. Inuisibilis etiam terra, quia nondũ lux quæ illuminaret mundum, nõdum sol: postea enim luminaria facta sunt cæli. Quod si solis radius plerumque etiam aquis operata illuminat, & profundo mersa splendore luminis sui prodit, quis dubitet Deo ea quæ in profundo sunt, inuisibilia esse nõ posse: nisi fortè sic accipiam? inuisibilem terram, quod nondũ verbo Dei & protectione visitabatur, quæ hominem non habebat, propter quẽ Dominus respiceret in eam, sicut scriptum est, Dominus respexit super filios hominum, vt videret si est intelligens, aut requirens Deũ? Et alibi ait, De cælo iaculatus est iudiciũ: terra tremuit, & quieuit. Et merito inuisibilis, quia incomposita, quæ figuram & speciẽ congruentem adhuc nõ accepterat à proprio conditore. Et fortasse dicant: Cur enim Deus, sicut dixit & facta sunt, non simul ornatus congruos affurgentibus donauit elementis, quasi non potuerit cælum insignitum stellis subito vt creatum est, resurgere, & floribus ac fructibus terra vestiri? Potuit vtriusque, sed ideo primò facta, postea composita declarantur, ne verè increata & sine principio crederentur, si species rerum velut ingeneratæ ab initio, non postea additæ viderentur. Incomposita terra legitur, & iisdem

Iob. 1.

Esai. 24. Esai. 18.

Sap. 5.

1. Tim. 6.

Ioan. 17.

Heb. 4.

Psal. 13. Psal. 75.

Psalm. 148.

iisdem à philosophis æternitatis quibus Deus priuilegiis honoratur: quid dicerent si ab initio eius pulchritudo vernasset? Demersa aquis descibitur, velut cuidam principiorũ suorum addicta naufragio, & adhuc à nonnullis facta non creditur: quid si decorem primogenitum vindicaret? Accedit illud, quod imitatores sui Deus nos esse voluit, vt primò faciamus aliqua, postea venustemus: ne dum simul vtrumque adorimus, neutrum possumus implere. Fides autem nostra quodam gradu crescit. Ideo primò fecit Deus, postea venustauit, vt eundem credamus ornasse qui fecit, & fecisse qui ornauit: ne alterum putemus ornasse, alterum creauisse, sed eundem vtrumque esse operatum: vt primò faceret, postea componeret, ne alterum alteri dcessere crederetur. Habes in Euangelio huius rei euidentis testimonium. Nam suscitaturus Lazarum Dominus, iussit vt Iudæi remouerent lapidem de sepulcro, vt mortuum videntes, postea resuscitatum crederet. Deinde vocauit Lazarum, & resurrexit, & ligatis manibus & pedibus exiit foras. Nonne poterat remouere lapidem, qui poterat mortuum suscitare? Et qui potuit defuncto vitam reddere, non potuit nexus soluere vinculorum? Cui vincis pedibus gressum dedit, huic non potuit ruptis vinculis incessum reddere? Sed vtriusque aduertimus quod voluit primò demonstrare mortuum, vt oculis suis crederent: deinde resuscitare; tertio iubere vt ipsi vincula funeris soluerent, vt inter ista fides infunderetur, infidelibus, & per gradus quosdam credulitas nasceretur.

Ioan. 11.

Esai. 51.

Quomodo terra erat incomposita: quis spiritus superferebatur super aquas: quod malitia est ab homine: & quomodo tenebræ erant super abyssum. CAP. VIII.

**F**ERT ergo Deus primò cælum & terram, & ea tamen non quasi perpetuas, sed quasi corruptibiles creaturas consummationi voluit subiaccere. Vnde in Esaiã libro ait: Tollite in cælum oculos vestros, & aspice terra deorsum, quia cælum vt fumus solidatum est, terra autem, vt vestimentum veterascent. Hęc terra est, quæ antè erat incomposita. Nondum enim erat maria suo sine distincta, & ideo vago fluctu, & profundo gurgite terra inundabatur. Considera quia etiam nunc palustri vligine terra in horreo consuevit, nec patiens est vomeris, vbi infusus terris humor exundat. Erat ergo incomposita, vtpote solertis agricolæ non arata culturis, quia adhuc deerat cultor. Erat incomposita, quia nuda gignitum, nec thoris herbofa riparum, nec opaca nemoribus, nec lata segetibus, nec umbrosa superciliis montium, nec odora floribus, nec grata vinetis. Merito incomposita, quæ ornatus indigebat, cui deerant vitium ferta gemmantium. Ostendere enim voluit Deus, quia nec mundus ipse haberet gratiam, nisi eũ vario cultu operator ornasset. Cæli ipsum in textum nubibus horrore oculis, mæstitiam animis excitare consuevit. Terra imbribus madefacta, fastidio est. Maria procellis turbata quos non incurrit merus? Pulcherrima est rerum species, sed quid esset sine lumine? quid sine temperie? quid sine aquarum congregatione, quibus antè dimersa poli huius habebantur exordia? Tolle solem terris, tol-

le cælis stellarum globos, omnia tenebris inhorrescent. Sic erant antequam lumen huic mundo Dominus infunderet. Et ideo scriptura ait, quia tenebræ erant super abyssum. Tenebræ erant, quia splendor deerat lucis. Tenebræ erant, quia aër ipse tenebrosus est. Aqua ipsa sub nube tenebrosa est, quia tenebrosa aqua in nubibus aëris. Erant ergo tenebræ super abyssos aquarum. Non enim malas intelligendum arbitror potestates, quod Dominus earum malitiam creauerit, cum vtriusque non substantialis, sed accidens sit malitia, quæ à naturæ bonitate deflexit. Itaque in constitutione mundi opinio malitiæ interim sequestretur, ne diuinæ operationi, & pulcherrimæ creaturæ, ea quæ decolora sunt, admiscere videamur, maximè cum sequatur, Et spiritus Dei superferebatur super aquas. Quem etsi aliqui pro aère accipiant, aliqui pro spiritu, quo spiramus & carpinus auræ huius vitalis spiritum: nos tamen cum sanctorum & fidelium sententia congruentes, Spiritum sanctum accipimus, vt in constitutione mundi operatio Trinitatis eluceat. Præmisso enim, quod in principio fecit Deus cælum & terram, id est, in Christo fecit Deus, vel filius Dei Deus fecit, vel per filium Deus fecit: quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: supererat plenitudo operationis in spiritu, sicut scriptum est: Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Itaque quemadmodum in Psalmo docemur operationem verbi, quod est verbum Dei, & virtutem quam dedit Spiritus sanctus: ita hęc propheticum resultauit oraculum, quia Deus dixit, & Deus fecit, spiritus quoque Dei superferebatur super aquas. Ornando enim polo cæli, germinaturis terris pulchre spiritus superferebatur, quia per ipsum habebant nouorum partuum semina germinare, secundum quod dixit Propheta, Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Denique Syrus, qui vicinus Hebræo est, & sermone consonat in plerisque & congruit, sic habet, Et spiritus Dei fouebat aquas, id est viuificabat, vt in nouas cogeret creaturas, & motu suo animaret ad vitam. Nam etiam Spiritum sanctum legimus creatorem, dicente Iob, Spiritus diuinus qui fecit me. Siue ergo Spiritus sanctus superferebatur super aquas, tenebræ contrariarum virtutum super eas esse non poterat, vbi locum sibi tanta gratia vendicabat. Siue, vt quidam aèrem accipiunt, respondeant qua ratione spiritum Dei dixerit, cum satis fuerit spiritum nuncupare. Hi ergo volunt à Domino Deo nostro quatuor primùm elementa generata, cælum, terrã, mare, aèrem, eo quod causæ rerum, ignis & aër, terra & aqua sint, ex quibus mundi species constat & forma. Vbi igitur tenebræ nequitiarum spiritualium locum habere potuerunt, cum augustæ huius decorem figuræ mundus inducit? Numquid simul malitiam Deus creauit? Sed ea ex nobis orta, non à creatore Deo condita, morum leuitate generatur, non vllam creaturæ habens prærogatiuam, nec auctoritatem substantiæ naturalis, sed mutabilitatis vitium, & errorem prolapsionis. Eradicari hanc Deus vult de animis singulorum. Quomodo eam ipse generaret, cum clamat Propheta, Define à malitiis vestris? Et præcipuè sanctus Dauid, Define, inquit, à malo, & fac bonũ

Psal. 17.

Ioan. 1.

Psal. 32.

Psal. 103.

Iob. 33.

Esai. 1.



Quomodo ergo ei initium à Domino damus? Sed hæc opinio feralis eorum qui perturbendam Ecclesiam putauerunt. Hinc Marciones, hinc Valentini, hinc pestes illæ Manichæorum funesta sanctorum mentibus tentauerunt inferre contagia. Quid nobis in ipso lumine vitæ tenebras mortis inquirimus? Scriptura diuina salutem suggerit, vitæ odorem fragrat, vt suauitatem legens capias, non vt præcipitij discrimen incurras. Simpliciter lege, ô homo, nõ tibi ipse foueã prauus interpret es effodias; simplex sermo est, quia fecit Deus cælum & terrã. Fecit quod nõ erat, nõ quod erat. Et terra erat inuisibilis; ex quo facta est, erat; & erat inuisibilis, quia exundabat aqua, & operiebat eam, & erant super eam tenebræ superfusæ, quia nõ dũ erat lumen diei, nõ dũ solis radius, qui solet & sub aquis latentia declarare. Quid ergo dicunt quod Deus creauerit malum, cum ex contrariis & aduersis nequaquam sibi aduersi generentur? Nec enim vita mortem generat, nec lux tenebras. Non enim sicut mutabilitates affectuum, ita etiam generationum progressionis sunt. Illæ ex contrariis in contraria propositi deflexione vertuntur: istæ non ex contrariis in aduersa descedunt, sed ex eiusdem generis vel auctoribus vel causis creatæ, in similitudinem sui referuntur auctoris. Quid igitur dicemus? Si enim neque sine principio est quasi increata, neque à Deo facta, vnde habet naturam malitia? Nam mala esse in hoc mundo nullus sapiens denegat, cum sit tam frequens in hoc sæculo lapsus ad mortem. Sed ex iis quæ iam diximus, possumus colligere quia non est viua substantia, sed mentis atque animi deprauatio, à tramite virtutis deuia, quæ incuriosorum animis quàm frequenter obrepit. Non igitur ab extraneis est nobis, quàm à nobis ipsis maius periculum. Intus est aduersarius, intus auctor erroris, intus, inquam, clausus in nobis ipse. Propositum tuum speculari, habitum tuæ mentis explora, excubias obrende aduersum mentis tuæ cogitationes, & animi cupiditates. Tu ipse tibi es causa improbitatis, tu ipse dux flagitiorum tuorum, atque incensor criminum. Quid alienam naturam arcesis ad excusationem tuorum lapsuum? Vtinam te ipse non impelleres, vtinam non præcipitares, vtinam non inuolueres aut studiis immoderatis, aut indignatione, aut cupiditatibus, quæ nos innexos velut quibusdam retibus tenent. Et certè in nobis est moderari studia, cohibere iracundiam, coercere cupiditates; in nobis est etiam indulgere luxuriæ, adolere libidines, inflammare iracundiam, vel inflammati aurem accommodare, eleuari magis superbia, effundi in sæuitiam, quàm reprimi humilitate, diligere mansuetudinem. Quid naturam accusas, ô homo? Habet illa velut impedimenta quædam, senectutem & infirmitatem. Sed senectus ipsa in bonis moribus dulcior, in consilijs vtilior, ad constantiam subeunda mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior. Infirmitas quoque corporis, sobrietas mentis est. Vnde ait Apostolus, Cum infirmor, tunc potes sum. Itaque non in virtutibus, sed in infirmitatibus gloriabatur. Responsum quoque diuinum refulsit oraculo salutari: quia virtus in infirmitate consummatur. Illa cauenda quæ ex nostra voluntate prodeunt delicta iuuentutis, & irrationabiles passiones cor-

2 cor. 12.

15. p. 1. illa cauenda.

poris. Quorum igitur nos sumus domini, horum principia extrinsecus non requiramus, nec deriuemus in alios, sed agnoscamus ea quæ propriè nostra sunt. Quod enim possumus non facere si nolimus, huius electionem mali nobis potius debemus quàm aliis adscribere. Ideo etiam in iudiciis istis voluntarios reos, non ex necessitate compulso, culpa constringit, pœna condemnat. Neque enim si per furorem aliquis innocentem peremerit, obnoxius morti est: quin etiam ipsius diuinæ legis oraculo, si quis per imprudentiam intulerit necem, accipit impunitatis spem, refugij facultatem, vt possit euadere. Hoc igitur de eo quod propriè malum videtur, dictum sit. Mala enim non sunt nisi quæ crimine mentem implicant, & conscientiam ligant. Cæterum pauperiem, ignobilitatem, ægritudinem, mortem, nemo sapiens mala dixerit, nec in malorum sorte numerauerit: quia nec contraria istis in bonis habentur maximis, quorum alia nobis ex natura, alia ex commoditate accidere videntur. Non otiosè nobis excursus iste processit; vt probaremus tenebras & abyssum simpliciter accipienda. Erant enim tenebræ de obumbratione cæli: quia omne corpus vmbra facit, qua obumbrat vel finitima vel inferiora, & ea maximè quæ operire atque includere videtur. Includit autem cæli polus; quia cælum sicut camera extenditur, quemadmodum supra demonstrauimus. Non ergo principalis erat tenebrosa substantia: sed quasi vmbra secuta est mundi corpus caligo tenebrarum. Itaque momento diuinæ præceptionis mundus assurgens, intra se includit vmbra: vt si quis in campi medio, quem sol meridians illuminet, locum aliquem repente obsepiat, & densis ramorum frondibus tegat, nõne quo splendidior foris species loci eius effulgeat, hoc horrenti desuper scena gurgustium eius intus obscurius sit? Aut vnde antrum, clausum vndique huiusmodi locum vocarunt, nisi quod intrò horrescat situ, atque offusione tenebrarum? Istæ ergo tenebræ super aquarum abyssos erant. Nam abyssum multitudinem & profundum aquarum dici, lectio Evangelij docet, vbi rogabant Saluatorem dæmonia, ne iuberet illis vt in abyssum irent. Sed qui docebat voluntates dæmoniorum non esse faciendas, præcepit illis vt irent in porcos. Porci autem se in stagni aquarum præcipitarunt, vt quod recusabant dæmonia, non euaderent, sed digno præcipitio demergerentur. Erat ergo hæc mudi incõposita species & forma.

De creatione lucis, per quam ornata sunt prius condita; & de distinctione inter lucem & tenebras, atque ita inter diem & noctem. CAP. IX.

**E**t spiritus (inquit) Dei superferebatur super aquas. & dixit Deus, Fiat lux. Merito præmissus est spiritus Dei, vbi diuina incipere habebat operatio. Fiat (inquit) lux. Vnde vox Dei in scriptura diuina debuit inchoare, nisi à lumine? Vnde mundi ornatus, nisi à luce exordium sumere? Frustra enim esset, si non videretur. Erat quidem Deus ipse in lumine, quia lucem habitat inaccessibilem, & erat lumem verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; sed eam lucem fieri voluit, quæ oculis corporalibus comprehenderetur. Qui adificium

Exod. 21.  
Deut. 4.  
19.  
Iuo par. 13.  
cap. 91.

Esai. 40.

Luc. 8.

1 Tim. 6.

Ioan. 1.  
Ioan. 3.

ciuium aliquod dignum habitaculo patrisfamilias A struere desiderat, antequam fundamenta ponat, vnde lucem ei infundat explorat: & ea prima est gratia: quæ si desit, tota domus deformi horret incultu. Lux est quæ reliquos domus commendat ornatus. Fiat (inquit) lux. Plena vox luminis non dispositionis apparatus significat, sed operationis respundet effectu. Naturæ opifex lucem locutus est, & creauit. Sermo Dei voluntas est, opus Dei natura est: lucem creauit, tenebras illuminauit. Et dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux. Non ideo dixit, vt sequeretur operatio, sed dicto absoluit negotium. Vnde pulchrè Dauidicum illud, Dixit, & facta sunt. quia dictum impleuit effectu. Auctor ergo lucis Deus: locus autem & causa tenebrarum mundus est. Sed bonus auctor ita lucem dilexit, vt mundum ipsum infuso aperiret lumine, atque eius speciem venustaret. Resplenduit igitur subito aër, & expauerunt tenebræ noui luminis claritatem. Repressit eas, & quasi in abyssos demersit repente per vniuersa mundi fulgor lucis infusus. Pulchrè itaque & propriè dixit, Facta est lux. Sicut enim citò lux cælum, terras, maria illuminat, & momento temporis sine vlla comprehensione retecis surgentis diei splendore regionibus, nostro se circumfundit aspectui; ita ortus eius citò debuit explicari. Quid miramur si Deus locutus est lucem, & caliganti mundo lumen emicuit, quando si quis inter aquas merfus, oleum ore emisserit, clariora faciat ea quæ profundi tegebantur occultis? Dixit Deus: non vt per vocis organa quidam sonus sermonis exiret, nec vt linguæ motus cæleste formaret alloquium, atque aërem istum quidam verborum strepitus verberaret; sed vt voluntatis suæ dispositionem proderet operationis effectu. Et vidit Deus lucem quia bona: & discretus inter lucem & tenebras. Dixit & sonum vocis nullus audiuit: discretus, & operationis molimina nemo deprehendit: vidit, & oculorum eius intentionem nullus aspexit. Et vidit (inquit) Deus lucem quia bona. Nec quod ignorabat, vidit, nec id quod nesciebat antè, aut non viderat, comprobauit: sed bonorum operum proprium est, vt externo commendatore non egeant, sed gratiam suam, cum videtur, ipsa testentur. Plus est quod probatur aspectu, quàm quod sermone laudatur. Suo enim vtitur testimonio, non alieno suffragio. Quod si apud nos oculis iudicium remittitur, quibus simul & gratia venustatis, & rerum mensura comprehenditur: quânto magis Deus omnia quæ probat videt, & quæ videt probat, secundum quod scriptum est, Quia oculi Domini super iustos? Lucis natura huiusmodi est, vt non in numero, non in mensura, non in pondere, vt alia, sed omnis eius in aspectu gratia sit. Propriis itaque sermonibus naturam lucis expressit, quæ videndo complacet, quoniam ipsa videndi officium subministrat. Nec immerito tantum sibi prædicatorem potuit inuenire, à quo iure prima laudatur, quoniam ipsa fecit vt etiam cætera mundi membra digna sint laudibus. Vidit ergo Deus lucem, & vultu suo illuminauit: & vidit quia bona est. Non ex parte Dei, sed ex generali iudicium est. Itaque non in splendore tantummodo, sed in omni vtilitate gratia lucis probatur. Vnde & discretio fit inter lucem & tenebras, vt separata lucis

Psal. 148.

Psal. 33.

Sap. 11.

natura atque tenebrarum, nihil videatur intra se habere cõfufum. Et vocauit Deus lucem diem, & tenebras noctem vocauit: vt & nomine ipso diem noctemque distingueret. Aduertimus itaque quod lucis ortus antequam sol diem videatur aperire, (principia enim diei, noctis exitum claudunt) finisque & status limes noctis & diei videatur esse præscriptus. Diem sol clarificat, lux facit. Frequenter cælum nubibus textitur, vt sol tegatur, ne vllus radius eius appareat: lux tamen diem demonstrat, & tenebras abscondit.

Quod non diei nox, sed dies nocti secundum scripturam anteferatur; & de vnitatem diei in quo cælum & terra cæteraque sunt condita & creata. CAP. X.

**E**t factum est vespere, & factum est mane dies vnus. Quæruunt aliqui, cum prius vespere, postea mane scriptura memorauerit, ne fortè noctem prius quàm diem significare videatur. Nec aduertit, primò quod præmiserit diem, dicendo, Et vocauit Deus lucem diem, & tenebras vocauit noctem: deinde quod vespere finis diei sit, & mane finis noctis. Ergo vt prærogatiua & primatus natiuitatis diei daret, prius finem diei significauit, post quæ secutura nox esset; deinde postea finem noctis adiunxit. Eousque autem noctem diei scriptura anteferre non potuit, vt & diei & noctis tempora, diei appellatione concluderet, & tanquam principalis sibi auctoritate nominis vendicauerit. Et hanc scripturæ esse consuetudinem, vt potiori appellationem deputet, frequentibus exemplis probamus. Siquidem & Iacob dixit, Dies annorum vitæ meæ, pauci & mali. Et iterum, Omnes dies vitæ meæ. Et Dauid posuit, Dies annorum nostrorum: non & noctes. Vnde aduertimus ea quæ nunc in specie historiæ traduntur, vim statuisse legis in posterum. Principium ergo diei, vox Dei est, Fiat lux, & facta est lux. Finis diei, vespere est. Iam sequens dies ex noctis fine succedit. Sententia autem Dei euident, quia diem primò vocauit lucem, & secundò vocauit tenebras noctem. Præclarè etiam vnum, non primum diem dixit. nam secuturo secundò, & tertio die, & deinceps reliquis, primum potuit dicere: & hoc ordinis videbatur: sed legem statuit vt viginti quatuor horæ diurnæ atque nocturnæ, diei tantum nomine definiantur, vt si diceret, Viginti quatuor horarum mensura, vnius diei tempus est. Sicut enim virorum generatio computatur, & intelligitur etiam sceminarum, quia necesse est secunda potioribus: ita etiam dies numerantur, & noctes æstimantur adiunctæ. Sicut igitur circuitus vnus, ita dies vnus. Nam plerique etiam hebdomadam vnam, vnum diem dicunt: quod in se quasi in vnum redeat diem, & quasi septies in se recurat. Est autem & circuitus figuræ à se incipere, & in se reuerti. Vnde & sæculum vnum interdum scriptura dicit. Nã et si aliis locis sæcula appellat, videtur magis diuersitates statui; vel negotiorum significare, quàm sæculorũ successiones aliquas definire: Quia dies Domini magnus & præclarus. Et alibi, Vt quid vobis querere diem Domini? Et hic tenebræ, & non lux. Manifestum est enim quod malè confectis & indignis dies ille tenebrosus sit, quo fulgebit innocetia, & mens noxia cruciabitur. Cæterum quod sine interpolatione noctium, & successione tenebrarum dies

Gen. 47.  
Ibid.  
Psal. 89.

Isai. 2.

Amos 5.

Esai. 60.

perpetuus ille remunerationis æternæ futurus sit, scriptura nos docet. Pulchrè autem vicem vtramque vnum dicitur diem, matutino cum sine conclusit, vt & à luce inchoare diem doceret, & in lucem desinere. Non enim est integrum diei tempus, nisi & noctis fuerit expletum. Vnde & nos semper quasi in die honestè ambulemus, & abiiciamus opera tenebrarum. Noctem enim ad quietem corporis datam esse cognoscimus, non ad muneris alicuius vel operis functionem, quæ somno & obliuione

Rom. 13.

transcurritur. Non sit in nobis comessatio, ebrietas, cubile, impudicitia. Non dicamus, Tenebræ & parietes operiunt nos, & quis scit si videbit Altissimus? Sed sit in nobis amor lucis, & cura honestatis, vt tamquam in die ambulantes, opera nostra coram Deo lucere cupiamus: Cui est honor, laus, gloria, potestas, cum Domino nostro Iesu Christo, & cum Spiritu sancto, à sæculis & nunc & semper, & in omnia sæcula sæculorum, Amen.

ibid. Eccli. 23.

S. AMBROSII HEXAEMERON LIBRI PRIMI FINIS.

Summarium secundi Libri Hexaemeron.

Agit per capita quinque de opere secundi diei, & exponit eam textus partem quæ ad rem facit.

Capita secundi Libri.

- Annectit dicta dicendis, erigitque auditorum mentes ad ea suscipienda veluti Dei oracula. Cap. I.*
- De creatione firmamenti, & discretionem inter aquam & aquam: & utrum vnum tantum sit cælum, an plures; ac de confutatione philosophorum asserentium orbis stellarum motu suo dulcem quandam & plenum suauitatis sonum reddere. Cap. II.*
- De firmamento, utrum sit hoc quod in superioribus cælum appellatum est, an aliud: & quomodo aqua vera super cælos esse possit, cum reprobatione opinionis eorum qui hoc destruere conantur. Cap. III.*
- Quæ sit inter cælos & firmamentum differentia, & firmamentum unde nuncupatum sit: quæ etiam aliorum sit sententia de prædictorum distinctione. Cap. IIII.*
- Quod opus Dei est opus patris & filij: quod videre Dei est probare: quid pulchritudo; & laudatur opus secundi diei. Cap. V.*

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS HEXAEMERON LIB. II.

AGENS DE OPERE SECUNDI DIEI.

ET dixit Deus, Fiat firmamentum inter medium aquæ: & sit discernens inter aquam & aquam. Et fecit Deus firmamentum: & discrete Deus inter medium aquæ quæ erat sub firmamento, & inter medium aquæ quæ erat super firmamentum. Et factum est sic. Et vocauit Deus firmamentum, cælum. Et vidit Deus quia bonum; & factum est vespere, & factum est mane dies secundus.

Annectit dicta dicendis, erigitque auditorum mentes ad ea suscipienda veluti Dei oracula. CAP. I.

Primum, vel potius vnum (maneat enim ei prophetici prærogatiua sermonis) vt potuimus, absoluimus: in quo conditum cælum, terram creatâ, aquarum exundantiam coercitam, circumfusum aërem, discretionem factam lucis atque tenebrarum, Dei omnipotentis, & Domini Iesu Christi, Spiritus quoque sancti operatione cognouimus. Quis ergo non miretur dissimilibus membris disparem mundum in corpus vnum assurgere, & insolubili concordia charitatisque lege in societatem & connexionem sui tam distantia conuenire, vt quæ discreta natura

sunt, in vnitatis & pacis vinculum velut indiuidua compactione necantur? Aut quis hæc videns, possibilitatem rationis infirmo ingenio rimetur? Quæ omnia vis diuina, incomprehensibilis humanis mentibus, & ineffabilis sermonibus nostris, voluntatis suæ auctoritate connexuit. Fecit igitur Deus cælum & terram, & ea quasi auctor esse præcepit, non tamquam figuræ inuentor, sed tamquam operator naturæ. Nam quomodo sibi conueniunt operatoria, imparsibilis Dei virtus, & parsibilis materiæ natura, tamquam altera ab altera quo indigerint, mutuantes? Nam si increata materia, videtur ergo Deo creandæ potestas materiæ defuisse, & ab ea operationi subiacentia mutuatus. Si verò incomposita, mirum admodum coæternam Deo materiem decorem sibi non potuisse conferre, quæ substantiam non à creatore acceperit, sed sine tempore ipsa possederit. Plus ergo inuenit operator omnium, quam contulit. Inuenit materiam, in qua possit operari: contulit autem figuram, quæ decorè inuentis rebus afferret. Vnde excipiendus à cæteris tamquam dies vnus, non conferendus cum cæteris tamquam dies primus est; vnde fundamenta rerum omnium posita, & causæ esse cœperunt quibus mundi huius atque vniuersæ visibilis creaturæ fulta substantia est.

coloss. 2.

psal. 118.

psal. 113. Coloss. 1.

Luc. 18.

Exod. 14. Exod. 15.

1. Reg. 16.

est. Quare ad secundi diei admiranda opera sermo nobis prodeat, quorum eminentia non secundum tractatus nostri possibilitatem, sed secundum scriptoris veritatem, ad laudem referenda est creatoris. Vos igitur quæso vt naturaliter æstimare, quæ dicimus probabiliter, ac simplici mente & sedulo ingenio pensare dignemini, non secundum philosophiæ traditiones, & inanem seductionem suaforiè verifamilia colligentes, sed secundum regulam veritatis, quæ oraculis diuini sermonis exprimitur, & contemplatione tantæ maiestatis fidelium pectoribus infunditur, quia scriptum est: Confirma me in verbis tuis. Narrauerunt mihi iniusti exercitationes, sed non sicut lex tua Domine: omnia præcepta tua veritas. Non ergo secundum elementorum naturas, sed secundum Christum, qui omnia quæ voluit fecit, abudans plenitudine diuinitatis suæ, consideremus quæ facta sunt, & naturæ possibilitatem interrogemus. Neque enim cum in Euægelio leprosos curaret, cæcis visum refunderet, populus qui aderat & spectabat, illum medicinæ ordinem recognouit, sed potestatem Domini miratus, dedit (vt scriptum est) Deo laudem. Neque secundum numeros Ægyptiorum & cursus siderum, mensuras elementorum, extendit manum suam Moyses vt diuideretur mare Rubrum, sed diuinæ imperio potestatis obtemperans. Vnde & ipse ait, Dexteram manus tuæ Domine glorificata est in virtute, dextera manus tuæ Domine confregit inimicos. Illò igitur sancta plebs eleua mentem tuam, & totum animum tuum eò confer. Non sic Deus videt, quemadmodum homo. Deus in corde, homo in facie. Nec sic igitur homo videt, quemadmodum Deus. Audis quia Deus vidit, & laudauit. Noli igitur tuis oculis æstimare quæ facta sunt, opinionibusque discutere: sed quæ Deus vidit & probauit, ea tu retractanda non putes.

De creatione firmamenti, & discretionem inter aquam & aquam: & utrum vnum tantum sit cælum, an plures; ac de confutatione philosophorum asserentium orbis stellarum motu suo dulcem quandam & plenum suauitatis sonum reddere. CAP. II.

ET dixit Deus, Fiat firmamentum inter medium aquæ, & sit discernens inter aquam & aquam. Audi verba Dei: Fiat, dicit. Iubentis est, non æstimantis. Imperat naturæ, non possibilitati obtemperat, non mensuras colligit, non pondus examinat. Voluntas eius, mensura rerum est. Sermo eius, finis est operis. Fiat (inquit) firmamentum inter medium aquæ. Firmum est omne quod statuit Deus. Et satis pulchrè præmisit: Fiat firmamentum, antequam subijceret, Inter medium aquæ: vt tu prius crederes firmamentum ex præcepto Dei factum, quàm de aquarum profusa qualitate dubitares. Si naturam elementorum consideres, quomodo inter aquas solidatum est firmamentum? Illæ profuunt, illud constringitur: illæ currunt, hoc manet. Et sit (inquit) discernens inter aquam. Sed aqua confundere, non discernere solet. Quomodo iubet quod scit secundum elementorum rationem esse contrarium? Sed cum sermo eius ortus naturæ sit, iure vsurpat dare legem naturæ qui originem dedit. Sed prius consideremus quid sit firmamentum, vtrum ipsum

fit quod in superioribus cælum appellauit, an aliud: & si duo cæli, an plures. Nam sunt qui vnum cælum esse dicant, nec alterius cæli faciendi, cum esset vna hyle, vt ipsi aiunt, potuisse suppetere substantiam: quoniam cum omnis superiori cælo esset expensa, nihil reliqui fuit quod ad ædificationem secundi cæli tertiuè proficeret. Alij verò innumeros cælos & mundos esse asserunt, quos irridet sui. Non enim nobiscum illis maior quàm cum suis pugna est, qui geometricis numeris & necessitatibus contendunt probare, quod aliud cælum esse non possit, nec pati naturam vt aut secundum aut tertium sit, nec operatoris virtutem idoneam, vt multos cælos faceret. Et quis non hanc eorum artificem facundiam irrideat, qui cum ex vna atque eadem causa plura eiusdem generis ab hominibus fieri posse non abnuant, de creatore omnium dubitent, vtrum plures cælos facere potuerit, de quo scriptum est, Dominus autem cælos fecit. & alibi, Omnia quæcūq; voluit fecit? Quid enim difficile ei, cui velle, fecisse est? Fluitat igitur illis impossibilitatis ratio, cum de Deo disputant, cui verè dicitur, Quia impossibile tibi nihil est. Itaque nos non solum secundum, sed etiã tertium cælum esse negare non possumus, cum Apostolus raptum se ad tertium cælum scriptorum suorum testificatione confirmet. Dauid etiã cælos cælorum, in illo laudantium Dominum constituit choro. Quem imitantes philosophi, quinque stellarum, solis & lunæ, globorum consonum motum introduxerunt, quorum orbibus vel potius globis connexa memorant omnia, quos sibi innexos & velut insertos versari retro, & contrario cæteris motu ferri arbitrantur, eoque impulsu & motu ipsorum orbium dulcem quandam & plenum suauitatis atque artis & gratissimi modulaminis sonum reddi, cum scissus aër tam artificij motu, & acuta cum grauibus temperante, ita varios æquabiliter concentus efficiat, vt omnem supergrediatur musici carminis suauitatem. Huius rei fidem si requiras atque expetas sensu nobis & auditu probari, hæsitant. Nam si vera forent, quomodo tanto motu orbium concrepante, cum ille cælestis orbis cui affixos ferunt stellarum cursus, qui sine intermissione voluuntur, concitatioem habeat conuersionem, atque acutum sonum excitet, hic autem lunaris grauisimum, non audiretur à nobis, cum leuiora audire soleamus? Fidem ergo eius disputationis si testimonio nostro & auditu munere exigamus probari, referunt obsurdissime aures nostras, & hebetiorem nobis sensum audiendi factum, propter illam à principio nostræ generationis concepti sonitus consuetudinem. Et exemplum asserunt, eo quod Nilus fluuiorum maximus, eo videlicet loci vbi se ex altissimis montibus in Catadupa illa præcipitat, magnitudine fragoris sui aures accolarum obstruat, vt audiredi munere carere dicantur. Sed facile his ipsa respondet veritas. Nam qui tonitrua audimus nubium collisione generata: tantorum orbium conuersiones, qui maiori vtrique sicut motu ferri æstimantur, ita vehementiores sonitus excitarent, non audiremus? Addunt præterea, ideo sonum hunc non peruenire ad terras, ne capti homines per suauitatem eius atque dulcedinem quæ celerrimus ille cælorum

psal. 95.

psal. 113.

Dani 4. Luc. 1.

2. Cor. 12.

psal. 148.



efficit motus ab orientalibus partibus vsque in occidentem, propria negotia atque opera derelinqueret, & omnia hic otiosa remanerent, quodam humanae ad caelestes sonos mentis excessu. Sed ea quae sunt aliena ab studio nostro, & a diuinae lectionis serie, iis qui foris sunt, relinquamus; nos inhareamus scripturarum caelestium magisterio.

*De firmamento, utrum sit hoc quod in superioribus caelum appellatum est, an aliud: & quomodo aqua vera super caelos esse possit; cum reprobatione opinionis eorum qui hoc destruere conantur.* C.A.P. III. B

**P**ropositum igitur nobis est, quia dixit Deus, *Fiat firmamentum inter medium aquae, & sit discernens inter aquam & aquam.* Et hinc tractatus, utrum hoc firmamentum appellet quod ante iam fecit, de quo scriptum est, *In principio fecit Deus caelum & terram.* Nec fallit, quod aliqui ante nos ita acceperint, eo quod supra creatum auctore Deo & conditum caelum scriptura expresserit, hic expositionem operis creationisque diffuderit; ut ibi quasi summa operis breuiter comprehensa sit, hic operationis qualitas per ipsas concurrentium rerum digesta sit species. Sed mouet nos quia & nomen aliud significatur, & species solidior, & causa discernitur, & persona cooperatoris adiungitur. Sic enim scriptum est, *Et discernuit Deus inter medium aquae quae erat sub firmamento, & inter medium aquae quae erat super firmamentum.* Et primo volunt id destruere quod frequenti scripturarum lectione inolitum, nostris & impressum est mentibus, quia aquae super caelos esse non possint, dicentes rotundum esse orbem illi caeli, cuius in medio terra sit, & in illo circuitu aquam stare non posse, quod necesse est desuauat & labatur, cum de superioribus ad inferiora decursus est. Quomodo enim aqua super orbem, aiunt, stare potest, cum orbis ipse voluat? Hae est illa versutia dialectica: Da mihi vnde tibi respondeam. Quod si non detur, nullum verbum refertur. Petunt sibi concedi, axem caeli torqueri motu eoncito, orbem autem terrae esse immobilem; ut adstruant aquas super caelos esse non posse, quod omnes eas voluendo se axis effunderet: quasi vero vt concedam illis quod postulant, & secundum eorum opiniones illis respondeam, negare possint in illa altitudine & profundo & longitudinem esse & latitudinem, quam nemo potest comprehendere, nisi is qui impletur in omnem plenitudinem Dei, vt Apostolus ait. *Quis enim potest facile esse diuini operis aestimator?* Est ergo latitudo in ipsa caeli altitudine. Sunt etiam, vt de his dicamus quae scire possumus, pleraque aedificia intus rotunda, quibus superiora sunt plana, in quibus aqua haerere soleat. Quae tamen ideo dicimus, vt aduertant opiniones suas opinionibus verisimilibus reuinci posse, & desinant tantum opus Dei, humanae operationis & nostrae possibilitatis contemplatione metiri. Nos autem scripturarum seriem atque ordinem sequimur, & opus contemplatione aestimamus auctoris, & quid dictum sit quaerimus, & quis dixerit, & cui dixerit: *Fiat* (inquit) *firmamentum in medio aquae, & sit discernens inter aquas.* Audio firmamentum fieri per praecipitum quo diuideretur aqua, & ab inferiore superior discerneret. Quid hoc manifestius? Qui iussit discernere

*Ephes. 3.*

ni aquam interiecto & medio firmamento, prouidit quemadmodum diuisa atque discreta manere possit. Sermo Dei, virtus naturae est, & diuturnitatis substantia, quoad vsque velit eam manere, qui statuit, sicut scriptum est: *Statuit ea in saeculum saeculi, praecipitum posuit & non praeteribit.* Et vt scias quia de istis aquis hoc dixit quas tu negas posse in superioribus caeli esse, audi superiora: *Laudate eum caeli caelorum, & aquae quae super caelos sunt, laudent nomen Domini.* Nonne quasi aduersanti tibi dixit, *Quoniam ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt: Statuit ea in saeculum saeculi, praecipitum posuit, & non praeteribit?* An non videtur tibi auctor idoneus, qui legem suo operi daret? Deus est qui dicit, venerabilis natura, inestimabilis magnitudine, immensus in remunerationibus, incomprehensibilis in operibus, cuius altitudinem sapientiae quis inuestigare facilius? Iste dicit filio, id est, dicit brachio suo, dicit virtuti suae, dicit sapientiae suae, dicit iustitiae suae. Et fecit filius quasi potens, fecit quasi virtus Dei, fecit quasi sapientia Dei, fecit quasi iustitia diuina. Cum haec audis, quid miraris si supra firmamentum caeli poruit, tantae maiestatis operatione, vnda suspendi? De aliis haec collige, de iis quae viderunt oculi hominum; quomodo ad Iudaeorum transitum, si rationem quaeris, se vnda diuiserit. Non solet hoc esse naturae, vt aqua se discernat ab aqua, & in profundo interfusiones aquarum sine medio separantur. Gelauerunt enim fluctus, & firmamento specie cursum suum insolito sine frangerunt. Nonne potuit etiam aliter Hebraeorum populum liberare? Sed tibi voluit ostendere, vt eo spectaculo etiam illa quae non vidisti, estimares esse credenda. Iordanis quoque reflexo amne in suum fontem reuertitur. Herere aquam cum labitur, rursumque redire in superiora sine vilo repagulo, impossibile habetur. Sed quid impossibile ei, qui dedit posse quibus voluit? Dedit posse infirmis, vt infirmus dicat, *Omnia possum in eo qui me confortat.* Dicant certe quemadmodum aer cogatur in nubem, utrum pluuia nubibus generetur, an sine nubium colligatur. Videmus plerumque exire nubes de montibus. Quae vtrum de terra ascendat aqua, an ea quae super caelos est, largo imbri descendat. Si ascendit, utique contra naturam est vt ascendat in superiora quae grauior est, & portetur aere, cum aer subtilior sit. Aut si conciti orbis totius motu rapitur aqua, sicut imo orbe rapitur, ita summo orbe diffunditur. Si fundi, vt voluit, non desinit; rapi utique non desinit: quia sicut axis caeli semper mouetur, & aqua mouetur, & aqua semper hauritur. Si descendit, manet ergo iugiter supra caelos quae habet vnde descendat. Deinde quid obstat si consistatur, quia aqua supra caelos suspensa sit? Na quo verbo dicitur terram in medio esse suspensam, & immobiliter manere, cum utique grauior sit quam aqua; ea ratione possunt dicere, non praecipitari aqua orbis illius caelestis conuersione, quae super caelos est. Sicut enim terra inani suspeditur, vel potest librato vndique immobilis perseverat; ita & aqua aut grauioribus aut aequis cum terra poteribus examinatur. Ideoque non facile superfunditur mare terris, nisi cum iubetur exire. Deinde cum ipsi dicant volui orbem caeli stellis ardentibus resurgentem, nonne diuina prouidentia necessario prospexit

*psal. 148.*

*Ibid.*

*Ibid.*

*1. Cor. 1.*

*Exod. 15.*

*Ios. 3.*

*psal. 113.*

*Philipp. 4.*

*Sap. 11.*

*Iob. 28. & 38.*

*Esai. 44.*

*Aff. 1.*

prospexit, vt intra orbem caeli, & supra orbem rediret aqua, quae illa feruetis axis incendia temperaret? Propterea quia exiit aqua ignis & feruet, etiam aqua exiit in terris, ne eas surgentis solis & stellarum micantium ardor exureret, & tenera rerum exordia insolitus vapor laederet. Quanti fontes, fluuij lacus irrigant terras, quia eas internus quidam ignis vaporat? Vnde enim aut arbores germinarent, aut frumenta vel sata prorumperent, vel orta coquerentur, nisi ea interior quoque ignis animaret? Qui etiam de saxis frequenter excutitur, & de ipso saepe dum caditur, ligno exilit. Ergo sicut necessaria ignis creatura, vt ordinata & disposita permaneat, caelique clementia temperet aquarum rigorem: ita etiam aquarum redundantia non superflua, ne alterum ab altero consumeretur: quia nisi conueniens vtriusque mensura sit, sicut ignis aquam exsiccat, ita & aqua extinguit ignem. Ideoque pondere & mensura examinavit vniuersa: numerata enim sunt ei & stillicidia pluuiarum, sicut in libro Iob legimus, sciens vel rerum facilem defectum fore, vel solutionem vniuersitatis, si alterum exsuperaretur ab altero. Itaque vtriusque temperavit dispensia, vt neque plus ignis excoqueret, neque exuberaret aqua; sed imminutio fieret vtriusque moderata, quae & superfluum detraheret, & necessarium reseruaret. Itaque cum tanta de terris erumpant maximorum fluentia amnium; Nilus effuso Aegyptum stagnans flumine; Danubius de occidentibus partibus, Barbarorum atque Romanos interfecans populos, donec Ponto ipse condatur; Rhenus de iugo Alpium vsque in Oceani profunda cursus suos dirigens, Romani memorandus aduersus feras geres murus imperij, Padus maritimum commeatuum Italicis subsidiis fidus inuector; Rhodanus rapido concitus cursu Tyrreni aequoris freta scindens, in quo non mediocre fertur nauigantium periculum, dum inter se maris fluctus & amnis fluctu decertant: itemque de septentrionali parte Phasis Caucasus montibus fusus, cum pluribus aliis in Euxinum se praecipitans mare. Prolixum est singulorum prosequi fluuiorum nomina, qui vel in nostrum mare deriuant, vel exinaniantur Oceano. Cum tanta igitur vbertas aquarum sit, tamen plerumque terra meridianae plagae torretur ardoribus, atque aestu soluta fatiscit in puluerem, miserandi agricolae labore consumpto, vt frequenter ad potum siccatis puteis, arido gurgite subsidium vitale deficiat. Et erit quidem quando dicat abyssus: *Deserta eris, & omnes fluuios siccabo, sicut per Esaiam futurum annuntiavit.* Sed etiam antequam ille dies adueniat, diuino praestitutum arbitrio, non minimum inter se ipsa elementorum natura decernit. Crebro itaque aut inundationibus mundus hic quatitur, aut nimio aestu & ariditate vexatur. Noli igitur incredibilem opinari aquarum multitudinem, sed respice ad vim caloris, & incredulum non eris. Multum est quod ignis absorbet: quod vel ex illo nobis debet esse manifestum, cum medici vasa quaedam angusta ore, planiora desuper, intus concaua, leui lucernae concepto lumine affigunt corpori, quemadmodum calor ille omnem in se rapiat humorem. Quis igitur dubitet quod ignitus aether, & magno feruens vapore inflammaret atque exureret omnia, nisi lege

S. Ambr. tom. I.

quada sui cohiberetur auctoris, vt nec flumina, nec lacus, nec ipsa maria vim eius possint restringere? Et ideo desuper aqua impetu quodam descendens, in tantos plerumque imbres rumpitur, vt flumina, lacus repente replcantur, ipsa maria exudent. Vnde frequenter & solem videmus madidum atque rorantem. In quo euidens dat indicium, quod alimentum sibi aquarum ad temperiem sui sumpserit. Tantum autem inest illis impugnanda veritatis studium, vt solem ipsum negent calidae naturae esse, eo quod albus sit, non rubicundus aut rutilus in speciem ignis. Et ideo aiunt, quod nec ignitus natura sit, & si quid habet caloris, ferunt ex nimio motu conuersionis accidere. Quod ideo dicendum putant, vt nihil videatur humoris consumere, quia calorem quo humor vel minuitur vel plerumque exhauritur, non habeat naturalem. Sed nil agunt, cum ista componunt: quia nihil interest, utrum ex natura calorem quis habeat, an ex passione, aut aliqua ex causa, quia ignis omnis consumptor humoris est, vel huiusmodi materiae quam flamma consuevit exurere. Nam siue ex lignis haudquaquam semiuulatis, sed inter se collisis, ignis excussus excipitur foliis, aequae flammam adolet, ac si de igne accedas facem, siue de flammae lumine lumen accendas, eadem species & natura est luminis, ac si illud non naturalis ignis adoleuerit, sed quem accidens causa generauerit. Vel hinc saltem contemplentur solis calorem, quod diuersa ei Deus constituit cursus sui loca & tempora: ne si semper in iisdem moraretur locis, quotidiano ea vapore exureret. Mare ipsum ideo ferunt ipsi falsam atque amaram aquam habere, quod ea quae fluuiis in freta influat, calore absumatur, tantumque vapore diurno consumi, quantum quotidie ex diuersis fluuiorum cursibus inuehatur. Quod ex solis quadam diuidicatione fieri perhibetur, qui quod purum ac leue est, sibi rapit; quod graue atque terrenum, relinquit: ex quo remanet falsum illud atque aridum, quod sine vltu ac suauitate potandi sit.

*Quae sit inter calos & firmamentum differentia, & firmamentum vnde nuncupatum sit: quae etiam aliorum sit sententia de praedictorum distinctione.* C.A.P. IIII.

**S**ed reuertamur ad propositum. *Fiat firmamentum inter medium aquae.* Non moueat, sicut iam dixi, quia supra caelum ait, hic dicit *firmamentum*, quoniam & David dicit, *Caeli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* hoc est, mundi opus cum videtur, suum laudat auctorem. Inuisibilis enim maiestas eius per ea quae videntur agnoscitur. Et videtur mihi nomen caelorum commune esse, quia plurimos caelos scriptura testificatur: nomen autem esse speciale firmamentum. Siquidem & hic ita habetur: *Et vocauit Deus firmamentum, caelum,* vt videatur supra generaliter dixisse, in principio caelum factum, vt omnem caelestis creaturam fabricam comprehenderet: hic autem speciale firmamenti huius exterioris soliditatem, quod dicitur caeli firmamentum, sicut legimus in hymno prophetico: *Benedictus es in firmamento caeli.* Nam caelum, quod *εγαυος* Graece dicitur; Latine quia impressa stellarum lumina velut signa habeat, tamquam caelatum appellatur: sicut argentum quod

*psal. 18.*

*Rem. 1.*

*Dan. 3.*

b



Hexaeme. lib. 5. cap. 22. Genes. 1. inf.

3. Reg. 17.

Leuit. 26.

Deut. 33.

Amos 4.

Psal. 150.

Psal. 18.

Psal. 148.

Dani. 3.

Psal. 148.

signis eminentibus resulget, cælum dicimus. *Hexaemeron* autem *ἡ ἡμέρα* dicitur, quod videatur. Igitur comparatione terræ quæ obscurior est, *Hexaemeron* nuncupatur, quia lucidus est, tamquam visibilis. Vnde puto & illud dictum: Volatilia cæli: & volantia super terram secus firmamentum cæli, eo quod volatilia circa superiorem versantia locum terram spectent, & ipsa nostris subiecta sint conspectibus. Denique clausum cælum dictum est temporibus Eliæ, quando in Achab & Iezabel perfidia regnabat: cum populus regali sacrilegio deseruisset, eo quod nemo ad cælum oculos erigebat, nemo eius auctorem venerabatur, sed ligna & lapides adorabant. Vnde hoc colligimus? quia in maledictionibus populi Israël dixit Deus, Erit tibi cælum super caput tuum æneum, & terra tua ferrea: quando pretium perfidiæ luens populus Iudæorum, intemperie cæli, & terræ infœcunditate multatur. De cælo enim causa fertilitatis. Denique Moyses benedictiones tribui Ioseph à finibus cæli & rore & abyssi fontium deorsum venientibus, & secundum horam à solis cursu & à conuenientibus mensibus & à vertice montium & collium æternorum dedit, eo quod moderatione cælesti, terrarum fœcunditas nutriatur. Æneum ergo cælum, quod nullum exudat humorē, quando nullus nubibus imber erumpit. Est etiam æneum cæli subobscurus aer, pressus atq; nebulosus colore æruginæ, quando rigore frigoris stringitur terra, tunc veluti super caput nostrum humor suspensus videtur, & per momenta imminere. Plerumque etiam glacialibus ventorum flatibus rigentes aquæ consolidantur in niuem, & rupto aère nix funditur. Neque enim firmamentum hoc potest sine aliquo rūpi fragore aut penetrari. Ideo & firmamentum dicitur, quod non sit inualidum, nec remissum. Vnde & de tonitribus, quæ concepto intra sinum nubium spiritu, cum se vehementer erupturus eliserit, magno concrepant sonitu, ait scriptura: Firmans tonitrua. A firmitate ergo firmamentum est nuncupatum, vel quod diuina virtute firmatum sit, sicut scriptura nos docet, dicens, Laudate eum in firmamento virtutis eius. Nec præterit, retulisse aliquos, cælos cælorum ad intelligibiles virtutes, firmamentum ad operatorias. Et ideo laudare cælos vel enarrare gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiare firmamentum. Sed non quasi spiritalia, sed quasi opera mundi enarrant, quemadmodum supra diximus. Alij quoque purificatorias virtutes interpretati sunt aquas, quæ super cælos sunt. Accipimus hæc quasi ad tractatus decorem: nobis tamen non alienum videtur atque absurdum si aquas veras propter illam causam quam diximus, intelligamus. Nam & ros & gelu & frigus & æstus, secundum hymnum propheticum, benedicunt Dominum, benedicit & terra: & illa non ad intelligibiles naturas referimus, sed ad veritatem. Laudat etiam dracones Dominum, quia natura eorum & species cum videtur, non minimum vel decoris offundit, vel inesse rationis ostendit.

Quod opus Dei, est opus patris & filij: quod videre Dei, est probare, quid sit pulchritudo. & laudatur opus secundi diei. CAP. V.

**E**t vidit Deus quia bonum. Facit filius, quod vult pater: laudat pater, quod facit filius. Nihil in illo

naturæ degeneris inuenitur, cuius opus à paterna non degenerat volūtate. Vidit utique, non oculis corporalibus intendit, sed definiuit plenitudini gratiæ conuenire, ut mihi eius iudicium cognosceretur. Nos enim solemus etiam de iis quæ diuina sunt disputare. Et quid mirum, si de opere retractare possint, qui de ipsius operatoris generatione faciunt quæstiones? Ipsum in iudicium vocant, ipsum in æqualem atque degenerem asserere conantur. Ideo legis, Et dixit Deus, & fecit Deus. Eodem pater & filius maiestatis honorantur nomine. *Et vidit Deus quia bonum.* Dixit tanquam omnia quæ pater vellet scienti, & vidit tanquam omnia quæ filius faceret scientia tenens, & efficiens operatione conforti. *Vidit quia bonum.* Non utique cognouit, quod nesciebat: sed probauit, quod placebat. Non quasi incognitum placuit opus, quia nec quasi incognitus pater qui complacuit in filio, sicut scriptum est, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Scit autem semper filius voluntatem patris, & pater filij, & audit patrem filius semper, & pater filium per unitatem naturæ, voluntatis atque substantiæ. Denique testatur hoc in Euāgelio suo filius, dicēs ad patrem, Sciebam, quia semper me audis. Imago est enim inuisibilis Dei filius: omnia patris quasi imago exprimit, omnia eius quasi splendor gloriæ illuminat nobis atque manifestat. Videt & filius patris opus, sicut & pater filij, sicut & ipse Dominus declarauit: Non potest filius facere à se quidquam, nisi quod viderit facientem patrem. Vidit ergo facientem patrem, & vidit per secretum inuisibilis naturæ. Et audit similiter. Denique ait, Sicut audio, iudico: & iudicium meum verum est, quia non sum solus, sed ego, & qui misit me pater. Hoc mysticum est, illud morale. Vidit mihi, probauit mihi. Quod Deus probauit, tu reprehensibile ne dixeris: quoniam quod Deus mundauit, tu commune ne dixeris, scriptum tibi esse meministi. Ergo bonum Dei nemo blasphemet. Si firmamentum bonum, quanto magis bonus eius creator? etiam si Ariani nolint, Eunomiani reclamant, radicis degeneris fructus deterior. *Vidit* (inquit) *Deus quia bonum.* Solent artifices singula prius facere, & postea habili commisione connectere: & qui vultus hominum vel corpora excudunt de marmore, vel ære fingunt, vel ceris exprimunt, non tamen sciunt, quemadmodum sibi possint membra singula conuenire, & quid gratiæ adferat futura connexio: & ideo aut laudare non audent, aut pro parte laudant: Deus verò tamquam æstimator vniuersitatis, præuidens quæ futura sunt, quasi perfecta iam laudat, quæ adhuc in primi operis exordio sunt, finem operis cognitione præueniens. Nec mirum si apud quem rerum perfectio, non in consummatione operis, sed in suæ prædestinatione est voluntatis, laudat singula, quasi conuenientia futuris, laudat plenitudinem singulorum venustate cōpositam. Illa est enim vera pulchritudo, & in singulis membris esse quod deceat, & in toto: ut in singulis gratia, in omnibus formæ conuenientis plenitudo laudetur. Sed iam etiam secundus nobis claudatur dies, ne dum opus adstruimus firmamenti, infirmiores eos qui audiunt, dicendi prolixitate faciamus, dum in nocte sermo producitur, quæ

Matth. 3. et 17.

Ioan. 11. Coloss. 1.

Hebr. 1.

Ioan. 5.

Ioan. 5. et 8.

Ast. 10.

quæ adhuc carens lunæ stellarumque lumine, non curentur corpora, ne animis epulantibus, fragilidum enim luminaria creata sunt cæli) obscuritatem tas carnis de nocturno quoque ieiunio conquēpopsit afferre remeantibus: simul ut cibo potūque ratur.

S. AMBROSII HEXAEMERON LIBRI SECUNDI FINIS.

Summariū tertij Libri Hexaemeron.

*A cap. I. vsque ad III. agit de collectione aquarum in locum unum, & de terræ apparentia.*  
*A cap. V. vsque ad XIII. agit de germine terræ, & quā illud sit varium, tam quo ad modum nascendi, quā quo ad modum nutriendi, differit.*  
*A cap. XIII. vsque ad finem libri digreditur circa proprietates & mutationes aquarum, circa arborum & virgultorum germina, circa Dei magnam in illis virtutem ac prosperitatem; & ad hæc omnia accuratè obseruanda hominem inuitat.*

Capita tertij Libri.

*Optat, ut sicut omnes aquæ sub cælo die tertio in unam collectionem Dei imperio coierunt, sic omnis populus in unam Christi coeat Ecclesiam.* Cap. I.  
*Firmat rationem superius positam, qua terra dicebatur inuisibilis; & quod Dei imperio omnis aqua sub cælo in unum coierit locum, ut limitem sibi præfixum, ostendit.* Cap. II.  
*Soluuntur duæ dubitationes. Altera, cum aqua per diuersas ad eam partes diffusa sit, quomodo in unam collectionem potuerit coire. Altera, cum qualibet regio nomen dederit aquæ transiēti, quomodo ipsa aqua unum sortita fuerit nomen.* Cap. III.  
*In contextu cur dictum sit, Appareat arida, & non magis, Appareat terra, explicatur: & describuntur propriæ cuiusque elementi qualitates.* Cap. IIII.  
*De eo quod à quibusdam additum perhibetur, Et congregata est aqua in collectiones suas, &c. de utilitate & singulari laude maris.* Cap. V.  
*Quomodo conuenit ut terræ daretur species & vis germinandi: ac de virtute & utilitate huius vocis, qua Deus dixit, Germinet terra herbam viuentem feni, &c. cum redargutione eorum qui hanc prærogatiuam adscribunt soli.* Cap. VI.  
*Cur prius pecori pabulum quàm cibus homini sit creatus; ac de mysterio herbe viuentis, & floris sceni, cum exhortatione nostri ad imitationem illius herbe, & confutatione Manichæi, aliorumque hereticorum.* Cap. VII.  
*De germine ac seminaria virtute, & admirabili germinationis & fructificationis modo: de laude quoque agri pleni, & salubritate succi herbarum, virgultorumque ac foliorum remediis.* Cap. VIII.  
*Quod non sine ratione cum utilibus etiam letalia & pernicioſa generentur; & de ordine productionis terræ.* Cap. IX.  
*Quomodo terra secundum genus suum dicatur proferre semina, cum plerumque semina iacta degenerent: ac de diuersitate seminis diaboli, & seminis Christi, & quando homo verbum suum seminauerit super terram.* Cap. X.  
*De ortu arborum atque rosarum, & quomodo rosa humana vitæ speculum præferat.* Cap. XI.  
*De vitis commendatione, & quomodo exemplum eius ad nostram vitæ institutionem arcessendum sit.* Cap. XII.  
*De arborum varietate, ac diuersis earum utilitatibus & ornatis, fructuumque suorum atque succorum proprietatibus & medelis.* Cap. XIII.  
*De simplicium pomorum differentia, foliorumque diuersitate.* Cap. XIII.  
*Quod non facile sit singularum rerum exquirere proprietates: & de varia mutatione aquæ, quæ omnium virgultorum nutritrix est, de differentia quoque lacrymarum arborum; ac tandem de diffusioris perscrutationis excusatione.* Cap. XV.  
*Quemadmodum ad verbum Domini aquarum cursu subito omnis virgultorum creatura effloruerit, & victum atque medullam ministrauerit: quomodo præterea vniuersa videntia aut semina habeant, aut aliqua, quæ cum virtute seminum videantur conuenire: ac de magna Dei virtute in singulis.* Cap. XVI.  
*De reprehensione surditatis humani cordis, & de incomprehensibili admirandaque Dei etiā in paruis prouidentia: de primo quoque cultore vitium, & commendatione vini.* Cap. XVII.

ET dixit Deus, Congregetur aqua quæ sub cælo est, in congregationem vnã, & appareat arida. Et factum est sic. Et congregata est aqua quæ sub cælo est, in congregationes suas, & apparuit arida. Et vocauit Deus aridã, terram: & congregationes aquarum vocauit maria. Et vidit Deus quia bonum, & dixit Deus, Germinet terra herbam sceni, seminantem semen secundum genus & secundum similitudinem, & lignum pomiferum faciens fructum, cuius semen eius in ipso sit secundum genus super terram. Et factum est sic. Et germinauit terra herbam sceni seminantem semen secundum genus, & secundum similitudinem; & lignum pomiferum faciens fructum, cuius semen eius in ipso secundum genus super terram. Et vidit Deus quia bonum. Et factum est vespere, & factum est mane dies tertius.

Optat, ut sicut omnes aquæ sub cælo die tertio in vnã collectionem Dei imperio coierunt, sic omnis populus in vnã Christi coeat Ecclesiam. CAP. I.

IES tertius nobis hodie in sermone nascatur, qui ortus est in lectione. Præclarus dies, qui terram à naufragio liberauit, dicente Deo, Congregetur aqua quæ est sub cælo, in congregationem vnã. De quo præfationem adoriti placet. Congregetur aqua, dictum est, & congregata est: & frequenter dicitur, congregetur populus, & non congregatur. Non mediocris pudor est, imperio Dei insensibilia elementa parere, & homines non obedire, quibus sensus ab ipso tributus est auctore. Et fortasse hic pudor fecerit, ut hodie plures conueniretis: ne quo die cõgregata est aqua in congregationem vnã, eo die populus nequaquam cõgregatus in Ecclesiam Domini videretur. Nec hoc solum obedientis aquæ exemplum habemus. nam & alibi scriptum est, Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt. Neque enim non verisimile videtur de aquis dictum, quando alibi quoque idem Propheta ait, Mare vidit & fugit, Iordanis cõuersus est retrorsum. Hoc enim verè factum quis ignorat, quòd ad Hebræorum transitum mare fugerit, quando se vnda diuisit, transiit populus pulueris vestigio, perisse mare credens, fugisse fluctus? Denique credidit hoc Ægyptius, & ingressus est: sed illi rediit vnda, quæ fugerat. Nouit ergo aqua & congregari & timere & fugere quando Deus præcipit. Hanc imitemur aquam, & vnã congregationem Domini, vnã Ecclesiam nouerimus. Con-

Psal. 76.

Psal. 113.

Exod. 14.

gregata est hinc quòdam aqua ex omni valle, ex omni palude, ex omni lacu. Vallis est hæresis, vallis est gentilitas, quia Deus montium est, non vallium. Denique in Ecclesia exultatio est, in hæresi & gentilitate fletus & mœror. Vnde ait, Disposuit in conualle fletus. Ex omni igitur valle congregatus est populus catholicus. Iam non multæ congregationes sunt, sed vna est congregatio, vna ecclesia. Dictum est & hinc, Congregetur aqua ex omni valle, & facta est congregatio spiritalis, & factus est vnus populus: ex hæreticis & gentilibus repleta Ecclesia est. Vallis est scena, vallis est circus, vbi currit mendax equus ad salutem, vbi vilis & abiecta contentio, vbi litium scæda deformitas. Ex his igitur qui circo inhærerere consueverant, fides creuit Ecclesiæ, quotidianus cœtus augetur. Palus est luxuria, palus est intemperantia, palus est incontinentia: in qua volubra libidinum sunt, bestiarum murmura, latibula passionum: vbi merfantur quicumque inciderint, & non emergunt: vbi labuntur pedum vestigia, fluitant singulorum incessus: vbi fulicæ se dum lauant, polluunt: vbi flebiles desuper gemitus columbarum: vbi pigra testudo cœnoso hæret in gurgite, denique aper in palude, ceruus ad fontes. Ex omni igitur palude, vbi quasi ranæ veterem querelam canebant, congregata est fides, congregata est puritas animi, mentisque simplicitas. Congregata est aqua ex omni lacu, & ex omni fouea, ut nemo fodiat foueam fratri suo, in quam ipse incidat: sed omnes se inuicem diligant, omnes se inuicem foueant, & quasi vnus corpus diuersa se membra sustentent: quos non mortiferi catus, & acroamata scenariorum, quarum mentem emolliat ad amores, sed concentus Ecclesiæ, & consona circa Dei laudes populi vox, & pia vota delectent: quibus non purpurea peripetasmata, non aulæa pretiosa spectare voluptati sit, sed hanc pulcherrimam mundi fabricam, hanc distantium inter se elementorum copulam; cælum sicut came-rarum extensum, ut inhabitantes in hoc mundo tegat; terram ad operandum datam, diffusum aërem, clausa maria, populum hunc diuine operationis organum, in quo diuini modulamē resultet oraculi, & Dei spiritus intus operetur, tēplū istud sacrarium Trinitatis, sanctitatis domicilium, Ecclesiā sanctā, in qua resurgēt aulæa cœlestia, de quibus dictū est, Dilata locū tabernaculorū tuorū, & aulæ orū tuorum: fige, ne parcas: longiores fac funiculos tuos, & palos tuos confirma; adhuc in dexteram & sinistram extende, & semen tuum gentes hereditate possidebit, & ciuitates desertas inhabitabis. Habet ergo aulæa, quibus attollit vitam bonam, peccata tegit, culpam obumbrat. Hæc est Ecclesia quæ super maria fudata est, & super flumina præparata. Supra vos enim confirmata est & præparata, qui sicut flumina puro in eam vndiq; fote decurreritis, de quibus dictum est, Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem suam

3. Reg. 20.

Psal. 83.

Psal. 32.

2. Petr. 2.

Psal. 41.

Proverb. 26.

Esai. 40.

Esai. 54.

Psal. 32.

Psal. 92.

ibid.

suam à voce aquarum multarum. Et addidit, Mirabiles elationes maris, mirabilis in excelsis Dominus. Bona flumina, haufistis enim ex illo perenni & pleno fonte, à quo fluit is qui ait, Qui credit in me (sicut dicit scriptura) flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de spiritu, quem incipiebant accipere qui credituri erant in eum. Sed iam quasi boni Iordanes reuertimini mecum in originem.

Ioan. 7.

Psal. 113.

Firmat rationem superius positam, qua terra dicebatur inuisibilis, & quòd Dei imperio omnis aqua sub cælo in vnum coierit locum, ut limitem sibi præfixum, ostendit. CAP. II.

Congregetur (inquit) aqua quæ sub cælo est, in congregationem vnã, & appareat arida. Et factum est sic. Fortasse parum crediderit aliquis superioribus sermonibus nostris, quibus tractauimus inuisibilem ideo fuisse terram, quòd aquis operta tegetetur, ut corporeis oculis videri non posset. Ad se enim Propheta retulit, hoc est, ad nostram conditionem, non ad diuinã maiestatem naturæ, quæ vtique omnia videt. Sed vt aduertatis quia non quasi nostri ingenij probandi gratia, sed vestræ causæ instructionis suscepimus hunc tractandi laborem; ad stipulatur nobis lectionis series quæ aperte probat, post congregationem aquæ quæ erat super terram, & post deriuationem eius in maria, apparuisse aridam. Desinat ergo qui nobis dialceticis disputationibus mouere negotia solent, dicentes, Quomodo terra inuisibilis, cum omni corpori naturaliter & species & color insit: omnis autem color sit subiectus aspectui? Clamat Dei vox, congregetur aqua & appareat arida. Et iterum scriptura dicit, congregata est aqua in congregationes suas, & apparuit arida. Quid opus fuit iterare, nisi occurrendum quæstionibus iudicasset Propheta? Nonne videtur dicere, Non dixi inuisibilem secundum naturam, sed secundum superfusionem aquarum? Denique addidit sublato velamine, apparuisse aridam, quæ antè non videbatur. Iterum quoque quæstiones alias serunt, dicentes, Si in congregationibus diuersis aqua erat, quomodo si illæ congregationes in superioribus erant, non desuebat aqua in eum locum ad quem postea Domini imperio deriuata est? Natura enim aquarū sponte in inferiora prolabitur. Sin verò in inferioribus erant illæ congregationes, quomodo contra naturam suam aqua ad superiora conscendit? Itaque aut secundum naturales cursus imperio non eguit: aut contra naturam imperio proficere non potuit. Cui quæstioni facile respondebo, ante præceptum Domini non hanc aquæ fuisse naturam vt laboretur & flueret. Non enim ex vsu hoc habet cæterorum elementorum, sed speciale & proprium: non ex quodam ordine, sed magis ex voluntate & operatione Dei summi. Quid iusserit Deus, audiunt. Vox autem Dei, efficiens naturæ est. Eā vocè effectus operationis impleuit. Cœpit labi aqua, & in vnã confluere congregationē, quæ antè erat diffusa per terras, & plurimis receptaculis inhærebat. Cursum eius antè non legi, motum eius antè non didici: nec oculus meus vidit, nec auris audiuit. Stabat aqua diuersis locis, ad vocè Dei mota est. Nonne videtur quia naturā ei huiusmodi vox Dei fecit, & secuta est creatura præceptū, &

Esai. 64.

vsū fecit ex lege? Primæ enim constitutionis lex, formā in posteros dereliquit. Deniq; semel diè fecit & noctē; Ex illo manet vtriusq; successio, & diuturna reparatio. Iussa est etiam aqua currere in congregationem: Ex illo currit, fontes labuntur in fluuios, in freta currunt flumina, lacus deriuantur in maria, ipsa se aqua præcedit, vtget, & sequitur. Vnus est ductus, vnus corpus. Et cum sit altitudo diuersa, indifcreta tamen dorfi eius æqualitas. Vnde & æquor appellatum arbitror, quòd superficies eius æqualis sit. Respondi secundum illorum propositū, illi nunc respondeant mihi, si vnquam viderint fontes ex inferioribus scaturire, de pavimento aquam surgere. Quis eam cogit? Vnde prorumpit? Quemadmodum non deficit? Quomodo fit vt ima solidiora vndam vomant? Hæc secundum occultæ secreta naturæ, Cæterum quis ignorat quòd rapido plerumque impetu in ima descendens, in superiora se subrigat, atque in supercilium montis attollat? Plerumque etiam canalibus manu artificis deriuata, quantum descenderit, tantum rursus ascendat? Itaque si vel impetu suo fertur, vel artificis deriuata ingenio, contra naturam suam ducitur & eleuatur, miramini si diuini operatione præcepti aliquid ad vsū naturæ eius accessit, quod in vsu antè non fuerit? Dicant nunc mihi quomodo tamquam in vtrem cõgregauerit aquas maris, vt scriptum est: quomodo eduxerit de petra aquam. Qui potuit de petra educere aquam quæ non erat, non potuit aquā educere quæ erat? Percussit petram, & fluxerūt aquæ, clamat Dauid, & torrentes inundauerunt. Et alibi, Super montes stabunt aquæ. Habes in Euangelio, quòd cum grauis esset procella, & magnus in mari motus, ita vt trepidarent Apostoli naufragij periculum, excitauerunt dormientem in puppi Dominum Iesum, & surgens imperauit vento & mari: sedata tempestas est, refusa tranquillitas. Qui potuit imperio mare totum sedare, non potuit aquas imperio mouere? Atqui in diluuiō sic accepimus, quòd eruperint abyssi fontes, & quod induxerit postea spiritum, & siccauerit aquam: si nolunt obedisse naturam, vsūque elementi imperio Dei esse conuersum; vel hoc concedant, potuisse immisso vento aquas currere, quod quotidie videmus in mari, vt inde aquæ currant, vnde flauerit ventus. Si tempore Moyfi excitato austro valido siccatum est mare, eodem modo siccati non potuit congregatio aquarum, & in mare profluere aqua, quæ postea diuisa est in profundo? Sed discant naturam posse conuerti, quando petra a quas fluxit, & ferrum aquæ supernatauit, quod vtique Elifæus orando facere meruit, non imperando. Si igitur Elifæus ferrum leuauit contra naturam, Christus aquas mouere non potuit? Sed mouit, qui potuit dicere, Lazare veni foras: & mortuum suscitauit. Deus enim quod iubet, facit. Itaque pari exemplo dictum accipe, congregetur aqua, & congregata est. Dicendo autem congregetur, non solum mouit eam de loco, sed etiam statuit in loco, vt non præterflueret, sed maneret. Hoc vtique maioris miraculi est, quomodo omnes congregationes in vnã congregationē cõfluxerint, & vna congregatio non adimpleta sit. Nam & scriptura hoc inter miracula constituit, dicendo, Omnes torrentes eunt in mare, & mare non adim-

Psal. 32.

Psal. 77.

Psal. 103.

Matth. 8.

Gen. 7.

Gen. 8.

Exod. 14.

Num. 20.

4. Reg. 6.

Ioan. 11.

Eccl. 1.

Iob. 38.

Hierem. 5.

Arist. lib. 2. Meteorol.

pletur. Vtrumque igitur ex præcepto Dei, vt & fluat aqua & non superfluat. Circumscripta igitur imposito sine maria clauduntur, ne superfusa terris inundent omnia, & desituito aruorum cultu, munus terrenæ fecunditatis impediunt. Cognoscant igitur diuini esse præcepti, operationisque cælestis. Ait enim Dominus per nubem ad Iob inter alia etiam de maris claustro: Posuisti fines, apponens claustra & portas. Dixi autem ei, Vtique huc venies, nec transgredieris, sed in seipso conteretur fluctus tui. Nonne ipsi videmus mare frequenter undosum ita, vt in altum fluctus eius tanquam mons aquæ præruptus insurgat, vbi impetum suum ad litus illiserit, in spumas resolui, repagulis quibusdam arenæ humilis reperculsum: secundum quod scriptum est, Aut non timebitis me, dicit Dominus, qui posui arenam fines mari? Infirmissimo itaque omnium villis fabuli puluere vis maris in tempestate cohibetur, & velut habenis quibusdam cælestis imperij à præscripto sibi sine reuocatur, violentique æquoris motus in sese frangitur, atque in reductos sinus suos scinditur. Cæterum nisi vis statuti cælestis inhiberet, quid obstaret quin per plana Ægypti, quæ maximè humilioribus iacens vallibus campestris asseritur, mare Rubrum Ægyptio pelago misceretur? Denique docent hoc qui voluerunt hæc duo sibi maria connectere, atque in se transfundere. Sesostris sanè Ægyptius, qui antiquior fuit, & Darius Medus, qui maioris contuitu potentia, in effectum voluit producere quod ab indigena fuerat antè tentatum. Quæ res indicio est, quod superius est mare Indicum, in quo mare Rubrum, quàm æquor Ægyptium, quod inferius alluit. Et fortasse ne latius se mare effunderet, de superioribus ad inferiora præcipitans, ideo molimina sua rex vterque reuocauit.

*Soluuntur duæ dubitationes: altera, cum aqua per diuersas adeo terre partes diffusa sit, quomodo in vnâ collectionem potuerit coire: altera, cum qualibet regio nomen dederit aquæ transiit, quomodo ipsa aqua vnâ sortita fuerit nomen. CAP. III.*

**Q**uæro nunc, cum dixerit, congregetur aqua in congregationem vnâ, quomodo diffusa per lacus, paludes, stagna, aquas & superfusas vallibus & campis omnibusque planioribus locis, currentes fontibus atque fluminibus vna potuerit recipere collectio: aut quomodo vna collectio, cum hodiè que diuersa sint maria? Nam & Oceanum mare dicimus, & Tyrrenum, & Adriaticum, & Indicum, & Ægyptium, & Propontidem, & Hellepontum, & Euxinum, Egæum, Ionium, Atlanticum. Plerique etiam Balthicum, Septentrionale & Caspium appellant mare. Vnde consideremus scripturæ verba, quæ librato sunt trutinata examine. *Congregetur* (inquit) aqua in congregationem vnâ. Vna aquarum iugisque & continua congregatio est, sed diuersi sinus maris, vt quidam de scriptoribus forensibus ait, Namque maris nostri sinus portus amplissimus. Meritoque in diuersis locis diuersa sunt nomina, quia vocabula aquis ex regionum vocabulis adheferunt. Vna autem congregatio aquarum, eo quod iugis vnda atque continua à Pontico mari vsque ad Ga-

Plato in Timæo.

ditani oram litoris, & inde in mare Rubrum, extremo circumfuso orbem terrarum includit Oceano, interius quoque Tyrreno Adria. Adriæ cætera maria miscentur, nominibus distincta, non fluctibus. Vnde pulchrè habes, quia Deus congregationes aquarum vocauit maria. Ita & vna est generalis collectio, quæ dicitur mare, & multæ collectiones, quæ maria pro regionibus nuncupantur. Sicut enim multæ terræ, vt Africa, Hispania, Thracia, Macedonia, Syria, Ægyptus, Gallia, atque Italia, pro regionum appellantur vocabulis, & vna est terra: ita multa dicuntur pro locorum appellationibus maria, & vnus est mare, sicut ait Propheta, dicens, Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terrarum & plenitudinem eius tu fundasti, aquilonem & mare tu creasti. Et ad Iob ipse Dominus ait, Conclusi autem mare portis. Nunc quia de vna collectione diximus, illud occurrit, vtrum cum per omnem ferè terram fuerint aquæ per vallestria agrorum, concaua motium, planitiemque camporum modo æquoris fusæ, quomodo congregatio vna potuerit omnes illas aquas recipere, atque exinanire terras, quæ antè fuso per vniuersum flumine stagnabantur. Nam si tunc operata erant omnia, non diceret, visa est terra, nisi retectâ vellet locis omnibus demonstrare. Si diluuium Noe tempore abscondit & montes, quando aquarum iam & super cælos & infra firmamentum fuerat facta discretio; quanto magis dubitari non potest, etiâ motium vertices illa superfusione latuisse? Quò igitur illa omnis aquarum redundantia deriuata est? Quæ receptacula eam tam continua atque connecta absorbere potuerunt? De quo multus nobis potest sermo suppetere. Primum, quia potuit creator omnium, & ipsarum terrarum spatia diffundere: quod aliqui ante nos confirmantes, propria posuere sententia. Ego, quid facere potuerit, nunc prætermitto: quid fecerit, quod apertè scripturarum auctoritate non didici, quasi secretum prætereo, ne fortè etiam hinc alias sibi quæstiones requirant. Affero tamen secundum scripturas, quia potuit locorum humilia & camporum aperta diffundere, sicut ipse ait, Ego ante te ambulabo, & montes planos faciam. Potuit etiam ipsa aquarum vis profundiora ea facere quæ infederat, tanto fluctuum motu, tantoque aestu concitioris elementi, qui quotidie ima pelagi torque-re, & arenas verrere soleat de profundo. Quis deinde sciat, in quantum se illud magnum & inausum nauigantibus atque intentatum nautis fundat mare, quod Britannias frementi includit æquore, atque in vltiora & ipsis fabulis inaccessa secreta se porrigit? Quis deinde colligat, quatum Lucrino & Auer-no in Italia, Tiberiadi quoque in Palæstina, & ei lacui qui inter Palæstinam & Ægyptum Arabiæ deserta protendit, portubusque diuersis Augusti atque Traiani, cæterisque per vniuersum orbem infusum addiderit mare? Si sunt etiam non confusi lacus, & stagna quæ non miscentur fluctibus, vt Larij & Benacus, Albanus quoque alij plures, quomodo vna congregatio aquarum? Sed quemadmodum dicitur, quia fecit Deus duo luminaria, id est, solem & lunam, cum sint vti que & stellarum lumina: ita & vna congregatio dicitur, cum sint plurimæ. Neque enim annumerantur, quæ non conferuntur.

Psal. 38.

Iob 38.

Gen. 7.

Esa. 45.

*In contextu cur dictum sit, Appareat arida, & non magis, Appareat terra, explicatur: & describuntur propria cuiusque elementi qualitates. CAP. IIII.*

Psal. 94.

Psal. 62.

Psal. 106.

**S**ed, vt videtur, quoniam de mari loquebamur, saliquantulum exundauimus, ad propositum reuertamur: & consideremus quid sit quod ait Dominus, *Congregetur aqua in vnâ congregationem, & appareat arida: & non dixerit, Terra. Quod præclarè positum quis nõ aduertat?* Terra enim potest & luto esse permixta, aquis madida, cuius species superfusis aquis non appareat. Arida autem non solum ad genus, sed etiam ad speciem terrarum refertur, vt licca sit, apta culturis. Simul prospectum est, ne videatur sole magis quàm Dei præcepto esse siccata, quia arida facta est antequam sol crearetur. Vnde & Dauid discernens mare & terram, ait de Domino Deo, Quoniam ipse est mare, & ipse fecit illud: & aridam manus eius fundauerunt. Terra enim expressio naturæ est, arida appellatio quædam simplex negotij, quæ in se habeat proprietatem. Sicut enim animal generis significatio est, cui inest proprium aliquid & excellens, rationale autem proprium est hominis: ita & terra potest communiter dici vel scærens aquis, vel deserta & inuisa, & sine aqua. Ergo & illi quæ scæret aquis, inest vt habeat ariditatem. Remota enim aqua incipit esse arida, sicut habes scriptum, Posuisti flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim: hoc est, de terra aquosa aridam fecit. Habet ergo terra propriam qualitatem suam, sicut & singula elementa habent. Nam & aer humidam qualitatem, & aqua frigidam, & ignis calidam. Et hoc est principale proprium elementis singulis, quod ratione colligimus. Comprehendere autem sensibilibus & corporaliter si velimus, velut connecta & composita reperimus, vt sit terra arida & frigida, aqua frigida & humida, aer calidus & humidus, ignis calidus & siccus: & sic sibi per has iugales qualitates singula miscentur elementa. Nam terra cum sit arida & frigida: qualitas, connectitur aquæ per cognationem qualitatis frigida, & aqua aëri, quia humidus est aer. Ergo aqua tamquam brachijs duobus frigoris & humoris, altero terram, altero aërem videtur amplecti: frigidum terram, aërem humidum. Aër quoque medius inter duo cõpugnantia per naturam, hoc est inter aquam & ignem, vtrumque illud elementum conciliat sibi, quia, & aquis humore, & igni calore coniungitur. Ignis quoque cum sit calidus & siccus natura, calore aëri annectitur, siccitate autem in communionem terræ ac societatem refunditur: atque ita sibi per hunc circuitum & chorum quendam concordia societatisque conueniunt. Vnde & Græcè *σύνθεσις* dicuntur, quæ Latine elementa dicimus, quod sibi conueniant & concinant. Huc autem progressi sumus, quia scriptura ait quod Deus vocauerit aridam, terram, hoc est, quia quod principale est eius, nuncupauit proprietate naturæ. Naturalis enim proprietatis siccitas est terris: hæc ei prærogatiua seruata est. Principalis ergo siccitas subest etiam vt sit frigida, sed non præferuntur secunda primis. Vt autem humida sit, aquarum affinitate sortitur. Ergo illud suum, istud alienum. Suum, quod arida: alienum, quod humida. Auctor itaque naturæ quod

A primò donauit, hoc tenuit: quia istud ex natura, illud ex causa. Ex principalibus igitur, non ex accidentibus terræ debuit proprietatis definiri, vt secundum prærogatiuam qualitatis eius informaretur nostra cognitio.

*De eo quod à quibusdam additum perhibetur, Et congregata est aqua in congregationes suas, & c. de utilitate & singulari laude maris. CAP. V.*

**E**t vidit Deus quia bonum. Non præterinus autem, quia aliqui nec in Hebræo putant esse, nec in cæteris interpretibus, quia congregata est aqua in congregationes suas, & apparuit arida. Cum enim dixerit, quia factum est sic satis esse putant vocem operatoris ad acceleratam operationis indicium. Sed quia in alijs quoque creaturis habet & definitionem præceptionis, & repetitum operationis vel indicium vel effectum; ideo nos non putamus absurdum id quod perhibetur additum, etiam si cæteris interpretibus vel veritas doceatur suppetere, vel auctoritas. Multa enim non otiosè à septuaginta viris Hebraicè lectioni addita & adiuncta comperimus. Vidit ergo Deus quia bonum mare. Et si pulchra sit species eius elemèti, vel cum surgentibus albescit cumulis ac verticibus vndarum, & cautes niuea rotat aspergine, vel cum æquore crispanti clemètiorebus auris & blando serenæ tranquillitatis purpurascen-tem præfert colorem, qui eminus spectantibus frequenter offunditur, quando non violentis fluctibus vicina tundit litora, sed velut pacificis ambit & salutat amplexibus, quàm dulcis sonus, quàm iucundus fragor, quàm grata & consona resolutio! Ego tamen non oculis aestimatum creaturæ decorem arbitror, sed secundum rationem operationis iudicio operatoris conuenire & congruere definitum. Bonum igitur mare; primum, quia terras necessariò suffulcit humore, quibus per venas quasdam occultè succum quendam haud inutilem subministrat. Bonum mare, tamquam hospitium fluuiorum, fons imbrium, deriuatio alluuiorum, inuectio commeatuum: quo sibi distantes populi copulantur, quo prætorum remouentur pericula, quo barbaricus furor clauditur, subsidium in necessitatibus, refugium in periculis, gratia in voluptatibus, salubritas valetudinis, separatorum coniunctio, itineris compendium, transfugium laborantium, subsidium vèctigalium, sterilitatis alimentum. Ex hoc pluuia in terras transfunditur. Siquidem de mari aqua radiis solis hauritur, & quod subtile eius est rapitur: deinde quanto altius eleuatur, tanto magis etiam nubium obubratione frigescit, & imber fit, qui non solum terrenam tēperat siccitatem, sed etiam ieiuna arua fecundat. Quid numerem insulas, quas velut monilia plerumque prætextit, in quibus ij qui se abdicant intemperantiæ sæcularis illecebris, fido continentia proposito eligunt mundum latere, & vitæ huius declinare dubios anfractus? Mare est ergo secretum temperantiæ, exercitium continentia, grauitatis secessus, portus securitatis, tranquillitas sæculi, mundi huius sobrietas: rum fidelibus viris atque deuotis incertuum deuotionis, vt cum vndarum leniter alluentiu sono certent cantus psallentiu, plaudant insulæ tranquillo fluctuum, sanctoru



chori hymnis personent. Vnde mihi vt omnem pe-  
lagi pulchritudinem comprehendam, quam vidit  
operator? Et quid plura? Ecquid aliud ille concen-  
tus vndarum, nisi quidam concentus est plebis?  
Vnde bene mari plerūq; comparatur Ecclesia, quæ  
primo ingredientis populi agmine totis vestibulis  
vndas vomit: deinde in oratione totius plebis tam-  
quam vndis resluentibus stridet: tū responsorii psal-  
morum, cantu virorum, mulierum, virginum, paruu-  
lorum, consonus vndarum fragor resultat. Nā illud  
quid dicam, quod vnda peccatorum abluit, & sancti  
Spiritus aura salutatis aspirat? Det nobis Dominus  
illa successuum flumina prospero ligno currere, tu-  
to portu cōsistere, nequitia spiritalis grauiora quam  
ferre possumus tentamenta nescire, fidei ignorare  
naufragia, habere pacem profundam: & si quando  
aliquid sit, quod graues nobis sæculi huius excitet  
fluctus, euigilantem pro nobis habere gubernatorē  
Dominū Iesum, qui verbo imperet, & tempestatem  
mitiget, tranquillitatem maris refundat; cui est ho-  
nor & gloria, laus, perpet uitas à sæculis, & nunc &  
semper, in omnia sæcula sæculorum, Amen.

psal. 23. & 79.

Matth. 8.

Quomodo conuenient vt terre daretur species & vis germi-  
nandi; ac de virtute & utilitate huius vocis qua Deus di-  
xit, Germinet terra herbam viventem fœni, &c. cum  
redargutione eorum qui hanc prærogatiuam adscribunt  
soli. CAP. VI.

Dilcedente aqua conueniebat vt species terræ  
daretur & gratia, vt inuisibilis & incomposita  
desineret esse. Nam plerique etiam hoc dicunt esse  
inuisibile, quod speciem non habet: & ideo acci-  
piunt terram inuisibilem fuisse, non quia videri  
non posset à summo Deo vel angelis eius, (nam  
adhuc homines creati non erant, vel etiam pecu-  
des) sed quia sine sua specie erat. Species autem ter-  
ræ est germinatio, & viriditas agri. Vnde vt & vi-  
sibilem eam & compositam faceret Deus, ait, Ger-  
minet terra herbam fœni, seminantem semen secundum genus  
suum, & secundum similitudinem; & lignum pomiferum  
faciens fructum, cuius semen eius sit in ipso. Audiamus  
verba veritatis: quorum series, salus est audientium.  
Prima enim illa vox Dei singulis creaturis imperti-  
ta gignendis, lex naturæ est, quæ terris in omne  
æuum remansit, futuræ successione natura præscri-  
ptum, quemadmodum vel generandi vel fructifican-  
di in reliquum vsus adoleceret. Prima itaque ger-  
minatio est, quando nascencia videntur erumpere:  
deinde cum eruperit & profecerit germē, fit herba:  
herba quoq; vbi paululū processerit, fit fœnū. Quam  
villis, quam vehemens vox, Germinet terra herbam  
fœni: hoc est, ipsa per se germinet terra, nullum  
alterius quærat auxilium, non cuiusquam indigeat  
ministerio. Solēt enim plerique dicere, Nisi clemē-  
tior solis calor tepefecerit terras, & quodammodo  
radiis suis fouerit, nō potest germinare terra: & pro-  
pterea gentes diuinum honorem deputant soli,  
quod virtute caloris sui terrarum penetret sinus,  
sparsaq; foueat semina, vel rigentes gelu venas ar-  
borum relaxet. Audi ergo Deum velut hanc vocem  
emitrentē, Conticescat ineptus sermo hominū qui  
futurus est, facessat vana opinio. Antequam solis fiat  
luminare, herba nascatur: antiquior eius sit præro-

gatiua quam solis. Ne error hominum conualescat,  
germinet prius terra, quā fetus solis accipiat. Sciāt  
omnes solem auctorem non esse nascentium. Dei  
clementia terram relaxat, Dei indulgentia prorumpere  
facit fructus. Quomodo sol viuēdi vsū mini-  
strat oriundis, quando illa prius diuinæ operationis  
viuificatione sunt edita, quam sol in hos vsus veni-  
ret? Iunior est herbis, iunior fœno.

Cur prius pecori pabulum quam cibis homini sit creatus, ac  
de mysterio herbe viventis & floris fœni, cum exhorta-  
tione nostri ad imitationem illius herbe, & consuetudine  
Manichei aliorumque hæreticorum. CAP. VII.

ET fortē mirētur aliqui quod prius pecori pabu-  
lum, quam cibis homini sit creatus. In quo pri-  
mum profundum Dei consilium debemus aduer-  
tere, quod etiam minima quæque nō negligat, sicut  
in Euangelio sapientia Dei dicit, Respiciite volatilia  
cæli, quoniā non serunt neq; metunt, neq; congregāt  
in horrea, & pater vester cælestis pascit illa: nōne  
vos pluris estis illis? Cum enim illa pascūtur Dei  
gratia, nemo sibi debet de sua industria & virtute  
blandiri. Deinde quia simplicem victū & naturalem  
reliquis cibis debuit anteferre. Hic enim sobrietatis  
est cibus; reliqui deliciarum atq; luxuriæ. Hic com-  
munis omnibus animantibus cibus, ille paucorum.  
Exemplum itaque frugalitatis, magisteriū parsimon-  
iæ est, herbe simplicis victu olerisq; vilis aut pomi  
contentos esse omnes oportere, quem natura obtu-  
lit, quē liberalitas Dei prima donauit. Ille salubris,  
ille vtilis cibus, qui morbos repellat, qui refecet cru-  
ditates, nullo hominum partus labore, sed diuino ef-  
fusis munere, sine satiatione, sine semine, tam dulcis,  
tam gratus, vt etiam repletis voluptati atq; vsui sit.  
Denique ad primas datus mēlas, ad secundas remā-  
sit. Quid autem creaturæ huius attexam miraculū,  
& sapientiæ operatrici argumentum exprimam?  
In hac enim germinum specie, & in illo virentis her-  
be munere imago est vitæ humanæ, & naturæ con-  
ditionisq; nostræ insignis quoddam spectatur, &  
speculum elucet. Illa herba & flos fœni, figura est  
carnis humanæ, sicut bonus diuinitatis interpres or-  
gano suæ vocis expressit, dicens, Clama. Quid cla-  
mabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria homi-  
nis vt flos fœni. Aruit fœnum, & flos decidit: verbū  
autem Domini manet in æternum. Dei sententia,  
vox humana est. Dicit Deus, Clama: sed in ipso E-  
saia loquitur. Ille respondit, Quid clamabo? Et tam-  
quam quid loqueretur audiisset, adiūxit, Omnis ca-  
ro fœnum. Et verē. Viret enim gloria hominis in  
carne quasi fœnum: & quæ putatur esse sublimis, e-  
xigua quasi herba est, præmatura vt flos, caduca  
quasi fœnum: germinat vitæ viriditatē in specie, nō  
in fructu soliditatem: hilarioris vitæ quasi flos præ-  
tendens iucunditatem, breuiori spatio occasura, si-  
cut herba fœni, quod priusquam euellatur arefcit.  
Quæ enim firmitudo in carne, quæ salubritas potest  
esse diuturna? Hodie videas adolescentem validum,  
pubescens ætatis viriditate florentem, grata spe-  
cie, suauis colore: crastina die tibi faciem & ora mu-  
tatus occurrit: & qui pridie tibi lautissimus deco-  
ræ formæ visus est gratia, alio die miserandus apparet,  
& gri-

Matth. 6.

Esai. 40.

psal. 128.

ægritudinis alicuius infirmitate resolutus. Plerosq;  
aut labor frangit, aut inopia macerat, aut cruditas  
vexat, aut vicia corrumpunt, aut senectus debilitat,  
aut euiratos deliciæ reddūt, luxuria decolorat. Nōne  
verum est, quia aruit fœnum, & flos decidit? A-  
lius abauis atausq; nobilis, & maiorum honesta-  
tus infulis, profapia veteris, clarus insignibus, ami-  
cis abundans, stipatus clientibus, & vtrumque  
latus tectus, producens maximam ac reducens fami-  
liam, repente aliqua accidentis periculi mole  
turbatus destituitur ab omnibus, à sodalibus dere-  
linquitur, impugnatur à proximis. Ecce verū est quia  
sicut fœnum vita hominis, priusquā euellatur are-  
fcit. Est etiam qui dudum vbertate affluēs copiarū,  
liberalitatis fama per ora volitans singulorum, cla-  
rus honoribus, præminens potestatibus, tribunali-  
cellūs, solio sublimis, beatus populis æstimatus, dum  
præconum clamore deducitur, subita rerum con-  
uersione in eum carcerem rapitur, quod alios ipse  
detruferat, & inter reos suos imminentis pœnæ  
desert ærumnam. Quantos pridie caterua plauden-  
tium, & inuidiosa fauentis populi frequens domum  
pompa deduxit, & nox vna gloriosæ illum splendo-  
rem deductionis aboleuit, ac repentinus lateris dol-  
or, effulsis gaudiis, luctuosam grauis successione  
mœroris admiscuit! Huiusmodi igitur est gloria ho-  
minis, sicut flos fœni. Quæ etiam cum defertur, ni-  
hil opis adiungit, in qua nullus fructus acquiritur,  
& cum amittitur euanescit, omnem scenam homi-  
nis & quam desuper obumbrabat repente desti-  
tuens, & quam intus animabat. Atque vtinam imi-  
taremur hanc herbam, de qua ait Dominus, Ger-  
minet terra herbam fœni, seminantem semen secundum ge-  
nus, & secundum similitudinem. Seminemus igitur  
semen secundum genus. Quod sit genus, audi di-  
centem, oportere nos quærere illud diuinum, si  
quo modo illud tractare possimus aut inuenire:  
quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum.  
In ipso enim viuimus, & sumus, & mouemur, si-  
cut quidam vestrū, inquit, dixerunt, Cuius & ge-  
nus sumus. Secundum hoc genus seminemus se-  
men, non in carne, sed in spiritu. Non enim car-  
nalia, sed spiritalia seminare debemus, qui ad vi-  
tam peruenire volumus æternam. Quæ sit autem  
similitudo, non ignoras, qui ad imaginem & simi-  
litudinem Dei factus es. Herba generi respōdet suo;  
tu non respondes tuo generi? Tritici granum spar-  
sum terræ, generis sui gratiam reddit; & tu dege-  
neras? Fruges non adulterant sui sinceritatem se-  
minis; tu adulteras puritatem animæ, vigorem  
mentis, corporis castitatem? Non agnoscis opus ef-  
fete Christi? Manibus suis, vt legimus, te ille for-  
mauit; & tu Manichæe alterum tibi adsciscis aucto-  
rem? Pater Deus dicit ad filium, Faciamus homi-  
nem ad imaginem & similitudinem nostram: & tu  
Photiniane dicis, quia in constitutione mundi ad-  
huc non erat Christus? Et tu Eunomiane dicis, quia  
dissimilis est patri filius? Nam si imago; non dissi-  
milis vtique: sed totum ex toto exprimens patrē,  
quem pater substantiæ suæ vnitate signauit. Pater  
dicit, Faciamus; & tu cooperatorem negas? Quod  
dixit pater, filius fecit; & tu æqualem negas, in quo  
complacuit pater.

Esai. 40.

psal. 128.

Esai. 17.

Sap. 2.

Job. 10.

Gen. 1. infr.

Hebr. 1. Ioan. 5. Matth. 3.

A De germine, ac seminaria virtute, & admirabili germina-  
tionis & fructificationis modo, de laude quoque agri pleni  
& salubritate succi herbarum, virgultorumque ac folio-  
rum remediis. CAP. VIII.

Germinet (inquit) terra herbam fœni secundum ge-  
nus. In omnibus quæ dicuntur nascencia ter-  
ræ, primum germen est: vbi se paululum sustulerit,  
fit herba, postea fœnum, inde fit fructus. Sunt na-  
scencia quæ de radice germinant, vt arbores quæ nō  
sunt satæ, ex aliarum arborum radice nascuntur. In  
arundine videmus quomodo in extremo eius ve-  
lut quidam fit nodus è latere, & inde alia arundo  
germinat. Est ergo in radice vis quædam seminaria.  
Instiua quoq; in superioribus germinat. Aliis ergo  
à semine, aliis à radice, aliis diuerso munere series  
successione acquiritur. Inest enim nascentibus sin-  
gulis aut semen, aut virtus aliqua seminaria, & ea se-  
cūdū genus: vt quod nascitur ex ea, simile eorū quæ  
fata sunt, vel quorum de radice sit, germinet. De tri-  
tico triticum, de milio milium, de pyro pyrus albo  
flore prorumpit, castanea quoque surgit de radice  
castaneæ. Germinet (inquit) terra herbam fœni secun-  
dum genus. Et continuo parturiens terra, nouos se fu-  
dit in partus, & induit se amictum viriditatis, gra-  
tiam fecunditatis assumpsit, diuersisq; cōpta ger-  
minibus, proprios suscepit ornatus. Miramur quod  
tam citò germinauerit; quanto maiora miracula  
sunt, si spectes singula, quemadmodum vel iacta in  
terram semina resoluantur, ac nisi mortua fuerint,  
nullum fructum afferant: si verò fuerint quadam sui  
morte resoluta, in vberiores fructus resurgant. Sus-  
cipit igitur granum tritici putris gleba, & spar-  
sum cohibet occasio, ac velut materno terra gremio  
fouet & comprimit. Inde cum se granum illud re-  
soluerit, herbam germinat; grata ipsa iam species  
herbescentis viriditatis, quæ statim genus satum si-  
militudine sui prodit, vt in ipso suæ stirpis exordio  
cuius generis herba sit recognoscas, atque in herbis  
fructus appareat; paulatimq; adolefcit vt fœnū, cul-  
mōq; pubescēs erigitur & assurgit. Ast vbi se genicu-  
lata iam spica sustulerit, vaginæ quædā futuræ frugi  
parantur, in quibus granum formatur interius, ne  
tenera eius primordia aut frig' lædat, aut solis æstus  
exurat, aut ventorum inclementia, vel imbrum vis  
sæua decutiat. Succedunt quidam ordines spicæ,  
mirabili arte formati, vel ad speciem grati, vel ad tu-  
tamen nexu quodam inter se naturalis colligationis  
adstricti, quam prouidentia diuina formauit. Et  
ne frugis numerosioris pondere velut quædam ce-  
dat sultura culmorum, vaginis quibusdam ipse cul-  
mus includitur, vt geminatis viribus frugem possit  
multiplicem sustinere, ne impar oneri curuetur in  
terram. Tum supra ipsam spicam vallum struitur ari-  
starum, vt quasi quadam in arce prætendat, ne auiū  
minorum morsibus suis exuatur fructibus, aut vesti-  
giis proteratur. Quid dicam quemadmodum cle-  
mentia Dei humanæ prospexerit vtilitati? Fœnera-  
tum terra restituit quod accepit, & vsurarum cumu-  
lo multiplicatum. Homines sæpe decipiunt, & ipsa  
fœneratorem suum sorte defraudant: terra fidelis  
manet. Et si quando non soluerit, fortē aduersata  
fuit frigoris inclementia, aut nimia siccitas, aut im-

Ioan. 12. 1. Cor. 15.

mensa vis imbrium, alio anno superioris anni dāna compensata: ita ut quando prouentus spem destituit agricolæ, nihil terra delinquit: & quando aridet vbertas, fecunda matris se in partus effundit, ut nūquam vllum dispendium suo infērat creditori. Quæ verò species pleni agri? qui odor? quæ suauitas? quæ voluptas agricolarum? quid dignè explicare possumus, si nostro vtamur alloquio? Sed habemus scripturæ testimonia, quibus agri suauitatem benedictionis & gratiæ sanctorum aduertimus comparatā, dicente sancto Isaac, Odor filij mei sicut odor agri pleni. Quid describam purpurascens violas, candida lilia, rutilantes rosas, depicta rura nunc aureis, nunc variis, nunc luteis floribus, in quibus nescias vtrum species amplius florum, an vis odora delectet? Pascuntur oculi grato spectaculo, longè latèq; odor spargitur, cuius suauitate complemur. Vnde dignè Dominus ait; Et species agri mecum est. Cum ipso est enim, quam ipse formauit. Quis enim alius artifex possit tantam rerum singularum exprimere venustatem? Considerate lilia agri: quātus sit candor in foliis, quemadmodum stipata ipsa folia ab imo ad summum videantur assurgere, vt scyphi expriment formam, vt auri quædā species intus effulgeat, quæ tamē vallo in circuitu floris obseptā nulli pateat iniuriæ. Si quis hunc florem decerpit, & sua soluat in folia, quæ tanti est artificis manus quæ possit lilij speciem reformare? Quis tantus imitator naturæ, vt florem hunc redintegrare præsumat, cui Dominus tantum testimonium tulit, vt diceret, Nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur, sicut vnū ex istis? Rex opulentissimus & sapiētissimus inferior iudicatur, quā huius floris pulchritudo est. Quid enūmerem succos herbarum salubres? quid virgultorum ac foliorum remedia? Ceruus æger ramufculus oleæ mandit, & sanus fit. Locustas quoque folia oleæ arrosa liberant ab ægritudine. Rubi folia superiecta serpenti, interimūt eū. Culices non tangunt te, si absinthij herbam cū oleo coquas, & eo te perunxeris.

*Quod non sine ratione cum vtilibus etiā letalia & perniciofa generentur, & de ordine productionis terræ. CAP. IX.*

Sed fortè dicent aliqui, Quid quod cum vtilibus Seriam letalia & perniciofa generantur? Cum tritico conium, quod inter alimenta vitæ noxium reperitur, & nisi præuisum fuerit, cōsuevit saluti nocere. Inter alia quoque nutrimenta vitæ helleborum deprehenditur. Aconita quoque fallūt frequēter, & decipiunt colligentem. Sed hoc ita est, ac si reprehēdas terram, quia non omnes homines boni. Sed quod plus est accipe, quia non omnes boni angeli in calo. Sol nimio calore spicas torret, adurit gignentium prima exordia. Luna quoq; viātibus iter demonstrat, latronum prodit insidias. Nū igitur dignum est, his (quæ vtilia sunt posthabentes) conditoris gratiam non confiteri, & vt propter aliqua alimentorum noxia, creatoris prospiciētia derogemus? quasi verò omnia gulæ causā debuerint procreari, aut exigua sint quæ ventri nostro diuina indulgentia ministrauerit. Definitæ nobis escæ sunt, & notæ omnibus, quæ & voluptatem generent, & corporis salubritatem. Singula autem eorum quæ

generantur è terris, specialem quandam rationē habent, quæ pro virili portione complent vniuersæ plenitudinem creaturæ. Alia ergo esui, alia potui, alia alij nascuntur vsui. Nihil vacat, nihil inane germinat terra. Quod tibi putas inutile, aliis vtile est, immò ipsum tibi frequenter alio est vsu vtile. Quod escæ nō adiuuat, medicinā suggerit: & sepe eadē quæ tibi noxia sunt, auibus aut feris innoxii ministrant pabulū. Denique sturni vescuntur conio, nec fraudi est eis, quoniam qualitate sui corporis venenum succi letalis euadunt. Frigida enim vis eius est, quam subtilibus poris in cordis sui sedem ducentibus, præcoci digestionē præueniunt, priusquam vitalia ipsa pertentet. Helleborum autem periti loquuntur escam esse & alimoniam coturnicum, eo quod naturali quodam temperamēto sui corporis vim pabuli nocentis euitent. Etenim si ratione medicinæ plerumq; ad salubritatem humani quoque corporis temperatur, cui videtur esse contrarium: quanto magis proprietate naturæ ad cibum proficit, quod medica manu conuertitur ad salutem? Per mandragorā quoq; somnus frequenter accersitur, vbi vigiliarum agri affligantur incommodo. Nam quid de opio loquar, quod etiam nobis quotidiano propè vsu innotuit, quoniam dolores eo grauissimi interitorum sæpe viscerum sopiuntur? Nec illud præterit, quod conio plerumque furores libidinum marcuerūt, & helleboro verustæ passiones egri corporis sunt solutæ. Non solum igitur nulla in his reprehēnsio creatoris, sed etiam incrementum est gratiarum. Siquidem quod ad periculum putabas esse generatum, ad remedia tibi salutis operatur. Nā & id quod periculi est, per prouidentiam declinatur: & id quod salutis, per industriam non amittitur. An non oues & capræ ea quæ sibi noxia sunt, declinare didicerunt, & solo odore per quoddam naturæ ministerium, cum sint rationis expertes, rationē tamen euadendi periculi vel tuendæ salutis agnoscunt, noxiāq; pariter ac profutura distinguunt, ita vt plerumq; cum armata venenis tela senserint, notas petere herbas, atque his remedium vulneri dicantur adhibere? Cibis illis ergo medicina est, vt resillire sagittas videas è vulnere, & fugere venena, nō serpere. Deniq; ceruis cibis venenū est. Coluber ceruū fugit, leonem interficit. Draco elephantem ligat, cuius rui-na mors victoris est. Et ideo summè vtrinq; certatur: ille vt pedē alliget, quo casus vinciti sibi nocere nō possit; iste ne posteriore extremus pede, aut calle capiatur angusto, vbi vel ipse se nō queat retorquere, & draconem graui proterere vestigio, vel sequētis elephantis auxilium non habere. Ergo si irrationalia animalia norunt quibus sibi aut medicentur herbis, aut subsidiis opem afferant; homo nescit, cui rationalis sensus innascitur? Aut tam alienus à verò est, vt quæ cuique apta sint vsui, minimè deprehendat: aut ita naturæ ingratus bonis, vt quoniam taurini haustus sanguinis letalis est homini, propterea putet laboriosum animal aut nasci non debuisse, aut sine sanguine debuisse generari, cuius virtus ad cultum agrorum vtilis, aut ad vsu plaustrorum habilis, ad alimoniam suauis, diuerso munere sulcit agricolos, quibus Deus, si bona sua norint, vniuersa donauit, dicens, *Germinet terra herbam fœni, spirans se-*

*men*

*men secundum genus.* Non solum enim spontaneam alimoniam comprehendit quæ est in herbis & radicibus, atque in arborum reliquis fructibus, sed etiam eam quæ industria comparatur, & cultu rustici laboris acquiritur. Quam decorum autē quod non statim fundere terras semē iussit & fructus, sed primum germinare, deinde herbescere campos statuit, postea secundum proprietatem sui generis semen adulescere, vt numquam aruorum vacaret gratia, quæ grato primum decore vernarent, postea fructuum suggererent vtilitatem?

*Quomodo terra secundum genus suum dicatur proferre semina, cum plerumque semina iacta degenerent; ac de diuersitate seminis diaboli, & seminis Christi; & quando homo verbum suum seminauerit super terram. CAP. X.*

Sed fortè quis dicat, Quomodo secundum genus Terra profert semina, cum plerumque semina iacta degenerent, & cum bonum triticum fuerit seminum, decolor eius species, & inferior forma reddatur? Sed hoc si quando accidit, non ad translationem generis, sed ad ægritudinem quandam & inæqualitatem seminis videtur esse referendū. Non enim desinit esse triticum, si aut frigore aduratur, aut imbre madidetur, sed specie magis quàm genere, colore quoq; & corruptione mutatur. Denique frequenter madidata frumenta in sui generis speciem reuertuntur, si aut sole aut ignibus torreatur, aut diligentibus commissa culturis, aëris tēperie rariorumque feracium vbertate foueatur. Itaq; reparatur in sobole, quod degenerauerat in parente. Vnde nō periclitamur ne præceptum illud Dei cuius vsus naturæ inoleuit, in reliquum successionis vitio destitutum sit, cum hodièq; in seminibus generis sui sinceritas referretur. Nam lolium, & reliqua adulterina semina quæ frugibus sæpe miscentur, zizania nuncupari Euāgelij lectione cognouimus: sed ea proprium quoddam genus habent, non ex tritici semine in aliud genus seminis decolori mutatione translata, degenerem traxere naturam. Deniq; hoc docet Dominus, dicēs, Simile est regnum cælorum homini qui seminavit bonū semen in agro suo: cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superfeminavit zizania inter triticum. Aduertimus vtiq; quod zizania & triticum, vt nominibus, ita & genere videantur esse discreta. Denique & serui dixerunt ad patrem familias: Domine, nōne bonū semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis, Inimic⁹ homo hoc fecit. Aliud enim est semē diaboli, aliud semē est Christi, quod seritur ad iustitiā. Denique aliud filius hominis, aliud diabolus seminavit. Adeo diuersa natura vtriusque seminis, vt contrarius seminator sit. Quod seminat Christus, regnū est Dei: quod seminat diabolus, peccatum est. Quomodo igitur potest vnus generis esse regnū atq; peccatum? Sic est, inquit, regnum Dei, quemadmodum si homo iactet semen super terram. Est & homo qui seminat verbum, de quo scriptum est, Qui seminat, verbum seminat. Hic homo verbū seminavit super terram, quando dixit, *Germinet terra herbam;* & subito terrarum germina pullulant, & diuersæ rerum species resulserunt. Hinc

pratorum virens gratia abundantiam pabuli ministravit: inde camporum spica flauescens, imaginem pelagi fluctuantis, commotione segetis vberioris expressit. Sponte omnes fructus terra suggessit: etsi arata sine cultore esse non poterat (nondum enim erat formatus agricola) inarata tamen opimis mensibus redundabat, & haud dubiū quin maiore prouentu. Siquidem nec cultoris desidia terrarum destitueret poterat vbertatem. Nunc enim fecunditas vnicuique pro merito laboris acquiritur, vbi cultus spectatur agrorū: & negligentia vel offensa, aut diluuiis pluuiarum, aut terrarum ariditatibus, aut grandinis iactu, aut quacūque ex causa soli vberis fertilitate multatur. Tunc autem prouentu spontaneo terra fructus locis omnibus inuehebat, quoniam is præceperat qui vniuersorum est plenitudo. Verbum enim Dei fructificabat in terris, nec vilo adhuc erat terra damnata maledictio. Antiquiora enim mundi nascantis exordia, quàm nostra peccata sunt, & recentior culpa propter quam condemnati sumus in sudore vultus nostri panem manducare, sine dolore alimenta nescire. Denique hodièque fecunditas terræ veterem affluentiam spontaneo vsu fertilitatis operatur. Quam multa sunt enim quæ adhuc sponte generantur! Sed etiam in his ipsis quæ manu quaruntur, magna ex parte manent nobis diuina beneficia, vt frumenta ipsa quiescentibus inferantur. Quod proposita docet lectionis exemplum, dicente Domino, Quia sic est regnum Dei quemad-

modum si homo iaciat semen super terrā, & obdormiat (inquit) & exurgat nocte & die, & semē germinat, & increseat dū nescit ille. Vltro enim terra fructificat, primò herbam, deinde spicam, deinde plenum triticum in spica. Et cum produxerit fructum, statim mittit falcem, quoniam adest messis. Dormienti igitur tibi dō homo & nescienti fructus suos vltro terra producit. Dormis & surgis, & frumenti per noctem incrementa miraris.

*De ortu arborum atque rosarum; & quomodo rosa humana vitæ speculum præferat. CAP. XI.*

Diximus de herba fœni, nunc dicamus de ligno pomifero faciente fructum secundum genus, cuius semen eius in ipso. Et factum est sic. Dixit, & facta sunt: & subito, vt supra floribus herbarumq; viriditatibus, ita hinc nemoribus terra vestita est. Concurrerunt arbores, consurrexerunt siluæ, vertices repetè montium fronderunt. Hinc pinus, hinc cupressus in alta se extulerunt cacumina, cedri & picæ conuenerunt. Abies quoq; non contenta terrenis radicibus atq; aërio vertice, etiam casus marinos tuto subitura remigio, nec solum ventis, sed etiam fluctibus certatara processit. Nec non & laurus assurgens, odorem suum dedit, numquam suo exuenda velamine. Vmbrosa quoque ilices verticem protulerunt, inhorrentem comam hibernis quoq; temporibus seruaturæ. Hoc enim in singulis priuilegium natura tenuit in reliquum, quod sub icu mundi surgentis accepit: & inde manet sua illicibus prærogatiua, manet cupressibus, vt nulli venti eas crinis sui honore despolient. Surrexerat antè floribus immixta teneris sine spinis rosa, & pulcherrimus flos sine vlla fraude vernabat: postea spina sepsit gratiam

Gen. 27.

psal. 49.  
Matth. 6.

Ibid.

Matth. 13.

Ibid.

Ibid.

Marc. 4.

Iob. 4.

Hiere. 23.

Gen. 3.

Marc. 4.

psal. 148.



floris, tamquam humanæ speculum præferens vitæ, quæ suauitatem perfuntionis suæ finitimis curarum stimulis sæpe compungat. Vallata est enim elegantia vitæ nostræ, & quibusdam solitudinibus obseptæ, vt tristitia adiuncta sit gratiæ. Vnde cum vnusquisque aut suauitate rationis, aut prosperioris cursus successibus gratulatur, meminisse culpæ eum conuenit, per quam nobis in paradisi amœnitate florentibus, spinæ mentis, animiq; sentes iure condemnationis adscripsi sunt. Irrutiles igitur o homo licet aut splendore nobilitatis, aut fastigio potestatis, aut fulgore virtutis, semper tibi spina proxima est. Semper inferiora tua respice, super spinas gernas, nec prolixa gratia manet: breui vnusquisque de curio ætatis flore marcescit.

*De vitis cõmendatione, & quomodo exempli eius ad nostræ vitæ institutionem arcessendum sit. CAP. XII.*

**S**ANÈ vt caduca tibi noueris communia esse cum floribus, ita etiam læta cum vitibus, quibus generatur vinum quo cor hominis lætificatur. Atque vinam o homo huius generis imiteris exempli, & ipse tibi lætitiæ, iucunditatēq; fructifices. In teipso suauitatis tuæ gratia est, ex te pullulat, in te manet, intus, id est in teipso, quærenda iucunditas tuæ est conscientiæ. Ideo ait, Bibe aquam de tuis vasis, & de puteorum tuorum fontibus. Primum omnium nihil gratius florentis odore vitis. Siquidem de flore earum succus expressus poculi genus cõficit, quod & voluptati & saluti sit. Deinde quis non miretur ex acino vinaceo vitem vsque in arboris summum cacumen prorumpere, quæ velut quodã amplexu fouet, & quibusdam brachiis ligat, & circumdat lacertis, pampinis vestit, sertis vuarum coronat? Quæ ad imitationem vitæ nostræ primum viuam designt radicem: deinde quia natura flexibilis & caduca est, clauiculis quasi manibus quibusdam quidquid apprehenderit stringit, hisque se erigit & attollit. Huius est similis plebs Ecclesiæ, quæ velut quadam fidei radicē plantatur, & reprimitur humilitatis propagine, de qua pulchrè ait Propheta, Vineã ex Ægypto transtulisti, & plantasti radices eius, & repleuit terram: operuit montes vmbra eius, & arbuta eius cedros Dei: extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius. Et per Esaiam ipse Dominus locutus est, dicens: Vineã facta est dilecto, in cornu, in loco vberi: & mœneria circūdedi, & circumfodi vineam Sorech, & ædificauit turrin in medio eius. Circumdedit enim eã velut vallo quodam cœlestiũ præceptorum, & angelorũ custodia. Immittet enim se angelus Domini in circuitu timentiu eum. Posuit in Ecclesia velut turrim Apostolorum & prophetarũ atque doctorum, qui solent pro Ecclesiæ pace prætere. Circūfodit eam, quando exonerat terrenarum mole curarũ. Nihil enim magis mentem onerat, quàm istius mudi sollicitudo, & cupiditas vel pecuniæ vel potentia. Quod tibi demonstratur in Euangelio, cum legis, quia illa mulier quæ habebat spiritum infirmis, inclinata erat, vt sursum respicere non posset. Curuata enim erat anima eius, quæ inclinabatur ad terrenæ compendia, & cœlestem gratiã non videbat. Respexit eam Iesus, & vocauit, & statim mulier one-

ra terrena deposuit. His cupiditatibus etiam illos oneratos fuisse demonstrat, quibus ait, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiã. Ergo illa anima mulieris quasi circumfossa respirauit, & erecta est. Sed eadē vitis vbi circumfossa fuerit, religatur & erigitur, ne reflectatur in terram. Reciduntur alia sarmenta, alia propagantur: reciduntur quæ inani effusione luxuriant, propagantur ea quæ bonus agricola iudicauerit fructuosa. Quid ego adminiculorum ordines, iugationisque describam gratiam, quæ verè atque manifestè æqualitatē docent in Ecclesia esse seruandã, vt nemo se diues aut honoratus extollat, nemo pauper deiiciat, ignobilisq; desperet? Omnibus sit in Ecclesia par atq; vna libertas, omnibus impertiarur iustitia cõmunis, & gratia. Ideo turris in medio est, quæ exẽplum de illis rusticanis, de illis circumferat piscatoribus, qui virtutum arcem tenere meruerunt: quorum exemplis noster erigatur affectus, neque humilis & despicibilis iaceat, sed vnus cuiusque mens ad superiora se subrigat, vt audeat dicere, Nostra autem conuersatio in cœlis est. Vnde ne aliquibus procellis sæculi possit reflecti, & tempestate deduci, clauiculis illis & circulis quasi amplexibus charitatis proximos quosq; cõplectitur, & in eorũ coniunctione requiescit. Charitas est igitur quæ nos superioribus necit, cælóque inferit. Qui enim manet in charitate, Deus in eo manet. Vnde & Dominus ait, Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest fructũ afferre à se, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites estis. Euidenter igitur exemplum vitis ad nostræ vitæ institutionem arcessendum esse signauit: quæ primum veris tepesacta temperie gemmare perhibetur: deinde ex ipsis sarmentorum articulis fructum emittere: de quibus oriens vna formatur, paulatimque augetur immaturi partus retinet acerbiter, nec potest nisi matura iam & cocta dulcescere. Vestitur interea viridantibus pampinis vinea, quibus & aduersum frigus omnemq; iniuriam nõ exiguo munire subsidio, & à solis ardore defenditur. Quid autem eo vel spectaculo gratius, vel fructu ei⁹ dulcius, videre ferta pendetia vel quædã speciosi ruris monilia, carpere vuas vel aureo colore, vel purpureo renitentes? Hyacinthos cæterãq; gēmas fulgere existimes, cõruscare Indicas, albarum emicare gratiam. Nec aduertis ex his admoneri te homo, ne immaturos fructus tuos dies supremus inueniat, vt plenæ tempus ætatis opera imparata dedecet? Acerbus enim fructus amarior esse consuevit: nec potest dulce esse, nisi quod ad maturitatis perfectionē adoleuerit. Huic viro perfecto nec frigus horridæ mortis, nec sol iniquitatis nocere cõsuevit, quia obũbrat eũ gratia spiritalis, & omnia mūdianæ cupiditatis & corporeæ libidinis restinguit incēdia, defendit ardores. Laudet te quicumque cõspiciunt, & agmina Ecclesiæ velut quædam palmitũ ferta mirentur, spectent singuli fidelis pulchra animarum monilia, delectentur maturitate prudentiæ, splendore fidei, confessionis decore, iustitiæ pulchritudine, vbertate misericordiæ, vt dicatur tibi, Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: eo quod redundantiam vitis fructiferæ, copiosæ munere liberalitatis imiteris.

*De*

*De arborum varietate, ac diuersis eorum vtilitatibus & ornatibus, fructuumque suorum atque succorum proprietatibus & medelis. CAP. XIII.*

**S**ED quid ego in sola vite immoror, cum omnia genera arborum vtilia sint, alia ad fructũ, alia ad vsum data? Nam & quibus non est fructus vberior, tamen vsum pretiosior est. Cedrus suspendendis tectorum apta culminibus, eo quod huiusmodi materies & proceræ sit spatii, nec onerosa parietibus. Lacunaribus quoque comedisque fastigiis habilis est cupressus. Vnde & Ecclesia dicit in Canticis, Trabes domorum nostrarũ cedri, lacunaria nostra cupressi: in his esse declarans decora sui ornamenta fastigij, qui quasi trabes verticem Ecclesiæ sua virtute sustineant, & fastigium eius exornent. Laurus & palma ad insigne victoriæ. Lauro victorum capita coronantur, palma manus victricis ornatus est. Vnde & Ecclesia ait, Dixi, ascendam in palmã, tenebo altitudines eius. Quæ eminentiam videns verbi, & sperans quod ad eius altitudinem possit ascendere, & scientiæ summum, dicit, Ascendam in palmam, vt omnia inferiora relinquat, & ad superiora cõtendat, ad brauiũ Christi, vt suauis eius fructus carpat & gustet. Suavis enim virtutis est fructus. Populus quoque coronis arbor vmbrosa victricibus, & salix lenta vitibus habilis vincendis, quid aliud mysticè declarant, nisi bona esse Christi vincula, quæ nocere non soleant, vincula gratiæ, vincula charitatis, vt vnusquisque suis vinculis gloriatur, sicut gloriabatur & Paulus, dicens: Paulus vincus Iesu Christi? His ligatus vinculis dicebat, Quis nos separabit à charitate Christi? Vinculis nimirum abstinentiæ, vinculis charitatis. His ligatus vinculis etiam David ait, In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. Buxus quoque elementorum apicibus vitis exprimentis, leui materia vsum manus puerilis informat. Vnde ait scriptura: Scribe in buxo. Simul vt admoneat te ipsa materia quæ semper viret, nec vnquam foliis exuitur suis, ne vnquam spei tuæ dissimulatione nuderis, sed semper tibi per fidē germinet spes salutis. Quid ego enumerem quanta varietas arborum, quàm diuersus in singulis & pulcher ornatus, quàm parulæ fagi, quàm proceræ abietes, quàm comantes pinus, quàm vmbrosæ ilices, quàm populi bicolores, quàm nemorosa & rediuita castanea, quæ simul vt excisa fuerit, tamquam siluam ex se pullulare consuevit: quemadmodum in arboribus ipsis ætas aut senilis aut nouella deprehenditur: iunioribus enim exiliores rami, antiquioribus validiora & nodosa sunt brachia. Illis folia leuigata atque diffusa, istis contractiora & aspera. Sunt etiam arbores quæ senili atque emortua radice successione sui, si fortè cædantur, reparare non nouerint: alia quibus aut iuuentus viret, aut natura fecundior est, quibus excisio lucro potius quàm detrimento sit, vt per plures sui rediuita successione renouentur hæredes. Est etiam quod mireris, ipsi sexus in pomis, est discretio sexus in arboribus. Nam videas palmam quæ dactylos generat, plerumque inclinantem ramos suos & subiicientem, & concupiscentiæ atque amplexus speciem prætendentem ei arbori quam marem palmam appellant pueri rusticorum. Illa ergo palma fœmina est, & sexũ suum subiectionis specie confitetur. Vnde locorum cultores præiaciunt ramis eius palmarum quædam velut semina mascularum, quibus illi velut quidã sensus perfuntionis infunditur, & expetiti concubitus gratia representatur. Quo munere donata rursus erigitur, & eleuat ramos suos, & in veterem statum comam suam rursus attollit. De ficu quoque eadem opinio est. Ideoque plerique secũdum domesticam & fructiferam ficum, agrestem ficulneam feruntur adferere, eo quod citò fructus fœcundæ illius & domesticæ ficus vel aura têtati aliqua, vel æstu, defluere ferantur in terram. Vnde gnari huius remedij grossis arboris agrestis alligatis ad illam feracem arborem, medentur eius infirmitati, vt possit fructus proprios referuare, iamiamque si deforent remedia, lapsuros. Quo admonemur velut quodam ænigmatē naturæ, non refugere eos qui à nostra fide & confortio separati sunt: eo quod & gentilis qui fuerit acquisitus, quo grauior fuerit assertor erroris, eo vehementior possit fidei defensor existere. Et si quis de hæreticis conuertatur, velut confirmet eam partem in quam se commutata opinione contulerit, maxime si habeat aliquid naturæ directum, vt viuida possit esse eius sententia, si adminiculetur ei attentio sobrietatis, obseruantia castitatis. Profundè ergo circa eum studium tuũ, vt similitudine fructiferæ ficus de præsentia & coniunctione agrestis illius arboris, tuam possis corroborare virtutem. Ita enim tua nec dissoluetur intentio, & diligentia fructus & gratiæ referuabitur. Quàm multa sunt autem quæ doceant naturalem duritiã posse diligentia studio temperari, quibus affert cultus ruralis exemplum! Nam plerumque citò florent mala granata, & fructum afferre non possunt, nisi congruis peritorum remediis excolantur: plerumque succus vanescit interior, & foris species eius pulchra prætenditur. Quæ non immeritò comparatur Ecclesiæ, vt habes in Canticis dictum, Vt cortex mali punici genæ tuæ. Et infra, Floruit vitis, floruerunt mala granata. Ecclesia enim bonum fidei fulgorem confessionisque prætendit, tot martyru sanguine speciosa, & (quod est amplius) Christi cruore dotata, simul plurimos intra se fructus vsu istius pomi sub vna munitione conseruans, & virtutum negotia multa complectens. Sapiens enim spiritu celat negotia. Amygdalis quoque hoc genere medicari feruntur agricolæ, vt ex amaris dulces fiant fructus, vt & terebrent eius radicē arboris, & in medium inserant furculũ eius arboris quam Græci *trebent*, nos piceam dicimus. Quo facto succi amaritudo deponitur. Ergo si agricultura conuertit stirpium qualitates, nõne studia doctrinæ, & disciplinæ attentio mitigare possunt quasilibet animorum passiones? Nemo ergo positus vel in adolescentiã vel in intemperantiã lubrico, de sui conuersione desperet. Ligna plerumque in meliores vertuntur vsus, & non possunt hominum cõrda mutari? Docuimus non solum inter diuersi generis arbores esse fructuum diuersitates, sed plerumque in eadem specie compugnare sibi fructus. Alia enim species masculorum, alia fœmineorum fructuum, sicut de dactylis supra diximus. Quis autem possit comprehendere varietatem gratiãque pomorum, singulorum

S. Ambr. tom. I.

*Psal. 103.*

*Prout. 5.*

*Psal. 79.*

*Esai. 5.*

*Psal. 33.*  
*Ephef. 4.*

*Luc. 13.*

*Matth. 11.*

*Cantic. 1.*

*Cant. 7.*

*Philip. 3.*

*1. Ioan. 4.*  
*Ioan. 15.*

*Philem.*

*Rom. 8.*

*Psal. 136.*

*Esai. 30.*

*Cantic. 4.*

*Cantic. 7.*

*Prout. 11.*

quoque vtilitatem fructuū, succorumque proprietatem, quæ cuique rei apta videantur, quæ admodum ægris visceribus hominū amariora poma medicentur, & infatiationem asperitatemque interiorē temperent, quemadmodum rursus humorum aspera, pomorum dulcibus temperentur? Denique ea medicina antiquior, quæ herbis curare consuevit & succis; nec vlla firmiter sanitas, quam quæ salubribus reformatur alimentis. Vnde secundum naturam docemur, quia sola nobis esca medicina est. Herbis certè vlcera aperta clauduntur, herbis curantur interna. Ideo que medicorum est opus, herbarum potestates noscere. Hinc enim medendi vsus inoleuit.

*De simplicium pomorum differentia, foliorumque diuersitate. CAP. XIII.*

**S**ED vt ad simplicia poma reuocemus stylum, alia sunt quæ coquantur sole, alia quæ testis aut corticibus clausa complentur. Mala & pyra, vuarū quoque genera omnia nuda obiecta sunt soli: nucis autem pineæ, nuculaque fructus & testa opertus & cortice, tamen & ipse calore solis æquè nutritur, & quantum pinea densitate nucleus absconditur, tantum solis calore fouetur. Quanta deinde Domini prouidentia, vt vbi mollior fructus, ibi folij densitudo validius tegumentum tuendo deferat pomo; quod videmus in fructu ficulneæ. Deliciora itaque validioribus munienda sunt, vt & ipse quoque

*Hierem. 24.*

Dominus per Hieremiam docet, dicens, Sicut ficus bonæ istæ, sic recognoscam translatos Iuda, quos emisi de loco isto in terram Chaldaeorum in bona, & firmabo oculos meos super illos in bona. Tamquam delicatos enim velut quodam misericordiæ suæ validiori sepfit tegmine, ne teneri fructus maturius interirent. Denique de ipsiſ etiam in posterioribus dicit, Delicati mei ambulauerunt vias asperas. Quibus infra ait, Constantes estote filij, & clamate ad Deum. Hoc enim solum aduersus omnes procelas atque iniurias inuolabile tegmen, impenetrabile munimentum est. Vbi ergo teneri fructus, ibi crassiora tegmina & munimenta foliorum. Contra autem, vbi fructus validiores, ibi teneriora folia, vt malus arbor docet. Fructus enim validus non multo indiget protectionis auxilio: nam ipsa protectionis crassioris umbra pomo nocere plus posset. Denique doceat nos pampinus naturæ gratiam, & diuinæ sapientiæ interna mysteria. Videmus enim ita scissum atque diuisum, vt trium foliorum speciem videatur ostendere: ita pars media distincta est, vt nisi inferioribus hæreret, separata spectantibus videretur. Ea autem ratio videtur seruata naturæ, vt & solem facilius admittat, & vmbra obtexat. Denique procerius media pars eius extenditur, & in ipsa summitate tenuatur, vt plus pulchritudinis quam tegumentis præferat. Etenim brauij speciem videtur effingere, significans quod vna inter pendentes cæteros fructus habeat principatū, cui tacito quodam iudicio naturæ, sed euidenti iudicio innascitur species & prerogatiua victoriæ. Secū igitur habet brauium suum, quo & munimē sibi præbetur aduersum iniurias aëris, pariterque imbriū violentiam: & impedimentum non affertur ad recipiendum solis calorem, quo tepefacta alitur, coloratur, augetur. Ficul

*Baruc 4.*

*Ibidem.*

neæ quoque folium, æquè propè vt pampinus, quadrifida intersecinditur diuisione: quod eo clariùs videtur, quo maius est folium: sanè non ita vt pampinus, vel ora omni, vel summitate crispāti. Sicut enim in ficulneæ follo crassitudo validior, ita in pampino species elegantior. Crassitudo igitur folij proficit ad tempestatis iniuriam repellendam, intercisio ad fructus gratiam vaporandi. Denique hoc genus pomi grandinem non citò, maturitatē citò sentit: quia & latere videtur aduersum iniurias, & patere ad gratiā. Quid ego foliorum describam diuersitates, quemadmodum alia rotunda, alia longiora, alia flexibilia, alia rigidiora sint, alia nullis facilè ventis labentia, alia quæ leui motu decutiantur aurarum?

*Quod non facile sit singularum rerum exquirere proprietates, & de varia mutatione aquæ, quæ omnium virgultorum nutritrix est: de differentia quoque lacrymarum arborum, ac tandem de diffusioris perscrutationis excusatione. CAP. XV.*

**I**NEXPLICABILE est, singularum rerum recensere velle proprietates, & vel diuersitates earū manifesta testificatione distinguere, vel latentes occultasque causas indeficientibus aperire documentis. Vna nempe atque eadem aqua in diuersas plerumque se mutat species: vt inter arenas flaua, inter cautes spumea, inter nemora viridantior, inter florulentam discolor, inter lilia fulgentior, inter rosæ rutilantior, in gramine liquidior, in palude turbidior, in fonte perspicua, in mari obscura, assumpto locorum quibus insuit colore, decurrit. Rigorem quoque pari ratione commutat, vt inter vaporantia ferueat, inter vmbrosa frigescat, sole percussa exæstuet, niuibus irrigata glaciali humore canescat: quemadmodum sapor eius conuertitur, vt nunc asperior, nunc amarior, nunc vehementior, nunc austerior, nunc dulcior, pro specierum qualitate quibus infusa fuerit. Asperatur immaturioribus succis, tunso cortice nucis foliisque contritis, amarior fit absinthio, vino vehementior, austerior allio: grauescit veneno, melle dulcescit. Si verò ei lætiscum, terebynthi quoque fructus, vel nucis interior pars misceatur, in oleosam & mollem naturā facilè transfunditur. Cùm sit autem alitrix omnium virgultorum, diuersos singulis vsus ministrat. Si radices alluat, vel nubibus fusa descēdat, discretas dat omnibus vires, radicem impinguat, caudicem prouehit, ramos diffundit, folia virefcere facit, fructuum alit semina, pomum augere cōsuevit. Ergo cùm eadem sit omnium nutritrix, alia arborum genera tristiores ferunt succos, alia dulciores, alia tardos, alia præmaturos. Ipse quoque inter se discrepant suauitates. Alia suauitas in vinea, alia in olea, alia in cerasis, alia in ficu, discreta in malo, dispar in dactylo. Tactus ipse aquæ alibi lenior, alibi asperior, plerumque pinguior est. Pōdere quoque distat frequenter, vt specie. Nam plerisque locis grauior, plerisque lenior æstimatur. Non mirum igitur si cùm ipsa à se discrepet, discrepant etiam inter se lacrymæ arborum, quæ eiusdem aquæ alluione generantur. Et cùm vna sit omnium causa, diuersus singulorum vsus, diuersa natura est. Aliam vim habet cerasi arboris lacryma, aliam lentisci. Disparem quoque balsami guttam odorata Orientis

tis

tis ligna sudare produntur, diuersum quoque lacrymarum genus virgulta ferularum in Ægypto ac Libya quadam vi naturæ secretioris illacrymant. Quid autem referam (clementem liceat esse sermonem) quod electrum, lacryma virgulti, in lapideæ naturæ soliditatem durefcit? Nec leuibus id asseritur testimoniis, quando folia aut surculorum minutissimæ portiones, aut exigua quædam animantium genera in electro sæpe reperiantur, quæ videtur lacryma, cùm adhuc esset mollior, recepisse, & solidata tenuisse. Sed quid ego vili sermone decerto cū alta atque perspicaci ratione naturæ, cùm iste sermo humano alatur ingenio, naturam autem omnium prouidentia diuina formauerit? Vnde velut habenis quibusdam verborum cohibenda diffusio est, ne (quod Salomoni specialiter sapientiæ munere diuinitus videtur esse collatū) vsurpatoriè videamur exponere differentias arborum, & virtutes radicum, & quæcunque sunt abscondita & perspicua, sicut scriptum est: quæ nec ab ipso tamen manifestata produntur, vt mihi videtur potuisse eum disputare de virgultorum generibus, non potuisse tamen plenius omnis creaturæ explicare rationes.

*Sap. 7.*

*Quemadmodum ad verbum Domini aquarum cursu subito omnis virgultorum creatura effloruerit, & victum atque medullam ministrauerit: quomodo præterea vniuersa gignentia aut semina habeant, aut aliqua, quæ cum virtute seminum videntur conuenire: ac de magna Dei virtute in singulis. CAP. XVI.*

**Q**UOD si irriguis aquarum plerumque & lætes lætiores sunt, & virides fabæ, & hortorum multiplex succitatur gratia, si viridantibus thoris fluuioꝝ exundantium ripa decoratur: quemadmodum non ad verbum Domini, quod omni aquarum cursu est redundanti, subito creatura virgultorum omnis effloruit? Festinarunt campi non commissam sibi frugem edere, ignorata horti olerum genera, & florum miracula germinare, ripæ fluminum se vestire myrtetis: properauerunt arbores citò surgere, citò se in florem induere, victum hominibus, pecori pabulum ministrare. Fructus communis est omnibus, vsus quoque est datus omnibus. Simul vtrumque arbores germinarunt: aliud quo vesceremur, aliud quo refrigerante vmbra defenderemur à sole. Cibum in fructibus, amœnitatem in foliis: tamen quia præscierat prouidentia creatoris, quod fructum sibi maximè humana auaritas vendicaret, reliquis prouidit animantibus, vt specialem his donaret alimoniam. Itaque esca his non mediocris in foliis est, corticibusque siluestribus: ea quoque quæ ad vsum medendi proficerent, id est succi, lacrymæ, surculi, pariter ministrata sunt. Itaque illa quæ post experimento, vsu, & exemplo vtilia cognouimus, ea à principio creator cui vsui apta donaret, prouidentia suæ maiestate de sinu terrarum iussit exire. Et quia iussit Dominus vt germinaret terra herbam fœni, & lignum pomiferum faciens fructum secundum genus, cuius semen eius in eo: ne fortè quis dicat in multis arboribus neque fructum neque semen videri, & putet diuinum in aliquo vacillare præceptum, vt à veritate sit deuium; illud aduertat,

quia nequaquam fieri potest vt non aut feminibus vtantur vniuersa gignentia, aut habeant aliqua quæ videantur cum virtute seminum conuenire. Idque, si quis diligenter intendat, manifesta testificatione poterit comprehendere. Nihil videntur seminis habere salices, habent tamen in foliis granum quoddam quod habeat virtutem seminis: vt eo commisit terris, tamquam posito surgat arbor de surculo, & tamquam de semine se exsuscitet. De grano itaque illo radix primū coalescit, de radice pullulat non solum salicis, sed etiam reliquarum ad similitudinem huiusmodi generis arborum silua. Habent autem & radices virtutem seminis: vnde plerique ea satione incrementum sui memoris propagarunt. Magna Dei virtus in singulis. Nec miretur aliquis si in virgultis magnam Dei dixi esse virtutem. Siquidem magnam suam virtutem in locustis esse dixit & Iael. 2. bruchus, eo quod diuinæ maiestatis offensa, magno moderamine sterilitatis Iudaicæ atque inopiæ solueretur. Magna enim virtus, sapientiæ: magna virtus, prouidentia. Indigni etenim erant, qui vrentur fœcunditate terrena, qui terrarum læserant creatorem. Et verè magnus, qui miserabili fame nefas tantæ impietatis vlcisitur. Itaque si magna virtute Dei sterilem bruchum terra generauit, quanto magis virtute magna quæ fœcunda sunt procreat? Quis pineam videns non stupeat tantam diuino præcepto artem inolitam impressamque naturæ: quemadmodum ab ipso centro distantibus licet mensuris pari assurgat glutino, quo proprios fouet fructus? Itaque per circuitum eadem species & ordo seruatur, & quidam in singulis plagis nucleorum partus exuberat, atque in orbem redit fructus gratia. Itaque in pinea ista imaginem sui natura videtur exprimere, quæ à primo illo diuino cælestique mandato privilegia accepta custodit, & partus suos quadam anhorum vice & ordine refert, donec consummatio temporis impleatur. Sed vt in hoc fructu gratā speciem sui signat, ita etiam in myricis, id est, humilibus virgultis figuram improbæ calliditatis expressit. Sicut enim duplici corde viri vbique præsto sunt, & gratiam simplicitatēque apud bonos præterdunt, & vitiosissimis glutinantur: ita etiam & in aquis & in desertis contrario quodam vsu hæc virgulta nascuntur. Vnde & Hieremias vbiu morum atque infimicera myricis comparauit.

*Hier. 17.*

*De reprehensione surditatis humani cordis, & de incomprehensibili admirandaque Dei etiam in paruis prouidentia: de primo quoque cultore vitium, & commedatione vini. CAP. XVII.*

**G**erminet (inquit) terra: & statim omni surgente germine terra completa est. Et homini dicitur, Dilige Dominum Deum tuum: & non est charitas Dei omnium infusa visceribus. Surdiora corda hominum sunt, quam dura saxorum. Terra indebitos fructus nobis ministrat, dum obsecundat auctori: nos debitum munus negamus, dum non veneramur auctorem. Vide in paruis quæ prouidentia sit Dei: & quia comprehendere non potes, mirare quomodo alia semper florentia reseruauerit, alia mutationes habere voluerit expoliationis & am-

*Deut. 7.*

ctus. Inter cana niuium, pruinas frigori, viriditatem suam arua conseruant: & cum ipsa tecta sint gelu, parvus sui tamen haud exigua speciem viriditatis obtexunt. In ipsis quoque generibus arborum quae diurnis frondibus vestiuntur, non mediocri distantia est. Seruat indumentum suum semper olea vel pinus, sed tamen folia sua saepe commutant: nec ea quasi diuturna, sed quasi succedanea praetendunt suae arboris pulchritudini, perpetui integritate vestitus vice muneris obumbrantes. Palma autem virens semper manet, conseruatione & diurnitate, non immutatione foliorum. Nam quae primò germinauerit folia, ea sine vlla substitutionis successione conseruat. Imitare ergo eam homo, ut dicatur & tibi, Statura tua similis facta est palmae. Serua viriditatem pueritiae tuae, & illius innocentiae naturalis quam à primordio recepisti, ut plantatus secus decursus aquarum, fructum tuum in tempore tuo habeas praeparatum, & folium tuum non defluat. Hanc viriditatem gratiae semper florentis in Christo secuta Ecclesia dicit. In umbra eius concupiui & sedi. Hanc praerogatiuae doni virentis acceperunt & Apostoli, quorum nec folium vquam potuit elabi, ut eorum etiam umbra curaret aegrotos. Obumbrabat enim infirmitati corporis fides mentis, & florentia merita virtutum. Mane ergo plantatus in domo Domini, ut in atribus eius sicut palma floreas, & ascendat in te gratia Ecclesiae, ut sit odor narium tuarum sicut mala, & fauces tuae sicut vinum optimum; ut inebrieris in Christo. Bene admonuit iste versiculus repetere penè intermissum, quia diximus praeepto Domini vitem etiam

Cant. 7.

Psalm. 1.

Cant. 1.

Psalm. 5.

Psalm. 91.

Cant. 7.

## S. AMBROSII HEXAEMERON LIBRI TERTII FINIS.

## Summariu quarti Libri Hexaemeron.

- A cap. I. vsque ad cap. III. instruit auditorem ad ritè intelligendum opus quarti dici.*  
*A cap. III. vsque ad cap. VI. explicat quomodo luminaria in quarto die creata sint in signa, in tempora, in dies & in annos.*  
*A cap. VII. vsque ad finem libri, exponit quomodo dicta luminaria dicantur magna, disputat de mysterio defectus lunae, & arguit hominum errores circa diem quartum.*  
 Capita quarti Libri.  
*Auditorem instruit quo quarti opus dici ritè intelligat, & inde ad solem iustitiae aciem mentis erigat: & cur quarto die sol visibilis creatus sit, explicat. Cap. I.*  
*Inchoatum sermonem continuat, docetque terrae fecunditatem non ei, sed Deo adscribendam; exponitque illud Psalmi, Fecit solem in potestatem diei, &c. Cap. II.*  
*De dubitatione quae occurrere posset circa discretionem inter diem & noctem, ac lucem & tenebras, & de solutione eiusdem. Cap. III.*  
*Quod luminaria facta sint in signa, non tamen natiuitatem, ut qualis futurus sit unusquisque qui natus sit, ex ijs discernatur. Cap. IIII.*  
*Explicato sensu litterali, quo luminaria in tempora, in dies & in annos dicuntur facta, adducitur quidam sensus mystici. Cap. V.*  
*Quod haec luminaria in eorum natura sunt magna, licet aspectui nostro exigua videantur: & circa haec pulchre digreditur. Cap. VI.*  
*Quod dicitur de magnitudine & effectibus solis, idem de magnitudine & pluribus effectibus lunae dici posse declarat. Cap. VII.*  
*De mysterio defectus & minutionis lunae: de eius quoque laude, ac derisione eorum qui eam magicis carminibus deduci posse credunt. Cap. VIII.*  
*Concluditur sermo de die quarto: redarguuntur qui ipsum diem superstitiosè cauendū consēdunt. Cap. IX.*

SANCTI

ET dixit Deus, Fiat luminaria in firmamento caeli ad illuminationem terrae, quae discernant inter diem & inter noctem: & sint in signa, & in tempora, & in dies, & in annos: & sint ad illuminationem in firmamento caeli, & luceant super terram. Et factum est sic. Et fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius in principatum diei, & luminare minus in principatum noctis: & stellas. Et posuit ea Deus in firmamento caeli, ut luceant super terram, & principatum habeant diei ac noctis, & discernant inter lucem & inter tenebras. Et vidit Deus quia bonum: & factum est vespere, & factum est mane dies quartus.

*Auditorem instruit quò quarti opus dici ritè intelligat, & inde ad solem iustitiae aciem mentis erigat: & cur quarto die sol visibilis creatus sit, explicat. CAP. I.*



VI vindemiam colligit, vasa prius quibus vinum infunditur, mundare conseruit, ne fordes aliqua vini gratiam decoloret. Quid enim prodest ponere vitem ordine, fodere quotannis, aratris sulcos ducere, putare, subrigere, adiungere vlnis, & quodam connubio copulare, si tanto labore vina quaesita, in vase coalescant? Matutinos quoque solis ortus si quis spectare desiderat, emundat oculos suos, ne quid pulueris, ne quid purgamentorum oculis eius infideat, quo intuentis hebetetur obtutus, neve aliqua caligo nebulosa corporeis visus spectantis obducat. Nobis in lectione exorietur est sol, qui antè non fuerat. Primum iam diem sine sole transiuimus: secundum sine sole transegitur: tertium sine sole confecimus: quarto die iubet Deus fieri luminaria, solem, & lunam, & stellas. Sol incipit: emunda oculos mentis homo, animique interiores obtutus, ne qua festuca peccati, aciem tui praestringat ingenij, & puri cordis turbet aspectum. Emunda aurem, ut vase sincero scripturae diuinae nitida fluenta suscipias, ne qua ingrediatur contagio. Procedit sol, magno iubare diem, magno mundum complens lumine, vaporans calore. Caue homo solam eius perpendere magnitudinem, ne nimius fulgor eius visus tuae mentis obcaeret: ut qui è regione in radium eius intendit, percusso lumine omnem subito amittit aspectum; ac nisi in ceteras partes vultum suum oculisque conuertat, aestimat se nihil videre, & intuenti munere esse fraudatum: si verò desolat obtutum, integrum sibi officium perseuerat. Caue igitur ne & tuum radius eius exoriens confundat aspectum. Et ideo prius firmamentum caeli aspice, quod ante solem factum est: terram aspice, quae antè quam sol prodiret, cepit

esse visibilis atque composita: germina eius aspice, anteriora solis lumine. Anterior rubus quam sol, antiquior herba quam luna. Noli ergo Deum credere, cui vides Dei munera esse praelata. Tres dies tractati sunt, & solem nemo quaesit, & luminis claritas abundauit. Habet enim & dies suam lucem, quae praecursor est solis. Non igitur te tanto splendore solis temerè committas. Oculis est enim mundi, iucunditas diei, caeli pulchritudo, naturae gratia, praestantia creaturae. Sed quando hunc vides, auctorem eius considera: quando hunc miraris, lauda ipsius creatorem. Si tam gratus est sol, confors & particeps creaturae; quam bonus est sol ille iustitiae: si tam velox iste, ut rapidis cursibus die ac nocte lustret omnia: quantus ille, qui vbiq; semper est, & maiestate sua complet omnia! Si admirabilis qui iubetur exire: quam supra admirationem qui dicit soli, & non exoritur, ut legimus. Si magnus est qui per horarum vices locis aut accedit, aut decedit quotidie: qualis ille, qui etiam cum se exinaniret, ut nos eum possemus videre, erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Si praestantissimus, qui obiectu terrae patitur quotidie defectus: quantae maiestatis qui ait, Adhuc semel ego mouebo terram! Illi terra abscondit, istius motum non potest sustinere, nisi voluntatis eius substantia fulciatur. Si caeco damnus est, huius solis gratiam non videre; quantum peccatori damnus, veri luminis munere defraudato, perpetuae noctis tenebras sustinere? Ergo cum vides solem, attende terram, quae antè fundata est: attende herbam feni, quae praestat ordinis privilegio: attende ligna, quae plaudunt quòd priora luminibus caeli esse coeperunt. Numquid merita feni maiora quam solis: aut numquid potior ligni praerogatiua? Absit ut insensibilia tanti muneris praefereamus ministro. Quid igitur prauidit altitudo sapientiae & scientiae Dei, ut prius inciperent ligna esse, quam illa duo mundi luminaria, & quidam caelestis oculi firmamenti, nisi vt cognoscerent omnes diuinae testimonio lectionis terram sine sole posse esse fecundam? Nam quae potuit sine sole prima rerum semina germinare, potest utique semina accepta nutrire, & proprio fotu sine calore solis partus edere. Haec igitur voce quadam suorum munerum clamat natura: Bonus quidem sol, sed ministerio, non imperio: Bonus meae fecunditatis adiutor, sed non creator: Bonus meorum altor fructuum, sed non auctor. Interdum partus meos & ipse adurit, frequenter mihi & ipse damno est, plerisque me locis indotatam relinquit. Non sum ingrata conseruo, mihi est in usum datus, mecum labori est macipatus, mecum subiectus est vanitati, mecum corruptionis subditus seruituti. Mecum congemiscit & comparturit, ut veniat adoptio filiorum, & humani generis redemptio, qua possumus & nos à seruitio liberari. Mecum assistens laudat auctorem: mecum hymnum dicit Domino Deo nostro. Vbi maior est gratia, ibi mecum

Malach. 4.

Hierem. 23.

Iob. 9.

Eccle. 1.

Philip. 2.

Ioh. 1.

Agg. 2.

Rom. 11.

Rom. 8.



*Psal. 148.*

est ei commune consortium. Vbi sol benedicit, ibi terra benedicit. Benedicunt ligna fructifera, benedicunt pecora, benedicunt volucres. In mari positus illum nauta accusat, me desiderat: in montibus illum pastor declinat, ad mea germina, ad meas festinat arbores, quibus exactuās obumbretur, ad meos fontes sitiens & lassus accurrit.

*Inchoatum sermonem continuat, docetque terre fecunditatem non ei, sed Deo adscribendam; exponitque illud Psalmi, Fecit solem in potestatem diei, &c. CAP. II.*

*Deut. 17. & Matth. 18.*

**S**ED ne oculorum tibi exiguum videatur esse testimonium, emunda aurem, admoue eam caelestibus oraculis. Duobus enim & tribus testibus stat omne verbum. Audi dicentem, *Fiant luminaria in firmamento caeli ad illuminationem terrae. Quis hoc dicit? Deus dicit. Et cui dicit nisi filio? Deus ergo pater dicit, Fiat sol: & filius fecit solem.* Dignum enim erat, vt solem mundi faceret sol iustitiae. Ipse ergo eum in lumen adduxit, ipse eum illuminauit, ipse ei donauit fundendi luminis potestatem. Factus est ergo sol: ideo & seruit, quoniam dictum est, Fundasti terrā, & permanet: dispositione tua permanet dies, quoniam verniuerſa seruiūt tibi. Etenim cui dies seruit, quomodo non seruit sol, qui factus est in potestatem diei? Quomodo non seruit luna, & stellae, quae factae sunt in potestatem noctis? Etenim quāto maiorem his gratiam creator donauit, vt aër solito amplius solis claritate respicereat, dies serenus luceat, noctis illuminatione tenebrar, per lunā stellarūque fulgorem caelum velut quibusdam floribus coronatum ignitis luminaribus micet, vt paradiso putes vernante depictum, spirantium rosarū viuis monilibus renitere: quanto igitur amplius his decoris videtur esse collatum, tanto amplius debent. Cui ideo bene à plerisque caelum ornamentum est nuncupatum, eo quod sit stellarum monile pretiosum. Atque vt sciamus quia fertilitas terrarum non calori solis adscribitur, sed diuinā indulgentiē deputatur, ait Propheta, Omnia ad te spectant, vt des illis escam in tempore: date te illis, colligent: aperiēte te manū, vniuerſa implebuntur vbertate. Et infra, Emitte spiritum tuū, & creabuntur, & renouabis faciē terrae. Et in Euangelio: Considerate volatilia caeli, quia neq; serunt, nec metunt, & pater vester caelestis paciscit illa. Non ergo sol aut luna fecunditatis auctores sunt, sed Deus pater per Dominum Iesum omnibus liberalitatem fertilitatis impertit. Pulchrē autem exposuit nobis Propheta quid sit quod ipse ait, Quia fecit Deus solē in potestatem diei, & lunam in potestatem noctis. Nam & in Psalmo, de quo supra diximus, scripsit, Fecit lunā in tempora, sol cognouit occasum suum. Cū enim dies horas suas complere cœperit, sol debitum sibi cognoscat occasum. Est ergo in diei potestate sol, & luna in potestate noctis, quae temporum vicibus obedire compellitur, & nunc impletur lumine, nunc vacuatur: licet plerique hunc locū mysticē de Christo & Ecclesia videantur accipere, quod agnouerit Christus proprii corporis passionem, qui ait, Pater, venit hora, clarifica filium tuum: vt ille occasu suo omnibus donaret vitam aeternā, qui perpetuae mortis

*Malach. 4.*

*Psal. 118. & Psal. 135.*

*Luca 12.*

*Psal. 103.*

*Ibidem. & Matth. 6.*

*Psal. 135. & Psal. 103.*

*Ioan. 17.*

tis vrgebantur occasu, & Ecclesia tempora sua habeat perfectionis & pacis. Nam videtur sicut luna deficere, sed non deficit. Obumbrari potest, deficere non potest: quia aliquorum quidem in persecutionibus discessione minuitur, vt martyrum confessionibus impleatur: & effusi pro Christo sanguinis clarificata victoriis, maius deuotionis suae & fidei toto orbe lumen effundat. Namque luna luminis immixtionē habet, non corporis, quando per vices mēstruas deponere videtur lumen quod mutuatur à sole: quod facile puro aère atque perspicuo, quando nulla eam obducta nebula caligantem facit, colligi potest. Orbis enim lunę integer manet, etsi nō similiter totus, vt pars eius effulgeat. Et qualis videri solet cū plenus est luminis, talis est magnitudine, sed per vmbra quādam lumine suo viduatus appareret. Inde cornua eius resurgunt, quia corpus eius in orbem diffunditur, & velut deficiente portione luce sinuatur.

*De dubitatione quae occurrere posset circa discretionem inter diem & noctem, ac lucem & tenebras; & de solutione eiusdem. CAP. III.*

**M**OVERE autem potest quod ait, *Fiant luminaria ad illuminationem terrae, quae discernat inter diem & inter noctem.* Quia & supra iam vbi lumen fecit, dixerat, Separauit Deus inter lucem ac tenebras, & factum est vespere, & factum est mane dies vnus. Sed consideremus quia aliud est lumen diei, aliud lumen solis & lunae, & lumen stellarum, eo quod sol ipse radiis suis fulgorem diurno lumini videatur adiungere, quod vel ortus diei potest prodere, vel occasus. Nā ante solem lucet quidem, sed non resurgit dies, qui amplius quoque meridiano sole respicendat. Quod ostendit Propheta, dicens, Et educet quasi lucem iustitiam tuam, & iudicium tuum sicut meridiem. Nō solum enim lumini, sed etiam meridiano lumini sancti iustitiam comparauit. Deinde non solum vnum signum, sed etiam duo voluit esse diurnae discretionis atque nocturnae, vt & lux discretionem faciat, & solis exortus: & iterum lucis defectus, & stellarum ortus, inter occasum diei distinguat, & noctis exordium. Nam vbi occiderit sol, manet tamen adhuc aliquid reliquiarum diei, donec tenebrę terram operiant: & tunc luna oritur, & stellae. Et de nocte quidē apertē liquet, quia luna & stellarū illuminatio noctis spatia testatur. Siquidem per diem fulgorem illum lunarem, stellarūque omnium, sol exortus abscondit. De die autem vel ipsa solis flagrantia docere nos potest, diuersam diurni luminis & solis esse naturam, & ipsam esse speciem discolorē. Simplex est enim lucis species, vt lumen præbeat. At verò sol non solum virtutē illuminandi habet, sed etiā vaporandi: igneus est enim. Ignis autem & illuminat & exurit. Vnde Dominus volens Moyſi ostendere suae operationis miraculum, quo eum ad obediendi studium prouocaret, atque ad fidem inflammaret eius affectum; in igne visus est in rubo, & rubus non exurebatur, sed tantum splendere ignis species videbatur. Alterum igitur munus ignis vacabat, alterum operabatur. Vacabat exultationis vis, operabatur illuminationis. Ideo stupebat Moyſes, quia contra naturam

*Genes. 1. sup.*

*Psal. 36.*

*Exod. 3.*

*Deut. 4. & Hebr. 12.*

*1. Cor. 6.*

*Basil. in hom. 6. in Hexaemeron.*

turam suam ignis non exurebat rubum, qui etiā vehementiorem materiā confuevit exurere. Sed Domini ignis illuminare solet, exurere non solet. At fortē dicas; Quomodo scriptum est, Ego sum ignis consumens? Bene admonuisti. Non solet consumere, nisi sola peccata. In retributionibus quoque meritorum colligimus diuidi ignis naturam; vt alios illuminet, alios exurat: illuminet iustos, exurat impios. Non eosdem quos illuminat, exurit: & quos exurit, illuminat: sed illuminatio eius inextinguibilis est ad perfunitionem bonorum, exultio vehemens ad supplicia peccatorum. Sed reuertamur ad discretionem diei ac noctis. Oriente diei lumine nox fugatur, decedente die nox infunditur. Non est enim luci societas vlla cum tenebris, siquidem naturali lege hoc Dominus in prima operatione constituit. Etenim quādo lumen fecit Deus, & discretionem fecit inter lucem ac tenebras. Denique in ipso die iam sole terris infuso, videmus vmbra vel hominis vel virgulti alicuius à lumine separari, vt mane ad occasum dirigatur, vesperi retorquetur in ortum, meridianis horis ad septentrionem inclinet: lumini tamen non confunditur atque miscetur, sed cedit & refugit. Similiter & nox cedere videtur diei, & se ab eius lumine declinare. Est enim, vt peritiores probarunt qui nobis vel aetate vel munere præcurrerunt, vmbra terrae. Naturaliter enim vmbra corpori adhæret atque adiungitur, adeo vt etiam pictores vmbra corporum quae pinxerint, nitantur exprimere, idque artis esse asserant, non intermittere vim naturae: & quasi naturalis iuris præuaricator habeatur, cuius pictura nō etiam vmbra suam exprimat. Ergo sicut in die, cū è regione solis aliquod corpus occurrit, ex ea parte qua lumine repercutitur, vmbra subsistit; sic cū decedente die è regione luminis eius aut solis terrae obiectus occurrit, obumbratur aër. Vnde liquet quod noctem faciat vmbra terrarum.

*Quod luminaria facta sint in signa, non tamen natiuitatum, vt qualis futurus sit vnusquisque qui natus sit, ex his discernatur. CAP. IIII.*

**F**ECIT ergo solem, & lunam, & stellas, & praestitit illis mensuras temporum: soli diurnas, lunae stellarūque nocturnas, vt iste augeat diei gratiam, illae vmbra tenebrarūque illuminent. *Et sint in signa, & in tempora, & in dies, & in annos.* Diuisa tempora habent, parēsq; mensuras pro mensium vicibus sol & luna cum stellis, & sunt in signa. Non possumus negare quod ex sole & luna signa aliqua colligantur. Nam & Dominus dixit, Et erunt signa in sole, & luna, & stellis. Et quærentibus Apostolis signum aduentus eius, respondit, Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellae cadent de caelo. Hæc dixit fore signa futuræ consummationis: sed conueniens debet curæ nostrae mensura seruari. Denique nonnulli natiuitatum tentauerunt exprimere qualitates, qualis futurus sit vnusquisque, qui natus sit: cū hoc non solum vanum, sed etiam inutile sit quærentibus, impossibile pollicentibus. Quid enim tam inutile, quā vt vnusquisque persuadeat sibi hoc esse quod natus est? Nemo ergo debet vitam suā, statum,

morēque mutare, neque eniti quod melior fiat. Sed in ea persuasionē neque probum potes laudare, nec condemnare improbum, cū necessitati natiuitatis suae respondere videatur. Et quomodo Dominus aut bonis præmia proposuit, aut improbis pœnas, si facit necessitas disciplinam, & conuersationem stellarum cursus informat? Et quid est aliud quā hominem de homine exuere, si nihil moribus, nihil institutioni, nihil studiis derelinquitur? Quā multos videmus ereptos criminibus atque peccatis in meliorem statum esse conuersos! Redempti sunt Apostoli, & congregati ex peccatoribus: non vti que natiuitatis suae hora, sed Christi eos sanctificauit aduentus, & hora Dominicae passionis redemit à morte. Latro ille damnatus, ille cum Domino crucifixus, non beneficio natiuitatis suae, sed fidei confessione ad paradisi aeterna tranſiuit. Ionam in mari non vis natiuitatis, sed dissimulatae diuinae præceptionis præcipitavit offensa, eundemque catus excipiens, ad iudicium futuri mysterij post triduum reuouit, & propheticae merito gratiae referuauit. Petrum de carcere imminenti morte perimendum angelus Christi, non stellarum series liberauit. Paulum cæcitas conuertit ad gratiam, & percussus à vipera, turbatumque naufragio, non remedia natiuitatis, sed deuotionis merita seruaerunt. Quid de illis dicimus, qui eorū precibus, cū fuissent mortui, reuixerunt? Vtrū illos sua natiuitas, an apostolica gratia suscitauit? Quid opus fuit, vt se ieiuniis periculisque committerent, si quod volebāt, natiuitatis beneficio poterant peruenire? Quod si credidissent, dum expectant factorum necessitatem, numquam ad tantam peruenissent gratiam. Inutilis igitur ista persuasio. Quid quod etiam impossibilis? Nam vt de eorum aliquid disputatione sumamus redarguendi gratia, non probandi, magnam vim dicunt esse natiuitatis, eamque minutis quibusdam & certis colligi oportere momentis: ac nisi verius colligatur, summam esse distantiam, breui enim atomo, exiguoque momento distare natiuitatem inopis & potentis, egentis & diuitis, innocētis & noxij; & plerumq; eadem hora generari lōgæuitati debitū, & prima pueritiae aetate moriturū, si reliqua disparia sint, & aliquo puncto discreta. Hoc quemadmodum possint colligere, respondeant. Constitue partem foeminae. Obstetrix vti que eum primò recognoscit, explorat vagitum, quo nati vita colligitur: attendit vtrū masculus sit, an foemina. Quot vis inter has moras præterire momenta? Pone mathematicum præparatum. Numquid potest vir interesse puerperio? Dum mādāt obstetrix, audit Chaldaeus, ponit horoscopus, in alterius sortem iam nati fata migrarunt: de altero quæritur, & alterius genitura proponitur. Pone veram esse eorum opinionem de natiuitatum necessitatibus, non potest vera esse collectio. Puncta transeunt, fugit tempus irreparabile. Non est dubiū quod tempus in atomo, & momento oculi sit: adducor vt credā, quando omnes in atomo, in momento, in ictu oculi resuscitatur, vt Apostolus protestatur, dicens, Ecce mysterium vobis dico. Omnes quidem resurgemus, non omnes autem immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba (canet enim tuba) & mortui resurgent incorrupti, & nos

*Luc. 23.*

*1. Ion. 1.*

*Matth. 12. & Act. 12.*

*Act. 9. 28. & 1. Cor. 27.*

*1. Cor. 15.*

aquam quæ in profundo est, viderint refulgere. Esse autem dicuntur in meridiano qui ἀμείνωτοι vocantur, eo quod vmbra ex vtroque latere transmittant. Vmbra enim è regione solis ambulatibus post tergum est; vtpota si contra Orientem pergas matutinis horis: si contra meridianam plagam contendas medio die: si contra Occidentem in occasu diei. Ex tribus igitur partibus fit tibi sol obuius, ex Oriente, ex Meridiano, ex Occidente. Manè & serò post tergum est, meridiè quoque: at verò à Septentrione nunquam est sol, & ideo vmbra si contra Septentrionem dirigas, siue mane, siue serò, siue meridiè, non potest esse post tergum. Soli sunt enim in hoc quem nos incolimus orbe terrarū, circa meridiem positi qui in Australem plagam videantur vmbra transmittere. Hoc autem fieri dicitur summo æstu, cum ad Aquilonem sol dirigit. Postea nos autumnus excipiens, infringit quidem æstuum magnitudinem, sed paulisper relaxato ac deposito calore per temperiem medijs moderaminis, sine fraude nos atque vlla noxa flatibus tradit hyemalibus. *Sint* (inquit) & in dies. Non vt faciant dies, sed vt in eis habeant principatum, vt ortum diei vberiore sol illuminet gratia, vt per totum diem designandi habeat eius potestatem cursus sui munere. Sic accipiunt nonnulli quod ait Propheta, Solem in potestatem diei, lunam & stellas in potestatem noctis. Circumferunt enim lumen. In annos quoque ordinati sunt sol & luna: luna per tricenos dies duodenis vicibus cursum conficiens, consummat annum secundum Hebræos, aliquibus diebus adiectis secundum Romanos biffexto semel intra quinquennium vnus diei adiectione celebrato, Solstitialis quoque annus est, cum sol expicto per omnia signa circuitu, in id vnde principium cursus sui sumpsit, recurrit. Annua enim fertur ei totius spatij esse perfunctio.

*Psal. 135.*

*Quod hæc luminaria in eorum natura sunt magna, licet aspectui nostro exigua videantur: & circa hæc pulchre digreditur.*

*CAP. VI.*

**F**ERT ergo Deus hæc duo luminaria, quæ magna possumus accipere, non tã aliorum cõparatione magna, quàm suo munere, vt est cælū magnū, & mare magnū. Nam & magnus sol, qui cõplet orbē terrarum suo calore, vel luna suo lumine: nec solum terras, sed etiam aërem hunc & mare, cælūque faciē. Quæ in quacumque parte fuerint cæli, illuminant omnia, & æquè spectantur à cunctis, vt ea tamquam suis tantum regionibus immorari, & sibi tantum adesse atque lucere singuli populi credant, cum similiter luceant vniuersis, vt nemo his propiorem alium quàm ipse est, arbitretur. Exemplum magnitudinis eorū euident, quod omnibus hominibus orbis lunæ idem videtur. Nam etsi interdum augeatur lumen eius atque minuatur, tamen eadem nocte qualis mihi apparet, talis & omnibus. Nam si longè positis minor videretur, propius constitutis maior refulgeret, & proderet angustiariū & exiguitatis indicium. Erenim reliqua alia longè positi minora arbitramur, propius contuētes maiora credimus: quo magis finitimus fueris, eo tibi eius rei quam cernis, magnitudo cumulatur. Solis orbis nulli propior, nulli lōginquior est: similiter & lunæ globus æqua-

lis est omnibus. Similis sol & Indis & Britannis eodem momēto videtur. Nec cum vergit in occasum, minor apparet Orientalibus quàm Occidentalibus: nec Occidentalibus cum oritur inferior, quàm Orientalibus, æstimatur. Quantum distat, inquit, Orientalibus, æstimatur. Quantum distat, inquit, Orientalibus, æstimatur. Quantum distat, inquit, Orientalibus, æstimatur. Sed sol à nullo distat, nulli præsentior, nulli absentior est. Neque te moueat quod tamquam cubitalis tibi orbis videatur solis, sed considera quantum intersit spatij inter solem & terras, quod aspectus nostri infirmitas sine magno sui non potest transire distendit. Caligat aspectus noster, numquid sol caligat, aut luna? Angustus noster obtutus, numquid ideo angustiora efficit quæ videntur? Species minuitur, non magnitudo detrahitur. Neque enim infirmitatis nostræ passiones passioni luminarium debemus adscribere. Mentitur noster aspectus. Noli ergo fidele æstimare eius iudicium. Fit cælestium minor spectaculi figura, non sui forma. De summo vertice montium si subiectum oculis tuis campum spectare desideras, atque illic armenta pascentia, nōnne formicarum similia corpora iudicabis? Si mare spectes è specula aliqua litorali, nōnne tibi nauium maxime velis candentibus refulgentes inter caruleos fluctus, velut columbarum volitantium speciem eminus posito videntur obtexere? Quid ipsæ Insulæ, quæ mare diuidunt, terrarum arua diffundunt, quàm angusto æstimantur sine concludi? quemadmodum rotunda apparent de asperis, spissa de rarioribus? Has ergo infirmitates visus tui perpende: & eorum quæ adstruimus fidem, ex teipso arbiter iustus accersi. Si vis magnitudinem solis non solum oculo mentis, sed etiam corporis æstimare, considera quāti stellarum globi axem cæli videantur intexere, & innumeris insignire luminibus: non queunt tamen tenebras noctis & cæli nubila detergere. Simul vt sol ortus sui signa præmiserit, omnes stellarum ignes sub vnus luminaris fulgore vaneant, aperitur aër, cælūque facies purpurascēti rubore perfunditur. Adhuc spirans exordium, & iam momentanea celeritate pleni luminis micat splendor, & surgentis solis præuia aura dulcis aspirat. Dic mihi quæso, nisi magnus orbis esset, quomodo magnum posset orbem illuminare terrarum? Quid autem loquar de tanto temperamento & moderamine conditoris, qui eam mensuram muneris solis attribuit, vt neque vapor eius igneus, vt videtur, terrarū venas, rerūque species infusus exureret: neque iterum per tanta mundi spatia refrigeratus, nullum terris semen caloris inoleret, sed ieiunam atque inopem fructuū derelinquens, ad nullam fertilitatis gratiam vaporaret?

*Quod dicitur de magnitudine & effectibus solis, idem de magnitudine & pluribus effectibus lunæ dici posse declarat.*

*CAP. VII.*

**S**IMILIA de lunæ ratione cõueniunt, quæ de sorte eius ac fratre memorauimus. Siquidē in id se induit ministerium, in quod & frater: vt illuminet tenebras, foueat semina, augeat fructus. Habet etiā pleraque à fratre distincta, vt quem toto die calor humorē terræ exiccat, eundē exiguo noctis tempore ros reponat, nam & ipsa luna larga roris afferitur. Denique cum sereniore nox est, & luna pernox,

*Psal. 102.*

*CANT. 5.*

*Basilium hom. 6. in Hexaemeron.*

*LUC. 21.*

tunc largior ros fertur arua perfundere. Et plerique sub aëre quiescentes, quo magis sub lumine fuissent lunæ, eo plus humoris se capite collegisse senserunt. Vnde & in Canticis Christus dicit ad Ecclesiam, Quoniam caput meum repletum est rore, & crines mei guttis noctis. Tum deinde minuitur & augetur, vt minor sit cum resurgit noua: & cum sit imminuta, cumuletur. In quo grande mysterium. Nam & defectui eius compatiuntur elementa, & processu eius, quæ fuerint exinanita, cumulantur, vt animantium cerebra, & maritimorum humida. Siquidem pleniore ostrea reperiri feruntur, multaque alia, cum globus lunaris adolescit. De arborum quoque internis idem allegant qui hoc vsu proprio compererunt. Videmus ergo ortum eius & defectum, rationis esse, non infirmitatis. Numquam enim tantum rebus mutationem daret, nisi præstantem virtutem haberet, & gratiam à conditore collatam. Aërem quoque nonnulli etiam docti & Christiani viri allegauerunt lunæ exortu solere mutari: sed si id mutationis lunaris quadam fieret violentia, ad omnes ortus eius obtexeretur nubibus cælum, pluuia funderetur. Denique cum ante hos dies esset sermo de pluuia, quæ fore vtilis diceretur, ait quidam: Ecce neomenia dabit eam. Et quamuis cupidi essemus imbrium, tamen eiusmodi assertiones veras esse nolebam. Denique delectatus sum quod nullus imber effusus est donec precibus Ecclesiæ datus, manifestaret non de initiis lunæ sperandum esse, sed de prouidentia & misericordia creatoris. Sanè Euripi cum exundent vndique secundum reliquas species lunæ, & acceptos fluctus refundant, vel etiam ipsi magno ferantur impetu: in ortu tamen eius stant placidi, quoadusque luna sine lumine est. At verò vbi eam dierum accessus repperit, tunc in suos cursus refluos reuertuntur. Ampotis quoque, quæ in Oceano esse perhibetur, cum reliquis diebus ordinem suum feruare dicatur, lunari exortu euidentis mutationis suæ fertur indicium dare: vt mare ipsum occidentale, in quo spectatur Ampotis, solito amplius accedat ac recedat, & maiore æstu feratur, tamquam lunæ quibusdam aspirationibus retrorsum trahatur, & iterum iisdem impulsu in mensuram propriam refundatur.

*De mysterio defectus & minutionis lunæ: de eius quoque laude, ac derisione eorum qui eam magicis carminibus deduci posse credunt.*

*CAP. VIII.*

**V**ND E si miraris quomodo defectum luna patiatur, cum tantam vim mutationis habeat suæ: considera & in eo magnum esse mysterium, quod eius exemplo cognoscis, ô homo, nihil rerum humanarum, & mundanæ totius creaturæ esse posse quod non aliquando resoluatur. Nam si etiam luna, cui tantum Dominus commisit ministerium, vt illuminet orbem terrarum, & crescit & deficit, quia omnia ex nihilo orta vsque ad perfectionem venerunt, & iterum perfecta minuuntur: cælum enim & terra præteribunt; cur non id moderationis assumimus, vt neque in aduersis abiiciamus animum (qui enim omnia fecit ex nihilo, facile te quoque potens est ad summa & perfecta prouehere) & rursum non extollamur in prosperis, neque in potestate ali-

qua nos diuicijsque iactemus, neque in viribus corporis aut pulchritudine gloriemur, in quo est facilis corruptio, crebra mutatio; sed manentem in futurum animi gratiam persequamur? Nam si te lunæ contristat occasus, quæ se semper reparat ac reformat: multo magis contristare te debet si anima profectu virtutis impleta cum fuerit, postea per inconstantiam mentis atque incuriam à suo deflexa proposito, studia sua sæpe commutet, quod est insipientiæ & inscientiæ. Vnde & scriptura ait, Stultus vt luna mutatur. Et ideo sapiens non cum luna mutatur, sed permanebit cum sole. Vnde non luna est particeps stultitiæ, quia non luna mutatur vt stultus, sed stultus vt luna. Denique semen iusti sicut luna perfecta in æternum manet, & testis in cælo fidelis. Aliud enim est fungi ministerio, aliud circumferri ingenio, & sensus infirmitate fixam non habere sententiam. Luna pro te laborat, & propter voluntatem Dei subdita est. Vanitati enim creatura subiecta est, non sponte, sed propter eum qui subiecit in spe. Illa ergo non sponte mutatur, tu sponte mutaris. Illa congemiscit & comparturit in sua mutatione: tu non intelligis, & gratularis frequenter. Illa tuam redemptionem expectat, vt à communi totius creaturæ seruitio liberetur: tu & tuæ redemptioni, & illius libertati affers impedimentum. Tuæ ergo, non suæ stultitiæ est, quod dum tu expectaris, & nec serò conuerteris, adhuc & illa mutatur. Noli ergo lunam oculo tui corporis æstimare, sed mentis viuacitate. Minuitur luna vt elementa repleat. Hoc est verè grande mysterium. Donauit hoc ei qui omnibus donauit gratiam. Exinaniuit eam vt repleat, qui etiam se exinaniuit vt omnes replet. Exinaniuit enim se vt descenderet nobis: descendit nobis, vt ascenderet omnibus. Ascendit enim, inquit, super omnes cælos, vt impleret omnia. Itaque qui exinaniuit aduenerat, de plenitudine sua Apostolos adimpleuit. Vnde vnus ex his dicit, Nam de plenitudine eius omnes nos accepimus. Ergo annuntiauit luna mysterium Christi. Non mediocris, in qua signum posuit suum: non mediocris, quæ typum dilectæ habet Ecclesiæ: quod significat Propheta, dicens, Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis donec extollatur luna. Et in Canticis Dominus de sua sponsa ait, Quænam est hæc prospiciens tamquam diluculū, speciosa sicut luna, electa vt sol? Et merito speciosa sicut luna Ecclesia, quæ toto mundo refulsit, & tenebras sæculi huius illuminas dicit, Nox præcessit, dies autē appropinquauit. Pulchre ait, Prospiciens, quasi suos de superiore prospectans, sicut habes, Dominus de cælo prospexit super filios hominum. Prospiciens ergo Ecclesia, sicut luna defectus habet & ortus frequentes: sed defectibus suis creuit, & his meruit ampliari, dum persecutionibus minuitur, & confessorum martyrijs coronatur. Hæc est vera luna, quæ de fraterni sui luce perpetua lumen sibi immortalitatis & gratiæ mutuatur. Fulget enim Ecclesia nō suo, sed Christi lumine, & splendore sibi arcessit de sole iustitiæ, vt dicat, Viuo autem iam non ego, uiuit autem in me Christus. Beata planè, quæ tantum insigne meruisti. Vnde te non tuis neomeniis, sed typo Ecclesiæ beatam dixerim. In illis enim seruis, in hoc diligeris. Quàm ridiculum

*Eccle. 17. Psal. 71.*

*Psal. 88.*

*Rom. 8.*

*Philip. 2. Ephes. 4.*

*1 Pet. 1.*

*Psal. 71.*

*CANT. 6.*

*Rom. 13. Cant. 2.*

*Psal. 113.*

*CANT. 1.*

*Galat. 2.*



autem quod te plerique credunt homines magicis G  
carminibus posse deduci: Aniles istæ fabulæ, ac vul-  
gi opiniones. Quis enim opus Dei tanto ministerio  
deputatum, arbitretur Chaldæis superstitionibus  
posse tentari? Lapsus sit ille, qui se transfiguratur in an-  
gelum lucis, & deductus voluntate propria, non car-  
minum potestate. Sanè & in hoc quasi Ecclesia pu-  
taris posse de loco tuo & statione deduci. Multi ten-  
tant Ecclesiam, sed magicæ artis ei carmina nocere  
non possunt. Nihil incantatores valent, ubi Christi  
canticum quotidie decantatur. Habet incantato-  
rem suum Dominum Iesum, per quem magorum  
incantantium carmina, & serpentum venena eua-  
cuauit: & ipsa sicut serpens exaltatus, deuorat colu-  
bros Ægyptiorum. Ferale licet carmen immurmur-  
ret, hebetatur in Christi nomine. Sic & Elymā ma-  
gum Paulus non solum magicæ artis infirmitate, sed  
etiam oculorum amissione cæcauit. Sic Petrus Si-  
monem alta cæli magico volatu perentem, dissoluta  
carminum potestate deiecit & strauit.

Concluditur sermo de die quarto: redarguuntur qui ipsam  
diem superstitiose cauendum contendunt. CAP. IX.

S. AMBROSII HEXAEMERON LIBRI QUARTI FINIS.

Summarium quinti Libri Hexaemeron.

A cap. I. usque ad cap. XI. agit de piscibus & aliis ex aqua productis, & de eorum naturis & proprietatibus, & quedam ad sensus mysticos redigit.

A cap. XII. usque ad cap. XXIII. agit de auibus, & earum generibus & proprietatibus, & refert multa ad mores hominum.

In cap. XXV. & ultimo, pia ad Deum precatio claudit librum de opere quinti diei.

Capita quinti libri.

Continuat dictis præsentia, agit de obedientia aquarum ad producendum diuersa animantium genera: redarguit hominem, qui sibi datis non contentus, interdicta alimenta gustauit: & reptilia quæ dicantur, exponit. Cap. I.

De virtute huius sermonis, Producant aquæ reptilia: & quod multo plura in mari quàm in terra sint: de singulari quoque aquarum gratia, quæ ex uiuentibus in ipsis declaratur. Cap. II.

De multis ac diuersis piscium generibus & usibus: de pietate, puritate, & pudicitia ipsorum, ac redarguuntur homines hanc naturæ puritatem labefactantes. Cap. III.

De bonitate matris aquæ in pisces suos, ut ex hoc discatur quæ sit parentis & filiorum necessitudo: quodque propria natura, specialis usus, ac separata quædam à cæteris uiuendi substantia sit piscium. Cap. IIII.

Piscibus dentes cur densi, & cur in eis minorem maior inuadit: & quod ex eis humana vitæ præbetur exemplum. Cap. V.

Quod homo sit piscis: unde homines in Euangelio boni & mali pisces dicuntur: quod bonus piscis hamum, retia, ac sinum Petri non timeat. Cap. VI.

Quod mare designat Euangelium, super quod fundata est Ecclesia: quod coniuges mutuo se compati debent, exemplo viperæ, & circa id digreditur. Cap. VII.

Describit polypti & cancri naturam, quæ hominem instruit, ut propriis contentus, nec alios circumueniat, nec aliena inuadat. Cap. VIII.

De præsentia echini maritimi, futuram tempestatem aut tranquillitatem nauigantibus prænuntiantis; & unde tam exiguum animal hoc munus acceperit: ac de indulgentiæ Dei creatoris ingenti præconio. Cap. IX.

Quod unumquodque genus piscium præscripta sibi habeat domicilia, cum increpatione humanæ auaritiæ:

qua

qua ratione etiam quedam genera quandoque mutant loca, & unde hoc habeant ingenium: de speciali-  
bus quoque aliquorum piscium virtutibus. Cap. X.

De piscibus & aliis quæ in Atlantico mari nascuntur aut fiunt: cum conclusione sermonis de piscibus. Cap. XI.

Expleto de piscibus sermone, de auibus negotium eleganter aggreditur. Cap. XII.  
Dicturus de auibus, ut aptius dicendis dicta connectat, de iis primò sibi agendum putat, quæ versantur cir-  
ca aquas. Cap. XIII.

Reddit rationem cur post sermonem de piscibus, agat de auibus quæ versantur circa aquas, & inde de plu-  
ribus earum generibus & differentiis differit. Cap. XIII.

Exorditur sermonem de gruibus, de quibus differit quomodo sollicitam exerceant custodiam, & volantes  
seruent ordinem, exemplumque exercendæ politiæ præbuerint hominibus: de statu antiquæ reipublicæ,  
& de causa humane incuriæ. Cap. XV.

De ciconiis, quemadmodum proficiantur quò pergendum putant: qualiter etiam à cornicibus dedu-  
cantur, atque adiuentur in bellis: & de earundem cornicum commendabili hospitalitate, humanæ-  
que negligentia increpatione: de illarum quoque erga patres suos pietate, & nostræ impietatis nota-  
tione. Cap. XVI.

De hirundinis materna sedulitate, industria ac pietate in filios: de commendatione præterea paupertatis  
ipsius, & molestia atque improbitate nostra, cum paupertas, inopia vel indigentia nobis occurrerit.  
Cap. XVII.

Ut ex usu & pietate cornicum discant homines amare filios: & de seminarum nostri generis, patrumque  
in filios impietate: & hinc de excusatione accipitrum & aquilarum, qui duram aduersus fetus suos fe-  
runtur habere inclementiam: de pietate quoque fulicæ, quæ abdicatum aquilæ pullum cum sua prole cõ-  
nectit & nutrit. Cap. XVIII.

De turturis viduitate, exhortationeque mulierum, ut discant quanta sit viduitatis gratia, quæ etiam in a-  
uibus prædicatur. Cap. XIX.

De natura & proprietate vulturum, quæ cum absque maris concubitu generent, insinuant non fuisse im-  
possibile beatam Virginem sine viro peperisse. Cap. XX.

De natura & admiranda industria ac diligentia apum, quæ velut quandam rempublicam curare videtur:  
Cap. XXI.

Redit ad explicationem textus, describit aues iuxta corporis speciem: & agit de cygno, cicada, & apibus.  
Cap. XXII.

Describit, ad mores hominum instituendos, naturam vermis Indici, chamaleontis, leporis, locustæ, & se-  
leucis. Cap. XXIII.

De natura & proprietatibus auium nocturnarum, videlicet lusciniæ, noctuæ, vespertilionis, & galli, qua-  
rum usu & exemplis admonemur & instruimur. Cap. XXIIII.

Cum prece & gratiarum actione Deo claudit sermonem de opere quinti diei. Cap. XXV.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS HEXAEMERON LIB. V.

AGENS DE OPERE QVINTI DIEI.

ET dixit Deus, Producant aquæ te-  
ptilia animarum uiuentium secundum  
genus; & volatilia volantia super ter-  
ram secundum genus, secus firmamen-  
tum cæli. Et factum est sic. Et fecit Deus  
cæte grandia, & omnem animam repti-  
lium animalium, quæ produxerunt aquæ

secundum genus, & omne volatile pen-  
narum secundum genus. Et vidit Deus quia  
bona: & benedixit eis Deus, dicens, Crescite,  
& multiplicamini, & replete aquas quæ in  
mari: & volatilia multiplicentur super ter-  
ram. Et factum est vespere, & factum est ma-  
ne dies quintus.

S. Ambr. tom. I.

d

2. Cor. II.

Num. 21.  
Ioh. 5.  
Exod. 7.  
Act. 13.  
Egegesip. lib.  
3. cap. 2.

Virg. lib. I.  
Georgic.



Continuat dicitur presentia: agit de obedientia aquarum ad producendum diuersa animantium genera: redarguit hominem qui sibi datus non contentus, interdicta alimenta gustauit: & reptilia quae dicantur exponit.

CAP. I.



**T**ERRA diuersis vestita germinibus crebat omnis, caelum quoque sole & luna geminis vultus sui luminibus, stellarumque insignitum decore fulgebatur. Supererat elementum tertium, mare scilicet, vt & ipsi gratia viuificationis diuino proueniret munere. Aethereo enim spiritu omnes terrarum foetus aluntur. Terra quoque semina resoluens, vniuersa viuificat: & maxime tunc primum verbo Dei iussa viridescere, viuificationis suae munere pullulabat. Vacabat aqua, & a diuinae operationis feriat beneficio videbatur. Habet adhuc creator quod illi conferat, quod munia terrarum possit aequare: referuabat ei, vt & ipsa proprium sibi, & speciale aliquid prerogatiuae collati sibi muneris vendicaret. Viuificabat prius terra, sed ea quae spirantem animam non habebant. Aqua iubetur ea producere quae viuientis animae vigorem dignitatemque praeferrent, & sensum tuendam salutis, & fugiendae mortis acciperent. Dixit itaque Deus, *Producant aquae reptilia animarum viuientium secundum genus, & volatilia volantia super terram, secus firmamentum caeli.* Venit mandatum, & subito aqua iustos fundebatur in partus: generare fluuij, viuificare lacus, mare ipsum coepit diuersa reptilium genera parturire, & secundum genus effundere quodcumque formauerat. Non exigui gurgites, non cenosa paludes vacabant, quin omnia datam sibi creandi assumerent potestatem. Pisces exilabant de flumine, delphines praerulebant in fluctibus, conchae saxi, ostreae adhaerebant profundis, adolescebant echini. Vae mihi, ante hominem coepit illecebra, abundantia copiosum, nostrae mater luxuriae. Ante hominem deliciae. Prior ergo hominum tentatio quam natura. Sed nihil natura deliquit: alimenta dedit, non vitia praescripsit. Haec tibi communia dedit, ne aliqua velut propria vendicares. Tibi suos fructus terra producit, tibi scaros & accipenser, & omnes foetus suos generant aquae: & his non contentus, interdicta tibi alimenta gustasti. Ad inuidiam tuam omnia congeruntur, vt praeruaricatio tuae auiditatis oneretur. Sed neque quam multae species & nomina sint, possumus enarrare, quae omnia momento diuinae praerceptionis animata sunt. Simul coibat forma corporis, & operabatur anima, vitalis etiam vigor reliqua virtutis. Repleta erat terra germinibus, mare impletur animantibus. Ibi insensibilia pullulabant, hinc sensibilia versantur. In terris quoque aqua suas sibi vendicat portiones. Lambunt terram pisces aquarum, & ex ea sibi praedam requirunt. Culices quoque & ranunculi circa genitales strepunt paludes, & ipsae audierunt Domini mandatum, dicentis, *Producant aquae reptilia animarum viuientium.* Scimus reptilia dici genera serpentium, eo quod super terram repant: sed multo magis omne quod natat, reptandi habet vel speciem vel naturam. Nam et si in profundum cum se demerferint, aqua videatur fin-

dere: tamen cum supra innatant, repunt toto corpore, quod trahunt super quaedam dorsa aquarum. Vnde & Dauid ait, Hoc mare magnum & spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus. Quinetiam cum pleraque pedes habeant, & ambulandi usum, eo quod sint amphibia, quae vel in aquis vel in terris viuunt, vt sunt focae, crocodili, equi fluuiales, quos hippopotamos vocant, eo quod hi generentur Nilo in flumine: tamen cum in alto aquarum sunt, non ambulant, sed natant: nec vestigio vtuntur pedibus ad incedendum, sed tamquam remo ad reptandum. Siquidem & nauis acta remis labitur, & aquas sulcat carina.

*De virtute huius sermonis, producant aquae reptilia, & quod multo plura in mari quam in terra sint: de singulari quoque aquarum gratia, quae ex viuientibus in ipsis declaratur.* CAP. II.

**P**roducant aquae reptilia, dixit Dominus. Breuis sermo, sed vehemens, & late patens, communem minimis & maximis naturam infudit. Eodem momento producitur balena, quo rana: eiusdem vi operationis nascitur. Non laborat in maximis Deus, non fastidit in minimis. Nec doluit natura parturiens delphinas, sicut non doluit cum exiguos murices cochleasque produceret. Aduerte o homo, quanto plura in mari quam in terris sint. Numera si potes omnia piscium genera, vel minorum, vel etiam maximorum: sepias, polypos, lithostracos, carabos, cancos, & in his innumerabilia sui generis. Quid dicam genera serpentium, dracones, muranas, anguillas? Nec praermitam scorpiones, ranas, testudines, mustelas quoque, & canes, vitulos, cetera immania, delphinas, focas, leones. Quid attexam etiam merulas, turdos, pauos quoque, quorum etiam colores in auiibus videmus expressos: vt nigri merule, paui diuerso colore dorsa & colla depicti sint, turdi aluo varij, & cetera quorum sibi terrae species & nomina vendicarunt? Nam prius in mari ista coeperunt, diuersisque fluminibus. Siquidem aqua prior animarum viuientium reptilia diuino nutu imperata produxit. Adde hanc gratiam, quod ea quae timeamus in terris, amamus in aquis. Etenim noxia in terris, in aqua innoxia sunt: atque ipsi angues sine veneno. Leo terribilis in terris, dulcis in fluctibus. Murana, quam ferunt aliquid habere noxium, esca pretiosior est. Rana horrens in paludibus, decora in aquis, omnibus ferere praestat alimentis. Plura si quis vult cognoscere, a diuersis locorum piscatoribus quaerat. nemo enim potest omnia comprehendere. Canes sane & in mari caue, quos & in Ecclesia molestos esse & cauedos Apostolus docet, dicens, *Cauete canes, cauete malos operarios.* Mustelae grauis in terris odor, in aquis suavis. Terrena se nouit vindicta foetoris vlcisci: haec non minorae habet gratiam captam, quam liberam. Neque te inhonoratum nostra prosecutione thymalle dimittam, cui a flore nomen inoleuit: seu Ticini te fluminis, seu amoeni Atefis vnda nutrierit, flos es. Denique sermo restatior, quod de eo qui gratiam redolet suauitatem, dictum faceret sit, *Aut piscem olet, aut florem: ita idem pronuntiatum est piscis odor esse qui floris.* Quid specie tua gratius? Quid suauitate

te iucundius? Quid odore fragrantius? Quod mella fragrat, hoc tu corpore tuo spiras. Quid loquar coruorum, quid etiam luporum teneritudines? Nescit hos lupos agnus timere. Tanta est aquarum gratia, quarum vituli iunguntur & leones, vt his propheticum illud dictum de Ecclesiae sanctitate iure conueniat: *Tunc lupi & agni simul pascentur, leo & bos simul paleas manducabunt.* Nec mirum, quandoquidem etiam in Ecclesia aquae illud operantur, vt praedones abluta nequitia cum innocentibus comparentur. Quid etiam purpuras memorem, quae ornant regum conuiuia, amictus imbuunt? Aquarum est igitur quod in regibus adoratur: aquarum est species illa quae fulget. Adde porcos etiam Iudaeis gratos: quia nihil est commune quod non aqua abluat, & ideo communes eos sicut in terra editos aestimare non possunt.

*De multis ac diuersis piscium generibus & visibus: de pietate, puritate, & pudicitia ipsorum: ac redarguuntur homines, hanc naturae puritatem labefactantes.* CAP. III.

**I**nnumerataque usus, innumera genera piscium. Alij oua generant, vt ij quos tructas vocant, & aquis fouenda committunt. Aqua igitur animat & creat, & adhuc mandati illius primi tamquam legis perpetuae munus exequitur, blanda quaedam mater animantium. Alij viuos foetus edunt de suo corpore, vt mustela, & canicula, & cetera ingertia, delphines & focae, aliaque: cetera huiusmodi. Quae cum ediderint partus, si quid forte insidiarum terroris, praesenserint circa catulos suos quaequam moliri, quod tueantur eos, vel tenerae atatis pauorem materno affectu comprimant, aperire ora, & innoxio partus suos dente suspendere, interno quoque recipere corpore, & genitali feruntur aluo abscondere. Qui humanus affectus hanc piscium pietatem possit imitari? Oscula nobis fatietati sunt, illis non satis est aperire viscera, natosque recipere, ac reuocare integros, atque iterum fotu quodam eos sui caloris animare, & spiritu alere, duosque in corpore vno viuere, donec aut securitatem deferant, aut corporis sui obiectu natos suis defendant periculis. Quis haec videns, et si possit obtinere, non tantae piscium pietati cedat? Quis non miretur & stupeat? Seruat natura in piscibus, quod non seruat in hominibus. Pleraque ex suspitione nouercalibus odiis appetitos suos occiderunt filios: aliae in fame, vt legimus, partus proprios comederunt. Humanis pignoribus mater sepulchrum facta est: piscium proli parentis est vterus sicut murus: vallo quodam interiorum viscerum pignora inoffensa conseruat. Diuersa igitur piscium genera diuersos usus habent. alij oua generant, alij viuos pariunt atque formatos. Et qui oua generant, non nidos texunt vt aues, non diuturni fotus labore induunt, nec cum molestia sui nutriunt. Cecidit ouum, quod aqua gremio quodam naturae suae quasi nutrix blanda suscepit, & animal celeri fotu reddidit. Continuo enim tactu parentis animatum ouum cecidit, & piscis exiuit. Tum deinde quam pura & inuiolata successio! Nullus alteri, sed generi suo miscetur: thymallus thymallo, lupo lupo. Scorpena quoque castitatem immaculati connubij generi suo seruat,

Itaque habet pudicitiam generis sui, sed venenum generis sui non habet. non enim percutit scorpena, sed reficit. Nesciunt igitur alienigena pisces aut adulterina contagia, sicut sunt ea quae cocunte asinorum equarumque inter se genere, magna cura hominum perpetrantur: vel rursus cum equis asinae miscetur: quae sunt vera adulteria naturae. Na vtique, maius est quod in naturae colluionem committitur, quam quod in personae iniuriam. Et homo ista procuras, interpret adulterij sumetalis: & illud animal pretiosius putas, quod adulterinum, quam quod verum est? Ipse genera aliena confundis, diuersaque misces semina, atque ad vitios coitus plerumque cogis inuitos, & hoc industriam vocas? Hoc quia de hominibus facere non potes, vt diuersi generis commixtio foetum possit excudere, tollis homini quod natus est, & virum de viro exuis: abscessaque corporis parte sexum negas, spandone efficis: vt quod negauit natura in hominibus, impleret audacia.

*De bonitate matris aquae in pisces suos, vt ex hoc discatur, quae sit parentis & filiorum necessitudo: quodque propria natura specialis usus, ac separata quadam a ceteris viuendi substantia sit piscium.* CAP. IIII.

**Q**uam bona autem mater sit aqua, etiam hinc considera. Tu o homo, docuisti abdicaciones patrum in filios, separationes, odia, offensas: discere quae sit parentis & filiorum necessitudo. Viuere pisces sine aqua non queunt, nec a sui parentis consortio separari, neque a suae altricis discerni munere: & fit hoc natura quadam, vt separati moriantur illico. Neque enim vt omnia huius aeris vitant spiramine, quia hauriendi spiritus & respirandi natura his non suppetit: alioquin sub aquis semper non possent viuere, non capientes spiritus infusionem. Quod est nobis spiritus, illis est aqua. Sicut nobis spiritus, ita illis aqua viuendi ministrat substantiam. Nos intercluso commeatu spiritus, quia ne breui quidem spatio possumus exortes esse spiritus vitalis, statim extinguimur: pisces quoque sublato de aqua, sine substantia sui esse non possunt. Et causa manifesta est, quonia nobis pulmo per thoracis laxiora penetralia recipit spiritum: & cum sit ipse poris plerisque, penetrabilis, spiritus infusione interiorum calorem refrigerat. Thorax enim vt suscipit alimenta, ita superflua ciborum, & succos salubres, sanguinemque discernit. Fit pulmo peruius, vnde facilius ad eum potest aspiratio spiritus peruenire. Pisces vero brachias habent, quas nunc plicat & colligunt, nunc explicant atque aperiant. In hac ergo collectione & apertione dum suscipitur aqua, & transmittitur, respirationis munus videtur implere. Propria igitur natura est piscium, nec communis cum ceteris, specialis usus, & a ceteris viuendi quaedam separata & secreta substantia. Propterea non nutriuntur, neque vt terrena animalia manus humanae tactu & delinimento aliquo delectantur, sed etiam si seruentur, in viuariis suis viuunt.

*visibus dentes cur densi, & cur in eis minorae maior inuadit, & quod ex eis humana vita praebetur expleta.* CAP. V.

**Q**uid autem de densitate dicam dentium? Non enim vt bos aut ouis ex vna parte dentes habent,

sed vtraque pars armata est dentibus; quia in aqua sunt, & si diutius cibum versarent, & non citò transmitterent, aquarum alluione de dentibus eorum esca posset auferri ac dilui. Ideo densos & acutos habent, vt citò incidant, citò conficiant, cibum facile & sine aliqua mora & dilatione transmittant. Denique non ruminant. solus tamen scarus in his ruminare perhibetur: vt ferunt quibus aut euentus, aut vsus fuit, aut studium talia cõprehendere. Sanè nec ipsi à suis potentia euasere violentiam, & auaritia potentiorum subiecti vbique inferiores sunt. Quo quisq; infirmior, eo præda patet. Et pleriq; quidem herbis pascuntur, ac minutis vermibus. Sunt tamen qui inuicem se deuorēt, & sua carne pascantur. Minor apud illos esca maioris est: rursus ipse maior à validiore inuaditur, & sit esca alterius, prædator alieni. Itaque vsu venit, vt cum ipse alium deuorauerit, ab alio deuoretur: & in vnū ventrem vterque veniat cum voratore proprio deuoratus; sitque simul in vno viscere præda vindictæq; consortium. Et ipsis sponte hæc accreuit iniuria, sicut in nobis non ex natura cõpõit, sed ex auaritia. Aut quia ad vsum hominum facti sunt, aut quia in signū dati, vt in his nostrorum morum vitia videremus, & caueremus exēpla, ne quis potior inferiorē inuaderet, daturus in se potentiori exemplum iniuriæ. Itaque qui alterum lædit, sibi laqueum parat, in quem ipse incidat. Et tu piscis es, qui viscera inuadis aliena, qui demergis infirmum, qui sedentem persequeris vsque in profundum. Caue ne dum illum sequeris, incidas ipse in validiorem: & deducat te in alienas insidias, qui tuas vitat; priusq; tuam spectet aruminam, qui te persequente propriam reformidabat. Quid interest inter diuitem improba cupiditatis in gluuie absorbentem infirmorum patrimonia, & silurum de minorum piscium visceribus aluum replentem? Defunctus est diues, & nihil ei sua spolia profuerunt: immò magis eum rapinarum suarum detestabiliorem fecit infamia. Captus est silurus, & inutilis præda detecta est. Quanti in eo reperiuntur qui alios deuorauerant! Et tu diues habes in sinu tuo alterius prædatorum. Ille habebat facultates pauperis, quas inuaserat: tu eum opprimens, duo patrimonia tuis facultatibus addidisti, & adhuc tanto non satiaris augmento: & dicis quòd alios vindicaueris, cum eadem committas quæ vlcisceris, iniusto iniustior, & iniquo iniquior, auaro auarior. Vide ne idem te qui piscem illū finis inueniat: hamū caue, caue retia. Sed præsumis de potentia, quòd nemo tibi possit resistere: præsumebat & silurus quòd hamū nemo sibi iaceret, nemo retia tēderet: & si incidisset, vniuersa diriperet: & tamen fuscina non euasit, aut nexus vinculi validioris incurrit, quibus se non posset exuere. Sine dubio & hominum iniquitas quo grauiora commiserit, eo magis scelere suo tuta esse non poterit, quin aliquando dissoluat quod scelerum pretio constat difficilè posse vitari.

*Quòd homo sit piscis, unde homines in Euangelio boni & mali pisces dicuntur: quòd bonus piscis hamum, retia, ac sinum Petri non timeat.* CAP. VI.

**P**iscis ergo es, & homo. Audi quia piscis es: Simile est regnum caelorum reti missò in mare, & ex o-

*Plinius lib. 9. hist. natural. cap. 17.*

*Matth. 13.*

mini genere piscium congreganti. Cum autem esset impletum, duxerunt id ad litus, & sedentes elegerunt optimos in vasis suis, malos autem foras miserunt. Sic erit in cõsummatione sæculi. Exhibēt angelī, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Sunt ergo boni & mali pisces, boni seruantur ad pretium, mali statim ardēt. Bonum piscem nec retia inuoluunt, sed eleuant: nec hamus internecat atque interficit, sed pretiosi vulneris perfundit sanguine: in cuius oris confessione bonum pretium reperitur, quo tributum apostolicum, & census Christi possit exolui. Sic enim scriptum est, dicente Domino, Reges terræ à quibus accipiant tributum vel censum? A filiis suis, an ab alienis? Et respondenti Petro, Ab alienis, ait Dominus, Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies ibi staterem: illum sumens, da cis pro me & te. Noli igitur, & bone piscis, Petri hamum timere. non occidit, sed consecrat. Noli quasi vilem te cõtemnere, quia vides corpus infirmum, habes in ore tuo quod & pro Petro & pro Christo offeras. Noli timere Petri retia, cui dicit Iesus, Duc in altum, & laxate retia. Non enim in sinistram partem mittit, sed in dexteram, sicut iussus à Christo est. Noli timere sinum eius, quia dictum est ei, Ex hoc eris homines viuificans. Ideo misit retia, & complexus est Stephanum, qui de Euangelio primus ascendit, habens in ore suo staterem iustitia. Vnde confessione constanti clamauit, dicens, Ecce video caelos apertos, & filiū hominis stantem ad dexteram Dei. Pro hoc pisce stabat Dominus Iesus: sciebat enim esse in ore eius pretium sui census. Denique glorioso martyrio & Petri iudicium atque doctrinam, & Christi gratiam locuples asserit impleuit.

*Quòd mare designat Euangelium, super quod fundata est Ecclesia: quòd coniuges mutuo se compati debent, exemplo viperae: & circa id digreditur.* CAP. VII.

**N**ec te moueat quòd pro mari Euangelium posuit. Euāgelium est, in quo Christus ambulauit: Euāgelium est, in quo licet titubauerit Petrus, non tamen negauit, quando per dexteram Christi fide munimentum stationis inuenit: Euāgelium est, de quo martyr ascendit: Euāgelium est mare, in quo piscantur Apostoli, in quo mittitur rete, cui simile est regnum caelorum: Euāgelium est mare, in quo Christi figurantur mysteria: Euāgelium est mare, in quo Hebræus euasit, Ægyptius interemptus est: Euāgelium est mare, in quo diuinæ gratiæ plenitudo est, & sponsa Christi Ecclesia, quæ supra maria fundata est, sicut dixit Propheta, Ipse super maria fundauit eam. Exili super vndas & homo, quia piscis es: non te opprimant sæculi istius fluctus. Si tempestas est, pete altum: si serenitas, iude in fluctibus: si procella, caue à scopuloso litore, ne te in rupem furens æstus illidat. Scriptum est enim, Estote astuti sicut serpentes. Et quia de serpentibus astutus propositum exemplum est, simus astuti circa quaerenda & seruanda coniugia, diligamus tributa nobis cõsortia. Et si ij qui longinquis fuerant ortus sui tempore regionibus separati, inter se conuenerint, & si vir ad peregrina contenderit, nulla longinquitas, nulla absentia

*Matth. 17.*

*Luc. 9. Ibid. Act. 7.*

*Ibid.*

*Matth. 14. Ibid.*

*Exod. 14.*

*Psal. 23.*

*Matth. 10.*

absentia complacitam minuat charitatem. Eadem lex præsentem absentisq; connectat, idem naturæ vinculū inter distates & consistentes cõiugalis charitatis iura constringat: eodem iugo benedictionis vtriusq; colla socientur, etiamsi alter obeat separatarum regionum longa diuortia: quia non corporis ceruice, sed mentis, iugum gratiæ receperunt. Vipera nequissimum genus bestia, & super omne quod serpentina est generis astutior, vbi cocundi cupiditatem assumpserit, murænæ maritimæ notam sibi requirit copulam, vel nouam præparat: progressaq; ad litus, sibilo testificata præsentiam sui, ad coniugalem amplexum illam euocat. Muræna autem inuitata non deest, & venenatæ serpenti expetitos vsus suæ impertit coniunctionis. Quid sibi vult sermo huiusmodi, nisi ferendos esse mores cõiugū: & si absens est, eius operendam præsentiam: sit licet asper, fallax, inconditus, lubricus, temulentus? Quid peius veneno, quod in coniugē murænæ non refugit? Vocata non deest, & serpentis lubricum sedula charitate complectitur. Ille tua mala portat, & leuitatis fœminæ facilitatem: tu virum tuum non potes & mulier sustinere? Adam per Euam deceptus est, non Eua per Adā. Quæ vocauit ad culpam mulier, iustū est vt eum gubernatorem assumat, ne iterum fœminea facilitate labatur. Sed horridus & incultus est. Semel placuit. Numquid vir frequenter est eligendus? Comparem suū & bos requirit, & equus diligit: & si mutetur alius, trahere iugum nescit cõpar alterius, & se non totum putat: tu iugalem repudias tuum, & putas sæpe murandū: & si vno defuerit die, suspicaris riualem: & statim incognitam, quasi cognitā pudoris exqueris iniuriam. Vipera absentem requirit, absentem vocat, & blando proclamat sibilo: atque vbi adueniare comparem senserit, venenum euomit, reuerentiam marito deferens, verecundata nuptiale gratiam: tu mulier aduenientem de luptuquo maritum contumeliis repellis. Vipera mare prospectat, explorat iter cõiugis: tu iniuriis viam viro obstruis: tu litium moues venenum, non reuicis: tu coniugalis amplexus tempore dirum virus exæstuas: nec erubescis nuptias, nec reuereris maritum. Sed etiam tu vir, (possumus enim etiam sic accipere) deponere tumorem cordis, asperitatem morum, cum tibi sedula vxor occurrit: propele indignationem, cum blanda coniux ad charitatem prouocat. Non es dominus, sed maritus: non ancillam fortitus es, sed vxorem. Gubernatorem te Deus voluit esse sexus inferioris, non præpotentem. Redde studio vicem, redde amori gratiam. Vipera venenum suum fundit: tu non potes duritiam mentis deponere? Sed habes naturalem rigorem: debes tēperare eum contemplatione cõiugij, reuerentia coniunctionis. Potest & sic, Nolite quarere viri alienum thorum, nolite insidiari alienæ copulæ. Graue est adulterium, & naturæ iniuria. Duos primum Deus fecit, Adam & Euam: hoc est, virum & vxorem. Et vxorē de viro, hoc est, de costā Adam: & iussit ambos esse in vno corpore, & in vno spiritu. Quòd vnum separas corpus, vnum diuidis spiritum: naturæ adulterium est. Sed hoc docet murænæ & viperae, non iure generis, sed ardore libidinis expetitus amplexus. Discite & viri, qui alienā permolere

*33. q. 5. c. Adā per Euam. & luo par. 8. ca. 91. 32. q. 5. c. horrendus. & luo par. 8. ca. 232.*

*Gen.*

querit vxorem, cuius serpentis sibi adsciscere cupiat contubernium, cui etiam comparandus ipse serpenti sit. Festinat ad viperam, quæ se in gremium viri nō directo tramite veritatis, sed lubrico deuij amoris infundit. Festinat ad eā, quæ venenū suū resumit: vt vipera, quæ fertur peracto cõiunctionis munere, venenum quod euomuerat, rursus haurire, adultera enim vipera est. Vnde & Salomō ait, quòd is qui fuerit temulentus, cum per vinū libido feruere consueuerit, tãquam à colubri ictu extenditur, & tamquam à cornuta diffunditur illi venenum. Et vt scias quòd de adultera dixit, adiecit, Oculi tui cum viderint alienam, os tuū loquitur peruersa. Nec quisquā velut cõtraria posuisse nos credat, vt & ad bonū, & ad malū viperae huius exēplo vteremur, cum ad institutionē vtriusq; proficiat, si erubescamus aut fidē nō exhibere dilecto, cui exhibet serpens; aut relinquentes sancta cõiugia, lubrica & nociturna salutaribus præferamus: quod facit qui cum serpente miscetur.

*Describit polyphi & cancri naturam, qua hominem instruit, vt propriis contentus, nec alios circumueniat, nec aliena inuadat.* CAP. VIII.

**E**T quia de astutia cõpimus sermonem subtexere, qua vnusquisque fratrem suum circumuenire & decipere nititur, & in nouas se fraudes componere: vt quem vi obtinerenō potest, circumscribat dolo, & furo quodam artis obducatur: fraudulentū illud polyphi ingenium non præteribo, qui vadoso in litore petram naetus, affigitur ei; atque eius nebuloso ingenio colorē subit, & simili specie terga obductus, plurimos piscium sine vlla suspitione fraudis allapso, dum notam non præcauent, & saxum opinantur, cassibus furtiue artis includit, & sinu quodā suæ carnis intercipit. Sic spontanea venit præda, & talibus capitur argumentis, qualia sunt eorum qui ingenium suum sæpe commutant, & diuersas nocendi artes mouent, vt singulorum mentes sensusq; pertentent, cum continentibus continentiam prædicantes, in cõtu intemperantium tamquam deuij ab studio castitatis, & demersi intemperantiæ voluntatis: vt qui eos audiunt aut vident, incauta facilitate se credat: eòq; citius labuntur, dum distinguere non norunt, nec cauere quod noceat: dum grauior fit & magis noxia improbitas, benignitatis obumbrata velamine. Et ideo cauendū sunt qui crines suæ fraudis, & brachia longè latèque dispergunt, vel speciem induunt multiformē. Et isti enim polyphi sunt, nexus plurimos habentes, & callidorum ingeniorū vestigia, quibus irretire possint quidquid in scopulos suæ fraudis incidit. Cancer quoque quas cibi gratia præstigijs struit! Namq; & ipse ostreo delectatur, & carnes eius epulum sibi quærit. Sed quia vt appetens cibi, ita prospiciens est periculi: quoniam cum difficilis est venatio, tum periculosa: difficilis, quia testis validioribus esca interior includitur. nam velut muris quibusdam mollitiem carnis præcepti imperialis interpret natura munivit; quam medio testarum quodam sinu concauo nutrit ac fouet, & quasi in quadam valle diffundit: & ideo cassa omnia tentamenta sunt cancri, quia aperire clausum ostreū nulla vi potest: & periculosum est si chelas eius includat; ad argumēta confugit, & insidias noua

*Prourb. 23.*

*Ibid.*



fraude molitur. Itaque quia omnia genera delectatione mulcentur, explorat si quando ostreū remotis in locis ab omni vento contra solis radios diptychum illud suum aperiat, & referet claustra testarū, vt libero aere visceris sui voluptatem quandam capiat: & tunc clanculo calculum immittens, impedit conclusionem ostrei, ac sic aperta claustra reperies, tutò inserit chelas, visceraque interna depascitur. Sunt ergo homines qui cancri vsu in aliena vsu circumscriptionis irrepāt, & infirmitatem propriae virtutis astu quodam suffulciant, fratri dolū necāt, & alterius pascantur arumna. Tu autem propriis esto contentus, & aliena te damna non pascant. Bonus cibus est simplicitas, innocentiae suae bona habēs: insidiari nescit alienis, nec auaritia facibus inardescit, cui lucrum omne ad virtutem dispendium est, ad cupiditatem incendium. Et ideo beata est, si bona sua nouerit cum veritate paupertas, & omnibus praeferenda thesaurus: quia melius est exiguum cum Dei timore, quam thesauri magni sine timore. Quantum est enim quod hominē alat? Aut si quaris quod etiam aliis abundet ad gratiam, id quoque nō multum est. Melior enim est hospitalitas in oleribus cum gratia, quam vitulorum pinguium praeparatio cum discordia. Vtatur ergo ingenio ad quaerendam gratiam, & salutem tuendam: non ad alienā circumscribendam innocentiam. Licet nobis vti exemplis marinis ad profectum nostrae salutis, nō ad alienum periculum.

Proverb. 15.

Ibid.

*De praescientia echini maritimi, futuram tempestatem aut tranquillitatem nauigantibus praenuntiantis; & unde tam exiguum animal hoc munus acceperit: ac de indulgentiae Dei creatoris ingenti praconio.* C. A. P. IX.

**E**chinus animal exiguum, vile ac despicabile (marinum loquor) plerūque index futurae tempestatis, aut tranquillitatis adnuntius solet esse nauigantibus. Denique cum procellam ventorum praesentat, calculum validum arripit; eumque velut saburrā vehit, & tamquam anchoram trahit, ne excuriatur fluctibus. Itaque non suis se librat viribus, sed alieno stabilit & regit pondere. Quo indicio nauae velut signum futurae perturbationis capeffunt, & sibi praecautent, ne eos imparatos turbo improuisus inueniat. Qui mathematicus, qui astrologus, quiue Chaldaeus sic potest siderum cursus, caeli motus & signa comprehendere? Quo ingenio ista collegit? quo doctore percepit? quis ei fuit tanti interpretis augurij? Saepē homines confusionem aeris vident, & saepē falluntur, quod plerumque ea sine tempestate discutitur. Echinus non fallitur, echinum sua nequaquam signa praetereunt. Vnde exiguū animali tanta scientia, vt futura praenuntiet? Quo magis in eo nihil est, quo tantā possit habere prudentiam, crede quod per indulgentiam Domini rerum omnium id quoque praescientiae huius munus acceperit. Etenim si foenum Deus sic vestit, vt miremur, si pascit volatilia, si parauit coruis escam, (pulli enim eius ad Dominum clamant) si mulieribus dedit texturam sapientiam, si araneam quae tam subtiliter ac doctē laxos casset suspendit in foribus, sapientiae nō reliquit immunē; si ipse virtutem equo dedit, & soluit de ceruice

Luc. 12.  
Iob. 38.

Iob. 39.

G eius formidinem, vt exultet in campo, & occurrentes regibus irideat, odoretur bellum eminens, excitetur sono tubae: si haec irrationabilia pleraque, & alia insensibilia, vt foenum, vt lilia, repleuit suae dispositione sapientiae, quid dubitamus, quod etiam echino contulerit huius gratiam praescientiae? Nihil enim inexploratum, nihil dissimulatum reliquit. Omnia videt, qui pascit omnia: omnia replet sapientia, qui omnia in sapientia fecit, vt scriptum est. Et ideo si echinum visitationis suae exortem non praetermisit, si cum considerat, & futurorum informat indicis, tua non considerat? Immo verò considerat, sicut testatur eius diuina sapientia, dicens, Si respicit volatilia, si pascit illa, nōne vos pluris estis illis? Si scenū agri, quod hodie est, & cras in ignem mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicae fidei?

Ipsal. 103.

Matth. 6.

*Quod unumquodque genus piscium praescipit sibi habeat domicilia, cum increpatione humanae auaritia: qua ratione etiam quaedam genera quandoque mutant loca, & unde hoc habeant ingenium: de specialibus quoque aliquorum piscium virtutibus.* C. A. P. X.

**A**N verò sine quadam dote naturae manere piscibus etiam illam putamus gratiam, quod vnū quodque genus piscium praescipit sibi domicilia habet, quae sui generis nullus excedat, non incurset alienus? Quis geometra his diuisit habitacula, nullis rumpenda temporibus? Sed geometram audiuius, thalassometram numquam audiuius, & tamen pisces mensuram suam norunt, nō muris vrbium, portisque praescipit, non aedificiis domorum, non agrorum finibus limitatam, sed mensuram eius quod oporteat, vt tantum satis sit vniciuique quantum ad vsū abundet, non quantum auaritia quaedam immoderata sibi vendicet. Lex quaedam naturae est, tantum quaerere quantum sufficiat ad victum, & alimentorum modo sortem censere patrimonij. Hoc genus piscium in illo sinu maris alitur & gignitur, illud in alio. Denique non reperies confusa genera piscium, sed quod hic abundat, alibi deest. Et iterum ille sinus maris cephalos alit, lupos ille: ille saxatiles, locustas alius. Non est libera vagandi potestas, nec tamen aut interclusa montibus copia, aut fluuiis interlabentibus transitus impeditur, sed vsus naturae impressus tamquam patriae finibus vnūquemque sese tenere, & vltra incolas prodire facit suspectum. At nobis longē alia sententia, mutare exilio domos, incolarum fastidio teneri, aduenarum captare gratiam, transferre terminos perpetuos quos posuerunt patres nostri, agrum ad agrum iungere, domum ad domum. Deficit terra hominibus, sternuntur & maria. Rursus pro singulorum libidine inciditur terra, mare infunditur, vt insulas faciant, vt possideant freta, spatia maris sibi vendicant iure mancipij, pisciumque iura sicut vernaculorum conditione sibi seruitij subiecta commemorant. Iste, inquit, sinus maris meus, ille alterius. Diuidunt elementa sibi potentes. His ostreae in fluctibus nutriuntur, his in viuario piscis includitur. Luxuria nec mare sufficit, nisi apothecas habeant ostrearum. Itaque aetates earū numerant, & piscium receptacula instruunt, ne conuiuia diuitis mare non possit implere. Nā vicini nomen

Prou. 22.

Esa. 5.

Ibid.

nomen quibus audiunt auribus? quibus oculis intuentur possessiones eorum? Quemadmodum dies noctesque excogitat vt aliquid proximi auferat? Nūquid soli habitabit super terram? clamat Propheta. Cognoscit haec Dominus, & vindicta referuat. Quantum aliena à piscibus auaritia rapina? Illi naturalia captant secreta, & vltra terminos orbis terrarum mare norunt, quod nullae interpolant insulae, nec terra aliqua interiacet, vel vterius vlla sit posita. Illic igitur vbi diffusum latè mare omnem spectandi vsu, vt utilitatis gratia nauigandi intercludat audaciam, condere se feruntur cetera, illa immensa genera piscium, aequalia montibus corpora, vt tradiderunt nobis qui videre potuerunt: illic quietum auum exigunt, discreta ab insulis, & ab omnibus maritimarum vrbium contagiis separata. Habent suas regiones & habitacula distributa, manent in his inoffenso vicinorum limite, nec vago transitu mutationes quaerunt locorum, sed tamquam patrium solum diligunt, & in his immorari dulce arbitrantur. Quae ideo elegerunt, vt solitariam vitam remota possint arbitrorum interpellatione transigere. Sunt tamen aliqua genera piscium qui non ingenij facilitate loca mutant, sed fouēdi partus necessitate, quae oportuno atque legitimo procurantes tempore, ex plurimis locis à diuerso sinu maris innumeri velut communi consilio conuenientes, coniuncto agmine Aquilonis status petunt: & ad illud septentrionalium mare partium quadam naturae lege contendunt. Dicat, si ascendentes videas, rheuma quoddam esse, ita prorunt, fluctusque intersecant, per Propontidem in Euxinum pontum violento impetu profinentes. Quis piscibus haec annuntiat loca, praeccepta, tempora? Quis tribuit dispositionem viandi, comitandi ordinem, metas, & tempora reuertendi? Homines suum imperatorem habent, cuius expectatur imperium, procedit tessera, proponuntur edicta provincialibus, vt conueniant, tribunis militum litterae diriguntur, dies statuitur, & plerique ad dies statutos occurrere nō queūt. Quis imperator piscibus praecceptū dedit? Quis doctor hanc tribuit disciplinam? Qui metatores itinera disponit? Qui duces iter dirigunt, vt nullus desit occurus? Sed agnosco quis ille sit imperator, qui ordinatione diuina sensibus vnuerforum suum infundat imperium, qui tacitus mutis animantibus naturalis disciplinae ordinem tribuat: nec solum magna penetret, sed etiam per minima quaeque se fundat. Diuinae legi piscis obsequitur, & homines contradicunt? Piscis solemniter obaudit mandata caelestia, & homines irrita faciunt Dei praeccepta? An contemptibilis tibi videtur, quia mutus est, rationisque expertus? Sed vide ne tu tibi magis incipias esse contemptui, si irrationabilior deprehendaris. Quid autem rationabilius hoc piscium transitu, cuius rationem quidem verbis non explicant, sed factis loquuntur? Pergunt enim aetatis tempore ad fretum Ponti, eo quod reliquo maris sinu hic sinus dulcior sit. Non enim tam diu sol eo freto, quandiu ceteris immoratur: eaque fit causa vt non omnem aquam exhauriat quae dulcis atque potabilis est. Quis autem ignorat quod etiam ea quae maritima sunt, aquis plerumque dulcibus delectentur? Denique dum flumina sequuntur, & ad supe-

riora ascendunt, frequenter alieni pisces generis capiuntur in fluuiis. Cum haec igitur causa Pontum illis faciat gratiorem, vel quod aestus temperet sollemnis illic status Aquilonis, tum oportuniorem ceteris iudicant, in quo generare & partus possint proprios enutrire: quod teneri foetus laborem alienae regionis ferre vix possint, quos illic fouet aeris blanda clementia. Itaque peracto munere omnes simul eo quo venerant agmine reuertuntur. Quamnam ista sit ratio consideremus. Obiectus est Ponti sinus Boreae, ceterorumque ventorum violentissimis flatibus: vnde grauis illic procella furit, & tempestates mouentur, ita vt de profundo arena verratur: cuius rei fluctus arenosus indicio est, qui ventorum motu insurgens altius, tum pondere grauior, haud dubiè non solum nauigantibus, sed etiam marinis ipsis animantibus intolerabilis habetur. Accedit illud, quod cum plurima & maxima Ponto flumina misceantur, hiberno tempore sinus ipse frigidiore torrentium rigescat allapsu. Propterea pisces tamquam arbitri fluentorum, aestate illic aspirantis aurae clementiam captare consueuerunt, cuius amoenitate perfuncti, rursus hyemis aspera declinare contēdunt, & septentrionalis plagae saeva fugientes, in reliquos se sinus conferunt, in quibus aut ventorum mollior sit placiditas, aut solis soleat vernare temperies. Nouit igitur piscis pariendi tempus, quod pro magno mysterio dixit Salomon in Sapientia: nouit tempus eundi atque redeundi, nouit tempus perfuctionis & iactationis, & nouit vt non queat falli: quia non rationis aestimatione, & disputationis argumento vititur, sed inspiratione naturae, quae vera est magistra pietatis. Denique omnia animantia praescipit habent pariendi tempora, homo solus indifcreta atque confusa. Reliqua genera clementiam temporis quaerunt, mulieres solae partus suos inelenter effundunt. Vaga enim & intemperans libido generandi, vagam pariendi aetatem exhibet. Pisces tanta maria transmittunt, vt utilitatem aliquam generi suo quaerant. Nos quoque diffusa aequora transfretamus. Sed quāto honestius quod successiois amore, quāto quod pecuniae auaritate suscipitur? Denique illis ad pietatem, nobis ad quaestum transfusio deputatur. Illi sobolem praefertur omnibus mercibus chariorem, nos mercem longē imparem ad periculi vicem misera lucri cupidine reportamus. Itaque illi patriam repetunt, nos derelinquimus. Illis nando incrementum generis acquiritur, nobis minuitur nauigando. Quis igitur neget diuinitus illis infusum ingenium esse huiusmodi atque virtutem? cum videat istos in Aquilonem tam sollemnem obeundae foecunditatis peregrinationem viuaci ingenio componere, alios in exiguo corpore tantum validitatis assumere, vt maximas nauium plenis currentes velis, in mediis fluctibus sistant: sicut breuis pisciculus echeneis tanta facilitate memoratur nauem ingentem statuere, vt quasi radicatum mari haerere videas, nec moueri. Aliquandiu enim immobilem seruat. An & huic putas sine creatoris munere tantum potuisse suppetere virtutis? Quid gladios loquar, aut ferras, aut canes marinos, aut balenas, aut zygænas? Quid etiam turturis centrum, & hoc mortuae? Sicut enim viperæ os si quis

Eccles. 3.

d. iiii

calcauerit, grauius quàm venenum nocere perhibetur, & immedicabile vulnus serpere, ita etiam turtur aculeo suo mortua amplius quàm viua periculi afferre memoratur. Lepusculus quoque timidum animal in terris, in mari formidabile, citam, & quæ non facillè possit auferri, corruptelam inuehit. Voluit enim te creator nec in mari satis ab insidiantibus esse securum, vt propter pauca quæ noceant, quasi in excubiis positus armis fidei semper & scuto deuotionis accinctus, à Domino tuo debeas salutis sperare præsidium.

*De piscibus & aliis que in Atlantico mari nascuntur aut sunt, cum conclusione sermonis de piscibus. CAP. XI.*

**V**eniamus ad Atlanticum mare. Quàm ingentia illic & infinita magnitudinis cæci! quæ si quâdo supernatant fluctibus, innare insulas putes, montes altissimos summis ad cælum verticibus eminere. Quæ non in acta, nec in littoribus, sed in Atlantici maris profundo feruntur videri, vt eorum conspectu nauatæ à nauigandi in illis locis præsumptione reuocentur, nec secreta elementorum adire, supremæ terrore mortis vsurpēt. Sed iam assurgamus ipsi de profundo maris, & aliquantulum sermo noster emergat, atque ad superiora se subrigat. spectemus ea quæ vîitata multis, & plena sint gratiæ, quomodo aqua in salis vertatur soliditatem, vt ferro sæpe cadatur: quod de Britannicis salibus nihil mirum, qui in speciem marmoris validi, eiusdem metalli niueo candore resplendent, salubres corporis cibo, & potui nimis grati. Quomodo etiam non indecorus lapis corallium in mari herba sit, si in aërem transferratur, in lapidis firmitatem solidetur. Vnde etiam ostreis pretiosissimam margaritam natura infixit, quomodo eam maris aqua in tam molli carne solidauerit. Quæ difficilè apud reges inueniuntur, ea in littoribus quasi vilia iacent vulgo, & in saxis asperis & cautibus colliguntur. Aureum etiam vellus aqua nutrit, & lanam in memorati speciei metalli gignunt littora, cuius colorem nullus adhuc eorum qui fucus diuersis obducunt vellera, imitari potuit: adeo naturæ maritimæ gratiam humana implere nescit industria. Scimus qua sollicitudine vellera ouium etiam minus pretiosa curentur: sint licet optima, nequam tamen his fucus innascitur. Hic naturalis color est, quem nullus adhuc fucus æquauit: hoc quoque pinnis est vellus. Sed & ipsi murices qui insigne dant regium, sunt maritimi. Et quæ pratorum gratia, vel hortorum amœnitas potest cæreulei maris æquiparare picturam? Aurum licet in pratis flores resplendant, auri quoque fulgorem in mari lana resplendet: & illi citò marcescunt, ista diu duratura feruatur. Lilia in hortis eminus nitent, vela in nauibus: illic odor, hic ventus aspirat. Quæ vtilitas in folio! In nauibus quanta commercialia. Lilia suauitatem narium, vela hominum salutem inuehant. Adde pisces salientes, & delphinas ludentes: adde rauco sonantes fluctus murmure, adice currentes naues ad littora, vel de littoribus exeuntes. Cum è carceribus mittuntur quadrigæ, quanto studio spectantium & amore certatur! Equus tamen in vanum currit, non in vanum nauigia. Ille in vanum, quia vacuus: ista ad vtilitatem, quia plena frumētī. Quid iis gratius, quæ

non verberare aguntur, sed ventorum spiramine: vbi nemo refragator, sed omnes fautores sunt: vbi nemo vincitur quicumque; peruenit, sed omnes puppes quæ peruectæ fuerint, coronantur: vbi palma merces salutis, victoria pretium regressionsis est. Quantum etiam distat inter directos cursus ac reflexos! Isti perpetuantur, hi resoluuntur. Adiunge remis contexta litora, quibus vexillum exeundi aura de cælo est. Itaque aurige plausum inanem referunt; hi soluunt vota seruati. Quid de Iona dignum loquar, quem cætus excepit ad vitam, reddidit ad prophetandi gratiam? Emendauit aqua, quem terrena deflexerant: psallebat in vtero cæti, qui mærebat in terris. Et vt vtriusque redemptio non prætereat elementis, terrarum salus in mari antè præcessit, quia signum filij hominis, signum Ionæ. Sicut iste in vtero cæti, sic Iesus in corde terræ. In vtroque remedium, maius tamè in mari pietatis exemplum: quoniam exceperunt pisces, quem homines refutarunt; & quem homines crucifixerunt, pisces seruauerunt. Petrus quoque in mari titubat, sed non labitur: & confessus in fluctibus, negauit in terris. Itaque illic quasi deuotus manu apprehenditur, hic quasi oblitus aspectu censorio conuenitur. Sed iam rogemus Dominum, vt sermo noster quasi Ionas eiiciatur in terram, ne diutius in salo fluctet. Et bene iam exiit cucurbita, quæ obumbret nos à malis nostris; sed & ipsa procedente sole arefacta admonet requiescendum, ne interzestare incipiamus ingenio, & nobis etiam verba deficiant. Certè plus nobis quàm Niniuitis data est in aquis remissio peccatorum.

*Expleto de piscibus sermone, de auibus negotium eleganter aggreditur. CAP. XII.*

**E**t cum paululum conticuissem, iterum sermonem adoratus aio: Fugerat nos fratres dilectissimi, necessaria de natura auium disputatio, & sermo huiusmodi nobis cum ipsis auibus euolauerat. Fit enim natura quadam, vt hi qui aliquid intuentur, vel dicendo exprimere volunt, eorum qualitatem quæ vel intuentur vel loquuntur, assumant, vt & cum pigrioribus immoremur, & cum velocibus celeri rapiamur aspectu, stylo quoque aut tardiore vtamur, aut rapido. Itaque dum caueo ne mari demersa præteream, & aquis operta me lateant, effugit omne volatile: quia dum inclinatus imos aquarum gurgites scrutor, aërios non respexi volatus, nec vmbra saltem pennæ me præpetis reclinauit, quæ in aquis relucere potuit. Verùm vbi omne negotium expeditum putauit, & absolutum me credidi, & diem quintum consummatum arbitratus sum, venit in mentem auium, quæ cum eunt cubitum, quasi peractò lætæ munere, æthera cantu mulcere cõsuerunt: quod velut solemniter surgente & occidente die instaurare consuerunt, vt decursi vel adorièdi nocturni iuxta ac diurni temporis laudes suo referat creatori. Magnum igitur incentium, excitandæ nobis deuotionis amiseram. Quis enim sensum hominis gerens, non erubescat sine psalmorum celebritate diem claudere, cum etiam minutissimæ aues solemnium deuotione & dulci carmine ortus dierum ac nocturnum prosequantur? Redeat igitur nobis volaticus sermo, qui pene fuerat elapsus ex oculis, & aquilæ modo

modo alta petens, volatus suos obduxerat nubibus, A nisi quia oculos abluti aqua dum de gurgite leuamus ad cælum, speculati vacuum aëris volatibus ferri, ad necessitatem styli putauimus esse reuocandum. Eritis vos iudices, qui estis aucupes verbi, vtrum cõsultius euolasset, an vtiliter in nostra retia sit relapsus. Nec vereor ne fastidium nobis obrepat in volatilibus requirendis, quod non obrepit in gurgitibus perferutandis: aut aliquis nobis in disputatione obdormiat, cum possit auium cõtibus excitari. Sed profectò qui inter mutos pisces vigilauerit, non dubito quòd inter canoras aues somnum sentire non possit, quin tali ad vigilandum gratia prouocetur. Neque verò vile putetur quod potuit præteriri, cum sit tertia pars in animantibus creaturæ. Tria enim genera animantium esse non dubium est, terrenum, volatile, aquatile. Denique sic scriptum est, *Producit aquæ reptilia animarum viuentium secundum genus, & volatilia volantia super terram secus firmamentum cæli secundum genus.* Reuocamur ad superiora sicut obliuiosi viatores, qui cum inconsulto præterierint, in sua reuertentes vestigia, incuriæ suæ multam repetito itineris labore suscipiunt. Est tamen etiam bonus viator qui dispendium regressionsis, reliqui itineris compendiosa celeritate compenset, vt mihi faciendum arbitror: maximè cum de auibus sermo sit, quæ solent oculos hominum volatu properatiore præstringere. Quid enim conuenit iis immorari, in quibus celeritas placere consuevit? Auus igitur atque inuitatus in tali genere scriptioris sermo noster canoris auibus resonet ac resultet. Sed vnde mihi cygnea carmina, quæ etiam sub graui mortis imminentis terrore delectant? Vnde mihi illos naturalis modulos cantilenæ, quibus etiam paludes sonora cantus edunt dulcissimi suauitatem? Vnde mihi vocem psittaci, dulcedinè que merularum? Vtinam saltem luscina canat, quæ dormientem de somno excitet! Ea enim auis significare solet diei surgentis exortum, & effusorem diluendo deferre lætitiã. Tamen si illorum suauitas deest, sunt gementes turtures, & rauca columbæ, tum etiam cornix plena voce pluuiam vocat. Vnde rurale auarium sermone quo possumus, scientia quam nos rustici docuerunt, persequamur.

*Dicturum de auibus, vt aptius dicendis dicta connectat, de iis primò sibi agendum putat, quæ versantur circa aquas. CAP. XIII.*

**E**t quoniam de aquatilibus diximus, arduum est vt subito ad aues cæli sermo noster ascendat. Et ideo de iis auibus prius dicamus, quæ circa aquas maris fluminumque versantur, cum quibus possumus emergere. Itaque ab halcyone sermonem adoriatur. Ea est auis maritima, quæ in littoribus foetus suos edere solet, ita vt in arenis oua deponat medio ferè hyemis. Nam id temporis fouendis habet deputatum partibus, quando maximè insurgit mare, littoribusque vehementior fluctus illiditur, quò magis repentinæ placiditatis solemnitate auis huius eluceret gratia. Namque vbi vndosum fuerit mare, positus ouis subito mitescit, & omnes cadunt ventorum procellæ, statimque aurarum quiescunt, ac placidè vctis stat mare, donec oua foueat halcyon sua.

Septem autè dies fotus sunt: quibus decursis educit pullos, foetusque abfoluit: illico alios quoque septem dies adiungit, quibus enutriat partus suos, donec incipiant adolefcere. Nec mireris tam exiguum nutrimenti tempus, cum absolutio foetuum tam paucorum dierum sit. Tantam autem gratiam minutula auis diuinitis indultam habet, vt hos quatuordecim dies nautici præsumptæ serenitatis obseruent, quos & halcyonidas vocant, quibus nullos motus procellosæ tempestatis horrescant. Nonne vos passeribus pluris estis? Dominus ait. Si igitur auis minutula contemplatione & insurgit mare, & repentinè comprimitur, atque aspera hyemis inter ingruentes procellas tempestatisque ventorum detergit nubila, fluctusque componit elementis omnibus subito infusa tranquillitas: quantum præsumere debeas o homo ad imaginem Dei factus, agnoscis; si tamen auicula istius fidem studio deuotionis imiteris. Illa tempestates videns insurgere, scire ventos, inter hyberni sæua non reuocatur neque reflectitur, sed impellitur. Denique in litore sua oua constituit, vbi ea relabète fluctu madida adhuc arena suscipiat: nec insurgentes fluctus quos immurmurare atque allabi videt, respemidat. Et ne putes quòd ouorum videatur habere contemptum, continuo vbi deposuerit oua, nidificat, & suo partus corpore fouet, nec saluti propriæ alluione litoris pertimescit, sed secura de Dei gratia, ventis se committit & fluctibus. Parum est hoc. Adiungit totidem alios ad nutrèdum dies, nec interpellari tot diebus insidi maris tranquillitatem veretur, tentatque meritum suum naturæ iam solemnitate fundatum, & teneros foetus non latibulis aliquibus abscondit aut tectis, nec includit cauernis, sed nudo & rigenti committit solo, nec defendit à frigore, sed diuino fotu quò magis cætera despicat, tutiores fore existimat. Quis nostrum paruulos suos non vestimentis tegat, tectisque abscondat? Quis non claudat eos septis cubiculorum? Quis non ita diligenter vndique fenestras obseruat, ne qua possit aura vel leuiter penetrare? Merito quos tam sollicitè induimus ac fouemus, exuimus clementiæ cælestis inuolucro: halcyon verò quos nudo proiicit, eos diuino vestit indutu. Nec vos præteribo mergi, quibus ab assiduitate mergendi nomen hoc hæsit, quomodo sæpe mergentes aurarum signa colligitis, & præuidentes tempestatem futuram, prope re medio reuolatis ex æquore, & ad littorū tuta cum clamore contenditis. Quomodo etiam fulicæ quæ marino delectamini profundo, refugientes quam præsenferitis commotionem maris, in vado luditis. Ipsa ardea quæ paludibus inhære consuevit, notas deserit sedes, imbrèque formidans, supra nubes volat, vt procellas nubium sentire non possit. Consideremus diuersas volucres maris, quemadmodum imminente ventorum motu ad tutiora & tunc temporis dulciora sibi stagna se conferant, atque in abscondito terrarum sinu incognita sibi alimenta rimentur. Nocturnas autem anserum quis non miretur excubias, qui vigilias suas etiam cantus assiduitate testantur? Denique eo etiam Romana Capitolia à Gallo hoste seruantur. Merito illis debes Roma quod regnas. Dij tui dormiebant, & vigilabant anseres. Ideo illis diebus anseri sacrificas, non Ioui. Cæ-

dunt enim dii vestri anseribus, à quibus se sciunt esse defensores, ne & ipsi ab hoste caperentur.

*Reddit rationem cur post sermonem de piscibus, agat de auibus quæ versantur circa aquas, & inde de pluribus earum generibus & differentiis differat. CAP. XIII.*

**P**Ulcere autem post descriptionem piscium, de iis auibus quæ affluet sunt aquis, sermo successit, quia & ipsæ similiter & vsu natandi delectantur & munere. Vnde prima cognatio videtur auibus istis esse cum piscibus, quoniam natandi communia quædam videntur utriusque generi esse consortia. Secunda quoque cognatio omnibus auibus & piscibus est, eo quod volandi vsus, species sit natandi. Sicut enim aquam natando piscis incidit, ita auis aërem volatu celeriter secat. Atque utriusque generi similiter cauda suppetit, alarumque remigium, ut pisces ad priora se alis subrigant, atque ad ulteriora procedant: caudæ quoque gubernaculo vel quod velint se facile conuertant, vel impetu quodam à regione iter suum dirigant. Aues quoque aëri volatibus suis velut aquis iunantur, & quasi quædam extendunt brachia: cauda quoque se vel ad superiora subrigunt, vel ad inferiora demergunt. Vnde quoniam in nonnullis idem vsus & species, ideo de aquis utriusque generis naturas diuina præceptione processit. Dixit enim Deus, *Producant aquæ reptilia animarum viuentium secundum genus, & volatilia volantia super terras secus firmamentum cæli secundum genus.* Non immerito igitur quia de aquis genus utrumque producit, natandi proprietates utriusque suppeditat. Sanè cum & coluber lubricus, omnèsque serpentes, (ideo enim serpentis nomen est inditum, quia non possint ambulare, sed serpere) dracones quoque simili modo ut pisces plerique sine pedibus sint: nullum auium genus pedum officio caret, quia omnibus victus è terris: & ideo pedum munere fulciuntur, quia huiusmodi ad escam quærendam indigent ministerio. Itaque aliæ volucres vnguibus armantur ad raptum, ut accipitres & aquilæ quæ rapinam venationis exercēt: aliæ vel ad incedendum, vel ad cibum sibi parandum vsu ministerioque potiuntur accommodo. Vnum autem nomen auium, sed genera diuersa. Quæ quis possit memoria aut cogitatione comprehendere? Sunt itaque aues quæ carne vescuntur, ut curuati, quoniam curuatum atque acutum os, velox volatus, quoniam raptu viuunt, ut possint facile corripere prædam quam sequuntur, propter vel ore vel vnguibus euiscerare. Sunt etiam aues quæ reperto pascuntur semine, aliæ diuerso & fortuito cibo. Est etiam diuersitas copularum, quarum gratia carent quæ intendunt rapinis. Nam propter auaritiam prædandi, vel propter insidias explorandi, nec ipsis inter se conuenit, & ideo declinant sui copulam. Refugit enim auaritia consortium plurimorum. Deinde cōiunctio facile ipsa se proderet. His ergo auibus nihil est copulatorum præter iugale consortium. Ergo aquilis, accipitribusque hic vsus est vitæ. Contra verò palumbes, grues, sturni, corui atque cornices, etiã turdi gaudent connexione. Alia quoque auium genera enchoria, quæ manent in locis semper: alia aduentitia, quæ obeunt regiones alias, & peracta hyeme reuertuntur. Sunt aliæ quæ hyeme re-

deunt, astate peregrinantur à nobis: siue quod alia hyemis tempore ad calidiora se conferat, siue quod pleraque rursus astatem in iis locis exigant, quæ amœniora nouerunt. Turdi denique autumnis fine, hyemis confinio, quasi exacta astate se referunt. Quibus nos inhospitali immanitate molimur insidias, & diuerso genere nunc infida sede decipere, nunc visco eos fallere, nunc laqueis captare contendimus. Ciconiæ reditus, vexillum veris attollit. Grues qui alta petunt, amant frequenter peregrinari. Aliæ aues ad manum se subiiciunt, & mensæ affuescunt, tactuque mulcentur; aliæ formidant: aliæ iisdem quibus homines domiciliis delectantur, aliæ secretam in desertis vitam deligunt, quæ requirendi sibi victus difficultatem, libertatis amore compensant. Aliæ vocibus tantum strepunt, aliæ canoro delectant suauisque modulamine. Quædam ex natura, aliæ ex institutione diuersarum vocum obloquuntur discrimina: ut hominem putes loeutum, cum locuta sit auis. Quam dulcis merularum, quam expressa vox psittaci est! Sunt etiam aliæ simplices, ut columbæ, aliæ astutæ, ut perdices: gallus iactantior, paucus speciosior. Sunt etiam vitæ in auibus & operum diuersitates: ut aliæ ament in commune consulere, & collatis viribus velut quandam curare rempublicam, & tamquam sub rege viuere; aliæ sibi quisque prospicere, imperium recutare: & si capiuntur, indigno velint exire seruitio.

*Exorditur sermonem de gruibus, de quibus differit quomodo sollicitam exercent custodiam, & volantes seruent ordinem, exemplumque exercentæ politia præberint hominibus de statu antiquæ reipublicæ, & de causa humanæ incuriæ. CAP. XV.*

**A**BIUS igitur ordiamur, quæ nostro vsui imitationem dederunt. In illis enim politia quædam & militia naturalis, in nobis coacta atque seruilis. Quam iniussu & voluntario vsu grues in nocte sollicitam exercent custodiam! Dispositos vigilantes cernas, & ceteris consortibus generis quiescentibus aliæ circumcunt & explorant, ne qua ex parte insidiæ tendantur, atque omnem deserunt impigro sui vigore tutelam. Post ubi vigiliarum fuerit tempus impletum, persuncta munere, in somnum se præmissis clangore componit, ut exciter dormientem, cui vicem muneris traditura est. At illa volens suscipit fortem, nec vsu nostro inuita & pigrior somno renuntiat, sed impigre suis excutitur stratis, vicem exequitur, & quam accepit gratiam, pari cura atque officio repræsentat. Ideo nulla desertio, quia deuotio naturalis: ideo tuta custodia, quia voluntas libera. Hunc etiam volantes ordinem seruant, & hac moderatione omnem laborem alleuant, ut per vices fungantur ductus sui munere. Præcedit enim vna cæteris præstito sibi tempore, & quasi ante signa præcurrit, deinde conuertitur, & sequenti fortem ducendi agminis cedit. Quid hoc pulchrius? & laborem omnibus & honorem esse communem, nec paucis arrogari potentiam, sed quadam in omnes voluntaria forte transcribi. Antiquæ hoc reipublicæ munus, & instar liberæ ciuitatis est. Sic ab initio acceptam à natura exemplo auium politiam homines exercere cœperunt, ut communis esset labor, communis

munis dignitas: per vices singuli partiri curas discedent, obsequia imperiique diuidere; nemo esset honoris exors, nullus immunis laboris. Hic erat pulcherrimus rerum status, nec insolebat quisquam perpetua potestate, nec diuturno seruitio frangebatur, quia & sine inuidia erat ordine muneris & temporis moderatione delata promotio, & tolerabilior videbatur quæ communi cadebat sorte custodia. Nemo audebat alium seruitio premere, cuius sibi successuri in honorem mutua forent subeunda fastidia: nemini labor grauis, quem dignitas secutura releuaret. Sed postquam dominandi libido vendicare cœpit indebitas, & susceptas nollet deponere potestates, posteaquam militia, non ius commune cœpit esse, sed seruitus, posteaquã nõ ordo factus est suscipiendæ potestatis, sed studiũ vendicandæ, cœpit etiã ipsa laboris functio diuini sustineri: & quæ non est voluntaria, citò locum relinquit incuriæ. Homines quàm inuiti subeunt vigiliarum munia, quàm ægre vnusquisque in castris periculum sortitus excubat, quod tuendum sibi regali præceptione committitur! Proponitur pœna desidie: & tamen plerumque obrepit incuria, non seruantur excubiæ. Necessitas enim quæ inuito imponit obsequium, affert plerumque fastidium. Nihil est enim tam facile, quin habeat difficultatem quod facias inuitus. Ergo & iugis labor auertit affectum, & continua & diuturna potentia gignit insolentiam. Quem inuenias hominum qui sponte deponat imperium, & ductus sui cedat insigne, siatque volens numero postremo ex primo? Nos autem non solum de primo, sed etiam de medio sæpe contendimus, & primos discubitus in conuiuio vendicamus: ac si semel delatum fuerit, volumus esse perpetuum. Ideo inter grues æquanimitas in laboribus est, humilitas in potestatibus. Admonentur ut exercent custodiæ vices, non admonentur ut de potestate decedat, quia ibi naturalis quies somni interpellanda, hic voluntariæ sedulitatis gratia præstantia est.

*De Ciconiis, quemadmodum proficiantur quod pergendum putant: qualiter etiam à cornicibus deducantur, atque adiuuentur in bellis: & de carundem cornicum commendabili hospitalitate, humaneque negligentie increpatione: de illarum quoque erga patres suos pietate, & nostræ impietatis notatione. CAP. XVI.*

**C**Iconias ferunt collecto proficiisci agmine, si quod pergendum putant, & simul pterisque circa Orientem locis inuchi, & quasi tessera militari pariter omnes moueri. Exercitum credas cum signis suis pergere, sic omnes viandi, comitandique & præcundi ordinem seruant. Cornices autem deducunt eas ac dirigunt, & velut quibusdam turmis stipatricibus profrequuntur, adeo ut adiumenta quædam bellantibus aduersus inimicas aues conferre credantur, & propriis periculis bella aliena suscipere. Cuius rei indicium est, quia nullæ per interuallum illud temporis residere in iis locis reperiuntur: & quia cum vulneribus reuertentes, manifesta quadam sanguinis sui voce certissime loquuntur iudiciis, grauium se certaminum subiisse conflictum. Quis igitur illis pœnam desertionis indixit? Quis dereli-

cta militiæ supplicia præscripsit formidolosa, ut nulla profrequendis hospitalibus turmis sese subtrahere nitatur, sed certatim omnes deductionis munere officioque fungantur? Discant homines hospitalia seruare iura, & ex auibus cognoscant quid religionis hospitibus sit deferendum, quod obsequium deputandum, quibus cornices etiam pericula sua negare non soleant. His igitur nos ianuas claudimus, quibus aues etiam animas suas conferunt? & quos illæ consortio profrequuntur discriminis, eos recti prohibemus hospitio? & quorum illæ bella suscipiunt, his nos bella frequenter inferimus? Mentior, si non Sodomitanis hæc fuit causa supplicij: aut Ægyptius furor gæti hospitiæ dum bellum conatur inferre, inhospitalitatis pœnas infidæ naufragio plebis exoluit. Quam verò rationabilium excedat pietatem ac prudentiam auis huius clementia, considerandum, quam nec post exemplum quidem irrationalium quisquam nostrum imitari potuerit. Nam depositi patris artus per longæuum senectutis plumarum tegmine alarumque remigio nudatos, circumstantis soboles pennis propriis fouet. Et quid dicam, collatio cibo pascit, quando etiam ipsa reparat naturæ dispendia, ut hinc atque inde subleuantes senem fulcro alarum suarum ad volandum exerceant, & in pristinos vsus desueta iam reuocent pij membra parentis? Quis nostrum leuare ægrum non fastidiat patrem? Quis festum senem suis humeris imponat, quod in ipsa historia vix credibile habetur? Quis ut pius sit, non hoc seruilis mandat obsequium? At verò auibus non est graue, quod pietatis est plenum: non est onerosum, quod soluitur naturæ debito. Non reculant aues pascere patrem, quod etiam præscripta necessitate sub terrore pœnarum plerique hominum recularunt. Aues non scripta, sed nata lex stringit. Aues ad hoc munus nullo præcepto conueniunt, sed gratiæ naturalis officio. Aes non erubescunt reuerendi senis membra portare. Est enim vêtura pietatis: quod cuiusque frequenti testificatione percerebuit, ut congruæ mercedem remunerationis inuenerit. Nam Romanorum vsu pia auis vocatur. Et quod vix vni imperatori consulto senatus delatum dicitur, hoc istæ aues in commune meruerunt. Habent ergo aues istæ decreta patrum ad propriæ insignie clementiæ. Pios enim filios patrum prius oportuit iudicio prædicari. Habent etiam vniuersorum suffragia. Nam retributio beneficiorum, antipelargosis nominatur. Pelargos enim ciconia dicitur. Virtus itaque ab his nomen accepit, cum relatio gratiarum ciconiæ vocabulo nuncupatur.

*De hirundinis materna sedulitate, industria ac pietate in filios, de commendatione præterea paupertatis ipsius & molestia, atque improbitate nostrâ, cum paupertas, inopia, vel indigentia nobis occurrerit. CAP. XVII.*

**H**Abemus auariæ sobolis erga cultus patrios pietatis exemplum: accipiamus nunc maternæ sedulitatis in filios grande documentum. Hirundo minuscula corpore, sed egregie pio sublimis affectu, quæ indiga rerum omnium, pretiosiores auro nidos struit, quia sapienter nidificat. Nidus enim sapientiæ, pretiosior est auro. Quid enim sapientius, quàm ut & volandi vaga libertate potiatur,

Gen. 19. Exod. 14.

Matth. 23.

αυτιπτελ δει γωσις.

Proverb. 16.

εγγρησα.



& hominum domiciliis paruulos suos & tecta com-  
mendet, vbi sobolem nullus incurset? Nam & illud  
est pulchrum, vt à primo ortu pullos suos humanæ  
vñi conuersationis affuecat, & præter ab inimica-  
rum auium infidiis tutiores. Tum illud præclarum,  
qua gratia domos sibi sine vlllo adiutore tamquam  
artis perita componat. Legit enim festucas ore, cæs-  
que luto illinit, vt conglutinare possit. Sed quia lu-  
tū pedibus non potest deferre, summitatē pennarū  
aqua infudit, vt faciliè his puluis adhæreat, & fiat li-  
mus, quo paulatim festucas vel minutos furculos sibi  
colligat, atq; adhærere faciat: eo genere nidi totius  
fabrica struit, vt quasi pauimēti solo pulli eius intra  
ædes suas sine offensione versentur, nec pedem ali-  
quis interferat per rimulas texturarum, aut teneris  
frigus irreat. Sed hoc industria officium propè  
commune multis auibus: illud verò singulare, in  
quo est præclara cura pietatis, & prudentis intelle-  
ctus & cognitionis insigne, tum quædam medicæ  
artis peritia, quod si qua pulli eius fuerint cecitate  
suffusi oculos, siue compuncti, habet quoddam  
medendi genus, quo possit eorum lumina interce-  
pto vsui reformare. Nemo igitur de inopia querat-  
tur, quod vacuas pecuniæ proprias ædes reliquerit.  
Pauperior est hirundo, quæ vacua aris, abundat in-  
dustria. Ædificat, nec impendit: tecta attollit, & ni-  
hil aufert proximi: nec indigentia & paupertate ad  
nocendum alij compellitur, nec in graui filiorum  
imbecillitate desperat. Nos verò & paupertas afficit  
& inopiæ necessitas vexat, & plerisque indigentia  
cogit in flagitium, impellit in crimen. Lucri quoque  
studio in fraudes verlamus ingenium, aptamus af-  
fectum, atque in grauissimis passionibus spem de-  
ponimus, fracti que animo resoluimur, improvidi  
& inertes iacemus: cum de diuina miseratione tunc  
sperandum amplius sit, cum præsidia humana defe-  
cerint.

Eccl. 17.

*Vt ex vsu & pietate cornicum discant homines amare filios:  
& de feminarum nostri generis, patrumque in filios im-  
pietate: & hinc de excusatione accipitrum & aquilarum,  
qui duram aduersus fetus suos feruntur habere inclemen-  
tiam: de pietate quoque fulicæ, quæ abdicatum aquilæ pul-  
lum cum sua prole connectit & nutrit. CAP. XVIII.*

**D**iscant homines amare filios ex vsu & pietate  
cornicum, quæ etiam volantes filios comitatu  
sedulo prosequuntur, & sollicitæ ne teneritudine de-  
ficient, cibum suggerunt, ac plurimo tempore nu-  
trienti officia non relinquunt. At verò sceminæ no-  
stri generis citò ablaçant etiam illos quos diligunt:  
aut si ditiores sunt, lactare fastidiunt. Pauperiores  
verò abiciunt paruulos, & exponunt, & deprehen-  
sos abnegant. Ipsæ quoque diuites, ne per plures  
suum patrimonium diuidatur, in vtero proprios nec-  
cant fetus, & parricidalibus succis in ipso genitali  
aluo pignora sui ventris extinguunt, priusque aufertur  
vita quam traditur. Quis docuit nisi homo filios  
abdicari? Quis reperit tam immitia patrum iura?  
Quis inter naturæ fraterna confortia fratres impa-  
res fecit? Vnius diuitis filij diuersa forte cæduntur.  
Alius totius paternæ fortis adscriptionibus inunda-  
tur, alius opulentæ hæreditatis patriæ deplorat ex-

hausam atque inopem portionem. Numquid natu-  
ra diuisit merita filiorum? Ex pari omnibus tribuit,  
quod ad nascendi atque viuēdi possint habere sub-  
stantiam. Ipsa vos doceat non discernere patrimo-  
nio, quos titulo germanitatis æquasti. Etenim qui-  
bus dedistis communiter esse quod nati sunt, non  
debetis his, vt id communiter habeant in quod à  
natura substituti sunt, inuidere. Accipitres feruntur  
in eo durā aduersum proprios fetus habere incle-  
mentiam, quod vbi eos aduerterint tentare volatus  
primordia, nidis eiiciunt suis, continuoque elimi-  
nant, ac si morentur, propulsant pennis atque præ-  
cipitant, verberat alis, coguntque audere quod tre-  
pidant, nec vllum postea deferunt his munus ali-  
monia. Quid mirum tamen si rapere affueti, nutrire  
fastidiunt? Consideremus ad hoc eos esse genera-  
tos, vt etiam aues ad cauendum formido exerceat,  
ne passim curas relaxent, sed pericula declinanda  
prospiciant. Deinde cum his natura quadam præ-  
dandi munus inoleuerit, magis à tenero pullos suos  
instituire videntur ad prædam, quam pastus abdi-  
care cōpēdiis. Cauēt ne in tenera ætate pigrescant,  
ne soluantur deliciis, ne marcescāt otio, ne discāt ci-  
bum magis expectare quam querere, ne naturæ suæ  
deponant vigorem: intermittunt studia nutriendi,  
vt in vsu rapiendi audere compellant. Aquila quo-  
que plurimo sermone vsurpatur, quod suos abdicet  
fetus: sed non vtrumque, verum vnum ex duobus.  
Quod aliqui fieri putauerunt geminandorum ali-  
mentorum fastidio. Sed id non arbitror faciliè cre-  
dendum, præsertim cum Moyses tantum testimo-  
nium pietatis in pullos suos huic dederit aut, vt di-  
ceret, Sicut aquila protegit nidum suum, & super  
pulos suos concupiuit, & expandit alas suas, & as-  
sumpsit eos, & suscepit super scapulas suas: Dominus  
solus ducebat eos. Quomodo ergo expandit alas  
suas, si occidit alterū: Vnde puto nō auaritia nutriē-  
di eū inclementē fieri, sed examine iudicandi. Sæper  
enim fertur probare quos genuit, ne generis sui in-  
ter omnes aues quoddam regale fastigium de gene-  
ris partus deformitas decoloreret. Itaque asseritur  
quod pullos suos radiis solis obiiciat, atque in aëris  
medio pio paruulos vngue suspendat: ac si quis re-  
percutus solis lumine, intrepidam oculorum aciem  
inoffenso intuenti vigore seruauerit, is probatur,  
quod veritatem naturæ sinceri obtutus constantia  
demonstrauerit: sin verò lumina sua præstrictus ra-  
dio solis inflexerit, quasi degener & tanto indignus  
parente reicitur: nec æstimatur educatione dignus,  
qui fuit indignus susceptione. Non ergo eum acer-  
bitate naturæ, sed iudicij integritate condemnat:  
nec quasi suum abdicat, sed quasi alienum recusat.  
Hanc tamen, vt quibusdam videtur, regalis auis in-  
clementiam, plebeia auis excusat clementia. Auis  
enim cui fulica nomen est, quæ Græcè dicitur  
Pheue, susceptum illum siue abdicatum siue non  
agnitum aquilæ pullum cum sua prole connectit,  
atque intermiscens suis, eodem quo proprios fœ-  
tus maternæ sedulitatis officio, & pari nutrimen-  
torum subministratone pascit & nutrit. Ergo Phe-  
ne alienos nutrit; nos verò nostros immitti crudeli-  
tate proiicimus? Aquila verò si proiicit, non quasi  
suum proiicit, sed quasi degenerem non recogno-  
scit

97

scit: nos, quod peius est, quos nostros recognosci-  
mus, abdicamus.

*De turturis viduitate, exhortationeque mulierum, vt discant  
quanta sit viduitatis gratia, quæ etiam in auibus prædica-  
tur. CAP. XIX.*

Leuit. 12.

Luc. 2.

1. Tim. 5.

1. Cor. 7.

Deut. 32.

**S**ed veniamus ad turturum, quam lex Dei velut  
castæ hostiæ munus elegit. Quæ cum Dominus  
circumcideretur, oblata est: quia scriptum est in lege  
Domini, vt darent hostiam, par turturum, aut duos  
pulos colubarum. Hoc est enim verum Christi sa-  
crificium, pudicitia corporalis, & gratia spiritalis.  
Pudicitia ad turturum refertur, ad columbam gra-  
tia. Etenim turtur vbi iugalis proprii fuerit amisione  
viduata, pertæsum thalamos & nomen habet  
coniugij, eo quod primus amor fefellerit eam dile-  
cti morte deceptam, quoniam & infidelis ad perpe-  
tuitatem fuit, & amarus ad gratiam: qui plus doloris  
ex morte quam suauitatis ex charitate generauerit.  
Itaque iterare coniunctionem recusat, nec pudoris  
iura aut complaciti viri resoluit fœdera, illi soli suam  
charitatem reseruat, illi custodit nomen vxoris. Di-  
scite mulieres quanta sit viduitatis gratia, quæ etiam  
in auibus prædicatur. Quis igitur has leges turturi  
dedit? Si hominem quero, non inuenio. Homo enim  
nullus est ausus, quando nec Paulus ausus est leges  
tenendæ viduitatis præscribere. Nam ipse ait, Volo  
ergo iuniores nubere, filios procreare, matres fami-  
lias esse, nullam occasionem dare aduersario. Et ali-  
bi, Bonum est illis si sic permaneant: quod si se non  
continent, nubant. Melius est enim nubere, quam  
viri. Optat Paulus in mulieribus, quod in turturibus  
perseuerat. Et iuniores hortatur vt nubant, quia mu-  
lieres nostræ turturum pudicitiam implere vix pos-  
sunt. Ergo turturibus Deus hunc infudit affectum,  
hanc virtutem continentia dedit, qui solus potest  
præscribere quod omnes sequantur. Turtur non vir-  
tute flore iuuentutis, non tentatur occasionis illece-  
bra: turtur nescit primam fidem irritam facere, quia  
nouit castimoniam seruare prima connubij sorte  
promissam.

*De natura & proprietate vulturum, quæ cum absque maris  
conubitu generet, insinuant non fuisse impossibile beatam  
Virginem sine viro peperisse. CAP. XX.*

**D**iximus de viduitate auium, eamque ab illis pri-  
mum exortam esse virtutem: nunc de integri-  
tate dicamus, quæ in pluribus quidem auibus ita esse  
assueratur, vt possit etiam in vulturibus deprehen-  
di. Negantur enim vultures indulgere cōcubitu, &  
cōiugali quodam vsu, nuptialique copulæ sorte mi-  
sceri, atque ita sine vlllo masculorum concipere fe-  
mine, & sine coniunctione generare, natōsque ex his  
in multam longæuitatem procedere, vt vsque ad cē-  
tum annos vitæ eorum series producat, nec facile  
eos angusti aui finis excipiat. Quid aiunt, qui solent  
nostra ridere mysteria, cum audiunt quod Virgo ge-  
nerauit, & impossibile in nuptiæ, cuius pudorem  
nulla viri consuetudo temerasset, existimant par-  
tum? Impossibile putatur in Dei matre, quod in vul-  
turbus possibile non negatur? Auis sine masculo pa-  
rit, & nullus refellit: & quia virgo Maria peperit, pu-  
S. Ambr. tom. 1.

Luc. 1.

dori eius faciunt quæstionem? Nōne aduertimus,  
quod Dominus ex ipsa natura plurima exempla an-  
tè præmisit, quibus susceptæ incarnationis decorem  
probaret, & adstrueret veritatem?

*De natura & admiranda industria ac diligentia apum, quæ  
velut quandam reipublicam curare videntur. CAP. XXI.*

**N**unc agè, quæ aues velut quandam rempubli-  
cam curare videantur expediam, atque vitæ  
huius ætates agere sub legibus. Hic enim reipublicæ  
vsus est, leges omnibus esse communes, atque ob-  
seruari eas deuotione communi. Vno omnes teneri  
vinculo, non alteri ius esse quod alius sibi intelligat:  
non licere: sed quod liceat, licere omnibus: & quod  
non licet, omnibus non licere. Esse etiam commu-  
nem reuerentiam patrum, quorum consilio repu-  
blica gubernetur, commune omnibus vrbis domi-  
cilium, commune conuersationis officium, vnum  
præscriptum, omnibus vnum esse consilium. Magna  
hæc, sed quanto in apibus præstantiora, quæ solæ in  
omni genere animantium, commune omnibus  
sobolem habent, vnam omnes incolūt mansionem,  
vnius patriæ clauduntur limine, in commune omni-  
bus labor, commune cibum, commune operatio,  
commune vsus & fructus est, commune volatus.  
Quid plura? Commune omnibus generatio, inte-  
gritas quoque corporis virginalis omnibus com-  
munis, & partus, quoniam neque vlllo cōcubitu mi-  
scentur, nec libidine resoluuntur, nec partus quatiū-  
tur doloribus, & subito maximum filiorum examen  
emittunt, è foliis & herbis ore suo prolem legentes.  
Ipsæ sibi regem ordinant, ipsæ sibi populos creant,  
& licet positæ sub rege, sunt tamen liberæ. Nam &  
prærogatiuam iudicij tenent, & fidæ deuotionis af-  
fectum: quia & tamquam à se substitutum diligunt,  
& tanto honorant examine. Rex autem non forte  
ducitur, quia in forte euentus est, non iudicium, &  
sæpe irrationabili casu melioribus vltimus quisque  
præfertur: neque imperitæ multitudinis vulgari cla-  
more signatur, quæ non merita virtutis expendit,  
nec publicæ vtilitatis emolumenta rimatur, sed  
mobilitatis nutat incerto: neque priuilegio succes-  
sionis & generis regalibus thronis infidet. siquidem  
ignarus publicæ conuersationis, cautus atque eru-  
ditus esse non poterit. Adde adulationes atque de-  
licias, quæ teneris inolitæ ætatibus, vel acre ingenij  
eneruare consuerunt; tum institutiones spadonum  
quorū plerique suo magis quæstui, quam vsui publico  
animum regis inclinant. Apibus autem rex naturæ  
claris formatur insignibus, vt magnitudine corporis  
præstet & specie: tum (quod in rege præcipuum est)  
morum mansuetudine. Nam etsi habet aculeum, ta-  
men eo non vtitur ad vindicandum. Sunt enim le-  
ges naturæ non scriptæ litteris, sed impressæ mori-  
bus, vt leniores sint ad puniendum, qui maxima po-  
testate potiuntur: sed & quæ non obtemperauerint  
legibus regis, poenitenti condemnatione se multat,  
vt immoriantur aculei sui vulneri. Quod Persarum  
populi hodiè que seruare dicuntur, vt pro commissi  
pretio, ipsi in se propriæ mortis exequantur sen-  
tentiam. Itaque nulli sic regem; non Persæ qui  
grauissimas in subditos habent leges; non Indi, non

populi Sarmatarū, tanta quanta apes reuerentia deuotionis obseruant, vt nullā ē domibus exire audeant, non in aliquos prodire pastus, nisi rex fuerit primō egressus, & volatus sibi vendicauerit principatum. Processus autem est per rura redolentia, vbi inhalantes horti floribus, vbi fugiens riuus per gramina, vbi amœna riparum: illic ludus alacris iuuentutis, illic campestre exercitium, illic curarum remissio. Opus ipsū suauē de floribus, de herbis dulcibus fundamina castrorum prima ponuntur. Quid enim aliud est fauus, nisi quādam castrorum species? Denique ab his præsepibus apū fucus arceatur. **H**æc castra quadrata tantum possunt habere artis & gratiæ, quantum habent crates fauorum, in quibus minuta ac rotundæ cellulæ connexionē sui inuicem fulciuntur? Quis enim architectus eas docuit hexagonia illa cellarum indiscreta laterum æqualitate componere, ac tenues inter domorum septa ceras suspendere, stipare mella, & intexta floribus horrea nectare quodam distendere? Cernas omnes certare de munere, alias inuigilare quærendo victum, alias sollicitam castis adhibere custodiam, alias futuros explorare imbres & speculari concursus nubium, alias de floribus ceras fingere, alias rorem infusum floribus ore colligere: nullam tamen alienis infidari laboribus, & raptō vitam quærere: atque vtinam raptorum insidias non timerent. Habent tamen spicula sua, & inter mella fundunt venenum, si fuerint lacēsita, animāque ponunt in vulnere ardore vindictæ. Ergo mediis castrorum vallibus humor illeroris infunditur, paulatimque processu temporis in mella cogitur, cum fuerit liquidus ab exordio, & coalitu ceræ florūque fragrare mellis incipit suauitatem. Meritō quasi bonam operariam scriptura apem prædicat, dicens, Vade ad apem, & vide quomodo operaria est. Operationem quoque quā venerabilem operatur, cuius laborem reges & mediocres ad salutem sumunt. Appetibilis enim est omnibus & clara. Audis quid dicat Propheta? Mittit vtique te vt apiculæ illius sequaris exemplum, imiteris operationem. Vides quā laboriosa, quā grata sit. Fructus eius ab omnibus desideratur & quæritur, nec pro personarum diuersitate discernitur, sed indiscreta sui gratia regibus pariter ac mediocribus æquali suauitate dulcescit. Nec solū voluptati, sed etiam salutis est: fauces obdulcat, & curat vulnera, inrernis quoque medicamentum infundit vlceribus. Itaque cum sit infirma robore apis, valida est vigore sapientiæ, & amore virtutis. Denique regem suū summa protectione defendunt, & perire pro eo pulchrum putant. Incolumi rege nesciunt mutare iudicium, mentem insectere: amisso fidem seruādi muneris derelinquunt, atque ipsæ sua mella diripiunt, quōd is qui principatum habuit muneris, interemptus est. Itaque cum aues aliæ vix in anno edant singulos fœtus, apes geminos creant, & duplici cæteris fecunditate præponderant.

*Redit ad explicationem textus, describit aues iuxta corporis speciem: & agit de cygno, cicada, & apibus. CAP. XXII.*

**C**onsideremus nunc quid sit quod ait, Producant aquæ reptilia animarum viuentium secundum genus, & volatilia volantia super terram secundum genus, secus

**G** firmamentum cæli. Cur super terram dixerit, certum est, quia victum de terra quærunt. Secus firmamentum autem cæli quomodo, cum aquilæ vltra cæteras aues volent, & tamen ipsæ non secus firmamentum cæli? Sed quia Græcè ἕρως dicitur quod Latine cælum appellamus: ἕρως autem ἕρως τῆ οὐρανοῦ, id est, à videndo, ideo quod aër perspicuus sit, & ad videndum purior, in aère volitātia genera dixit animantium. Et ne moueat quod ait, *secus firmamentum cæli*: non propriè firmamentum hîc posuit, sed abusuè, eo quod comparatione atheri illius corporis etiam iste aër quem possumus oculis comprehendere, quasi crassior & densior vicem habeat firmamenti. Nunc quia diximus, quæ volatilia quam naturam habeant & gratiam, & ea pauca de multis: neque enim vacat vniuersa describere, cum sint similia, atque eiusdem generis: tamen aues ipsæ quam inter se diuersitatem habeant, consideremus. Inuenimus enim cornicis pedes velut quibusdam digitis distantibus separatos atque diuisos, corui quoque atque pullorum aliter etiam formatos à natura pedes: auium verò quæ carne vescitur, cernimus quasi incuruos atque sinuatos ac velut ad prædam paratos. Eæ verò quæ natandi habent vsum & consuetudinem, latos habent pedes, & membrana quadam digitos pedum sibi copulatos atque coniunctos. In quo admirabilis patet ratio naturæ, vt & illa ad volandum vel ad rapiendum cibum vsum accommodo fulciantur, & ista ad natandum adiumenta habeant competentia, quōd melius aquis possint supernatare, & quasi remis quibusdam, ita pedibus suis membranæ illius extensione latioribus aquarum fluëta propulsent. Cygnus quoque cur prociore collo vtatur, in promptu est, vt quia est paululum segnior corpore, nec facillè potest aquarum inferiora penetrare, ceruicem extendat ad prædam, quæ quasi præuia reliqui corporis escam quam inuenerit, rapiat atque eruat è profundo. Adde & illud, quia suauior & magis canorus per prociore modulus colla distinguitur, & longiore exercitatione purior longè resultat. Quam dulcis etiam in exiguo cicadis gutture cantilena; quarum cantibus medio æstu arbuta rumpuntur, eo quod magis canoræ meridianis caloribus, quo puriorem aërem id temporis attrahunt spiritu, eo cantus resonant clariores. Nec apes ipsæ insuaue quiddam canunt. Habent enim gratiam in rauco illo vocis suæ murmure suauitatem, quam nos fracto tubarū sonitu lentius primū videmur imitari, quo crepitu ad excitandos animos in vigorem nihil aptius æstimatur. Et hæc illis gratia manet cum pulmonem respirandique munus atque vsum nequaquam habere prodantur, sed aërio vesci spiramine. Denique si quis eas superfundat oleo, prope rē necantur, eo quod obstructis poris aërium spiramen illud haurire non possint: continuoque si quis acetum his superfundat, illico reuiuiscunt, eo quod vis aceti citò illos poros qui concretionē olei obstruuntur, humore feratur aperire.

*Describit ad mores hominum instituendos, naturā vermis Indici, chamæleōtis, lepore, locustæ, & selesis. CAP. XXIII.*

**E**T quia de volatilibus dicimus, non putamus alienum ea complecti quæ de verme Indico tradit

*Arist. lib. 5. hist. animal. cap. 19.*

*Luc. 7. Matth. 11.*

*1. Cor. 15. ibid.*

*coloss. 3.*

*psal. 26.*

*psal. 49.*

*psal. 58.*

*2. Tim. 4.*

*Job. 38.*

tradit historia, vel eorum relatio qui videre poterunt. Fertur hic corniger vermis conuerti primū in speciem erucæ, atque in eam mutari naturam, inde processu quodam fieri bombylius: nec eam tamen formam figuramque custodit, sed laxis & latioribus foliis videtur pennas assumere. Ex huius filis mollia illa Seres depectunt vellera, quæ ad vsum sibi proprios diuites vendicarunt. Vnde & Dominus ait; Quid existis in desertum videre hominem? vestimentis indutum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Chamæleon quoque diuersas species fertur vario colore mentiri. Lepores certè (quod de proximo facillè cognouimus) hyeme albescere, æstate in suum colorē redire non dubium est. Hæc ideo libaui, vt ad commutationis fidem quæ in resurrectione futura est, etiam ista exempla nos prouocent: sed ita vt commutationem illam dicamus quam Apostolus euidenter expressit, dicens, Omnes quidem resurgemus, non omnes autem immutabimur. Et infra ait, Et mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam, & mortale hoc induere immortalitatem. Plerique enim commutationis genus & formas quas non acceperant, interpretati, nequaquam præsumptionis indebitè incongrua usurpatione caruerunt. Phoenix quoque auis in locis Arabiæ perhibetur degere, atque ea vsque ad annos quingentos longæuitate procedere. Quæ cum sibi finem vitæ adesse aduerterit, facit sibi thecam de ture & myrrha & cæteris odoribus, in quam impleto vitæ suæ tempore intrat, & moritur. De cuius humore carnis vermis exurgit, paulatimque adolescit, ac processu statuti tēporis induit alarum remigia, atque in superioris auis speciem formamque reparatur. Doceat igitur nos hæc auis vel exemplo sui resurrectionem credere, quæ & sine exemplo, & sine rationis perceptione, ipsa sibi insignia resurrectionis instaurat. Et vtique aues propter hominem sunt, non homo propter aues. Sit igitur exemplo nobis, quia auctor & creator auium sanctos suos in perpetuum perire non patitur, qui auem vnicam perire non passus, eam sui semine voluit reparari. Quis igitur huic annuntiat diem mortis, vt faciat sibi thecam, & impleat eam bonis odoribus, atque ingrediatur in eam, & moriatur illic vbi odoribus gratis fœtor funeris possit aboleri? Fac & tu o homo tibi thecam: expolians veterem hominem cum actibus suis, nouum indue. Theca tua, vagina tua, Christus est, qui te protegat & abscondat in die malo. Vis scire quia theca, quia protectio est? Phœtra, inquit, mea protexi eum. Theca ergo tua est fides: imple eam bonis virtutum tuarum odoribus, hoc est, castitatis, misericordiæ, atque iustitiæ, & in ipsa penetralia fidei suauis factorum præstantium odore redolentia totus ingredere: ea te amictum fide exitus vitæ huius inueniat, vt possint ossa tua pinguescere, & sint sicut hortus ebruius, cuius citò semina suscitantur. Cognosce ergo diem mortis tuæ, sicut cognouit & Paulus, qui ait, Certamen bonum certavi, cursum consummaui, fidem seruauit: quod reliquum est, reposita est mihi corona iustitiæ. Intrauit igitur in thecā suam quasi bonus phœnix, quam bono repleuit odore martyrij. Interrogabo te, tu au-

tem responde mihi, vnde vultures mortē hominum signis quibusdā annūtiare cōsueverunt: quo indicio edocui atque instructi sint, vt cum bellum lacrymabile inter se aduersæ acies instaurant, multo prædictæ volucres sequantur agmine, & eo significet quia multitudo hominū casura sit bello, futura præda vulturibus? Quod vtique ex specie instructionis humanæ quadam videntur ratione colligere. Vsq̄ ad locustam quoque gratia diuina penetrauit, quæ cum agmine conferto regionis cuiusque occupauerit latitudinem, innoxio primū fertur habitaculo, nec fructus inhospitali incurfione depascitur, nisi diuine signum præceptionis acceperit. Etenim sicut in Exodo legimus, ea quoque cælestis vltionem offensionis exequitur, piæ ministra vindictæ. Hanc quoque auis deuorat selesis, (sic enim Græco auis hæc nuncupatur nomine) data ad remediū malorū quæ locusta consuevit inferre: cui creator inexplebilem dedit deuorandi naturam, vt insatiabili pastu plagam quam supra diximus possit extinguere.

*De natura & proprietatibus auium nocturnarum, videlicet lusciniæ, noctuæ, vespertilionis, & galli, quarum vsu & exemplis admonemur & instruiamur. CAP. XXIII.*

**S**ed quid hoc est? Dum sermonem producimur, ecce iam & nocturnæ aues circumvolant, & in eo ipso in quo finiendum sermonem admonent, sui quoque assumenda commemorazione producunt. Repētunt diuersæ auaria sua, quas vesper nocte cogit decedere, & se in latibulis suis abdunt, canoro occasum diei carmine prosequentes, ne immunes abeat gratiarū, quibus creator suū omnis creatura collaudat. Habet etiam nox carmina sua, in quibus vigilas hominum mulcere consuevit, habet & noctua suos cātus. Quid autem de lusciniā dicam, quæ perugil custos cum oua quodam sinu corporis & gremio fouet, infomnem longæ noctis laborem cantilenæ suauitate solatur: vt mihi videatur hæc summa eius esse intentio, quod possit non minus dulcibus modulis, quam motu corporis animare in fœtus oua quæ foueat. Hanc imitata tenuis illa mulier, sed pudica, incussum molæ lapidem brachio trahens, vt possit alimentum panis suis paruulis non deesse, nocturno cātū mœstum paupertatis mulcet affectum. Et quamuis suauitatem lusciniæ non possit imitari, imitatur tamen eam sedulitate pietatis. Noctua ipsa quemadmodum magnis & glaucis oculorum pupillis nocturnarum tenebrarum caligantem non sentit hortorem: & quo fuerit nox obscurior, eo contra vsum auium cæterarum inoffensos exercet volatus. Exorto autem die, & circumfuso splēdore solis, visus eius hebetatur, quasi quibusdam erret in tenebris. Quo indicio sui declarat esse aliquos qui cum oculos habeant ad videndum, videre non soleant: & visus sui officio solis fungatur in tenebris. De cordis oculis loquor, quos habent sapientes mundi & non vident, in luce nihil cernunt, in tenebris ambulāt, dum demoniorum tenebrosa rimantur, & cæli alta se videre credunt; describentes radii mundum, mensuram aëris ipsius colligentes. Porro autem à fide dei, perpetuæ cæcitatē tenebris implicantur, habentes in proximo diem Christi, & lumen Ecclesiæ, & nihil videntes: aperiunt os

*Præverb. 30.*

*Exod. 10.*

*psal. 148.*

quasi sciētes omnia, acuti ad vana, hebetes ad aterna, & longa disputationis anfractum prodentes inscientiā propriā cæcitatem. Itaque dum cupiunt subtilibus euolare sermonibus, quasi noctuar in lumine euauerunt. Vespertilio animal ignobile, à vesperere nomen accepit. Est autem volatilis, eadēque quadrupes, & dentibus vitur, quos in aliis aibus reperire non soleas. Parit vt quadrupedia, non oua, sed pullos. Volitat in aere auis more, sed crepusculo vespertino cōsuevit offundi. Volitat autē non aliquo pēnarū, sed mēbranæ suæ fulta remigio, quo suspēsa velut pennarū volatu circumfertur atq; vagatur. Habet & illud hoc vile animal, quod sibi inuicem adhærent, & quasi in speciem botri ex aliquo loco pendunt: ac si se vltima quæque laxauerit, omnes resoluuntur. Quod sit quodam munere charitatis, quæ difficilē in hominibus huius mundi reperitur. Est etiam galli cantus suavis in noctibus: nec solum suavis, sed etiam vtilis, qui quasi bonus cohabitator, & dormientem excitat, & sollicitum admonet, & viantem solatur, processum noctis canora significatione proteflans. Hoc canente latro suas relinquit insidias, hoc ipse lucifer excitatus oritur, calūmque illuminat, hoc canente mœstiam trepidus nauta deponit, omnique crebro vespertinis flatibus excitata tempestas & procella mitescit, hoc canente deuotus affectu exilit ad precandum, legendi quoque munus instaurat; hoc postremò canente, ipsa Ecclesiæ petra culpam suam diluit, quam priusquam gallus cantaret, ter negando contraxerat. Istius cantu spes omnibus redit, ægris leuatur incommodum, minuitur dolor vulnerum, febrium flagrantia mitigatur, reuertitur fides lapsis, Iesus titubantes respicit, errantes corrigit. Denique respexit Petrum, & statim error abscessit: pulsa est negatio, secuta cōfessio. Quod non fortuito accidisse, sed ex sententia Domini, lectio docet. Sic enim scriptum est, quia dixit Iesus ad Simonem, Non cantabit gallus, priusquam me ter abneges. Bene fortis in die Petrus, nocte turbatur: & ante galli cantū labitur, & labitur etiā tertio: vt scias non inconsulta effusione sermonis esse prolapsū, sed mentis quoque mutatione turbatum. Idem tamen post galli cantum fit fortior, & iam dignum quem Christus aspiciat, Oculi Domini super iustos. Agno-

uit venisse remedium, post quod iam errare non possit: & in virtutem ab errore mutatus, amarissimè fleuit, vt lacrymis suis deleter errorem.

Cum prece & gratiarum actione Deo, claudit sermonem de opere quinti diei. CAP. XXV.

Respice nos quoque Domine Iesu, vt & nos propria recognoscamus errata, soluamus piis fletibus culpam, incremur indulgentiam peccatorum. Ideo consultò sermonem protraximus, vt nobis quoque gallus cantaret, & loquentibus subueniret, quò si quod delictum obrepisset in verbo, culpam Christo donares. Da quæsto lacrymas Petri, nolo laceritiam peccatoris. Fleuerunt Hebræi, & per mare sunt dehiscētibus vndis liberati. Lætatus est Pharaò quòd Hebræos tenebat inclusos: & mari merfus cum populo suo occidit. Exultauit & Iudas in mercede proditoris suæ, sed ipsius se mercedis laqueo strangulauit. Fleuit errorem suum Petrus, & meruit vt aliorum aboleret errores. Sed iam tēpus est quo finire sermonem & claudere debeamus. Tempus est quo melius aut tacetū aut fletur, tempus est quo celebratur indulgentia peccatorum. Nobis quoque gallus iste mysticus in sacris cantet, quoniam iam Petri gallus in nostro sermone cantauit. Fleat pro nobis Petrus qui pro se bene fleuit, & in nos pia Christi ora conuertat. Approperet Iesu Domini passio, quæ quotidie delicta nostra condonat, & munus remissionis operatur. Bonus Dominus dimittere ieiunos non vult, ne quis deficiat in via. Si ille dicit, Miteor huius turbæ, quia triduum est quod perferuerant mecum, & non habent escam, & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via: cuius intenta sermone Maria apparatus recusabat epularum: quanto magis nos considerare debemus quia non multi sunt qui in verbo Dei viuunt, & ideo refectio corporis desideratur? Certè illius triduo nostrum hoc postridie laboriosius est. Et ideo qui cum aibus lusimus, cū gallo cātāuimus, iam Domini canamus mysteria, & ad corpus Iesu conueniant aquilæ peccatorum ablutione renouata. Iam enim cætus ille magnus verum nobis Ionam reddidit: & gratulemur quòd factus est nobis vespere dies quintus; fiat nobis mātne dies sextus.

S. AMBROSII HEXAEMERON LIBRI QVINTI FINIS.

Summarium sexti Libri Hexaemeron.

- A cap. I. vsque ad cap. II. preparat auditorem ad dicenda.
- A cap. III. vsque ad cap. V. describit formam corporis quorundam animalium.
- A cap. VI. vsque ad cap. VIII. agit de creatione hominis: & quòd factus ad imaginem Dei, intelligitur, quo ad animam.
- A cap. IX. vsque ad finem libri, elimatius tractat quomodo homo Dei imago dicatur: & quomodo formato homine & consummata eius creatione Deum cessasse & requiescisse dicatur.

Capita sexti Libri.

- Preparat auditorem ad intelligendum sexti diei mysterium, veluti ad spectaculum quoddam ceteris longè præclarior. Cap. I.
- Proposit dicenda, & ea eleganter dictis coniungens excitat auditorem, cum sui excusatione. Cap. II. Quomodo

Luc. 22.

Matth. 26.

Luc. 22.

Psal. 33.

Luc. 2. 2.

Exod. 14.

Matth. 27. Luc. 22.

Matth. 15.

Luc. 10.

Matth. 24.

Psal. 102. Iona 2.

Quomodo per Dei verbum in constitutione mundi animantium generibus præscripta sit lex generationis & successione: quòd præterea volens ad vsum hominis deriuare quæ genita sunt, non debet veritatem propriæ naturæ unicuique generi denegare; cum increpatiuā admonitione, vt homo more pecudum viuere caueat: de quibusdam quoque animalibus quorum proprietates vitare debemus.

Cap. III.

De quadrupedibus quibusdam animalibus, in quorum natura est aliquid quod imitari debemus.

Cap. IIII.

Qua ratione Dominus aliis bestiis angustiora, aliis prolixiora colla formauerit: & elephantorum descriptio quantum ad membra & proprietates eorum. Cap. V.

Dicturus de hominis creatione, commendat ipsius dignitatem, & eum ad sui cognitionem hortatur.

Cap. VI.

Homini creationem ab eius auctore exorditur: & hominem à quo originem ducat, & cuius imaginem gerat, vt cognoscat, monet. Cap. VII.

Examinat quid sit imago Dei in homine: explicat de quo intelligitur dictum, Faciamus hominem, & c. quòd iustificatio per animam contingit: vehementius excitat hominem, vt attendat sibi. Cap. VIII.

De præstantia, decore, & gratia humani corporis, ac ipsius membrorum. Cap. IX.

Absoluit sextum diem, & eius opus: quomodo Deum requiescisse dicatur, explicat, & ei gratias agit. Cap. X.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS HEXAEMERON LIB. VI.

AGENS DE OPERE SEXTI DIEI.

ET dixit Deus, Producat terra animam viuentem secundum genus, quadrupedes, & serpentes, & bestias terræ secundum genus, & pecora secundum genus, & repentiā terræ secundum genus eorum. Et factum est sic. Et fecit Deus bestias terræ secundum genus, & omnia pecora ad genus, & omnia repentiā terræ ad genus eorum. Et vidit Deus quia bona. Et dixit Deus, Faciamus hominem ad nostram imaginem, & ad similitudinem nostram, & principatū habeat piscium maris, & volatiliū cæli, & pecorum, & omnis terræ, & omnium repētium super terram. Et fecit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei fecit illum, masculum & fœminam fecit eos. Et benedixit eis Deus, dicens, Crescite, & multiplicamini, & implete terram, & dominamini eius, & potestatem habete super pisces maris, & super volatilia cæli, iumenta & bestias terræ, & omnia repentiā quæ repunt super terram. Et Dixit Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam pabuli seminantem semen quod est super terram, & omne lignum quod habet in se fructum feminis feminalis vobis erit in escam, & omnibus bestiis

terra, & omnibus volatilibus cæli, & omnibus reptilibus quæ repunt super terram, quæ habent in se animam vitæ; & omnem herbam viridem in escam. Et factum est sic. Et vidit Deus omnia quæ fecit, & ecce bona valde. Et factum est vespere, & factum est mātne dies sextus.

Preparat auditorem ad intelligendum sexti diei mysterium, veluti ad spectaculum quoddam ceteris longè præclarior. CAP. I.

EXTVS iste est dies, quo mundanæ creaturæ origo concluditur: & ideo etiam sermonis nostri quem de rerum exordiis assumpsimus, finis paratur. Qui etsi per quinque iam dies non mediocri labore nobis processerit, tamen hodierno die maiore curarum accrescit fœnore, quia in hoc & superiorum dierum periculum est, & totius summa certaminis. Etenim si in fidibus aut cātibus & athletarum contentionibus crebris licet & maximis, tamen superiores dies sine vllō coronæ transiguntur dispendio, postremus autem dies habet sortem coronæ, in quo & certandi periculum est, & cedendi opprobrium, & vincendi præmium: quanto magis in hoc tanto agone sapientiæ, tanto non paucorum, sed vniuersorum iudicio, cum hodie nobis velut quædam certaminis corona pro-cedat, maior sollicitudo angit, ne & superiorum



effundamus laborem dierum, & presentis subeamus pudorem? Neque enim eadem dicendi conditio, quæ canendi atque luctandi: cum in illis ludus offensionis, in isto lapsus sit mortis. Illic si pecces, spectantium fastidium est: hic damnum est audiendum. Assiste igitur mihi tamquam coronæ iudicis, & ingredimini mecum in hoc magnum & admirabile totius visibilis theatrum creaturæ. Etenim si is qui explorans nouorum aduentus hospitem, toto eos circumducit vrbis ambitu, præstantiora quæque opera demonstrans, non mediocrem locat gratiam: quanto magis sine fastidio accipere debetis quod velut quadam sermonis manu per hanc communem vos circumduco patriam, & singularum rerum species & genera demonstro, ex omnibus colligere cupiens, quæto vobis creator vniuersorum gratiam vberiore quam vniuersis donauerit. Vobis igitur hæc corona proponitur, vos hodie cupio vestro iudicio coronare. Non enim nos athletarum modo marcentia sarta deposcimus, sed viride vestræ sanctitatis examen, quo decernatis per omnes quidem creaturas providentiam penetrare diuinam, & cum cæteris vobis commune corporeæ fragilitatis esse consortium, præ cæteris tamen vos animi virtute constare, quæ sola nihil habet commune cum cæteris.

*Propone dicenda, & ea eleganter dictis coniungens excitat auditorem, cum sui excusatione. CAP. II.*

**N**unc agè, naturas bestiarum dicamus, & hominis generationem. Audio enim iam dudum aliquos insulfurare, dicentes, Quamdiu aliena discernimus, & nostra nescimus? Quamdiu de reliquis animantibus docemur, & nosmetipsos ignoramus? Illud dicat quod mihi prodest, unde me ipsum nouerim. Et iusta est quæstio: sed ordo seruandus est quem scriptura cõtexuit; simulq; quia non possumus plenius nos cognoscere, nisi prius quæ sit omnium naturarum animantium cognouerimus. *producat (inquit) terra animam uiuentem secundum genus, quadrupes, & serpentes, & bestias terræ secundum genus, & pecora secundum genus, & reptantia terræ secundum genus. Et factum est sic. Et fecit Deus bestias terræ, & omnia pecora ad genus, & omnia reptantia terræ ad genus eorum, Et vidit Deus quia bona, & dixit Deus, Faciamus hominem, &c.* Hoc loco non ignoro quosdam bestiarum & pecorum & serpentium terræ species aliò retulisse: vt hæc ad immanitates criminum, stultitiam peccatorum, nequitiam cogitationum referrent. Ego autem simplices naturas vniuersi cuiusque generis accipio. Nec vereor, ne quis me pauperis conuiuæ præsumptioni conferendum putet, qui studio humanitatis complures roget, nec his quidquam nisi viles & vilitates apponat cibos, & tenui mensæ pauperis apparatu plus reprehensionis incurrat ex fastidio conuiuiarum, quam gratiæ referat ex hospitalitatis affectu. Nec enim Elifæum amici quasi malum conuiuium agrestia apponentem olera refutarunt. Simile variis relationibus exquisitum illud & accuratum opiparè conuiuium est, in quo phasiani aut turturis species apponitur, & in iis pullus manducatur, aut pullus infertur, & ostreis est fartus, aut spondylis: aut poculum bibitur, quod diuerso colore atq; odore in alienos mu-

4. Reg. 41

tetur sapores: maritima terrenis, terrena maritimis fariuntur. Hoc est reprehendere providentiam creatoris, qui nobis ad victum omnia donauit, quod non illa miscuerit. Sed hæc dulcia primò videntur, & postea fiunt amara. Quo enim copiosior fuerit luxuries, eo perniciosior intemperatiã est. Elifæus autem amara apposuit, sed postea facta sunt dulcia. Denique qui antè in illo cibo mortem putabant, postea in eo suauitatem & vitæ gratiam sunt adepti. Neq; rursus formidini est, ne plures videar inuitasse, quàm possim pascere, & vobis panes deficient verborum meorum: quia & Elifæus etsi meritò inimitabilis, nobis imitandus fide, non considerauit quantos panes haberet, sed quos haberet: diuidere omnibus voluit, & sufficere omnibus iudicauit. Itaque viginti panes hordeaceos diuidere in plebè iussit ministro. Et dixit minister, Quid dabo hoc in conspectu centum virorù? Et respòdit, Da, & manducet, quoniã hæc dicit Dominus, Manducabunt, & relinquent. Fides igitur vestra faciet abundare pauperis linguæ conuiuium. Nec vereor, ne ieiunia vos edaciores faciant, quò minus repleti & esurientes ac vacui reuertamini, quia scriptum est, Confirmat iustos Dominus, & in diebus famis saturabuntur. Multo pulchrius est hordeaceos panes non erubescere, & apponere quod habeas, quàm negare. Elifæus qui sibi nihil reliquit, populis abundauit. Elifæus ergo hordeaceos panes non erubuit apponere, nos erubescimus simplices intelligere creaturas, quæ simplicibus & suis declarantur vocabulis? Cælum legimus, cælum accipiamus: terram legimus, terram intelligamus frugiferam. Quid mihi quærere quæ sit eius mensura circuitus, quam geometræ centum octoginta millibus stadiorum æstimauerunt? Libenter fateor me nescire quod nescio, immò quod scire nil prodest. Melius est genera terrarum scire quàm spatia: quæ circumfuso mari, interiectis Barbarorum regionibus, suffusa atque inuia paludibus humo, quemadmodum possumus comprehendere, quod impossibile esse hominibus scriptura demonstrat, dicente Deo: Quis mensus est manu aquam, & cælum palmo, & vniuersam terram clausa manu? Quis statuit montes in libra, & rupes in statera, & nemora in iugo? Et infra, Qui tenet gyrum terræ, & habitantes in ea sicut locustas: qui statuit cælum vt cameram. Quis igitur æqualem sibi cum Deo potestatem audeat & scientiam vendicare, vt quæ Deus maiestatis suæ esse proprio signauit oraculo, hæc sibi homo ad cognitionem suppetere posse præsumat? Certè Moyses eruditus erat in omni sapientia Ægyptiorum: sed quia spiritum Dei accepit, quasi minister Dei inanem illam & vsurpatoriam philosophiæ doctrinam veritatis rationi posthabuit, & ea descripsit mihi quæ nostræ spei accommodata iudicauit: quòd terram fecerit Deus, quòd produxerit terra iuxta Dei omnipotentis imperiũ operationemq; Domini Iesu virgulta de terris, & omnem animam uiuentem secundum genus. At non ille putauit dicendum, quantum de spatio aëris occupet vmbra terræ cum sol recedit à nobis, diemque abducit, inferiora axis illuminas; & quæ admodum in regionè vmbre huius incidēs lunæ glob⁹ eclipsim faciat: quãdo quæ nihil ad nos, quasi nihil profutura præterit. Vidit

Ibid.

Ibid.

vsal. 36.

Esai. 40.

Ibid.

ad. 7.

vsal. 31.

Ecles. 7.

dit enim in sancto Spiritu, non illas marcescentis insipientiæ vanitates sequendas, quæ rebus inexplicabilibus mentem nostram occupant, luduntque operantur: sed ea potius describenda, quæ ad virtutis spectarent profectum.

*Quomodo per Dei verbum in constitutione mundi animantium generibus præscripta sit lex generationis & successione: quòd præterea volēs ad vsum hominis deriuare quæ genita sunt, non debet veritatem propriæ naturæ vnicuique generi denegare, cum increpatius admonitione vt homo move peccatum viuere caueat: de quibusdam quoque animalibus quorum proprietates vitare debemus.*

CAP. III.

**I**n hæc igitur propheticis dictis, nec Spiritus sancti quasi vilia despectui habeamus alloquia. *Producat (inquit) terra animam uiuentem secundum genus, pecora, & bestias, & reptantia terræ, &c.* Quid argumentamur alia, vbi euidenter creaturarum terrestrium natura formatur? Currit enim in constitutione mundi per omnem creaturam Dei verbum, vt subito de terris omnia quæ statuit Deus animantium genera producantur, & in futurum lege præscripta, secundum genus sibi similitudinè que vniuersa succedant, vt leo leonem generet, tigris tigridem, bos bouem, cygnus cygnum, aquila aquilam. Semel præceptum, in perpetuum inoleuit natura. Et ideo ministerij sui obsequium præbere terra non desinit, vt priscae animantium species reparabili generis successione in nouas reparentur ætates. Sed vis ad vsum hominis deriuare quæ genita sunt? Noli veritatem vnicuique generi naturæ propriæ denegare, & multo magis ea ad gratiam aptabilis humanam. Primum, quia omnia genera pecorũ, bestiarum, ac piscium, in alium natura proftrauit, vt alia ventre repant, alia quæ pedibus sustententur, demersa magis quadrupedo corporis gressu, & velut affixa terris videas esse quàm libera. Siquidem erigendi se non habent facultatem, de terra victũ requirunt, & ventris in quem desceduntur, solas sequuntur voluptates. Caue ò homo, peccatum more curuari. Caue ne in alium te nõ tam corpore quàm cupiditate descedas. Respice corporis tui formam, & speciem congruentem celsi vigoris assume. Si sola animalia prona pascuntur, cur te in edèdo sternis ipse, quem natura non strauit? Cur eo delectaris, in quo naturæ iniuria est? Cur noctes & dies cibo intentus, pecorum more terrena depasceris? Cur illecebris corporalibus deditus, ipsum te inhonoras, dum ventri atq; eius passionibus deseruis? Cur intellectum tibi adimis, quem tibi creator attribuit? Cur te iumentis comparas, à quibus te voluit Deus segregari, dicens, Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus nõ est intellectus? Aut si te edacitas equi intemperantiæque delectat, & ad hinc nire ad fœminas voluptati est, delectet in fræno maxillas tuas chamòq; constringi. Si crudelitas te pacit (ferarũ hæc rabies est, quæ propter sæuitiam trucidantur) vide ne in te quoq; crudelitatis tuæ vertatur immanitas. Piger asinus, & ad onus expositus sensuq; tardior, quid aliud docet, nisi nos viuaciores esse debere, nec defidia corporis animique pigrescere, confugere ad fidem, quæ onera grauius alleuare cõsueuerit? Fraudulenta vulpes foucis se latibulifq; demergens, nõnne

A indicio est infructuosum esse animal, odiõque dignum propter rapinam, despectu propter infirmitatem, & ideo suæ incautum salutis, dum insidiatur alienæ? Perdicem astutam nouimus, quæ aliena oua diripiat, hoc est perdicis alterius, & corpore foucat suo, sed fraudis suæ fructum habere non posse, quia cum eduxerit pullos suos, amittit eos: quia vbi vocè eius audierint quæ oua generauit, relicta ea ad illam se naturali quodam munere & amore conferunt, quam veram sibi matrem ouorum generatione cognouerint, significantes hanc nutricis fungi officio, illam parentis. Itaq; incassum proprios fudit labores, ac fraudis suæ pretio multatur. Vnde & Hieremias ait, Clamauit perdix, & cõgregauit quæ nõ peperit. id est, oua congregauit, & clamauit quasi ouans suæ fraudis effectu. Sed ludit operam, quia impenso labore alij educat, quos ipsa diuturnæ fotu sedulitatis animauerit. Huius imitator est diabolus, qui generationes creatoris æterni rapere contèdit, & si quos insipientes & sensus proprii contentis vigore potuerit cõgregare, fouens eos illecebris corporalibus, vbi primùm vox Christi paruulis fuerit infusa, discedunt, atque ad eam se conferunt matrè, quæ pullos suos sicut auis materno amore complectitur. Congregauit enim diabolus gentiles, quos non creauerat: sed vbi in Euangelio suam vocem Christus emisit, ad eum se potissimum contulerunt, quos sub vmbra alarum suarum ipse suscepit, & matri dedit Ecclesiæ nutriendos. Leo naturæ suæ superbus ferocia, aliarum ferarum generibus miscere se nescit, sed quasi rex quidam plurimorũ dedignatur consortium. Qui etiam cibum fastidit hesternum, & ipsas suæ escæ reliquias auersatur. Quæ autem se ei sociare fera audeat, cuius voci tantum naturaliter inest terror, vt multa animantium quæ per celeritatem possent impetum eius euadere, rugientis eius sonitu velut quadam vi attonita atque ista deficiant? Nam de pardi specie nec scriptura filuit, quòd varietate coloris, motus varios animæ suæ prodat. Dicit enim Hieremias, Si mutabit Æthiops pellem suam, & pardus varietatem? Non solum enim de figura, sed etiam de mobilitate furoris istud accipitur, eo quòd tenebrosis & inquietis ac mobilibus infidæ mentis atque animi mutationibus decoloratus populus Iudæorum, boni propositi gratiam iam tenere non possit, nec ad emendationem vllam correctionemque remeare, qui semel ferinã induerit immanitatem.

*De quadrupedibus quibusdam animalibus, in quorum natura est aliquid quod imitari debemus. CAP. IIII.*

**E**t etiam in natura quadrupedum quod imitari nos sermo adhortatur propheticus, quo exemplo caueamus desidiam, exiguitate vel infirmitate corporis ad virtutis studio non reflectamur, neq; reuocemur ab vlli⁹ proposito magnitudine. Exigua est enim formica, quæ maiora suis audeat viribus: neque seruitio ad operandum cogitur, sed spontaneæ proposito prospicientiæ futura alimentorum subsidia sibi præstruit. Cuius vt imiteris industriam, scriptura commonet te, dicens, Confer te ad formicam ò piger, & æmulare vias eius, & esto illa sapientior. Illa enim nullam culturam possidet, neq; eum qui se

Hiera. 17.

Hiera. 13.

Prouerb. 6.

cogat habens, neque sub domino existens, quem admodum preparat escam, quæ de tuis laboribus sibi messem recondit: & cum tu plerumque egeas, illa non indiget. Nulla sunt ei clausa horrea, nullæ impenetrabiles custodiæ, nulli inuolabiles acervi. Spectat custos, furtaque prohibere non audeat: aspicit sua damna possessor, nec vindicat. Nigro conuectatur agmine præda per campos, feruentem comitatu viantium, & quæ comprehendi angusto ore non possunt, humeris grandia frumenta trudentur. Spectat hæc dominus messis, & erubescit tam parca piæ industriæ negare compendia. Quid autem de canibus loquar, quibus insitum est natura quadam referre gratiam, & sollicitas excubias pro dominorum salute prætere? Vnde ad immemores beneficij, & desides atque ignauos clamat scriptura: Canes muti, nescientes latrare. Sunt enim canes qui nouerint latrare pro dominis, nouerint sua tecta defendere. Vnde & tu disce vocem tuam exercere pro Christo, quando ouile Ecclesiæ incurfant lupi graues. Disce in ore tuo verbum tenere, ne quasi mutus canis commissam tibi fidei custodiam quodam præuaticationis silētio deseruisse videaris. Talis canis viator & comes angeli est, quem Raphael in libro prophetico non otiosè sibi & Tobie filio adiungendum putauit, quando perrexit ut Asmodæum fugaret, firmaret copulam coniugalem. Memoriam enim affectus gratia pellitur dæmonium, stabilitur coniugium. Mutæ itaque specie bestiarum sanctus Raphael angelus Tobie iuuenis quem tuendum receperat, ad relationem gratiæ erudiebat affectum. Quis enim non erubescat gratiam bene de se merentibus non referre, cum videat etiam bestias refugere crimen ingrati? Et illæ imperitiæ alimoniam seruant memoriam, tu non seruas salutis acceptam? Vrsæ insidians licet, ut scriptura ait, (est enim plena fraudis fera) tamen fertur informes utero partus edere, sed natos lingua fingere, atque in speciem sui similitudinemque formare. Non miraris in fera tam pij oris officia, cuius naturam pietas exprimit? Vrsæ igitur partus suos ad sui effingit similitudinem, tu filios tuos instituere similes tui non potes? Quid quod etiam medendi industriam non prætermisit? Siquidem graui affecta cæde, & confauciata vulneribus mederi sibi nouit herbæ cui nomen est phlomos, ut Græci appellant, vlcera subiciens sua, ut solo curentur tactu. Scorpæ quoque pastu feniculi cæcitatem repellit exceptam. Itaque ubi oculos obduci sibi senserit, nota remedia petit, nec fraudatur effectu. Testudo visceribus pasta serpentis, cum venenum aduerterit sibi serpere, origano medicinam suæ salutis exercet. Et cum sit volutabris palustribus mersa, curare se tamen proprio nouit antidoto, certoque auxilio sanitatis, potestates herbarum etiam ipsa scire se comprobat. Videas etiã vulpè lacrymula pinus medentem sibi, & tali remedio imminentis mortis spatia profertem. Clamat ipse Dominus in Hieremiæ libro: Turtur & hirundo, agri passeret custodierunt tempora introitus sui: populus autem meus non cognouit iudicia Domini. Nouit hirundo quando veniat, quando etiam reuertatur: nouit etiam pia auis annuntiare aduentus sui testimonio veris indicium: nouit etiam formica explorare serenitatis tempora. Nam

cum aduerterit madidatos imbre fructus suos humescere, explorato diligentius aere quando iugem possit seruare temperiem, acerosus referat suos, & de cauernis foras suis humeris exportat, ut iugi sole propria frumenta siccentur. Denique haud quaquam illis diebus omnibus rumpi de nubibus imbres videris, nisi cum fruges suas horreis propriis formica reuocauerit. Boues impendente pluuia ad præsepia se tenere nouerunt. Idem ubi naturali sensu mutationem cali collegerint, foras spectant, & vltra præsepia ceruices extendunt suas vna omnes specie, ut prodire se velle testentur. Ouis sub aduentum hyemis inexplebilis ad escam, insatiabiliter herbam rapit, eo quod præsentiat asperitatem hyemis futuram, ut se prius herbæ pabulo farciat, quam gelu adurentem omnis herba deficiat. Echinus iste terrenus quem vulgò hericium vocant, si quid insidiarum præferit, spinis suis clauditur, atque in sua se arma colligit, ut quicumque eum contingendum putauerit, vulneretur. Idemque echinus futuri prouidens, geminas sibi respirandi vias munit, ut quando Boream flaturum collegerit, Septentrionalem obstruat: quando Noto cognouerit detergi aeris nubila, ad Septentrionalem se conferat, ut flatus declinet obuios, & è regione nocituros. Vnde dignam Domino laudem Propheta detulit, dicens, Quam magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti. Omnia penetrat diuina sapientia, implet omnia: idque locupletius ex irrationabilium sensibus, quam ex rationabilium disputatione colligitur. Validius est enim naturæ testimonium, quam doctrinæ argumentum. Cuique animanti cognitum est quemadmodum suam tueatur salutem: si virtus suppetit, resistendo: si velocitas, fugiendo: si astutia, præcauendo. Quis eas usus medendi, herbarumque docuit habere notitiam? Homines fumus, & sæpe specie herbarum fallimur, & plerumque quas salubres putamus, noxias reperimus. Quoties inter dulces epulas cibus letalis irrepit, & inter ipsas aulicorum excubias ministrorum vitalia regum feralis esca penetrauit! Feræ solo nouit odore noxia & profutura discernere: nullo prauo, nullo prægustatore carpitur herba, nec laedit. Melior enim magistra veritatis natura est. Hæc sine vllius magisterio suauitatem sanitatis nostris infundit sensibus, eadem doloris acerbiter docet esse fugiendam. Hinc vita dulcior, mors amarior. Hæc commendat lænæ catulos suos, & immitem feram materno mollit affectu: hæc tigridis interpolat ferocitatem, & imminentem eam prædæ restitit. Naque ubi vacuum raptæ sobolis cubile repererit, illico vestigiis raptoris insistit. At ille quamuis equo vectus fugaci, videns tamen velocitate feræ se posse præuerti, nec euadendi vllum suppetere sibi posse subsidium, technam huiusmodi fraude molitur: ubi se contiguum viderit, sphaeram de vitro proicit. At illa imagine sui luditur, & sobolem putans reuocat impetum, colligere foetum desiderans. Rursus inani specie retenta, totis se ad comprehendendum equitem viribus fundit, & iracundiæ stimulo velocior fugienti imminet. Ille iterum sphaeræ obiectu sequentem retardat, nec tamen sedulitatem matris memoria fraudis excludit: cassam verfat imaginem, & quasi lactatura foetus residet. Sic pietatis suæ studio

Esai. 56.

Iob. 6. &amp; 11.

Thren. 3.

Hierem. 6.

Psal. 103. Sap. 7.

p. h. 6. c. 10. 3.

dio decepta, & vindictam amittit & prolem. Quod nobis scriptura affert, quæ dicit, Filij, diligite patres vestros: parentes, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros. Natura hoc bestiis infundit, ut catulos proprios ament, foetus suos diligant. Nesciunt illæ odia nouercalia, nec mutato concubitu parentes a sobole deprauatur, neque nouerunt præferre filios posterioris copulæ, superioris autem negligere. norunt pignora sua, nesciunt charitatis differentiã, odiorum incentiuã, offensionum discrimina. Simplex ferarum natura est, nescit veritatis calumnias. Sic enim omnia temperauit Deus, ut quibus minus rationis daret, plus indulgeret affectus. Quæ fera pro catulis suis non ipsa potissimum se offerat morti? Quæ fera foetus suos, innumeris licet obsessa cuneis armatorum, non suis visceribus tegat? Ingruat licet telorum leges, illa tamen paruulos suos muro sui corporis septos immunes præstat periculi. Quid dicit homo, qui mandatum negligit, naturam obliuiscitur: filius patrem despicit, pater abdicat filium, & hoc putant ius esse, ubi damnatur foecunditas. Se potius pater damnat, qui facit irritum esse quod genuit. Et hoc putatur auctoritatis esse, ubi sterilitate natura multatur. Ex ortem rationis canem esse nemo dubitauerit: tamen si sensus eius vigorem consideres, cæseas eum sentiendi sagacitate vim sibi rationis adsciscere. Denique quod pauci in gymnasijs constituti, qui totam in discendo vitam longeuitatem contriuerint, vix potuerunt cognoscere, ut syllogismorum coniunctiones contexerent, hoc naturali canes eruditione comprehendere, facillè poterit æstimari. Nam ubi vestigiū leporis ceruice repererit, atque ad diuerticulum semitæ venerit, & quoddam viarum compitum quod partes in plurimas scinditur, obiens singularum semitarum exordia, tacitus secum ipse pertractat, velut syllogisticam vocem sagacitate colligendi odoris emittens: Aut in hanc partem, inquit, deflexit, aut in illam: aut certe in hunc se anfractum contulit: sed nec istam, nec illam ingressus est; superest igitur ut in istam se partem sine dubitatione contulerit. Quod homines vix proluxa composita meditatione componunt, hoc canibus ex natura suppetit, ut antè mendacium deprehendant, & postea falsitate repudiata inueniant veritatem. Nonne totos dies conterunt philosophi, propositiones sibi in puluerem diuidentes, qui radio sibi describunt singulas, & ex tribus, cum vnam earum veram esse necesse sit, duas primò interficiunt tanquam mædacio congruentes, & sic in ea quæ relicta est, vim veritatis inhærerè definiunt? Quis tam tenax potest esse beneficij, & memor gratiæ? quandoquidem pro domino etiam in latrones insilire nouerunt, & extraneorum accessus prohibere nocturnos, & mori pro dominis, & commori cum dominis sint parati? Sepe etiam necis illatæ euidencia canes ad redarguendos reos indicia prodiderunt, ut muto eorum testimonio plerumque sit creditum. Antiochia ferunt in remotiori parte vrbis crepusculo necatum virum, qui canem sibi adiunctum haberet. Miles quidam prædandi studio minifter cædis extiterat, tectus idem tenebroso adhuc diei exordio in alias partes concesserat; iacebat inhumatum cadaver, freques spectantium vulgus adstabat, canis questu lacrymabili domini

desiebat ærumnã. Fortè is qui necem intulerat ( ut se habet versutia humani ingenij ) quod conuerfandi in medio auctoritate præsumpta fidem adscisceret innocentia, ad illam circumspiciantis populi accessit coronam, & velut miserans appropinquauit ad funus. Tum canis sequestrato paulisper questu doloris, arma vltionis assumpsit, atque apprehensum tenuit, & velut epilogo quoddam miserabile carmen immurmurans, vniuersos conuertit in lacrymas, fidemque probationi detulit, quod solum tenuit exploratis, nec dimisit. Denique perturbatus ille, quod tam manifestum rei indicem, neque odij, neque inimicitiarum, neque inuidia, aut iniuria alicuius poterat obiectione euacuare, crimen diutius nequiuit refellere. Itaque quod erat difficilius, vltionem persecutus est, quia defensionem præstare non potuit. Quid nos dignum nostro referimus creatori, cuius cibo vescimur, & dissimulamus iniurias, & sæpe inimicis Dei eas quas à Deo accepimus epulas exhibemus? Quid agniculis simplicibus, quos minusculæ paruulorum comparamus infantie? Sæpe ex his in magno grege agniculus per ouilia tota vagatus errat à matre, & cum eam reperire non possit, balatu frequenti absentem citat, ut responsuram vocem excitet, quod ab eius sono errabunda replicet vestigia; multis licet versetur in millibus ouium, recognoscit vocem parentis, festinat ad matrem, lactis quoque materni notos sibi fontes requirit; quamuis cibi desiderio teneatur & potus, transcurrit tamen aliena vbera grauida, licet humore lactis exundent, solam matrem requirit, solius sibi materni vberis pauperes succos significat abudare. Illa quoque inter multa agniculorum millia solū filium nouit, vnus quamuis plurimorum balatus, eadem species; sed illa tamen foetum suum discernit à cæteris, & solum filium tacito pietatis testimonio recognoscit. Pastor errat in discretionem ouium, agniculus in agnitionem matris nescit errare. Pastor fallitur specie, sed ouis pietate non fallitur. Vnus odor omnibus, sed tamen habet natura odorem suum domesticum, quem soboles cara speciali quadam videtur proprietate redolere. Habet suos usus natura, & sensus domesticos. Vix infantulo ceperunt dentes prorumpere, & iam nouit sua arma tentare. Nondum catulo dentes, & tamquam habeat, ore proprio se querit vlcifici. Nondum ceruo cornua, & tamen fronte præludit, atque ex ea quæ nondum expertus sit tela minitatur. Lupus si prior hominem viderit, vocem eripit, & despicit eum tanquam victor vocis ablata. Idem si se prauisum senserit, depunit ferociam, non potest currete. Leo gallum, & maxime album veretur. Caprea vulnerata dyctamum petit, & de vulnere excludit sagittas. Norunt & bestie remedia sua. Leo æger simiam querit ut deuoret, quo possit sanari. Leopardus capreæ aggressis sanguinem bibit, & vim languoris euitat. Omnis fera ægra canis hausto curatur sanguine. Vrsus æger formicæ deuorat. Ceruus oleæ ramuculos mandit. Ergo feræ norunt expetere ea quæ sibi profint, tu ignoras, o homo, remedia tua? Tu nescis quomodo virtutem eripias aduersario, ut te tamquam præuentus lupus effigere non possit, ut oculo tuæ mentis eius perfidiam deprehendas, & prior cursum verborum eius impediās, impudentiam eius, & acumen dispu-



1. Cor. 10.

Matth. 14.

tationis obtusas. Quod si te ille præuenerit, vocem tibi aufert: & si obmutueris, solue amictum tuum ut sermonem resoluas. Et si in te insurrexerit lupus, petram cape, & fugit. Petra tua Christus est. Si ad Christum confugas, fugit lupus, nec terrere te poterit. Hanc petram quæsiuit Petrus cum titubaret in fluctibus, & inuenit, quia dexteram amplexus est Christi. Quid dicam alio homines delectari, & illud ad escam sumere, quod & leopardus fugit? Denique sicubi allium aliquis confricandum putauerit, leopardus inde exilit, nec resistit. Cuius venenata fera odorem non potest sustinere, id tu pro cibo sumis, & visceribus infundis internis? Sed medicatur interdum doloribus. Sumatur pro medicamento, non pro cibo: sumatur ab ægrotantibus, non ab epulantibus. Medicamentum quæris, & ieiunium fugis, quasi maius aliud remedium reperire possis. Ieiunium hominis sputum si serpens gustauerit, moritur. Vides quanta vis ieiunii sit, ut & sputo suo homo terrenum serpentem interficiat, & merito spiritalem. Quantam Dominus etiam minusculis infudit prudentiam! Turtur nido suo, ne pullos suos incurset lupus, squillæ folia superiacit. Nouit enim quod huiusmodi folia lupi fugere consueverunt. Nouit auicula quomodo posteritatem foueat suam, & tu ignoras, tu negligis quomodo aduersum lupos nequitie spiritualis posteritatem vite huius habeas tutiorem?

*Qua ratione Dominus aliis bestiis angustiora, aliis prolixiora colla formauerit: & elephantorum descriptio, quantum ad membra & proprietates eorum.* CAP. V.

Sed reuertamur ad seriem creaturæ, & consideremus qua ratione Dominus aliis bestiis angustiora colla formauerit, ut leonibus atque tigridibus, visis quoque; aliis prolixiora, ut camelis & equis. Nonne euidentis causa est, quia illis feris quæ carne vescuntur, non erat opus prolixitate ceruicis? Non enim in terras pascendi gratia ceruicem atque ora deiiciunt, sed aut ceruum inuadunt, aut bouem ouemque discernunt. Camelus uero cum sit altior, quomodo herbis minutissimis pasceretur, nisi longiora usque ad terram colla ad usum pastionis extenderet? Itaque camelus pro ratione proceritatis suæ prolixiora colla fortitus est: equus pro ratione, bos quoque simili modo. Hi enim pascuntur herbis. Elephante autem etiam prominentem promuscidem habet, quia cum sit eminentior cunctis, se inclinare ad pascendum non potest. Itaque promuscidis ad colligendum cibum utitur ministerio. Ea immani bestie largi potus infundit humorem, ideoque concaua est, quo ad restinguendam tantæ belluæ sitim plenos lacus hauriat, aut collecto flumine possit vndare potatem. Ceruix sanè minor est quam poscattanti corporis molis, ne ea quoque oneri magis esset quam usus. Ideoque nec genua inflectit, quia rigidioribus opus fuit cruribus, quod velut columnis tanta possit machina sustineri. Calcaneum leuiter incuruat, rigent cetera pedum à summo usque ad imum. Nec sicut in anchylas nos sæpe deponimus, ita se etiam bestia potest tanta destitit, meritoque non voluendi se neque recubandi usum cum cæteris animantibus potest habere communem. Fulcitur hinc inde trabibus maximis, ut in somnium aliquatulum sine periculo reflectatur, quia

pes eius nulla artuum coniunctione distinguitur. Mansuetus igitur veluti quædam fulcra eorum quibus hic usus est, parantur ingenio: feris autem & agrestibus quia nemo huiusmodi quibus sustentari queant fulcra subferunt, hinc venit usus periculi. Namque arbori innixi aut costas fricant, aut in somnium sese relaxant. hæc non numquam victa atque inflexa tanto corpore frangitur: ille uero qui sese in eandem refuderat, corrui, nec erigere atque eleuare se potest, ibique iacens interit, aut gemitu suo prodit sternitur, dum ventre cæterisque iuxta mollioribus ad vulnus patet. Nam dorsum eius cæteraque exteriora non vlla facile solent tela penetrare. Sunt autem qui propter ebur has illis insidias parent, ut arbores eas quibus se applicare consueuerunt, ex alia parte qua infrequentior usus eis sit, aliquatulum recidant: ut reflectente se elephante, pondus membrorum eius sustinere non possint, ruinamque eius arcessant. Sed si quis ista reprehendit, reprehendat etiam altitudines ædificiorum, quæ citius grauem minantur ruinam, & difficilius lapsa reparantur. Verum si illa aut propter pulchritudinem, aut propter speculam frequenter attollimus, hæc quoque in elephantis probare debemus, qui magnum rebus bellicis usum ministrant. Inde gens Persarum ferox bellis, valida sagittis, omniumque telorum iactu, quia de superioribus ad inferiora validiore nisu tela torquentur, acies eorum velut gradientibus turribus septa procedit. In mediis campis tamquam de muro dimicant, & velut in arce quadam & specula collocati, spectant magis bella quam subeunt. Ita alieni à periculo videtur, tuti molibus bestiarum. Quis enim eos adire audeat, cum desuper iaculis facile figatur, inferius elephantorum coneratur incursum? Denique cedunt illis acies & armatorum cunci, & castra illa quadrata soluntur. Intolerabili namque impetu in hostes ruunt, ut nullo agmine bellatorum, nulla constipatione militum, nullo clypeorum retardentur obiectu: velut quidam mobiles motes versantur in proeliis, & ut colles alto eminent vertice, mugitus fragore omnium perturbant confidentiam. Quid his faciat pedes, quamuis lacertis validus, & manu proptus, cum sibi septus armatorum populis gradienti murus occurrat? Quid faciat eques, cum equus eius perterrefactus tantæ bestie immanitate diffugiat? Quid faciat sagittarius, quum desuper ferrata viorum corpora iaculi iectum sentire non possint: bestia quoque nec nuda facile penetrabilis ferro sit, & munita loriceis obuias sine sui periculo acies secet, & coneratur turmas? Itaque, ut immensa ædificia, ita elephanti fundamentis validioribus sustinentur; alioquin imparibus sulti pedibus intra breuem laberentur ætatem. Nunc autem & trecentis & amplius feruntur annis vitam producere, quia omnia sibi ad magnitudinem membra conueniunt. Ideoque non distincti ut nobis, sed compacti artus sunt, quod sunt robustiores. Quam cito hominibus, si diu steterint, aut velocius cucurrerint, vel iugiter ambulauerint, genua vexantur & plantæ: Coniuncta enim & articulata facilius quam cõcreta atque solidata, aut doloris sensum, aut casum offensionis admittunt. Et quid miraris, si vestiti armis timentur, quando quidem dentibus suis tamquam naturalibus spiculis semper armati sunt?

117

118

sunt? Promuscide sua quidquid inuoluerint, frangunt: pede quidquid compresserint, velut quodam lapsu ruinæ ingentis exanimant. Inuoluunt promuscide nemora ad sui escam, & quasi quidam altissimi dracones serpentinis quos ceperint spiritus flagellant. Plerumque eas in orbem colligunt, maxime cum de terra cibus legitur, aut potus hauritur. Documenta itaque nobis sunt, quod nihil superfluum sit creatum, & tamen hæc tantæ molis bestia subiecta nobis, imperiis seruit humanis.

*Dicitur de hominis creatione, commendat ipsius dignitatē, & eum ad sui cognitionem hortatur.* CAP. VI.

Enim quoniam de hominis creatura dicturi sumus, commendationem ei præstruere & prælibare debemus. Videbatur nihil elephantis creatura habere robustius, nihil tam terribile vel procerum, nihil tam ferum quam leones vel tigrides sunt: & hæc seruiunt homini, & naturam suam humana institutione deponunt: obliuiscuntur quod nata sunt, induunt quod iubentur. Quid multa? Docentur ut paruuli, seruiunt ut infirmi, verberantur ut timidi, corriguntur ut subditi, in mores transeunt noscros, quoniam motus proprios perdidierunt. Mirabilis igitur natura in maximis, (mirabilis enim in excessibus Dominus) mirabilis etiam in minimis. Sicut enim non minus plana camporum quam montium alta miramur, nec plus altitudinē cedri stupemus, quam vitis aut oleæ breuis fecunditate: ita non amplius miror elephantum quia procerus est, quam murem qui terribilis elephante est. Naturæ igitur hæc potentia est, ut terribilia aliis, aliis metulosa sint. Est enim donata prærogatiua quædam singulis creaturis, ut quibusdam priuilegiis propriis fulciantur. Formidabilis tauris elephante, murem timet. Leo quidem rex ferarum comantes ceruice thoros excutit, exiguo scorpionis aculeo exagitur, & veneno serpentis occiditur. Sed quis non miretur tam breui scorpionis aculeo ut incorporeum putes, ingentium corporum excire mortem? Nec hoc quicquam reprehendat, quod creator serpentes creaturis suis, aliisque vel animantium vel herbarum genera venenata miscuerit. Nata sunt enim hæc ad correptionem nostram, non ad deformationem. Namque ignauis, aut infirmis, aut impiis plerumque offensionis atque terrori sunt, aliis usui. Ita sunt hæc ut pædagogii paruulis. Amari videntur, acerbi & molesti, formidabiles verbere, libertatem lasciuiendi negant, necessitatem disciplinæ exigunt, pueriles animos ne luxu distuant, terrore constringunt, ideoque horum austeritate frugi euadunt, sobrij, continent, laudi magis quam ludo dediti. Vides quid terribilia illa flagella proficiant? Sic & serpentes flagella sunt eorum quibus infirma animi ætas, & quædam puerilis mentis est virtus: cæterum fortioribus nocere non possunt. Denique confidenti in Domino dictum est, Super aspidem & basiliscum ambulabis, & cõculabis leonem & draconem. Paulum momordit vipera, & putabant eum quasi peccatorem vix de naufragio seruatum, veneno esse moriturum: sed posteaquam inuolabilis mansit, excussa in ignem vipera, plus apud intuentes venerationis inuenit. Sed & ipse

Dominus ad omnes ait, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui uero non crediderit, condemnabitur. Signa autem credentium hæc dixit fore, ut serpentes manu mulceant, venena his atque omne mortiferum, etiam si biberint, nocere non possint. Tua igitur tibi magis incredulitas o homo, quam venena metuenda serpentium sunt. Time igitur illa, ut saltim dum formidantur illa, ad fidem prouocare te possint. Quod si Deum non times, vel vtricia perfidia venena formides. Nunc quoniam & elephantes vides tibi subditos, & leones esse subiectos, nosce te ipsum o homo: quod non (ut ferunt) Apollinis Pythij, sed Salomonis sancti est, qui ait, Nisi scias te forma in mulieribus, quamquam multo antea Moyses in Deuteronomio scripserit, Attende tibi o homo. Attende tibi, ait lex. Et propheta ait, Nisi scias te. Cui hoc dicit? Formosa, inquit, in mulieribus. Quæ est pulchra in mulieribus, nisi anima, quæ in utroque sexu præstantiam possidet pulchritudinis? Et merito decora est, quæ non terrena, sed cælestia: non corruptibilia, sed incorrupta desiderat, in quibus decus perire non solet. Corporalia enim omnia processu ætatis, aut ægritudinis in æqualitate marcescunt. Huic attende, dicit Moyses, in qua tu totus es, in qua melior tui portio est. Denique interpretatus est Dominus quis sis tu, dicens, Attendite vobis à falsis prophetis. Isti enim animam debilitant, mentem subruunt. Non igitur caro tu es. Quid enim est caro sine animæ gubernaculo, in ætatis vigore? Caro hodie sumitur, cras deponitur. Caro temporalis, anima diuturna. Caro amictus est animæ, quæ se induit quodam corporis vestimento. Non igitur tu vestimentum es, sed qui vestimento vteris. Ideo tibi dicitur, ut expolians veterem hominem cum actibus eius, nouum induas, qui non in corporis qualitate, sed in spiritus mentis & agnitione renouatur. Non, inquam, caro es tu. Neque enim carni dicitur, Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Et alibi, Templum Dei vos estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis. Sed renouatis dicitur, & fidelibus, in quibus permanet spiritus Dei. In carnalibus autem non permanet, quia scriptum est, Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quoniam carnes sunt.

*Homini creationem ab eius auctore exorditur: & hominem à quo originem ducat, & cuius imaginem gerat ut cognoscat, monet.* CAP. VII.

Sed iam ipsius creationis nostræ seriem consideremus. *Faciamus* (inquit) *hominem ad nostram imaginem, & ad similitudinem nostram.* Quis hoc dicit? Nonne Deus qui te fecit? Quid est Deus? Caro, an spiritus? Non caro utique, sed spiritus. Cuius similis caro esse non potest, quia ipse incorporeus & inuisibilis est, caro autem comprehenditur & videtur. Cui dicit? Non sibi utique, quia non dicit, *faciamus*, sed *faciemus*. Non angelis, quia ministri sunt: serui autem cum domino, & opera cum auctore non possunt operationis habere consortium: sed dicit filio, etiam si Iudæi nolint, etiam si Ariani repugnent. Sed & Iudæi qui dum vnum à consortio diuinæ operationis excludunt, plures inferunt: & prærogatiuam quam filio

Matth. 18.

Cantic. 11  
Deut. 4.  
Cantic. 3.

Matth. 7.

Coloss. 3.

1. Cor. 3.

Ibid.

Gen. 8.

Ioh. 4.  
1. Tim. 6.  
Hebr. 11.

Ips. 2.

Zech. 30.

Ips. 90.  
A. 28.

Coloss. 1.

1 Cor. 1.  
1 Cor. 14.

1 Cor. 1.  
1 Cor. 10.

Exod. 3.  
1 Cor. 10.

Deut. 4.

Esai. 49.  
De peccat. dist.  
v. c. illa anima.

Hebr. 1.

1 Cor. 13.  
1 Cor. 13.

Apost. 11.  
1 Cor. 13.

negant, seruulis donant. Sed esto, vt ad miniculo seruulorum ad operandum Deus vobis indignisse videatur. Si operatio communis est cum angelis Deo, numquid Deo & angelis imago communis est? Nūquid angelis diceret, *Faciamus hominem ad nostram imaginē, & ad similitudinē nostram?* Sed qui sit imago Dei, audi dicentem, Qui eripuit nos, inquit, de potestate tenebrarum, & transfudit in regnum filij charitatis suæ, in quo habemus redemptionem, remissionem peccatorum, qui est imago Dei inuisibilis, & primogenitus vniuersæ creaturæ. Ipse est imago Dei patris qui semper est, & erat in principio. Denique imago est qui dicit, Philippe, qui videt me, videt & patrem. Et quomodo tu cum imaginem viuam patris viuētis videas, dicis, Ostēde nobis patrē? Nō credis quia ego in patre, & pater in me est? Imago Dei, virtus est, non infirmitas: imago Dei sapientia est, & imago Dei iustitia est. Sed sapientia diuina est sempiterna iustitia. Imago Dei est solus ille qui dixit, Ego & pater vnum sumus: ita habēs similitudinē patris, vt diuinitatis & plenitudinis habeat vnitatem. Vbi dicit, *faciamus*: quomodo inæqualitas? Cum iterum dicat, *ad similitudinē nostram*: vbi est dissimilitudo? Sic & in Euangelio vbi dicit, Ego & pater, vtique non vna persona est: vbi autē ait, Vnum sumus; nulla est discrepantia diuinitatis aut operis. nō igitur in vtroque vna persona, sed vna substantia est. Et bene addidit, Sumus: quia semper esse diuinum est, vt coæternum credas, quem putabas dissimilem esse. Æternus est enim, de quo dicit Moyses, Qui est, misit me. Pulchrè etiam illud præmisit, Ego & pater. Nam si patrem præmisisset, tu minorem filium iudicares: sed præmisit filium, quem non conuenit credi patre superiorem. Adiunxit patrem, vt adueras Deum patrem & filium eius ordinis præiudicio non teneri. Attēde, inquit, tibi soli. Aliud enim sumus nos, aliud sunt nostra, aliud quæ circa nos sunt. Nos sumus, hoc est, anima & mens: nostra sunt corporis membra, & sensus eius: circa nos pecunia est, serui sunt, & vitæ istius apparatus. Tibi ergo attende, & te ipsum scito, hoc est, non quales lacertos habeas, non quantum corporis fortitudinem, non quantas possessiones, quantum potentiam, sed qualem animam ac mentem, vnde omnia cōsilia proficiuntur, ad quæ operum tuorum fructus refertur. Illa est enim plena sapientiæ, plena pietatis atque iustitiæ, quoniā omnis virtus à Deo est. Cui dicit Deus, Ecce ego Hierusalem pinxi muros tuos. Illa anima à Deo pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem splendorem que pietatis. Illa anima bene picta est, in qua elucet diuinæ operationis effigies. Illa anima bene picta est, in qua est splendor gloriæ, & paternæ imago substantiæ. Secundum hanc imaginem quæ refulget, pictura pretiosa est Adam ante peccatum: sed vbi lapsus est, deposuit imaginē cælestis, sumpsit terrestri effigiem. Sed fugiamus hanc imaginem quæ intrare ciuitatē Dei non potest, quia scriptū est, Domine in ciuitate tua imaginem eorum ad nihilū rediges. Et non intrat indigna imago, & quæ intrauerit excluditur: quia non intrabit, inquit, in eam omne commune, & qui facit execrationem & mendacium, sed ille intrabit in eam, cuius in fronte agni nomen scriptum est. Anima igitur nostra ad i-

maginem Dei est. In hac totus es homo, quia sine hac nihil es, sed es terra, & in terram resolveris. Denique vt scias quia sine anima caro nihil est, Nolite, inquit, timere eos qui possunt corpus occidere, animam autem non possunt. Quid igitur in carne præsumis, qui nihil amittis, si carnem amiseris? Sed illud time, ne animæ tuæ defrauderis auxilio. Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua, in qua non exigua sui portio, sed totius humanæ vniuersitatis substantia est? Hæc est per quam cæteris ferarum animæque dominaris animantibus: hæc est ad imaginem Dei, corpus autem ad speciem bestiarum. In hac pium diuinæ imitationis insigne, in illo cum feris ac belluis vile consortium.

Genesis Cap. II.

ET consummata sunt cælum & terra, & omnis ornatus eorum. Et perfecit Deus in die sexto opera sua, quæ fecit: & requieuit Deus in die septimo ab omnibus operibus suis quæ fecit. Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit eum; quia in ipso requieuit ab omnibus operibus suis quæ inchoauit Deus facere. Hic liber creaturæ cæli & terræ, quando facta sunt, quo die fecit Deus cælū & terrā, & omne virgultum agri antequàm esset super terram, & omne scenum agri antequàm exortum esset. Non enim pluerat Deus super terram, & homo non erat qui operaretur eam. Fons verò ascendebat de terra, & irrigabat omnē faciē terræ. Et finxit Deus hominē puluerem accipiens de terra, & insufflauit in faciem eius spiritum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.

*Examinat quid sit imago Dei in homine: explicat de quo intelligitur dictum, Faciamus hominem, &c. quod iustificatio per animam contingit: vehementius excitat hominem vt attendat sibi.* CAP. VIII.

Sed tractemus elimatius quid factum sit ad imaginem Dei. Caro numquid ad imaginem Dei facta est? Non. Alioquin ergo in Deo terra est, quia caro terra est? Ergo corporeus Deus? Ergo infirmus vt caro, passionibusque subiectus? Et fortè, caput tibi videatur ad similitudinē Dei, quia eminet: aut oculi, quia intuentur: vel aures, quia audiunt. Verum, si altitudinem spectes, num proceri videmur, quia paululū vertice eminemus à terris? Sed id non pudet, eò nos similes Dei dici, quia serpentibus cæterisque reptatibus, aut quia damulis atque ouibus aut lupis celsiores sumus? Et quāto in hac parte cameli nobis atque elephanti proceriores sunt! Obtutus est quidē præstans, spectare elementa mūdi, cognoscere quæ nullus annuntiet, sed tuus deprehēdat aspectus: verū hoc ipsum quātum est quod videmus, vt eo ad similitudinē Dei nos esse dicamus, qui omnia videt, spectat omnia, latentes deprehendit affectus, scrutatur cordis

Genes. 3.  
Matth. 10.

Matth. 16.

Heb. 4.  
Hierem. 17.

Philipi. 3.

1 Cor. 3.

Genes. 46.  
Exod. 1.

Thren. 3.

Rom. 8.

cordis occulta? Non pudet hoc dicere, cum ipse me totum videre non possim? Quod ante pedes est, video: quod à tergo est, videre non possim. Ceruicem meam nescio, nō noui occipitium, renes meos videre non possim. Similiter quantum est quod audimus, cum id quod paululum distet, videre & audire non possim? Si interiecti parietes sint, impeditur aspectus, impeditur auditus. Deinde corpus nostrum vno in loco heret, angusto includitur spatio. Omnes feræ latiores sunt homine, omnes etiam velociores. Non ergo caro potest esse ad imaginem Dei, sed anima nostra, quæ libera est, & diffusis cogitationibus atque consiliis huc atque illuc vagatur, quæ considerando spectat omnia. Ecce nunc sumus in Italia, & cogitamus ea quæ ad Orientales Occidentales partes spectare videntur: & cum illis versari videmur qui in Perside sunt constituti, & illos videmus qui degunt in Africa: si quos cognitos nobis ea terra susceperit, sequimur proficiscentes, inharcimus peregrinantibus, copulamur absentibus, alioquinur separatos: defunctos quoque ad colloquium suscitamus, eosque vt viuentes complectimur & tenemus, & vitæ officia his vsūque deferimus. Ea igitur est ad imaginem Dei, quæ non corporeo æstimatur, sed mentis vigore: quæ absentes videt, transmarina visu obit, percurrit aspectu, scrutatur abdita, huc atque illuc vno momento sensus suos per totius orbis fines & mundi secreta circumfert: quæ Deo iungitur, Christo adhæret, descendit in infernum, atque ascendit, libera versatur in cælo. Denique audi dicentem, Nostra autem conuersatio in cælis est. Non est ergo ad imaginem Dei, in qua Deus semper est? Sed audi quia ad imaginem est Dei. Dicit enim Apostolus, Nos itaque omnes reuelata faciē gloriæ Dei speculantes, ad eandem imaginem reformamur à gloria in gloriam, sicut à Domini spiritu. Quia igitur cognouimus animam esse ad imaginem Dei, nunc consideremus vtrum de anima potuerit dici, Faciamus hominem ad imaginē. Sed audi & istud, quia anima nomine hominis nuncupatur. Scriptum est enim in Genesi: Filij autē Ioseph qui facti sunt ei in Ægypto, animæ nouem. Omnes autē animæ quæ egressæ sunt ex Iacob, septuagintaquinque. Et multo aptius anima vel homo Latine, vel Græcè *ψυχω* dicitur: alterū ab humanitate, alterū ab intuēdi habēs viuacitate; quæ magis animæ quæ corpori conuenire non dubium est. Cui rei etiam illud iure concurrit dictum in Threnis Hieremiæ: Bonus est Dominus sustinentibus eum, animæ quæ quærit eum. De hominibus dixit, & animam adiciendam putauit. Melius enim quærit ista si sola sit, abducens se à corporis cæno, & à cupiditate carnali. Ipsa est ad imaginem Dei, conformis Domini Iesu. Qui autem conformes filij Dei, sancti sunt. Sic enim legimus, dicente Paulo, Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia concurrunt in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti: quos præsciuit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, hos & clarificauit. Vtrum igitur secundum corpus, an secundum animam iustificatio tibi

conferri videatur, quæso respondeas. Sed dubitare non potes, cum iustitia, vnde iustificatio deriuata est, mentis tuæ vtique non corporis sit. Pictus es ergo homo, & pictus à Domino Deo tuo. Bonum habes artificem atque pictorem. Noli bonam delere picturam: non fūco, sed veritate fulgentem: non cera expressam, sed gratia. Deles picturam mulier, si vultum tuum materiali candore oblinas, si acquisiticio rubore perfundas. Illa pictura vitij, non decoris est: illa pictura fraudis, nō simplicitatis est: illa pictura temporalis est, aut pluuia aut sudore tergitur: illa pictura fallit & decipit, vt neque illi placeas cui placere desideras, qui intelligit nō tuum, sed alienum esse quod placeas: & tuo displiceas auctori, qui videt opus suū esse deletū. Dic mihi, si supra artificē aliquem inducas alterū, qui opus illius superioris nouis operibus obducatur, nōne indignatur ille qui opus suum adulteratum esse cognouerit? Noli tollere picturā Dei, & picturā meretricis assumere, quia scriptū est, Tollam ergo membra Christi, & faciam membra meretricis? Absit. Quod si quis adulterat opus Dei, graue crimen admittit. Graue est enim crimen, vt putes quod melius te homo quàm Deus pingat. Graue est vt dicat de te Deus, Nō agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam, non agnosco vultū quem ipse formauit, reuicio ego quod meum non est. Illum quare qui te pinxit, cum illo habeto consortium: ab illo sume gratiam, cui mercedem dedisti. Quid respondebis? Quod si graue est adulterare opus Dei, quid de illis dicemus qui interficiunt opus Dei, qui humanum sanguinem fundunt, qui vitam quam Deus donauit extorquent, qui dicunt, Tollamus iustum, quia inutilis est nobis? Vnde bene lectum est hodie, Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidus, vbi requiescant: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Vulpes ergo se abscondit in fouea, auis se tuetur in nido: homo non absconditur in fouea, sed decipitur. Fouea verò os hominis est, fouea alta peccus est hominis, vbi sunt noxia & fraudulenta cōsilia, malæ cogitationes. Tu ambulas, & alius tibi foueā parat. In medio laqueorū ambulas, quos absconderūt tibi in via inimici tui. Omnia ergo circumspice, vt effugias sicut damula de retibus, & sicut auis de laqueo. Damula retia aspectus viuacitate declinat: auis deuicat laqueos, si ad superiora se confert, & terrēna superuolet. In superioribus enim nemo tendit retia, laqueum nullus abscondit. Ideo cuius conuersatio in supernis est, huius nō solet in prædam venire captura: Sed quid miraris si homo decipitur ab homine, quando filius hominis vbi requiesceret non habebat? Et ille quidē talē hominē fecit, in quo caput suum reclinaret. Sed posteaquam in pectore nostro non requies proximi cepit esse, sed fouea, posteaquā alter alteri necere cepit insidias, quem iuuare deberet, caput suum Christus auertit à nobis. Noli igitur esse fraudulētus, crudelēs, immittis, vt in te Christus caput reclinet. Denique cum fecisset pisciū belluas, cum fecisset ferarū genera & bestiarū, non requieuit. Requeieuit autem posteaquam hominem ad imaginem suā fecit. In quo requiescat, audi dicentē, Supra quem requiescā, nisi super humilem, & quietū, & tremētē verba mea? Esto ergo humilis & quietus, vt in tuo Deus requiescat affectu. Qui

1 Cor. 6.

Sapient. 2.  
Matth. 8.

Proverb. 22.

Eccli. 9.

Proverb. 9.

Philipi. 3.  
Matth. 8.

Esai. 66.

S. Ambros. tom. 1.

non requieuit in bestiis, multo magis non requie-  
 scit in pectore bestiali. Sunt enim animi bestiales,  
 sunt ferarum forma hominum induta, de quibus dicit  
 Dominus, Attendite vobis a falsis prophetis, qui ve-  
 niunt ad vos in vestitu ouium, intus autem sunt lupi  
 rapaces. In his ergo non requieuit Deus: sed requie-  
 uit in moribus humanis, quos fecit Deus ad imagi-  
 nem suam & similitudinem, quando fecit masculum,  
 qui non debet velare caput suum, quoniam vir imago  
 & gloria est Dei. Huius viri anima dicit, Ecce ego  
 Hierusalem pinxi muros tuos. Non dixit, Pinxi ventrem  
 tuum: non dixit, Pinxi inferiora tua: sed dixit, Pinxi  
 muros tuos: valida se afferens homini murorum de-  
 disse praesidia, ut si peruigil speculator in portis sit,  
 obsidionis possit periculum propulsare. Dicit itaque,  
 Non tibi voluptates dedi, non illecebras cupidita-  
 tum, non incentiuu luxuria, non alieni decoris con-  
 cupiscentiam: sed dedi tibi fundamenta muralia, de-  
 di tibi turrium excelsa fastigia, in quibus constitutus  
 expugnari ab hoste non metuas, nec ingruentium  
 legionum terribilia licet tentamenta formides. De-  
 nique habes in Esaiam, quia iusti anima dicit, vel Ec-  
 clesia: Ego ciuitas munita, ego ciuitas obsessa. Mun-  
 ta per Christum, obsessa per diabolum. Sed non de-  
 bet obsidionem vereri, cui Christus adiutor est. Mu-  
 nitur enim gratia spiritali, & saecularibus periculis  
 obsidetur. Vnde & in Canticis habes dictum, Ego mu-  
 rus, & vbera mea turres. Murus est Ecclesia, turres  
 eius sunt sacerdotes, quibus abundat & de naturali-  
 bus verbum, & de moralibus disciplina. Cognosce  
 ergo te decora anima, quia imago Dei es: cognosce  
 te homo, qui gloria es Dei. Audi quomodo gloria.  
 Propheta dicit, Mirabilis facta est cognitio tua ex  
 me, hoc est, in meo opere tua mirabilis est facta ma-  
 iestas: in consilio hominis tua sapientia praedicatur.  
 Dum me intucor, quem tu in ipsis cogitationibus oc-  
 cultis & internis affectibus deprehendis, scientia tua  
 agnosco mysteria. Cognosce ergo te o homo quan-  
 tus sis, & attende tibi: ne quando laqueis implicatus  
 diaboli, fias praeda venantis: ne forte in fauces tetri  
 illius leonis incurras, qui rugit & circuit quaerens  
 quem deuoret. Attende tibi, ut consideres quid in te  
 intret, quid ex te exeat. Non de cibo dico, qui absor-  
 betur & egeritur: sed de cogitatione dico, de sermo-  
 ne assero. Non in te intret alieni tori concupiscentia,  
 non irreat in tuam mentem: non rapiat oculus  
 tuus transeuntis foeminae pulchritudinem, animus non  
 includat: non sermo tuus tentamentorum machinas  
 necet, non in dolo prodat, non maledico proximum  
 aspergat opprobrio. Venatorem te fecit Deus, non  
 expugnatorem, qui dixit, Ecce ego mitto venatores  
 multos: venatores non criminis, sed absolutionis: ve-  
 natores non culpae utique, sed gratiae. Piscator Chri-  
 sti es, cui dicit, Amodeo eris homines viuificans. Sic  
 mitte retia tua, sic mitte oculos tuos, sic mitte ser-  
 mones tuos, ut nullum opprimas, sed alluces fluctuan-  
 tem. Attende, inquit, tibi. Sic sta, ne cadas: sic curre,  
 ut ad brauium peruenias: sic certa, ut saepe decernas,  
 quia legitimo debetur corona certamini. Miles es,  
 hostem diligenter explora, ne tibi nocturnus irreat:  
 athleta es, manibus aduersario propior esto quam  
 vultu. Ne oculum feriat tuum, liber obtusio sit, ar-  
 gutus inaccessus, ut irruentem effundas, cedentem oc-

cupes, vulnus vigilanti aspectu exeas, forti congres-  
 su repellas. Quod si fueris vulneratus, attende tibi,  
 curre ad medicum, quaere remedium poenitentiae.  
 Attende tibi, quia carnem habes quae cito labitur.  
 veniat tibi bonus animarum medicus, sermo diuinus,  
 aspergat tibi oracula Domini tamquam medicamen-  
 ta salubria. Attende tibi, ne fiat verbum abscondi-  
 tum in corde tuo iniquum. Serpit enim sicut vene-  
 nis, & letalia infert contagia. Attende tibi, ne obli-  
 uiscaris Deum qui fecit te, ne nomen eius in vanum  
 accipias. Attende tibi, lex dicit, ne cum manducaue-  
 ris, & satiatus fueris, & domos aedificaueris, & habi-  
 tare coeperis, & pecoribus tuis repletus fueris, & au-  
 ro & argento abundaueris, & omnibus quaecumque  
 tibi fuerint, in multitudine exaltes te corde, & obli-  
 uiscaris Dominum Deum tuum. Quid enim habes  
 homo quod non accepisti? Nonne haec omnia sicut  
 umbra praeteriit? Nonne domus tua haec puluis est  
 & ruina? Nonne haec omnia, fabula? Nonne saeculi  
 thesaurus, vanitas est? Nonne tu ipse es cinis? Respi-  
 ce in sepulchra hominum, & vide quid ex te nisi cinis  
 & ossa remanebunt, hoc est, ex corpore tuo: respice,  
 inquam, & dic mihi quis ibi diues, quis pauper sit.  
 Discerne inopes ac potentes. Nudi omnes nascimur,  
 nudi morimur. Nulla discretio inter cadavera mor-  
 tuorum, nisi forte quod grauius foetet diuitum cor-  
 pora distenta luxurie. Quem audisti pauperem crudi-  
 tate defunctum? Prodest illi inopia sua: exercet cor-  
 pus, non opprimit. Nec tamē audiuius iustum de-  
 relictum, aut semen eius quaerens panem: quoniam  
 qui bene operatur in terra sua, abundat alimentis.  
 Attende ergo tibi diues, quia & tu carne portas sicut  
 pauper. Attende tibi pauper, quia anima tua pretiosa  
 est: & si caro mortalis, diuturna anima: & si tibi deest  
 pecunia, non deest gratia: & si non est domus ampla,  
 non diffusa possessio, caelum patet, terra libera est. Om-  
 nibus in commune elementa donata sunt, patent  
 aequē diuitibus atque pauperibus ornamenta mundi.  
 Numquid pulchriora pretiosissimarum domorum  
 aurata laquearia, quam caeli facies, stellis insignita ful-  
 gentibus? Numquid latiora diuitum rura, quam spacia  
 terrarum? Vnde ad eos qui domum ad domum, &  
 villam ad villam iungunt, dictum est, Numquid soli ha-  
 bitabitis super terram? Maiorē domum tu habes pau-  
 per, in qua clamas, & exaudiris. O Israel, inquit Pro-  
 pheta, quam magna est domus Dei, & ingens locus  
 possessionis eius! magnus, & non habet finem, altus &  
 immensus. Domus Dei diuiti est communis & pau-  
 peri. Difficile est tamen diuitē intrare in regnum Dei.  
 Sed forte doles quod nullum tibi auratorum lych-  
 norum lumen refulgeat. Sed multo illustrior tibi lu-  
 mine circumfuso luna resplendet. De hyeme forsitan  
 quereris, quia nulla tibi hypocausa anhelanti-  
 bus ignibus vaporentur: sed habes solis calorem, qui  
 tibi orbem terrarum temperet, & hyberno te defendat  
 ad frigore. An illos beatos putas, qui seruitorum  
 sequentium stipantur cateruis? Sed qui alienos pe-  
 des requirunt, suis uti nesciunt. Denique a paucis  
 praeceduntur, a plurimis portantur. Nisi forte illud  
 miraris, quod abundant auro, argento, pecunia.  
 Quantis abundant vides, quantis egcant non vides.  
 Sed eburneis lectis accumbere pretiosum putas, &  
 non consideras pretiosiorē esse terram, quae pauperi  
 toros

toros graminum sternit, in quibus dulcis requies, A  
 suavis est somnus, quem ille aurea compositus spon-  
 da, tota peruigil nocte quaerit, nec capit. O quanto  
 te ille beatiorem iudicat vigilans quietem! Illud  
 praetereo, quod multo est praestantius, quoniam ius-  
 tus qui hic egerit, illic abundabit: & qui hic labo-  
 rem tolerauerit, illic consolationem habebit. Qui au-  
 tem hic receperit bona, illic mercedem eorum spe-  
 rare non poterit. Paupertas enim mercedem suam  
 referuat, census absument. Attende ergo tibi pauper,  
 attende diues: quia in paupertate & diuitiis tenta-  
 menta sunt. Ideoque sapiens dicit, Diuitias & pau-  
 pertatem ne dederis mihi. Et qua ratione petierit  
 hoc, dicit, Satis est enim homini habere quod sibi  
 sufficit. Quia diuitiae ut epulis ventrem, ita animum  
 curis, sollicitudinibusque distendunt. Ideoque petit  
 constitui sibi quae opus sunt & sufficientia, Ne reple-  
 tus, inquit, mendax fiam, & dicam, Quis me videt?  
 aut factus pauper, furtum faciam, & iurem nomen  
 Domini. Fugienda igitur & caueda sunt tentamenta  
 mundi, ne pauper desperet, ne opulens insolescat.  
 Scriptum est enim: Cum expuleris gentes, & coepe-  
 ris vti terris eorum, ne dicas, Virtus mea & manus  
 mea hanc mihi possessionem parauit. Sic est qui o-  
 pes suas merito adscribit suo. Et ideo quasi probatus  
 proprium non agnoscit errorem, sed longo trahit fune  
 peccatum. Nam si credat quod accessio pecuniae, aut  
 fortuiti euentus, aut turpis astutia sit, non habet lo-  
 cum insolentia, in quibus aut nulla laus, & inanis la-  
 bor, aut cupiditas inuerecunda sit, modum nesciens  
 ponere voluptati.

De praestantia, decore, & gratia humani corporis, ac ipsius  
 membrorum. C.A.P. IX.

ET finxit Deus hominem, &c. Sed iam de ipso etiam  
 hominis corpore aliqua dicenda sunt, quod praes-  
 tantius ceteris decore & gratia esse quis abnuat?  
 Nam etsi vna atque eadem omnium terrenorum cor-  
 porum videatur esse substantia, firmitudo & proce-  
 ritas quibusdam maior in bestiis: forma tamen hu-  
 mani corporis est venustior, status erectus & celsus,  
 ut neque enormis proceritas sit, neque vilis & abie-  
 cta pusillitas, tum ipsa habitudo corporis suavis &  
 grata, ut neque beluina vastitas horrore sit, nec gra-  
 cilitas tenuis infirmitati. Ac primum omnium co-  
 gnoscamus humani corporis fabricam instar esse mun-  
 di. Si quidem ut caelum eminet aeri, terris maria, quae  
 velut quaedam membra sunt mundi: ita etiam caput  
 supra reliquos artus nostri corporis cernimus emi-  
 nere, praestantissimumque esse omnium tamquam  
 inter elementa caelum, tamquam arcem inter reliqua  
 vrbs moenia. In arce autem hac regalem quandam  
 habitare sapientiam, secundum propheticum dictum,  
 Quia oculi sapientis in capite eius: hanc esse ceteris  
 tutiorem, & ex illa omnibus membris vigorem pro-  
 uidentiamque deferri. Quid enim robur & validitas  
 lacertorum proficiat, quid velocitas pedum, nisi ca-  
 pitis velut principis sui imperialis quaedam admini-  
 culetur potestas? Ex hoc enim desituuntur vniuersa,  
 aut omnia fulciuntur. Quid agat fortitudo, nisi o-  
 culo duce vtatur in praesidium? Quid fuga, si desit ob-  
 tutus? Carcer est totum corpus, tenebroso inhor-  
 rens situ, nisi oculorum illuminetur aspectu. Quod

ergo sol & luna in caelo, hoc sunt oculi in homine.  
 Sol & luna duo mundi lumina: oculi autem quaedam  
 in carne sidera fulgent desuper, & inferiora claro il-  
 lustrant lumine, nec patiuntur noctis quibusdam nos  
 tenebris implicari: speculatores quidam nostri die  
 ac nocte excubant. Nam & ex sopore membris ceteris  
 citius excitantur, & vigilantes circumspiciunt  
 omnia, viciniore enim sunt cerebro, vnde omnis  
 manat usus videndi. Neque verò praeproperè quif-  
 quam huc descendisse me credat, quod relicto verti-  
 cice oculos praedicem, cum alienum non sit, sum-  
 mam rem in parte laudare. Oculos enim certum est  
 esse capitis portionem. Caput itaque oculis explo-  
 rat omnia, auribus occulta rimatur, cognoscit abs-  
 condita, audit quid aliis agatur in terris. Ipse au-  
 tem vertex capitis quam suavis & gratus: quam spe-  
 ciosa caesaries? quam reuerenda in senibus? quam  
 veneranda in sacerdotibus? quam terribilis in bel-  
 latoribus? quam decora in adolescentibus? quam  
 compta in mulieribus? quam dulcis in pueris? Ali-  
 um sexum crinita, alium tonsa non decet. Ex arbori-  
 bus licet, quae humani sit gratia capitis, aestimare.  
 In capite arboris omnis est fructus, ibi omnis est  
 pulchritudo: illius coma nos aut a pluuuis tegit,  
 aut defendit a sole. Tolle arbori comam, tota ar-  
 bor ingrata est. Quanto igitur maior humani ca-  
 pitis ornatus est, qui cerebrum nostrum, hoc est,  
 sedem originemque nostrorum sensuum capillis  
 capitis munit & vestit, ne aut frigore vexetur aut  
 aestu? Illic enim fons vniuersorum est: & ideo vbi in-  
 iuria nocet, ibi gratia praeminet. Quid sine capite  
 est homo, cum totus in capite sit? Cum caput videris,  
 hominem agnoscis. Si caput desit, nulla agnitio  
 esse potest: iacet truncus ignobilis, sine honore, sine  
 nomine. Sola aere sua principum capita, & ducti  
 vultus de aere vel de marmore, ab hominibus ado-  
 rantur. Non immerito igitur huic quasi consultori  
 suo cetera membra famulantur, & circumferunt il-  
 lud seruili gestamine sicut numen, atque in sublime  
 locatum vehunt. Vnde censoria potestate quod vult  
 dirigit quorundam obsequia seruulorum, & praec-  
 epta singulis obeunda decernit. Vidcas imperatori  
 suo singula gratuito stipendio militare. Alia por-  
 tant, alia pascunt, alia defendunt, & ministerium  
 suum exhibent: parent ut principi, ancillatur ut do-  
 mino. Inde velut quaedam procedit tessera, quam  
 debeant pedes obire regionem, quae militiae munia  
 manus consummandis operibus exequantur, quam  
 venter abstinenti vel edendi formam imposita: te-  
 neat disciplinae. Huic frons libera, nudis aperta tem-  
 poribus, quae mentis habitum specie sui prodat: nunc  
 lepta, nunc tristior: nunc directa ad feritatem, nunc  
 ad lenitatem remissior, quae signis forensibus inter-  
 nam exprimat voluntatem. Imago quaedam animi  
 loquitur in vultu, fidei basis, in qua quotidie Domi-  
 ni nomen inscribitur & tenetur. Eam geminae sepes  
 superciliorum sequuntur, quae oculis munimenta praes-  
 tendunt, praetexunt gratiam: ut & venustas decoris  
 ardeat, & diligentia protectionis assistat. Si quid  
 enim de capite sordium decidat, aut arena puluis,  
 aut ros nebulae, aut humescentis verticis sudor, exci-  
 pitur supercilio, ne teneras offensa acie visiones mol-  
 lium perturbet oculorum. Adhaeret velut quibusdam

Math. 7.

1. Cor. 11. Esai. 49.

Esai. 27.

Cantic. 8.

Cent. 1. Psal. 138.

Ecl. 29.

1. Petr. 5. Math. 15.

Prover. 6.

Hierem. 16. Luc. 5.

Ecl. 29.

1. Cor. 9.

2. Tim. 2.

Deut. 15.

Luc. 16.

Math. 6.

Exod. 20. Deut. 8.

Prover. 30.

Ibidem.

Ibidem.

Deut. 8.

Esai. 5.

1. Cor. 4. Psal. 143.

Psalm. 36. Prov. 12. & 28.

Esai. 5.

Baruch 3.

Mat. 19.

Ecl. 2.

Virgil. lib. 6. Aeneid.



montium supercillios oculi, vt & protegente montis cacumine tutiores sint, & tamquā in summo locati, de quadam scena superiore vniuersa prospiciēt. Neque enim oportebat eos humiles esse, sicut aures, vel os, ipsōque narium interiores sinus. Specula enim semper in alto est, vt aduenientium cateruarum hostilium explorari possit aduentus, ne improuiso occupent otiantem vel vrbis populum, vel imperatoris exercitum. Sic latronum quoque cauentur incursus, si exploratores in muris aut turribus, aut montis excelsi supercillio sint locati, vt desuper spectent plana regionum, in quibus insidiā latronum latere non possint. In mari quoque positus si quis terrā appropinquare se conicit, in ipsa mali fastigia, & cella antennarum cornua voti explorator ascendit, & adhuc inuisibilem reliquis nauigantibus eminus terram salutat. At fortè dicas, Si specula editorum necessaria fuit, cur non supra summum verticem capitis oculi constituti sunt, sicut cancris vel scarabæis in summo sunt, quibus licet nullum caput appareat, colla ac dorsa tamen cætero corpore celsiora sunt? Sed illis testa valida, nec tam tenuis membrana sicut nobis, quæ facillè possit offendi, rubōque & cæteris intersecindi sentibus. Aliis quoque animantibus huiusmodi species vt possint oculos aut ad ceruicem conferre, vt equi ac boues, ac propemodum omnes feræ: aut ad alas suas, vt aues, quò tuta quiete portantur. Nobis autem & in summa propemodum corporis parte constitui oculos oportuit, tamquam in arce, & ab omni vel minima offensione defendi: quæ duo sibi compugnantia videbantur. Nam si in humili essent propter tutamen, munus impediretur: si in vertice, paterent ad iniuriam. Itaque ne vel vsui muneris aliquid detraheretur, vel ad propulsandam iniuriam non prospiceretur, eo loci oculos constituit, cui supercilia desuper non minimum protectionis impertiant, subter malæ aliquantulum eleuata: haud exiguum munitionis adiungant, anteriorem partem sepiant nares, exteriorem quoque frontis malarumque gibbi extuberent: & licet ossium compage connexa, & æquata confinia circumvallare videantur, inter hæc medijs sunt oculorum orbis, & tuti ad cauendum, & ad intuentum liberi, & decori ad gratiam, utpote in crystalli speciem resurgentes. In quorum medio pupillæ sunt, quæ videnti munus operantur: ac ne qua incidentis iniuriæ offensione lædantur, pilis hinc inde confertis velut quodam vallo per circuitum muniuntur. Vnde tutum auxilium postulans Propheta ait, Custodi me Domine vt pupillam oculi, vt protectionis diuinæ fieret ei tam sollicita & tuta custodia, quam pupillam oculi tutissimo quodam naturæ vallo munire dignatus est. Simul quia innocentia & integritas leui forde aspersa violatur, & gratiæ suæ munus amittit. Et ideo prospiciendum ne quis eam puluis erroris oblimet, aut vlla vexet festuca peccati, quia scriptum est: Eice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eicere festucam de oculo fratris tui. Itaque propter oculos ferunt medendi periti cerebrum hominis in capite locatum, alios autem nostri corporis sensus propter cerebrum finitimo quodam esse domicilio constitutos. Initium enim neruorum & omnium sensuum voluntarię commotionis cere-

brum est, atque inde eorū quæ diximus causa manat. Initium autem arteriarum & insiti caloris, quo animantur & tepescunt vitalia, cor esse plerique arbitrantur. Sensuum autem singulorum vel organum nerui sunt, qui velut chordæ & fides quædam de cerebro oriuntur, & per partes corporis in singula quæque officia deriuantur. Ideoque mollius est cæteris cerebrum, quia omnes suscipit sensus: cò enim nerui referunt vniuersa quæ vel oculus viderit, vel aures audierit, vel odor inhalauerit, vel lingua increperit, vel os saporis acceperit. Quod quia molle, ad compassionem aptius: quod autem durum ex aliquo rigore neruorum, ad agendū efficacius. Præstantissimum quoque audiendi munus est, & vsui suppar gratia. Ideo aures extantiores, vt & ornatus decorem præferant, & excipiant omne illud quidquid de vertice sordium humorisve defluerit: simul vt in earum sinibus vox repercussa sine offensione interiores ingrediatur anfractus. Nam nisi ita esset, quis non ad omnem fortioris sonum vocis attonitus redderetur, cum inter ipsa subsidia frequenter improuiso ictus clamore nos obscurdescere sentiamus? Tum velut quædam propugnacula videas prætere aduersus frigoris asperitatem, calorisque flagrantiam: vt neque frigus penetret ductus patentes, neque nimius adurat æstus. Sinuatio autem interiorum aurium, modulandi quendam numerum præstat & disciplinam. Siquidem per anfractus aurium quidam rythmus efficitur, & modulis quibusdam ingressæ sonus vocis exprimitur. Tenaces præterea sermonis accepti ipsos esse anfractus aurium, vsus ipse nos docet. Siquidem velut in concauis montium, vel in recessu rupium, vel in anfractu fluminum vox auditur dulcior, & responsa suauius referens echo resultat. Ipsæ quoque sordes aurium non inutiles, quæ ligant vocem, vt tenacior eius in nobis & memoria sit, & gratia. De naribus autem quid loquar, quæ biuio & procero foramine antrum quoddam recipiendis odoribus præstant, vt non perfunditorie odor transeat, sed diutius inhæreat naribus, & earum ductu cerebrum sensusque depascat? Ideo diutius odor fragrat acceptus, quam sermo resonat, aut visus apparet. Plerumque quod momento breui fueris odoratus, toto die tibi spirat in naribus. Per eas quoque purgamenta capitis defluunt, & sine fraude atque offensione aliqua corporis deriuantur. Est etiam non mediocris sensus in tactu, atque in eo voluptas gratissima, sincerumque iudiciū. Plerumque enim tactu probamus, quæ oculis probare non possumus. Postremum quoque officium est oris aut linguæ, quod tamen omnibus vires ministrat. Nam neque oculi vigorem videndi haberent, nisi virtutem substantiæ corporalis acciperent, quæ cibo defertur & potu: neque aures audiendi, aut nares odorandi, aut manus tangendi, nisi corpus omne confortetur alimentis. Deficimus enim viribus, nisi eas cibi competentis assiduitate reparemus. Denique confecti fame, nullis oblectantur sensuum voluptatibus, sed quasi exortes eorum delinimenta non sentiunt. Quid ego describam dentium vallum, quo cibus conficitur, & plenæ sit vocis expressio? Quæ sine dentibus alimonia delectaret? Denique æui maturos plerumque cernimus hoc ipso citius senescere, quod amissis dentibus nullam

*Arist. lib. 3. de part. anim. c. 7. Galen. lib. 5. de viti. par. cap. 9.*

*Psalm. 84.*

*Esai. 40.*

*Esai. 33. 1. Cor. 1.*

*Psalm. 50. Cantic. 1.*

*Luc. 22.*

nullam possint cibi virtutem validioris assumere. Ideo muta infantia, quia non habet hoc organum vocis. Lingua quoque non solum in loquendo, sed etiam in edendo munus pretiosissimum est. Ea enim velut pletrum loquentis, & quædam edentis est manus, quæ defluentem cibum dentibus suggerit & ministrat. Vox quoque aeris quodam remigio vehitur, & per inane portatur, eademque vis quæ aërem verberat, nunc commouet, nunc demulcet audientis affectum, iratum mitigat, fractum erigit, solatur dolentem. Sit igitur nobis canorum commune cum auiibus. Sed apud quem, quo sono vocis vtatur, quod est rationale, non potest cum animantibus irratiabilibus esse commune. Nam & ipsi sensus communes nobis sunt cum animantibus cæteris: sed tamen non eadem his cæteri animantes industria vtuntur. Erigit bucina ad cælum oculos, sed quid spectet ignorat. Erigunt feræ, erigunt aues: omnibus est liber aspectus, sed soli inest homini eorum quæ aspicit affectus interpres. Spectat oculis ortus obitusque signorum, videt ornamentum cæli, miratur stellarum orbis, fulgures quoque diuersos intelligit astrorum, quando heperus surgat, quando lucifer: cur ille vespertinus, hic matutinus irradiet: quos ortus Oriō habeat, quos luna defectus: quemadmodum sol suos norit occasus, circuitus quoque cursus sui solemnitate custodiat. Audiunt quoque animantes cæteri, sed quis præter hominem audiendo cognoscit? Secreta sapientiæ solus homo ex omnibus generibus quæ in terris sunt, auditu & meditatione & prudentia colligit, qui potest dicere, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Hoc est pretiosissimum, quod homo diuinæ vocis sit organum, & corporalibus labiis exprimit caeleste oraculum, sicut illud est, Clama. Quid clamabo? Omnis caro fœnum. Accepit quod diceret, & clamauit. Sibi habeant prudentiam suam qui cæli terrarumque spatia radio describunt. Sibi habeant intellectum suum, de quo dicit Dominus, Et intellectum prudentium reprobo. Neque numeros orationis, & modulos musicæ sapientiæ hoc constituam loco, sed eam sapientiam desinio, de qua dicit Propheta, Incerta & occulta sapientiæ tuę manifestasti mihi. Quid autem loquar de osculo oris, quod pietatis & charitatis est pignus? Osculantur se & columbæ. sed quid ad humani osculi venustatem, & quo amicitia insignit humanitatisque præfulget, in quo plenæ charitatis fides exprimitur? Vnde & Dominus velut prodigij genus in proditore condemnans ait, Iuda, osculo filium hominis tradis? hoc est, Charitatis insigne conuertis ad signum proditioris, & infidelitatis indicium? pacis hoc pignore veteris ad officium crudelitatis? Bestiali igitur oris obsequio inferentem potius necem, quam charitatis fœdera deferentem, diuinæ arguit vocis oraculo. Illud quoque precipuum, quod soli homines ore exprimimus, quæ corde sentimus. Itaque cogitationes tacitæ mentis, oris sermone signatur. Quid est igitur os hominis, nisi quoddam sermonis adytum, fons disputationis, aula verborum, promptuariū voluntatis? Absoluimus velut quendam humani corporis regiam, in qua sit licet quædam quantitas portionis, forma tamen vniuersitatis est. Sequitur guttur, per quod toti corpori vitale commercium, & spiritus

huius commeatu infunditur. Succedunt brachia, & validi lacertorum tori, validæ ad operandam manus, & procerioribus digitis habiles ad tenendum. Hinc aptior vsus operandi, hinc scribendi elegantia, vt ille calamus scribæ velociter scribentis, quo diuinæ vocis exprimuntur oracula. Manus est quæ cibum ministrat, manus est quæ præclaris enitet factis, quæ conciliatrix diuinæ gratiæ sacris infertur altaribus, per quam offerimus & sumimus sacramenta caelestia: manus est quæ operatur pariter atque dispensat diuina mysteria, cuius vocabulo non dedignatus est se Dei filius declarari, dicente Dauid, Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me. Manus est quæ fecit omnia, sicut dixit Deus omnipotens: Omnia enim hæc fecit manus mea. Manus est totius corporis propugnaculum, capitis defensionem. Quæ cum sit loco inferior, totum verticem comit, & honesto venustat ornatu. Quis dignè explicet pectoris cratem, ventrisque mollitiem? Aliter enim viscera molliora non possent foueri, & intestinorum sinus duris haud dubiè ossibus læderentur. Quid tam salutare, quam vt pulmo cordi finitimo limite iungeretur, vt cum exarserit cor ira & indignatione, pulmonis sanguine atque humore citius temperetur? Ideoque mollior pulmo est, quia maderet semper, simul vt rigorem indignationis emolliat. Hæc ideo strictim percurramus, vt tamquam non indocti obuia perstringere, non tamquam medici plenius scrutari videamur & persequi, quæ naturæ latibulis abscondita sunt. Lien quoque cum iecore habet viciniam fructuosam: qui dum adsumit quo ipse pascatur, abstergit quidquid sordium deprehenderit, vt per fibras iecoris minutiores, ciborum possint tenues atque subtiles reliquiæ transire, quæ vertantur in sanguinem, viribusque proficiant, & non cum simo & sordibus egerantur. Intestinorum verò circumplexi orbis, & sine aliquo licet nodo, sibi tamè inuicem nexi, quid aliud nisi diuinā prospicientiam creatoris ostendunt, vt non citò efca pertranscant, & statim à stomacho decurrat? Quod si fieret, iugis famines, & continua voradi libido hominibus gigneretur. Exinanitis enim visceribus & exhaustis, dū momentaria effusione vacuarentur, necesse esset inexplibilem atque insatiabilem cibi & potus generari cupiditatem, quam sine dubio immatura mors sequeretur. Ideoque prouidè conficitur primum efca in vtero superiore, deinde in iecore coquitur, quousque vapore digestus transfunditur succus eius in reliquas corporis partes, eaque substantia artus alitur humani, quam iuuenes accipiunt ad incrementum, senes ad perseverantiam: reliquum autem velut superfluum per intestina deducitur, & per illud ex trāuerso ostiū deriuatur. Denique etiam in Genesi arca Noe ad fabricam humani corporis accipitur, de qua dixit Deus, Fac tibi arcam ex lignis quadratis, nidos facies in ea, & illinies eam intus & foris bitumine, & sic facies arcam. Et infra, Ostiū verò facies ex tranuerfa facies. Hoc ergo significat Dominus, quod ostium ex posteriori sit parte, per quod egerantur ciborum superflua. Decorè enim creator noster ductus reliquiarum à vultu hominis auertit, ne dum aluum purgamus, inquinaremus aspectum. Simul

*Psalm. 44.*

*Psalm. 117.*

*Esai. 66.*

*Gen. 6.*

*Ibidem.*

*Psalm. 16.*

*Matth. 7.*



illud confidera, quòd ea quæ pudoris plena sunt, eo loci constituta sunt, vbi operta vestibus dedecere non possint. Venarum pulsus, vel infirmitatis internuntius, vel salutis est. Eadem tamen cum toto diffusæ sint corpore, neque nudæ atque intactæ sunt, & ita lenibus operiuntur visceribus, vt explorandi copia sit, & celeritas sentiendi; quando nulla est viscerum crassitudo quæ pulsus possit obducere. Ossa quoque omnia tenui operta sunt viscere, & reuincta nervis, præcipuè tamen capitis leui recta sunt corio. Vnde quòd possint aliquod aduersum imbres & frigora habere munimen, capillis densioribus vestiuntur. Quid de genitalibus loquar, quæ venis è regione ceruicis per renes lumbosque deductis, suscipiunt genitale seminiû ad munus & ad gratiâ procreandi? Quid de officio pedum, qui totum corpus sine vlla sustinent oneris iniuria? Flexibile genu, quo præ cæteris Domini mitigatur offensa, ira mulcerur, gratia prouocatur. Hoc enim patris summi erga filium donum est, vt in nomine Iesu omne genu curuetur, cælestium, terrestrium, & inferorum: & omnis lingua confiteatur quoniam Dominus Iesus in gloria est Dei patris, Duo enim sunt quæ præ cæteris Deum mulcent, humilitas, & fides. Pes itaque exprimit humilitatis affectum, & sedulæ seruitutis obsequium: Fides æquat filium patri, atque vtriusque eandem gloriam confitetur. Rectè autem non plures, sed duo sunt homini pedes. quaterni enim pedes feris ac belluis sunt, bini auibus. Et ideo vnus quasi deuotilibus est homo, qui alta visu petat, & quodam remigio volitet sublimium cogitationum. Et ideo de eo dictum est, Renouabitur sicut aquilæ iuuetus tua:

Philip. 2.

Psal. 102.

S. AMBROSII HEXAEMERON LIBRI SEXTI ET VLTIMI FINIS.

Summarium libelli de dignitate conditionis humanæ.

Agit de hominis præstantia super ceteras creaturas & ratione imaginis & ratione similitudinis, super verbis lib. Gen. cap. I. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem, &c.

Capita libelli.

Quòd nedum verbo, vt alia creatura, sed sanctæ Trinitatis consilio conditus est homo, & quare. Cap. I.

De dignitate hominis sumpta ex ratione imaginis. Cap. II.

De dignitate hominis ex ratione similitudinis sumpta. Cap. III.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS, DE DIGNITATE CONDITIONIS HVMANÆ, LIBELLVS.

Quòd nedum verbo, vt alia creatura, sed sanctæ Trinitatis consilio conditus est homo, & quare. CAP. I.

Gen. 1.



**F**ACIAMVS hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Tanta itaque dignitas humanæ conditionis esse cognoscitur, vt non solo iubentis sermone, sicut alia sex dierum opera, sed consilio sanctæ Trinitatis, & opere maiestatis diuinæ creatus sit homo: vt ex primæ conditionis honore intelligeret, quantum deberet suo conditori, dum tantum in conditione mox dignitatis priuilegium præstitit ei

quòd quod propior sit cælestibus, & sublimior aquilis, qui possit dicere, Nostra conuersatio in cælis est.

Philip. 3.

Absoluit sextum diem, & eius opus: quomodo Deum requiesisse dicatur, explicat, & ei gratias agit. CAP. X.

**S**ED iam finis sermoni nostro sit, quoniam conclusa est, perfectò videlicet homine, in quo principatus est animantium vniuersorum, & summa quædam vniuersitatis, & omnis mundanæ gratia creaturæ. Certè deferamus silentium, quoniam requieuit Deus ab omnibus mundi operibus: requieuit autem in recessu hominis, requieuit in eius mète atque proposito. Fecerat enim hominem rationis capacem, imitatorem sui, virtutum emulatorem, cupidum cælestium gaudiorum. In hunc requiescit Deus, qui ait, Super quem requiescam, nisi supra humilem & quietum, & trementem verba mea? Gratias ergo Domino Deo nostro, qui huiusmodi opus fecit in quo requiesceret. Fecit cælum, non lego quòd requieuerit: fecit terram, non lego quòd requieuerit: fecit solem, lunam, & stellas, nec ibi lego quòd requieuerit: sed lego quòd fecerit hominem, & tunc requieuit, habès cui peccata dimitteret. Aut fortè tunc iam futuræ dominicæ passionis præcessit mysterium, quo reuelatû est quia requiesceret Christus in homine, qui requiem sibi prædestinabat in corpore pro hominis redemptione, secundum quod ipse dixit, Ego dormiui, & requieui, & exurrexi, quoniam Dominus suscepit me. Ipse enim requieuit, qui fecit. Cui est honor, gloria, perpetuitas à sæculis, & nunc, & semper, & in omnia sæcula sæculorû. Amen.

Esa. 66.

Psal. 3.

Act. 17.

quòd sicuti Deus vnus semper vbique totus est, omnia viuificans, mouens, & gubernans, sicut Apostolus confirmat, quòd in eo viuimus, mouemur, & sumus: sic anima in suo corpore vbique tota viget, viuificans illud, mouens, & gubernans. Nec enim in maioribus corporis sui membris maior, & in minoribus minor, sed in minimis tota, & in maximis tota. Et hæc est imago vnitatis omnipotentis Dei quam anima habet in se. Quæ quoque quandam sanctæ Trinitatis habet imaginem. Primò in eo, quia sicut Deus est, viuuit, & sapit: ita anima secundum suum modum est, viuuit, & sapit. Est quoque & alia trinitas in ea, qua ad imaginem sui conditoris perfectæ quidem & summæ Trinitatis, quæ ex patre & filio & spiritu sancto condita est. Et licet vnus illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet, id est, intellectum, voluntatem, & memoriam. Quod idem, licet aliis verbis, in Euangelio designatur, cum dicitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: id est, ex toto intellectu, & ex tota voluntate, & ex tota memoria. Nam sicut ex patre generatur filius, & ex patre filioque procedit spiritus sanctus: ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his item ambobus procedit memoria, sicut faciliè à sapiente quolibet intelligi potest. Nec enim anima perfecta potest esse sine his tribus, nec horum trium vnus aliquod quantum ad suam pertinet beatitudinem, sine aliis duobus integrum constat. Et sicut Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus est, non tamen tres dii sunt, sed vnus Deus tres habens personas: ita & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria: non tamen tres animæ in vno corpore, sed vna anima tres habens dignitates: atque in his tribus eius imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo, ex quibus quasi excellentioribus animæ dignitatibus iudicemur diligere conditorem, vt in quantum intelligitur diligitur, & quantum diligitur, semper in memoria habeatur. Nec solus sufficit de eo intellectus, nisi fiat in amore eius voluntas: immò nec hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mète intelligentis & diligentis maneat Deus: vt sicut non potest esse momentum quo homo non vtatur vel fruatur Dei bonitate & misericordia, ita nullum debeat esse momentum quo præsentem cum non habeat memoria. Et idè iustè mihi videtur dictum, interiorem hominem imaginem esse Dei. Anima enim nominatur totus interior homo, qua viuificatur, regitur, continetur lutea illa massa humectata fuccis, ne arefacta dissoluatur. Deus dicitur vis illa ineffabiliter magna, & innumerabiliter sapiens, vt scriptum est, Magnus Dominus noster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus, & incomparabiliter suauis, vt alibi dicit; Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Ex qua, & per quam, & in qua sunt omnia quæ sunt, reguntur omnia quæ sunt, continentur omnia quæ sunt. Omnia dico, ipsam vniuersitatem, quæ est totum; quod aliud est quàm ipse qui fecit: qui non est factus, sed ipse est ex quo, per quem, & in quo. Quod Deus ex quo est, pater dicitur à nobis pauperibus sensu, pauperioribus verbis: quod qui ex eo, filius dicitur: quod quo, spiritus sanctus. Ideo au-

Matth. 22.

Coloss. 3.

Psal. 146. Psal. 144. Rom. 11.

tem dicitur Deus pater, quia ipse est ex quo, & sapientia est qua ordinantur omnia, & dilectio qua se volunt omnia ita manere vt ordinata sunt. Ex quo ergo, & qui ex eo, & quo se diligunt ipsa duo, tria sunt, & illa tria ideo vnus, quia sic sunt ex vno illa duo, vt tamen ab eo non sint separata, sed ex ipso sunt, quia non à se; & in ipso, quia non separata, & ipsum ipsa quod ipse, & ipsum ipse quod ipsa, & non ipsum ipsa qui ipse, & non ipsa ipse quæ ipsa. Ista duo Deus est, & ipse Deus tria est, & vnus quodque horum trium Deus est; & omnia tria illa non dii, sed Deus est. Ad imaginem ergo suam conditor, vt dictum est, fecit animam hominis, quæ tota dicitur anima. Non autem aliud quàm hominis animam significo cum mentem dico, sed propter aliud animam, & propter aliud mentem. Nam totum quod viuuit, hominis anima est. Cum autem anima in se agit se, & ex se, & per se sola, mens dici solet: sensus verò ad sua ministeria implens, consuetus anima dicitur. Mens ergo scire gignit, & amat scire quod scit. Non illud scire dico, quo repentiè scitur res aliqua, quæ antè nesciri putabatur; sed illud vnde & aliquid & omne quidquid scitur vel nescitur, sciri potest. Illud enim scire mens gignit, & cum genitum est, scientia potest dici. Sunt ergo iam duo, mens, & quod ipsa mēs scire restat tertium vtriusque commune. Omnis mens quidquid scit, amat. Amor non minus quàm inter duos est, amantem & quod amatur. Vnus est ergo amborum amor, qui & tertius est. Non autem potest negari, hoc totum vnus esse animam, & vnus animam hæc tria esse. Sicut enim hæc tria verè vna anima sunt, sic non minus verè vna anima est hoc vnus, & hoc alterum, & hoc tertium. Comparet igitur se hæc creatura tam eminens creatori suo supereminenti sibi, excepto hoc, & multum supra se amoto, quòd omnis bonitas, & omne bonum, & omnis bonitatis & boni dulcedo creatoris à seipso est. Creatura verò nõ solum quod est, sed etiã quòd talis est, ab alio est, non à se: & ipsa quod est, semper est, licet & ipsa anima modo quodã suo incommutabilis est. Nam semper anima est postquã esse cœperit, & scit, & scire vult. Comparet ergo, vt dixi, se anima eo modo quo potest, creatori suo, vt dicatur mens pater, quia gignit scire: dicatur scire filius, quia ex alio est, & non est aliud quàm ipsum, ex quo est: dicatur amor spiritus sanctus, quia amborum est eorum qui se amant. Vnde in nostris scripturis sæpius amor, id est charitas, quæ in Deo est erga nos, & quæ à nobis in Deum, spiritus ipse appellatur. Et hæc de imagine.

Sap. 7.

1. Ioan. 5. 1. Cor. 8. Genes. 1.

De dignitate hominis ex ratione similitudinis sumpta. CAP. III.

**N**VNC verò de similitudine aliqua intellige, quæ minoribus cernenda est, vt sicut Deus creator qui hominem ad similitudinem suam creauit, est charitas, est bonus & iustus, patiens atque mitis, mundus & misericors, & cetera virtutum sanctorum insignia, quæ de eo leguntur: ita homo creatus est, vt charitatem haberet, vt bonus esset & iustus, vt patiens atque mitis, mundus & misericors foret. Quas virtutes quanto plus quisque in seipso habet, tanto propior est Deo, & maiorem sui conditoris gerit si-

Rom. 8. Rom. 8.

Genes. 1.

1. Ioan. 4. Psal. 7. Matth. 23.

Ezech. 7.  
Ezal. 48.

Ezal. 92.

militudinem. Si verò (quod absit) aliquis per deum vitiorum, & diuortia criminum ab hac nobilissima sui conditoris similitudine degener oberrat, tunc fiet de eo quod scriptum est, Et homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis quæ sensum non habent, & similis factus est illorum. Qui maior honor potuit homini esse, quàm ut ad similitudinem sui factoris conderetur, & eisdem virtutum vestimentis ornaretur, quibus & conditor? De quo legitur, Dominus regnavit, decorem indutus est: id est, omnium virtutum splendore, & totius bonitatis decore ornatus. Vel quod maius homini potest esse dedecus, aut infeliciores miseria, quàm ut hac similitudinis gloria sui conditoris amissa, ad informem & irrationabilem brutorum iumentorum delabatur similitudinem? Quapropter quisque diligentius attendat primæ conditionis suæ excellentiam, & venerandam in seipso sanctæ Trinitatis imaginem agnoscat, honoremque similitudinis diuinæ ad quem creatus est, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum habere contendat, ut quando appareat qualis sit, tunc similis ei appareat, qui se mirabiliter ad similitudinem suam in primo Adâ condidit, mirabilis quoque in secundo reformauit.

1. Ioan. 3.  
Rom. 5.

SANCTI AMBROSII DE DIGNITATE CONDITIONIS HVMANÆ  
LIBELLI FINIS.

Summarium Libri de Paradiso.

- A cap. I. vsque ad cap. III. agit de loco paradisi, de fonte & quattuor flumijs ex eo procedentibus ad irrigandam terram, & de ligno scientiæ boni & mali.*  
*A cap. IIII. vsque ad cap. IX. quod Deus posuerit hominem in paradiso: quod præceptum & penam ei statuerit, & nonnullæ circa ea emergentes quæstiones soluantur.*  
*A cap. X. vsque ad cap. XI. quomodo mulierem formauerit, & bestias agri, &c. creataque ad Adam adduxerit, ut nomina imponeret eis: & dubitationes soluantur.*  
*A cap. XII. vsque ad finem libri agit de serpētis astutia, mulieris deceptione, & utriusque condensatione.*

Capita libri.

- Discutit quid, ubi, & qualis sit paradysus, cum explicacione sensus mystici.* Cap. I.  
*Cur lignum scientiæ boni & mali productum fuerit in paradiso: cur ibidem serpens: & quid nonnulli per serpentem, per Adam & Euam intellexerint.* Cap. II.  
*Quæ subsidia habeat anima ex fonte paradisi, è quo quattuor dimanant flumina: quæ' ve per ea intelligenda sint.* Cap. III.  
*Quod vir extra paradysum factus est, sed in eum positus, cum examine verborum, operari & custodire.* Cap. IIII.  
*Examinat præceptum de non edendo de ligno scientiæ boni & mali: & circa id emergentes difficultates absoluit.* Cap. V.  
*Alias plures dubitationes circa idem præceptum Adæ datum, & Eux præuaricationem excitat & diluit.* Cap. VI.  
*Mors unde acciderit homini, an à Deo, vel à ligno, vel aliunde, pertractatur.* Cap. VII.  
*Reselluntur quæstiones de præscientia Dei circa præuaricationem Adæ, & opinionem boni & mali.* Cap. VIII.  
*Cur Deus in cibo præceptum dederit, & cur addiderit penam, Morte moriemini.* Cap. IX.  
*Agitur de formatione mulieris, & soluantur dubia circa id emergentia.* Cap. X.  
*Quomodo animantia adducta fuerint ad Adam: & soporis in eum immisi expositio mystica.* Cap. XI.  
*De serpentis sapientiæ qualis fuerit: quomodo is mulierem inuasit: qualis eius responsio; & circa eam digreditur.* Cap. XII.  
*Quomodo tentamenta diaboli plena sint mendacij: & de deceptione mulieris, & lapsu Adæ: quemadmodum etiam cognouerint se esse nudos, & succinctoria sibi fecerint, & quid significent.* Cap. XIII.  
*De voce Domini deambulantis ad vesperam, & increpatione Adam, Vbi es: cur præterea ante increpetur Adam, cum mulier ante gustauerit: & quid mulier pro sua excusatione responderit, ac de mysterijs istorum.* Cap. XIIIII.  
*Qua ratione mulieris peccatum venia dignum fuerit aestimatum, & serpens delectationis typus sit: de eius condensatione, & discretione trium harum condensationum.* Cap. XV.

SANCTI

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS, DE PARADISO LIBER.

Ex Genes. Cap. II.

**E**T plantauit Deus paradysum voluptatis in Eden ad Orientem: & posuit illic hominem quem plasmauit. Et produxit Deus adhuc de terra lignum speciosum ad visum, & bonum ad escam, & lignum vitæ in medio paradisi, & lignum scientiæ boni & mali. Fons autem procedit ex Eden ad irrigandum paradysum, & inde diuiditur in quattuor initia. Nomen vni Phison: hic est qui circuit omnem terram Euilath, ubi est aurum. Terræ autem illius aurum bonum est: ibi est carbunculus, & lapis prasius. Et nomen secundi Geon: hic est qui circuit omnem Æthiopiam. Et flumen tertium Tigris: hic est qui vadit contra Assyrios. Et flumen quartum Euphrates.

Discutit quid, ubi, & qualis sit paradysus, cum explicacione sensus mystici. CAP. I.

2. Cor. 12.

Ibidem.

**E**T plantauit Deus paradysum voluptatis in Eden ad Orientem, &c. De paradiso ad orientem sermo non mediocrem æstum nobis videtur incutere, quidnam sit paradysus, & ubi, qualis sit, inuestigare & explanare cupiētibus: maximè cum Apostolus siue in corpore, siue extra corpus nesciat, raptum se tamen dicat vsque ad tertium cælum. Et rursus, Scio, inquit, huiusmodi hominē, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit, quoniam raptus est in paradysum, & audiuit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Pro huiusmodi gloriabor, pro me autem non gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Et si voluero gloriari, non ero stultus, nam veritatem dico. Ergo si huiusmodi paradysus est, ut eum solus Paulus, aut vix aliquis Pauli similis, cum in hac vita degeret, videre potuerit: idem tamen siue in corpore, siue extra corpus viderit, meminisse non possit; audierit tantum verba, quibus prohibitus sit vulgare quod viderat: quo tandem modo nos paradisi locum poterimus absolvere, quem nec videre potuimus, & si potuissemus videre, prohiberemur tamen aliis intimare? Simul cum Paulus extolleret se reuelationum sublimitate sit vetitus, quanto magis nobis timendum est id sollicitius indagare, cuius etiam reuelatio obnoxia sit periculo? Non igitur hylen hunc paradysum æstimare debemus: & ideo relinquamus Pauli esse secretum. Tamen quoniam hic legimus à Deo paradysum esse plantatum ad Orientem, & ibi esse positum hominem, & productum esse omne lignum pulchrum ad visum, & bonum ad escam: ipsius paradisi auctorem iam possumus inuenire. Quis est enim qui potuit fingere paradysum,

A nisi omnipotens Deus, qui dixit, & facta sunt, numquam indigens eorum quæ generari vellent? Ipse ergo plantauit paradysum, de quo dicit sapientia, Omnis plantatio quam non plantauit pater meus, eradicabitur. Bona angelorum plantatio, bona sanctorum. Sancti enim sub ficu & vite dicuntur requiescere in illo pacis futuræ tempore, in quibus typus est angelorum. Ergo paradysus est plurima ligna habens, sed ligna fructifera, ligna plena succi, atque virtutis, de quibus dictum est, Exultabunt omnia ligna siluarum: ligna semper florentia viriditate meritorum, sicut illud quod plantatum est secus decursus aquarum, cuius foliū non defluet, quia totus in eo fructus exuberat. Hic ergo paradysus est. Locus autem eius in quo est plātatus, dicitur Eden, hoc est voluptas. Vnde & sanctus David ait, Et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Legistis enim, Quia fons procedit ex Eden, qui rigat paradysum. Hæc igitur ligna quæ plantata sunt in paradiso, quasi profuso quodam torrente spiritus irrigantur. De quo alibi ait, Fluminis impetus latificat ciuitatē Dei. Est autem ciuitas, illa quæ sursum est Hierusalem libera, in qua diuersa sanctorum merita pullulant. In hoc ergo paradiso hominem Deus posuit quem plasmauit. Intellige etiam quod non eum hominem qui secundum imaginem Dei est, posuit, sed eum qui secundum corpus. Incorporalis enim in loco non est. Posuit autem eum in paradiso sicut solem in cælo, expectantem regnum cælorum, quemadmodum creatura expectat reuelationem filiorum Dei. Ergo si paradysus est in quo erant exorta virgulta, videtur paradysus anima esse quæ multiplicat semen acceptum, in qua virtus vnaquæque plantatur, in qua erat etiam lignum vitæ, hoc est sapientia, sicut dixit Salomon: quia sapientia non de terra exorta est, sed de patre. Est enim splendor lucis æternæ, & manatio omnipotentis gloriæ.

Cur lignum scientiæ boni & mali productum fuerit in paradiso: cur ibidem serpens: & quid nonnulli per serpentem, per Adam, & Euam intellexerint. CAP. II.

**E**RAT autem lignum scientiæ boni & mali in paradiso. Sic enim habes, Et produxit Deus lignum speciosum ad visum, & bonum ad escam, & lignum vitæ in medio paradisi, & lignum scientiæ boni & mali. Postea videbimus vtrum & hoc lignum speciosum ad visum, & bonum ad escam fuerit, sicut cætera. Eo enim loci hoc opportunius disputabitur, quo hominem ex hoc gustantem ligno inuenimus esse deceptum. Interim nihil habemus quod nunc reprehendere debeamus, etsi rationem scire non possumus. Neque enim in hac creatura mundi siqua nobis difficultia intellectu videntur, & incomprehensibilia ingenio nostro, temerario quodam debemus condemnare iudicio, ut creaturam serpentium, venenatique alicuius animantis: quippe homines qua ratione singula quæque sint facta, intelligere adhuc & scire non pos-

sumus. Sic ergo & in scripturis diuinis non facile reprehendamus aliquid quod intelligere non possumus. Sunt enim plurima quae non nostro ingenio metienda sunt, sed ex altitudine diuinæ dispositionis & verbi sunt aestimanda. Pone enim, sine præiudicio tamen assertionis futuræ, ideo tibi hoc lignum scientiæ boni & mali displicere, quia posteaquam gustauerunt ex eo homines, intellexerunt se nudos; attamen ad consummationem diuinæ operationis, dicam tibi & hoc lignum in paradiso exortum, & à Deo esse permissum, vt possimus supereminentiam boni scire. Quomodo enim si non esset scientia boni & mali, inter bonum & malum discretionem aliquam disceremus? Nam neque quod malum erat, malum iudicaremus esse, nisi esset scientia boni; (malum enim discerni non potest, nisi per scientiam boni,) neque rursus quod bonum erat, sciremus bonum esse, nisi esset scientia mali. Cape exemplum de ipsa conditione humani corporis. Nempe habet & amaritudinem quandam fellis: quæ si in commune prospicias, ad salutem hominis utilis inuenitur. Ergo & quod malum putamus, plerumque non per omnia malum est, sed in commune utile. Nam sicut fel in parte est corporis, & tamen ad totius utilitatem corporis prodest, ita utilitati omnium profuturam sciens Deus scientiam boni & mali, in parte constituit, vt in commune prodesset. Denique serpentem in paradiso inuenis, utique non sine Dei voluntate generatum. In serpentis autem figura diabolus est. Fuisse enim diabolum in paradiso etiam Ezechiel propheta docet, qui dicit super principem Tyri: In voluptate, inquit, paradisi factus es. Principem autem Tyri in figura accipimus diaboli. Numquid & hinc accusabimus Deum, quia thesauros eius altitudinis & scientiæ absconditos in Christo & occultos comprehendere non possumus, nisi quos ipse reuelare dignatus est? Reuelauit tamē, vt sciremus etiam diaboli malitiam ad salutem prodesse hominibus. Non quod diabolus prodesse velit, sed quod malitiam eius etiam repugnantis conuertit nobis Dominus ad salutem. Denique huius malitia Iob sancti viri fecit esse virtutem & patientiam clariorem. Huius malitia iustitiam eius exercuit, vt certaret & vinceret, & victoriam corona sequeretur: Nemo enim nisi qui legitime certauerit, coronatur. Ioseph quoque castimonia numquam ad nostri memoriam peruenisset, nisi domini eius contubernalis, ignitis diaboli spiculis incitata, tentasset eius affectum, & nisi postremò affectasset eius interitum, quod clarior esset castimonia viri, qui mortem pro castitate contemplerit. Vis scire consilium Dei? Nempe diabolo auctore necesse videtur iustis hominibus preparari, exerceri quoque parricidia filiorum; attamen Dominus etiam Abraham hac arte tentauit, vt immolari sibi filium ab eodem postularer. Qua tentatione Abraham fidelis est Domino comprobatus, quod à deuotionis obsequio nec dilecti filij miseratione reuocatus sit. Ita ergo & lignum scientiæ boni & mali in paradiso, quod erat speciosum ad visum, & bonum ad escam specie videbatur. Non enim vsu bonum ad escam erat, quoniam esca eius videtur hominibus obfuisse. Ergo est quod singulis noceat, in commune proficit, vt Iudæ nocuit diabolus, sed omnes Apo-

stolos coronauit, qui malitiæ eius tentamenta vice- runt. Itaque neque dubitandum, neque reprehendendum quod in paradiso diabolus erat, quandoquidem occludere sanctis non potuit iter ne quis ascenderet. Neque enim iustis habitationem incolatus tamquam possessor eripuit. Esto enim vt aliquos desideres atque vitiosos ab incolatu supernæ possessionis auerterit, illud multo augustius, multoque pulchrius quod sanctorum orationibus excluditur cum completum fuerit illud: Videbam satanam sicut fulgur de caelo cadentem. Ergo non metuamus eum, qui couisue infirmus est, vt & ipse casurus sit in terram. Accepit quidem tentandi licentiam, sed non accepit copiam subruendi: nisi sua sponte labatur infirmus affectus, qui sibi auxilium non norit arcescere. Et ideo qua fraude tentauerit primum hominem, quidve in homine putauerit esse tentandum, quo ordine, qua arte, cognoscere opus est, vt cauere possimus. Plerique tamen qui volunt in paradiso diabolum non fuisse, licet in caelo adsistentem cum angelis legerimus, ne nostro sermone videantur offendi, secundum suam accipiant voluntatem interpretationem istius lectionis. Nam ante nos fuit, qui per voluptatem & sensum præuarcationem ab homine memorauerit esse commissam, in specie serpentis figuram accipiēs delectationis, in figura mulieris sensum constituens, quam *ἡδονή* vocant Greci: deceptam autem per sensum mentem asseruit, quam Greci *ἡδονή* vocant. Recte igitur in Graeco *ἡδονή* viri figuram accepit; *ἡδονή*, mulieris. Vnde & quidam Adam *ἡδονή* terrenum interpretati sunt. Dominus autem virgines illas in Euangelio accensis facibus vel extinctis expectantes sponsi aduentum, pro sensibus vel integris sapientium, vel corruptis insipientium posuit. Nam si Eua, hoc est, sensus primæ mulieris, accensas habuisset facies, numquam præuarcationis suæ nos crinibus implicasset, neque ex illa virtutis immortalitate cecidisset.

*Quæ subsidia habeat anima ex fonte paradisi, è quo quattuor dimanant flumina: quæ ue per ea intelligenda sint.*  
CAP. III.

EST ergo paradisi terra quædam fertilis, hoc est anima fecunda, in Eden plantata, hoc est in voluptate quadam, vel exercitata terra, in qua animæ sit delectatio. Est etiam *ἡδονή* tamquam Adam: est & sensus, tamquam Eua. Ac ne haberes quod ad infirmum retorqueres naturæ, velut ad obnoxiam in tolerandis periculis conditionem, considera quæ habeat anima ista subsidia. Erat fons qui irrigaret paradysum. Qui fons, nisi Dominus Iesus Christus, fons vitæ æternæ, sicut & pater? quia scriptum est, Quoniam apud te fons vitæ: & Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Denique & fons legitur, & fluiuius, qui irrigat paradysum, vbi est lignum fructuosum, quod ferat fructum in vitam æternam. Hic ergo fons, sicut legitur, procedit ex Eden, id est, ex anima tua. Vnde & Salomon ait, Bibe aquam de tuis vasis, & de puteorum tuorum fontibus. Hic est fons qui procedit ex illa exercitata & plena voluptatis anima: hic fons irrigat paradysum, hoc est, virtutes animæ eminentissimo merito pullulantis. Et diuiditur (inquit) hic fons in quattuor initia. Nomen est vni Phis-

Lucæ 10.

Origen. lib. 1. in Iob.

Orig. hom. 1. in Genes. et lib. 2. in Iob.

Philo in lib. de mundi- pificio. Matth. 25.

Psal. 35. Ioan. 7.

Proverb. 5.

fons: hic est qui circuit omnem terram Euilath, vbi est aurum. Terra autem illius aurum bonum est: ibi est carbunculus, & lapis prasius. Et nomen secundi Geon: hic est qui circuit omnem Æthiopiam. Et flumen tertium Tigris: hic est qui vadit contra Assyrios. Et flumen quartum est Euphrates. Hæc igitur quattuor sunt flumina. Phison secundum Hebræos, Ganges autem secundum Græcos, fluit contra Indiam. Geon autem Nilus circuit terram Ægypti & Æthiopiam. Mesopotamia autem dicitur, quod Tigris & Euphrates incluserint eam, eo quod inter duo hæc flumina constituta sit, quod etiam longè positus nomen ipsum & opinio communis expressit. Sed quemadmodum fons dicitur sapientia Dei, (Fons enim est secundum Euangelium, dicens, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Fons est & secundum Prophetam, qui ait, Venite & edite de meis panibus, & bibite vinum quod miscui vobis.) Sicut ergo fons vitæ est sapientia, fons gratiæ spiritalis: ita fons virtutum est cæterarum quæ nos ad æternam cursum dirigunt vitæ. Ex hac igitur anima quæ culta est, non ex ea quæ inculta, fons iste procedit vt irriget paradysum, hoc est, quædam diuersarum fructu virtutum, quarum sunt quattuor initia virtutum, nisi vnum prudentiæ, aliud temperantiæ, tertium fortitudinis, quartum iustitiæ? Quæ etiam sapientes istius mundi ex nostris assumpta, in suorum scripta librorum transtulerunt. Itaque sicut fons sapientiæ, ita etiam flumina ista quattuor quædam ex illo fonte manantia sunt fluentia virtutum. Phison igitur prudentia est, & ideò habet aurum optimum, splendidum carbunculum, & prasium lapidem. Aurum enim pro inuentis prudentibus frequenter accipimus. Vnde & Dominus per Prophetam ait, Dedi illis aurum & argentum. Et Dauid de prudentibus dicit, Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ de argentata, & posteriori dorsi eius in specie auri: eo quod veteri & nouo qui in hæserit Testamento, in ipsa secreta sapientiæ Dei disputationis possit veritate procedere. Hoc ergo bonum aurum dicit, non illud monetale corruptibile ac terrenum. Habet etiam splendidum carbunculum, in quo quidam animæ nostræ viuunt igniculus. Habet & prasium lapidem, qui viride quiddam atque vitale coloris sui specie ostentare videtur. Virent enim arbuta quæ viuunt, arescunt contra quæcumque moriuntur: viret terra dum floret, virent & semina dum prorumpunt. Et bene primo loco fluiuius hic positus est, qui secundum Hebræos Phison dicitur, hoc est, oris mutatio, quia non vnam gëtem, sed vniuersam ferè Indiam circumfluit. Non enim angusta quædam, sed diues utilitatum prudentia est, quæ pluribus proficit. Ideo prima. Vt si quis de paradiso fuerit egressus, velut quoddam eum prudentiæ flumen excipiat, ne citò possit arescere, sed per hanc ad paradysum facile reuertatur. Hic fluiuius à multis hominibus frequentatur, pulchritudinemque & fertilitatem maximam habere perhibetur. Et ideo prudentia in specie huius accipitur, quæ plurimos fructus attulit in Domini Saluatoris aduentu. Atque in extrema terrarum fluit, quia per sapientiam omnes homines sunt redempti. Vnde & dictum est, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines ter-

Ioan. 7. Prover. 9.

Plato lib. 4. de Republ.

Psal. 67.

Gen. 2. Ioseph. lib. 1. Antiquit. cap. 1.

Psal. 18.

rar verba eorum. Secundus est fluiuius Geon, iuxta quem lex data est Israelitis, cum essent in Ægypto constituti, vt ex Ægypto recederent, & succincti lumbos ederent agnum, quod insigne est temperantiæ. Castos enim & sanctificatos oportet Domini pascha celebrare. Et ideo iuxta istum fluiuium legitima primò obseruantia constituta est, quia significat nomen hoc quendam terræ hiatum. Sicut igitur terra quæcumque vel purgamenta vel sordes in ea sint, hiatu absorbet, ita castitas omnes corporis passionibus abolere consuevit. Meritoque ibi primum obseruantia constitutio, quia per legem absorbetur carnale peccatum. Bene ergo Geon, in quo figura est castitatis, circumire terram Æthiopicam dicitur, vt abluat corpus abiectum, & carnis vilissimæ restinguat incendium. Æthiopia enim abiecta & vilis Latina interpretatione signatur. Quid autem abiectus nostro corpore? Quid tam Æthiopia simile, quod etiam nigrum est quibusdam tenebris peccatorum? Tertius est fluiuius Tigris, qui vadit contra Assyrios, ad quem præuarcator Israel captiuus est ductus. Hic fluiuius dicitur velocior esse omnibus. Quem incolunt Assyrij, hoc est dirigentes: hoc enim significat interpretatio. Ergo quicumque fortitudine animi præuarcantia corporis vitia captiuauerit, dirigens ad superna, iste huius fluminis similis aestimatur. Et ideo etiam fortitudo de illo qui est in paradiso fonte manat. Fortitudo autem quodam cursu rapido resistentia quæque transuerberat, nec aliquibus cursus eius impedimentorum hæret obstaculis. Quartus est fluiuius Euphrates, qui Latine fecunditas atque abundantia fructuum nuncupatur, præferens quoddam insigne iustitiæ, quæ omnem pascit animam. Nulla enim virtutum lætiores videtur habere fructus, quam æquitas atque iustitia, quæ magis aliis quam sibi prodest, & utilitates suas negligit, cõmunia emolumenta præponens. Plerique quæ Euphratē *ἡδονή* dictum putant, hoc est à lætando, eo quod hominum genus nullo magis quam iustitia & æquitate lætetur. Causam autem cur ceteri quæ commeat fluiuij, describuntur regiones locorum, quæ Euphrates commeat, non describantur, illam accipimus, quia aqua eius vitalis asseritur, & quæ foueat atque augeat. Vnde Perath eum Hebræorum & Assyriorum prudentes dixerunt, quod est *ἡδονή* Græcè: contra autem fertur esse aqua aliorum fluminum. Deinde quia vbi prudentia, ibi & malitia: vbi fortitudo, ibi iracundia: vbi temperantia, ibi intemperantia plerumque est, aut alia vitia: vbi autem iustitia, ibi concordia virtutum est cæterarum; ideo non ex locis quæ fluit, hoc est, non ex parte cognoscitur. Non enim pars est iustitia, sed quasi mater est omnium. In his ergo fluminibus quattuor, virtutes principales quattuor exprimentur, quæ veluti mundi istius incluserunt tempora. Primū igitur tempus ex mundi principio vsque ad diluuium prudentiæ fuit, quo in tempore iusti numerantur: Abel à Deo iustus ductus: & Enos, hoc est, homo ad imaginem Dei factus, qui sperauit inuocare nomen Domini Dei: & Enoch, qui dicitur Latine Dei gratia, raptus ad cælum: & Noe, qui & ipse iustus, & quædam quietis directio. Secundum tempus est Abraham & Isaac & Iacob, reliquorumque numerus patriarcharum, in

Exod. 12.

Dan. 10.

Matth. 23.

Gen. 4. Genes. 5.

Genes. 6. Genes. 22.



Galat. 3.

Hebr. 11.

Ibidem.

Ibidem.

Rom. 1. Math. 3.

Math. 23. Gen. 22. Gen. 7. Heb. 11. Ezech. 28. 2. Paral. 1.

Genes. 4. Genes. 5. Genes. 8.

Zach. 6. Sap. 7.

quibus casta & pura quaedam temperantia religionis effulsi. Immaculatus enim Isaac per repromissionem Abraham datus est filius, non tam corporalis partus, quam diuine munus praefrens indulgentia, in quo vera immaculati figura praecessit, vt Apostolus docet dicens: Quia Abraham dicta sunt repromissiones, & semini eius. Non dicit, Et seminibus, tamquam in multis, sed sicut in vno, Et semini tuo, qui est Christus. Tertium tempus est in Moyses & ceteris prophetis. Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Sampson, Dauid, Samuel, & ceteris prophetis, Anania, Azaria, Misael, Daniel, Elifiro, qui per fidem deuicerunt regna, operati sunt iustitia, perceperunt repromissiones, obstruxerunt ora leonum, extinxerunt virtutem ignis, effugarunt acies gladij, eualuerunt de infirmitate, fortes fuerunt in bello, castra ceperunt exterorum. Non immerito igitur in his species fortitudinis est. Seci enim sunt, sicut ibi habes, tentati, in mactatione gladij mortui. Circumierunt in caprinis pellibus, egenes, angustiati, & doloribus afflicti, quorum meritis non erat dignus orbis. In solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in foueis terrae. Recte igitur in his speciem fortitudinis collocamus. Secundum autem Euangelium digna est figura iustitiae, quia virtus est in salutem omni credenti. Denique ipse Dominus ait, Sine modo, sic enim decet nos imple omnem iustitiam: quae quaedam parces ceterarum est fecunda virtutum. In quo enim aliqua harum, quas diximus principales, est virtus, in eo etiam ceterae praesto sunt: quia ipsae sibi sunt connexae concretaeque virtutes. Nam vtique Abel iustus, fortissimus ac patientissimus Abraham, prudentissimus & propheta. Moyses vero eruditus in omni sapientia Aegyptiorum, maiorem honestatem aestimauit Aegypti thesauris opprobrium Christi. Et quis sapientior quam Daniel? Salomon quoque sapientiam poposcit, & meruit. Dictum est ergo de quattuor virtutum fluminibus, quorum potus est utilis. Et quia Phison aurum bonum terrae, & carbunculum, & lapidem prasium habere dictus est, hoc quoque quale sit consideremus. Videtur enim nobis tamquam aurum bonum Enos, qui prudenter Dei nomen scire desiderauit. Enoch autem qui translatus est, & mortem non vidit, carbunculus quidam est lapis boni odoris, quem operibus suis sanctus Enoch Deo detulit, gratiam quandam factis & moribus spirans. Noe vero tamquam prasium lapidis vitalem colorem praetulit. Siquidem diluuij tempore solus ac veluti futurae constitutionis vitale semen in illa arca est seruatus. Ergo bene paradysus, qui pluribus fluminibus irrigatur, secundum orientem est, non contra orientem: hoc est, secundum illum orientem cui nomen est Oriens, id est, secundum Christum, qui iubar quoddam aeternae lucis effudit, & est in Eden, hoc est, in voluptate.

Et apprehendit Deus hominem quem fecit, & posuit eum in paradiso operari & custodire eum. Et praecipit Dominus Deus Adae, dicens, Ex omni ligno quod est in paradiso ad escam, edes: de ligno autem quod est scientiae

boni & mali, non edetis ex eo, quia die autem manducaueritis ex eo, morte moriemini.

Quod vir extra paradysum factus est, sed in eum positus, cum examine verborum, operari & custodire. CAP. IIII.

Et apprehendit Deus hominem quem fecit, & posuit eum in paradiso operari & custodire eum. Vides quoniam qui erat apprehenditur? Erat autem in terra plasmatum suae. Apprehendit ergo cum virtus Dei, spiras processus & incrementa virtutis: & in paradiso eum collocavit, vt scias apprehensum quasi afflatum diuina esse virtute. Quo loci illud aduertit, quia extra paradysum vir factus est, & mulier intra paradysum: vt scias quod non loci, non generis nobilitate, sed virtute vnusquisque gratiam sibi comparat. Denique extra paradysum factus, hoc est in inferiore loco, vir melior inuenitur: & illa quae in meliore loco, hoc est, in paradiso facta est, inferior reperitur. Mulier enim prior decepta est, & virum ipsa decepit. Vnde Apostolus Petrus subiectas fortiori vasi mulieres sanctas viris suis velut dominis obedire memorauit. Et Paulus ait, Quia Adam non est seductus, mulier autem seducta in praeruaricatione fuit. Deinde contuendum, quia nemo debet sibi facile praesumere. Nam ecce illa quae in adiumentum facta est viro, praesidio viri indiget, quia vir caput est mulieris: ille autem qui adiumentum vxoris habiturum se credebat, lapsus est per vxorem. Vnde nemo debet facile alteri se credere, nisi cuius virtutem probarit, nec arrogare sibi qui se pro auxilio putarit adscitum, sed magis si inuenerit fortioerem, cui se putabat esse praesidio, ab ipso gratiam mutuenter, sicut & viros mulieribus honorem impertire Apostolus praecipit Petrus, dicens, Viri similiter cohabitantes secundum scientiam tamquam infirmiori vasi mulieri impartientes honorem, tamquam coharedi gratiae vitae, vt ne impediantur orationes vestrae. Ergo positus est in paradiso vir, facta est in paradiso mulier. Sed etiam tunc priusquam a serpente mulier deciperetur, habuit viri gratiam, quoniam de viro sumpta est: licet hoc sacramentum magnum sit, sicut Apostolus dixit. Et ideo causam vitae ex eo traxit. Ideoque de viro tantum scriptura dixit: quia posuit eum in paradiso operari & custodire eum. Non idem est operari & custodire. In opere enim quidam virtutis processus est, in custodia quaedam consummatio operis deprehenditur, eo quod quasi consummata custodiat. Haec duo ab homine requiruntur, vt & operibus noua quaerat, & parta custodiat, quod est generale. Philo autem quonia spiritualia Iudaico non capiebat affectu, intra moralia se tenuit vt diceret, haec duo quaeri, opera in agro, custodiam in domo. Et quamuis paradysus operibus, inquit, ruralibus non egeret, tamen quia primus homo lex posteritatis futurus erat, ideo legitimi etiam in paradiso specimen suscepit laboris, vt nos ad operationem, & custodiam debiti officij, & haereditariae successione munus adstringeret. Haec duo ergo a te exiguntur, siue moraliter, siue spiritualiter. Quod etiam Psalms te propheticus docet, quia scriptum est, Nisi Dominus aedificauerit domum, in vanum laborauerunt

Dist. 40. c. 11. lud autem.

1. Pet. 3. 1. Tim. 2.

Ephes. 5.

1. Pet. 3.

Gen. 2. inf. Ephes. 5.

Philo.

Psalm. 126.

Math. 26.

Ephes. 2. Ephes. 4.

Iohan. 1. Iohan. 10.

Iohan. 17.

Deut. 6. 1bid.

Rom. 7.

borauerunt qui edificant eam: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilant qui custodiunt ea. Vides illos laborare qui in operis sunt aedificationis que processu, istos vero vigilare qui iam custodiam perfecti operis receperunt. Vnde & Dominus Apostolis quasi iam perfectioribus, Vigilate, inquit, & orate, ne intretis in tentationem: docens perfectae naturae munus & plenae virtutis gratiam esse seruanda, nec quemquam etiam perfectioerem, nisi vigilauerit, sui debere esse securum.

Examinat praecipit de non edendo de ligno scientiae boni et mali: & circa id emergentes difficultates absoluit. CAP. V.

Et praecipit Dominus Deus Adae, dicens: Ex omni ligno quod est in paradiso ad escam, edes, &c. Quae ratione vbi praecipit ex omni ligno edendum, singulariter dixerit, Edes: vbi autem de ligno scientiae boni & mali pluraliter, Non edetis, dixerit, non otiosa quaestio. Verum si diligenter intendas, scripturarum auctoritate absolui potest. Quod enim bonum, hoc & faciendum: quod autem bonu & faciendum, consonans & adhrens: quod vero turpe, hoc dissonans, in compositum atque discretum est. Et ideo Dominus vnitatem semper intendens, secundum vnitate praecipit. Denique vnitate operatur, qui fecit vtraque vnum. Nec solum vtraque, sed etiam omnes vnum fecit. Omnes enim vnum corpus & vnum spiritum esse nos iussit. Per omnia autem primogenitus, cum sit in vnitate cum patre, coniuuissimus patri semper est, quia verbum erat apud Deu. Denique ait, Ego & pater vnum sumus, vt vnitatem sibi maiestatis & diuinitatis cum patre esse monstraret. Sed & nos vnum esse praecipit, & suae naturae vnitatisque similitudinem in nos gratiae adoptione transfudit, dicens, Pater, sicut ego & tu vnum sumus, ita & isti in nobis vnum sint. Ergo vbi bonum praecipit, tanquam ad vnum praecipit, dicens, Edes. Vnitas enim praeruaricari non potest. Vbi vero de ligno scientiae boni & mali dicit non esse gustandum, quasi ad plures dicit, Non edetis. Quod enim prohibitorium est, tamquam pluribus imperatur. Ego tamen aliud puto, & quid futurum sit, in ipso iam Dei sermone reperio. De omni ligno gustandum Adae soli praecipit, quem seruaturum sciebat: de ligno autem scientiae boni & mali non esse gustandum, iam non singulariter, sed pluraliter dicit: sciebat enim praeruaricationem mulierem, & ideo per pluralitatem ostendit non seruaturum, quia plurium discreta sententia est. Et quantum ad Septuaginta virorum sententiam spectat, solum est quod mouebat. Sed quia Symmachus vtrumque singulariter dicit, intelligimus id secutum, quia in lege quoque cum populum alloquitur Deus, singulariter loquitur, sicut habes, Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est: & Diliges Dominum Deum tuum. Nec mihi praedicta Symmachi interpretatio, qui vnitatem patris & filij videre non potuit, etsi aliquoties in sermone & Aquila & ipse confessi sint. Nec quisquam de eo quod praeruaricationem populum diuina mandata singulariter alloquitur, putet superiori obuium esse sermoni, quia populus Iudaeorum etiam singulariter data praescripta violauit. Lex enim spiritualis est: & ideo alterum in sermone, alterum in praeruaricatione.

A destinatione diuino populum Deus alloquebatur oraculo. Denique ait, No coques agnum in lacte matris suae. Facilis abhinc praeruaricationem caelestium series videretur, nisi quaestionem plurimi commouerent. Quibus responderi oportet, ne simplices mentes malitiosa interpretatione traducant. Plerique enim quorum auctor Apelles, sicut habes in trigesimo & octauo tomo eius, has quaestiones proponunt: Quomodo lignum vitae plus operari videtur ad vitam, quam insufflatio Dei? Deinde si hominem non perfectum fecit Deus, vnusquisque autem per industriam propriam perfectionem sibi virtutis adsciscit: nonne videtur plus sibi homo acquirere, quam ei Deus contulit? Tertio obiiciunt: Si homo non gustauerat mortem, vtique quam non gustauerat, scire non poterat. Ergo si non gustauerat, nesciebat: si nesciebat, timere non poterat. Frustra igitur Deus mortem pro terrore obicit, quam homines non timebant. Dicamus igitur quod ibi lignum vitae, vbi etiam lignum scientiae boni & mali produxit Deus. Habes enim quia produxit lignum vitae in medio paradisi. Apud nos enim intelligitur quod in medio produxit. Ergo in medio paradisi & vita erat, & causa mortis. Intellege quia non homo fecit vitam, sed vel operando, vel custodiendo mandata Dei potuit inuenire. Erat autem vita, sicut Apostolus dixit, abscondita cum Christo in Deo. Homo ergo siue in vmbra vitae erat propter vitam futuram, quia vmbra est nunc haec nostra vita in terra, siue in quodam pignore vitae, quia habebat insufflationem Dei. Habebat ergo pignus immortalitatis, sed in vmbra vitae positus: absconditam vitam cum Christo in Deo vulgari quodam tactu & aspectu videre & capere non poterat. Et si nondum peccator, non tamen incorruptae inuolabilisque naturae, vt pote qui postea peccato lapsus est, nequaquam autem adhuc peccator. Denique in vmbra vitae erat. Qui autem peccatores sunt, in vmbra mortis sunt. Peccator enim populus, sicut Esaias docet, sedebat in vmbra mortis, cui lux orta per Dei gratiam, non per suae virtutis est meritum. Ergo inter insufflationem Dei, & escam ligni vitae, nulla discretio. Nec hominem quis potest dicere plus sibi posse acquirere, quam diuina ei largitate collatum est. Vtinam acceptum tenere possemus. Labor etenim noster eo proficit, vt quae tributa sunt resumamus. Tertium illud quod propositum est, quia qui mortem non gustauerat, mortem timere non poterat, facile ex communis naturae vsu absolutionem habet. Est enim natura insitum omnibus animantibus, vt etiam quae nondum sibi nocere experta sunt, quasi noxia reformident. Vnde enim columbae in ipso sui ortu visis terror accipitris? Vnde lupi ouibus formidabiles? pulis milui? Quod si in iis quae irrationabilia sunt animantia, quidam de aduerso genere animantium naturalis est terror, vt etiam irrationabilia sensum fugientiae mortis accipiant: quanto magis in primo homine rationis vtique plenissimo, naturalis quaedam opinio mortis debuit esse vitanda?

Alias plures dubitationes circa idem praecipitum Adae datus, & Euae praeruaricationem excitat & diluit. CAP. VI.

Resus faciunt aliam quaestionem hoc modo: Non semper malu est, non obedire praecipito. Si

Exod. 23.

Coloss. 3.

Esai. 9.

119. 3. 4. non semper.



enim bonum est præceptum, honesta est obeditio: quod si improbum præceptum, non obedire vitale: ergo non semper malum est, non obedire præcepto, sed bono præcepto non obedire improbum est. Bonum autem est lignum cognitionis boni & mali, quandoquidem Deus & boni & malum nouit. Ait enim, Ecce Adam factus est tamquam vnus nostrum ad sciendum bonum & malum. Si igitur bonum est, scientiam habere boni & mali, bona autem est quia eam Deus habet, videtur qui interdicit eam hominibus, non rectè interdiceret; idque proponunt. Sed si intelligant quid sit cognoscere, quam vim habeat hoc verbum, & si intelligant quemadmodum oportet: Cognouit enim Dominus qui sunt ipsius: cognouit vtiq; eos qui vnum ex pluribus facti sunt, in quibus inhabitat, & in quibus perambulabat. Cognoscere namq; non in sola & perfunctoria scientia est, sed in eorum operatione quæ oporteat fieri. Oportuit autem hominem obedire mandato, non obediendo autem præuicarius est. Igitur qui non obediuit, errauit, quia præuicatio peccatum est. Verum etiam si extenuare velint vim cognitionis, vt perfunctoriam scientiam boni & mali interdiciam putent, in eo quoque præuicacionis culpa est, non obeditum esse mandato, quia etiam tumultuariam scientiam boni & mali Dominus Deus putauit inhibendam. Alia quæstio: Qui non cognoscit bonum & malum, nihil à paruulo distat. Paruuli autem apud iustum iudicem nulla est culpa. Iustus ergo operator mundi numquam paruulum vocasset in culpam, propter quod non cognouerat bonum & malum, quia paruulus sine vilo est crimine præuicacionis & culpæ. Verum cum in superioribus dixerimus, duplicè esse intellectum scientiæ boni & mali: si perfunctoriã scientiam accipimus, vtiq; falsum est quod nihil distat à paruulo qui non cognoscit bonum & malum. Si autem fulsum est quod nihil distet à paruulo, ergo non paruulus Adam. Si non paruulus, adscribitur vtiq; ei quasi non paruulo peccatum. Si peccatum adscribitur, sequitur pœna peccatum: quia dignus inuenitur pœna qui peccatum vitare non procurauit. Potest etiam fieri vt etiam qui scientiam non habet boni & mali, paruulus non sit: quoniam priusquam sciuit puer bonum & malum, non credidit malitiæ. Et iterum habes, Quia priusquam sciat puer vocare patrem & matrem, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ. Perfectus ergo qui operatur bonum, etiam si boni & mali scientiam non adeptus sit: vt multi priusquam sciant legè, ipsi sibi lex sunt. Quod Apostolus priusquam disceret, Non concupisces: malum esse concupiscentiam nesciebat. Deniq; ipse ait, Peccatum non cognoui nisi per legè. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Ad quam partem etiam puer potest esse perfectus iure naturæ, priusquam sciat concupiscentiam crimen esse, vel concupiscentiæ crimen admittat. Ergo secundum perfunctoriam scientiã noluit Deus hominem scire quod malum est, ne quasi imperfectus vitare non posset. Non obediendo autem mandato incurrimus in culpam: ergo culpam fatentur. Rursus autem si altam & profundam scientiam dicimus boni & mali, quæ quidem profunda scientia perfectum facit, non statim

Genes. 3.

2. Tim. 2. Ephef. 4. 2. Cor. 6.

Esai. 8.

Rom. 2. Rom. 7.

autem paruulus qui ad altam & profundam scientiam peruenire non potuit: rectè ergo sicut non paruulus condemnatur. Iterum quæstiones ferunt: Qui nescit, inquit, bonum & malum, ne ipsum quidè nouit esse malum non seruare mandatum, nec ipsum bonum nouit quod est obedire mandato. Et ideo qui non nouerat, venia, inquit, dignus fuit, quia non obediuit, non condemnatione. Quæ quidem quæstio de his absolutionem habet quæ antè memorauimus. Considerare enim potuit homo ex iis quæ Deus antè ei contulerat, quod insufflationem Dei accepit, quod erat in paradiso voluptatis locatus, summam auctori obedientiam deferendam. Et ideo si vim nesciebat boni & mali, tamen quia tantorum auctor dixerat de ligno scientiæ boni & mali non esse gustandum, fidem præceptori seruare debuerat. Non enim ab eo peritiam, sed fides exigebatur. Intelligebat vtiq; Deum omnibus præminere, ideoque personam iubentis spectare debuerat: & si non intelligebat vim qualitatemq; iustorum, sciebat tamen præceptori deferendam esse reuerentiam. habebat in natura hanc opinionem, etsi non habebat iudicium boni & mali. Deniq; & mulier serpenti dixit, Ex omni ligno paradisi manducabimus, de fructu autem ligni quod est in medio paradisi, dixit Deus, Non manducabitis ex eo. Ita ergo sciebat obediendum esse mandato, vt diceret, Ex omni fructu manducabimus, quod Dominus imperauerat: de ligno autem quod est in medio paradiso, imperatū à Deo dicit non esse gustandum, ne morte moreretur. Ergo qui sciuit deferendum esse mandato, sciuit vtiq; quod malum esse præuicari, & ideo iustè præuicata damnatur. Accipe aliud: Si assumptio de ligno scientiæ boni & mali ita operatoria erat, vt bonum & malum agnosceretur, quod videtur scriptura ostendere dum dicit, Quia vbi manducauerunt ambo, aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt quod nudi essent, hoc est, aperti sunt oculi cordis, & cognouerunt turpe esse nudos se degere: sine dubio vbi gustauit mulier de ligno scientiæ boni & mali, peccauit, & se peccasse cognouit. Quæ igitur se peccasse cognouerat, vel virum ad peccati communionem inuitare non debuit. Illiциendo autem virum, & dando ei quod ipsa gustauerat, non vitauit, sed iterauit peccatum. Nam vtiq; si verè rationem spectes, eum quem diligebat, non trahere ad consortiū pœnæ, sed magis ab eo quod cognouerat ipsa esse peccatum, vel inscientem reuocare debuerat: quamuis videatur hæc mulier sciens quod post culpam in paradiso esse non posset, metuisse ne sola de paradiso eiiceretur. Denique absconderunt se ambo post culpam. Excludèdam igitur se esse cognoscens, consortio viri quem diligebat, noluit defraudari. Iterum accipe, Non cognitio mali malum est, sed cum actus implet malitiam. Non enim statim qui nouit malum, quod malum est facit: sed qui quod malum esse nouit, operatur. Incentiuum autè ad operandum quod malum est, aut iracundia aut cupiditas esse consuevit. Nec statim necesse est vt habens scientiã mali, faciat quod improbum nouit, nisi aut iracundia aut cupiditate vincatur. Vnde quod diximus incentiuum peccandi, vel ira, vel cupiditas est, vel plerumq; formido, licet ex formidine

Gen. 3.

Ibid.

Rom. 5. Sap. 1.

Matth. 10.

dine oriatur cupiditas, dum vnusquisque vult vitare. quod amittit. Et ideo rectè iracundiam & cupiditatem reliquorum posuimus incentiua vitiorum. Consideremus igitur vtrum Eua his ad vitium stimulis incitata sit. Sed neque irascebatur marito, neq; cupiditate victa est: in secundo dumtaxat errat, vt edèdum viro daret quod iam ipsa gustauerat. Primò fuerat ipsa auctor erroris vt ipsa ederet, sequentisque fuit causa peccati. Quod enim iam gustauerat, desiderare non poterat: & gustando, mali fuerat scientiã consecuta. Malum igitur quod aduerterat, in virum deriuare non debuit, neque coniugem proprium præuicatore diuini facere mandati. Sciens igitur prudensque peccauit, & sciens virum in suum traxit errorem. Alioquin inuenietur falsus esse de ligno scientiæ boni & mali sermo, si etiam posteaquam de ea arbore manducauit, scientiam mali habere non potuit. Quod si verus est sermo, cupiditatis vtiq; causam habere non potuit: licet plerique sic excusandam putent, quod diligens virum ab eo timuerit separari, & hanc causam cupiditatis præterendant, quod esse voluerit eum marito.

Mors vnde acciderit homini, an à Deo, vel à ligno, vel aliumde, pertractatur. CAP. VII.

Iterum alia quæstio subrepat, vnde mors acciderit Adæ, vtrum à natura ligni eiusmodi, an vero à Deo. Si naturæ hoc ligni adscribimus, videtur ligni huius fructus viuificanti insufflationi Dei præstare, siquidem quem viuificauerat insufflatio, fructus huius ligni traxit ad mortem. Aut si Deum operatorem mortis esse memoramus, dicunt quod gemina eum opinione accusemus: quod aut ita immitis, vt noluerit ignoscere, cum posset: aut si non potuerit, videatur infirmus. Videmus igitur quomodo diluendum sit. Nisi fallor, mortis causa inobedientia fuit: & ideo homo ipse sibi mortis est causa, non habens Deum suæ mortis auctorem. Neq; enim si medicus præscripserit ægrotanti à quibus videatur cauendum, atque ille ab interdicitis non putauerit abstinendum, causa ei mortis est medicus: sed vtiq; ipse sibi reus mortis est propriæ. Itaque Deus quasi bonus medicus prohibuit ne Adæ nocitura gustaret. Iterum accipe: Scire bonum melius est, quam nescire: & ei qui bonum sciat, pulchrum est scire etiã quod malum est, vt sciat prauum vitare, & vt prudens subeat custodiæ cautionem. Rursus autem non satis est hoc solum scire quod malum est, ne quomodo malum scias, scientia boni incipias defraudari. Pulchrius est igitur vt vtrumq; norimus, vt & quia sciimus bonum, fugiamus quod malum est: & ex eo quod cognoscimus malum, boni gratiam præferamus. Sed ita debes vtrumq; scire, vt profudè noueris, & quod noueris exequaris, actusq; scientiæ congruat. Alioquin tolerabiliorem scriptura iudicat eum qui vtrumque nesciat, quam qui perfunctoriè vtrumque cognouit. Grauat enim scire, quod vel exequi vel vitare non velis. Grauat scire, sine vsu atque opere cognitionis profundæ. Deniq; obest ad existimationem medico scire quid prodest, & quid noceat ægro, nisi cognitione ea quemadmodum oportet vtatur: & ideo non est cognitio bona, nisi ea vtaris vt oportet. Item accipe: Non frustra lignum scientiæ boni & mali

productum est in medio paradisi: & si cuiq; homini productum esset, superflua interdictio. Sed neque frustra factum est, neque alij nisi homini factum est, qui mandatum accepit, vt non solo eo, sed eo cū cæteris vteretur. Nam si multa discutiis, complura reperiesset, & planè innumera, quæ ei qui vti nesciat, possint nocere. Nec ipsas diuitias inuenies fructuolâs, si habes diues subsidia largitatis, neget alimèta pauperibus, excludat inopem subsidio destitutum, aliena extorqueat, quia praualet potestate. Pulchritudo ipsa, & gratior corporis forma frequenter in vitium quam deformitas trahit. Numquid igitur quisquam deformiores quam pulchriores filios habere desiderat, & inopes potius liberos suos cupit esse quam diuites? Plura sunt huiusmodi quæ non ad imprudentiam largientis referenda sunt, sed ad malè vtentis errorem. Et ideo vtentem accusandum potius quam donantem.

Reselluntur quæstiones de præscientia Dei circa præuicacionem Adæ, & opinionem boni & mali. CAP. VIII.

Iterum quæstio: Sciebat præuicaturum Deus Adam mandata sua, an nesciebat? Si nesciebat, non est ista diuinæ potestatis assertio: si autem sciebat, & nihilominus sciens negligenda mandauit, non est Dei aliquid superfluum præcipere. Superfluum autem præcepit protoplasto illi Adæ, quod eum nouerat minimè seruaturum: nihil autem Deus superfluum facit, ergo non est scriptura ex Deo. Hoc enim obiciunt, qui vetus non recipiunt testamentum, & has interferunt quæstiones. Verum huius sententia & opinione vincendi sunt. Cum enim noui testamenti non refutant fidem, exemplo sunt arguendi vt vetus credant: quoniam cum sibi diuina præcepta & facta conueniant, vnus auctoris testamentum vtrumque liquet esse credendum. Discant igitur non superfluum, non iniustum etiam præuicaturum præscriptum esse mandatum. Nam & ipse Dominus Iesus elegit Iudam, quem proditorem sciebat. Quem si per imprudentiam electum putant, diuinæ derogant potestati. Sed hoc æstimare non possunt, cum scriptura dicat, Quia sciebat Iesus quis eum proditurus esset. Conticescant igitur repugnatores isti veteris testamenti. Sed quoniam etiam gentilibus, si fortè istud obiecerint, respondendum videtur, qui exemplum non recipiunt, rationè exigunt: accipiant etiam ipsi qua ratione Dei filius vel præuicaturum mandauerit, vel elegerit proditurum. Venerat Dominus Iesus omnes saluos facere peccatores: etiam circa impios ostendere suam debuit voluntatem. Et ideo nec proditurum debuit præterire, vt aduerterent omnes quod in electione etiam proditoris sui, seruandorum omnium insigne præterdit, nec in eo læsus est vel Adam quia mandatum accepit, vel Iudas quia electus est. Non enim necessitatem Deus vel illi præuicacionis, vel huic prodicionis imposuit, quia vterq; si quod acceperat, custodisset, à peccato abstinere potuisset. Denique nec Iudas omnes credituros sciebat, & tamen ait, Non veni nisi ad oues perditas domus Israel. Ergo non in mandante culpa est, sed in præuicante peccatum est. Et quod in Deo fuit, ostendit omnibus quod omnes voluit liberare. Nec tamen dico quia

Matth. 10. Ioan. 6. Ioan. 13.

1. Tim. 1.

Matth. 15.

1. Tim. 2.

præuaricationem nesciebat futuram, immò quia sciebat assero, sed nò ideo pereütis proditoris inuidiam in se debuit deriuare, vt adscriberetur Deo quòd vterque sit lapsus. Nunc autem vterque redarguitur, atq; reconuincitur: quia & ille mandatum ne laberetur accepit, & hic etiam in apostolatus munus adscitus est, vt vel beneficio Dei reuocaretur à proditionis affectu: simul vt dum alij reuincuntur, prodesset omnibus. Non enim consisteret peccatum, si interdictio non fuisset. Non consistente autem peccato, non solum malitia, sed etiam virtus fortasse nõ esset: quæ nisi aliqua malitiæ fuissent semina, vel subfisteret vel eminere non posset. Quid est enim peccatum, nisi præuaricatio legis diuinæ, & cælestium inobedientia præceptorum? Non enim auribus corporis de mandatis cælestibus iudicamus, sed cum esset Dei verbum, opiniones quædam nobis boni & mali pullularunt, dñi id quod malum est, naturaliter intelligimus esse vitandum: & id quod bonum est, naturaliter nobis intelligimus esse præceptum. In eo igitur vocem Domini videmus audire, quòd alia interdicit, alia præcipiat. Et ideo si quis nõ obedierit illis quæ semel à Deo præcepta credimus, pœnæ obnoxius æstimatur: Dei autem præceptum non quasi in tabulis lapideis atramento legimus inscriptum, sed cordibus nostris tenemus impressum, spiritu Dei viuui. Ergo opinio nostra ipsa sibi legem facit. Si enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Opinio igitur humana sibi tãquam Dei lex est. Iterum hinc aliã faciunt quæstionem, vt ad vicẽ mandati eius quod diximus in hominis opinione consistere, hanc ipsam opinionem impressam à Deo nobis tãquam præscriptum diuinæ legis accusent. Nouerat, inquiunt, hominẽ peccaturũ qui creauit eum, & has opiniones boni & mali impressit, an nõ nouerat? Vt si dixeris quia nõ nouerat, alienũ à maiestate Dei sentias. Si autem dixeris quia sciens Deus peccaturũ hominẽ, cõmunes tamẽ opiniones ei boni & mali impressit, vt propter admixtionem malorum vitæ perpetuitatem seruare non posset: sicut in illo non prælagum futuri, ita in hoc non bonum Deum significare videaris. Atque hinc argumentantur quia non est creatura hominis à Deo facta. Nã sicut supra ostendimus eos dicere quòd non est mandatum Dei, sic & hinc dicunt: Non ergo creatura hominis à Deo, quia Deus malum non fecit. Homo autem opinionem accepit mali, dum à malis præcipitur abstinere. Hoc autem genere alium bonum Deum, alium operatorem hominis conantur asserere. Quibus respondendum est ilico secundum opinionem suam. Si enim hominem nolunt à Deo factũ, quia peccator est homo, & hoc refugiunt, ne bonus Deus peccatorem fecisse videatur, quia nõ putant bonum qui fecerit peccatorem: dicant vtrum operatorem hominis à Deo factum putent. Si enim à Deo factus est ille (vt dicunt) operator hominis, quomodo bonus Deus operatorem mali fecit? Vtrique nõ bonus. Nã qui peccatorem facit non bonus, cauendum ne grauius sit operatorem peccatoris fecisse. Debuit enim bonus Deus prohibere natiuitatem eius, qui peccati substantiam habebat

Lib. 2. sent. dist. 35. §. post hac videndũ.

1. Cor. 3. Rom. 2.

inducere. Quòd si dicunt non esse genitum operatorem mali, requirendum vtrum bonus Deus potuerit inhibere quoquo modo incipientem malitiam, an non potuerit? Si enim non potuit, infirmus: si potuit, & non fecit, non bonus. Ergo si sibi ista non cõgruunt, nec suæ sibi hæreticorũ conueniunt opiniones, requiramus ne fortè rationis fuerit, qua causa Deus siue geniti siue non geniti illius operatoris fuerit malitiam introire in hunc mundum, cum posset inhibere. Itaque seruantes vnum & eundem Deũ bonum atque operatorem, id si possumus adstruamus, quod gratiæ vtrique conueniat, nec accusationis eorum declinemus inuidiam, qui ita dicunt, Quomodo bonus Deus qui non solum passus est introire in hunc mundum malitiam, sed etiam in tantam confusionem venire permisit? Verum hæc accusatio tunc locum haberet, si ita animæ vim & intima secreta mentis insiceret, vt nullo pacto posset aboleri, & immedicabilium vulnerum menti atque animæ nostræ virus insideret: esset enim aptior huius querelæ locus, quòd cum omnia possit Deus, hominem tamen perire sit passus. Verum cum Deus nostri misericors respuẽdi erroris remedia referauerit, abolendique omnis contagij nõ aboleuerit facultatem; quomodo irrationabile vel iniustum est si permisit nostrum materiale tentari quadam trepidatione fragilitatis humanæ, vt cõgenerior postea gratia per pœnitentiam delictorum in hominis rediret affectum, & fragilitatis suæ conscius, quòd tam facile à diuinorum mandatorum serie deuiando trepidauerit, tamquam clauum animæ fluctuantis mandata cælestia timeret amittere, diuinæ misericordiæ plus tribuens quòd recepit amissum, & sibi aliquid vsurpans gratiæ quòd reuertatur.

Cur Deus in cibo præceptum dederit, & cur addiderit pœnam, Morte moriemini. C. A. P. IX.

Nunc quæ sit illa ratio consideremus, quid sit istud quòd cum mandatum daret homini de illa admirabili beatæque vita præscribens, ne contrã faciens morte moreretur, de manducado & nõ manducando putauerit esse mandandum. Sũt enim qui putant nequaquam mandatum istud conuenire cæli & terræ atque omnium creatori: nequaquam dignum incolis paradisi, eo quòd illa vita similis angelorum sit. Et ideo non terrenum & corruptibile hũc cibum esui fuisse possumus æstimare, quia qui non bibunt neque manducant, erunt sicut angeli in cælo. Cum igitur in cibo neque præmium sit, quia esca nos nõ commendat Deo: neque magnum periculum sit, quia non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod exit de ore: videtur indignum tanto auctore præceptum, nisi hunc cibum ad illud propheticum referas, quod pro magno præmio Dominus de sanctis pollicetur suis: Ecce qui seruiunt mihi, manducabunt, vos autẽ esurietis. Hic est enim cibum in quo vita definitur æterna, quo quisquis fuerit defraudatus, morte morietur. Quandoquidem panis viuus atq; cælestis ipse Dominus est, qui vitã dat huic mũdo. Vnde & ipse ait, Nisi mãducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam æternam. Erat ergo panis aliquis de quo præscriperat edẽquum paradisi incolis. Quis ille?

Matth. 23. 1. Cor. 8. Matth. 23.

Esai. 6.

10am. 6.

Psalm. 77.

Ioan. 4.

Exod. 21. Ezech. 18.

ille? Accipe quem dicit: Panem, inquit, angelorum manducauit homo. Est enim bonus panis, si facias voluntatem Dei. Vis scire quia bonus panis? Ipse filius manducat hunc panem, de quo ait, Meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei, qui in cælis est. Iterum videamus qua ratione Dominus Deus Adã dixerit, Morte moriemini: quid interfit, vtrum aliquis dicat, Morte moriemini: an addat, Morte moriemini. Ostendere enim debemus nihil superfluum in Dei esse mandato. Itaq; hoc arbitrator, quum duo sibi sint contraria, mors & vitæ, secundum simplicem sermonem à vita viuere dicimus, à morte mori. Si autem geminare velis vtrumque, quia vita vitam facit, dicitur, Vita viuunt: sicut habes in lege. Et quia mors mortẽ facit, dicitur, Morte morietur. Nõ est autẽ superflua ista geminatio, est enim vita ad mortẽ, & est mors ad vitã: quia quis & dũ viuunt moritur, & dum moritur viuunt. Fiunt ergo quattuor distinctiones, vita viuere, morte mori, morti viuere, vitæ mori. Quum igitur hæc ita se habent, vsus & consuetudinis præiudicium debemus excludere, quia vsus hoc habet, vt cõmuniter dicatur viuere & qui vitæ viuunt, & qui morti moritur, vel ille qui vitæ moritur. Itaq; ex quattuor illis duo significat, vt dicat viuentem viuere, nec melius deteriusq; distinguat, & dicat morientem mori, nec inter malam & bonã mortem videatur esse discretio. Nam indiscreta quædam vita significatur, qualis irrationabilium aut etiam paruulorum, & indiscreta mors æquẽ sequestratio. Igitur vsu communi quid sit vita viuere, & quid sit morte mori, & quid sit viuere morti, & mori vitæ, consideremus. Puto enim secundum scripturas, beatamque significet, & hunc viuendi vsum spirandique munus cum beatæ vitæ gratia veluti coniunctum, & quadam participatione permixtum demonstrare videatur. Hoc est enim vita viuere, virtute viuere, beatæ vitæ actus habere in istius corporis vita: Contrã autem morte mori, quid est aliud, nisi cum morte corporis deformitatem significare morientis, cuius & caro communi viuendi munere defraudetur, & anima vitæ æternæ vsum habere non possit? Est etiam qui vita moritur, vt qui viuunt corpore, sed actu moritur suo: quales illi sunt, de quibus ait Propheta, Descendunt in infernum viuentes. Et illa de qua Apostolus dicit, Quoniam viuens mortua est. Quartum superest, quòd sunt qui etiam morte viuunt, vt martyres sancti, qui vtrique moriuntur vt viuant. Moritur caro, sed viuunt gratia mortuorum. Ergo absit à nobis vt participes mortis viuamus, sed contrã participes vitæ moriamur. Sanctus enim nec vitæ istius se vult esse participem, qui ait, Cupio dissolui, & cõ Christo esse: multo enim melius. Et alius, Heu me, quòd incolatus meus prolongatus est! Dolens vtrique: cum cõfortia vitæ speret æternæ, istius vitæ fragilitate se contineri. Et ideo possum econtrario dicere, quia etsi vita viuere bonum est, vitæ tamen viuere ambiguum sit. Potest enim dici quis vitæ viuere, hoc est, vitæ æternæ istius vita corporis militare. Potest etiã dici vitæ viuere, hoc est, vel quemcumque vel sanctum istius vitæ habere desiderium corporalis. Vt

Psalm. 54. 1. Tim. 5.

Philipp. 1. Psalm. 119.

verbi gratia, si quis ideo honestè putet esse viuendũ, vt is longauitatem vitæ bonis actibus consequatur, quales pleriq; infirmiores sunt quos hæc vita delectat. Sicut ergo vitæ viuere quid sit accepimus, quid sit morti mori accipiamus, vel morti viuere. Possunt enim esse qui moriantur morti, & qui viuunt vitæ. Nam qui non ita viuunt, vt secundum mortem animæ suæ viuunt, is morti moritur, quia non est obnoxius morti, id est, nexus eum ærumnosæ mortis amiserit, non constringitur vinculis mortis æternæ. Mortuus est morti, hoc est, mortuus est peccato, mortuus est pœnæ. Cui cõtrarium est pœnæ viuere, hoc est, quando quis viuunt ad pœnam, viuunt ad mortem. Qui autem moritur ad pœnam, moritur ad mortẽ. Est etiam qui in hac vita positus moriatur ad vitã, sicut ille qui ait, Viuo autem iam non ego, viuunt autẽ in me Christus. Peccato enim mortuus est, Deo viuunt, hoc est, mors in eo mortua est, sed vita viuunt, qui est Dominus Iesus. Ergo bona vita eorum qui Deo viuunt, mala vita eorum qui peccato viuunt. Est etiam media vita, vt animantium cæterorum, sicut habes scriptum: Producat terra animam viuentem secundum genus. Est vita etiam mortuorũ, vt Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, quia Deus mortuorum nõ est, sed viuorum. Sunt etiam quibus communitas est quædam mortis & vitæ, de quibus ait Apostolus, dicens, Si commortui estis, & coniuuetis. Si enim cõplantati, inquit, sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus: scientes quia vetus homo noster simul confixus est cruci, vt destruat corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Sicut autem figuras multas vitæ diximus, ita etiam mortis inuenimus. Dicitur enim mors mala, secundum illud, Anima quæ peccat, ipsa morietur. Dicitur & mors communiter, sicut habes, Abraham vixit tot annos, & mortuus est, & appositus est ad populum suum. Dicitur etiam mors per baptismatis sacramentum, sicut habes, Confesultus sumus cum illo per baptismum in mortem. Et alibi, Si autẽ mortui sumus cum Christo, credimus etiam quòd simul viuemus cum illo. Vides quia hæc mors quidem appellatione dicatur, sed vita sit nostra.

Et dixit Dominus Deus, Non est bonum solum esse hominem: faciamus ei adiutorem similem sibi. Et finxit Deus adhuc de terra omnes bestias agri, & omnia volatilia cæli, & adduxit ea ad Adã, vt videret quid vocaret ea. Et omne quòdcũque vocauit ipsum Adã animam viuam, hoc est nomen eius. Et imposuit Adã nomina omnibus pecoribus, & omnibus volatilibus cæli, & omnibus bestijs agri. Adã verò non est inuẽtus adiutor similis illi. Et immisit Deus soporem in Adã, & obdormiuit: & sumpsit vnam costam de latere eius, & repleuit locũ eius in carne. Et edificauit Dominus Deus costam quam sumpsit de Adã, in mulierem: & adduxit eam ad Adã. Et dixit Adã, Hoc nunc os ex ossibus meis,

Galat. 2.

Geni. Luc. 20.

Rom. 6.

Ezech. 18. Gen. 25.

Rom. 6. Ibid.

& caro de carne mea. hæc vocabitur mulier, quia de viro suo sumpta est. Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne vna. Et erant ambo nudi, Adam & mulier eius; & non erubescabant.

*Agitur de formatione mulieris; & soluantur dubia circa id emergentia. CAP. X.*

**I**tem alia quæstio, quia dixit Dominus, *Non est bonum solum esse hominem.* Primò omnium cognosce quia in superioribus vbi hominem finxit Deus de limo terræ, non addidit, Et vidit Deus quia bonum est, quemadmodum in singulis operibus suis. Nam si dixisset illic bonum esse quia homo factus est, inueniretur hoc esse contrarium, vt hinc non esse bonum diceret, cum in superioribus bonum esse dixisset. Sed hoc ibi cognosce, vbi solum Adam fecit. Cæterum vbi communiter comprehendit & virum & mulierem factos, licet neq; ibi quidem dixerit specialiter, tamē quia postea habes, Vidit Deus omnia quæ fecit, & ecce bona valde; euidenter declaratur bonum esse quòd & vir sit factus, & mulier. Sed ex hac quæstione alia quæstio rursus emergit. Quomodo enim quando solus factus est Adam, nõ dictum est bonum esse factum Adam: quando autem & mulier ex eo facta est, tunc esse bona omnia comprehensum est? Licet illic omnem laudauerit creaturam, & vniuersitatis creatio sit probata, quoniam in homine creaturæ prædicata communitas est: tamen non videtur otiosum, quia ratione vbi solus factus est Adam, non solum nequaquam prædicatio boni complacito operi adiecta sit, sed etiam dictum sit non bonum esse solum hominē, cum sciamus quòd antequam fieret mulier, non errauerit Adam: postea verò quam mulier est facta, prior diuinum præuaricata mandatum, etiam virum suum traxerit in errorem, & incentiuum eius extiterit. Si igitur viro culpæ auctor est mulier, quemadmodum pro bono videtur adiecta? Verum si consideres quia Deo vniuersitatis est cura, inuenies plus placere Domino debuisse id in quo esset causa vniuersitatis, quam condemnandum fuisse illud, in quo esset causa peccati. Et ideo quia ex viro solo non poterat humani esse generis propagatio, pronuntiauit Dominus non esse bonum solum hominem. Maluit enim Deus plures esse quos saluos facere posset, & quibus donaret peccatum, quam vnum solum Adā, qui liber esset à culpa. Denique quia idem vtriusque auctor est operis, venit in hunc mundū vt saluos faceret peccatores. Postremò nec Cain parricidij reū priusquam generaret filios, passus est interire. Ergo propter generationem successione humanæ debuit mulier adici viro. Deniq; hoc ipsa verba declarant dicentis Dei, non bonum solum esse hominem. Nam etsi mulier prior peccatura erat, tamen redemptionem sibi paritura, non debuit ab vfu diuinæ operationis excludi. Quamuis enim Adam non est seductus; mulier autem seducta & in præuaricatione fuerit: salua tamē, inquit, erit per filiorū generationem, inter quos generauit & Christum. Nec il-

Gen. 1.

s. August. lib. 2. contra Iul. Pel. g.

1. Tim. 1.

1. Tim. 2.

lud otiosum, quòd non de eadem terra de qua plasmatus est Adam, sed de ipsius Adæ costa facta sit mulier, vt sciremus vnam in viro & muliere corporis esse naturam, vnū fontem generis humani, ideo non duo à principio facti vir & mulier, neque duo viri, neque duæ mulieres, sed primum vir, deinde ex eo mulier. Vnam enim naturam volens hominum constituere Deus, ab vno principio creaturæ huius incipiens, multarum & disparium naturarum eripuit facultatem. *Faciamus* ( inquit ) *ei adiutorem similem sibi.* Adiutorem ad generationem constitutionis humanæ intelligimus. Et verè bonus adiutor. Nam si pro meliore accipis adiutore, maior quædam in causa generationis operatio mulieris reperitur: sicut istius terræ, quæ semina primò accepta cohibendo paulatim fotu suo adolecere facit, & producit in fetem. In eo igitur adiutorium bonum mulieris: quamquam etiam inferior dicatur adiutor, vt & in vfu reperimus humano, quia dignitate potiores plerumque adiutorem meriti inferioris adiscunt.

*Quomodo animantia addita fuerint ad Adam: & soporis in eum immixti expositio mystica. CAP. XI.*

**S**pecta nunc cur Deus adhuc finxit de terra omnes bestias agri, & omnia volatilia cæli, & adduxerit ea ad Adā vt videret quid vocaret ea. Quia ratione hoc facti est, cum tantummodo bestias agri, & volatilia cæli ad Adam adduxerit Deus? Erant enim pecora secundum genus suum. Denique habes infra: *Quia imposuit Adam nomina omnibus pecoribus, & omnibus bestis agri. Adæ autem non est inuentus adiutor similis illi.* Quæ igitur absolutio est, nisi quia indomitæ bestiæ, & volatilia cæli diuina potestate ad hominē deducantur? De pecoribus autem domitis congregandis & homo habuit potestatem. Itaque illud diuinæ operationis fuerit, hoc humanæ diligentia. Simul accipe quia causa omnia deducta sunt ad Adam: vt in omnibus videret ex vtroque sexu substantiam constare naturæ, id est, ex masculo & foemina, & ipse vfu exemploque cognosceret necessarium sibi confortium mulieris adiectum. *Et immisit* ( inquit ) *Deus soporem in Adam, & obdormiuit.* Quis est iste sopor, nisi quia paulisper ad coniugium copulandum cum intendimus animum, veluti intentos oculos ad Dei regnum, inclinare atque inscètere videmur ad quædam somnum istius mundi, & paulisper obdormire diuinis, dum in sæcularibus mūdāni que requiescimus? Deniq; posteaquam soporem immisit in Adā & dormiuit, tunc *edificauit Dominus Deus costam quam sumpsit de Adam, in mulierem.* Bene *edificauit* dixit, vbi de mulieris creatione loquebatur, quia in viro & muliere domus videtur quædam plena esse perfectio. Qui sine uxore est, quasi sine domo sit, sic experimur. Sicut enim vir publicis officiis, ita mulier domesticis ministeriis habilior æstimatur. Cōsidera quia ex corpore costā sumpsit, non ex anima portionē: hoc est, non animam ex anima, sed os de ossibus, & carnē de carne. *Hæc vocabitur mulier.* Ergo causam humanæ generationis agnouimus. Sed quia pleròq; mouet qui diligētius intuentur, quomodo si vel primò magnum munus Dei fuit circa homines, vt in paradiso homines locarentur, vel postea magnorum remuneratio

33. q. 5. c. non illud.

Philo in lib. de mundi opificio.

Gen. 1.

Matth. 7.

Gen. 3.

1. Cor. 12.

1. Cor. 2.

Ibid.

neratio videretur esse meritorum, vt ad paradysum iustus vnusquisque rapiatur, dicuntur etiam bestia, & pecora agri, & volatilia cæli in paradiso fuisse. Vnde plerique paradysum animam hominis esse voluerunt, in qua virtutum quædam germina pullulauerint. Hominem autem & ad operandum, & ad custodiendum paradysum esse positum, hoc est, mentem hominis cuius virtus animam videtur excolere, nec solum excolere, sed etiam cum excolerit, custodire. Bestiæ autem agri, & volatilia cæli quæ adducuntur ad Adam, nostri irrationabiles motus sunt, eo quòd bestiæ vel pecora, quædam diuersæ sint corporis passiones, vel turbulentiores, vel etiam languidiores. Volatilia autem cæli quid aliud æstimamus, nisi inanēs cogitationes, quæ velut volatiliū more nostram circumuolant animam, & huc atque illic vario motu sæpe traducunt? Propterea nullus inuentus est menti nostræ similis adiutor, nisi sensus, hoc est, *αισθησις*. Similem sibi solam *ψυχη* noster potuit inuenire. Sed forte arguas, quia hæc quoque Deus in tali paradiso locauit, hoc est, passiones corporis, & vanitatem quandam fluctuantium vel inanium cogitationum, quasi ipse nostri fuerit auctor erroris. Considera quid dicat. Habete, inquit, potestatem piscium maris, & volatiliū cæli, & omnium reptantium quæ repunt super terram. Vidēs quòd ille tibi tribuerit potestatem, vt de omnibus iudicare tu debeas, singulorum genera iudicij tui sobria definitione discernere. Vocauit ad te omnia Deus, vt supra omnia mentem tuam esse cognosceres. Cur quæ tibi similia minimè reperisti, adiscere tibi & copulare voluisti? Dedit tibi certè sensum quo vniuersa cognosceres, & de cognitis iudicares: meritoque de illo fecundum paradisi agro ciectus es, quia non potuisti seruare mandatum. Sciebat enim Deus esse te fragilem, sciebat iudicare non posse, ideo dixit quasi fragilibus, Nolite iudicare, vt non iudicemini. Ergo quia sciuit infirmum te esse ad iudicandum, voluit obediētem esse mandato, ideo præceptum posuit. Quòd si non præuaricatus esses, periculum incerti iudicij incidere nequiuisses. Itaque quoniam iudicare voluisti, ideo addidit, Ecce Adam factus est tamquam vnus ex nobis, vt sciat bonum & malum. Voluisti tibi arrogare iudicium, ideo poenam prauit iudicij refutare non debes. Posuit tamen te contra paradysum, ne memoriam eius possis abolere. Denique iusti in paradysum sæpe rapiuntur, sicut & Paulus raptus est in paradysum, & audiuit verba ineffabilia. Et tu si à primo cælo ad secundum, à secundo ad tertium mentis tuæ vigore rapiaris, hoc est, quòd primum vnusquisque homo est corporalis, secundo animalis, tertio spiritalis: si ita rapiaris ad tertium cælum, vt videas fulgorem gratiæ spiritalis: (Animalis enim homo quæ sunt spiritus Dei nescit: & ideo tertij cæli ascensio tibi est necessaria, vt rapiaris in paradysum) rapiaris iā sine periculo, vt possis diiudicare omnia, quia spiritalis diiudicat omnia, ipse autem à nemine diiudicatur. Et fortasse quasi adhuc fragilis, audies verba ineffabilia quæ non licet homini loqui: & tūc quod acceperis referuato, & quod audieris custodito. Paulus Apostolus custodiebat ne laberetur, vel alios certe faceret errare. Aut fortasse ideo dixit

Paulus, Quæ non licet homini loqui, quia erat ad hoc in corpore constitutus, hoc est, videbat istius corporis passiones, videbat legem carnis suæ repugnantem legi mentis suæ. Hoc enim malo intelligi, ne videamur quendam adhuc futuri periculi iactare errorem. Si enim vel propter hanc vitam securitas, vt nullos præuaricationis post hanc futuræ laqueos formidemus: ergo quicumque fuerit in paradiso ascensione virtutis, audiet mysteria Dei arcana illa atque secreta, audiet dicentem Dominum tamquam latroni illi à scelere ad confessionem reuertenti: Hodie mecum eris in paradiso.

Genesis Cap. III.

**S**ERPENS autem erat sapientior omnium bestiarum quæ erant super terram, quas fecit Dominus Deus. Et dixit serpens mulieri, Quid itaque dixit Deus, ne edatis ab omni ligno quod est in paradiso? Et dixit mulier serpenti, Ex omni ligno paradisi manducabimus: de fructu autem ligni quod est in medio paradisi, dixit Deus, Non manducabitis ex eo, neque tãgetis ex eo, vt non moriamini. Et dixit serpens mulieri, Non morte moriemini. Scit enim Deus quia quacumque die manducaueritis ex eo, adaperietur oculi vestri, & eritis sicut dii scientes bonum & malum. Et vidit mulier quia bonum est lignum ad manducandum, & quia gratum oculis ad videndum, & speciosum ad intuendum: & accipiens mulier de fructu eius manducauit, & dedit viro suo simul, & manducauerunt ambo. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt quòd nudi essent. Et assuerunt folia ficus, & fecerunt sibi succinctoria.

*De serpentis sapientia qualis fuerit: quomodo is mulierem inuaserit: qualis eius responsio; & circa eam digreditur. CAP. XII.*

**S**erpens autem erat sapientior omnium bestiarum quæ erant super terram, quas fecit Dominus Deus. Cum dicit sapientior serpentem, intelligis quem loquatur, id est, illum aduersarium nostrum, qui tamē habet huius sapientiam mundi. Sed & voluptas atque delectatio bene sapiens dicitur, quia huius carnis appellatur sapientia, sicut habes, Quia sapientia carnis inimica est Deo. Et ad exquirenda delectationum genera astuti sunt, qui appetentes sunt voluptatum. Siue ergo delectationem intelligas, quædam est diuino aduersa mandato, & inimica sensibus nostris: Vnde sanctus Paulus ait, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Si autem ad diabolum referas, verus inimicus est generis humani. Quæ autem causa inimicitiarum nisi inuidia? Sicut Salomoni ait, Quia inuidia diaboli mors introiuit in orbē terrarum.

1. Cor. 12. Rom. 7.

s. August. lib. 2. contra Iul. Pel. g.

Luc. 23.

s. August. lib. 2. contra Iul. Pel. g.

Rom. 8.

Rom. 7.



Sapient. 2.  
Gen. 2.

rarū Inuidiæ autem causa, beatitudo hominis in paradiso positi. Et ideo quoniam ipse diabolus acceptam gratiam tenere non potuit, inuidit homini, eo quod figuratus è limo, vt incola paradisi esset, electus est. Considerabat enim diabolus quod ipse qui fuerat superioris naturæ, in hac sæcularia & mundana ceciderat, homo autem inferioris creaturæ sperabat æternam. Hoc est ergo quod inuidet, dicens, Ille inferior adipiscetur quod ego seruire non potui? Ille de terris migrabit ad cælum, cum ego de cælo lapsus in terram sim? Multas vias habeo quibus hominē decipere possim. De limo factus est, terra ei mater est, corruptibilibus inuolutus est. Et si anima superioris naturæ, tamen & ipsa lapsi potest esse obnoxia, in corporis carcere constituta, quando ego lapsum vitare non potui. Est igitur via prima, vt decipiatur, dum conditione sua maiora desiderat. Hic enim quidam conatus est industria. Deinde carnis est, quod non habeat, desiderare. Postremò in quo videor ego omnibus esse sapientior, nisi circūscribam hominem, & versutia & fraude contēdam? Itaque machinatus est vt non primò Adam adoriretur, sed Adam per mulierem circumscribere conaretur. Non adoratus est cum qui coram acceperat celeste mandatum, sed eam adoratus est quæ à viro dicerat, non à Deo quid obseruaret, acceperat. Neque enim habes quia mulieri dixit Deus, sed quia Adæ dixit: & ideo per Adam cognouisse mulier æstimanda est. Cognoscens igitur hoc loco tentamēti genus, plurima etiam aliis locis tentamenti generis reperies. Alia sunt per principem istius mundi, qui quædam venena sapientiæ in hunc mundum euomit, vt vera putarent homines esse quæ falsa sunt, & specie quadam hominū caperetur affectus. Non enim semper quasi apertus hostis ingreditur, sed sunt quædam potestates quæ amorem simulent, gratiamque prætant, vt paulatim cogitationibus nostris venenum suæ iniquitatis infundant: à quibus oriuntur illa peccata quæ vel ex delectatione, vel ex quadam mentis facilitate nascuntur. Sunt etiam aliæ potestates quæ veluti colluctantur nobiscum. Vnde Apostolus ait, Quia non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, & rectores huius mundi tenebrarum harum, aduersus nequitiam spiritualium, quæ sunt in cælestibus. Volunt enim hac quadam contentione nos frangere, & veluti quoddam animæ nostræ corpus elidere. Vnde & Paulus quasi bonus athleta non solum ictus aduersantium potestatum vitare cognouerat, verum etiam aduersantes ferire. Vnde & ait, Percutio pugnis, non vt æra cadens. Et ideo quasi bonus athleta ad coronam meruit peruenire. Ergo multiplicia tentamenta sunt diaboli. Et ideo bilinguis serpens habetur atque letalis, eo quod diaboli minister aliud lingua loquatur, aliud corde meditetur. Sunt & alij ministri, qui & cordis & vocis suæ infectas veneno veluti verborum suorum iactant sagittas, quibus Dominus ait, Generatio viperarū, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Et dixit serpens mulieri, Quid vtiq; dixit Deus, ne edatis ex omni ligno quod est in paradiso? Et dixit mulier serpenti, Ex omni ligno paradisi manducabimus, de fructu autem ligni quod est in medio paradisi, dixit Deus, Non man-

Ezech. 28.  
Esa. 14.  
Gen. 2.  
Sap. 7.

Ioan. 14.  
1. Cor. 11.

Ephes. 6.

1. Cor. 9.

Psal. 77.

Matth. 12.

ducabitis ex eo, neque tangetis ex eo, vt non moriamini. Cum audieris sapientiorum bestis omnibus esse serpentem, hic eius iam quare versutiam. Simulat se verba Dei dicere, & proprios intexit dolos. Cum enim dixisset Deus, Ex omni ligno quod est in paradiso, edetis: de ligno autem quod est scientia boni & mali, non edetis: qua die autem manducabitis ex eo, morte moriemini: serpens quasi interrogans mulierem, cum dixisset Deus, Ex omni ligno quod est in paradiso edetis: de ligno autem vno non edetis: inseruit mendacium, vt diceret, Ab omni ligno non edetis: cum de vno tantum ligno scientiæ boni & mali præceperit Deus non esse gustandum. Qua ratione autem se fellerit, nihil mirum, quia iis qui aliquem circumscribere conantur, consuetudo est fallere. Non est igitur interrogatio otiosa serpentis. Sed vt scias in mandato nullum vitium esse potuisse, respondit mulier, & ait, Ex omni ligno paradisi manducabimus, de fructu autem ligni quod est in medio paradisi, dixit Deus, Non manducabitis ex eo, neque tangetis ex eo, vt non moriamini. In mandato quidem nullum vitium est, sed in relatione mandati. Etenim quantum præfens lectio docet, discimus nihil vel cautionis gratia iungere nos debere mandato. Si quid enim vel addas vel detrahas, præuaricatio quædam videtur esse mandati. Pura enim & simplex mandati forma seruanda, vel testimonij series intimanda est. Plerumque testis dum aliquid ad seriem gestorum, ex suo adiicit, totam testimonij fidem partis mendacio decolorat. Nihil igitur vel quod bonum videtur, addendum est. Namque hic quid offensionis habet prima specie, quod addidit mulier, Neque tangetis ex eo? Tangetis enim Deus non dixerat, sed Non edetis. Sed tamen lapsus incipit esse principium. Nam quæ addidit, vel superfluum addidit, vel addendo de proprio, semiplenum intellexit Dei esse mandatum. Docet igitur nos præfens series lectionis, neque detrahere aliquid diuinis debere mandatis, neque addere. Nam si Ioannes hoc iudicauit de suis scriptis, Si quis apposuerit, inquit, ad hæc, adiiciet in illum Deus plagas quæ scriptæ sunt in libro isto: & qui dempserit de verbis his prophetiæ huius, delebit Deus partem illius de libro vitæ: quanto nihil diuinis mandatis est detrahendum? Hinc ergo cepit præuaricatio prima esse mandati. Et plerique putant hoc vitium non esse mulieris, sed Adæ fuisse: ita Adam dixisse mulieri, dum eam vellet facere cautiorem, vt adderet mandasse Deum, Neque tangetis ex eo. Habemus enim quia Adam, non Eua mandatum acceperit à Deo. Nondum enim mulier formata fuerat. Ipsa quidem verba Adæ quibus mulieri dixit formam seriemque mandati, non prodit lectio: sed intelligimus per virum ad mulierem transisse. Viderint alij quid sentiant, mihi tamē videtur à muliere cepisse vitium, inchoasse mendacium. Nam etsi de duobus videatur incertum, tamen sexus prodit qui prius potuerit errare. Adde quia præiudicio illa præstringitur, cuius & postea prior error inuentus est. Viro enim mulier, non mulieri vir auctor erroris est. Vnde & Paulus ait, Adā, inquit, non est deceptus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit. Nunc videamus vtrum præter adiectionem quæ mandato est applicata, quod additum est, obfuisse videatur.

Gen. 2.

3. 9. 9. e. p. m.

Apo. 22.

Gen. 2.

Eccli. 25.

1. Tim. 2.

Nam

Luc. 10.  
Psal. 73.

Ioan. 14.  
1. Tim. 2.

Ioan. 7.  
Ioan. 14.

Leuit. 24.  
Matth. 5.

1. Ioan. 1.

Nam re vera si bonum est, Neque tangetis ex eo, & ad A cautionem proficiebat, cur Deus hoc minimè interdixerit, immò non interdicens permisisse videatur? Itaque vtrumque querendum, qua ratione nec permiserit, nec interdixerit. Sunt enim qui dicant, qua ratione quod fecit videri, non iussit & tangi? Verum cum in eo ligno audieris naturam fuisse scientiæ boni & mali, potest æstimari quia noluit te malum tangere. Satis est enim nobis videre Satanam sicut fulgur de cælo cadentem, secundum vocem Domini, & dantē escam non luminis, sed noctis & tenebrarum filiis, quia scriptum est, Dedit eum in escam populis Æthiopum. Hoc igitur de eo dictum est, quod non mandauerit tangi. Quod autem non prohibuerit, quid intelligam, accipe. Sunt multa quæ noceant si antè voluerimus haurire, quam quæ sint illa cognoscere. Nam & de cibis & potu plerumque vsu venit. Quippe si id quod amarum est, antè cognoscas, indues patientiam: & si intelligas illa quæ sunt amara, prodesse, indues tolerantiam, ne offendant amaritudo te repentina, & incipias reiicere profutura. Prodest ergo antè cognoscere, nec amara fastidias. Sed hæc minus nocere possunt: illud quod magis, nisi provideatur, nocere possit, aduerte. Gentilis quidam est, ad fidem tendit: catechumenus est, maiorem vult accipere doctrinæ & fidei plenitudinem. caueat ne dum vult discere, malè discat, & discat à Photino, discat ab Arrio, discat à Sabellio: tradat se huiusmodi magistris quorū quædam eū teneat auctoritas: & inductus quadam magistrorum præsumptione, teneris sensibus impressa diiudicare non nouerit. Prius igitur oculis mentis perspiciat quid sequatur, videat vbi vita sit. Tāgat denique diuinarū vitalia lectionum, vt nullo prauo offendatur interprete. Legit illi Sabellius, Ego in patre, & pater in me, & dicit vnam esse personam. Legit Photinus, Quia mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Et alibi, Quid me vultis occidere hominem? Legit etiam Arrius quia dixit, Quoniam pater maior me est. Legitur quidem manifestum, sed qua ratione dictum sit, debet autē pertractare secum, vt rationē dictorū possit aduerte. Ducitur quadam magistrorum auctoritate, sed profuisset ei non quæsisse, quam talem inuenisse doctorem. Sed etiam gentilis si quis scripturas accipiat legit, Oculum pro oculo, dentem pro dente. Legit etiam, Si scandalizauerit te dextera tua, abscinde illam, non intelligit sensum, non aduertit diuini arcana sermonis: peius labitur, quam si non legisset. Et ideo docuit quemadmodum Dei verbum inuestigare deberent: non perfunctoriè, non improuidè, sed diligenter atque sollicitè. Quod erat, inquit, ab initio, quod audiimus, & quod vidimus, oculis nostris perspeximus, & manus nostræ perscrutatae sunt de verbo vitæ: & vidimus & testamur, & annuntiamus vobis. Vides quod antè velut manibus quibusdam perscrutatus sit Dei verbum, & postea annuntiauerit: & ideo nihil Adæ & Eua fortasse nocuisset verbum, si pertractantibus diligenter mētis quibusdam manibus antè tetigissent. Infirmi enim pertractando, & diligentius requirendo, vniuersiusque quam non intelligunt possunt inuestigare naturam. Certè illi infirmi id lignum in quo scientiam mali esse co-

gnouerant, antè, quemadmodum tangerēt, debuerant perscrutari. Nam & mali sæpe nobis potest prodesse cognitio. Et ideo diaboli fraudes vel in hac legimus lectione, vel in prophetia, vt discamus quemadmodum artes eius cauere possimus. Cognoscenda sunt enim tentamenta eius, non vt sequamur, sed vt docti instructique caueamus. Sunt qui hoc loco dubitationem habeant, cum ex omni ligno dixerit Dominus Adæ, Comedes ex eo, vtrum cum omni ligno etiam lignum scientiæ boni & mali dixerit esse manducandū: an verò de omni ligno, de solo autem scientiæ boni & mali dixerit non esse gustandum. Qui ne id quidem putant inutilis esse rationis, quod quamuis noxia esca huius ligni fuerit, tamen si cum cæteris ederetur, noxia esse non possit: quædōquidē etiam antidotum theriacum de corpore serpentis confici solere dicatur, quod vtiq; virus corpusq; serpentis cum solū sumitur, nocet, cum admiscetur aliis, sanitati est & saluti. Scientia quoq; boni & mali, si quis sapiēter habeat, si quis vitæ semper intēdat, si quis cætera virtutum genera consequatur, nequaquam inutilis æstimatur. Hac igitur ratione plerique putauerūt posse etiam illud intelligi, vt videatur Deus id inhibuisse, ne absque cæteris solum lignum scientiæ boni & mali gustaret, non prohibuisse cum cæteris. Et hoc ideo putant dictum, quia ait Deus ad Adam, Quis tibi indicauit quod nudus es, nisi quia de ligno à quo præceperam tibi, ab hoc solo ne manducares, manducaisti? Quod videretur dare aliquem interpretandi locum, nisi mulier in superioribus dicente serpente, Quid vtiq; dixit Deus, Ne edatis ab omni ligno quod est in paradiso? respondisset, Ex omni ligno paradisi manducabimus: de fructu autem ligni quod est in medio paradisi, dixit Deus, Non manducabitis ex eo. In quo quamuis mulieris præuaricaturæ fides videatur infirmior, tamen non omnibus Adam spoliabo virtutibus, vt videatur in paradiso nullam affecutus fuisse virtutē, nihil de cæteris gustauisse lignis priusquam culpam incidisset, quam fructus esse aliquos consecutum. Non spoliabo ergo Adam, ne genus humanum omne dispoliem: quod innocens est antequam sensum accipiat scientiæ boni & mali. Neque enim otiosè dictum est, Nisi conuerſi fueritis, & efficiamini sicut puer iste, non intrabitis in regnum cælorū. Puer enim cum maledicitur, nō remaleddicit: cum percutitur, non repercutit: ambitionum & rapinarum tentamēta non nouit. Ergo verius puto, quod ne cum aliis quidem fructibus lignum edendum hoc esse præcepit. Nam etsi bona scientia perfectio, imperfecto tamen inutilis est. Imperfectum ausim omnem hominem dicere, quando ipse Paulus quasi imperfectus dicat, Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autem si comprehendam. Et ideo imperfectis dicit Dominus, Nolite iudicare, vt non iudicemini. Ergo imperfecto inutilis scientia. Denique peccatum nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Et infra, Sine lege enim peccatum mortuum est. Quid enim mihi proderat scire quod vitare non poteram? Quid mihi proderat scire, quod lex carnis meæ impugnet? Impugnatur Paulus, & videt legem carnis suæ repugnantem legi mentis suæ, & captiuam se in lege peccati: nec de conscientia sua præsumit, sed per Christi gratiam

Ezech. 28.

Gen. 3. inf. 1.

Matth. 23.

Philip. 3.

Matth. 7.

Rem. 7.

1. bid.

S. August. 1. 2. contra Iul. Pelag.



Rom. 7. confidit se à mortis corpore liberandum: & tu quemquam opinaris scientem non posse peccare? Paulus dicit, Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago: & tu arbitraris homini prodole scientiam, quæ delicti augeat inuidiam? Esto tamē vt perfectus peccare non possit. In Adā Deus omnes homines præuidebat, & ideo promiscuè generi non conueniebat humano habere scientiam boni & mali, quam per carnis vitia, vt oportebat, exercere non poterat.

Quomodo tentamenta diaboli plena sint mendacij: & de deceptione mulieris, & lapsu Adæ: quemadmodum etiam cognouerint se esse nudos, & succinctoria sibi fecerint, & quid significent. CAP. XIII.

Discamus igitur tentamenta diaboli plena esse mendacij. Vix enim vnum verum videtur ex iis quæ pollicitus est, reliqua falsa composuit. Sic enim habes, *Et dixit serpens mulieri, Non morte moriemini.* Ecce vnum falsum: nam morte mortuus est homo, qui secutus est promissa serpentis. Deinde addit, *Scit enim Deus quia quacumque die comederitis ex eo, adaperientur oculi vestri.* Hoc solum verum, quia infra habes, *Quia manducauerunt ambo, & aperti sunt oculi eorum.* Sed & hoc verum quod noceret. Denique non omnibus aperire oculos vtile, quia scriptum est, *Videbunt, & non videbunt.* Sed statim agglutinatum mendacium est, quia adiunxit: *Et eritis sicut dii scientes bonum & malum.* In quo licet aduertere idololatriæ auctorem esse serpentem, eo quod plures deos induxisset in hominum videatur errorem, quadam serpētis astutia. Et fefellit, dicens, *Eritis sicut dii.* Non solum enim sicut dii esse homines desierunt, sed etiam qui quasi dii erant, quibus dictum est, *Ego dixi, dii estis: sui gratiam perdiderunt.* *Et vidit mulier quia bonum est lignum ad manducandum, & quia pratum oculis ad videndum, & speciosum est ad intuendum.* Infirma auctor iudicij, quæ de eo quod nō gustauerat, iudicabat. Et ideo non facile, nisi id quod diligentius pertractauerimus, quod interiore probauerimus affectu, videatur ad opus aliquod esse sumendum. *Accipiens (inquit) de fructu eius manducauit, & dedit viro suo simul, & manducauerunt ambo.* Bene prætermissum est vbi decipitur Adam, quia non sua culpa, sed vitio lapsus vxoris est. *Et aperti sunt (inquit) oculi eorum & cognouerunt quod nudi essent.* Et antè quidem nudi erant, sed non sine virtutum integumentis. Nudi erant propter morum simplicitatem, & quod amictum fraudis natura nesciret. Nunc autem multis simulationum inuolucris mens humana velatur. Ergo posteaquam spoliatus se illa sinceritate & simplicitate viderunt integræ incorruptæque naturæ, quærere mundana & manufacta cœperunt, quibus nuda suæ mentis operirent: delectationes delectationibus, & mundi huius vmbrales voluptates velut folia foliis assuētes, quibus obumbrarent genitale secretum. Nam quomodo clausos oculos corporis habuit Adam, qui omnia animantia ita vidit, vt his & nomen imponeret? Quomodo cognouerūt non tunicam sibi, sed virtutū deesse velamina? *Et assuerunt (inquit) folia ficus, & fecerunt sibi succinctoria.* Ficum hoc loco pro qua specie debeamus accipere, diuinarū nos docet series lectionum: quandoquidem sanctos esse qui

sub vite & ficu requiescunt, scriptura memorauerit & Salomon dixerit, *Qui plātat ficum, comedet fructus eius.* Et Dominus ad ficum venerit, sed ideo sit offensus, quod non inuenerit fructum, sed folia tantum. Docet ergo me Adam quid sint folia, qui posteaquam peccauit, de foliis ficus fecerit sibi succinctorium, qui de fructibus magis eius gustare debuerit. Iustus fructum eligit, folia peccator. Quis est fructus? Fructus, inquit, spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, modestia, continentia, castitas. Non habebat fructum, qui spiritum non habebat. Non habebat gaudiū, qui præuaricatus erat mandatum Dei. Non habebat continentiam, qui de interdicto sibi gustauerat ligno. Ergo quicumque præuaricatur mandatum Dei, spoliatur atque nudatur: & fit ipse sibi turpis, vult se operire quibusdam ficus foliis, fortasse quibusdam inanibus vel vmbra-tilibus sermonibus, quos compositis mendaciis assuens, & verbum de verbo struens, ad operiendam conscientiam suæ mentis, factique velamen peccator intexit, vt pudenda sua contegat. Iacit enim supra se folia, qui culpam velare desiderans, aut diabolū delicti memorat auctorem, aut carnis præterdit illecebras, aut alium quempiā persuasorem pro-dit erroris. Et de scripturis diuinis frequenter promit exempla, quibus iustos in culpam perhibet incidisse, dicens, si fortè in stupris fuerit deprehensus: Et Abraham cum ancilla concubuit, & Dauid alienam adamauit, & sibi adsciuit vxorem. Assuit enim sibi quadam folia, quadam exempla de propheti-carum serie scripturarum, fructum earum non putat requirendum. Nōne tibi videntur etiam Iudæi folia assuere, dum legis spiritualis verba corporaliter interpretantur? Quorum interpretatio fructum omnem viriditatis amittit, damnata maledicto ariditatis æternæ. Bona igitur interpretatio, hoc est, spiri-talis ficus est fructuosa, sub qua iusti sanctique re-quiēscunt. Quam qui plantauerit in animis singulo-rum, sicut Paulus ait, Ego plantaui, Apollo rigauit, &c. manducabit ex ea fructum. Mala autem inter-pretatio fructum ferre, viriditatem seruare non po-terit. Quod igitur grauius est, hac se Adam interpre-tatione succinxit eo loco, vbi fructum magis casti-tatis se succingere debuisset. In lumbis enim quibus præcingimur, quadā semina generationis esse dicū-tur. Et ideo malè ibi succinctus est Adam foliis inu-tilibus, vbi futuræ generationis non fructum futu-rum, sed quadam peccata signaret, quæ manserunt vsque in aduentum Domini Saluatoris. Caterum posteaquam Dominus aduenit, ficum inuenit incul-tam: rogatus ne eam iuberet excidi, vt coleretur permisit. Et ideo iam non foliis, sed diuino sermone succingimur, quia ipse Dominus ait, *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes &c.* Vnde etiam pecuniam in zonis nostris portare prohibet. Non enim sæcularia, sed æterna debet zona nostra ser-uare.

Et audierunt vocem Domini Dei ambulantis in paradiso ad vesperam, & absconderunt se Adam & mulier eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi. Et vocauit Do-minus

Esai. 6.

Psal. 81.

De penit. dist. 2. c. 1. cognouerunt.

Genes. 2.

Mich. 4.

Prouerb. 27. Matth. 21.

Galat. 5.

Genes. 16.

2. Reg. 11.

Matth. 21.

Mich. 4.

1. Cor. 3.

S. Aug. lib. contra Iul. Pelag.

Luc. 13.

Luc. 11. Matth. 10.

minus Deus Adam, & dixit ei, Adam vbi es? Et dixit Adam, Vocem tuam audiuī in para-diso, & timui, quia nudus sum, & abscondi me. Et dixit illi, Quis tibi indicauit quod nu-dus es, nisi quia de ligno à quo præceperam tibi, ab hoc solo ne manducares, manducaisti? Et dixit Adam, Mulier quam dedisti mecum hæc mihi dedit de ligno, & manducaui. Et dixit Deus mulieri, Quid hoc fecisti? Et dixit mulier, Serpens decepit me, & manducaui.

De voce Domini deambulantis ad vesperam, & increpatione Adam, Vbi es? cur præterea antè increpetur Adam, cum mulier antè gustauerit? & quid mulier pro sua excusatio-ne responderit, ac de mysterio istorum. CAP. XIII.

Et audierunt (inquit) vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad vesperam. Quæ est ambulatio Dei, qui vbique semper est? Sed puto deambulationem quandam esse Dei per diuinarum seriem scriptura-rum, in quibus Dei quadam versatur præsentia, cum audimus quia ipse aspicit omnia, & oculi Domini super iustos: cum legimus quia Iesus sciebat cogitatio-nes eorum: cum legimus, Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Ergo dum hæc recensemus, quasi deambulantem cognoscimus Deum. Fugerat ergo peccator, non quo Dei posset latere conspectum, sed intra conscientiam suam latere cupiebat, opera sua lucere nolebat. Iusti est enim facie ad faciem vi-dere, quia iusti mens non solum Deo præsens est, sed etiam cum Deo disputat, sicut scriptum est, Iudicate pupillo, & iustificate viduam, & venite disputemus, dicit Dominus. Ergo cum legit peccator has scri-pturas diuinas, audit vocem Dei quasi ambulantis ad vesperam. Quid est ad vesperam, nisi quia culpam suam serò cognoscit, & serò venit quadam erroris præteriti verecundia, quæ errorē præuenire debue-rat? Nā dū culpa feruet in corpore, & anima exagi-tatur corporis passionibus, nō cogitat Deū sentus cr-rātis, hoc est, non audit Deū ambulantē in scripturis diuinis, ambulatē in mētibus singulorū. Dicit enim Deus, Quoniam inhabitabo in illis, & inter eos am-bulabo, & ero illorū Deus. Ergo cum in animæ sen-sum potestatis redierit formido diuinæ, tunc erube-scimus, tūc nos gestimus abscondere: tunc in pecca-torum nostrorum positi cogitationibus, in medio li-gni paradisi vbi peccauimus, deprehendimur, latere cupientes, & arbitantes quod Deus non requirat occulta. Sed scrutator animorum & cogitationum vsque ad diuisionem animæ penetrans dicit, *Adam, vbi es? Quomodo loquitur Deus? nūquid voce cor-poreæ? Non vtique, sed virtute quadam præstantio-re, quam vox corporis potest esse, funxit oracula.* Hanc vocem eius prophætæ audierunt, hanc vocem fideles audiunt, impij non intelligunt. Vnde in Euā-gelio habes quod audiuit Euangelista dicentem pā-trem: Et clarificauit, & iterum clarificabo: sed Iudæi non audierunt. Dicebant enim, Tonitruum factum est. Illis ergo, sicut supra habes, quia sentiebatur deā-bulans Deus, qui non deambulabat, sic audiebatur loquens Deus, qui non loquebatur. Sed quid loqua-

Psal. 33.

Luc. 6.

Matth. 9.

1. Cor. 13.

Esai. 1.

Zerit. 26.

Psal. 93.

Hebr. 4.

1. Ian. 12. Ibid.

tur, consideremus: *Adam, vbi es?* Adhuc in his reme-dium sanitatis est, quia audiunt Dei verbum. Deni-que Iudæi, qui sibi clausurunt aures ne audirent: ho-dieque non merentur audire. Deinde habent reme-dium, qui se absconderunt. Nam qui absconditur, erubescit: qui erubescit, conuertitur; sicut scriptum est, *Confundantur & conuertatur omnes valde ve-lociter.* Deinde hoc ipsum quod vocat, indicium sa-naturi est, quia Dominus quos miseratur, & vocat. Dicendo autem, *Vbi es?* non locum quærīt qui nouit arcanum. neq; enim Deus clausos habebat oculos, vt non videret latentem. Et ideo dixit, *Factus est Adam tamquam vnus ex nobis, quia aperuit oculos vt culpam suam videret, quam vitare non potuit.* Magis enim postquam peccauimus, nescio quomo-do nostra delicta cognoscimus: & tunc peccatum esse intelligimus, quod antequam peccarem, non putabamus esse peccatum. Certè non quasi pecca-tum putabamus esse damnandum, nam si damnare-mus, non admitteremus. Deus autem omnium vi-det culpas, & omnium delicta cognoscit: super om-nem animam, super omnium occulta oculos habet. Quid est ergo, *Adam vbi es?* Id est, non in quo, sed in quibus es? Non ergo interrogatio est, sed increpa-tio. De quibus (inquit) bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miseriam recidisti? Dereliquisti vitam æternam, & attumulatus es morti, consēpul-tus errori. Vbi est illa tua bene sibi conscia confi-dentia? Timor iste culpam fatetur, latebra præuari-cationem. Vbi ergo es? hoc est, non in quo loco que-ro, sed in quo statu. Quò te perduxerit peccata tua, vt fugias Deum tuum quem antè quærebas? Fortaf-se moueat cur antè increpatur Adam, cum mulier antè gustauerit? Sed à præuaricatione sexus infir-mior cœperit, à verecundia & excusatione fortior: vt femina erroris causa fuerit, vir pudoris. Et dixit mulier, *Serpens decepit me, & manducaui.* Veniabilis culpa quam sequitur professio delictorum. Ideo non desperata mulier, quæ non reticuit Deo, sed magis cōfessa peccatum est, quam medicinalis secuta sen-tentia est. Bonum est condemnari in peccato, & fla-gellari in delicto, vt cum hominibus flagellemur. Denique Cain quia voluit crimen negare, indignus iudicatus est qui puniretur in peccato, sed remissus est sine præscripto pœnæ, fortasse non tam maiori crimine parricidij (illud enim commisit in fratrem) quam sacrilegij, quod Deo creditur mentiendum, dicens, *Nescio; numquid ego custos fratris mei sum?* Et ideo accusatori diabolo eius accusatio referuata est, vt cum eius angelis flagelleretur, qui cum homi-nibus noluit flagellari. Denique de talibus dictum est, *Non est declinatio mortis eorum, & cum homini-bus non flagellabuntur.* Alia ergo ratio mulieris, quæ licet culpam præuaricationis incidere, tamen de paradisi lignis habebat adhuc virtutis escam: & ideo dixit peccatum suum, & reputatum est ei ad ve-niam. Iustus enim accusator est sui in principio ser-monis. Neque enim potest quisquam iustificari à peccato, nisi fuerit peccatum antè confessus. Vnde Dominus ait, *Dic iniquitates tuas, vt iustificeris.* Ergo quia Eua ipsa confessā delictum est, mitior sequi-tur & profutura sententia, quæ condemnaret erro-rem, & veniam non negaret, vt ad virum suum con-

2. Cor. 3.

Psal. 6.

Rom. 9.

Gen. 3. inf.

De penit. dist. 1. c. serpens.

Lib. 4. sent. dist. 17. §. hie.

ostitit quæstio.

Psal. 72.

Gen. 4.

Ibid.

Psal. 77.

Prou. 13.

De penit. dist. 1. c. non potest.

4. sentent. dist. 17. §. hie ostitit.

quæstio.

Psa. 42.

1. Tim. 2.

Ephes. 5.

Deut. 6. & Math. 4.

Gen. 27.

Ibid. Gen. 25.

Matth. 20.

1. Cor. 13. Galat. 5.

Ephes. 5.

1. Tim. 2.

uerfa feruiret. Primum, ne eam facile delectaret er-  
rare: deinde vt sub fortiore vase locata non tradu-  
ceret virum, sed magis viri consilio & ipsa regeretur.  
In quo quidem mysterium Christi & Ecclesie eui-  
denter agnosco. Designatur enim Ecclesie ad Chri-  
stum futura conuersio, & religiosa seruitus subdita  
Dei verbo, quæ multo sit melior, quam sæculi hu-  
ius libertas. Deniq; scriptum est, Dominum Deum  
tuum adorabis, & ipsi soli seruias. Hæc igitur serui-  
tus Dei donum est. Denique inter benedictiones  
numeratur huius seruitutis obsequium. nam & Isaac  
in loco benedictionis eam dedit Esau filio suo, vt  
seruiret fratri suo. Denique benedictionem ille po-  
scibat, et si vnam sibi cognouisset esse præceptam, ta-  
men aliam postulabat, dicens, Numquid vna bene-  
dictio tibi est pater? Per hanc igitur seruitutem ille qui  
per gulam primitias suas ante vendiderat, & studio  
venationis agrestis gratiam benedictionis amiserat,  
credidit se eo futurum esse meliorem, si typum Chri-  
sti veneretur in fratre. Hac enim seruitute pollet  
populus Christianus, sicut & Dominus ad discipu-  
los suos ait, Qui vult inter vos primus esse, sit omnium  
seruus. Denique hanc seruitutem operatur charitas,  
quæ & spe maior & fide est. Vnde scriptum est, Per  
charitatem seruite inuicem vobis. Hoc est ergo my-  
sterium quod ait Apostolus esse in Christo & in Ec-  
clesia. Hæc enim verè in præuaricatione ante fuit,  
sed salua erit per filiorum generationem in fide, &  
charitate, & sanctificatione, cum castitate. Præuari-  
cata vtique in patribus generatio hominum, salua-  
tur per filios: vt quod in Iudæis offenderat, in Chri-  
stiana posteritate corrigeret.

Et dixit Dominus Deus serpenti, Quia fe-  
cisti hoc, maledictus tu ab omnibus pecori-  
bus, & ab omnibus bestiis quæ sunt super om-  
nem terram: supra peccus tuum, & in vtero  
tuo ambulabis, & terram manducabis omni-  
bus diebus vitæ tuæ. Et inimicitias ponam in-  
ter te & inter mulierem, & inter semen tuum  
& semen mulieris. Ipsa tuum obseruabit caput,  
& tu illius calcaneum. Et mulieri dixit, Multi-  
plicans multiplicabo tristitias tuas, & gemi-  
tus tuos. In tristitiis paries filios, & ad virum  
tuum conuersio tua, & ipse tui dominabitur.  
Adæ autem dixit: Quia audisti vocem mulie-  
ris tuæ, & manducaſti de ligno paradisi, à quo  
præceperam tibi ab eo solo non manducare,  
maledicta terra in operibus tuis. In tristitia  
manducabis eam omnes dies vitæ tuæ. Spinas  
& tribulos germinabit tibi, & māducabis fœ-  
num agri. In sudore vultus tui manducabis  
panem tuum, donec reuertaris in terram ex  
qua sumptus es: quia terra es, & in terram re-  
dibis. Et vocauit Adam nomen mulieris  
suæ Vita; quoniam ipsa est mater omnium vi-  
uentium. Et fecit Dominus Deus Adæ & mu-  
lieri eius tunicas pelliceas, & induit eos. Et di-

xit Deus, Ecce Adam factus est quasi vnus ex  
nobis, vt sciat bonum & malum. Et nunc ne  
quando extendat manum suam, & sumat de  
ligno vitæ, & manducet, & viuat in æternum.  
Et emisit illum Dominus Deus de paradiso  
voluptatis, vt operaretur terram ex qua sum-  
ptus est. Et eiecit Adam, & collocauit eum cō-  
tra paradysum voluptatis: & ordinauit Che-  
rubim, & flammeam rhomphæam versatilem  
ad custodiendam viam ligni vitæ.

*Quaratione mulieris peccatum venia dignum fuerit aestima-  
tum, & serpens delectationis typus sit: de eius condemna-  
tione, & discretionem triu harum condemnationu. CAP. XV.*

**M**ulieris peccatum veniabile Deo visum est,  
eo quod nosset multas ad decipiendum vias  
esse serpentis: quia transfiguratur in angelum lucis,  
& ministri eius sicut ministri iustitiæ sunt, falsa im-  
ponentes rebus singulis nomina, vt temeritatem dicant  
esse virtutem, & auaritiæ nomen imponant indu-  
striæ. Serpens enim mulierem decepit, virum  
mulier ad præuaricationem de veritate deduxit.  
Serpentis typum accepit delectatio corporalis: mul-  
lier symbolum sensus est nostri, vir mentis delecta-  
tio. Itaque sensum mouet, sensus menti transfundit  
quam acceperit passionem. Delectatio igitur prima  
est origo peccati. Ideoque non miretis cur ante ser-  
pens damnetur iudicio Dei, secundò mulier, tertio  
vir. Secundum erroris ordinem, damnationis quo-  
que ordo seruatus est. Delectatio enim sensum, sen-  
sus autem mentem captiuam facere consuevit. Vt  
scias autem quia serpens typus est delectationis,  
damnationem eius aduerte. *Supra peccus* (inquit)  
*tuum & in vtero tuo ambulabis.* Qui sunt qui in vtero  
suo ambulant, nisi qui ventri & gulæ viuunt? quo-  
rum Deus venter est, & gloria in pudendis eorum,  
qui terrena sapiunt, & cibo onerati ad terrena cur-  
uatur. Bene ergo delectationi, quæ cibus intēta, ter-  
ram videtur māducare, ait: *Supra peccus tuum, & in vte-  
ro tuo ambulabis, & terram manducabis omnibus diebus vi-  
tæ tuæ.* Tollēda est omnis excusatio diaboli, ne fortè  
malitiæ suæ aliquid possit obtendere, vt dicat ini-  
quitatem suam ex condemnatione venisse, & ideo  
ad nocendum hominibus pertinaciter obniti, quia  
ideo damnatus est vt noceret. Quod videtur esse  
proximum opinioni, si tamquam damnationis ac-  
cipimus istam sententiam. Non enim Deus ad hoc  
serpentem damnauerat vt noceat, sed quid futurus  
esset, ostendit. Et quidem tentatio illa quod amplius  
hominibus profit, superius demonstraui: sed ta-  
men cum legerimus quod scriptum est, dicēte Deo;  
Honorificantes me honorificabo, & contemptor  
mei honore priuabitur: licet nobis ex his verbis ali-  
quid æstimare. Deus enim operatur quod bonum  
est, non quod malum. Ergo doceat te verba diuina,  
quia operatur gloriam, pœnam relinquit. Honorifi-  
cantes me, inquit, honorificabo: honorem bono-  
rum operationis suæ esse declarans. Et contempto-  
res, inquit, mei: non dixit, Honore priuabo, sed, Ho-  
nore priuabuntur. non suæ operationi deputans eo-  
rum iniuriam, sed quid futurum esset ostendens. Er-  
go hinc

1. Cor. 5.

1. Cor. 13.

Philip. 3.

1. Cor. 13.

1. Tim. 2.

Rom. 6.

1. Cor. 9.

go hinc non dixit, Facio te supra peccus tuum, & vte-  
ro tuo ambulare, & terram manducare omnes  
vita tuæ: sed, *Ambulabis*, inquit, & *manducabis*: vt præ-  
dixisse magis de serpente quæ futura sunt videretur,  
quàm præscripsisse quid faceret. Terra enim tibi ci-  
bus erit, non anima. nam & hoc peccatoribus pro-  
dest. Vnde & Apostolus tradidit huiusmodi in interi-  
um carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini no-  
stri Iesu Christi. Pectore autem & ventre ait reptare  
serpētem, non tam propter corporis figuram, quàm  
quod propter terrenas cogitationes de illa caelesti  
beatitudine sit lapsus. Pectus enim frequēter recel-  
sus quidam accipitur sapientiæ. Et ideo Apostolus  
supra peccus Christi reclinat caput, non in terram  
deiciit. Ergo si sapientia diaboli feris immanissimis  
comparatur, quibus intra pedes peccus sit: & etiam  
homines qui terrena sapiunt, nec interiore affectu  
eriguntur ad cælum, vtero videtur reptare per terram:  
vtique ventrem animæ nostræ non corruptibilibus  
sæculi huius implere, sed magis Dei verbo satiari de-  
bemus. Bene igitur Dauid personam suscipiēs Adæ  
dicit, Humiliata est in puluere anima mea, adhæsit  
in terra venter meus. Adhæsit enim, dum configura-  
tur serpenti, qui pacitur iniquitate terrena. Ideoque  
nos Apostolus configurari dicit oportere Christo,  
vt virtus Christi prætendat in nobis. Quæ senten-  
tia non putatur in serpentem grauis, cum etiam  
Adam qui leuius peccauit, tali condemnatur sen-  
tentia. Scriptum est enim: *Maledicta terra in operibus  
tuis. In tristitia manducabis eam omnes dies vitæ tuæ.* Vide-  
tur certè similitudo quædam esse sententiæ, sed ta-  
men in ipsa similitudine magna discretio. Interest  
enim vtrum manducet aliquis terram, sicut serpenti  
dictum est quia terram manducabit: an verò sicut  
homini dictum est, *In tristitia manducabis.* Adiectio  
enim ista, *In tristitia*, discretionem facit. Discretio  
quam vim habeat, considera. Bonum est mihi in tri-  
stitia magis terram manducare, quàm in delectatione,  
hoc est, vt in actu quodam & sensu corporis con-  
tristari videar, quàm delectari in peccato. Multi  
enim propter nimias iniquitates non suscipiunt pec-  
cati conscientiam. At verò ille qui ait, Castigo cor-  
pus meum, & seruituti redigo: cōtristatur in nostro-  
rum pœnitentia peccatorum, quia sua tanta delicta

non habuit, vt in his contristari deberet. Denique  
& nobis suadet vtilem istam esse tristitiam, quæ se-  
cundum Deum, non secundum sæculum est. Opor-  
tet, inquit, vos contristari in pœnitentiâ secundum  
Deum. nam secundum Deum tristitia salutem ope-  
ratur, sæculi autem tristitia mortem operatur. Sed &  
de veteri testamento accipe illos ad gratiam perue-  
nisse, qui contristabantur in operibus corporalibus:  
illos verò in supplicio remansisse, qui delectabantur  
huius mundi operibus. Denique Hebræi qui inge-  
mifcebant in laboribus Ægypti, iustorum gratiam  
consecuti sunt. Et quia panem in tristitia manduca-  
runt, esca donati sunt spiritali. Ægyptij verò, qui ta-  
lia opera cū exultatione celebrabāt, regi dereſtabili  
seruientes, nullam veniam sunt adepti. Sed & illa di-  
ſtinctio, quod serpenti dicitur, quia terram mandu-  
cabit, Adæ autem, *In tristitia* (inquit) *manducabis: & in  
sudore manducabis, & manducabis fœnum agri*: vt quædam  
intelligamus in his esse processum, vt quædo terram  
māducamus, in quadā malitia esse videamur: quan-  
do fœnum, in quodā processu: quando verò panem,  
cū consummata fuerit fortitudo. Ergo & nos ha-  
beamus processum vitæ huius, sicut habuit & Pau-  
lus qui dicit, Viuo autem iam non ego, hoc est, non  
ego qui terram ante manducabam: non ego qui fœ-  
num, quia omnis caro fœnum: sed viuit in me Chri-  
stus, hoc est, viuit panis ille viuus, qui venit è cælo,  
viuit sapientia, viuit gratia, viuit iustitia, viuit resur-  
rectio. Deinde considera quia non est maledictus  
homo, sed maledictus est serpens: nec terra in se ma-  
ledicta est, sed *Maledicta* (inquit) *in operibus tuis*; quod  
ad Adam dictum est. Tunc terra maledicta est, si ha-  
beas opera terrena, id est, opera sæcularia. Et male-  
dicta non in vniuersum, sed vt spinas & tribulos ge-  
neret, nisi fuerit humanæ studio operationis exer-  
cita. Quod si eam exercuerimus, in labore qui-  
dem & sudore erimus, sed tamen panem manduca-  
bimus. Repugnat enim lex carnis legi mentis. Et  
laborandum nobis est ac defudādum vt castigemus  
corpus, & seruituti redigamus, & quæ sunt spiri-  
talia seminemus. Si enim carnalia seminaueri-  
mus, quæ carnalia sunt metemus: si vero spiri-  
talia seminauerimus, metemus ea quæ sunt spiri-  
talia.

S. AMBROSII DE PARADISO LIBRI FINIS.

Summariu Libri primi de Abel & Cain.

*A cap. I. vsque ad cap. VI. agit de ortu, officijs, & mysterio duorum fratrum Abel & Cain, & quomodo  
Abel prælatu sit fratri.  
A cap. VII. vsque ad finem libri, agit de oblationibus Deo faciendis: de duorum fratrum oblationum dif-  
ferentijs, & de reprobatione Cain.*

Capita Libri.

*Continuans hunc librum cum præcedenti, agit de ortu Cain & Abel: & quid per hos duos fratres, & alios  
duos, Esau scilicet & Jacob intelligatur, exponit. Cap. I.  
Mysterium duorum fratrum sequitur, interserens quædam de patribus, & præcipue de sepultura Moysi  
latentia. Cap. II.  
Agit de Abel, qui licet ortu sit fratre posterior, ei tamen dignitate præfertur, & id aptat ad hominum  
mores. Cap. III.*

*Malitia tempore precedit, virtus verò præstantia: duæ mulieres voluptatem & virtutem designat: quot retibus hominem voluptas irretire conetur. Cap. III.*  
*Voluptas ne tandem opprimat hominem, virtus occurrit: interponens Christum têtatorem diabolum profugantem, docet quomodo tentationibus sit resistendum. Cap. V.*  
*Quod virtus studio & laboribus paratur, Jacob exemplum, quo primatû adeptus est, adducitur: de Abraham, Moysè, & duobus fratribus mystica exponuntur. Cap. VI.*  
*Primus oblationis Cain defectus, quo mala eius oblatio conuincitur: & unde ad illam Deus non respexit, exponitur: docet ex lege quomodo ritè vota Deo soluenda sint. Cap. VII.*  
*Abrahæ, Zacchæi, & diuinæ testimonio scripturæ monet nos ut citò & sine mora Deo vota nostra soluamus. Cap. VIII.*  
*Inchoatum profequitur sermonem; redarguit Pharaonem de obeditionis procrastinatione; & quomodo offerenda Deo sit oratio ut ei placeat. Cap. IX.*  
*Alter oblationis Cain defectus explicatur, cum descriptione eorum que Domino offerenda sunt: exponitur mysticè primitiuorum oblatio. Cap. X.*

**SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
 MEDIOLANENSIS DE ABEL ET CAIN  
 LIBER PRIMVS.**

*Genesis Cap. IIII.*

**A**Dam verò cognouit Euam mulierem suam, quæ concepit & peperit Cain, & dixit, Acquisiui hominem per Deum. Et adiecit parere Abel fratrem eius. Et factus est Abel pastor ouium: Cain autem operabatur terram.

*Continuans hunc librum cum precedenti, agit de ortu Cain & Abel: & quid per hos duos fratres, & alios duos, Esau scilicet & Iacob intelligatur, exponit.*

**CAP. I.**

**D**E Paradiso in superioribus pro captu nostro, vt potuimus, quod Dominus infudit, sensus inuenit, digessimus, in quibus Adæ atque Euz lapsus est comprehensus. Nunc quoniam illa penes auctores non stetit culpa, sed quod peius est, deteriorem inuenit heredem, sequentem adoriamur historiam, & ea quæ secundum scripturas annexa sunt diuinis, nostro opere profequamur. *Adam verò cognouit Euam mulierem suam, quæ concepit & peperit Cain, & dixit, Acquisiui hominem per Deum. Quæ acquirimus, ex quo, & à quo, & per quid acquiramus, considerari solet. Ex quo, tamquam ex materia: à quo, quis auctor: per quid, tamquam per aliquod instrumentum. Numquid hæc sic dicit, Acquisiui hominem per Deum, vt Deum intelligas auctorem & operatorem Deum. Vnde magis Deo detulit, cum dixit, Acquisiui hominè per Deum vt & nos cum aliquid acquirimus, vel omnes euen-*

**A**tus secundos Deo magis deferre, quàm nobis arrogare debcamus. *Et adiecit parere Abel.* Cum adiecitur aliquid, quod prius erat, tollitur. Idque colligitur ex arithmeticæ portionibus, & animæ cogitationibus. addito enim numero, alius numerus aboletur superior: & cogitatio accedens excludit superiorem. Ergo cum adiecitur Abel, aufertur Cain. Quod nomen interpretatione plenius deprehenditur. Cain etenim dictus est acquisitio, quod omnia sibi acquireret: Abel, qui omnia referret ad Deum pia deuotus mentis intentione, nihil sibi arrogans vt superior frater, sed totum tribuens conditori quod accepisset ab eo. Duæ itaque sectæ sunt duorum fratrum nomine compugnantes inuicem, & contrariæ sibi. Vna, quæ totum menti suæ deputat tamquam principali, & quasi cuidam cogitationis & sensus & motus omnis auctori, hoc est, quæ omnes inuentiones humano adscribit ingenio. Altera, quæ tamquam operatori & creatori omnium Deo defert, & eius tanquam parentis atque rectoris subdit omnia gubernaculo. Illa prior per Cain significatur, hæc posterior per Abel. Has duas sectas anima vna parturit: & ideo germanæ habentur, quod vno funduntur vtero. Sed contrariæ sunt: quare oportet eas, cum partu editæ fuerint, diuidi ac separari. Compugnantis enim hospitium vnum perpetuò esse non potest. Denique Rebecca cum duas naturas humani ingenij parturiret, vnam mali, alteram boni, eaque exilire intra vterum sentiret suum, (Esau enim typus erat malitiæ, Iacob figuram bonitatis gerebat) mirata quid illud esset quod discordiam quandam concepti cerneret foetus, consuluit Deum vt passionem proderet, medelam daret. Itaque precanti est responsum redditum: Duæ gentes in vtero

*Gen. 25. Ibid.*

vtero tuo sunt, & duo populi de ventre tuo exi- bunt. Quod si ad animam referas, eandem genitricem boni & mali intelliges: quia ex eodem fonte animæ vtrumque demanat. Sed hoc sobrij solet esse veriq; iudicij, vt repudiato malo enutriat quod bonum est, atque confirmet. Prius ergo quàm pariat, bonum est exhibere reuerentiam Deo debitam, vt ipsi totum deferat, sua non præferat. Cum verò genuerit confessionem qua defertur Deo, deponit cordis sui tumorem. Adiciens ergo Deus bonum animæ dogma Abel, abstulit improbum dogma Cain.

*Mysterium duorum fratrum sequitur, interserens quædam de patribus, & præcipue de sepulture Moysi latètia. C. A. P. II.*

**E**Go tamen hoc loco secundum scripturam mysterium magis duorum populorum intelligo, quod Deus adiciendo Ecclesiæ suæ fidem pia plebis, abstulit perfidiam populi præuaricantis, quandoquidem verba ipsa hoc significare videantur, dicente Deo, Duæ gentes in vtero tuo sunt, & duo populi de ventre tuo exibunt. Hæc figura synagogæ & Ecclesiæ in his duobus fratribus antè præcessit, Cain, & Abel. Per Cain parricidalis populus intelligitur Iudæorum, qui Domini & auctoris sui, & secundum Mariæ virginis partum fratris, vt ita dicam, sanguinem persecutus est. Per Abel autem intelligitur populus Christianus adherens Deo, sicut & David ait, Mihi autem adhærere Deo bonum est. & vt caelestibus se attexeret, & à terrenis separaret, alibi, Defecit, inquit, anima mea in verbum tuum: eo quod ordinem viuendi atque vsum non in terrenis voluntatibus, sed in verbi agnitione posuisset. Ex quo cognoscitur, nec illud otiosè scriptum esse, sed perpèctè atque examinatè, quod legimus in Regnorum libris: Et appositus est ad patres suos. Intelligi enim datur quod patrum similis fuerit fide. Vnde claret, non ad sepulturam corporis, sed ad consortium vitæ relatum. Denique de Isaac non perfunctoriè scriptum putatur, quod requirès corporis istius speciem, quæ animæ suæ attexebatur, appositus sit ad genus suum, eo quod patris sui moribus adhaferit. Pulchrè autè ad genus ait, non ad populum, sicut alibi. Nam legimus aliis locis appositus fuisse ad populû suum. Sed isti non tam præstantes: præstantiorem autem qui paucorum similis fuerit, & non plurimorum. Plures in populo suo quàm genere: & præstantius dicitur paucorum similem esse, quàm plurimorum. Qui ergo Dei erat generatus promissione, qui ad sacrificium probandæ pietatis electus, qui vnus vxoris, hoc est, solius sapietia societate cõrentus, superni illius generis, quod est vnum, sibi que semper conueniens, non plebeie vililitatis imitator, adstruendus fuit scripturæ diuinæ testimonio. Etenim vbi labor doctrinæ meditatio, illic cum pluribus commune collegium, & quoddam populare consortium est. Audiendo enim plarique proficiunt, quos nominauit populum. Vbi autè non humana traditione, sed ingeniosa collectione sine vfu laboris disciplina percipitur, illic sublimis generis incorrupta sinceritas est. Et ideo Isaac tamquàm Dei munus ad genus suum magis quàm ad populum appositus legitur, vt diui-

*Gen. 25. & Rom. 9. vsal. 72. vsal. 118. 3. Reg. 2. & 11. Gen. 35. Deut. 32. Gen. 21. Genes. 22. Gen. 35. Ibid.*

norum potius quàm humanorum imitorem esse sedulum recognoscas. Beata & illa mens, quæ species & ipsum genus supergrediens, meretur audire quod dictum est ad Moysem cum separaretur à populo: Tu autem hæc sta mecum. Nam sicut in Isaac Dominicæ incarnationis typus humanæ generationis supergressus consuetudinem, vicit priores, ita vt in eo non vulgaris popularisque gratia, sed specialis prærogatiua præcelleret, sicut lectio docet: Abraham enim dictæ sunt repromissiones, & semini eius: non dicit, Et feminibus, tâquam in multis, sed sicut vni, hoc est, Semini tuo, quod est Christus: ita etiam in Moyse venturi doctoris figura, qui legem doceret, Euangelium prædicaret, impleter testamentum vetus, nouum conderet, caeleste populis alimentum daret, humanæ dignitatem conditionis excessit eo vsque, vt Dei donaretur nomine, sicut habemus scriptum, dicente Domino, Posui te Deum Pharaonis. Etenim victor passionum omnium, nec vllis captus sæculi illecebris, qui omnem istam secundum corpus habitationem caelestis puritate conuersationis obduxerat, mentem regens, carnem subiiciens, & regia quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est: ad cuius similitudinem se perfectæ virtutis vbertate formauerat. Et ideo non legimus de eo, sicut de cæteris, quia deficiens mortuus est, sed per verbum Dei mortuus est. Deus enim neque defectionem aut diminutionem patitur, neque adiectionem capit. Vnde & addidit scriptura, Quia nemo scit sepulturam eius vsque in hodiernum diem; vt translationem magis quàm interitum intelligas. Mors enim secessio quædam est animæ & corporis. Mortuus igitur est per verbum Dei, vt ait scriptura, non secundum verbum: vt aduertas, non nuntium mortis, sed gratiæ munus expressum, qui translatus magis quàm derelictus est, cuius nemo nouit sepulturam. Quis enim in terris reliquias eius potuit deprehendere, quem secum esse Dei filius in Euangelio demonstrauit? Denique & Elias simul est vilius, qui translatus curru est, non sepultus nec mortuus legitur. viuit enim, qui cum Dei filio est. Moyses autem mortuus quidem legitur, sed per verbum Dei mortuus, per quod facta sunt omnia. Verbo autem Dei caeli firmati sunt. Per verbum igitur Dei non lapsus operis, sed firmamentum est. Non ergo tâquam relapsus in terram deprehenditur corporis solutione, sed tamquam verbi caelestis operatione donatus, & munere, vt quietè magis caro eius quàm bustum accepit. Bene autem inter Dominum & seruum seruatur distantia, vt prærogatiuam Domini intelligas, serui gratiam. De Moyse legitur quia sepulturâ eius nemo scit: de Christo autem, Sepultura eius de terra sublata est: quia ille secundum mysterium legis expectabat redemptionem, vt resurgeret: hic secundum Euangelij donum redemptionem non expectabat, sed donabat. Et ideo sepultura eius ignorata non est, sed eleuata: quam diutius creatura tenere non potuit, quia per ipsum omnis creatura properauit à corruptionis seruitiis cleuari. Nemo ergo scit sepulturam Moyse, quia vitam eius omnes nouerunt. Christi autem sepulturam vidimus, sed nunc iâ nõ nouimus, qui resurrectione eius agnouimus. Debit enim cognosci tumulus eius, vt resur-

*Deut. 5. Galat. 3. Exod. 7. Deut. 34. Ibid. Math. 17. 4. Reg. 2. vsal. 32. Deut. 34. Esai. 53. Rem. 8. Math. 28. h ij*



Mat. 16.

Esa. 11.

Esa. 7.

Esa. 8.

Philip. 2.

Coloss. 2.

1. Petr. 2.

Gen. 3.

Sap. 4.

rectio manifestaretur. Et ideo in Euangelio tumulus summa expresse describitur in lege non queritur, quia licet resurrectionem eius lex annuntiauerit, nobis tamen Euangelij series plenissime comprobauit.

*Agit de Abels qui licet ortu sit fratre posterior, ei tamen dignitate praefertur; & id aptat ad hominum mores.*

CAP. III.

**E**Rgo ut quod proposuimus, compleamus, *Adiecit* (inquit) *parere Abel*: hoc est, meliorem Eua, quae grauius ante peccauerat, ex se generauit sententiam, ut superioris sententiae aboleret errorem. Mentior, nisi hoc in vniuersis comprobatur. Ita enim nascimur, ut ante infirmus infantiae sensus in nobis sit, postea pueritiae corporis tantummodo curam sciens, nullam cultum, nullam habens obseruantiam diuinorum. Vnde & euidenti naturae nouitate ortum Iesum Christum ex Virgine ut probaret Propheta, ait, Ecce virgo in utero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: butyrum & mel manducabit, & ideo priusquam sciat malum aut bonum, non credet malitiae, ut eligat quod bonum est. Et infra, Priusquam sciat puer vocare patrem ac matrem, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariae contra regem Assyriorum. Solus enim fuit qui non est captus saeculi huius vanitate, & carnali tumore: utpote qui se humiliavit factus obediens usque ad mortem: longè vnicuique nostram dissimilis, quia nos frustra extollimur mente carnis inflati. Vnde & nemo sine peccato, nec vnus diei infans. Ille autem peccatum non fecit. Et ideo in nobis ante nascitur Cain seipsum preferens: postea Abel generatur, in quo sit reuerentia diuinitatis. Prius ergo irrepit quod malum est, postea agnoscitur quod bonum est. Vbi autem bonum, ibi iustum: vbi iustitia, ibi sanctitas: hoc est, Abel qui adhaeret Deo. *Et factus est* (inquit) *Abel pastor ouium, Cain autem operabatur terram*. Non est otiosum quod cum ante generatus sit Cain, ut lectio docet, praeterit sit hoc loco Abel: nec idem sit ordo nominum, qui est ordo naturae. Quid sibi vult mutatio ordinis, ut prius iunioris meminerit, vbi scribitur vitae status, operisque usus? Officiorum interrogemus distantiam, ut colligamus causam praerelationis. Operari terram vsu prius est, gratia inferius quam oues pascere. Hoc enim instar est cuiusdam doctoris & principis. Meritoque senior à vetustioribus inchoauit, iunior recentiora praetulit, quae nullas spinaas, nullos tribulos germinarent, nulli sententiae essent obnoxia. Denique peccati reus Adam de paradiso dimissus est voluptatis, ut operaretur terram. Rectè ergo vbi nascuntur hi fratres, seruat etiam in praedicando ordo naturae: vbi verò exprimitur disciplina viuendi, seniori iunior antefertur: quia etsi tempore iunior, virtute praestantior est. Innocentia enim tempore posterior est quam malitia, & quadam supparitate: sed meritorum nobilitate antiquior. Senectus enim venerabilis est, non annis cana, sed meritis. Et aetas, inquit, senectutis vita immaculata. Vbi ergo generatio exprimitur, praerueniat Cain: vbi disciplinarum sit praedicator, praerurat Abel. Adolefcentiam igitur, & ip-

sam in exordiis iuuentutem variarum illecebris passionum feruere quis abnuat? Sed vbi maturior passus accesserit, tãquam pubescentis lasciuia tempestate discussa tranquillitatem refundi, & in quosdam portus quietos lassae animae nauigium subducere. Itaque graues motus nostrae adolefcentiae fida senectutis statione placidantur.

*Malitia tempore praecedat, virtus verò praestantia: duae mulieres voluptatem & virtutem designant: quot rebus hominem voluptas irretire conetur.* CAP. IIII.

**N**E ergo dubites talibus naturae admonitus exemplis, quod malitia praecedat tempore, sed iuuenescat infirmitate. Habet illa aetatis stipendium, virtus autem praerogatiuam gloriae, qua plerumque iusto cedit iniquus. Cuius rei testis est fidelis diuina scriptura, quae docet Esau cognomine stultitiae virum celsisse patienter primatus suos fratri suo Iacob, ita ut diceret, Ut quid mihi primatus? Sed quos iste posthabuit, hos vir cognomineo exercitationis praeditus quaesuit mereri. Nonne tibi videtur Esau tamquam in agone victus, & propriae mentis infirmitate imparem se existimans, celsisse victori coronam, quem videbat nullis passionum illecebris inflecti, quarum ipse puluere sustinere non poterat? Vt quid mihi, inquit, primatus? Apud ignauos enim nulla sunt insignia virtutis, apud sapientes prima habentur. studia enim virtutis quaedam instrumenta sunt. Itaque sicut bellator sine armis esse non potest, ita nec sine exercitatione virtus. Vnde & Dominus in Euangelio ait, A diebus Ioannis Baptistae regnum caelorum cogitur, & cogentes diripiunt illud. Et alibi, *Quaerite regnum Dei*, & ecce omnia praesto sunt vobis. Non dormientibus, neque otiantibus, sed vigilantibus & laborantibus pollicetur praemia, & labori merces parata est. Qui licet non suaui ad gratiam, tamen fructuosus ad praemium est. Docet hoc sermo legis, sicut scriptum inuenimus. Si fuerint, inquit, vni homini duae uxores, vna carum dilecta, altera odibilis: & pepererint ei ambae filios, dilecta & odibilis, & primitiuus fuerit filius mulieris odibilis: qua die haeredes reliquerit filios in substantia sua, non poterit primatum dare filio mulieris dilectae, omittens filium odibilis: sed primitiuum filium odibilis cognoscet, ut det illi dupla ex omnibus quae inueniuntur ei: quia ipse initium filiorum eius est, & ipsi debentur primitiae. Quam profunda latent mysteriorum secreta in litteris! Recognosce anima partus tuos, & odibilis istius mulieris quare mysterium. Intra te ea inuenies, si requiras. Repete cogitationes, relege sensus tuos, & cui primitiae debeantur agnosces. Duae enim mulieres vnicuique nostram cohabitauerunt, inimicitias ac discordiis dissidentes, velut quibusdam zelotypiae contentionibus nostrae replentes animae domum. Vna carum nobis suauitati & amori est blandae conciliatrix gratiae, quae vocatur voluptas. Hanc nobis opinamur sociam ac domesticam, illam alteram immittit, asperam, feram credimus, cui nomen virtus est. Illa igitur meretricio procax motu, infracto per delicias incessu, nutantibus oculis, & ludentibus iaculans palpebris retia, quibus pretiosas iuuenum animas

Gen. 25.

Matth. 11.

Matth. 6.

Deut. 21.

Prouerb. 7.

mas capit, (Oculus enim meretricis, laqueus A est peccatoris) quemcumque viderit sensu indignum praetercuntem in angulo in transitu domus suae, sermonibus adortur gratiosis, faciens iuuenum volare corda, domi inquieta, in plateis vaga, osculis prodiga, pudore vilis, amictu diues, genas picta. Etenim quia verum decorem naturae habere non potest, adulterinis fucis affectatae pulchritudinis lenocinatur specie, non veritatem. Vitiorum succincta comitatu, & quodam nequitarum choro circumfusa, dux criminum, talibus verborum machinis murum mentis aggreditur humanae: Sacrificium pacis est B mihi, hodie reddo vota mea: hac ex causa progressa sum obuiam tibi, desiderans faciem tuam, inueni te. Institis texui lectum meum, & taperis ab Aegypto strauit. A speris lectum meum croco, domum autem meam cinnamomo. Veni, fruamur amicitia usque in diluculum: veni, & colluctemur cupidine. Hanc enim per os Salomonis speciem fornicariae videmus expressam. Nam quid tam meretricium, quam saecularis voluptas: quae à fenestra domus suae intrat, oculis prima tentamenta praeludens: & penetrat citò, si tu in plateam prospiciens, id est, in publicas transeuntium vias, non in legis interna mysteria obrutum metis intendas. Ea profecto est quae validioribus vinculis velut cubile quoddam confociata nobis communitatis intexit, ut qui reclinauerit se, ligetur: & opprobriosa fraudis velamine operit corporis sui stratum, ad sollicitados iuuenum animos, absentiam viri, hoc est, incuriam legis obtexens. Lex enim absens peccantibus est. Nam si adesset, non delinqueretur. Et ideo ait, Non enim adest vir meus in domo, abiit autem viam longissimam in uolucro pecuniae accepto in manu. Quid hoc esse dicam, nisi forte quia diuites putant nihil esse quod non cedat suae pecuniae, & in gratiam sui legem velint esse venalem? Spargit odores suos voluptas, quia Christi odorem non habet. Thesauros demonstrat, regna promittit, amores spondet continuos, inexploratos concubitus pollicetur, sine praedagogo disciplinae, sine monitore sermones, vitam sine sollicitudine, mollem somnum, inexplabilem cupiditatem. Seducens cum inquit, multo blandimento sermonum, & laqueis labiorum suorum alligans, domum ad usque attrahit. At ille secutus eam circumuentus, Nitebat aula regio luxu splendida, caelatis parietibus, & humido natabant pauimentum vino. Fragrabat vnguento humus, spinis cooperta piscium, & marcentibus iam floribus lubrica. Illic comeffantium tumultus, concertantium clamor, litigantium caedes, concertus canentium, saltantium strepitus, ridentium cachinnus, lasciuientium plausus, confusa omnia, nihil naturae ordine. Saltatrices tonsae, & crispantes pueri coma, epulantium cruditas, edentium ructus, ebriorum stris, hesternae crapula, hodierna temulentia, repleta vomitu bibetium pocula, maiore odore ebrietas, quam si recentia tantum vina fragrarent. Ipsa in medio stans, Bibite, inquit, & inebriamini, ut cadat vnusquisque, & non resurgat. Ille apud me primus, qui omnium perditissimus. Ille meus est, qui suus non est. Ille mihi gratior, qui sibi nequior. Calix aureus Babylonis in manu mea inebrians omnem terram, à vino meo biberunt omnes gentes.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Psal. 40.

Hierem. 51.

Qui est ergo insipientior, diuertat ad me, & indigentibus sapientia praecipio, dicens: Panibus absconditis suauiter vtimini, & aquam furti dulciorem bibite. Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Transiet vita nostra tamquam vestigia nubis, & tamquam nebula dissipabitur. Venite ergo, fruamur bonis quae sunt, & vtamur creatura tamquam in iuuetute celeriter. Vno pretioso & vnguentis nos impleamus, & non praetereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant. Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra, vbi que relinquamus signa laetitiae. Haec omnia relinquuntur, nihil secum quis feret, nisi quod corporis voluptate perceperit. Denique ego istam institui philosophiam, nec est alia verior nisi ea quae bonum asserit quod suaue atque iucundum sit. Ergo vel philosophiae vel sapientiae Salomonis credite.

*Voluptas ne tandem opprimat hominem, virtus occurrit: interponens Christum tentatorem diabolum profligantem, docet quomodo tentationibus sit resistendum.*

CAP. V.

**H**is auditis, velut ceruus sagittatus in iecore haeret faucibus. Quem miserans virtus, & casurum citò videns, improuisa occurrit, verita ne inter moras illecebris demulcentibus mens capiatur humana. Palam, inquit, apparui tibi non quaerenti me. Ne fallat imprudetem, & circumueniat te mulier effrenata & luxuriosa, quae non nouit pudorem: sedet in foribus domus, in sella palam, in plateis aduocans praetercuntes. Nunc igitur fili audi me, & intende verbis oris mei. Non declinet in vias eius cor tuum. Multos enim vulnerando deiecit, & sunt innumera-biles quos trucidauit. Viae inferorum domus eius, deducetes in secessum mortis. Aufer igitur prauum os, & iniusta labia longè à te propelle. Oculi tui re-cta videant: noli intendere fallaci mulieri. Mella enim distillant à labiis mulieris fornicariae, quae ad tempus impingunt fauces tuas, postea verò amariore felle inuenies. Dies me citius defecerit quam vitia eius exponam, quae tamen in Prouerbiis ore sapientiae descripta atque expressa sunt. Non te vincat formae concupiscentia. Adulterina est, fucis illita, nequaquam sincero fulgens decore. Neque capiaris oculis. circumfusa enim retia sunt. Esto magis similis illius, & sequere eum qui salit super montes, & transilit super colles, prospiciens per fenestras, eminens super retia. Mala sunt voluptatis vincula. Oculos delectat, demulcet aures, sed mentem inquinat, multa mentitur, falsà adiungit, vera subducit, spondet pecuniam, aurum offert, sed aufert disciplinam. Tu autem accipe potius disciplinam quam pecuniam, & scientiam super aurum probatum. Melior est enim lapidibus pretiosis. Non te celabo quae summa eius feruntur, ne videar operire quae displicent in voluptate, & obumbrare quae placeant. Eleuat enim & extollit mentem suaforis verbis, ostendit omnia regna terrae, dicens, Haec omnia tibi dabo, si precidens adoraueris me. Ibi tu caue ne rapiaris praeterlabentibus & non manentibus, in quibus magna tentatio est. Docuit te certè Dominus Iesus quae admodum aduersus huiusmodi tentationes resistas. Te

Prouerb. 9.

Psal. 22.

Sapient. 2.

Prou. 7.

Esa. 65.

Prouerb. 9.

Prouerb. 7.

Prouerb. 4.

Prouerb. 5.

Prouerb. 6.

Ibid.

Cant. 1.

Prouerb. 3.

Prouerb. 3.

Matth. 4.

Luc. 4. cederat diabolus primū laqueū gula; dicēs, Si filius Dei es, dic huic lapidi vt panis fiat. Respondit Dominus, Nō in pane solo viuit homo, sed in omni verbo Dei. Laqueū soluit hoc dicto. Posuit iterū diabolus secundum iactantię laqueum, qui etiam bonam mentem prosperis eurrentem semitis solet strangulare. Et duxit illum, inquit, in Hierusalem, & statuit eum super pinnam templi, & dixit illi, Si filius Dei es, mitte te hinc. Scriptū est enim quod angelis suis mandauit de te, vt conseruent te, quia in manibus tollent te, ne fortē offendas ad lapidē pedem tuum. Itaque cum posset sine vllō periculo mittere se Dominus Iesus, cui suppetere spiritalis volatus: tamē ne iactantię genus esset, respondit diabolo, Non tētabis Dominum Deum tuum. Simul docuit nos cauere, ne faciamus voluntatem diaboli. Si ergo verē iactantia declinanda est, quanto magis nemo debet falsa iactare pro veris? Tertius superest laqueus auaritię atque ambitionis. Ostendit in monte posito omnia regna terrę in momento temporis. Bene in momento, quia diuturna esse nequeunt. Paululū expecta, & citō transeunt. Itaque qui sequuntur ea, in monte sibi esse videntur, sed non sunt perpetui, sicut habes scriptum, Vidi impium superexaltatum & eleuatum super cedros Libani, & transiui, & ecce non erat. Sed qui ea maximi facit, adorare videtur diabolū, cui deus venter est, & in pudendis gloria. Tu autem in Deo gloriā quaere, qui tibi ait, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli feruies, ā quo aeterna accipias, non temporalia. Tamen si quem etiam ista delectent, ab eo moderatius petantur, qui verus omnium fons est. Nam & ipsa peculiaria quę possidere sibi videtur diabolus, aliena sunt, sicut ipse dixit, Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam eorum, quia mihi tradita sunt. Ab eo ergo spera licet breuis vitę non sit longum viaticum requiring, tamen ab eo spera qui vniuersam creaturam condidit, qui diabolo ea ad tēpus tradidit: non vt possideat, sed vt teneat. Non enim poterat corona esse sine certamine. Probandi erant dubij, vt iusti coronarētur. Dedit itaq; diabolo ea, quia in his ipsis poena accipitur, si vti nesciat. Quid est enī thesaurus luxurioso, nisi sumptus luxurię? Vnde non luxuriosus, sed frugi probatur. Et ideo vtere quasi frugi iis quę tibi apponuntur, vt non cū manducas multum, odibilis fias. Vigilię enim & tormenta viro edaci. Et infrā, Si coactus fueris in edendo, surge & vome, & refrigerabit te, & nō adduces corpori tuo infirmitatem. Plurimos itaque gula sua occidit, nullum frugalitas: innumeris vina nocuerunt, nulli parsimonia. Plerique inter epulas sudere animas, & mentas proprio replevere sanguine. Aliis cruditas vocē simul rapuit & sensum: & si aliquibus cruditas noxia non fuit, his ruinam fecit ebrietas. Alios enim in crimē egit, alios et si non in crimē, ad egestatem redegit. Postremō audi quos Christus excludat. Cū intrauerit, inquit, paterfamilias, & clauerit ostiū, incipietis foris stare, & pulsare ostiū, dicentes, Aperi nobis: & respondens dicet, Nescio vos: vnde estis? recedite ā me operarij iniquitatis. Tunc incipietis dicere, Manducauimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicit vobis, Nescio vnde estis. Audisti quid de manducan-

tibus dixerit. Audi nunc quid de ieiunantibus dicat: Beati qui nunc efuriunt & sitiunt, quia saturabuntur. Et infrā, Vā vobis qui saturati estis, quoniam ebrietis. Sed vis manducare, vis bibere? Veni ad cōuiuuiū sapientię, quę inuitat omnes cum magna prædicatione, dicens, Venite, & edite panes meos, & bibite vinum quod miscui vobis. Delectant cantica quę epulantem demulceant? Audi hortantem, audi cantantem Ecclesiam, non solum in canticis, sed etiā in Canticis canticorum: Māduca te proximi mei, & bibite, & inebriamini fratres mei. Sed hæc ebrietas sobrios facit, hæc ebrietas gratię, nō temulentię est. Læritiā generat, nō tibutiā. Nec verearis ne in cōuiuuiū Ecclesię aut grati odores tibi, aut dulces cibi, aut diuersi potus, aut cōiuię nobiles desint, aut decentes ministri. Quid Christo nobilium, qui in cōuiuuiū Ecclesię & ministrat & ministratur? Istius cōiuiui recumbentis annecte te lateri, ac te Deo cōiuiuge. Nec fastidias mensam quam Christus elegit, dicens, Introiui in hortum meum soror mea sponsa, vindemiaui myrrham cum aromatibus meis, māducaui panem meū cum melle meo, & bibi vinum cum lacte meo. In hortō, hoc est, in paradiso est cōuiuuiū Ecclesię, vbi erat prius Adam quā peccatum committeret. Ibi recumbebat Eua priusquam culpam crearet & pareret. Ibi vindemiauis myrrham, hoc est, Christi sepulcrum, vt consepulcus cum illo per baptismum in mortem, quemadmodum ille surrexit ex mortuis, & tu relurgas. Ibi manducabis panem qui confirmat cor hominis. Mel gustabis, quo tuarum dulcescat carnis faucium. Vinum bibes cum lacte, hoc est, cum decore & sinceritate; siue quod pura simplicitas sit, siue quod immaculata gratia, quę in remissionem sumitur peccatorum, siue quod paruulos consolationis suę lacter vberibus, vt ablactati in deliciis, in plenitudinem perfectę ætatis adulescant. Succede ergo in hoc cōuiuuiū. An metuis ne angustiior domus & breuis cōiuiuij locus te comprimat? O Israel quā magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius! magnus, & non habet finem, altus & immēsus. Ibi fuerunt gigantes illi qui ab initio fuerunt statura magna, sciētes prælium. Non hos elegit Deus. Et meritō non elegit, quia prælium, nō pacem sciēbāt. Et ideo tu pacem discē, vt eligaris ā Deo. Sed ne fortē incomptam domus magnitudinem putes, & diuersoria te columnata delectent: Sapientia edificauit sibi domum, & sculpsit columnas septem. Ipse etiam Dominus Iesus multas mansiones apud patrem suum esse commemorat. In hac ergo domo epulaberis animę cibos, potusque mentis, vt postea non efurias, neque sitias vñquam. Qui enim māduca, manducat vñque ad satietatem: & qui bibit, vsque ad ebrietatem bibit. Sed hæc ebrietas pudicitię custos est. Illa vini ebrietas fomes libidinis, quo per carnes vaporantur interna viscera, animus ignescit, anima exurit. Sēuus criminum stimulus libido est, quę numquam manere quietum patitur affectum. Nocte feruet, die anhelat, de somno excitat, ā negotio abducit, ā ratione reuocat, aufert cōsiliū, amātes inquietat, lapsos inclinat, castis insidiatur, potiēdo inflamat, vsque accenditur. Nullus peccandi modus, & inexpugnabilis scelerum sitis, nisi

Luc. 6. *Ibid.* *Proverb. 9.* *Cant. 5.* *Ecli. 31.* *Rem. 6.* *Psal. 103.* *Proverb. 24.* *Esa. 28.* *Ephes. 4.* *Baruch. 3.* *Proverb. 3.* *Ioan. 14.* *Ioan. 6.* *Ephes. 5.*

morte amanti extingui non potest. Et ideo ait apostolus, Fugite fornicationem, vt veloci fuga tamquam furiose dominæ declinare scruitium, & tetro seruitio exire possimus. Nam quid de auaritia dicam, insatiabili pecunia cupiditate, & quadam aris libidine, quę quo plura abstulerit, eo magis inopem esse se credit? Omnibus inuida, sibi vilis, in summis diuitiis inops, affectu extenuat quod censu abundat. Nullus rapiendi modus, vbi nulla mensura cupiendi. Sic inflamat, sic igne suo pascit animum, vt hoc solo distet, quod dilla formarum adultera sit. ista terrarum. Elemēta concutit, mare sulcat, terram effodit, carum votis fatigat, nec sereno grata nec nubilo, condemnat proventus annuos, fecitq; terrarum arguit. Sed hæc ægritudo est animę, nō sanitas. Denique Ecclesiastes dicit, Est languor malus quem vidi sub sole, diuitias custodiri in malū possidentis eas. Et suprā, Qui diligit argentum, non satietur argento, & nec est finis acquisitionis eorum. Si queris thesauros, accipe inuisibiles & occultos, quos in celi altissimis, non quos in terrarum venis requiras. Esto pauper spiritu, & eris diues quicumque censu, quia non in abundantia diuitiarum vita est hominis, sed in virtute ac fide. Ista te diuitię verū diuitem facient, si sis in Deum diues. Quod virtus studio & laboribus paratur: Iacob exemplū, quo primatum adeptus est, adducitur: de Abraham, Moysē, & duobus fratribus mystica exponuntur. CAP. VI. Vdisti voluptatis mysteria, audisti etiam copiarum nostrarum munera, quas ego nō supplecti operiēdas, sed scripturę nudis sermonibus demonstrandas putavi, vt tua ipsa luce fulgerent, & vocem ex te sibi inuicem emitterent. Neq; enim sol & luna interprete indigent. Habēt interpretem fulgorem sui luminis, quo totus repletus orbis est. Illis illuminatio est fides sine indice, quādam, vt ita dicam, intestata testis, quę alieno nō indiget testimonio, & subito se vniuersorum oculis effundit. Non ergo nuntiantur opera nostra, sed clamant, & se ipsa nuntiant. Sanē vt & hoc quod laboriosum in nostris ducitur, non prætereā, fides exigitur, studium desideratur, facta quaruntur. His enim tribus Dominus Iesus deuotionis humanę officia definit, dicens, Petite, & dabitur vobis: querite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Et infrā, Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, similis est viro sapienti. Hæc qui studiosē fuerit prosecutus, primatus benedictionis accipiet, sicut patriarcha Iacob, qui continentia & fide humanarū supplantauit vestigia passionum. Iste ait, Misericordiam mei habuit Deus, & sunt mihi omnia. Hanc itaque misericordiam nos fide, studio, operib; que mereamur, quibus disciplinis inuenit Israel gratiam Dei, & per ipsam omnia. Non enim mundi huius copias, sed virtutum disciplinas sibi suppetere gaudebat. Hęc nobis substituamus hæredes, quas sanctus Abraham in Isaac filio suo substituit sibi, omnem operum suorum deputans hæreditatem sapienti & iusto viro, nec vllum ius hæreditarium ancillis vel ancillarum filiis derelinquens, sed tantummodo donationis munera. Perfectę enim virtutes totum accipiunt glorię patriomonium, vsuatis & medio cribus vile aliquid aspergitur. Et ideo Agar, quę aduena Latinē dicitur atq;

accola, & Cethura quę odorifera significatur, hæredes non sunt. Qui enim medijs vitur disciplinis, accola, non inhabitator est sapientię. Odore aspersus, non fructu expletur. Sanitatem autem cibis, non odor inuehit, quia odor fructuum nuntius est. Principales itaque disciplinas sequētibus, & indigenas accolis agnoscimus præferendas. Hoc secundum ingenium. At verō secundū mysterium, Abraham pater gentium, semini suo legitimo, quod est Christus, hæreditatem omnem fidei suę delulit, quia in hac terra velut aduena fuit, vt vitę huius odorem magis quā fructum referret. Hęc cū audit mens, auertit se ā voluptate, virtutiq; adiungit, veri decoris admirans gratiam, purum affectum, simplicē sententiā, mediocre vestem, (hoc est, non in persuasio- ne sermōnis, sed in ostensione spiritus, qualis est apostolicę forma sententię) amictum sapientię atque pietatis omni pretiosiore auro refulgentem, tū ehorum prudentię, temperantię, fortitudinis, ac iustitię suscipiens, quę fragrant odorem disciplinarum, incutientes reuerentiā, infundēt gratiam. Itaq; talibus mota, elegit studia virtutis, quibus Iacob vir plenus exercitationis mentem intendit suam. Et ideo ouis pastor inducitur, eo quod imperitare corpori & sensibus eius ac voluptatibus, vortique modū tenere, ne velut ouis vagetur incerta, præstantius æstimatur quā regere populos, vel præesse vrbibus. Difficilius enim quispiam se, quā alterum regit. Animum vincere, iracundiam cohibere, cōpugnantesque leges carnis & mentis in vnum cogere, immortalis cuiusdam est viri, quem inferni porta non cepit. Denique ipse sibi legislator vendicauit hoc munus, vt oues pasceret Iethro, qui dicitur superfluus, & ageret in desertum: eo quod irrationabilem & superfluū vulgarisq; sermonis loquacitatem in secreta quādam sobrię doctrinę cōegit mysteria. Ideoque Aegyptiis abominationi erāt pastores ouium. Omnes enim qui corporis dediti passionibus huiusmodi, & voluptatibus indulgent suis, disceptatorem verbi doctorēq; virtutis quadam execratione declinant. Et ideo per anigmata hæc docuit Moyses apta Deo esse sacrificia, quę refugit omnis incipiēs, hoc est, opera & præcepta virtutis. Ideoque pastor Abel, Cain autem operator terrę legitur, qui in fratre suo vir incipiens formam speciēmque virtutis expressam ferre non potuit. Et factum est, post dies obtulit Cain ex fructibus terrę sacrificiū Domino. Obtulit quoque Abel & ipse de primitiuis ouium suarum, & de apidibus earū. Et respexit Deus in Abel & in munera eius: in Cain verō & in sacrificia eius non respexit. Et contristatus est Cain valdē, & concidit vultus eius. Primus oblationis Cain defectus, quo mala eius oblatio conuincitur: & vnde ad illam Deus non respexit, exponitur: docet ex lege quomodo ritē vota Deo soluenda sint. CAP. VII. Et factum est, post dies obtulit Cain ex fructibus terrę sacrificiū Domino. Duplex culpa: vna quod post dies obtulit, altera quod non ex primis fructibus. Sacrificiū autem & celeritate cōmenda-

*1. Cor. 2.* *Prou. 16.* *Gen. 32.* *Gen. 30.* *Rom. 7.* *Exod. 3.* *Gen. 45.* *Gen. 44.*

Eccli. 5.

tur & gratia. Vnde præceptum est, Si voueris votum, non facias moram reddere illud. Melius est enim non vouere votum, quam vouere & non reddere. Cum enim moram facis, non reddis. Votum est autem postulatio bonorum à Deo cum soluendi muneris promissione. Et ideo cum impetraueris quod petisti, ingrati est tardare promissum. Sed interdum aut negligentibus irrepit obliuio impetratorum, aut tumidis & elatis, arrogare cunctis sibi, & bonum quod agit, vel quod à Deo consequitur, propriis virtutibus vendicare, nec auctoris reputare gratia, sed ipse se suorum bonorum auctorem ducere, hebetis & elati cordis est. Tertium genus est peccati quidem minoris, sed supparis arrogantia, eorum scilicet qui datorem bonorum Deum non negant, sed quæ acciderint, ea sibi propter prudentiam suam ceterarumque merita virtutum iure delata arbitratur. Propterea etiã diuina dignos habitos gratia, quod nequaquam viderentur indigni quibus talia diuinis beneficiis prouenirent. Ne quid ergo huiusmodi accidat, vnde votum tuum tibi in peccatum fiat, lex te informauit atq; instruxit, dicente Domino qui legem dedit, Attende tibi ne obliuiscaris Domini Dei tui, vt non custodias mandata & iudicia & iustitias illius quæ ego præcipio tibi hodie, ne cum madducaueris, & repletus fueris, & cum domos bonas ædificaueris, & habitare cæperis in eis, & oues tuæ & boues tui cum repleti fuerint, & cum ære, argenteo & auro completus fueris, & omnia possidere cæperis, & plena fuerint horrea tua, exaltes cor tuum, & obliuiscaris Dominum Deum tuum. Tunc autem obliuisceris Dominum, cum oblitus fueris tui. Si autem cognoscas infirmum te esse, cognoscas Deum esse super omnia, & immemor esse non poteris vt ei reuerentiam debitam soluas. Disce nunc quæ admodum vnusquisq; moncatur, ne se ipse auctore suorum putet bonorum. Ne dicas, inquit, in corde tuo, Virtus mea & potentia mea fecit mihi virtutem hanc magnam: sed in mente tua habebis Dominum Deum tuum, quoniam ipse dat vires vt facias virtutes. Vnde bene Apostolus quasi legis interpretis non gloriabatur in virtute sua, sed minimum Apostolorum se esse dicebat, & quidquid esset, gratia diuinæ esse, non meriti sui, nihilq; nos habere quod non acceperimus: Quid enim, inquit, habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Didicisti ergo humilitatem magis sequi quam arrogatiam, sedulitatem affectare quam potestatem. Accepisti salutaria præcepta, noli negligere vtilia instrumenta medicina, quibus fibra operans letalis vulneris excutatur. Ille quoq; qui se iustificat, ne infletur cordis sui tumore, & ipse accepit salubre mandatum, in huiusmodi sententiam resultantem oraculo: Ne dicas in corde tuo cum cõsumere cæperit Dominus Deus tuus gentes illas à conspectu tuo, dicens, Propter iustitiam meam induxit me Dominus possidere terram istam: sed propter iniquitates gentium istarum extirpabit illos Dominus à facie tua. Non propter iustitiam tuam, non propter bonitatem tuam, nec propter æquitatem cordis tui intras possidere terram istam: sed propter iniquitatem gentium disperdet eos Dominus à conspectu tuo, vt restituat testamentum quod iurauit patribus

Deut. 23, Deut. 8.

Ibid.

1. Cor. 15, 1. Cor. 4.

Deut. 9.

vestris. Testamentum perfectum Dei gratia est. Nihil enim imperfectum dat Deus, perfectam autem virtus est, & opera virtutis. Testamentum autem dicitur quo defertur bonorum hæreditas. Merito & testamentum dicitur, & diuinum, cum ea quæ verè bona sunt, attestatiōe mandatorum cælestium cõferuntur. Et testamentum dicitur, quoniam sanguine dedicatum est: vetus in typo, nouum in veritate. Quo testamento diuinæ gratiæ pignus tenemus, quia sic dilexit Deus hunc mundum, vt vnigenitum filium suum pro nobis omnibus daret. Vnde perfectiōnem gratiæ prædicans Apostolus ait, Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?

Deut. 32.

Hebr. 9, Ioh. 3.

Rem. 8.

Abrahe, Zacchæi, & diuina testimonio scripturæ monet nos vt citò & sine mora Deo vota nostra soluamus.

CAP. VIII.

PRIMA igitur voti gratia, est celeritas solutionis. Namque Abraham filium suum ad holocaustum iussus offerre, non post dies vt Cain obrulit, sed exurgens mane strauit asinam suam, & adhibuit secum duos pueros, & Isaac filium suum, & concidit ligna ad holocaustum, surgens abiit, & venit ad locum quem dixerat ei Deus, die tertia. Primò aduerte immolaturi studium maturum atq; festinum, vt mora expectatiōnis non esset, nisi donec audiretur oraculum. Deinde vt sterneret asinam suam, obsequium omne ipse susciperet, & sacrificio necessaria præpararet, duabus quoq; fide & spe virtutibus comitantibus hostiam suam duceret: de potestate Dei certus, & de bonitate securus. Quod autem ait, Die tertia, vel quod cõtinaua esse debeat & perpetua deuotio. (Triperitum est enim tempus: præteritum, præsens, & futurum. Quo admonemur quod nec præteritorum beneficiorum Dei vel præsentium vel futurorum irrepere debet vlla obliuio, sed tenax gratiæ memoria perseuerare, & obedientia non deesse: ) vel quia is qui sacrificat, in vnum splendorem, in vnam lucem debeat credere Trinitatis. Ei enim qui fideliter sacrificat, dies lucet, nox nulla est. Sic & in Exodo Moyses ait, Viam trium dierum ibimus, & immolabimus Domino Deo nostro. Sed etiam alibi cum visus esset Deus Abraham ad ilicem Mambre, Respicens, inquit, Abraham oculis suis vidit, & ecce tres viri stabant super eum. Et videns, occurrit obuiam illis ad ostium tabernaculi sui, & adorauit super terram, & dixit, Domine si inueni gratiam ante te. Tres vidit, vnum adorat. Tres mensuras offert similaginis. Nam etsi immensus Deus, tamen mensuram omnium tenet, sicut scriptum est, Quis mensus est manu aqua, & cælum palmo, & vniuersam terram clausa manu? Perfecta igitur in personis singulis trinitati, interiore mentis arcano, hoc est, similaginis spiritalis sanctus patriarcha sacrificium offerebat. Hęc est similitudo quam in Euangelio molit mulier illa quæ assumetur. Vna enim, inquit, assumetur, altera relinquetur. Assumetur Ecclesia, relinquetur synagoga. Vel mēs bona assumitur, improba derelinquitur. Vt scias autem quia & Abraham in Christum credit: Abraham, inquit, diem meum vidit, & gauisus est. Et qui credit in Christum, credit & in patrem. Et qui perfectè credit in patrem, credit in filium & spiritum sanctum. Tres ergo mensura, vna similitudo

Gen. 22.

Ibid. 5, Eccl. 12.

Ibid.

Gen. 27.

Psal. 148.

Ioh. 5, Coloss. 1.

Coloss. 3, Hebr. 4, Num. 11.

Ioh. 14, Exod. 17, Ioh. 1.

Ibid. Matth. 18.

Ibid.

Esai. 40.

Matth. 14.

Ioh. 8.

hoc

Gen. 18.

Sep. 16, Luc. 19.

Ibid.

Ibid. 5, Eccl. 12.

Gen. 27.

Psal. 148.

Ioh. 5, Coloss. 1.

Coloss. 3, Hebr. 4, Num. 11.

Ioh. 14, Exod. 17, Ioh. 1.

Ibid. Matth. 18.

Coloss. 3.

hoc est, vnum erat sacrificium quod venerabili Trinitati pari quadam mensura deuotionis & cõgrua plenitudine pietatis oblatum est. Adhuc cognosce celeris studia deuotionis. Cucurrit, inquit, & accepit vitulum vnum tenerum & bonum, & dedit puero, & festinauit facere eum. Vbiq; impigra deuotio, & ideo Deo fuit munus eius acceptum. Habes & alibi, vt solis ortum oratione præuenias: Occurre, inquit, ad solis ortum. Habes in Euangelio dicentem Dominum Iesum, Zacchæe festinans descende. Et ille quia impetrauerat quod volebat, vt Christum videret, & amplius impetrauerat vt videretur & vocaretur à Christo, festinans descendit, & excepit illum gaudens. Et ideo probauit Dominus eius affectum, & cum celeri remuneratione donauit, dicens, Quia hodie salus domui huic facta est. Festinauit enim & Dominus ad beneficium, & non expectauit vt promitteret & postea impleteret, sed antè fecit, postea declarauit. Dixit enim, Facta est salus: quod vtique præuenientis fuit, non promittentis. Iustus ergo votum suum celeritate commendat. Et ideo patres nostri festinantes manducabant pascha succincti lumbos tamquam corporeum onus deponentes, & pedes suos calcamentorum induti vinculis, & baculos in manibus tenentes, vt essent parati ad transitum. Pascha enim Domini transitus est à passionibus ad exercitia virtutis. Et ideo pascha Domini dicitur, quoniam & tunc in typo illo agni, veritas Domini cæ passionis annuntiabatur, & nunc eius celebratur gratia. Citò ergo hoc quære anima, vt citò etiã audias, sicut audiuit & Iacob: Quid est hoc quod tam citò inuenisti filii? Et ille secundum dogma respondit, Quod tradidit Dominus Deus tuus in manus meas. Citò dat Deus: quia dixit, & facta sunt: madauit, & creata sunt. Verbum enim Dei non sicut quoddam opus est, sed est operans, sicut habes scriptum, Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Præuenit omnia. Est enim ante omnia sicut pater, & in omnibus sicut idè pater: penetras omnia. Validum enim & acutum, & omni gladio acutius est, penetras vsq; ad diuisionem animæ & spiritus, artuumque & medullarum. Præueniens omnium cogitationes, de quo ait pater Deus, Iam videbis si comprehendet te verbum meum, an non. Vbi enim Deus, & verbum est, sicut dixit, Veniemus, & mansionem apud Ego steti hic priusquam tu: ita & verbu dicit, Priusquam stares sub arbore fici, vidi te. Et de ipso dictu est verbo, hoc est, filio Dei: Medius autem vestrum stetit quem vos nescitis. Vbiq; enim sancti, tibi in coru medio Dei verbum, in singulorum præcordiis complens maria & terras. Et cum hic est, etiam alibi est, non mutato loco, sed repleto vbiq; sui præsentia. Vbiq; enim est qui est per omnia, & in omnibus nullum locum immunem sui relinquens. Et vbi adest, erat: & vbi erat, adest. Et ideo qui nouit velox esse verbum Dei, citò petit, & citò impetrat.

Inchoatum prosequitur sermonem, redarguit Pharaonem de obediuntis procrastinatione, & quomodo offerenda Deo sit oratio vt ei placeat.

CAP. IX.

AT verò Pharaon qui opinionibus vanis & inanibus studium impendebat suu (ranis repleta

Ægypto, sonum inanem rerum & strepitum vanum reddentibus) dicens Moysi: Constitue mihi quando pro te orem, & pro famulis tuis, & pro populo tuo, vt exterminet Dominus ranas: cum debuerit in tanta positus necessitate rogare vt iam oraret nec differret, respondit: Crastina die, otiosus & negligens, moræ pœnam Ægypti soluturus excidio. Itaq; iste vbi impetrabat, immemor fiebat gratiæ, & exaltatus mēte carnis suæ obliuiscatur Deu. Humilitas autem commendat orationem. Siquidem & Phariseus ille reprehensus est, qui ieiunia sua velut beneficia enumerabat, & tamquam obiectabat Deo, & se criminum memorabat exortem. Publicanus autem prædicatus est, qui à longè stans nolabat oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens, Domine Deus propitiare mihi peccatori. Et ideo diuina eum sententia prætulit, dicens, Quia descendit hic iustificatus magis quam Phariseus. Ille enim iustificatur qui peccatum proprium confitetur, sicut locutus est ipse Dominus, Dic iniquitates tuas vt iustificeris. Et David ait, Sacrificiu Deo, spiritus contribulatus. Et iterum, Cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Hieremias quoq; ait, Anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te. Ergo & Pharaon, & rex Assyrius qui dicebat, Quis decorum gentium istarum liberabit terram suam de manu mea? quomodo liberabit Dominus Hierusalem de manu mea? exaltatione sua deieci sunt. Iustus autem, sicut Iacob, ad auctorem Deum refert quæcumque fuerit bona consecutus, dicens de omnibus quæ sibi prosperari cognouit: Quoniam tradidit ea Dominus Deus in manus meas. Hęc igitur melior votorum solutio est, sicut & David ait, Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Laudare Deum, commendare est votum, & soluere. Vnde & Samaritanus ille aliis antefertur, qui cum leprosis aliis nouem secundum præceptu Domini mūdatus à lepra, solus regressus ad Christum, magnificabat Deum, & agebat gratias. De quo Iesus ait, Non fuit ex illis qui rediret, & gratias ageret Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi, Surge, & vade; quia fides tua te saluum fecit. Est etiam illa cõmendanda orationis & voti disciplina, vt non diuulgemus orationem, sed abscondita teneamus mysteria, sicut tenuit Abraham, qui sub cineribus fecit. Tenuerunt & patres qui coxere cõspersum quod extulerat de Ægypto, sub cineribus facientes azyrna, quæ Græcè ἄσπερσιν dicuntur, eo quod abscondantur in cinere, significantes per fermentum illud quod abscondit mulier illa euangelica in farina: mensuris tribus donec fermentaretur totum, mysterioru quoque premendam esse doctrinam. Quod apertius Dominus in Euangelio docuit, dicens, Tu autem cum orabis, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio patrem tuum ora in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Orantes autem nolite multum loqui. Et infra, Scit enim pater vester quid vobis opus sit antequam petatis ab eo. Cubiculum tuum, mentis arcanum, animiq; secretum est. In hoc cubiculum tuum intra, hoc est, egredere de corporis tui exteriori vestibulo, & rotus intra in alta præcordia cordis tui, & claude ostium tuum. Quid sit ostium tuum, discite: Pone Domine custodiam ori

Exod. 8.

Colos. 2.

Luc. 18.

Ibid. Ibid.

Esai. 45, Psal. 50.

Ibid. Baruch 3.

Exod. 5.

4. Reg. 18, Exod. 14.

4. Reg. 19, Gen. 27.

Psal. 49.

Luc. 17.

Ibid.

Gen. 18, Exod. 12.

Luc. 13.

Matth. 6.

Ibid.

Psal. 140.



meo, & ostium circuitus labiis meis. Et Paulus petit orari pro se: Vt aperiat mihi, inquit, ostium verbi, ad loquendum mysterium Christi. Sed ille, utpote electus ad Euangelij prædicationem, rectè sibi ostium verbi optabat aperiri, quia de ore eius exibat salus gentium, de ore eius prodibat vita populorum. Nos autem claudamus ostium ne culpa intret, ne lapsus aliquis sermonis exeat. Intrat culpa, si lapsus exierit. Audi quomodo intret culpa. Ex multiloquio, inquit, non effugies peccatum. Exiuit multiloquium, peccatum intrauit, quia in multiloquio nequaquam qui exit sermo trutinatur, imprudenter labitur, licet ipsum ultra mensuram aliquid loqui grande peccatum sit. Et ideo caue ne imprudenter loquaris. Labia enim imprudentis inducunt cum ad mala. Caue ne in oratione te extollas. Oratio enim humiliantis se nubes penetravit. Caue ne incautè Symboli vel Dominicæ orationis divulges mysteria. An nescis quàm graue sit in oratione cõtrahere peccatum, ubi speras remedium? Certè Dominus per prophetam docuit hoc graue esse maledictum, dicens, Et oratio eius fiat in peccatũ. Nisi fortè medicre id tibi putas esse. Diffidere est enim de potètia Dei, æstimare quòd non audiaris, nisi clamaueris. Clamèt operatua, clamet fides, clamet affectus, clamet passiones tuæ, clamet sanguis tuus, sicut sancti Abel, de quo dixit Deus ad Cain, Vox sanguinis fratris tui ad me clamat. Audit enim in occultis, qui mûdat in occultis. Nos nisi loquentem aliquem audire non possumus: apud Deum loquuntur non verba, sed cogitationes. Et vt hoc verum scias, dicebat Dominus Iesus ad Iudæos, Quid cogitatis mala in cordibus vestris. Non interrogantis vox ista est, sed scientis. Quod tibi manifestat Euangelista, dicens, Iesus autem sciebat cogitationes eorũ. Sicut ergo filius nouit, nouit & pater. Filium nosse cognouisti, patrem nosse, audi consiliarium & testem patris dicentem, Scit enim pater vester quid vobis opus sit, antequam petatis ab eo. Coque ergo subcinericiã tuam vapore Spiritus sancti: coque etiam animi passiones verbi calore. Et si crudiores sunt passiones tuæ, nuper fortasse de Ægypto egredientes, operito eas, & lento calore excoque, ne fortiolem ignem dum ferre non possunt, semiustulentur potius quàm coquantur. Sunt enim plurima quæ cruda displiceant, cocta delectent. Foue igitur pectore tuo alta mysteria, ne præmature sermone & infidis auribus vel infirmis quasi incocta cõmittas, atque auditor auerratur & cum horrore fastidiat: qui si coctiora gustaret, spiritalis cibi perciperet suauitatem. Diuinè autem Dominus Iesus & bonitatem te docuit patris, qui bona nouerit dare, vt quæ bona sũt, à bono possas: M & impèsè & frequenter monuit orandum, non vt fastidiosa continetur oratio, sed vt assidua frequenter effundatur. Plurimum enim inanis gloria lógæ precatiori, intermissæ autem profus obrepit incuria. Deinde monet vt cum ipse veniam tibi possis, tum maximè largiendam: aliis noueris, quòd precem tuam operis tui vocè commendes. Apostolus quoque docet oradũ sine ira & disceptatione, vt nõ turbetur, non interpoletur oratio tua. Docet etiam orandum in omni loco, cum Saluator dicat, Intra in cubiculum tuum. Sed intellige cubiculum non in-

clusum parietibus, quòd tua membra claudantur, sed cubiculum quod in te est, in quo includuntur cogitationes tuæ, in quo versatur sensus tui. Hoc orationis tuæ cubiculum ubiq; tecum est, & ubiq; secretũ est, cuius arbiter nullus est nisi solus Deus. Orandum autem præcipuè & pro populo doceris, hoc est, pro toto corpore, pro membris omnibus matris tuæ: in quo mutua charitatis est insigne. Si enim pro te roges tantum, solus pro te rogabis. Et si pro se tantum singuli orent, minor precatoris est gratia. Nunc autem quia singuli orant pro omnibus, etiam omnes orant pro singulis. Ergo vt concludamus, si pro te roges tantum, solus, vt diximus, pro te rogabis. Si autem pro omnibus roges, omnes pro te rogabunt. Siquidem & tu in omnibus es. Ita magna remuneratio est, vt orationibus singulorum acquirantur singulis totius plebis suffragia. In quo arrogãtia nulla, sed humilitas maior est, & fructus vberior.

*Aliter oblationis Cain defectus explicatur, cum descriptione eorum quæ Domino offerenda sunt: exponitur mysticè primitiuorum oblatio. C.A.P. X.*

**S**ed iam tempus est aliò transire, quoniam de seo quod post dies obtulit Cain, plenè diximus. Factus est indicium respicini, cum ipsa postulatio voti matura esse debeat, ne videamur de humanis artibus, hoc est, medendi peritia, herbarumque succis sperasse magis remedium, quàm de Deo subsidium poposcisse. Ad ipsum enim prius est confugiendum, qui nostræ curare possit animæ passiones. Verum homines quidam præpostero ordine antè sibi ab hominibus opem arcessunt: ubi autem humana subsidia defecerint, tunc opinantur diuini postulandã fauoris gratiam. Coneluso ergo illo & conuictò Cain crimine, aliud oblationis vitium discutiamus. *Obtulit* (inquit) *ex fructibus terræ*, non à primis fructibus, primitias Deo. Hoc est primitias sibi prius vèdicare, Deo autem sequentia deferre. Itaque cum verè anima corpori tamquam seruo domina sit præferenda: vtique primitias eius, hoc est, animæ prius quàm corporis offerre debemus. Primitiæ animæ, primatus sunt bonarũ disciplinarũ. Quæ licet tempore posteriores sint, quàm corporis primitiæ, quæ sunt esca, incrementum, visus, auditus, & tactus, odor, vox (mens autem & sensus pars animæ) pars corporis est: tamen priores sunt disciplinis. Quarum primitiua est, puro corde & simplici sermone oblata Deo gratiarum actio. Hæc munera obtulit Abel, & ideo respexit Deus in munera eius, quoniam à primitiis obtulit. Accedit ergo quia de primitiis ouiuũ, & de adipibus earum: considera quia non de insensibilibus, sed de animantibus obtulit. Plus est enim animalis quàm terrenus, siquidè animalis proximus spiritali est. Nõ enim prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. Quod animale, spirat, habet vitalem spiritum: non ita quod de terrarum est fructibus. Deinde obtulit non secundam, sed primam: nõ exigua, sed pinguis, qualia lex probauit, & iussit offerri, sicut scriptum est: Et erit, inquit, cum inducet te Deus in terram Chanaanorũ, sicut iurauit patribus tuis, & dabit tibi, tolles omne quod aperit vuluam masculinum Domino. Omne quod aperit vuluam de armentis & peceribus tuis, quæ-

*psal. 43. 1. Tim. 2.*

*1. Cor. 12.*

*Hebr. 6.*

*Exod. 13.*

*Hebr. 6. psalm. 109.*

*Hebr. 6.*

*Exod. 34.*

*1. Cor. 15.*

*Exod. 13.*

quæcumque nata fuerint tibi masculina, sanctifica Domino. Omne quod aperit vuluam asinæ, mutabis illud oue: si autem non mutabis, redimes illud. Quid tam profundi mysterii, tam altæ secretæque sapientiæ, quàm vt in venis quibusdam verborum simplicium deprehendas atque haurias vbertatem gratiæ spiritalis? Chananæi etenim mobiles & inquieti sunt. Cum igitur in eorum terram fueris ingressus, quos aduertis propter leuitatè, inquietudinem, & instabilitatè morum, possessione deiectos, tu teneto constantiã. Non te vilis ratio, non leuis sermo perturbet. Hoc est enim Chananæus, mobilis sermo, affectus instabilis, & inquieta cõtentio. Sed magis tranquillitatè cordis, & animi serenitatem placidis seruato, vt tãquam in salo tutã nauibus stationè portu quodã tuæ mentis exhibeas. Hæc possessionè tibi Dominus pollicetur, & quodã sacramenti promittit vinculo, vt constantiam tuam firmet. Neq; enim ideo Deo iurat, quòd fide credètis indigeat, aut testimoniorũ ad stipulationibus destitutus, suffragiũ sacramenti requirat, sicut homines qui fidè nobis ad seiscimus sacramento, & ideo iuramus vt credamur vera dixisse. Deus autem & cum loquitur fidelis est, cuius sermo sacramentũ est. Nõ enim propter sacramentũ fidelis Deus, sed propter Deũ etiã sacramentũ fidele est. Qua ratione igitur Moyse iurantè Deũ inducit: Quia nos vsu quodã mortaliũ claudimur, & velut echini cortice quodã nos vulgaris opinionis inuoluimus, aut velut cochleæ quæ nisi intra testæ operimentũ sint, spirare nõ possunt, nec a ærem liberũ carpere aut sustinere: sic nos non nisi intra quẽdã humanæ consuetudinis latibula terrena versamur. Vnde quia illud verius solemus credere, quod iure iurãdo firmatur: ne nostra claudicet fides, iurare describitur Deus. Qui ipse nõ iurat, sed iurantiũ iudex, & vltor est periurantiũ. Deniq; scriptum est, Iurauit Dominus, & nõ poenitebit eũ, tu es sacerdos in æternũ. Seruauit vtiq; quod iurauit, dedit nobis æternũ principè sacerdotũ: vt & tu quod iuraueris, ita noueris esse seruandũ, vt quia per eũ iuras qui non mentitur, scias cum futurũ, si mētiaris, vltorem. Expulsis igitur inquietis & mobilibus cogitationibus, dabit tibi Deus vacuã possessionè cordis & mētis, vt eam cultu quodam tràquillitatis exerccas, & fructum ex ea capias, nec sustineas in ea Chananæos, hoc est, turbidos sensus recurrere, eradices gentiliũ vitiorũ omne consèptũ, lucos eorum diruas quibus obubratur veritas, & quidam cælestis liber visus cogitationis, horrore tenebrose disceptationis absconditur. Sed hoc nisi diuino donatus munere efficere nõ po-

tes. ideo ait, Dabit tibi Deus, hoc est, cogitationes optimas, placida cõsilia, tràquillas inuètionem. Cum dederit hæc, tolles omne quod aperit vuluã masculinũ, & sanctificabis Domino. Non totum exigit à te Deus, qui totũ donauit. Multa enim ad vsũ substantiæ largitur humanæ, & hoc nõ potest esse diuinũ sacrificiũ ubi est vsus naturæ. Edere, bibere, dormire, aliq; etiã ministeria corporis dono sunt tibi collata, nõ à te relata Deo munera. Quidquid autem sanctũ cogitaueris, hoc Dei munus est, Dei inspiratio; Dei gratia: sicut econtrario illa quæ cum in vsu naturæ humanæ sint, non coinquinant hominem, sed quod exit de ore, furta, falsa testimonia, sacrilegia, hæc sũt quæ coinquinant hominem. Interiora ergo nostra mundemus, vt possit oblatio nõ displicere. Ibi quaramus omne quod aperit vuluam masculinũ, hoc est, iustum & principale, quod sanctificare Domino debeamus. Neque enim humor corporei coitus, conceptus partũq; sanctificant, quibus vulua scemina deflorato pudore virginitatis aperitur. Nam etsi mulier sanctificat virum, & vir mulierem, tam è plerumque contingit, virginis vuluam etiã sine cõiugij sanctitate referari. Neq; rursus sola virilis est gratia, mulier autem sanctificationis aliena est; aut vtriusq; sexus confusa natura est, vt vterque corporeos fundatur in partus. Habent sua munia viri, habent mulieres sexus sui officia discreta. Generatio ista successione humanæ mulierem decet, impossibilis eadem viro. Ergo si carnis vsui non quadrat hic sensus, officia animæ discutiamus, istam sanè inuenio quæ nullo discreta sit sexu: & cum sexum non habeat, vtriusque sexus munera repræsentat, nubis, concipit, parit. Et sicut scemina dedit vuluam naturam, in qua vniuisciuq; animantis generatio per menstruas formatur ætates; ita est quædam virtus animæ, quæ velut quodam vuluæ genitalis secreto cogitationum nostrarum suscipere scemina, cõceptus fouere, partus solet edere. Neque enim aliter diceret Esaias: In vtero accepimus & parturiimus spiritum salutis: nisi vuluam animæ nouisset. Harum generationum quædam scemina sunt, malitia, petulantia, luxuries, intemperantia, impudicitia, aliæque huiusmodi vitia, quibus animi nostri quædam eneruatur virilitas. Masculinæ sunt castitas, patientia, prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia, quibus mens nostra & caro ipsa firmatur, & ad obeũda impigrè munia virtutis erigitur. Hos partus alius ille propheticus parturiuit. Et ideo ait, In vtero accepimus & parturiimus spiritum salutis. Masculinum igitur & parturiuit & peperit, qui spiritum salutis effudit.

*Exod. 13. Ibid.*

*Matth. 15. 2. Cor. 7.*

*1. Cor. 7.*

*Esai. 26.*

*Ibid.*

S. AMBROSII DE ABEL ET CAIN LIBRI PRIMI FINIS.

Summarium Libri secundi de Abel & Cain.

*A cap. I. vsque ad cap. V. agit de rebus Deo offerendis, & modo; & continuat inchoatum in priori libro sermonem.*

*A cap. VI. vsque ad libri finem tractat de culpa & pena ipsius Cain.*

Capita Libri.

*Coniungit dicta dicendis: & quòd animæ potiora Deo sunt offerenda: & quædam mystica ad hominum instructiones aptantur.*

*Quæ sit vis primitiarum, & utrum tempore æstimentur primitiæ in sanctitate: & quòd ante omnia fides nos debeat commendare Deo: quòdque ipsa cum operibus perfectis plenum & perfectum sit sacrificium, sicut & ipse Dominus docet, & verba legis significant.* **Cap. II.**

*Auctoritate scripturæ confirmat dicta, & agit de mysteriis in lege recognoscendis ex verbis Domini in Evangelio laborantes ad se vocantis: quomodo etiam inquinamenta delictorum nostrorum lauare, & quo pretio crimina nostra redimere debeamus: de redemptoris quoque nostri per Leuitem significati in nos misericordia, cum morali & edificatiua affectus instructione.* **Cap. III.**

*Qua ratione Moyses primogenitos & redemptores cæterorum Leuitas appellauerit: cur non sit absurdum quòd facinorosi cohabitent piis de duobus in Deo generibus virtutum, vno quo remittit, alio quo vindicat: quòdque semper egressus malitiæ virtutis operetur ingressum, sicut & ingressus malitiæ virtutem excludit, ut euangelicæ veritatis exempla comprobant.* **Cap. IIII.**

*De apidibus & pinguedine sacrificiorum & hostiarum.* **Cap. V.**

*Quid sibi velit quòd Dominus ait, Si rectè offeras, non rectè autem diuidas, peccasti: quiesce, & de quattuor generibus quibus sacrificia commendabantur, quorum si aliquid desit, sacrificium nõ probatur; cum pulcherrima istorum morali interpretatione.* **Cap. VI.**

*Quòd quia Cain ordinem diuisionis non seruauit, dictum sit ei, Peccasti, quiesce: & quemadmodum Deus omnia docuerit, & quid moraliter illud significet.* **Cap. VII.**

*Quomodo Cain admonitus ut quiesceret, auxerit insolentiam, & flagitium acerbauerit: & quid sibi velit quòd ait, Eamus in campum.* **Cap. VIII.**

*Qua ratione interrogauerit Deus Cain ubi esset frater suus, & de ipsius redargutione atque condemnatione, cum morali intellectus explanatione.* **Cap. IX.**

*Qua de causa dixerit Deus: Omnis qui occiderit Cain, septies vindictam exoluet: & qua ratione signum super eum positum fuerit ne occideretur; cum morali interpretatione atque instructione.* **Cap. X.**

**SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS DE ABEL ET CAIN  
LIBER SECVNDVS.**

*Coniungit dicta dicendis: & quòd anima potiora Deo sunt offerenda: & quaedam mystica ad hominum instructiones aptantur.* **CAPVT I.**

Isai. 66.

**H**os partus anima nostra parturiat, nec solum parturiat, secundum quod legitur, sed etiam pariat, & diebus pariat impletis, ne immaturos partus dies iudicij deprehendat. De his enim partibus dixit Dominus Iesus, Vt prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Maturius igitur absoluat hic partus, & cogitationes nostræ bonorum operum processibus explicentur, ut nihil imperfectum finis noster inueniat, nihil inexplicatum terminus vitæ nostræ offendat, nihil tamquam in incude positum vsus nostri operis derelinquat. Festina igitur anima formare partus tuos, properantius absolueret, celerius quos genueris enutrire. Quæ tanti forma sit partus, demonstrat Apostolus dicens, Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. In hac formam tota mentis nostræ coalescant viscera, & in illo genitili aluo animæ nostræ Christus refulgeat. Partus noster fides sit, nutrimenta nostra præcepta doctrinæ sint. His quædam cordis nostri imbuatur infantia, instituat pueritia, iuuenescat adole-

Luc. 21.

Galat. 4.

scientia, senectæ canescat. Ætas enim senectutis vita est immaculata. Itaque ea demum bona est animæ senectus, quam nulla perfidiæ inquinamenta maculauerint. Et ideo partus suos ab hac macula Paulus defedit: Ego vos, inquit, genui in Euangelio, ne cuius scæua insulurratio rudis fidei tentaret infantiam. Masculina igitur generabat, qui in virum perfectum populos quos docebat, fidei gestiebat vnitatem concurrere, & in agnitione filij Dei perfectam plenitudinis Christi tenere mensuram. Hoc enim sacrificium acceptabile Deo nouerat, de quo scriptum est, Separabis omne quod aperit vuluam masculinam, Domino. Et quia addidit, Omne quod aperit vuluam armentis & de pecoribus quæ sunt tibi, masculinum sanctifica Domino: ne quid obscuritatis habeat, consideremus. Dixerat de principalibus generationibus, hoc est, plenis capacibusque; rationis: addidit & de gregalibus, hoc est, reliquis velut plebeiis sensibus, qui irrationabilibus comparantur iumentis. Quæ tamè cum à rectore aliquo gubernantur, facillè mansuescunt, & imperata exequi, & iugum subire, & ad vocem magistris accelerare gradum aut sistere, aut desistere, aut aliqua munia sui operis quæ iubentur, humano quodam famulatu obire consueuerunt. Tantum valet institutio, ut vincat naturam.

Itaque

Sapient. 4.

1. cor. 4.

Ephes. 4.

Exod. 15.

Ibid.

Rom. 7.

Deut. 33.  
Exod. 22.

Matth. 3.

Deut. 8.  
Luc. 4.

Itaque illa quæ confortium nostræ substantiæ non habent, agnoscunt tamen nostræ vocis imperium: & cum suæ naturæ nullam rationem habeant, nostræ naturæ rationem capeffunt, & quodammodo transfusam acquirunt. Equos videmus popularibus incitari studiis, gaudere plausibus, blanditiis delectari magistris. Toruos leones cernimus naturalem feritatem imperata mutare mansuetudine, suam rabiem deponere, nostros mores sumere. Et cum sint ipsi terribiles, discunt timere. Cæditur canis ut pauescat leo: & qui sua iniuria exasperatur, coercetur aliena, alteriûque exemplo frangitur. Quoties parata præda & cibo obuio famem perperit malunt, dum offensam magistris verentur? Quoties repentino impulsu motu, aperta ad morsus ora iussi resoluunt? Ita dum nostræ voluntati obsequuntur, suæ obliuiscuntur. Non ita illæ feræ, vel illa armenta equorum, vel genus omne pecudum quæ sine rectore vagantur villo, & omni domitoris gubernaculo destituta exasperantur. Et ideo appositi sunt armentarij, opiliones, ceterique pastores, magistris quodammodo gregum, officia sua singulis animantium sibi commissorum pro conditione formantes. Videtur ergo & sensuum nostrorum quoddam genus aliud domitum & mansuetum, aliud indomitum, quod armentario quodam motu mentis velut deside atque resolutio prouat ad irrationabiles delectationes corporis: mansuetum autem quod velut duci cuidam moderationi mentis se subiicit & subdat. Quæcumque ergo eius naturæ reguntur, ea sunt masculina atque perfecta: quæcumque autem sine duce villo plebeia præsumptione quadam dominantur, velut ciuitatis alicuius, quæ regis optimatumque consilio priuata sit, ita corporis sui omnem statum & virilem vigorem muliebri quadam dissolutione effœminant. Ex his illa lex carnis est, quæ legem apostolicam mentis impugnans, captiuam trahebat eam quadam lege peccati. Et ideo ut de illo mortis corpore liberaretur, spem suam Paulus omnem nõ in sua virtute, sed in Christi gratia reponebat. Vnde liquet, quòd hæc commotiones quæ secundum legem mentis sunt, diuino fauore procedunt, alij autem sensus ex voluptate corporea. Illa igitur quæ sancta sunt, primitiua sunt nostrorum sensuum: ista velut de quodam grege sunt, & vilitate plebeia: quod variis videtur Moyse nominibus significasse Iudæis. Hoc enim declarat etiam illa area legis mystica, de qua ait, Initia area tuæ & lacus tui non nouissima facies. Primitiua filiorum tuorum dabis mihi. Sanctæ commotiones sensuum nostrorum, quæ secundum virtutes sunt, ipsæ sunt primitiæ areæ spiritualis: propterea etiam rurali area comparantur, in qua ventilantur frumenta. Sicut enim in hac rurali area excutitur triticum atque hordeum, & dum sæpius ventilatur, separatur à paleis, quia palcæ ceteraque purgamenta messis in diuersum leuis auræ spiramine dissipantur, illa verò quæ solidiora sunt, in locum eundem excusso puluere relabuntur: ita cogitationum nostrarum quæ sunt solidæ atque optimæ, puram atque sinceram exhibent virtutis alimoniam, sicut scriptum est, Quia non in solo pane viuunt homo, sed in omniverbo Dei: quæ autem inutiles sunt & vacuæ, disperguntur ut fumus ac nebula: quia si-

cut fumus oculis, sic iniquitas vtentibus. Et rectè fumo iniquitas comparatur, quæ velut quadam saculari caligine aciem mentis obducit. Et ideo Dominus dicit, Cum intraueritis in terram in quam induco vos, & cum manducare cœperitis de panibus terræ illius, offeretis oblationem separatam Domino, primitias consperfusionis vestræ, panem sicut oblationem de area, sic offeretis primitias consperfusionum vestrarum, & dabitis Domino. Consperfusiones nos sumus, diuersorum elementorum quadam commixtione compositi. Siquidem frigidum calido, & humidum sicco miscetur in nobis. Hæc consperfusiones multas habet carnis illecebras, & plurimas delectationes, sed non sunt hi primitiui huius corporis sensus, quia ex anima & corpore constamus & spiritu. Hæc est consperfusionis principalis, in qua sanctificari nos Apostolus cupit, sicut ait, Ipse autem Deus pater sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester & anima & corpus sine querela in die Domini nostri Iesu Christi seruetur. Cuius consperfusionis primitiæ spirituales sunt, hoc est, inuentiones & generationes sensuum qui ex vigore animæ procedunt. Sed non omnes primitiui sensus, nisi qui malitiæ & improbitatis atque omnis erroris exortes sunt. Sunt etiam necessaria corporis delectationes, ut dormiendi, edendi, bibendi, deambulandi, & ceteri sensus huiusmodi, sed non in his primitiæ. Et ideo non in his, sed in illis Domini sacramentum, vbi castitas, pietas, vbi fides atque deuotio. Cuius rei manifestum & euidentis exemplum est oblatio patriarchæ Isaac, quem sacrificij modo obtulit pater nullius motu passionis inflexus humanæ, mundam offerens Deo hostiam vacuamque formidinis, & corporeæ cupiditatis immunem, cum ipsa pietas patris deuotioni cederet immolantis.

Prover. 10.  
Num. 15.

1. Cor. 5.

1. Thess. 5.

Genes. 22.

*Quæ sit vis primitiarum, & utrum tempore æstimentur primitiæ, an sanctitate: & quòd ante omnia fides nos debeat commendare Deo: quòdque ipsa cum operibus perfectis plenum & perfectum sit sacrificium, sicut & ipse Dominus docet, & verba legis significant.* **CAP. II.**

**N**unc consideremus quæ sit vis primitiarum, & utrum tempore æstimentur primitiæ, an sanctitate, hoc est, utrum omnia primogenita sanctificationem habeant primitiarum. Primitiæ etenim fructuum sanctæ secundum legem, quia in his optimum festinæ fidei sacrificium est: sed sunt sanctæ deuotione, non tēpore; quia non prouentus sanctificat, sed deuotio. Denique vbi celer prouentus est, si deuotio moretur, offensa contrahitur. Non ergo omnia primogenita sancta, sed omnia quæ sancta sunt, sunt etiam primogenita. Denique Cain primogenitus, sed non sanctus. Sanctus quoque Israel Dei populus, sed non primus ætate, & tamè primogenitus appellatur, sicut scriptum est in prophetis: Primogenitus meus Israel. Et Leui sanctus, sed non primogenitus. Nā tertius Lyæ filius legitur, & tamen Leuitæ primogeniti nuncupati, quibus ab eo nomē est deriuatum. Scriptum est enim in Numeris, Ecce tuli Leuitas de medio filiorum Israel pro omni primogenito qui aperit vuluam à filiis Israel, & erunt mihi Leuitæ. Mihi enim in qua die percussi omne-

Num. 18.

Exod. 22.

Exod. 4.

Genes. 29.

Num. 3.

S. Ambrosii tom. 1.

Hebr. 12.

Num. 3.

Psal. 57.  
Num. 18.  
Deut. 18.  
Matth. 18.

Ioan. 1.

Num. 28.

Leuit. 22.

Exod. 13.  
Num. 22.

Leuit. 27.

Exod. 13.

primogenitū Egypti, sanctificauit omne primogenitum Israel ab homine vsq; ad pecus. Ergo Leuitae primogeniti nuncupati, qui sanctificatione vtrique carteris filiis Israel antelati sunt. Qua ratione primogeniti sunt, audi Apostolum dicentē, Sed appropinquasti Sion monti, & ciuitati Dei viui, Hierusalem quae in caelo est, & decem millibus laerantium angelorum, & Ecclesiae primitiuorum, qui scripti sunt in caelo. Quattuor ordines fecit: montis Sion, ciuitatis Hierusalem, celebritatis angelorum, & Ecclesiae primitiuorum. Tulit ergo Dominus Deus de medio populi Israel Leuitas, quia non humanarum eos confortes voluit esse curarum, sed diuinæ religionis ministras. Et primogenitos sibi fecit qui vuluam aperiant spiritalem: & ideo non errant ab vtero naturae, sicut diuersorum criminum peccatores, sed destitutis saecularibus eliguntur. Vnde non habent cū plebeia possessione consortium, nec in medio populi computantur, quia verbū Dei in medio sui possidēt, sicut scriptum est in Euāgelio, Vbi fuerit duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. Et alibi, Medius vestrum stetit quem vos nescitis. Hinc ergo cognoscimus quod ante omnia fides nos commendare Deo debeat. Cū fidem habuerimus, elaboramus vt opera nostra perfecta sint. Siquidem hoc plenum est & perfectum sacrificium, sicut ipse Dominus docet, dicens, De donis & datis meis obseruabitis offerre mihi in diebus festis meis, nihil detrahentes, neque dispersientes, sed plena & integra & perfecta afferētes. Festus autem dies Domini est, vbi perfectarum virtutum gratia est. Quae tunc perfectae sunt, si solitudines saeculares, & corporales illecebras victor animus, delinimenta voluptatis excludat, liber à saeculo, Deo deditus, nihilq; de tramite recte intentionis imminuēs, nec affectus sui tempora nunc luxuria diuidens, nunc labori. Solus itaque sapiens hanc celebrat solemnitatem, nullus alius. Immunē enim huiusmodi passionum animam reperire difficile est. Diuide ergo secundum rationē animae principalia & obedientia, & tunc quid masculinum quid ve foemininum sit deprehendes. Nulla enim sine labore virtus, quia labor processus virtutis est. Quod etiam legis ipsius verba significāt, quae dicit, Omne quod aperit vuluā asinae, mutabis oue. Immunda enim animalia lex à sacrificio separauit, & pro his ad vicem munda iussit offerri. Asinae ergo partum, hoc est immundum, iubet mutari oue, quae munda & apta sacrificio est. Hoc est secundum litteram. Ceterum si quis sensum spiritualis intelligentiae altius persequatur, cōsiderabit quod asina laboriosum sit animal, ouis fructuosum. Fructu ergo dicit mutandam laborem, vt finis operis fructus sit. Vel certe hoc modo, omnem laborem tuum, omnem industriam puro & simplici commendabis affectu. Si autem non mutabis, inquit, redimes. Iubetur ergo secundum litteram vt animal aliud pro immundo animali offeratur, aut pretium, ne inter decimas fructuum vel minus aliquid vel immundum videatur offerri. Intellectus autem profundior liberandam animam tuam docet, vt desistat ab iis quae fructum non habent. Qui enim redimit se, liberat & quodam exiit debito. Relinquenda sunt opera quae verum fructum bonosque processus habere non possunt,

qualia sunt ista mundana, quorum vsus non potest esse diuturnus. In quibus ipse nudus & veri vacuus effectus est: & quamuis summo quaesitus fuerit labore, animam nihil iuuat. Ea enim quae seruitutem animae inferunt, inutilia sunt omnia, etsi non desit effectus. Magna videtur preliantem victoria, triumphantium gloria, sed frequenter ipsos videmus qui vicerint, rursus bellorum subiacerē incertis, & transferri ad hostem euentu praelij, & eo ipso quo victores antē fuerint, fieri miseres. Opus est ergo vt opera tua ad Deum dirigas, & eius tibi aspiret fauor. Athleta ipse qui suis, non alienis decernat viribus, quoties cōgreditur, dubios casus subire se credit. Et cū ad coronam peruenerit, intelligit citius hanc mundi gloriam quam coronae ipsius folia marcescere. Gubernator cū in portus nauim subdixerit, vix finem impostum labori putat, & statim querit laboris exordium. Soluitur corpore anima, & post finem vitae huius, adhuc tamen futuri ambiguo suspenditur. Ita finis nullus, vbi finis putatur. Vnde votis & pura conscientia & spiritu charitatis adhæreamus Deo nostro, & diuinum nobis cōciliemus fauorem, precantes, vt saecularibus curis tamquam ab inimicibus & agrestibus dominis possimus absolui atque exui, mundanōq; exire seruitio, in libertatem supernae cognitionis, quae vera & sola est libertas, vocati.

*Auctoritate scripturae confirmat dicta, & agit de mysteriis in lege recognoscendis ex verbis Domini in Euāgelio laborantes ad se vocantis: quomodo etiam inquinamenta delictorum nostrorum lauare, & quo pretio crimina nostra redimere debeamus: de redemptoris quoque nostri per Leuitem significati in nos misericordia, cum morali & edificatiua affectus instructione. CAP. III.*

**E**T vt praecipuum legis exēplo adstruamus, cū deprimerent Egyptij Iudaeorum populum in operibus variis, & luto ac lapide, ingemuerunt filij Israel, & Domini prouocauerūt in se misericordiam. Vnde dixit ad Moysen, Ego exaudiui gemitum filiorum Israel quomodo Egyptij in seruitutem deprimunt eos, & memor factus sum testamenti mei. Vade, & dic filiis Israel: Ego Dominus, & educam vos de potentia Aegyptiorum, & eruam vos de seruitute eorum, & liberabo vos in brachio excelso, & iudicio magno: & sumam vos mihi in plebem, & ero vester Deus, & scietis quoniam ego sum Dominus Deus vester qui educam vos de potentia Aegyptiorum, & inducam vos in terram in quam extendi manum meam. Ecce quomodo populus Hebraeorum fructu mutauit laborē, vt qui luto operabatur, spe regni operaretur aeterni. Et ideo Dominus in Euāgelio inanem popalorum gentilium miseratus laborem, qui lateres construerent lutulentae superstitio, & voluptati corporis dediti, solidum fidei murum aedificare non possent, velut ad quosdam asinae foetus locutus ait, Venite ad me omnes qui laboratis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Qua vocatione plenius mihi videor verba legis & mysteria recognoscere, quia asinam aut commutandam oue docuit, aut redimendam pecunia: vt non solum asinae partum oue, hoc est, mundis immunda

Exod. 1.

Exod. 3.

Exod. 13.

Matth. 1.

Exod. 13.

1. Pet. 1.  
1. Cor. 7.  
Matth. 11.

Exod. 12.  
Num. 3.

Exod. 34.

Eccl. 9.

Matth. 11.

1. Tim. 2.  
Genes. 18.

Prover. 11.

munda mutemus, sed etiam redimamus. Quod videtur exprimi, si prius sacrificio purificationis, & mysterio baptismatis delictorum nostrorum inquinamenta lauemus, crimina quoque nostra bonis operibus, fideique pretio, & miseratione redimamus. Pretium nostrum sanguis est Christi. Vnde & Apostolus Petrus ait, Non auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine. Et Paulus dicit, Pretio empti estis, nolite effici serui hominum. Vnde non otiose in sancto miramur Euāgelio quod pullum asinae foderit Dominus Iesus, quia populus gentilis coepit esse Christi hostia, qui secundum legem habebatur immūds. Vnde & de Leuitis scriptum est, quod sint redemptiones eorum, eo quod & sanctitate vitae suae & oratione peccata plebis leuant. In quibus figuralis agni praecessit mysterium verū venturū Leuitem, qui proprii corporis passione tolleret peccatum mundi. Leuitas significatur susceptus pro me, vel ipse mihi leuis. Ipse enim perfecta virtutis habet impertiendae populo sanitatis indicium. Ipse ergo qui pro salute vniuersorum expectatus aduenit, pro me est vtero editus virginali, pro me oblatas, pro me gustauit mortem, pro me resurrexit. In quo omnium hominum suscepta est redemptio, assumpta est resurrectio. Ipse est verus Leuitas, vt nos Leuitas faceret adherere Deo, ipsi continuas preces fundere, de ipso salutem sperare, fugere terrena negotia, in Dei possessione numerari, sicut scriptum est, Domine posside nos. Ea est enim sola possessio, quae nullis obnoxia tempestatibus perpetuae gratiae ferat fructus. Redemptor Leuitas est, quia vir sapiēs redemptio insipientis est. Qui tamquam medicus aegrum insipientis animū fouet, & quaedā aspergit solidiora menti prudentiae medicamina, imitatus illum medicum qui de caelo venit vt demonstraret hominibus prudentiae vias, & sapientiae semitas paruulis reuelaret. Videbat enim laborates non posse sine remedio saluari, & ideo medicinam tribuebat agris. Ideo omnibus opem sanitatis detulit, vt quicumque perierit, mortis suae causas sibi adscribat, qui curari noluit cū remedium haberet quo posset euadere. Christi autem manifesta in omnes praedicetur misericordia, eo quod ij qui pereunt, sua pereant negligentia: qui autem saluantur, secundum Christi sententiam liberentur, qui omnes homines vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Denique & Sodoma si habuisset quinquaginta iustos, non esset euersa: & si decem habuisset, esset redempta, eo quod sermo remissionis peccatorum animam seruitute exuat, & disciplina plenitudo perfectae mentem non sinat edaci libidinum vapore consumi. Plurimum tamen refert, & moralem aedificat affectum, si etiam numerum iustorum simpliciter accipiamus prodesse populi salutis. Comprimit & refecat inuidiam, confundit improbitatem, virtutem incitat, auget gratiam. Nemo enim inuidere debet alteri laudem quae sibi proficit: atque improbus quisque redemptorem suum dum suscipit, frequenter imitatur. Certè veneratur, plerumque etiam diligit. Ipse etiam si se aliis profuturum sciat, studiis augetur, eaque gratia connectit populos, accumulatur charitatem ciuium, vrbium gloriam. Quam beata ciuitas quae plurimos iustos habet, quam celebrabilis ore omnium, quo-

A modo benedicatur tota de parte, & beatus atque perpetuus eius status existimatur. Quam gaudeo cū aliquos mites ac sapientes diu viuere video, cū virgines castas, viduas graues aspicio longaeuas, velut quandam incanam Ecclesiae curiam praetendat ipso quodam vultu & specie grauitatis, quod reuerentur, quod imitentur, quo ad omnem morum gratiam colorentur. Non enim ipsis gaudeo, cū viuendo multa subeant tædia saeculi huius, sed quia profunt pluribus. Similiter cū aliquis huiusmodi decidit, quamuis longa senectute depositus, afficior, quia destituitur grex iuuenum muro senili. Denique periturae vrbis aut malorum imminentium vel futurae labis hoc primum indicium est, si decedant viri consultores, vel etiam grauiores foeminae. Hinc primum ingruentium porta aperitur malorum. Sicut ergo vrbis tota solidatur atque augetur coetu sapientium, vel obitu labefactatur: ita sermo grauis, & quidem senilis, plenus prudentiae stabilire vniuscuiusque animam, & confirmare mentem solet. Iam si accedat multarum lectionum vsus, plurimorum praceptorum & consiliorum quidam senatus, velut perpetuum vrbis eius, quae in singulorum est praecordis, statum efficit.

*Qua ratione Moyses primogenitos & redemptores ceterorum Leuitas appellauerit: cur non sit absurdum quod facinorosi cohabitent piis, de duobus in Deo generibus virtutum, vno quo remittit, alio quo vindicat: quodque semper egressus malitiae, virtutis operetur ingressum, sicut & ingressus malitiae virtutem excludit, vt euāgelica veritatis exempla comprobant. CAP. IIII.*

**I**DEO ergo primogenitos & redemptores ceterorum Leuitas Moyses appellauit, quod maturioris & vtilis sententiae viri, altero senectutem quandam animae praerant, altero redemptionem conferant. Vnde & ciuitates Leuitarum redemptrices significauit Moyses: quia is qui confugit ad eam animam, in qua habitat Dei verbum, quae vrbis modo munita atque vallata sit, perpetuam libertatem acquirit sibi. Sicut enim in ciuitatibus Leuitarum erat poenarum remissio, vt si quis ad eas confugeret, qui non voluntariam necem hominis admiserat, nulli eum occidere liceret, intra vrbes dumtaxat positum Leuitarum: ita quae peccati proprii poenitet, quod aut imprudenter aut inuitus admittit, si Leuitarum adhæreat incolatai, & ab his praecceptoribus qui Dei mandata dispensant, recedendum non putet, lex ipsa ab omni eum commissi flagitij poena supplicioque liberat. Nec absurdum putes quod facinorosi cohabitant piis, maculosi sacris. Opus enim habent purificari qui aliquo polluti sunt delictorum contagio. Et quodammodo diuerso genere causa concurrat. Sicut enim Leuitas mundanis voluptatibus abdicatus, exul est culpa: ita sanguinis reus, fugitiuus est patriae. Sed hoc interest, quod iste necessitate suos deserit propter metum legis, minister autem Dei humanarum consortiis renuntiat passionum, & quadā carnalis illecebra se abdicat necessitudine propter studia virtutis. Etiam illud non abhorret à vero, quod & iste velut qualdā in se manus iniicit, vt interficiat voluptates sui corporis, & quendam suae carnis operetur in-

Esai. 3.

Prou. 11.

Num. 3.

Num. 35.

2. Cor. 3.  
Num. 35.

Ioan. 20.



Exod. 2.

teritum. Interfecit nempe Moyses Ægyptium, & fugax factus est de terra Ægypti, vt declinaret eius terræ tyrannum. Sed non antè illum interfecisset Ægyptium, nisi priùs in se nequitia spiritalis Ægyptiù interemisset, & abdicasset regalium luxù honorum, maius patrimonium astimans thesauris Ægypti opprobrium Christi. Quod stultis quidem videtur opprobriù, nobis autem illud opprobrium Dominicæ crucis virtus Dei est atque sapientia. Accedit eò, quòd duo quædam in Deo principalia sunt genera virtutum: vnum quo remittit, aliud quo vindicat. Remittuntur peccata per Dei verbum, cuius

Heb. 11.

1. Cor. 1.

1. Ioan. 2.

23. q. 5. c. re-

mittitur. &

de panit. dist.

1. c. verbum

Dei.

Rom. 13.

Leuites interpres & quidam executor est: remittuntur per officium sacerdoti, sacrùmque ministerium: puniuntur quoque per homines, sicut per iudices, qui potestate ad tempus vtuntur, sicut Apostolus docet, dicens, Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. Puniantur peccata etiam per populos, sicut legimus,

Esai. 13.

quia sæpe alienigenis Dei iussu excitatis, propter diuinæ maiestatis offensam subiectus factus est populus Iudæorum. Nec is quidem qui inuitus aliquod fecerit homicidium, extra ministerium est. Siquidem lex ait de eo, Quia Deus dedit cum in manus eius. Manus ergo eius instrumenti modo diuinæ vltioni ministerium præbuerunt. Leuites igitur minister remissionis est. Percussor autem, qui tamen non ex dispositione, sed præter voluntatem fecerit homicidium, diuinæ minister est vltionis. Illud quoque spectat, quia cum interficitur impius, Christus infunditur. Et vbi abominatio aboletur, sanctificatio cumulatur, quia Dominus dixit, In ea die qua interfeci omne primogenitum Ægypti, sanctificauit mihi omne primogenitum Israël. Quod nõ ad vnum diem afflictionis Ægypti referes, sed ad omne tempus. Cum enim reuertitur improbitati, statim adsciscitur virtus. Egressus enim malitiæ, virtutis operatur ingressum: eodemque studio quo crimen excluditur, innocentia copulatur. Habes hoc in Euangelio, quia vbi satanas immisit se in cor Iudæ, Christus recessit ab eo: momentòque eo quo illù recepit, hunc amisit. Denique sic scriptum est, Et post buccellam introiit in eum satanas. Dixit ergo illi Iesus, Quod facis, fac celerius. Quid illud, Vt quia introierat in illum satanas, ipse abiret à Christo. Eiicitur itaque & excluditur, eo quòd iam cum Domino Iesu esse non possit, quia cœperat esse cum diabolo. Nulla enim communicatio Christi ad Belial. Vnde statim imperio expulsus abscessit, sicut legimus, dicente Euangelista, Qui cum accepisset buccellam, exiuit continuo: erat enim nox. Non solum exiuit, sed cõtinuò, & nocte exiit. Nec mirum si noctis tenebras habebat, qui Christum deserebat. Verùm sicut ipse receptus à diabolo, exclusus à Christo est: ita Zacchæus renuntians auaritiæ, Christum recepit. Meritòque videns studium eius quòd in arborem ascendisset, vt trãsirentem Iesum videret, dicit Dominus: Zacchæe, festinans descende, quia hodie in domo tua manere me oportet. Et descendit festinans, & excepit illum gaudens. Sed excipiendo Christum exeluxit auari-

15. q. 1. c. nec

is qui.

Exod. 21.

Ibidem.

Num. 3.

32. q. 1. c. cum

renuntiat.

Ioan. 13.

Ibidem.

2. Cor. 6.

Ioan. 13.

Luce 19.

tiam, relegauit perfidiam, renuntiauit fraudibus. Aliter enim nõ ingreditur Christus nisi vt vitia excludat, quia non cohabitatur erroribus. Denique de templo eiiciebat numularios, quia ipse volebat habitare. Vnde Zacchæus hoc intelliges, quia Christù vetere suo suscipere affectu nõ poterat, superiora vitia exire suo iussit hospitio, vt Christus intraret. Meritò igitur Phariseis obmurmurãtibz quòd Dominus Iesus ad hominem peccatorè diuertisset, dixit ad Dominù, Ecce dimidiù bonorum meorù omnium do pauperibus: & si cui aliquid fraude abstuli, reddo quadruplum. In quo illis respondit qui dicebant peccatorè Christo hospitium non debuisse præbere. Hoc est, iam non sum publicanus, nõ sum ille Zacchæus, non prædo, nõ fraudator. Reddo quæ sustuli, reddo quæ auferre consueueram. Iam dono pauperibus quos antè nudabam, iam mea confero qui aliena rapiebam. Fugerunt crimina postquam Christus intrauit. Discussa est omnis carnalium cæcitas passio-

num, vbi æternæ vitæ lumen infusum est. De adipibus & pinguedine sacrificiorum & hostiarum. CAP. V.

**D**IXITVS de primogenitis, dicamus etiam de adipibus, de quibus satis docet Dauid, dicens, Sicut adipe & pinguedine repletur anima mea. Et supra ait, Et holocaustum tuum pingue fiat. hoc docet acceptabile esse sacrificium, quod pingue, quod nitidù, & quodã pabulo fidei ac deuotionis, verbisq; cælestis vberiore alimonia saginatù est. Frequenter pingue opus dicimus quod spissum & operosum intelligi velimus: & optima hostia prædicatur, quæ non sit tenuis, non sit exilis. Vnde & sacrificium pingue rectè nuncupamus, quod optimum cupimus declarare. Sed etiam illud documento est quod pingues vacæ prophetica interpretatione annis fertilibus comparatæ sunt.

Et dixit Dominus Deus ad Cain, Quare tristis factus es, & quare cõcidit vultus tuus? Nõ si rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccasti: quiesce. Ad te conuersio eius, & tu princeps es illius. Et dixit Cain ad Abel fratrem suum: Eamus in campum. Et factum est cum essent ipsi in campo, insurrexit Cain in Abel fratrem suum, & occidit eum. Et dixit Deus ad Cain, Vbi est Abel frater tuus? Et dixit, Nescio: numquid custos fratris mei ego sum? Et dixit Deus, Quid fecisti hoc? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Et nunc maledictus tu à terra, quæ aperuit os suum, & excepit sanguinem fratris tui de manu tua: quoniam operaberis terrã, & nõ augetur virtutem suam dare tibi. Gemens & tremens eris super terram. Et dixit Cain ad Dominum, Maior causa mea est, quàm vt dimittatur mihi. Si derelinques me hodie, à facie tua abscondam me, & ero gemens & tremens super terram. Et erit, omnis qui inueniet me, occidet me.

Quid

Quid sibi velit quod Dominus ait, Si rectè offeras, non rectè autem diuidas, peccasti: quiesce. & de quattuor generibus quibus sacrificia commendabantur, quorum si aliquid desit, sacrificium non probatur, cum pulcherrima istorum morali interpretatione. CAP. VI.

psal. 19.

**N**VNC consideremus quid sit quod ait Dominus, Si rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccasti: quiesce. Quod indicium est, Deum nõ muneribus oblatis placari, sed offerentis affectu. Denique condemnati oblator muneris Cain, quia pro conscientia insincerae oblationis intellexit Deo sacrificium suum non probatum, tristis est factus. Quando enim mens sibi recti est conscia, gratulatur, & infusione quadam spiritali repletur animus gaudio, cum alicuius vel studia vel opera à Deo probantur. Tristitia igitur Cain, conscientia testimonium, repulsæ indicium est. Et quamuis obtulit munus, tamè quia non rectè & iure diuisit, culpam incidit. Quattuor enim genera sunt quibus sacrificia commendabantur. Si aut noua nouorum essent, aut frixa, aut diuisa, aut continua. Noua nouorum primo tempore anni, quæ species in primogenitis fructibus estimabantur: nunc autem reuelatum est eos significari, qui per baptismatis sacramenta renouantur. Hoc est enim verè sacrificium primitiuum, quando vnusquisque se offert hostiam, & à se incipit, vt postea munus suum possit offerre. Noua igitur fides renouatorum, valida, pubescens, incrementù virtutis acquirens, non remissa, non fessa, non senio quodam marcida, & vigore ignaua, apta sacrificio est, quæ pullulet quodam virenti germine sapientiæ, & iuuenili diuinæ cognitionis feruore pubescat. Habeat tamen succum doctrinæ veteris. Sicut enim noui, ita & veteris testamenti debet doctrina concurrere, quia scriptum est, Manducate vetera veterum, & vetera à facie nouorù auferre. Cibus nobis sit cognitio patriarcharù: epuletur animus in prophetarum oraculis: tali sagina mès pascatur interior. Sed iã non species agni sit, sed veritas corporis Christi. Non vmbra legis præstringat oculos, sed aperitè Dominicæ gratia passionis & splendor resurrectionis aciem mentis illuminet. Si autem offeres sacrificium de primitiuis ouibus, frixum in igne, frixum pingue, offeres sacrificium primitiuorù, sicut scriptum est, quod significat fidem tuam velut igni probatam esse debere, & sancto feruere spiritu. Denique coxit lentem Iacob, & fratris primatus benedictionis eripuit, quos vtique solida consequeretur fides. Hic ergo robustus & viuus augebatur, ille autem qui cibum suum coquere nesciebat, fatigatus atque deficiens defluebat. Vratur igitur verbo Domini sicut igne virtus animæ tuæ. Vide vstù Ioseph, sicut scriptum est, Eloquiù Domini vñsit eum, Torreatur fides tua sicut spica messium. Tunc enim maturitatem fructuum præferunt, cum eas primo solis processu tempora æstiuæ torruerint. Sermo igitur plurimus scripturarum animã confirmat & quodam spiritalis gratiæ colorat vapore. Rationabilia quoque inuenta corroborat, dissoluitque omnem vim irrationabiliù passionum. Ideòque Esau laxatis virtutis suæ nexibus dissolutus est. Illi autè qui succincti lumbos non crudum neque coctum aqua, sed assium igni caput agni edere iubebantur, sicut habes

1. Ioan. 2.

Exod. 23.

qum. 12.

Leuit. 25.

Exod. 12.

Leuit. 7.

Genes. 25.

Psalm. 104.

Genes. 22.

Exod. 12.

In Exodo, forti ac fideli animo pedestri itinere maria transierunt. In Euangelio quoque assos pisces Dominus Iesus manducabat, sicut scriptum est: in quo plenitudo sancti Spiritus redundabat. Et fortasse ideo deficiebat Esau, quia coctum in aqua desiderabat cibum, quem Iacob quasi inhabilem sibi donauit infirmo. Oblatione autem atq; orationem oportet non consulam esse, sed cõpetenti diuisione distinctam. In omni enim re confusione melior est distinctio, multo magis in oratione atq; oblatione: que nisi certas diuisiones habeat, fit obscurior. Ideoque hostiæ plerumque membra lex diuidi iubet, & holocausta offerri, vt sine admixtione & operimèto aliquo nudum sacrificium sit, eo quòd nuda atque omnibus exuta inuolucris debet fides nostra feruere, nec variis & fallacibus opinionibus induatur, sed pura atque sincera simplicitas mētis appareat: deinde in partes diuidatur cõgruas. Virtus enim genus est, quæ diuiditur in plurimas species. Sed principales quattuor sunt: Prudentia, temperatiã, fortitudo, iustitia. Redoleat igitur oratio tua prudentiam erga cognitionem Dei, & veritatem fidei: redoleat temperantiam, quam etiã à coniugibus exigendam putauit Apostolus, dicens, Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. Et lex castigatos ante hesternù & nudius tertium diem ad sacrificium accedere iubet. Fortitudinem teneat oratio, vt nullo interpoletur metu, nulla lassitudine deficiat. Tunc enim debet esse intentio ad precandum robustior, cum vrigemur aduersus. Iustitiam custodiat precatio, quam si tenuisset Iudas, nõ in peccatù facta esset eius oratio. Quando enim magis ab iniustis operibus ac prauis studiis abstinere debemus, quàm tunc quando Dei iustitiam deprecamur? Et ideo Dominus, vt cordi nobis esset iustitia, Beati, inquit, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: ipsorum est enim regnum cælorum. Hæc enim defuit Iudæ. Nam si aduisset, non tradidisset Dominum, non prodidisset magistrum. Defuit sacrificio etiam Cain istius, qui si tenuisset iustitiam, Domino debuit primitiua munera, non posteriora deferre. Defuit itaque ei diuisio, ideòque respõsum ait, Si rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccasti: quiesce. Vides quantum sit vitij. Vbi deest diuisio, ibi totum sacrificium refutatur. Superest vt de continua & iugi oratione dicamus, quòd immorari nos & vacare orationi oportet. Pernoctabat Dominus in oratione, non vt sibi met prodesset, sed vt nos doceret. Frequens enim oratio quandam operatur disciplinam orandi, quia ipse vsus docibiles Dei facit, indocibiles negligentia. Bona igitur exercitatio. Denique corporis virtus exercitatione augetur frequenti, at in exercitata minuitur & labitur. Plurimi enim exercitij dissuetudo etiam naturalem consuevit dissoluere virtutem. Similiter animæ fortitudo exercitationis assiduitate solidatur, vt labor ipse disciplina sit, non oneri futurus, sed vsui. Hunc cibum mēti nostræ deseramus, qui multa attritus meditatione ac politus, cor hominis sicut illud cæleste manna confirmet. Quod non otiose tritum ac politum accipimus, eo quòd cælestium scripturarum alloquia diu terere ac polire debemus, toto animo & corde versantes, vt succus ille spiritalis cibi in orantes

Exod. 14.

Luce. 24.

Genes. 25.

Leuit. 1.

1. Cor. 7.

Exod. 19.

Psalm. 108.

Math. 5.

Ioan. 18.

Luce 6.

Psalm. 103.

se venas animæ diffundat. Ergo si tamquam pubescens adolescat fides, quæ defectum senescens de notationis ableget, & spiritu ferueat, & cõgrua distinctione teneatur mensura legitimæ diuisionis, & affinitas commendat gratiam: tunc fit illud pingue, & tamquam adipale precationis genus, de quo dicit scriptura, Impinguasti in oleo caput meum. Sicut enim agni multo lacte pinguescunt, & sicut oues bene pasta adipe nitent, ita apostolico succo pasta fidelium pinguescit oratio. Horu si desit aliquid quæ supra diximus, sacrificium non probatur. Ideoque dictum est ad Cain, *Si recte offeras, non autem recte diuidas, peccasti.* Namque mundus ipse distinctè legitur factus, cum esset ante incomposita pars eius, quia terra erat inuisibilis & incomposita. Nempe lux primum facta est, & vocauit Deus lucem, & separauit Deus inter lucem & tenebras, & vocatæ sunt tenebræ nox. Et per ordinem singula quod facta sunt legimus, cælum, terra, ligna fructifera, animalia diuersa. Distributa autem sunt leuiora superioribus, vt aer & ignis: & grauiora inferioribus, hoc est, terra & aqua. Vtique simul omnia fieri iubere potuit Deus, sed distinctionem seruare maluit, quam nos in omnibus imitaremur negotiis, & maximè in vicissitudinibus gratiarum. In quibus non satis est reddere quod acceperis, sed commédare quod reddas. Nam si quis debitum soluat, & in referendo iniuriam faciat creditori, intolerabilius est vtiq; quàm non reddidisse quod debebat. Non ergo quantitas solutionis, sed animus reddentis, & qualitas consideratur, & affectus. Rectè igitur Cain obtulit, quia oblatio insignis deuotionis, & indicium gratiarum est: sed non rectè diuisit, quia ante omnia Deo debuit deferre primitias, vt à gratia inchoaret auctoris. Etenim diuisionis hic ordo est, vt prima secundis, non primis secunda præcurrant: & cælestia terrenis, non terrena cælestibus præferantur.

*Quod quia Cain ordinem diuisionis non seruauit, dictum sit ei: Peccasti, quiesce, & quemadmodum Deus omnia docuerit, & quid moraliter illud significet. CAP. VII.*

**S**ED quia Cain confudit hunc ordinem, dicitur *Peccasti, quiesce.* Omnia docet Deus. Primum ne pecces, vt in Adam monuit: secundò si peccaueris, quiescas, vt in Cain doceris. Erubescere enim debemus, & condemnare peccatum, nõ defendere: quoniam pudore culpa minuitur, defensione cumulat. Et silendo corrigimur, contetione prolubimur. Sit saltem verecundia, vbi non est absolutio. Inde illud, Iustus in exordio sermonis accusator est sui. Et iterum ab ipso Domino alibi dictum legimus, Dic iniquitates tuas, vt iustificeris. Quanta pudoris gratia, vt iustitiam teneat verecundia, quam culpæ reatus abstulerit! Ideo autem ait, *Quiesce*, quoniam non habes quod excuses. Culpæ ipsius ad te conuersio est. Non enim frater ei addicitur, sed error adscribitur, cuius ipse sibi auctor est. In te, inquit, reuertitur crimen quod à te cœpit. Non habes in quo necessitatem magis quàm mentem tuam arguas. In te retorquetur improbitas tua, tu princeps es illius. Bene ait, *Tu princeps es illius.* Etenim impietas mater quædam est delictorum: & qui grauiora peccauerit, in cætera faciliè prolabitur. Quomodo enim potest ab

Psalm. 22.

Gen. 1.

Genes. 2.

Prouer. 18. Esa. 43.

humanis temperare qui diuina violauit, & hominibus bonus esse qui Deum læsit? Atrociorum igitur scelerum reatum vitia reliqua sequuntur, quoniam quò flagitiosa propenderint, eò inclinant cætera. Tu ergo princeps operis tui, tu dux criminis. Non te inuitum, non imprudentem error attraxit, sed voluntarius reus iudicio, non lapsu fecisti dolum, quo te diuinæ iniuriæ reum ipse conuincis.

*Quomodo Cain admonitus vt quiesceret, auerit insolentiam, & flagitium acerbauerit: & quid sibi velit quod ait, Eamus in campum. CAP. VIII.*

**A**DMONITVS autè vt quiesceret, auget insolentiam, acerbat flagitiu. Quid igitur sibi vult quod ait, *Eamus in campum*: nisi quia locus nudus gignentium eligitur parricidio? Vbi enim frater habebat occidi, nisi vbi fructus deesset? Tamquam præfatiens natura tanti sceleris loco germina denegauerat: quia non conueniebat, vt idem solum & contagia parricidalis sanguinis reciperet præter naturam, & fructus secundum naturam germinaret. Meritò ipse dicit, *Eamus in campum.* Non dicit, *Eamus in paradysum*, vbi poma florent, non in aliquem cultum & fructiferum locum. Ipsi parricidæ indicant fructum se sceleris habere non posse, nec penes eos fructum manere qui tantæ impietati præbuerint officium. Nam ipsam refugiunt elementorum benignitatem, vt iste Cain, qui videtur veritus, ne largior boni terra prouentus triste facinus impediret, & liberalitatis assuetudine genitalis qua facit sibi fortis & fructus varios germinascere, in hoc quoque criminis apparatu vel muta specie sui fraternum reuocaret affectum. Latro diem refugit quasi criminis testem, lucem adulter erubescit quasi adulterij conficiam, parricida terrarum fecunditatem fugit. Quomodo enim poterat communis partus videre confortia, qui cõsortem sui sanguinis trucidabat? Ioseph in lacum mittitur siccum, Amnon intra domum occiditur. Iustum igitur natura est impertita iudicium, ea loca in quibus erat futurum parricidium, muneris sui dote priuando: vt ex innocentis soli quadam damnatione ostenderet quanto forent noxiora futura supplicia. Propter scelus igitur hominũ & ipsa elementa damnantur. Denique David montibus, in quibus Ionathas cum patre interemptus est, perpetuæ pœnam sterilitatis optauit, dicens, Montes qui in Gelboe, neque ros neque pluuia cadat super vos.

*Qua ratione interrogauerit Deus Cain vbi esset frater suus, & de ipsius redargutione atque condemnatione, cum moralis intellectus explanatione. CAP. IX.*

**N**VNC consideremus qua ratione interrogauit Deus Cain vbi esset frater suus, quasi nesciret occisum. Sed quod ad scientiam Dei spectat, negantem arguit, & insipienti quasi sciens respondit, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*: quod autem ad rationem profundam attinet, peccantes admonet ad pœnitentiam. Confessio enim, pœnarum compendium est. Inde in iudiciis secularibus impositi equuleo torquentur negantes, & quædam tangit iudicem miseratio confitentis. Est quædam in peccatis verecundia, & pœnitentiæ portio crimen fateri, nec deriuare culpam, sed recognoscere. Mitigat iudicem

Genes. 37. 2. Reg. 13.

2. Reg. 1.

dicem pudor reorum, excitat autem pertinacia denegantium. Vult te prouocare ad pœnitentiã Deus, vult de se sperari indulgentiam, vult demonstrare tua confessione quòd non sit auctor malitiæ. Nam qui peccatum suum ad quandam referunt, vt gentiles asserunt, decreti aut operis sui necessitatem, diuina arguere videntur, quasi ipsorum vis causa peccati sit. Qui enim necessitate aliqua coactus occiderit, quasi inuitus occidit. Ea verò quæ à nobis sunt, excusationem non habent: quæ autem præter nos sunt, excusabilia sunt. Sed quanto grauius peccato ipso, ad Deum referre quod feceris, & reatus tui inuidiam transfundere in auctorem non criminis, sed innocentia? Perpende autem parricidæ responsionem. *Nescio* (inquit) *numquid custos fratris mei ego sum?* Et si contumaciam prodat hic sermo, sonat tamen quia si bonum fratrem considerasset, custos debuit esse pietatis. Quem enim magis quàm fratrem seruare debuerat? Sed quomodo germanitatis seruaret officiu, qui necessitudinis non agnouisset affectu? Aut quomodo fieri posset, vt naturæ obedientiam deferret, qui Deo reuerentiam nõ exhiberet? Negat primum quasi apud ignorantem, recusat fraternæ munus custodiæ, quasi exors naturæ, declinat iudicem quasi liber arbitrij. Quid miraris si pietatem non agnouit, qui non agnouit auctorem? Et ideo doceris hac serie scripturarum, fidem esse radicem virtutum omnium. Vnde & Apostolus ait, Quia fundamentum Christus est: & quidquid supra hoc fundamentum ædificaueris, hoc solum ad operis tui fructum, & ad virtutis proficere mercedem. Congruè igitur respondit Dominus tam impudenter neganti, dicens, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Hoc est, cur nescis vbi est frater tuus? Soli eratis cum duobus parentibus, inter paucos frater te latere nõ debuit. An quia parentes tui accusatores esse non possunt? Nolo enim vt ea necessitudo quæ est auctor salutis, fiat auctor periculi. In te solo leges suas natura amiserit. Ideo ergo putas crimen latere, quia parentes accusare non debent? Sed eo maior est condemnatio tua. Nam si cara necessitudinis nomina accusare nõ debent, multo magis non debent occidere. Sed si me testem abnuis, & refugis arbitrum, vox sanguinis fratris tui testis est, quæ ad me clamat. Illa te maiore auctoritate arguit, quàm si frater viueret. Soli eratis: quis cum potuit alter occidere? Si accusas parentes, parricidam probas. Potuit fratrem occidere, qui nõ parcat parentibus. Potuit parricida esse, qui de parricidis se ortum probare desiderat. Et bene ait, *Vox sanguinis fratris tui clamat*, non frater clamat. Hoc innocentia & gratia germanitatis etiam in ipsa morte seruat. Non accusat frater, ne videatur parricida. Non accusat vox ipsius, non anima eius, sed vox sanguinis accusat, quem ipse fudisti. Tuum te ergo facinus, non frater accusat. Simul querela criminosa adimitur. Non potest de alieno testimonio queri, qui crimen proprio facinore confitetur. Minor est sermo quàm factum. Est tamen etiam terra testis, quæ cepit sanguinem. Et bene ait, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* non dixit, de fratris clamat corpore, sed, de terra clamat. Et si frater parcat, terra non parcat. Si frater tacet, terra condemnat. Ipsa est in te & testis & iudex. Testis acrior, quæ adhuc parricidij

1. Cor. 3.

tui sanguine madet: iudex asperior, quæ tanto scelere coinquinata est, vt aperiret os suum, & exciperet sanguinem fratris tui de manu tua. Et illa quidem aperuit os suum, quasi exceptura de fratribus verba pietatis, nihil timens cum fratres videret, quæ sciret ius germanitatis amoris incentiuum esse, non odij. Nam quomodo poterat parricidium suspicere, quæ adhuc nõ viderat homicidium? Sed tu effudisti sanguinem, cuius dolens ipsa contagium, *Non augetur* (inquit) *virtutem suam dare tibi.* Quàm innocens vltio, vt quæ tam grauius violata fuerit, satis habens non prodesse, non quarat nocere. Non medio cre etiam dogma quòd ait, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me*: quia Deus iustos suos audit etiã mortuos, quoniam Deo viuunt. Et meritò pro viuentibus habentur, quia etiam si corporis gustauerint mortem, vitam tamen incorpoream capiunt, & illuminantur suorum splendore meritorum, luce quoque fruuntur æterna. Iustorum ergo audit & sanguinem, auertit se autem à precibus impiorum, quoniam etiam si videantur viuere, miseriore tamẽ sunt omnibus mortuis, carnem suam sicut tumulum circumferentes, cui infelicem infoderunt animam suam. Quid enim aliud est quàm sepulta quæ intra humum voluitur, & terrenæ auaritiæ cupiditatibus cæterisque vitis includitur, vt gratiæ cælestis auram spirare non possit? Huiusmodi peccator à terra maledictus est, quæ est infima & postrema pars mundi. Superius vitiq; cælum, & quæ in cælo sunt, sol, luna, & stelle, throni, dominationes, principatus, & potestates, Cherubim & Seraphim. Non est ergo dubium quòd eum & superiora damnauerint, quem inferiora damnauerunt. Nam quomodo absoluitur puræ illi cælestique sententiæ, quem nec terræ potuerit absolvere? Et ideo gemens & tremens iubetur esse super terram. Euidens generalisque ratio, quia omni improbo mala adsunt, & affutura sunt. Quæ adsunt, tristitiam operantur: quæ futura, formidinẽ. Sed improbum plus præsentia, quàm futura sollicitant. Vnde & Cain dixit ad Deũ, *Maior causa mea est, quàm vt dimittatur mihi. Si derelinques me hodie, à facie tua abscondam me.* Nihil enim grauius quàm errantem à Deo deferri, vt se reuocare non possit. Mors peccatoris finem peccandi affert, vita autem diuino gubernaculo destituta precipitatur, & in grauiora prolabitur, vt si gregem pastor relinquat, incurfent bestia: ita cum Deus deserit hominem, ingruit diabolus. Graue est, præsertim insipientibus, non habere rectorem. Serpit malitia, vulnus augetur, vbi medicina defuerit. Abscondit se autem qui velare vult culpã, & tegere peccatum. Qui enim malè agit, odit lucem: & amat tenebras, & suorum quærit latibula delictorum. Iustus autẽ non abscondere à Domino Deo suo, sed magis se offerre confiteuit, dicens, Ecce sum ego, qui non habet criminosa conscientiam quam timeat deprehendi. Meritò ergo se abscondit malè conscius, & ait, *Omnia qui inuenerit me occidet me.* Angustæ mētis homo præsentem mortem veretur, perpetuam negligit, & diuinum iudicium non reformidat. Interitum solum corporis deprecatur. Sed à quo timebat occidi, qui solos parentes habebat in terris? Potuit quidem & incurfus bestiarum timere, qui legis diuinæ iura violauerat; nec præsumere de subiectis animalibus cæ-

Matth. 24. Sapient. 3.

Sap. 5.

1000. 3.

Esaia 6.

teris, qui hominem docuerat occidi. Potuit & parentes timere, qui docuerat parricidium posse committi. Potuerunt enim & parentes de filio discere, quod didicerunt posterius de parente.

Et dixit ei Dominus Deus, Non sic: omnis qui occiderit Cain, septies vindictam exsoluet. Et posuit Dominus Deus signum super Cain, ne qui eum inuenisset, occideret eum. Egressus est autem Cain à facie Dei, & habitauit in terra Naid contra Eden. Et cognouit Cain mulierem suam, & concipiens peperit Enoch. Et condidit ciuitatem, & nominauit ciuitatem de nomine filij sui, Enoch. Natus est autem Enoch Gaidad, & Gaidad genuit Mauiael, & Mauiael genuit Mathufala, & Mathufala genuit Lamech. Et sumpsit sibi Lamech duas mulieres, nomen vni Adda, & nomen secundae Sella. Et peperit Adda Iobel. hic fuit pater habitantium in tabernaculis pastorum. Et nomen fratris eius Iubal. hic fuit qui ostendit psalterium & citharam. Sella autem peperit & ipsa Thobel, & fuit ararius malleator aeris & ferri. Soror autem Thobel, Noema. Dixit autem Lamech mulieribus suis Addae & Sellae: Audite vocem meam mulieres Lamech, auferate sermones meos: quoniam virum occidi in vulnus mihi, & adolescentem in liuorem mihi: quia septies vindicatus est ex Cain, ex Lamech autem septuagies septies. Cognouit autem Adam Euam mulierem suam, & concipiens peperit filium, & nominauit nomen eius Seth, dicens, Suscitauit enim mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Et Seth natus est filius, nominauitque nomen eius Enos. hic sperauit inuocare nomen Domini Dei.

*Qua de causa dixerit Deus: Omnis qui occiderit Cain, septies vindictam exsoluet: & qua ratione signum super eum positum fuerit ne occideretur, cum moralis interpretatione atque instructione.* CAP. X.

**N**UNC consideremus qua causa dixerit Deus, Omnis qui occiderit Cain, septies vindictam exsoluet, & qua ratione signum super eum ponitur ne occidatur parricida, cum prospectum non fuerit, ne innocens occideretur. Octauus est homo, habet rationabile quo praestet ceteris, habet & quinque corporis sensus, habet etiam vocem, habet & generandi gratiam. Haec septem nisi illo rationabili tegatur, subiecta morti sunt, & ideo stultus in his habet omne periculum sui. Qui ergo rationabile illud amiserit, frustra de istorum sibi usu septem carnalium munerum blanditur. Dissoluuntur haec omnia, nisi habentis quibusdam rationis adstricta sint. Mors itaque rationis, mortem operatur irrationabilium passio-

nis. Sed illud melius, quod septimus numerus quietis & remissionis est. Ergo qui alij non pepercit peccat ori, & munus ei remissionis peccatorum inuiderit, ipse sibi spem remissionis eripiet, & erit in eo pari mensura vindicta de gratia. Quod autem signum posuit super Cain ne quis eum occideret, reflectere voluit errantem, & beneficio suo inuitare ad correctionem. Ipsi enim nos facilius committere solemus, quorum habemus gratiam. Nec tamen magna concedit, sed in eo ipso imprudentiam insipientis vlcisitur. Qui cum esset perpetuus supplicii obnoxius, non remitti sibi poenam poposcit, sed vitam corporis huius seruandam putauit, in qua plus aeternae est quam voluptatis. Mors enim vna est in secessione animae & corporis, & in fine istius vitae: quae simul ut venit, omnes corporis dolores auferre, non augere consuevit. Metus verò qui hanc vitam uiuentibus frequenter ingruunt, mœstitia, dolores, gemitus, diuersisque cruciatus grauitatum, & aegritudinum vulnera plurimas etiam mortes generi humano inferunt, ut ista mors remedium esse videatur, non poena. Non enim preemptoria est, per quam non adimitur vita, sed ad meliora transfertur. Nam si nocentes moriuntur, qui gradum à peccatis reuocare noluerint vel inuiti: tamen finem non naturae, sed culpae adipiscuntur, ne plura delinquant, quibus vita foenus est delictorum. Si autem bonae spei compotes sunt, migrare magis quam deficere credendi sunt. Inferitur hoc loco dogma de incorruptione animae, quod ipsa vera & beata vita sit, quam vnusquisque bene conscius viuet multo purius ac beatius, cum huius carnis anima nostra depouerit inuolucrum, & quodam carcere isto fuerit absoluta corporeo, in illum superiorem reuolans locum, vnde nostris infusa visceribus compassione corporis huius ingemuit, donec commissi gubernaculi munus impleat, ut carnis huius irrationabiles motus, rationabili ductu regeret & coërceret. Inde est quod postea prophetae in captiuitatem cum populo Iudeorum transferunt, ne reliqua plebs sanctorum destituta praesidio, consilioque viduata, grauiorem subiret aeternam, sed magis frequentibus commonita oraculis prophetarum, ad Dominum Deum suum pio rediret affectu, ne aduersis captiuitatis attrita, proueret in perfidia peccatum, salutisque remedium desperaret. Redarguuntur itaque hoc in loco qui vnicam hanc vitam putant esse quae sit in hoc saeculo (Omnia plena lapsus, plena mœroris sunt) & redarguuntur simpliciter gestorum. Ecce enim iustus, innocens, pius, propter gratiam deuotionis odia fratris incurrens, immaturus adhuc aui sublatus est parricidio: & iniquus, sceleratus, impius, etiam fraterna caede pollutus longaeuam duxit aetatem, duxit uxorem, posteritatem reliquit, vrbes condidit, & hoc meruit permissione diuina. Nonne in his aperte vox Dei clamat, Erratis, qui putatis hic esse omnem viuendi gratiam? Non intelligitis, non aduertitis senectutem hanc miseriarum esse veteranam, processioneque aetatis, aeternarum stipendia, & Scyllæo quodam usu circumsonari nos quotidianis naufragiis, tundi fluctibus, in scopulosis habitaculis degere, & in his delectari, sicut illud non tam aeternum animal quam immortale malum? Ergo & isti Cain longaeuitas in-

*Leuit. 25.*

*2. Cor. 5.*

*Sapient. 1.*

dulta

dulta vindicta est, eo quod vixit in metu, & prolixum spatium multo cucurrit & instructo labore, qua poena nihil grauius quam ut quis ipse sibi maiorum causa poenarum sit. Vide igitur quam perpetua vita iustorum, & nulla sit improborum. Iusti sanguis clamat & mortui, vita autem peccatoris absconditur. Tertium est, quoniam cum parricidium esset admissum, hoc est, scelerum principatus, ubi peccatum obrepit, statim & lex diuinæ mansuetudinis prorogari debuit: ne si continuo vindicatum esset in reum, homines quoque in vindicando nullam patientiam moderationemque seruarent, sed statim reos supplicio darent. Diuinæ autem sententiae prouidentia huiusmodi est, ut magnanimitatem & patientiam doceret iudices, ne quis praeproperè raperetur studio vindictae, & ipsa deliberationis immaturitate puniret innoxium, aut poenam acerbaret irati, nec tamè penitus inultum esse pateretur in eo qui nullam po-

nitentiam sceleris induisset. Repulit enim eum à facie sua, & à parentibus abdicatum, separatam habitationis quodam relegauit exilio, eo quod ab humana mansuetudine transisset ad sauitiam bestiarum. Verumtamen non homicidio voluit homicidam vindicari, qui mauult peccatoris correctionem quam mortem. Vnde in Lamech septuagies septies vindicatur, quia grauior culpa eius est, qui nec post damnationem se correxit alterius. Cain impetu quodam improvido antè peccauerat: Lamech utique quod in altero reprehensum aduerterat, cauere debuerat. Suo quippe iudici sententia debebatur, ne quis passim reum esse feriendum putaret. Et ut ad mysterium venias, non debuit interimere eum qui vsque ad naturalem terminum mortis suae, agenda habebat spatium poenitentiae. Excusare posset quod se redemisset vel sera actione poenitentiae, nisi eum praematura poena rapuisset.

*Exeb. 18.*

S. AMBROSII DE ABEL ET CAIN LIBRI SECVNDI FINIS.

Summarium Libri de Noe & Arca.

*A cap. I. vsque ad cap. I I. agit de interpretatione nominis Noe, de oraculo parentum, & significatione nominum filiorum eius.*

*A cap. I I I. vsque ad cap. X. quod circa diluuij tempus hominum procreatio excreuerit: agit de gigantibus, de fabrica arcae: & quod etiam animalia rationis expertia fuerint punita diluuiio.*

*A cap. XI. vsque ad cap. XV. de animantibus in arcã introductis, de duratione diluuij, de animantium interitu extra arcam repertis meminit.*

*A cap. XVI. vsque ad cap. XXIII. de exsiccatione aquarum diluuij, de emissionem corui & columbae: de egressu Noe ex arca, & eius sacrificio.*

*A cap. XXIII. vsque ad cap. XXXII. de creaturarum potestate homini tradita, de pacto quod non erit ulterius diluuium terram corrumpens; de exercitio Noe, & mysterio filiorum eius.*

*A cap. XXXIII. vsque ad finem, de filiis Iapheth, de generatione Nemroth ex familia Cham.*

Capita libri.

*Quod dignum sit ut iustus Noe qui ad renouandum semen hominum reseruatus fuit, ad imitationem omnium describatur, ut & nos requiescamus ab omni istius mundi sollicitudine, operibusque iniquitatis, ac terrena conuersationis cura.*

Cap. I.

*De significationibus nominum trium filiorum Noe, & de instructione aciei, ac munitionibus bonitatis naturae, quae nos ad huius mundi praelia generauit.*

Cap. II.

*Quid significet quod secuturo diluuiio non solum Noe, sed & vniuersa generatio quam maximè abundauerit filiorum procreatione: & quomodo beneficij gratiam sequi debet sobria disciplina censura: qua etiã ratione Spiritus sanctus hominibus detur, non autem permaneat.*

Cap. III.

*Quod gigantibus qui fuerunt in terra aetate Noe, similes sint homines cultui carnis suae studentes: & qui dicantur filij Dei: & quo pacto Deus dicatur irasci, aut moueri, quemadmodum etiam irrationabilibus propter hominis peccatum deletis, Noe tamen gratiam apud Deum inuenerit.*

Cap. IIII.

*Quomodo omnis terra dicatur fuisse corrupta, & tempus omnis hominis venisse ante Deum. De aedificatione arcae, & quemadmodum in ea descripta fuerit humani corporis figura: quodque nidi eiusdem, quibus singula corporis nostri membra significantur, bitumine intus & foris linienda sint, ne facile corrumpantur.*

Cap. VI.

*De comparatione arcae Noe ad arcam foederis quo ad materiam ligni, glutini, & commotionis: quomodo etiam longitudo & latitudo arcae singulos humani corporis sensus denotent ad usum aliquem esse compositos.*

Cap. VII.



- Quid significet ostium ex aduerso in arca factum: & quemadmodum qui retrò erant, priores facti sint. Cap. VIII.
- Quid sit quòd inferiora arcae bicamerata & tricamerata esse debeant: & quòd Deus per arcae figuram uoluerit nos edocere quemadmodum à diluuiò intemperantiæ tuti essemus per remedium electionis iusti. Cap. IX.
- De tribus causis ob quas muta animantia, quæ peccandi sensum non habent, per diluuium subiecta sint pœnæ; cum altiori mystica quadam interpretatione. Cap. X.
- Quòd absumptis diluuiò omnibus animantibus, solus iustus se & domum suam seruat: & uerba textus ad litteram, & mysticè explicantur. Cap. XI.
- Qua ratione de iumentis mundis septem & septem, masculus & femina iubeantur in arcam induci, de immundis autem duo & duo, secundum naturalem atque moralem expositionem. Cap. XII.
- Qua de causa postquam ingressus est Noe in arcam, post septem dies diluuium factum fuerit: quare etiam cum satis fuisset quadraginta diebus dixisse diluuium fuisse, adiecerit, & quadraginta noctibus: & qua ratione quadraginta diebus durauerit, quid præterea sibi uelit quod inquit Dominus, Et delebo omnem resurrectionem carnis à facie terræ, quid postremò quod dicitur, Et fecit omnia Noe quæ mandauit ei Dominus Deus. Cap. XIII.
- Qualiter sit considerandum quòd sexcentesimo anno Noe, uigesima & septima mensis factum sit diluuium: & quemadmodum omnes fontes rupti dicantur, ac cataractæ cæli apertæ, tam secundum litteralem, quàm etiam altiore intellectum. Cap. XIII.
- Cur Dominus à foris arcam clausisse dicatur: & quomodo exundante aqua arca ferebatur super flumina aquarum, quæ quindecim cubitis super montes excelsos eminebat, iuxta litteralem & allegoricam interpretationem: cum explicatione eius quod scribitur, Deleuit Deus omne quod erat super faciem terræ. Cap. XV.
- Explicatur textus, & examinatur, cur fecit potius mentionem bestiarum & iumentorum, quàm initium animantium: qualisque fuerit spiritus quem Dominus induxit super terram ut cessarent aquæ. Cap. XVI.
- Quid sit quod ait scriptura, Clausi sunt fontes aquarum, & cataractæ cæli: & de explicatione loci illius ubi dicitur, Et sedit arca septimo mense, septima & uigesima mensis: & quid sit ostium arcae quod iustus aperuit ut emitteret coruum non reuersurum. Cap. XVII.
- Quid sibi portendat, quòd post coruum non reuersum columba dimissa dicitur, quòdque Noe extendens manum suscepit eam, & ad se introduxerit: quòdque septem aliis diebus tenuerit columbam, & iterum eam emisit. Cap. XVIII.
- Cur columba dicatur ad uesperum esse regressa cum ramo oliuæ in ore: & unde cognouerit Noe aquas defecisse: & de columba tertio post dies septem emissa, quæ tamen non regrediebatur. Cap. XIX.
- Quid sibi uelit illa adiectio, quòd scriptura alia die aquam minutam, alia siccata[m] terram commemorat: quomodo etiam Noe tectum arcae denudauerit: & quod ait primum mensem, uel secundum. Cap. XX.
- Quare Noe non sua sponte exiuerit arcam, sed expectauerit oraculum diuinum, quo sibi dicebatur, Exi de arca tu, & uxor tua, & filij tui. & quare in ingressu, ordinis delectus fuerit habitus, ut primò ipse & filij, deinde uxores ingrederentur; in egressu autem id commutatam, ut femina cum uiris exierint. Cap. XXI.
- Qua ratione Noe circa arcam nihil fecerit, nisi iussus à Domino, & tamen post egressum ab arca non monitus aram Deo edificauerit: & quare dicatur Deo, & non Domino, cur etiam sumpserit à bestiis & uolatilibus mundis ut offerret holocausta: quòdque sit quod ait Dominus, Recogitans non adiciam maledicere terræ. Cap. XXII.
- De explanatione litterali & morali eius quod Dominus dixit, Semen & messis, hyems & æstas, die & nocte non requiescent. Cap. XXIII.
- De prerogatiua potestatis hominibus in cætera animalia attributa per id quòd Dominus benedixit Noe & filiis eius, dicens, Crescite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini eius, & quomodo intelligatur quod subditur, Omnia reptilia quæ sunt uiua, sint uobis in escam: cum tamen quædam reptilia sint uenenata. Cap. XXIII.

- An sub his uerbis quibus ait Dominus, Sicut olera pabuli dedi uobis omnia; oleribus magis quàm carnalibus epulis uti debeamus: & quemadmodum abstinere debeamus à sanguine, in quo est anima: ac de diuersis philosophorum opinionibus circa naturam animæ. Cap. XXV.
- Quòd per hoc quod ait, Etenim uestrum sanguinem & animarum uestrarum exquiram de omnibus bestijs, & de manu hominis fratris; detur intelligi hominem grauius peccare qui fratri insidiatur: & quis dicatur frater, quare etiam dixerit, Ad imaginem Dei feci hominem, & non, ad imaginem meam; cum reprobatione opinionis philosophorum, qui negant Deum habere curam super homines. Cap. XXVI.
- Quomodo intelligendum sit quod inquit Dominus, Non erit diluuium ut corrumpat omnem hominem, & quod subdit, Arcum meum ponam in nube; & qualis fuerit arcus ille. Cap. XXVII.
- Qua ratione cum tres filios Noe, Sem, Cham & Iapheth, supra computauerit, hoc loco mediij filij, id est, Cham generationem prius comprehenderit: & quomodo ille Chananæorum auctor fuerit. Cap. XXVIII.
- Quomodo Noe egressus ab arca, factus sit agricola: & de differentia inter operatorem terræ, & agricolam, quid etiam sit quòd iustus primum uineam plantauerit, & non triticum aut hordeum: & quid sibi uelit quod subdit, Bibit de uino, & inebriatus est: & de duplici specie ebrietatis, & gemina nudatione sapientis: ac de operimentis animæ. Cap. XXIX.
- Quare non simpliciter dixerit, Vidit Cham nudationem patris; sed, Vidit Cham pater Chanaan: & cur Cham nudatum patrem riserit. Cap. XXX.
- De pietatis affectu in bonis filiis Sem & Iapheth, qui nudatum amictu patrem uidere cauerunt: & quomodo mens sapiens retrorsum ambulet, quid etiam significet quòd somno recedente Noe sobrius factus sit à uino: & quare scriptura Cham, quem primò medium inter filios posuit, postea minorem appellauerit, dicens, Cognouit Noe omnia quæ fecit ei filius iunior. Cap. XXXI.
- De benedictione Sem filij, & quare Noe Dominum & Deum dixerit, & specialiter Deum filij sui Sem, & qua ratione cum Cham peccauerit, non ipsum, sed filium illius seruituti addixerit: & de benedictione filij Iapheth, & multiplici dilatactione bonorum; & de mysterio annorum Noe. Cap. XXXII.
- De posteritate Iapheth: & quòd insula maris, ne dum terra, ei data sunt: & sensus mysticus explicatur. Cap. XXXIII.
- Qua ratione Cham illius improbi filium seniore[m] Chus scriptura fuisse memorauerit: & quòd Chus Nemroth gigantem genuerit, qui erat uenator ante Deum: & de interpretatione nominis Nemroth: quòdque idem principium fuerit regni Babylonis. Cap. XXXIII.

## SANCTI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, DE NOE ET ARCA LIBER.

Genesis Cap. V.

**H**ic liber generationis hominum, qua die fecit Deus Adam, ad imaginem Dei fecit illum, masculum & fœminam fecit eos: & benedixit eis, & nominauit nomen eius Adam, qua die fecit eos. Vixit autem Adam annos ducentos triginta, & genuit ad figuram suam & ad imaginem suam filium, & nominauit nomen eius Seth. Facti sunt autem dies Adam, quos uixit postquam genuit ipse Seth, anni septingenti, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Adam quos uixit, anni nongenti triginta, & mortuus est. Vixit autem Seth annos ducetos quinque, & genuit Enos.

A Et uixit Seth postquam genuit ipse Enos, annos septingentos septem, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Seth, anni nongenti duodecim, & mortuus est. Et uixit Enos postquam genuit ipse Cainan, annos septingentos quindecim, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Enos anni nongenti quinque, & mortuus est. Et uixit Cainan annos centum septuaginta, & genuit ipse Malaleel. Et uixit Cainan postquam genuit ipse Malaleel, annos septingentos quadraginta, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Cainan anni nongenti decem, & mortuus est. Et uixit Malaleel annos centum sexa-

ginta quinque, & genuit Jared. Et vixit Malaleel postquam genuit ipse Jared, annos septingentos triginta, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Malaleel anni octingenti nonaginta quinque, & mortuus est. Et vixit Jared annos ceterum sexaginta duos, & genuit Enoch. Et vixit Jared postquam genuit ipse Enoch, annos octingentos, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Jared anni nonaginta duo, & mortuus est. Et vixit Enoch annos centum sexaginta quinque, & genuit Mathufala. Placuit autem Enoch Deo. Et vixit Enoch postquam genuit ipse Mathufala, annos ducentos, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Enoch anni trecenti sexaginta quinque. Et placuit Enoch Deo, & non inueniebatur, quia transfudit eum Deus. Et vixit Mathufala annos centum sexaginta quinque, & genuit Lamech. Et vixit Mathufala postquam genuit ipse Lamech, annos octingentos duos, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Mathufala quos vixit, anni nonaginta sexaginta noue, & mortuus est. Et vixit Lamech annos centum octoginta octo, & genuit filium, & nominavit nomen eius Noe, dicens, Hic requiescere faciet nos ab operibus nostris, & a tristitia manuum nostrarum, & a terra cui maledixit Dominus Deus. Et vixit Lamech postquam genuit ipse Noe, annos quingentos sexaginta quinque, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Lamech anni septingenti quinquaginta tres, & mortuus est. Et Noe erat annorum quingentorum, & genuit ipse Noe tres filios, Sem, Cham, & Iapheth.

*Quod dignum sit ut iustus Noe qui ad renouandum semen hominum referuatus fuit, ad imitationem omnium describatur, ut et nos requiescamus ab omni istius mundi sollicitudine, operibusque iniquitatis, ac terrena conuersationis cura.* CAPVT I.

**O**E sancti adorimur vitam, mores, gesta, altitudinem quoque mentis explanare, si possumus. Nam cum ipsa prophetia dixerit nihil difficilius quam hominis interiora comprehendere, quanto magis viri iusti mentem cognoscere? Etenim quem Dominus Deus ad renouandum semen hominum referuauit, ut esset iustitiae seminarium, dignum est ut nos quoque describamus eum ad imitationem omnium, & requiescamus in eo ab omni istius mundi sollicitudine, quam quotidie diuersis exagitationibus sustinemus. Pudet filiis superuivere, tædet cum tot aduersa audiamus charissimorum, lucem hanc carpere: ipsarum Ecclesiarum diuersos studentes tæpestatelque; vel praesentes subire vel animo re-

cipere, quis tam fortis ut patietur ferat? Et ideo nobis quoque affectanda haec requies fuit, ut dum Noe sanctum maiore intentione consideramus, reficiamus & nos, sicut omne genus in illo requieuit ab operibus suis, atque tristitia. Vnde & Noe dicitur Latine iustus vel requies. Denique & patres eius dixerunt, quia hic faciet nos requiescere ab operibus nostris, & a tristitia manuum nostrarum, & a terra cui maledixit Dominus Deus. Quod utique si ad ea quae facta sunt, referendum putet, cum diluuium sub eo factum sit, non requies hominibus, sed interitus videatur illatus: nec remissio malorum, sed cumulus miseriarum. Verum si iusti viri mentem consideres, aduerter iustitiam solum esse quam aliis potius nata, quam sibi: non quod utile sibi est quaeratur, sed quod omnibus. Haec nos requiescere facit ab operibus iniquitatis, haec reuocat a tristitia: quia dum ea quae iusta sunt gerimus, nihil timemus purae conscientiae securitate, non dolemus graui dolore. Nihil est enim quod maioris doloris sit, quam culpae reatus. Requiescamus igitur ab omni cura terrena conuersationis, quae corpus nostrum atque animum frequentibus vexat doloribus, vitamque atterit.

*De significationibus nominum trium filiorum Noe, & de instructione aciei, ac munitionibus bonitatis naturae, quae nos ad huius mundi praelia generauit.* CAP. II.

**H**ic verò tres filii nati, Sem, Cham, Iapheth. Quae nomina significant bonum, & malum & indifferens: ut & naturae gratia bonitatem habuisse, & malorum tentamenta ei nequaquam defuisse, & indifferens, hoc est, velut supellecili virtutum abundasse videatur. Qua ratione autem malum in medio posuerit, ratio euidens est, quia naturae bonum omnibus inest, nec quasi naufragos in lucem proicit, sed & suffulcit viribus, ut non opprimantur tentamenti malitiae, nec tamquam inualidi succumbant; sed munit & vestit velut quibusdam tegumentis indifferens, quae sunt salus, valetudo bona, pulchritudo, impigritia, diuitiae, generis claritudo, ut ea dote muniti tueantur bonitatem naturae, & malum illud includant ne possit nocere, & quasi clausum strangulent. Nonne cernimus velut aciem quamdam virtutum ordinatam in praelium, ut inferiores in medio sint, dextra laeuaque; velut in cornibus validiores, per quos tota acies robur accipiat? Vnde & quidam poeta Graecus ait, *καρπὸς δ' ἐς μέσων ἔλασεν*, hoc est, Homeri Iliad. 4. Malos autem in medium inferuit. Ita ergo & natura quasi bonus dux imperante Deo, quae nos ad huius mundi praelia generare nouerit, quae bona habet, primo ordine constituit; quae officiant, secundo; quae adiuuant, tertio, ut tamquam in medio inclusus hostis, geminatis, quocumque se contulerit, opprimatur viribus, ne singula earum velut aequatis fatigetur praeliis, & euadendi de angustiis naturalibus, ac serpendi latius facultatem haberet. Sed quia ubi generantur, hic ordo est; ubi autem generant, Iapheth primo loco scribitur, tertio Cham: ideo ne contraria nos posterioribus dixisse quis arbitretur, etiam illius loci explananda ratio est. Bonum quidem, quod velut in quadam naturae nobilitate est, praecedit, malum autem insequitur. Sunt enim cogitationes mentis contrariae, quae utique oriuntur postea.

Hæc

*εὐτελέχεια*

Haec quamdiu velut intus clausa sunt, nec tamquam in herbis germinant, quodam sinu bonae mentis fouentur ne prodeant. Nam quamdiu in voluntate est malum, non in entelechia, hoc est, in opere atque effectu, bonitas mentis gubernatoris velut aurigae modo cohibet vel refranat malitiam tentantem profurpere: cum vero efferverit, atque in vlcus eruperit, ne possit latius serpere, & finitima contaminare, tunc iusta succedit providentia, ne illud indifferens, quod secundum bonum dicitur, velut loco cedat, cum iam feruenti malo non possit resistere. Itaque ne latius fundat virus noxium, & plurimas inficiat generando corruptiones: illud primum bonum, quod natura bonum est, dum locum mutat, ordinem mutat, ut quasi laboranti cornui opem ferat, & eam partem aciei suscipiat quae plus laborat. Virtus enim bellatoris difficilioribus locis est necessaria: sicut etiam boni custodis praesentia ibi frequentior, ubi muri fragiliores. At ne qua pars sine defensore sit, dum illud bonum inclinatio sustentat, tunc illud indifferens locum superiorem suscipit, velut deputante sibi eam partem perfectiori bono. Nihil enim virtute perfectius. Indifferentia autem non habent robur validae virtutis, sed eius argent & diffundunt gratiam. Vnde Iapheth dicitur est, quod latitudo significatur Latine.

Genesis Cap. VI.

**E**T factum est quando ceperunt homines multi fieri super terram, & filiae natae sunt eis: videntes filii Dei filias hominum quod pulchrae sunt, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant. Et dixit Dominus Deus, Non permanebit spiritus meus in hominibus istis in aeternum, eo quod sunt ipsi carnes. erunt autem dies illorum centum viginti anni. At gigantes erant super terram in diebus illis. Et post illud, postquam ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, & genuerunt illis, isti fuerunt gigantes a saeculo, homines nominati. Videns autem Dominus Deus quod multiplicatae sunt malitiae hominum super terram, & omnis cogitat in corde suo diligenter ad mala omnibus diebus: & considerauit Deus quod fecit hominem in terra, & cogitauit, & dixit Deus, Delebo hominem quem feci a facie terrae, ab homine usque ad pecus, & a reptilibus usque ad volatilia caeli delebo, quia consideravi quod feci ea. Noe autem inuenit gratiam coram Domino Deo. Haec autem generationes Noe. Noe homo iustus, perfectus existens in generatione sua: Deo placuit Noe. Genuit autem Noe tres filios, Sem, Cham, Iapheth. Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate. Et vidit Dominus Deus terram, & erat corrupta, quia corrupit omnis caro viam suam super terram: & dixit Deus ad S. Ambr. tom. 1.

**N**oe, Tempus omnis hominis venit coram me, quia repleta est terra iniquitate ab eis: & ecce ego disperdam eos & terram. Fac igitur tibi arcam de lignis quadratis: nidos facies in ea, & illinies eam intus & foris bitumine. & sic facies arcam: Trecentorum cubitorum longitudo arcae, & quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo: colligens facies arcam, & in cubito consummabis eam a summo: at ostium ex aduerso facies: inferiora arcae bicamerata & tricamerata facies. Ego autem ecce indueam diluuium, aquam super terram, ut interficiam omnem carnem in qua est spiritus vitae subter caelum; & quaecumque sunt in terra morietur: & statua testamentum meum ad te. Ingredieris autem in arcam tuam & filii tui, & uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum. Et ab omnibus iumentis, & ab omnibus bestiis, & ab omni carne, bina bina ab omnibus induces in arcam, ut nutrias tecum. Masculus & femina erunt ab omnibus auibus volatilibus caeli secundum genus, & ab omnibus iumentis secundum genus, & ab omnibus reptilibus reptantibus super terram secundum genus eorum: bina bina de omnibus ingredientur ad te, ut nutriatur tecum masculus & femina. Tu autem accipies tecum ex omnibus fœcis quas comeditis, & congregabis apud te ipsum, & erunt tibi & illis ad manducandum. Et fecit Noe omnia quaecumque praecipit ei Deus, sic fecit.

*Quid significet quod secuturo diluuium non solum Noe, sed & vniuersa generatio quam maxime abundauerit filiorum procreatione: & quomodo beneficii gratiam sequi debet sobria disciplina censura, quae etiam ratione Spiritus sanctus hominibus detur, non autem permaneat.* CAP. III.

**N**ec solum sanctus Noe abundauit filiorum generatione, sed etiam vniuersa se effudit quam maxime eo tempore generatio. Quod non otiosum videtur. Secuturo enim diluuium non debuit aestimari defuisse gratiam fecunditatis illi generationi, quam diluuium absorberunt: ut quod fuit humani generis abundantia, diuinae deputetur gratiae: quod diluuium secutum est, nostris adscribatur iniquitatibus, qui peccatis nostris auertimus Dei misericordiam. Sic & in posterioribus inuenies quod secuturam Aegypti sterilitatem praecessit totidem annorum fecunditas. Principale est enim virtutis inchoare a beneficiis, & praefeminare gratiam. Vnde & Dauid ait, Misericordiam & iudicium carabo tibi Domine. Praecedit beneficii gratia, sequitur censura sobriae disciplinae. Diuinum est igitur quod bona praemittuntur, nostrum quod mutantur. Ipse hoc declarat Deus, dicens, Non permanebit spiritus meus in hominibus, eo quod sunt ipsi carnes. Spiritus sanctus, spiritus sapientiae est, spiritus cognitionis. Habet ergo sapientiam, habet

k

Exod. 31.

& disciplinam: sicut & de Beseleel, qui sacrum tabernaculum diuino oraculo iussus est facere, ait scriptura. Quia repletus est spiritu prudentiae & disciplinae. Hic ergo spiritus datur hominibus, sed non permanet. Quia autem ratione non permanet, causa proditur, quia caro sunt. Carnis enim natura disciplinae repugnat, quia voluptati obtemperat. Denique de solo Domino Iesu scriptum est, Super quem videris spiritum descendentem de caelo, & manentem super eum, hic est qui baptizat Spiritu sancto. In eo manebat, quem nulla corruptelae carnis impedimenta reuocabant, quo minus incorruptae & impermixtae ordinem disciplinae teneret, cuius caro non vidit corruptionem.

1. I.

Act. 2.

*Quod gigantibus, qui fuerunt in terra aetate Noe, similes sunt homines cultui carnis suae studentes: & qui dicuntur filij Dei: & quo pacto Deus dicatur irasci aut moueri, quemadmodum etiam irrationabilibus propter hominis peccatum deletis, Noe tamen gratiam apud Deum inuenit.*

CAP. IIII.

**A**t gigantes erant in terra in diebus illis. Non poetarum more gigantes illos terrae filios vult videri diuinae scripturae conditor, sed ex angelis & mulieribus generatos asserit, quos hoc appellat vocabulo, volens eorum exprimere corporis magnitudinem. Et consideremus, ne forte gigantum sint similes homines cultui studentes carnis suae, animae autem nullam curam habentes: sicut illi qui de terra secundum poeticam fabulam orti, mole corporis sui freti ferugur habuisse contemptum superiorum. An dispares aestimandi sunt, qui cum ex anima constant & corpore, mentis vigori (quo nihil habet anima pretiosius) aduersantur, & se carnis huius imitatores velut maternae exhibent stoliditatis haeredes? Itaque in vanum laborant, caelum votis usurpantes superbis, & terrenis operibus incubantes, qui electione inferioris, & contemptu superioris consortij tanquam voluntariis obnoxij peccatis grauiori condemnantur feueritate. Plerumque, angelos filios Dei vocat scriptura, quia ex nullo homine generantur. Itaque viros fideles filios suos dicere non est aspernatus Deus. Sicut ergo viri probabilis vitae filij Dei vocantur: ita quorum carnalia sunt opera, hos filios dicimus carnis, scripturam auctoritate. Dicit enim Ioannes Euangelista, Quia quotquot Dominum Iesum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Ideo postea habes, quia iratus Dominus est, quoniam quamuis cogitaret, hoc est sciret, quia homo positus in terrae regione, carnem portans, sine peccato esse non possit (terra enim velut quidam tentationum locus est, caroque corruptelae illecebra) tamen cum haberent mentem rationis capacem, virtutemque, animam infusam corpori, sine consideratione aliqua in lapsum ruerunt, ex quo reuocare se nollent. Neque enim Deus cogitat sicut homines ut aliqua ei noua succedat sententia, neque irascitur quasi mutabilis: sed ideo haec leguntur, ut exprimat peccatorum nostrorum acerbitas, quae diuinam meruerit offensam: tamquam eosque increuerit culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter non mo-

Iob. 1.

Psal. 81.

Ioan. 10.

Ioan. 1.

Esai. 55.

1. Iob. 1.

uetur aut ira, aut odio, aut passione vlla, prouocatus videatur ad iracundiam. Minitatus est praeterea quod deleteret hominem. *Ab homine* (inquit) *vsque ad pecus, & a reptilibus vsque ad volatilia caeli delebo.* Quid laeserant irrationabilia? Sed quia propter hominem illa facta erant, eo utique deletio propter quem facta sunt, consequens erat, ut etiam illa deleterentur: quia non erat qui his vteretur. Sensu autem altiore illud manifestatur, quia homo mens est, quae est rationis capax. Homo enim definitur animal viuum, mortale, ratio nabile. Principali igitur extincto, etiam sensus omnis extinguitur, eo quod nihil reliqui ad salutem superest, cum salutis fundamentum virtus defecerit. Ad condemnationem autem carerorum, & ad expressionem pietatis diuinam, dicitur Noe apud Deum gratiam inuenisse. Simul ostenditur quod hominem iustum non obumbret aliorum offensio, quando ipse ad totius generis reseruat seminarium, qui non generationis nobilitate, sed iustitiae & perfectionis merito laudatur. Probat enim viri genus, virtutis profapia est: quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes sunt. Etenim familiae hominum splendore generis nobilitantur, animarum autem clarificatur gratia splendore virtutis.

*Quomodo omnis terra dicitur fuisse corrupta, & tempus omnis hominis venisse ante Deum.*

CAP. V.

**C**orrupta est autem terra coram Deo, & impleta est (inquit) iniquitate. Causa terrenae corruptelae manifestata est, eo quod iniquitas hominum terram corruerit. Vnde & Dominus Deus ait, *Tempus omnis hominis venit coram me, quia repleta est terra iniquitate ab eis.* Tempus tuum omnium hominum in conspectu Dei, & in eius voluntate est. Non enim (ut vulgo aiunt) fatale decretum alligatur. Sed tamen spiritaliter hic dictum puto, quia in Euangelio Dominus redempturus hominum genus passione sui corporis, & emundaturus sanguine suo, sacramentumque baptismatis, ait, Pater venit hora, clarifica filium tuum, ut & filius tuus clarificet te. Ergo quia in diluuiio per arcam Noe seruatae sunt reliquiae generis humani ad seminarium reparationis & renouationis futurae, ideo praemisit hic, *Tempus omnis hominis venit coram me, quia repleta est terra iniquitate ab eis.* Hoc in figura. In veritate autem ait, Reliquiae per electionem gratiae saluae factae sunt. Ideo quae clamat Apostolus, dicens, Superabundauit peccatum, ut superabundaret & gratia. *Corrupta* (inquit) *omnis caro viam suam.* Carnem hic posuit pro homine terreno, in quo carnis illecebra via eius corruerit. Qui si intellexisset quod munus accepisset a Deo, non utique passus esset, ut caro obstaret animae virtutibus. Itaque caro causa fuit corrumpendae etiam animae, quae velut origo & locus est quidam voluptatis: ex qua velut a fonte prorumpunt concupiscentiarum malarumque passionum flumina, lateque exundant. Quibus demergitur animae quoddam ex cussio gubernatore remigium, cum ipsa mens velut quibusdam tempestatibus & procellis victa, loco suo cedit. Pulchre autem ait, Quia homo viam naturae suae corrupit. Nam via sua in paradiso erat, in illo beatitudinum tramite, in illo virtutum flore, in illa incorruptibili gratia, quam viam terrenis inquinavit vestigiis. Alij habent,

Iob. 14.

Ioan. 17.

Rom. 11.

Rom. 5.

Viam

221

*Viam ipsius, hoc est Dei. Hoc solet verbo Domini declarari.*

*De adificatione arcae, & quemadmodum in ea descripta fuerit humani corporis figura: quodque nidi eiusdem, quibus singula corporis nostri membra significantur, bitumine intus & foris linienda sint, ne facile corrumpantur.*

CAP. VI.

**S**ed iam de ipsa Noe arca dicendum: quam si quis velit impensius considerare, inueniet in eius adificatione descriptam humani figuram corporis. Quid est enim quod ait Deus, *Fac igitur tibi arcam de lignis quadratis?* Quadratum certe hoc appellamus, quod omnibus bene consistat partibus, & conueniat sibi. Itaque & Deus auctor nostri corporis, naturaeque fabricator adstruitur, & opus ipsum perfectum esse iis sermonibus significatur. Quadrata autem hominis membra esse euident ratio, si consideres pedus hominis, consideres ventrem pari mensura longitudinis & latitudinis, nisi cum voluptatibus & epulis ventre distento, mensura naturalis exceditur. Iam pedes & manus, brachia, scemora, & crura quadripertita quis non ipso vsu aduertat? Sunt autem pluraque eorum, etsi non eiusdem longitudinis aut latitudinis, tamen quae analogiam ita seruent, ut in iis quoque congrua mensura ratioque concurrat: longitudo prolixior quam latitudo sit, latitudo quam altitudo. Et sicut arcae trina distantia est, siquidem trecentorum cubitorum longitudinem, & quinquaginta latitudinem, & triginta cubitorum altitudinem seruandam esse praescripsit: ita & in nostro corpore summa est, & media, & minima distantia. Summa secundum longitudinem, media secundum latitudinem, minima secundum altitudinem: totum tamen corpus attextum ex singulis membris, quadratum videtur. Nam & in vsu ita est, ut eos quadratos dicamus, quos nec enormes proceritate, & validos robusti qualitate corporis aestimamus. Quid etiam sibi vult quod ait, *Nidos facies in arca*, nequaquam silendum videtur. Naturaliter enim dictum arbitror, eo quod omne corpus nostrum attextum est sicut nidos, ut spiritus vitalis omnes partes viscerum penetret, atque de principali nostro fundat se per artus singulos. Nidi quidam sunt oculi nostri, quibus se visus inserit. Nidi sunt nostrarum sinus aurium, per quos auditus se infundit, & velut in foueam altam reicit. Nidos est narium, qui ad se odorem attrahit. Nidos est quartus maior caeteris, hiatus oris, in quo nutritur donec adoleat lator, & vnde vox euolat, in quo later lingua, quae velut organum vocis sonos eius artificij suauitate modulatur. Et cum sit ipsa irrationabilis, rationabilem vocem exprimit. Nidos est hemicranium. Nidos est membrana illa quae cerebrum fouet, & intra cohibet. Nidi sunt viscera pulmonis & cordis. Spiritus quidem nostri, hoc est, eius quem carpinus, & quo alimur in hac vita, nidos est pulmo: sanguinis autem & spiritus nidos est cor. Duo sunt enim eius vteri: vnus quo sanguinem velut quodam sinu suscipit, & transfundit in venas: alter quo rigatus ex illo superiori deducit in arterias iugi meatu. Offa quoque validiora nidos habent. Sunt enim intus cauata, in quibusdam foraminibus est medulla. In visceribus ipsis mollioribus nidi cupiditatis aut doloris sunt. Et alia si quis

consideret, etiam plures nidos inueniet in hac fabrica humani corporis. Vnde puto & illum in Psalmo *Psal. 83.* non solum mystice, sed etiam naturaliter dixisse: Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum ubi reponat pullos suos. Est enim iam in hoc corpore nidos pudicitiae, in quo erat nidos irrationabilis concupiscentiae. Sed ubi ante partus deformes nutriebat libido, ibi nunc decorae castitatis adolescit haereditas. *Illines* (inquit) *eam intus & foris bitumine.* Ex multis ossibus, nervisque, & caeteris aliis constat humanum corpus. Et foris igitur & intus apta compage conexum sibi adheret, & habitudine propria quam *apud* Graeci dicunt, tenetur, ut intus clausus spiritus qui infunditur, vel spiritalis substantia quae intus operatur, veluti geminis constricta vinculis non euagetur: sed ad vnitatem aptam & continentem, connexionemque validam cohibetur. Ideo bitumine constringi arca iubetur. est enim bitumen vehementis ad constringendum naturae. Vnde Graece dicitur *δσπαλτος, τὸ τῶ συνάπτεν*, quod disuncta, connectat, nexumque constringat indissolubili, ita ut naturali vnitate sibi credas conuenire. Ob hanc causam intus & foris bitumine arca constringitur, ne conexio illa facile rumpatur.

*De comparatione arcae Noe ad arcam foederis, quo ad materiam ligni, glutini, & commotionis: quomodo etiam longitudo & altitudo arcae singulos humani corporis sensus denotent ad usum aliquem esse compositos.*

CAP. VII.

**A**libi autem, hoc est, in Exodo, etiam deauratur foris & intus arca illa, quae in sanctis est mundi intelligibilis imitatrix imago. Sicut enim pretiosius aurum bitumine, ita illa quae in sanctis est arca, quam ista praestantior. Denique hic simpliciter ligna posuit, ibi autem ligna quidem, sed imputribilia comprehendit, declarans merita sanctorum. Ad didit etiam illic supportatoria immobilia esse, quod sanctorum statio stabilis & firma sit: quia vitae probabilis tramitem virtutis ductu secuti sunt, corruptelae declinantes confortia. Haec autem arca, ut pote in diluuiio huc atque illuc motu impellebatur incerto, eo quod peccatorum status mobilis sit, & vitae eorum quodam redundatum passionum diluuiio corruptioni obnoxiae errore inconstanti vagentur. Nec illud praetereundum, quod cum dixisset, *Et facies arcam trecentorum cubitorum longitudine, & quinquaginta cubitorum latitudine, & triginta cubitorum altitudine: addidit, Colligens facies arcam, & in cubito consummabis eam a summo: ut reliquo corpori mensurae sibi conuenientis ad gratiam decore quadraret caput hominis, tamquam regale arcae adiugeret: ex quo cum sensus omnes ad caeteras partes corporis transfunderentur, tum maxime oculi, velut speculatores & custodes, naturae apposti prouidentia, prope totum orbis nostri statum desuper contuerentur. Ipsaque mens illic locata secundum plurimorum sententiam, & maxime Salomonis, qui ait, Oculi sapientis in capite eius: quasi in aula imperialis virtutum concilium sibi contrahat, quo stipata comitatu & ipsa munitior sit, & tamquam ex edito quodam tuendi totius corporis regimen impertiat, responsa proferat, per quae possimus nos ipsos non solum retro aspicere, nec solum quod ante pedes est videre, sed etiam caeli ipsius secreta pro-*

Exod. 25.

Ecd. 2.

k ij



fundo obtutu spectare sapientia. Ibi igitur summa nostrae salutis, ibi gratia. Inde custodia, inde etiam pulchritudo toti corpori acquiritur, quae primum in vultu vernat. Decet enim praestantiorum esse aulae regalis nitorem, in qua sicut vsus maior, ita splendor est. Naque si spectes singula quae in hominis forma ad vsu aliquem composita videntur, vt oculi ad videndum, aures ad audiendum, nares ad odorandum, os ad loquendum: ita vsus ministrat, vt praestant decorem. Quam deformes sunt vultus caecorum! Et quid mirum si vultus hominis absque oculis deformatis est, quando ipsum caelum sine sole non habet suum decorum? Tristes sine sole dies ducimus, noctes sine luna non placent. Ipsi enim sunt quidam mundi oculi. Detrahe stellarum lumina, & quaedam est in caelo ipsa caecitatis deformitas. Pili ipsi qui orbem oculorum praetextunt, & velut quandam aciem praetendunt, ne forde aliqua vel pulueris caligine pupilla laedatur: & ipsi excipiunt si quid fuerit illatum quod oculum possit laedere: si lippitudine intercident, dedecet: si palpebra contractior fuerit, si radantur supercilia, quae pretiosorum moniliu specie velut intexta gemmis resurgent. Aurium quoque vt necessarius vsus, ita decora species: quas si quis truncauerit, toti vultui infert deformitatem. In quibus ita elaborauit opus suu natura, vt ipsi anfractu cauernaru mira prouidentia sinuati, plurimum utilitatis afferant, ne repente feriat secreta capitis sonus. Denique saepe multos improuiso clangore costernari videmus, & attonitos, aut vocis alicuius, aut tumultus sono expauescere. Sordes ipsae quae inter eosdem gignuntur anfractus, velut quodam glutino auditu ligant. Simul si vehementior vultus fuerit alicuius sonus, infringitur ac retardatur, vt praenuntiatus poti' mulceat, quam improuisus interna cocutiat. Vermiculi quoque ( si autem penetrare tentauerint) quodam sordium visco tenentur. Nares si contra naturam videntur: iam si incisa fuerint, quodammodo pecudis facies, magis quam vultus hominis aestimatur: Capilli capitis quam grato amictu caput vestiunt, velut quidam aulae regiae stipatores, ne cerebrum aura laedat, aut imber feriat, aut sol adurat. Quos ita tamē dedit natura, vt pro sexu aut prolixiores placeant, aut recisi, & pro aetate, aut plerumque pro temporis & anni qualitate. In senibus grata canities, in pueris prodigiosa: aetate desecta pressius, hyeme indulgentius: mulieribus ornamento est coma, dedecori est viris. Denique Apostolus euidentius expressit hoc, dicens, Nam ipsa natura docet vos quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: mulier vero si capillos habeat, gloria est illi. Quid de ipsa regia loquar, per quam aulici sermones prodeunt, quidam metis nostrae indices, animiq; internuntij? Quid de ipso dentium ordine, qui cum suo opere toti quidem corpori vires ministrat, tum etiam modulatores sunt vocis ipsius? De quibus si qui ceciderint, vox claudicat. Haec de capite prolixius diximus, quia oportuit sensus omnes in summo locari, vnde omnia per reliquas partes officia diuiderentur. Capiti autem nostro a tergo ceruix proxima, dextera laeuque; brachia sunt, quae arcem imperialem tamquam fida teneant custodia. Denique haec in nobis validiora, quae propiora capiti, haec praestantiora. Pectus quoque velut quoddam

1. Cor. 11.

facrarium sapientiae, & stomachus velut quidam testis (vt medici aiunt) & conscius secretorum capitis, compassionisq; confors, cui sua omnia vel salubria vel aduersa transfundat. Latera, natica, femora, & crura, mensurae latitudinem ipsa specie significat, pedumque gressus. Qui etsi exiliores videntur, sunt tamen latiores cum incedimus.

*Quid significet ostium ex aduerso in arca factum: & quemadmodum qui retrò erant, priores facti sint. CAP. VIII.*

**P**ulchre autem addidit, *ostium ex aduerso facies*, hanc partem declarans corporis, per quam cibos egerere consueuimus: vt quae putamus ignobiliora esse corporis, his honorem abundantiorē circumdaret. Quod multo gratius scriptura expressit quam Socrates in libro Platonis dixisse legitur. Na istud in Moyse scriptis siue ipse Socrates, siue Plato, qui in Aegypto fuit, potuerit vel legere, vel ab aliis percipere qui legerant; decoro motus inuento, ostium sibi apertum putauit, vt operatoris nostri consilium praedicaret, laudans eo quod id potissimum decori conuenerit, vt ductus quosdam vel exitus cuniculorum nostrorum a tergo auerteret, ne in purgationibus ventris conspectus noster offenderetur. At vero Apostolus, *Quae videntur, inquit, membra corporis infirmiora, necessaria sunt: vno ac simplici verbo descriptiones philosophiae supergressus: & quae putamus ignobiliora esse membra corporis, his honorem abundantiorē circumdamus: & quae inhonesta sunt nostra, honestatem abundantiorē habent.* Sobrietatis enim nostrae & temperantiae indicium praecipue illic cognoscitur. Heliuones enim aut distenduntur cruditate vsque ad periculum, aut plerumque soluuntur visceribus exinanitis. Quod pulchre etiam ad Ecclesiae membra Apostolus retulit. Quae enim inhonesta sunt nostra ac superflua, nisi luxuria, nisi lasciuia? Quibus si quis iuuentur irretitus tempore, cum ad maturiorem aetatem processerit, veniat ad baptismum, renūtiat superioribus, morietur priores exuat, peccata deponat, cōsepeliatur cum Domino Iesu Christo, crucifigatur ei mundus, & ipse mundo: nonne is peccatorum remissione donatus, abundantiorē honestatem, quam ille catechumenus cuius vita innocentior, habere aestimatur? Et vt Apostoli ipsius exemplo vtamur, Iudaeus erat, persecutor erat: vocatus ad gratiam Christi, cepit esse Apostolus. Et quia plus ei dimissum est, plus cepit diligere, abundantius caeteris Apostolis laborare: vas electionis factus, doctor gentium missus. Nonne etiam Apostolorum ipsorum plurimis vberiorē & honestiorē consecutus est gloriam, qui antē & inhonestus & ingloriosus fuit, cum persecueretur Ecclesiam Dei? Pauper iste debilis, in Ecclesia te redemit suis votis. Et (vt maiora aperiamus mysteria) quid tā ignobile quam gentilis populus? Pauper, vtpote qui nulla haberet eloquia Dei, debilis & vtroque pede claudus, qui nec in legem, nec in Euangelium credidisset: vocatus tamen credidit ei, baptizatus accepit gratiam. Itaque quia plus ei dimissum est, plus diligit. Remansit Iudaeorum populus, licet vno pede claudus: ut quamquam & in ipsa lege claudiceret. Itaque ille qui gloriosissimus habebatur, amisit omnia, mirabile consiliariu, & prudentē architectum,

1. Cor. 12.

ibid.

ibid.

*Coleff. 3.  
Rom. 6.  
Galat. 6.  
Philip. 3.  
1. Cor. 15.  
Aet. 9.  
1. Tim. 2.  
1. Tim. 3.*

1. Cor. 7.

1. Cor. 3.

1. Cor. 2.

rectum, & sapientem auditorem. Iste qui ignobilis erat, adeptus omnia, fidei titulo, trophaeo martyrii, angelorum gloriatur consortio. Ergo Plato quod potuit, sermonis nitorem adhibuit: Apostolus autē qui habebat Dei spiritum, reuelauit mysterium. Satis dictum est de ostio, quoniam qui retrò erāt, priores facti sunt.

*Quid sit quod inferiora arca bicamerata, & tricamerata esse debeant: & quod Deus per arca figuram voluerit nos docere quemadmodum a diluuiio intemperantiae tuti essemus per remedium electionis iusti. CAP. IX.*

**N**unc illud quaeramus, quid sit quod ait Dominus, *Inferiora arca bicamerata & tricamerata facies*. Inferiora quidem dicendo, aduertimus quod pulchre nos sentire voluerit inferiori loco aestimanda ciborum receptacula, hoc est, ea viscera quae acceptum conficiunt cibum. Corruptibilis enim esca est. Quod autem corruptibile, non superioribus, sed inferioribus comparandum: simul quia cibus decorum fertur, cuius exigua portio viribus corporis alimentumq; proficit. Reliqua vero pars alio purganda deducitur, quia intestina sunt per quae descendunt ciborum superflua. Ita operator noster instituit, vt non extenta a stomacho ad imum, sed sinuata sint ac reflexa, quod vitae nostrae vsus propagaretur. Nam si extenderentur intestina hominis quae suscipiunt & deducunt cibum, statim sine vlla pertransiret mora: & necesse esset iugiter esurire nos, iugiter epulari: aut deficiente alimentorum substantia, deficere illico. Nunc autem in illa intestinorum reflexione ac sinuatione bipartita ac tripartita adharet cibus, & descendendo paulatim vires ministrat, succum infundit corpori, tenet satietatem, differt edendi appetitum: nec subita effusio, nec repetita euacuatio est, nec inexplibilis appetitio est, nec insatiabilis epulandi libido. Primum ergo indigentia est, & famines: deinde ex his sequitur edendi sine intermissione continuo. Quid autem deformius, quam semper ventri studere? qui cum repletur, vacuandus est: cum vacuatur, replendus. Tertium quid superat, nisi mors inter ipsos cibos epulasq; permixta? Quomodo enim poterat diutius vitam producere, simul edentes, & esurientes, bibentes sitientesque: & priusquam replerentur, exinanientes omne quod sumperant, statimq; esurientes? Nunc autem, dum paulatim descendit esca, famem & cruditatem naturalis temperat prouidentia. Primum enim in stomacho, quem plerumque ventrem appellant superiorem, cibus conficitur: deinde coquitur in iecore: atque eo digeritur vapore. Succus eius diuiditur certis viscerum portionibus, ex quo omne corpus valet. Quod satis iniunctorum incrementa, senum testificatur perseverantia. Reliquum cibi in ventrem desluit, quem omnes ventrem appellamus sine adiectione. Plerumque dicunt ventrem inferiorem, ex quo sumus necesse est ( qui plenus iam corruptionis descenderat) egeratur per illud ex transuerso ostium. Haec cum ita naturali institutione ad Dei praeeptionem composita videantur, tamen si non edendi a nobis agendumque modus seruetur, tamquam exuberantibus passionibus generatur diluuium: & quaedam totius labes corporis. Intemperantia enim accendit libidinem, cruditate

A generat, corruptelam creat. Itaque aut duritia interna tenduntur, & quatuntur doloribus, aut inconsto ciborum humore, & indigestionis asperitate interior quidam intestinorum amictus raditur: quia velut chartae specie geminus eorum amictus asseritur. Vnus exterior, quem continuum aiunt periti, vel qui curiosius scrutati sunt; a summo ad imum directus: Alius interior, tamquam lateribus attextus: vnde aiunt non totum solui cum raditur. Nam si continuus esset interior, immedicabilis eius scissura foret, illic per moram adiunctionum, adherere ciborum reliquias. Quae si adiunctiones soluantur, transire semelos cibos, & potus defluos, hoc est hominis diluuium. Vnde mihi videtur per arcae huius figuram voluisse Deum nos edocere, quemadmodum ab hoc spiritali tuti sumus diluuiio. Corruptela enim diluuii causa est: ea ubi ereperit, aperiuntur aquae, ebulliunt omnes fontes cupiditatum, vt totum corpus tanto & tam profundo vitiorum fluiui mergatur. Nihil est enim quod tam miserē seruituti subiiciat hominem, quam libido, atque eiusmodi cupiditates quae iugo quodam criminum graui deprimunt miseram conscientiam, vt se nequeat attollere, vtpote quae libertatem innocentiae amiserit. Maximum ergo in hoc diluuiio est remedium, vt iustum praeferas, eumque mandati caelestis executorem eligas. Quis est iustus in nobis, nisi mentis vigor, qui intra istam arcam includat omne animantium genus, quod est super terram? Cohibe ergo & tu omnes irrationabiles passiones tuas, omnesque sensus tuos menti subiice, animiq; imperiis assuesce. Euolare foras non sinas cupiditates tuas, exire in vulgus libidinem: & per rationabilem mentem poteris etiam irrationabilia tua, & immunda peccata ab omni periculo diluuii liberare.

*De tribus causis ob quas muta animantia, quae peccandi sensum non habent, per diluuium subiecta sint poenae, cum altiori mystica quadam interpretatione. CAP. X.*

**Q**uicumque (inquit) sunt in terra, moriuntur. Quid utique muta deliquerant animantia, quia subiecta sunt poenae, quae peccandi sensum non habent? Sed quemadmodum in bello cum imperator ab hoste occiditur, commoritur eius exercitus, atque omnis comminuitur virtus militaris: sic non discrepare a iustitia visū est, cum interiret homo, cui regalem quandam Dominus Deus in omne animantium genus potestatem dedit, vt omnibus volatilibus, feris, bestiis imperiali praesesset auctoritate, quod etiam pecudes, & quaecumque erant irrationabilia, commorerentur animalia. Denique si quando est pestilentia, corrupto caeli tractu, prius ea quae sunt irrationabilia, lues dira cotaminat, & maxime canes, equos, boues atque ea inficit, quae cum hominibus cocersari videntur. Sic morbi vis genus humanum implicat. Haec igitur prima causa, vt arbitror, iustae assertio nis. Secunda illa, quia nemo accusat naturam cur reliqua corporis nostri membra moriantur solo capite sublato, cum multos videmus amputatis manibus & pedibus superuiuere. Sed non eadem caeterorum membrorum est praerogatiua, quae capitis. Ideoque abscesso eo, vnde sensus nostri in reliquum corpus prodeunt, moriuntur etiam omnia mem-

Gen. 1.

bra: nec in eo aut operatoris prouidentia deferitur, aut substantia humana redarguitur. Similiter ergo nemo nunc arguat, quia caput & principale quoddam ceterorum animalium homo est: quo moriente non debet mirum videri, si cetera moriantur animalia. Tertium illud est, quia rationis expertia non propter se, sed propter hominem generata sunt animalia. hominis enim causa esse praecepta sunt, ut eorum subiectione, humana praestaret conditio. Denique gratia hominis attribuit Propheta, dicens, Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres caeli, & pisces maris: quia propter ipsum illa omnia: alia propter utilitatem, alia delectationis gratia, alia voluptatis. Consequens ergo erat, ut cum deleteretur homo a facie terrae, propter quem facta sunt, etiam ipsa pari deleterentur occasu. Haec secundum simplicem lectionis expositionem. Altior autem & profundior interpretatio illud attexit, quod ubi anima mole passionum curuatur graui, & quasi diuersarum cupiditatum mergitur aestu, terrenae omnes cogitationes & concupiscentiae in praecipitium ruunt: quia peccator vnusquisque, quo grauiora flagitia commiserit, eo fit insolentior. Namque vsu atque exercitatione improbitas augetur, & impunitate nutritur audacia. Recedit itaque ab omni respectu honestatis, & in eo terrena omnia moriuntur letalis peccati acerbitate, quae vera morte peccatorem delectat. Nemo enim grauius moritur, quam qui peccato viuunt. Moritur in eo actiones singulae, moritur visus, qui peccatum annuntiat, qui mulieri fallaci intendit, qui capitur alieni vultus decore, quem oculi meretricis ligauerint, quem aspectus illaqueauerit fornicariae. Annon videtur mori, qui sibi libidinis telum impresserit, qui spontaneus in foueam mortis irruerit? Moritur & auditus, cum infert crimina, cum sollicitantis adulteri sermonem annuntiat, cum infert animis verba meretricis quae seducit iuuenem multo blandimento sermonis, laqueis autem labiorum suorum illigat eum. Moritur vox silentio, si non confiteatur Deo. Moritur multiloquio, quia scriptum est, Ex multiloquio non effugies peccatum. Moritur per iracundiam, cum praetergreditur mensuram vltionis. Omnis postremo sensus moritur, si minister sit iniquitatis. Et ideo quia terrena omnia moriuntur diluuium, solus autem iustus in aeternum manet, ad ipsum dicitur, *Statuam testamentum meum ad te*: quia ipse diuinae est haeres gratiae, ipse caelestis possessor hereditatis, beatissimorum consortis bonorum. Et homines quidem cum moriuntur, patrimonium suum testamento transcribere solent: nec cedit hereditas donec viuunt testator. Deus autem cum sit sempiternus, transfundit iustis diuinam hereditatem substantiae: & ipse non indigens, donat sua sine villo donationis dispendio, quem non grauat suorum consortes bonorum, magisque fruuntur eo quo nos vtimur. Denique Dominus Iesus pauper factus est, cum diues esset, ut illius inopiam ditaremur. Qui testamentum vtrumque suo consummauit sanguine, ut nos vitae suae cohaeredes, & mortis faceret haeredes: quod & vitae haberemus confortium, & mortis beneficium. Multum autem tribuit iusto, dicendo, *Statuam testamentum meum ad te*; eo quod rationalis & fidelis vir, sit testamentum Dei.

psal. 8.

Pror. 5. & 6.

Pror. 7. Pror. 10.

Ibid.

nebr. 9.

1. Cor. 8.

Ipse est enim hereditas, ipse possessio, in quo virtus diuini testamenti est, in quo fructus iudicij, in quo hereditas promissionis; de quo Dauid dicit, Ecce hereditas Domini, filij merces, fructus ventris. Sed iam salua expositione profundioris mysterij, ad reliqua pergamus.

Genesis Cap. VII.

ET dixit Dominus Deus ad Noe, Intra tuam & omnis domus tua in arcam, quia te vidi iustum coram me in generatione hac. Ex iumentis mundis introduce ad te septem & septem, masculum & foemina: ex immundis autem duo & duo, masculum & foemina: & de volucris caeli septem & septem, masculum & foemina, ut nutriatur semen in omnem terram. Adhuc enim diebus septem ego inducam pluuiam super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus: & delebo omnem resurrectionem carnis quam feci, a facie terrae, ab homine usque ad pecus. Et fecit Noe omnia quae cumque praecipit ei Dominus Deus. Noe autem erat annorum sexcentorum, & diluuium aquae fuit super terram. Ingressus est autem Noe & filij eius, & vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquam diluuii: & de iumentis mundis, & de iumentis non mundis, & de volucris, & de omnibus reptilibus reptantibus super terram, duo & duo, de omnibus ingressa sunt ad Noe in arcam, masculus & foemina, sicut praecipit Dominus Deus Noe. Et factum est post septem dies, & aqua diluuii facta est super terram. In sexagesimo anno, in vita Noe, secundo mense, septima & vicesima mensis, in die hac rupti sunt omnes fontes abyssi, & cataractae caeli apertae sunt, & facta est pluuia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus. In die hac ingressus est Noe, Sem, Cham, Iapheth, filij Noe, & vxor Noe, & tres vxores filiorum eius cum eis in arcam: & omnes bestiae terrae secundum genus, & omnia iumenta terrae secundum genus, & omne volucre volatilis secundum genus, & omne reptile quod mouetur super terram secundum genus, ingressa sunt ad Noe in arcam bina bina ex omni carne, in quae sunt spiritus vitae. Et quae ingressa sunt, masculus & foemina ex omni carne ingressa sunt ad Noe in arcam, sicut praecipit Dominus Deus Noe. Et clausit Dominus Deus a foris arcam, & factum est diluuium quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & multiplicata est aqua, & eleuauit arcam, & exaltata est a terra:

Num. 18. & Deut. 18. Psal. 126.

Pror. 9.

Gen. 9. Gen. 10.

Intra ca. 29 huius libri.

1. Reg. 16.

&

& inualuit aqua, & multiplicata est valde super terram: & ferebatur arca super aquam. At aqua inualuit nimis valde super terram: & cooperuit omnes montes excelsos, qui erant subter caelum. Quindecim cubitos desuper exaltata est aqua, & cooperuit omnes montes: & mortua est omnis caro quae mouebatur super terram, volatilium, & iumentorum, & bestiarum, & omne reptile quod mouetur super terram: & omnis homo, & omnia quaecumque

habent spiritum vitae, & omnis qui erat super aridam, mortuus est. Et deleuit omne surgens quod erat super faciem terrae, ab homine usque ad pecus, & reptilia, & volucres caeli. Et deleta sunt de terra, & remansit Noe solus, & qui cum eo in arca. Et exaltata est aqua super terram diebus centum quinquaginta.

Qua ratione de iumentis mundis septem & septem, masculus & foemina iubeantur in arcam induci, de immundis autem duo & duo, secundum naturalem atque moralem expositionem. CAP. XII.

Nunc consideremus qua ratione induci in arcam iubet a iumentis mundis septem & septem, masculum & foemina: ab immundis autem duo & duo, ut nutriatur semen in omnem terram. Et, ut ego arbitrator, inire mundam asserit hebdomadam, quia mundus & sacer septimus numerus. Nulli enim miscetur, nec ab alio generatur. Ideoque virgo dicitur, quia nihil ex se generat. Meritoque tamquam materni exors immunitusque partus muliebris copular, et si hebdomas foemineo nuncupetur nomine, virilis habet sanctificationis gratiam. Omnis enim masculus adaperiens vuluam, sanctus Domino vocabitur. Et in Propheta habes, Effudit, & peperit masculum, id est sanctum. Secundus autem numerus non est plenus, quia diuisus. Quod autem non est plenum, vacuum habetur. Septimus autem numerus plenus, quia hebdomas, ut decas: & similis illius primi, quia facta est ad similitudinem illius, qui est semper, a quo profluunt, & mouentur quae sunt in omni genere virtutes. Haec naturalia. De moralibus autem, ut dicamus, non est dubium quin rationabile animae nostrae in quinque sensus diuidatur, & vocem & generatorium, quae natura videntur esse foeminea, quia sensus nostri in materialia & saecularia cito repunt. Vnde claret eos mollioris naturae habere substantiam. Sed erudito & industrio viro munda omnia, quia sapientia exercitati viri & virtus, firmamentum his virili transfundit iudicio. Ergo prudentis & propositum gubernantis est, infirmioris sexus qualitatem in fortiorem substantiam transferre. Valida enim sapientis & fixa sententia est, non mutabilis ut stulti & insipientis, qui consilij nutat incerto: & ut improbi, qui non quod verum & iustum sit eligit, sed quod sibi commodum velit, scindit a vero, scernit a iusto. Iustitia enim singulare est bonum, per se ipsam suotanti spectatur pretio. Iniquitas vero velut diuidua parit, nunc odio inflexa, nunc quaerit ea quae sunt diuidenda confundit. Stultus enim ut luna mutatur: & vericolor, aut humorum varietate difformis, animam suam in leprosi corporis speciem turpi contagione commaculat, salubres cogitationes noxiis saepe permiscens. Sed fortasse quia munda & immunda induci in arcam praecipit carnis animantia, iure mouere possit, quia dixi honestis disceptationibus indecoras non esse miscendas. Nec ego abnuo irrationabilium quidem, mundorum tamen motuum

Quod absumptis diluuium omnibus animantibus, solus iustus se & domum suam seruat: & verba textus ad litteram, & mystice explicantur. CAP. XI.

Intra (inquit) tuam & omnis domus tua in arcam, quia te vidi iustum coram me in generatione hac. Manifeste fides propheticarum sententiarum etiam hoc adstruitur loco: quia stultus sibi soli stultus est, sapiens autem sibi & plurimis sapit. Itaque Noe iusti merito etiam domus eius in diluuium seruatur: sic in mari nauigantes, & in bello exercitus, si illis non desit gubernatoris peritia, istis imperatoris prudentia, a periculo tuti sunt aliena ope. Sed quia boni imperatoris bonus exercitus, ideo etiam laudem iusti in eo intelligimus non praeteriri, qui talem instituit domum suam, ut virtutis fulgeret consortio. Meritoque inuenit salutem cognatio: nec repugnat, quia postea aut filius aut vxor offendit. Dormiebat iustus, cum erraret filius. Foemina quoque, utpote sexus fragilioris, mole periculi turbata, quae totum orbem diuino incendio perire crederet, quid miraris si virum non potuit sequi, cum ipse iustus ab angelis monitus vix euaserit? Quid autem mirum si homini obrepit error, aut se relaxat intentio? Argue ergo quia & iustus inebriatus est. Sed haec loco suo reseruanda arbitrator: nunc quod superest, consideremus. Pulchre enim dixit, *Quia vidi te iustum coram me in generatione ista*. Multi hominibus iusti videntur, pauci Deo: aliter hominibus, aliter Deo. Hominibus secundum vitae speciem, Deo secundum puritatem animi, virtutis veritatem. Homines quae foris sunt probant: Deus quae intus, examinat. Perpensit autem addidit, *in generatione ista*; ut neque superiores condemnaret, neque posteriores excluderet, recteque diluuium factum adstrueret interitu generationis eius, quae non haberet confortium aequitatis. Haec secundum litteram. Altior autem sensus prouocat nos ut hoc putemus vigore mentis in anima esse, & animam in corpore, quod paterfamilias in domo sua. Quod enim in anima mens, hoc anima in corpore. Si mens tuta est, tuta est domus, tuta est anima. Si anima incolumis, incolumis caro. Mens enim sobria passiones om-

Lesit. 27.

Exod. 34. Esa. 66.

Tit. 1.

Eccl. 27.

Ibid.

k iij.

aliqua esse semina & quasi principia in anima nostra, & eorum qui mudi non sint. Natura enim hominis contrariorum capax est, vt & malitiæ in ea sit vis, & virtutis ingressus: meritoque in principio libri huius qui est Genesis, per arboris speciem in paradisi medio, legisti boni & mali scientiam. De quo ligno scientiæ boni & mali præceptum est non esse gustandum, eo quod mens nostra, in qua est cognitio & disciplina, boni & mali recipit notionem. Itaque naturæ opifex, sicut ad propagandum, vel etiam reparandum genus animantia referuauit, vt vniuersæ terræ animantium semine replerentur: H ita etiam corporis nostri terrenam substantiam vacuum non putauit passionum huiusmodi tamquam immundorum animalium relinquendam, quæ cum deliciis & luxurie tamquam vice diluuii ingurgitatur, memoratis fluctuat passionibus. Vbi autem sobrietate & continentia vnusquisque inundantium vacuauerit diluuium passionum, & quandam animæ retexerit siccitatem, viuificare incipit suum corpus, & animæ puritatem, cui regnum sapientia est.

*Qua de causa postquam ingressus est Noem arcam, post septem dies diluuium factum fuerit: quare etiam cum satis fuisset quadraginta diebus dixisse diluuium fuisse, adiecit, & quadraginta noctibus: & qua ratione quadraginta diebus durauerit. quid præterea sibi velit quod inquit Dominus, Et delebo omnem resurrectionem carnis à facie terre. quid postremo quod dicitur, Et fecit omnia Noe quæ mandauit ei Dominus Deus.* C. A. P. XIII.

Lud quoque studio est querere, quæ causa est cur postquam ingressus est Noe in arcam, & induxit animantia, post septem dies diluuium factum sit. Non enim otiosum videtur quod haud plures aut pauciores interpositi sint dies, sed tot quot in cõstitutione mundi fuerunt. Sex enim diebus factus est mundus, septimo die requieuit Deus ab operibus suis. Quo declarauit indicio, ipsum se esse auctorem mundi, atque diluuii. Mundum propter bonitatem suam cõdidit, diluuium fecit nostrorum merito delictorum. Admoniti sunt igitur homines vel ex numero dierum quibus mundus est conditus, quod conditorem suum non lacrymis solum & precatione, sed correctione morum reconciliare debuerant. Ergo spatium dedit ad pœnitentiam Dominus, magis volens ignoscere, quam punire, vt imminens diluuii terrore suspensos, ad veniam cogeret postulandam: quod dum periculum futuræ mortis horrescunt, impietati atque iniustitiæ renuntiarent. Secundum est, vt hinc quoque Domini supra modum clementiam misericordis colligamus: quia multorum annorum offensionem à cõstitutione mundi, in finem vsque contractam, paucis diebus, si pœnituisset eos, voluit relaxare. Est enim Deus peccati immemor, virtutis remunerator, sicut ipse ait in Prophetâ, Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates, & memor non ero: tu autem memor esto, & iudicemur: dic iniquitates tuas, vt iustificeris. Cum enim aduerterit veram animæ refusam esse virtutem, tantum ei honoris attribuit, vt non solum veniam superiorum indulgeat peccatorum, verum etiam gratiam & iustificationes impertiat. Expectauit ergo & septimo die ipso quo ab operatione requieuit, vt si venia po-

sceretur, sequeretur correctio, & ab indignatione requiesceret. Illud quoque curæ fuit non prætermittere, eo quod diluuium factum dixerit quadraginta diebus, & addiderit, quadraginta noctibus. Scimus enim diem dici, quem sol terras illuminans signat: noctem, quam circumfusæ tenebræ à diei claritate determinant, & plarumque à nobis ita diem significari, vt noctem non comprehendamus, plarumque vt complectamur. Significantes enim mensem triginta dierum, significamus & noctes. Vnde cum factis fuisset Moyse, dixisse diluuium fuisse quadraginta diebus, cur addiderit, *quadraginta noctibus*, queritur. Et aliqui ita acceperunt qui ante nos fuerunt, vt & virorum & mulierum factus interitus demonstraretur, diem ad virum referentes, qui sit purior, similis lucis: noctem ad mulierem, quæ viro dormiente creata describitur: simul quia vir prior quasi auctor, qui virtutem moueat mulieris, atque in partus excitet, actu ille clarior publico, ista obscurior, tamquam domesticis clausa parietibus, & nocti proxima, secundo orta loco, & creationis suæ formata iam costæ viri debens gratiam: superiori quoque potioris obnoxia priuilegio, & pariendi vsu materialibus comparanda. Consonans in vtroque numerus periculi, quia peccata etiã consonantia: meritoque non distant spatia temporum, quia non distant merita delictorum. Non mediocriter etiam scrutantur plerique qua ratione quadraginta dies diluuii fuerit. Et possumus dicere materialem numerum tristioribus, hoc est, delendæ creaturæ deputandum: hebdomadam autem constitutioni totius mundi, hoc est lætioribus. Sed fortasse referatur, quid quod etiam lex quadraginta diebus lata est, tot dies obseruauit Moyse in monte Sina, & demoratus est, cum præscripta legis acciperet? Rectè ergo eodem numero declinandorum peccatorum præcepta tribuuntur, quo pœnæ culpa est persoluta, vt cognoscamus quod de eodem vitæ tempore debeat ex correctione laus comparari, quo potest puniendæ culpa committi. Vnde nunc iam non pœnæ præscripti sunt dies quadraginta, sed vitæ, vt hoc numero ieiuniis & orationibus crebrioribus nostrorum leuemus supplicia peccatorum, atque ad decreta legis intenti, deuotione ac fide nostrum corrigamus errorem. Itaque per Domini resurrectionem quadagesimus dies iam non habetur nouissimus, sed primus, atque inde vita numeratur, vbi antè mortis numerus ad cõsummationem mundi & humani generis excidium computabatur. *Et delebo* (inquit Dominus) *omnem resurrectionem carnis à facie terre.* O cælestium pulchritudo verborum, si quis se decoro intellectu piæ mentis examinet! Indignatur Deus peccatis nostris, sed non obliuiscitur pietatis. Minatur supplicium, sed non permittit excidium. Moderatur vindictam, reuocat seueritatem. Deleturum se dicit omnem carnem, non à terra, sed à facie terræ. Florem decutit, radicem seruat: finit vt in profundo substantiæ virtus maneat humanæ, quæ in superficie laboret, intus impassibilis perseueret, immunisque noxæ ad eorum substitutionem qui non sint reatu obnoxii, referetur. Pulchrè autè posuit, *Delebo*, tamquam litterarum apices, qui delentur sine fraude librorum, & sine immiutione tabularum. Atramentum deletur, sed lignum manet. Deletur elementa

elementa, vt scribantur plarumque meliora. Atramentum tollitur, substantia non exterminatur. Delebo, inquit, corruptelam carnis, vt scribam incorruptionem. Delebo resurrectionem carnis à facie terræ, vt scribam in cælestibus resurgentes. Delebo de libro terræ, vt scribam in libro vitæ. Deleantur Domine meus, Domine deleantur citò elementa ferri, vt scribantur elementa Christi. Aboleatur resurrectio terrena, vt cælestis gratia redundet. Veni Moyse, præpara gremium, legem accipe, suscipe apices, quos iam misericordia diuina non delect. Suscipe tabulas quas Dominus statuatur in æternum. Vtinam ipse non frangas. Et ipsas mihi mea culpa sustulerat, nisi Dominus reddidisset. Iure quidem Moyse indignatus est, ne haberent diuina priuilegia, qui non deferrent obsequia. Sed puto quod non mihi eas, sed Iudæis fregeris. Fregisti Iudæis, recepisti mihi. Fractæ sunt priores, vt posteriores manerent. Fregisti eas in pectoribus Iudæorum. Quid enim proderat vt tabulas tenerent, quarum scripta tenere non possent? Ecce secundas tabulas dicunt se tenere, sed non tenent. Dicunt se legere diuina elementa, sed non legunt. Digno Dei scriptas esse tabulas Moyse dicit: illi digitum Dei non legunt, ferrum legunt. Atramentum videt, spiritum Dei non vident. Sed Ecclesia nescit atramentum, spiritum nouit. Ideoq; Paulus nouit scribere, non atramento, sed spiritu Dei viuui. O sacrilegum, o ineptum populum Iudæorum! Homo spiritu Dei scribit, & homo sub lege nutritus, & illi volunt Deum atramento scripsisse, non spiritu. Ergo, vt ad superiora redeamus, delet Deus resurrectionem carnis, tamquam apicum inscriptionem: quo declaratur quod superfluâ hominum natiuitatem propter impietatem eius deleuit specie litterarum: substantiam autem & conuersationem generis seruare humani voluit perpetuitate tabularum, vt ex ea semen reliquum pullularet. Cui sententiæ conuenire etiam illud videtur quod ait, *Delebo* (inquit) *omnem resurrectionem carnis.* Resurrectioni autem communi vsu naturæ cõtraria videtur esse purgatio, quia purgatione reciditur & reprimitur resurrectionis luxuria. Omne tamen quod purgatur, speciem amittit, substantiam suam seruat, atque meliorat. Repressit igitur Dominus purgatione diluuii corporeum vsum, conuersationemque generationis eius quæ degenerauerat à decore naturæ, & accepti muneris venustate. Hæc secundum litteram. Quod autem ad altiorem pertinet sensum, diluuii species typus est purgationis animæ nostræ. Itaque cum mens nostra se à corporalibus mundi huius illecebris, quibus antè delectabatur, abluerit: bonis quoque cogitationibus veteris colluuiem cupiditatis absterget, tamquam purioribus absorbens aquis turbidorum prius amaritudinem fluentorum. *Et fecit* (inquit) *omnia Noe quæ mandauit ei Dominus Deus.* Iustus mandata accipit, seruus imperia. Hic amici censetur loco, qui fecerit quæcumque exequenda susceperit: ille qui nutat obsequiis, oneri seruitutis addicitur. Denique & Dominus Iesus dicit in Euangelio, Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. Iam non dicam vos seruos. Mandatur ergo vt amico, mandatur vt ei qui valida charitate, sobrio cõsilio ea quæ mandata sunt exequatur. Nec fecerit

Dominum iudicium suum, impleuit iustus vniuersam non partem, sed vniuersa quæ mandata sunt ei: & ideo scripturæ diuinæ accepit testimonium. Nec superfluū putes, quia simul posuit Dominum & Deum. Nam & Deus in Domino, & Dominus in Deo, sed vt patris & filij intelligas commune præceptum. Aliqui tamen ante nos sic interpretati sunt, eo quod Dominum & Deum dicendo hoc loco, & vindicaturi & ignoscituri geminam expresserit potestatem. Et quia hic vindicat prius in peccatores, ideo antè Dominum dixerit: quoniam verò postea, vt iusti seminarium propagaretur, indulget, ideo Deum postea nominauerit. Denique facturus mundum Deus dicitur: In principio fecit Deus cælum & terram. Et dixit Deus, Fiat lux.

*Qualiter sit considerandum quod sexcentesimo anno Noe, vigesima & septima mensis factum sit diluuium: & quemadmodum omnes fontes rupti dicantur, ac cataraçtæ cæli apertæ, tam secundum litteralem, quam etiam altiorem intellectum.* C. A. P. XIII.

EST etiam illa non perfunctoria consideratio, quod sexcentesimo anno Noe, mense secundo, vigesima & septima mensis sit diluuium. Secundum mensem verni esse temporis non ambigitur, quando augentur nascentia, ager parturit, terrarum pariter atque animantium fœtura se fundit. Tunc ergo fecit diluuium, quado dolor eorum maior foret qui in sua abundantia puniebatur, tunc vltio terribilior tamquam dicentis Dei, Ecce omnia secundum liberalitatis diuinæ prouidentia gratiam diues natura generauit, omnia in vsu hominum germinauit terra fecundior, segetes spectantur, tritico & hordeo campi replentur, comæ arborum venturi fructus floribus vestiuntur: non deest terra obsequiis suis, non bestia desunt muneribus suis, quæ solemnes soluuntur in partus, vt homini nihil desit: homo solus partibus suis deest, nescit auctorem suum, à quo ei omnia ministrantur, negligit conditoris. Despicit homo remuneratorem suum, cum Deus opus suum non despexit. Pereant cum homine omnia, propter quem nata sunt omnia. In suis diuitiis consumatur homo, cum sua dote moriatur. Nihil ante hominem terra deliquerat, nullis errauit in fructibus: in homine solo se degenerasse cognoscit, spinas & tribulos pro fructibus ferens. Quod solum munus admirabile est, principale mentis interiit. Cur igitur omnia illa seruatur? Ideo non post collectos fructus infunditur aqua, ne beneficium magis quam diluuium terra sentiret. Denique verno apud Ægyptios tempore, sed mense diuerso, Nilus exundat, vt iaciendis seminibus terra mollescat, & blandiore sinu, clementiore gremio semina missa suscipiat. Quod autem sexcentesimo Noe anno sit diluuium illud, videtur ostendere quia sexto die Adam creatus est. Idem numerus par & in auctore & in reparatore seruatur, quia fons sexagesimi & sexcentissimi, sextus est numerus. Idem autem & primus & septimus mensis dicitur. Sed magis primū obseruare debemus, quod post diluuium verno tempore colendorum cura repararetur agrorum, & placidi atque vberis folii incipiat fœtura procedere. Quo significatur, nūquam Deum eo numero vel tempore interitum homi-



num fuisse facturum, quo fecit exordium, nisi immanibus delictis esset offensus. Simul veniam temporis & numeri ratio promittit, quod etiam iratus admoneatur tam præcedentibus causis beneficiorum suorum, vt non penitus deleat eorum substantiam, quos ipse donauit. *Erumpi sunt omnes fontes abyssi, & cataractæ cæli apertæ sunt.* Vium diluuij conuenienter scriptura exprestit, dicens, cælum & terram pariter esse commota: è quibus elementis constat istius mundi omne principium. Vndique ergo influentibus aquarum molibus cõclusum genus hominum perurgeretur. Hæc secundum litteram. Quod autem ad altiorem pertinet sensum, cæli symbolo mens humana significatur: terræ autem appellatione corpus & sensus. Magna igitur naufragia, quando mentis pariter & corporis sensuumque omnium turbo & procella miscetur. Diligenter dicta pensemus. Plerumque fraus mentis & dolus suum exercet venenum: sed tamen sobrietas corporis & continentia obumbrant mentis improbitatem. Frequenter incerto fidei atque opinionis suæ mens lubrica est, sed tamen caro deliciis & luxuriæ vacat, vt fragilitas errorem mētis excuset: sicut multi sunt hæreticorum qui prætereundere volunt corporis continentiam, vt assertionis suæ fidem testimonio sobriæ carnis acquirant: etsi sensu lubrici, tamen quo minus turpes, aliquanto excusabiliores habentur. Cùm autem venena mentis, & contagia corporeæ obscenitatis, sensum omnem virorūque confundunt, atque animus incerto lubricus motu, malitiæ foedus atramento, crudelitatis furore succensus, etiam corporalibus flagitiis incitatur, avarus quoque affectus impatiens mediocrium facultatum luxuriæ cupiditate, effundendique libidine præcipitatur in facinus appetendæ salutis alienæ: tunc magnum est diluuium omnibus pariter ingruentibus passionibus: tunc se insipientia, iniustitia, temeritas, improbitas, perfidia, de superiori parte tamquam cataractæ mentis videtur effundere. Inde erumpit de corporis fonte terreni libido, temulentia, luxuria, postremò diuersorum criminum prolapsiones, quæ penitus & corporis robur & vigorem mentis effeminant.

*Cur Dominus à foris arcam clausisse dicatur: & quomodo exundante aqua arca ferebatur super flumina aquarum, quæ quindecim cubitis super montes excelsos eminebant, iuxta litteralem & allegoricam interpretationem: cum explicatione eius quod scribitur: Deleuit Deus omne quod erat super faciem terræ.* CAP. XV.

**E**T clausit Dominus à foris arcam. Sermo manifestus est secundum litteram. Claudenda fuit arca, & & tuto sepièda muniminc, ne eam vaga diluuij fluctu penetrarent. Altioris quoque sensus non incongrua interpretatio, si corpus humanum (cui arca hæc quæ describitur, figuratur) septum corio, indicemus à frigore æstus defendi, quod artifex Deus ad omnium membrorum protectionem naturalibus vestiuit exuuiis, & quodam circumfuso induit operimento, vt neque frigore congelascit, nec æstiuo calore soluatur. Exundauit igitur aqua, & leuauit arcam, & ferebatur super summum aquarum. Non immeritò exundauit aqua, quãdo cæli cataractæ apertæ sunt, & de terra rupti sunt fontes aquarum & flu-

mina. Quod magna emphasi dictum est. Vbi enim eruptio, ibi irreuocabilis effusio sit necesse est. Nec retineri facilis ingentium prolapsio fluëtorum. Manifestum est igitur quod scriptum est. Verum si altius spectandum putes; caro nostra diuersis agitatur fluctibus, & freti modo fluctuat passionibus, quibus huc atque illuc tamquam super vndas molestiarum suarum nunc fame, nunc siti, nunc cupiditate, nunc gaudio, nunc dolore iactatur. Illud quoque non præmittendum arbitror, quia scriptura non præterit, quãtis numero cubitis aqua super terram fuerit. Quindecim enim cubitis super excelsos montes aquam fuisse dixit. Simplex itaque intellectus patet. Allegoria autem quinque sensus complectitur, qui sunt in corpore nostro velut excelsi mōtes, qui hanc carnem passionum obumbrant, & plerumque incurantur bestiis, & exagitantur condensa & opaca eorum. Vnde Dominus per nationum credentium fidem veniens ad Ecclesiam suam, venit à Libano sicut habent Cantica cantorum. Ita enim legimus, Ades huc à Libano spōsa, ades huc à Libano. Transibis & pertransibis à principio fidei, à cubilibus leonum, & montibus pardorum. quod gentiles populi, qui velut bestialium passionum graues patiebantur incursum, nunc altitudine fidei, & sublimitate deuotionis meant. Per hos igitur montes Christus aduenit, cõprimens euangelicis disputationibus feroces corporis motus, atque illam altitudinem cordis, & se extollentem superbiam obedientia & humilitate sui destruens: meritòque fructus mansuetudinis ferre cœperunt, quos antè grauium diluuii passionum subruebant. De numero autem cubitorum sic quidam ante nos æstimauerunt, quod quinque sensus triplicem collectionem habeant, eo quod visus visibile videt, & auditus audibile audit, & odoratus odorabile odoratur, & gustus gustabile gustat, & tactus quod tangibili substantiæ subiacet, tangit. Ideo quinque sensus tripliciter æstimati sunt, vel secundum illud, Scribe tibi tripliciter. Ego tamen commodius puto illud, vt sensus terreni hominis atque animalis & spiritalis accipiam, quos illa diluuij fluctu transcenderint. Meritò mortua est omnis caro quæ mouebatur. Quod & secundum litteram liquet, & propriè ac naturaliter carnis corruptelam indicio procellosæ commotionis exprestit. Cõmotio enim vitiosa non est, nisi per affectus corruptionem. Mouet enim voluptates caro, & ipsa voluptatibus commouetur. Talis autem commotio corruptelam creat. Causa autem corruptelæ, commotio istius mudi est, per quã anima vniuscuiusque degenerat. Cùm enim vitiosa passiones mētem mouent, corruptela generatur: cùm excitant studia virtutum, disciplinæ profectus est. Omnis igitur qui erat in arida, mortuus est. Nec enim poterant non mori quos tanti diluuij vnda demerserat. Hoc secundum scriptum serièque verborum. Caterum si allegoriam quæras, non dubium est quia ex èplo ligni aridioris, quod simul vt labere cœperit ignis exurit: ita anima nisi diuersarum humescat rore virtutum, poculo quodam irrigata sapientiæ, & fonte iustitiæ atque irriguo castitatis, tamquam arefacta radice vitali, cupiditatum deflagrat incendio, vel profluuijo carnis illisa prociabit. Vnde semper epulari debet animus bonorum operum

Baruch 3.

Luc. 23.

Esa. 5.

Cant. 4.

Luc. 14.

2. Cor. 10.

Eruentib. 11.

operum cogitationes, vt prudentiæ succo mens inebriata pinguescat, quò non facile diluuij corporalis cedat iniuriæ, atque arida incuriæ situ cuitata moriatur. Ideòque nos admonet Dominus, à fonte sapietiæ non recedere, pocula virtutis haurire, ne quis sole iniquitatis arefcat, & procellam persecutionis sustinere non possit. Scriptum est enim, Quod si in humido hoc faciūt, in arido quid fiet? Deleuit (inquit) Deus omne surgens quod erat super faciem terræ. Scripti euidens explanatio. Allegoria autem expositam nobis declarat superbiam, quæ se extollit in hac terrena fragilique substantia, & immemor diuinorum humana despiciens, ipsum arrogantis viri habitum incessumque deformat: quales describit Esaias Iudææ filias oculorum micantes nutibus, & alta se ceruice iactantes. Sunt enim huiusmodi erigentes supercilia, inflato corde, elato pectore, ceruice resupina: qui solum quidem vestigijs pedum perstringant, toto autem se libret corpore, & inani suspendant examine: in priora gressu procedant, ad posteriora verticem reclinantes: cælum spectent, terram autem fastidiat, tamquam ceruicis dolore suffixi, vt eam inclinare non possint. Hos igitur deleuit de libro vitæ Deus, dicens, Omnis qui se exultat, humiliabitur: nec inter merita sanctorum commentis adhærere facit celestibus. Omnibus igitur qui extra arcam fuerunt interemptis, derelictus est Noe solus in arca cum iis qui cum ipso erant. Non indiget interpretatione sermo simplicior. Concurrunt intellectus cum littera. Altior autem & interior significatio demonstrat iustum virum amatorumque sapientiæ, tamquam arborem fructuosam, inter necatis quæ escam eius solebant arrodere, comam obumbrare, coartare processus ramorū, velut exortem irrationabilium passionum solum remansisse cum suis. Sui autem iustum, purg animi disceptationes quæ virtuti adhæreant. Et bene addidit in arca remansisse, quasi vix credibile amputatis corporalibus passionibus videretur eum adhuc versari in corpore: quod licet iam terrenis caret contagijs, incorruptam licet, corporis tamen adhuc substantiam reseruabat, & velut incorporeus corpore superferebatur diluuijo, non absorbebatur: corpus quidem gerens quasi in arce positus interno, sed qui corpus ipsum insuperabilis passionibus quasi incorporeus in medio tantorum motuum gubernaret.

### Genesis Cap. VIII.

**E**T memor fuit Dominus Noe, & omnium bestiarum & omnium iumentorum, & omnium volatilium, & omnium reptilium reptantium, quæcumque erant cum eo in arca, & induxit Dominus spiritum super terram, & cessauit aqua: & clausi sunt fontes aquarum, & cataractæ cæli, & remissa est aqua vadens à terra, & imminuebatur aqua post centum quinquaginta dies. Et sedit arca in septimo mense septima & vigesima mensis super montes Ararath. Aqua diminuebatur vsque ad decimum mensem, apparuerunt autem capita montium in decimo mense, prima mensis. Et

factum est post quadraginta dies, & aperuit Noe fenestram arcæ quam fecit, & misit coruum ad videndum si cessauit aqua: & exiens non est reuersus, donec siccaretur aqua à facie terræ. Et emisit columbam post eum, vt videret si cessauit aqua à facie terræ: & non inueniens columba requiem pedibus suis, regressa est ad eum in arcam, quia aqua erat super omnem faciem terræ. Et extendens manum suam suscepit eam, & introduxit eam ad se in arcam. Et expectatis vltra septem diebus aliis, iterum emisit columbam ex arca. At illa regressa est ad eum ad vesperam, habes folium oleæ & ramum in ore suo. Et cognouit Noe quod defecerit aqua à facie terræ: & expectans adhuc septem alios dies tenuit columbam, & iterum emisit eam, & non addidit reuerti ad eum vltra. Et factum est in primo & sexcentesimo anno vitæ Noe, primo mense imminuta est aqua à facie terræ: & denudauit Noe tectum arcæ quam fecit, & vidit quod defecerit aqua à facie terræ. In secundo autem mense septima & decima die arefacta est terra, & septima & vigesima mensis aperuit arcam; & dixit Dominus Deus ad Noe, Exi de arca tu & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum, & omnes bestię quæcumque sunt tecum, & omnis caro à volatilibus vsque ad iumenta, & omne reptile quod mouetur super terram, educ tecum: & crescite & multiplicamini, & replete terram. Et egressus est Noe & vxor eius, & filij eius, & vxores filiorum eius cum eo: & omnes bestię, & omnia iumenta, & omne volatile, & omne reptile quod mouetur super terram, egressa sunt ex arca. Et edificauit Noe altare Deo, & sumpsit de cunctis bestiis mundis, & de cunctis volatilibus mundis, & obtulit holocausta super altare. Et odoratus est Dominus Deus odorem suauitatis, & dixit Dominus Deus, Recogitans non adiciam vltra maledicere terram propter opera hominum, quia permanet cor hominis diligenter super mala ex adolescentia sua. Non ergo adiciam percutere omnem carnem viuentem, sicut feci, omnibus diebus terræ: semen & messis, frigus & æstus, æstas & hiems, dies & nox non requiescent.

*Explicatur textus, & examinatur cur fecit potius mentionem bestiarum & iumentorum, quam vitium animantium: qualisque fuerit spiritus quem Dominus induxit super terram vt cessarent aquæ.* CAP. XVI.

**M**emor fuit Dominus Noe, & omnium bestiarum, & omnium iumentorum, &c. Mouetur plerique quia causa non dixerit scriptor quod etiam vxoris & filiorum Noe memor fuit Dominus, cum bestiarum & iumentorum fuerit memor. Sed cum dixerit quod Noe memor fuerit, in auctore & praefule domus necessitates eius reliquas comprehendit. Simul exprimi videtur quidam reliquarum consensus necessitudinum. Etenim cum omnes inuicem sibi cari sunt, vna est domus: cum autem discrepant, separantur & scinduntur in plures domos. Vbi ergo charitas, ibi senioris nomine de quo pendent ceteri, domus omnis significatur: vt si quis arborem dicat, vtique comprehendit & ramos: si quis ramos nominet, etiam fructus qui in ea sunt, pariter vno atque eodem sermone complectitur. Nec illud otiosum quod primo dixit, quia memor fuit Dominus Noe, deinde bestiarum, postea iumentorum; hoc est, cur non animantia quae mitiora sunt, post hominem nominauit, sed ferociora erant, vtriusque partis vicinitate mansuiscerent. Quod videtur etiam in illo versu poetico declarari: *ἡγεμόνι δ' ἐξ ὑμέων ἔλασεν*. Hinc enim etiam poeta vsurpauit, vt dispositionem dimicaturi ita ordinaret exercitus, quo inferiores collocaret in medio, quod magis hinc inde a fortioribus iuuarentur, & dimicationem vtriusque partis assumerent. In his scripti series manifestatur. Altiore autem sensu certum est quod iustus in medio habet, non in parte cogitationes cordis sui: & quoad carpit hanc vitam, habeat necesse est in corpore tanquam in illa arca bestias graues. Nulla enim mens est, nulla anima quae non recipiat etiam malarum motus agrestes cogitationum. Itaque insipientis anima ferinus acuit motus, atque adolet venena serpentum, sapientis autem vigor mitigat & coercet. *Et induxit Dominus spiritum super terram, & cessauit aqua.* Non puto hoc ita dictum, vt spiritus nomine vctum accipiamus. Neque enim ventus poterat siccare diluuium. Alioquin cum mare vetis exagitetur quotidie, exinaniretur profecto. Nam quomodo non euacuaretur mare ventorum vi, cui cessisset toto diffusum orbe diluuium, vsque ad Herculis, vt aiunt, columnas, & mare magnum tectis montium excelsum verticibus exastuans? Spiritus igitur virtute inuisibili diluuium illud repressum esse non dubium est, caelesti operatione, non flatu. Vnde scriptum est, Omnia a te expectant, vt des illis cibum in tempore: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum conuertentur. Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terrae. Est ergo spiritus cuius operationi cedere vniuersa videntur, in quo caeli ipsius virtus sit, sicut scriptum est, Verbo Domini caeli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum: qui spiritus est creator vniuersorum, sicut etiam Iob dicit, Spiritus diuinus qui fecit me.

*Quid sit quod ait scriptura, clausi sunt fontes aquarum, & cataraete caeli: & de explanatione loci illius ubi dicitur, Et sedit arca septimo mense, septima & vigesima mensis: & quid sit ostium arcae quod iustus aperuit vt emitteret coruum non reuersurum.* CAP. XVII.

**N**unc consideremus quid sit quod ait scriptura diuina, *Clausi sunt fontes aquarum, & cataraete caeli.* Nec obscurum arbitror. His enim causis minuitur diluuium, quibus creuit. Erupti erant fontes aquarum, aperta fuerant cataraete caeli, vt vndique influentibus aquis terra inundaretur. Debuerant claudi ea ex quibus diluuii origo manauit, vt eius inciperet esse defectus. Hoc littera sonat. Subtilior autem interpretatio exprimit, eo quod diluuium animae vitio mentis & luxuriae corporalis influxerat, vt malitia passioni, passio malitiae misceretur: ingrediente medico Dei verbo ad visitationem animae quae diuina egritudine laborabat, disceptationum improbitate, & passionum acerbitate, prius debuerunt causae aegritudinis amputari. Principium enim medicinae est causas languoris incidere, ne diutius ea quae nocent, ad incrementum aegritudinis ministrarent. Quod nos etiam lex docet. Cum enim steterit lepra vt iam non diffundatur, tunc ait mundam esse lepra stationem quandam & mansionem. Quidquid enim praeter naturam mouetur, immundum est. Haec igitur est animae sanitas, haec salubritas mentis, vt affluetia cesset erroris, sistatur culpa ne serpat. Cessante incertitudo culpae atque delicti, salus tuta est, atque inoffensus vigor animae se refundit. *Et sedit (inquit) arca septimo mense, septima & vigesima mensis.* Nisi diligenter intendas, etiam secundum litteram difficilis loci istius comprehensio. Et primum omnium cauendum, ne quem septimi mensis repetitio crebra perturbet. Sic enim scriptum est, sexcentesimo anno, mense vero secundo, septima & vigesima mensis cepisse diluuium; centum quinquaginta diebus fuisse infusionem aquarum, sedisse arcam in monte septimo mense, septima & vigesima mensis, postea minui cepisse aquas misericordia Dei, centum quinquaginta diebus diminutionem aquarum factam, postea apparuisse capita montium: deinde post quadraginta dies aperuisse ostium arcae sanctum Noe, dimissum coruum non reuertisse, dimissam columbam reuertisse vacuum, iterum dimissam reuertisse cum ramo oliuae, tertio post septem dies dimissam non reuertisse, tunc aduertisse Noe quod aqua omnis recessisset: ac sic annus conclusus ostenditur sexcentesimo primo anno Noe, in secundo mense, septima & vigesima mensis. Quod igitur ad explanationem apertam pertinet, eodem mense atque eodem die restituitur aequalitas terrae post diluuium, quo corrupta est incipiente infusione diluuii. Veris enim tempore omnis ager viret, & terra parturit fructus. Tunc incipiunt germinare arbores, germinare fructus. Diuitem ergo reformauit Dominus & restituit qualitatem. Mense igitur secundo, hoc est Aprili, (primum enim mensis Martius est, quo habet iustus natalem, quando noctium dierumque aequalitas aestimatur: hoc est, octauo vt Romani putant, vel vt alij, quinto Kal. April.) mense, inquam, secundo, hoc est Aprili, septima & vigesima mensis coepit diluuium. Ver igitur initium anni aestimatur, non secundum vsum temporis, sed secundum naturae prerogatiuam, vt quia tunc spes anni inchoat, & incipit se fructus ostendere, tunc videatur anni esse principium. Septimus autem mensis secundum numerum is qui Septem-

Homerus Iliad. 4.

Psal. 103.

Psal. 32.

Iob. 33.

Le. i. 13.

Matth. i.

**P**rember dicitur, computatur: quia etsi a Septembri mense annus videatur incipere, sicut indicationum praesentium vsus ostendit (tunc enim seminum iactus) vere tamen ex quo plenior gratia se incipit demonstrare, ex eo anni origo subducitur: & ideo qui alia ratione primus putatur, diuersa aestimatione septimus habetur. Tunc ergo sedit arca, hoc est, in mense septimo, septima & vigesima mensis super montes Ararath. Ex illo minui diluuium coepit. Simul considera quia eisdem numeris quibus aliqua incipiunt, resoluuntur: vt diluuium coepit secundo mense anni, septima & vigesima mensis: centum quinquaginta diebus influxit diluuium, centum quinquaginta diebus aliis cessit diluuium: quadraginta diebus nimia vis caelesti imbre & fontium eruptione exastuauit, quadraginta diebus aliis exactis visa sunt capita montium: vndecimo mense, primo die mensis dimisit coruum sanctus Noe. ita constat eodem numero quo cumulatam est, diluuium esse imminutum. Vnde docet nos scriptura ordinem esse seruandum. Quod autem ostium sit arcae quod aperuit iustus, secundum corporis rationem supra dictum est. Secundum altiore autem interpretationem illud dicendum videtur, quod corporis sensus velut ostiorum similes habentur. Per hos enim tamquam per ostia ingreditur in nostram mentem velut quaedam sensibilibus comprehensio. Ergo mens nostra per hos sensus respicere videtur, & maxime per visionem quae omnibus sensibus praestabilior aestimatur, quia domestica est luminis: & per eam aspicientes caelum, terram, maria, solem quoque, lunam, & stellas, quibus axis ornatur, intelligimus Deum esse operatorem mundi atque rectorum, nec sine auctore Deo tantorumque operum conditore haec potuisse fieri credimus, aut posse consistere. Per hanc igitur fenestram coruum primum iustus emisit. Querenda causa, nec tamen latet quantum ad litteram pertinet: quia plerique quasi annuntium futurorum coruum aestimant, & voces eius obseruant, volatusque rimantur. Sensus autem altior significat, quod omnis iustus quando mundare se incipit, quae tenebrosa sunt & immunda & temeraria, primo a se repellit. Siquidem omnis impudentia atque culpa tenebrosa est, & mortuis pascitur sicut coruus. Lumini autem vicina virtus, quae mentis puritate & simplicitate respicendit. Et ideo tamquam emittitur & fugatur culpa, & separatur ab innocentia, vt nihil remaneat in viri iusti mente tenebrosam. Denique egressus coruus non reuertitur ad iustum, quia fugitans culpa omnia aequitatis, nec prohibiti videtur & iustitiae conuenire. Denique euasisse se credit iniustus tamquam de vinculis, cum iustus ab eius se consortio separauerit, diluuii cuiusdam & corruptelae familiaris vt coruus, qui cum siccitatem terrae nusquam inueniret, non reuersus est, sed remansit donec siccaretur aqua. Considerandum etiam quare non regressum dixerit coruum donec siccaretur aqua a facie terrae, quasi verò postea sit regressus. Sed haec locutio familiaris est scripturae diuinae. Siquidem & in Euangelio habes scriptum de sancta Maria, quod non cognouerit eam Ioseph donec peperit filium, cum vtiq; nec postea cognouerit. Deinde quae est locutio ista vt diceret, donec siccaretur aqua.

*Et quid vltus loquendi etiam hoc habere colucit. Tamen nonnulli ante nos aestimauerunt, eo quod immoderata quadam videatur vis exprimi passionum hac locutione verborum, quia turbidis passionibus ac procellosis consumatur anima: deficientibus autem & velut arcescentibus virtutem resumat. Non redit igitur culpae species in animam iusti, quasi siccam & mortuam derelinquens, & cui iam nocere non possit.*

*Quid sibi portendat, quod post coruum non reuersum columba dimissa dicitur, quodque Noe extendens manum suscepit eam, & ad se introduxit: quodque septem alius diebus tenuit columbam, & iterum eam emisit.*

CAP. XVIII.

**N**ec illud vacuum, quod postea columba dimittitur. Malitia etenim simplicitas, & culpam virtus resoluit. Malitia igitur amat diluuium, consortium iustae mentis refugit, & quasi desolata, & sine aliqua statione remanet, nullam habes cum virtute communionem. Virtus autem redit, amans iustorum consortia, & largiendae familiarior vtilitati, quae conferat salutaria, & cauenda ea quae sunt nocitura commoneat: sicut columba dimissa cum videret cessasse aquam, reuersa est tanquam plena iustitiae, vt ei a quo missa fuerat, nuntiaret quid adhuc cauere deberet, atque expectando, fructu meliore postea potiretur. Quod autem columba non inueniens requiem suam regreditur ad eum, manifestum indicium dedit per huiusmodi aues, quantum intersit inter malitiam & virtutem exprimi. Siquidem coruus ante dimissus, cum aliquanto videretur amplius extendere diluuium, visus est locum inuenisse residendi. Et certe non est huiusmodi coruus vt aliae aues quae in aquis conuersionem habere consueverunt. Cum ergo coruus vbi remaneret inuenisse videatur, columba autem non inueniret, euidens ratio est altiore interpretatione signari, quia malitia in quietis passionibus & cupiditatibus, quibus corrumpitur anima, se miscere consuevit, & quasi cognatis & domesticis delectatur, ibique commorationem suam locat: virtus autem prima statim specie visionis offensa, regredi festinauit ad mentem animamque iusti, quod illic diuersorium sibi tutissimum sit locatum: eo quod alibi tamquam columba, ita huiusmodi virtus stationem tutissimam inuenire non possit. Tardè enim inter astutias istius mundi & saecularium fluctus cupiditatum portum solet inuenire simplicitas. Itaque sicut iustitia velut visendi gratia progressa paulisper, ad mentem optimam redire festinat, nec longius discedit a iusto: ita etiam iustus & studiosus virtutis vbi virtutem appropinquare cognouerit, gremium suae mentis expandit. Quid enim sibi vult quod vir studiosus virtutis Noe extendens manum suscepit eam, & introduxit ad se? Quod etsi secundum litteram planum videtur: non tamen facile colligas, nisi viri sapientis tibi nota sit consuetudo, qui velut specularice virtute vtitur, & ei explorandorum negotiorum gerendorumque prerogatiuam quandam videtur committere. Ea ergo virtus expedit naturas, vt si qua earum sibi videtur committere profectum, ei possit adiungere. Communis enim quaedam est bonitas sapientiae & liberalis &

largæ utilitatis: ita ut quas merigeras sibi cernit, affociet: ubi autem proposito suo viderit aliquorum recalcitrare naturam, velut ad hospitium familiare sibi reuolat & recurrit: quam sapiens & industrius tamquam manu quadam mentis festinat excipere, omne cor aperiens suum, quo etiam eam absentem tenebat. Numquam enim potest sapiens exors esse propriæ virtutis. Quid præterea sibi velit quod tenuit septem diebus aliis columbam, & iterum emisit eam, nisi ut aduertat quod bonum sapientis optimumque propositum semper sibi etiam alios adiungere studet, errantes emendare, corrigere vagantes? Si quem in principio resillire conspexerit, tamen commutandi eius & corrigendi non desperet profectum. Sicut enim bonus medicus etsi tempus medicinæ non sit, tamen visitationis speculam antè præmittit, deinde non negligit iustæ expectationis exebias, & paulisper passionibus cedens operitur facultatem medendi, quæ cum fuerit oblata, suum non intermittit officium: ita ergo & sapiens verbis ac disputationibus, tamquam medicus medicamentis cõtrarias curare desiderat passiones. Et quia in omnibus remedio diuini fauoris vtendum est, ideo septem expectauit dies, quibus mundus omnis describitur absolutus, & operatori requies ministrata, ut ex illo auctore omnium sumeretur disciplina operationis humanæ.

*Cur columba dicatur ad vespertinam esse regressa cum ramo oliuæ in ore: & unde cognouerit Noe aquas defecisse: & de columba tertio post dies septem emissa, quæ tamen non regrediebatur.* C. A. P. XIX.

**R**egressa est igitur colûba ad vespertinam habens foliũ oleæ & ramulum in ore suo. Non otiose posuit & vespertinam, & regressam, & habentem folium oleæ & ramulum in ore suo, ut non fugitantem virtutem arbitreris profectus futuri, si quos possit acquirere, neque rursus tamquam sine lumine eam fuisse cognoscas, & quibusdam tenebris occultatam, sed diurno candore fulgentem expectasse vsque ad occasum diei, & sic ad eam regressam, apud quem etiam vesperti tenebras habere non posset. Folium quoque quod fecum detulit, etsi breue illud folium detulisse videatur, spem eorum quos sui poeniteret erroris, etsi non magnam, aliquam tamen significauit. Folium enim sine virgulto esse non poterat. Ergo quasi germinantis corruptionis, licet non magnum aliquod, tamen vexit insigne & folium oleæ, in qua arbore oliua generatur, ex qua oleum cõficitur, quo materiale hoc lumen fouetur, & tenebrarum fugatur obscuritas. Quid autem magis quam lumẽ familiare virtuti est? Folium ergo & ramulus insigne est correptionis, correptio autem quasi radicẽ sui poenitentia habet, quæ poenitentia non potest in turbidis, sed in iis qui spiritalem iam sermonem acceperint, germinare. In ore quoque non frustra ramulus oleæ videtur esse delatus, eo quod virtus & sapientia in sermone sui habeat claritatem, & ipsa statim specie lumen eius effulgeat, maxime cum pacifica loquitur, quoniam hunc quoque pacem petentes præferre consueuerunt. Tulit ramulum, eo quod simplicitate ac sinceritate femina quædam auribus nostris utilitatis infundit, & bonæ doctrinam virtutis, aut ad iustitiã prouocat, & inuitat ad præmium bonæ sibi com-

Gen. 2.

sum disciplinæ, aut gerendæ poenitentia, & sequendæ conuersationis cupiditatem iniicit peccatori. Vnde & præterea cognouerit sanctus Noe quia defecerit aqua à terra, sicut scriptum est, considerandum videtur. Primo omnium secundum litteram, quia potuit intelligere vtrum siccum an humidum folium esset allatum. Deinde quia non est huiusmodi columba, ut possit fructus latentes sub aqua eruere. Sed vtrum illud folium ante diluuiũ fuerit exortum, an tempore diluuii, contuendum est tibi. Si ante diluuium, vir iustus gauisus est fructum de veteri semine aliquem reseruatum, & inde collegit misericordiae insigne diuinæ, quod iam diluuium remouisset, quæ fructum demonstraret, cui non potuissent nocere diluuium. Si diluuij tempore natum est folium, aduertit vtique iustus noua femina misericordiae fructificasse caelestis, ut radices arborum viuerent, & quasi resumpta anima foetus germinarent vetustos, atque in assuetos partus redirent, quorum indicium præmissa folia demonstrarent. Sed hoc alta potius interpretatione collegit, quia Dominus Deus noster quamuis acerbis iniquitatis nostræ offensus sit erroribus, tamen antiquæ nobis prosapiæ patriæque virtutis semen aliquod vel exiguum reseruaret, ne penitus operis & creaturæ suæ omne circa humanum genus amputaretur insigne. Vnde & Esaias ait, Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes essemus: in alterius nomine ciuitatis exprimens cæcitatatis indicium, in alterius sterilitatẽ. Ita enim lingua patriæ Chaldæi nuncuparunt Sodomam & Gomorrhiam, cæcitatẽ & sterilitatẽ significantes. Meritoque Dominus in huiusmodi specie ciuitatum amputauit magis humana vitia, quam puniendos homines indicauit. Tertio dimittitur colûba post septem dies, atque eadem non regreditur. Vnde cõsideremus ne id quod supra diximus, inueniatur esse contrariũ. Si verbo quidem columba, opere autẽ virtus non reuertitur ad iustũ, ergo destitutus est iustus & defraudatus munere suo? Nequaquam. Numquam enim vir huiusmodi à virtute disiungitur, nec cum ex ore emittit iustitiam, disputationemque alterius virtutis inducit, virtute se exiit, & imitanda aliis æquitate dispoliat, sed vice solis alios illuminat, cum radios suæ lucis emittit. Ignis nẽpẽ calefacit appropinquantem, ita ut calorem naturæ suæ ipse possideat. Nũquid deficit lux diei cum totũ mundũ illuminat claritate? Habet inoffensum cursum suum, illibatamque naturam. Sic & ista in colûbæ specie virtus, cum adhuc feruere diluuiũ, secũdũ autẽ tamen in terris, secundum virtutẽ in hominum passionibus, reuertitur ad iustum, quia in iniquorum pectoribus virtus ut posset hærere, non potuerat inuenire. Et ideo in illo secundo diuersorio sui regrediens, hærere atque requiescit. At verò ubi deferbuerint diluuium passionum & auditi verbi, compertaque doctrinæ plurimi studuerint esse confortes, iam non vnus patrimonium, sed commune bonum esse incipit disciplina virtutis, & tamquam sapientia populum hauritur à plurimis, qui antè sitientes bibere noluerunt: sicut nunc feruent diluuium in pectoribus Iudæorum: & cum aqua caelestis doctrinæ exudet, potiusque exuberet, non putant esse potandũ.

Euan-

Luc. 7.

Suprà cap. 6. huius libri.

Euangelium legitur, virtus exiit de sermone caelesti, tractat sacerdos in Ecclesia. Sed ne fortè intra arcã positus non solus possit audiri, interdum & egressus ecclesiã, ubi Iudæus occurrerit, monet, exemplũ affert caelestium scripturarum. Claudunt aures, ne vel inuitus fons abluat, & verbi dominici humor aspergat. Si qui verò crediderint currunt ad fontem, doctrinam expectunt, insinuati sibi Euangelium concupiscunt, nec fatiantur assiduitate potandi. Ita fonte sapientia certatim repleti desiderant, quem antè fugere gestiebant. Quem fontem? Audi dicentem, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui erudit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluunt aquæ viuæ.

*Quid sibi velit illa adiectio, quod scriptura alia die aquam minutam, alia siccataam terram commemorat, quomodo etiam Noe teclum arca denudauerit, & quod ait primum mensẽ, vel secundum.* C. A. P. XX.

**I**n primo & sexcentesimo anno Noe, primo mensẽ imminutam aquam dicit à facie terræ: in secundo autem mensẽ, septima & decima die mensis siccataam terram esse commemorat; septima & vigesima mensis aperuit Noe arcam. Quid sibi vult illa adiectio primi mensis de aquæ imminutione; cum supputata ratio superior annum conclusisse videatur, qui annus à secundo mensẽ incipit, & in secundo mensẽ anni alterius vsque progreditur? Nisi fortè hic iusti formam declaratam velimus accipere, ut primus annus is fuerit quo cœpit diluuium, sexcentessimus scilicet annus; primus iterum annus & primus mensis post sexcentessimum, quando imminuta est aqua à facie terræ: eo quod iustus in peccatorum generatione, quæ propter delicta deleta est, virtute primus erat, & in secunda generatione, quæ cœpit post diluuium, ordine primus fuit. Rectè igitur primus ei honor defertur, quia & primæ generationis primus fuit qui euaserat, & posterioris principium, qui meruerit isti ad seminarium propagari. Cum enim alij deperissent, solus vitæ egregiæ merito, & prærogatiua virtutis apud Deum diues, non est expertus malitiæ corruptelam, per quem factum est, ne totum corpus generis humani vel abolitum videretur in terris, vel à Dei abscissum gratia relinqueretur. Et denudauit (inquit) Noe teclum arca. Cum arcam, sicut supra interpretati sumus, pro specie corporis acceperimus, quid sit denudari corpus intelligamus, secundum altiorem scilicet sensum. Caterum liquet quemadmodum arca potuerit aperiri secundum litteram. Quid igitur teclum humani corporis sit quod clausum in diluuium fuit, nisi fortè delectationem accipiamus, quæ operiebat corpus nostrum & quasi tegebat per illum Adæ errorem? Et eo maxime teclis similis æstimatur, quia sensus omnis in capite, inde delectatio, quæ corpus omne subiectum habebat. Sed ubi mens iusti viri sobria atque integra à corruptione diluuii, diuinæ cognitionis inflammata desiderio exilire atque euolare voluit in superiora, detexit omnia quæ erant impedimenta, & speciem voluptatis, quæ quodam operimento cateras tegebat partes corporis, redoperuit ac retexit; ut non solum corpus à seruitio dominatricis ignobilis liberaret, verumetiam ea quæ erant incorporalia

comprehenderet. Quæ enim non videntur, æterna sunt. Et ideo iustus quem non videbat Dominum requirebat, corruptelæ exors, cupidus æternitatis. Quod autem ait, primum mensẽ vel secundum, cumque esse verni temporis diem, habes & alibi dictum; Hic mensis primus erit vobis in mensibus anni. Qui enim in gratia primus post periculum, hic rectè prærogatiua primi mensis accepit. Ne te autem moueat quod diximus supra folium in ramo repertum post diluuium potuisse generari: etsi sub aqua plarumque herbæ soleat germinare, tamen ut scrupulus omnis tollatur, quid magnum si Deo iubete vno die quo imminuta fuerit aqua, statim germinauit & terra, cum idem sit fructuum reparator & conditor, atque operis sui vsum non fuerit oblitus? Denique habes & in genesi, statim quod iusserit ut terra herbam pabuli germinaret, & lignum pomiferum cum fructu suo, & statim eiecit terra herbam pabuli, habentem semen secundum genus suum, & lignum fructiferum: & ille diẽ vnus fuerit, quo hæc Deus iussit aut fecit. Ergo beneficii sui Deus non immemor, immemor autem nostræ iniquitatis, opus suum eiusdem qua cœpit temporis quantitate reparauit.

*Quare Noe non sua sponte exiit arcam, sed expectauerit oraculum diuinum, quo sibi dicebatur, Exi de arca tu & vxor tua, & filij tui, & quare in ingressu, ordinis delectus fuerit habitus, ut primò ipse & filij, deinde vxores ingrederentur; in egressu autem id commutatum, ut femine cum viris exierint.* C. A. P. XXI.

**E**t dixit Dominus Deus ad Noe, Exi de arca tu & vxor tua, & filij tui. Itaque recedente aqua & siccata terra, exire potuit Noe de arca. Sed iustus nihil sibi arrogat, sed totum se diuino committit imperio. Et maxime qui caelesti fuerat ingressus oraculo, caeleste debuit ut egredere exspectare responsum. Verenda enim iustitia est, quia inuereunda iniquitas, quæ vsurpat indebita, nec reueretur auctore. Nunc quæramus qua ratione quamdiu ingrediebantur in arcam, hic ordo fuit ingredientium, ut primò ipse ingrederetur & filij eius, inde eius vxor, & vxores filiorum eius: quando autem exierunt, commutatum sit. Nam scriptum est, Exiit ipse & vxor eius, & filij & vxores filiorum eius. Et littera quidem significat in ingressu abstinentiam generationis, in egressu generationis vsum. Tunc enim pater cum filiis prius introiuit, & filij cum parente, & postea vxor eius, & filiorum eius vxores, id est, non cõmiscetur sexus in introitu, cõmiscetur in egressu. Apertè igitur velur ordine ipso ingressionis vocẽ quãdã iustus emittit, tẽpus illud non esse cõcubitus neque deliciarum, quo omnibus immineret interitus. Vnde in Euangelio Dominus ait, reprehendens quod temporibus Noe manducarent & biberent, vxores ducerent, & filias nuptum traderent: & ideo propter intemperantiam eorum superuenisse diluuium, Mœroris igitur tempus illud, non latitiæ erat. Et inde iustus consortio non delectabatur vxoris, vel filij iusti pctebant copulam conjugalem. Quam enim indecorum, ut quo tempore viuentes morerentur, tunc perituri generarentur? Postea autem rectè ad seminarium ceterorum vsum & cura coniungit, cum

2. cor. 4.

Exod. 12.

Suprà cap. 19. huius libri.

Gen. 1.

Luc. 17.

I ij



diluuium recessit. Itaque non viri cum viris, sed fœminarum cum viris exeunt, vt virilis in se interdicta permixtio, permixta autem virilis & fœminei legitima forte coniugij copula videretur. Sensus autem altior hoc habet: vbi periculum est, viriles quædam & fortiores disceptationes menti adhæreant, & eos mens quasi quandam tucatur sobolem filiorum, quo tempestatibus & grauioribus passionibus acies quædam virilis occurrit. Decurso autem periculo, nihil obest si molliores cogitationes validioribus copulentur, non vt effœminetur à mollioribus fortiores, sed vt molliores sensus velut quibusdam virilibus roborentur, cum omnia consilia nostra ad virtutem, iustitiam, integritatem, fortitudinem dirigantur, & quodam vsu seminariòque virtutum creantur atque adolefcere possint validiora consilia. Non est igitur vitæ cum vitiis aliqua confusio est, quæ mentem occupet, ferere aliquas cogitationes atque generare & parturire mentem. Cum autem compressæ fuerint cupiditates, & mens requieverit, tunc seminario quodam disceptationis accepto, virtutes possunt & bona opera germinari.

*Quaratione Noe circa arcam nihil fecerit, nisi iustus à Domino, & tamen post egressum ab arca non monitus aram Deo adificauerit: & quare dicatur Deo, & non Domino. cur etiam sumpsit à bestiis & volatilibus mundis vt offerret holocausta: quidque sit quod ait Dominus, Recogitans non adiciam vltra maledicere terram. CAP. XXII.*

**E**T adificauit (inquit) Noe altare Deo. Qua ratione supra Dominus admonuit quæ faceret, & fecit Noe omnia: hoc autem quod non admonitus est fecerit, fortasse requiratur. Sed vtique Dominus non debuit quasi auarus mercedem gratiæ postulare, & iustus eam intellexit veram actionem gratiarum esse quæ non iuberetur, sed deferretur: itaque nec dilationem passus est. Etenim grata animi virtus passionem dubitationis excludit: qui autem debitum gratiæ vt à se exigatur expectat, ingratus est. Quod autem adificauit, inquit, Deo, & non dixit Domino, sed Deo: secundum nominis interpretationem, non coacta videtur hæc actio esse gratiarum quasi Domino, sed virtus iusti morigeræ & grata quasi Deo. Quod imperiale est, sequetur: quod beneficij, nominauit. Et sumpsit à bestiis & volatilibus mundis, & obtulit (inquit) holocausta. Littera euidentis est, quod ea quæ incontaminata sunt, debemus offerre, in quibus affectus reluceat offerentis. Altior autem interpretatio hoc habet, quod bestiarum mundarum videntur sensus esse sapientis, volatilia autem intellectus, qui sunt longè subtiliores atque leuioribus. Nunc verò consideremus diligentius quid sit quod ait, *Et dixit Dominus Deus, Recogitans non adiciam vltra maledicere terram propter opera hominum, quia permanet cor hominis diligenter super mala ex adolescentia sua. Non ergo adiciam percutere omnem carnem, sicut feci omnibus diebus terre.* Et si vindicauerat in hominum genus, tamen cognouerat quia vindicta legis ad timorem proficit, & cognitionem doctrinæ, magis quam ad naturæ commutationem, quæ corrigi in aliquibus potest, in omnibus mutari non potest. Vindicauit ergo Dominus quod timeremus: pepercit, vt referuaremur. Et vin-

dicauit semel ad exemplum timoris, pepercit in reliquum ne dominaretur semper amaritudo peccati. simul quia si quis peccata cupiat sapius vindicare, asper magis quam censorius habetur. Ideoque dicit Dominus, *Non adiciam vltra maledicere terram propter opera hominum*, id est, quia pietatem suam circa vniuersitatem hominum voluit declarare, & tamen securitatem & negligentiam quam mentibus humanis afferre non debuit: in paucos vindicat, plures referuat. Deinde cum dicit, *Non adiciam percutere omnem carnem*: ostendit quod alleuet magis grummas hominum quam ingrauet, sciens quod penitus peccata hominum auferri non queat. Tamquam in prouerbio, Si quis reti subtili haurire cupiat aquam, sic qui malitiam ex pectoribus hominum conatur auferre. *Non adiciam* (inquit) *vltra maledicere terram propter opera hominum, quia permanet cor hominis diligenter super mala ex adolescentia sua.* Vide quomodo studiosè nos delinquere Deus significet, dicendo permanere super mala cor hominis diligenter: quo dicto significare videtur diligenter cor hominis ad peccata propendere, & in esse principali hominum lubricum delinquendi, & quod peius est, studium non deesse. Ideo enim ait, *Diligenter*, quasi solliciti simus ne immunitas culpæ nobis possit obrepere. Deinde non in vnum malum dixit, sed *super mala*. Et ex adolescentia addidit. Ex illa enim ætate crescit malitia, licet alibi legerimus, quod non sit sine peccato nec vnus dici infans: sed & infantia sine peccato non sit propter corporis infirmitatē, diligentia autem & studiū peccandi incipiat à iuuetute: vt puer quasi infirmus peccet, iuuenis tamen improbus, qui studiosè cupiat peccata committere, & in criminibus gloriatur. Apud plerosque enim innocentia pro ignauia, & culpa pro laude habetur. Ita se luxuria & deliciis & adulteriorum affectibus iuuenes iactare consueverunt. Crescit ergo cum ætatibus culpa. Omne igitur genus hominum iam non consumendum declarat cum dicit, *Non adiciam percutere omnem carnem*: sed in parte vindicta seruat.

*De explanatione litterali & morali eius quod Dominus dixit, Semen & messis, hyems & æstas, dies & nox non requiescent. CAP. XXIII.*

**Q**uid sit etiam quod ait, *Semen & messis, frigus & æstus, hyems & æstas, dies & nox non requiescent?* Secundum litteram significat, permansura manentibus secundum institutionem Domini & statum suum incorrupta temporibus animalia, vel nemorosa futura omnia. Nam cum corrumpuntur tempora, corrumpuntur etiam illa quæ temporibus suis quæque gignuntur. Si autem confusio sit temporum, quomodo possunt confusione facta ea quæ sunt gignentia permanere? Ergo tempora sunt quæ aut corrumpunt, aut referuant, prout ipsa sui habuerint qualitatem. Ideoque annus ex contrariis ducitur, vere, autumno, ætate, hyeme, sicut harmonia cantilenæ permixtis grauibus & acutis videtur consistere. Sic ergo & mundus iste ex contrariis continetur, aère & terra, igni & aqua. Nostra quoque corpora frigore & calore, humore & siccitate, quandam naturæ ordinem seruant. Nam si naturalis ordo ac mensura confunditur, tunc necesse est sequatur interitus.

teritus. Ergo certum ordinem temporum Dominus remota confusione diluuij ad perseuerantiam mundi promittit futurum. Altior autē sensus hoc habet, vt per semen intelligamus principium, per messem intelligamus finem. In vtroque salutis est causa. Alterum sine altero imperfectum est; quia vbi principium est, finis queritur: nec potest esse sublato sine principium, & finis in principium currit. Ergo semper in eadem recursum, dum in hoc mundo est, genus memorat humanum, vt cum incipit annus finiatur, cum finitur incipiat, non medio mundus tempore resoluatur. Ita & mens quando aliquid videtur incipere, ad finem vsque contendat, & operis sui terminum querat. Quando finit aliquod opus, non quasi consummato opere finiatur, sed in alia recuratur opera, & semper incrementa virtutis exerceat: quandoquidem videt quod in fructus suos semper terra renouetur, qui diuersi vere & ætate, vt in partibus orientis, ætate, autumnoque nascatur, vt in partibus occidentis. Alio tempore terrarum seminaria partus suos educunt, alio autem tempore fructus arborum carpinus. Diuidui ergo fructus sunt necessarii, & voluptarij: necessarii ex seminibus terrarum, at verò ex arborum fructibus voluptarij. Itaque corpus nostrum tamquam vere, hoc est aère, cibo pascitur naturali. Aër autem Græco nomine, ver Latino dicitur. Ideo scriptura de partibus orientis, & maximè Egypti per quam transiit Hebræus, vel ex partibus Phœnicia sumpsit exemplum. Anima autem voluptariis, hoc est, sapientiæ fructibus alitur: cui iterum, vt corpori nostro contrarium frigus & æstus, ita timor & iracundia videntur aduersa. Sed quia in corpore est, & iracundiam habet & timorem, nec potest sine hac esse in corpore necessitate naturæ. Et ideo mens sapientis moderamina iusta dispensat, ne iram & timorem permisceat, & fiat confusio quædam animo illius atque diluuium. Dies quoque & nox quod ait, per diem intelligis illuminatam virtutem, per noctem recognoscis tenebrosam insipientiam. Itaque & in timore tamquam in frigore potest esse illuminans virtus. Similiter & iracundiam potest esse illumerans temperantia, vt in timore aliqui non penitus resoluantur, & magis timorem dirigant ad opera virtutis. Verbi gratia, si persecutor insilat, vt plus Deum timeas, & perperua magis supplicia quam præsentia putes esse vitanda, quæ dum times, accendaris ad gloriam, perfidia iratus & sceleri. Rursus iracundia succensus, diuino commotionem timore modereris.

### Genesis Cap. IX.

**E**T benedixit Deus Noe & filiis eius, & dixit eis, Crescite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini eius: & timor vestri & tremor erit super omnes bestias terræ, & super omnia volatilia cæli, & super omnia quæ mouentur super terram: & omnes pisces maris sub manibus vobis dedi. Et omne volatile quod est viuens, vobis erit in escam. Sicut olera pabuli dedi vobis omnia: verumta-

men carnes in sanguine animæ non comedetis. Etenim vestrum sanguinem animarum vestrarum, de omnibus bestiis requiram illud, & de manu hominis fratris eius requiram animam hominis. Qui effuderit sanguinem hominis, pro sanguine hominis, eius effundetur: quia ad imaginem Dei feci hominem. Vos autem crescite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini eius. Et ait Deus ad Noe, & filios eius cum eo, dicens, Ecce ego statuo pactum meum vobis, & semini vestro post vos, & omni animæ viuenti vobiscum in æternum, à volucribus & à iumentis, & omnibus bestiis terræ, quæcumque sunt vobiscum, ab omnibus exeuntibus ex arca. Et statuam pactum meum ad vos: & non morietur omnis caro vltra à aqua diluuij, & non vltra erit diluuium aquæ vt corrumpat omnem terram. Et dixit Dominus Deus Noe, Hoc signum fœderis, quod ego do inter me & vos, & inter omnem animam quæ est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nube, & erit signum testamenti æterni inter me & inter terram; & erit cum innubilauero nubes super terram, apparebit arcus meus in nube, & memor ero testamenti mei, quod est inter me & vos, & inter omnem animam in omni carne: & non erit aqua in diluuium ad delendam vniuersam carnem. Et erit arcus meus in nube, & videbo illum, vt recorder fœderis sempiterni inter me & vos, & inter animam viuentem in omni carne quæ est super terram. Et ait Dominus Deus Noe, Hoc signum fœderis quod constitui inter me & inter omnem carnem quæ est super terram. Erant autem filij Noe qui egressi sunt de arca, Sem, Cham, Iapheth. Cham autem pater erat Chanaa. Tres isti sunt filij Noe: ab istis disseminati sunt super omnem terram. Et cœpit Noe homo agricola esse terræ, & plantauit vineam, & bibit de vino, & inebriatus est, & nudatus est in domo sua. Et vidit Cham pater Chanaan nudationem patris sui, & egressus nuntiauit duobus fratribus suis foris. Et accipientes Sem & Iapheth pallium, imposuerunt super humeros suos, & perrexerunt retrorsum, & operuerunt nudatum patrem suum, & facies eorum nudationem patris sui non viderunt. Euigilaui autē Noe, & sobrius factus à vino, cognouit omnia quæ fecit ei filius suus iunior, & ait, Maledictus Chanaa,

seruus domesticus erit fratribus suis. Et ait, Benedictus Dominus Deus Sem: & erit Chanaan seruus domesticus eius. Dilatet Deus Iapheth, & habitet in domibus Sem, & fiat Chanaan seruus eius. Vixit autem Noe post diluuium annos trecentos quinquaginta. Et fuerunt omnes dies Noe nongenti quinquaginta anni, & mortuus est.

*De prerogatiua potestatis hominibus in cetera animalia attributa per id quod Dominus benedixit Noe & filiis eius, dicens, Crescite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini eius, & quomodo intelligatur quod subditur, Omnia reptilia quae sunt uia, sint uobis in escam: cum tamen quadam reptilia sint uenenata. CAP. XXIII.*

**E**t benedixit Deus Noe & filiis eius, & dixit eis, Crescite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini eius: & timor vestri & tremor erit super omnes bestias terrae, & super omnia uolantia caeli, & super omnia quae mouentur super terram, & omnes pisces maris, &c. Haec prerogatiua potestatis in ceteris animalibus videtur hominibus attributa & in superioribus partibus. Sed eo loco ubi dixit quod Deus hominem fecit, dicitur, Masculum & foeminam fecit eos, & benedixit eis, dicens, Crescite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini eius, & potestatem habete super pisces maris, & uolantia, & bestias terrae, & reptilia. Quod eo admonui, ut intelligas geminam hominis generationem expressam: unam secundum imaginem Dei, alteram secundum figmentum de luto terrae. Denique illa creatio hominis de luto terrae, videtur esse facta post mundum, postquam requieuit Deus ab operibus suis. Serò quodam modo terrenae statuæ figmentum gignitur. Non erat pluuia super terram, nec homo terram operabatur. Tunc de limo terrae finxit Deus hominem, & insufflauit in faciem eius spiritum uitae, & factus est homo in animam uiuentem. Ille autem sexto die, quasi perfecto numero quo omnia conclusa sunt opera Dei, quasi perfecta operatione constitutus homo secundum imaginem Dei est, cui etiam iste comparatur qui in diluuiio iustus inuentus est. Et ideo supra terrena omnia eum constituit Deus, sicut & illum ad imaginem Dei factum, quia utrumque à uitiis terrenis temperabat. Ille qui ita generatus est, ut nihil terreno deberet contagio: iste qui & in periculis fuerat approbatus, & examinatus in passionibus, & repertus quod in confusione non fuisset obnoxius passioni. Altior autem sensus habet quod iustus magnitudine & multitudinem uirtutis augetur, atque doctrina, & replet terram, quasi cor quoddam, in quo sit receptaculum intelligibilem. Ita nihil vacuum sapientia esse patitur, quod insipientia possit inuadere. Domitis igitur non solum terrenis omnibus passionibus, sed etiam sensibus corporalibus, bestias quoque sibi quodam terrore subiicit & timore, in quibus species videtur inesse malitiae atque feritatis. Immitis enim & agrestis est omnis malitia, inflatur aërio quodam tumore. Nec illud obscurum, quod reptilia quaedam læthalia quaedam habent speciem passionum, à quibus uenenum quoddam menti

videtur infundi. Omnibus ergo his imperat iustus, quibus non commiscetur, sed coërcet, ea si mens eius non delectatione, non cupiditate ducatur, non tristitia & timore frangatur, non etiam luxuria atque deliciis tanquam lubricum & caducum uitae huius agat cursum, & continentia & temperantia abigat à se uir sapiens huiusmodi passiones. Sed quia subdidit statim, *Omnia reptilia quae sunt uia, erunt uobis in escam*: ne fortè te moueat quia antè de reptilibus diximus uenenatis, cognosce alia esse reptilia uenena, alia mansueta. De mansuetis igitur reptilibus accipe, quae etsi non omnia ventre & pectore repunt sicut colubri, exiguos tamen pedes habent, ut reperi magis quam ambulare uideatur. Ergo uenenatorum reptilium similes immundas in corpore accipe passiones, mansuetorum autem decoras. Omnis enim affectus qui est prater deformis delectationis illecebram, falsio quidem est, sed bona falsio. Cupiditas mollior est, & ira, & timor, hæc noxiæ animæ passiones sunt. Affectus autem innoxij, passiones bonæ sunt. Et his uiuendi quidam nobis uis ministratur & causa, harum cibo utimur ad uitæ gratiam, harum epulis delectamur.

*An sub his uerbis quibus ait Dominus, Sicut olera pabuli dedi uobis omnia, oleribus magis quam carnalibus epulis uti debeamus: & quemadmodum abstinere debeamus à sanguine, in quo est anima: ac de diuersis philosophorum opinionibus circa naturam animæ. CAP. XXV.*

**Q**uid est etiam quod ait, *Sicut olera pabuli dedi uobis omnia*? In quo & ij qui simpliciter intelligunt, ut non expendant sermonis examen, non nobis uidentur esse contrarij. Sunt enim qui putant, ut olera ad escam nobis Dei nutu attributa uideantur, quod his magis quam carnalibus epulis uti debeamus. Ego autem libenter his acquiescerem, ut generi hominum ad parsimoniam & temperantiam, olerum usus inolefceret, nisi uiderem qui ab his non libenter accipiunt, posse referre mihi, quia non omnia olera escæ hominum inueniantur accommodata. Deinde quia non omne hominum genus sapientiae & continentiae amore ducitur, ut continentiam sequi possit. Et ideo quod generale præceptum est, ad portiunculam paucorum hominum deriuare non possumus. Omnibus enim hominibus hoc præceptum datur. Ideoque consideremus quid dixerit, *Sicut olera* (inquit) *pabuli dedi uobis omnia*, non olera omnia dedi uobis ad escam. Utantur igitur qui utuntur carne, tanquam oleribus, non ad distentionem, nec ad aruinam corporis, quam epulæ carnis facere consueunt. Sed quemadmodum & olera non omnia ad escæ usum habilia sunt: ita etiam non omne uiuum reptile accommodum ad usum epulandi. Siquidem ab omnibus uenenatis debemus abstinere: licet huc quoque processerit luxuria, ut magis delectationi cõsulat quam periculo, & in plaribus refecto quod dicitur uenenatum naturaliter inesse, reliquam partem ad cibum uendicat, quæ etsi non plena periculi, tamen uicina periculo est, & corruptela aliqua necesse est in totius succum se carnis infuderit. Plarique etiam sagittis uenenatis trãsfigunt ceruos, & huiusmodi uelocia animalia, & postea refecta quadam parte membrorum, reliquo corpore ad cibum utuntur.

Gen. 1.

Gen. 2.

H

I

K

L

M

utuntur. Quod autem ad altiorè sensum pertinet, est hoc, unde dictum est quod irrationabiles passiones ita debeant menti sapiētis, ut olera rustico, esse subiectæ, atque ita utamur reptilibus cogitationibus, ut agricola oleribus, quæ licet obesse non possunt, cibi tamè nõ habet gratiã fortioris. Generale enim omnibus & commune præceptum, non altiora indicit genera uirtutum, quæ utique paucorum sunt. Sed & si quis uirtutum epulas fortiores sibi exhibere non possit, huiusmodi tamen habeat passiones, quæ non noceant, sed delectent. Ideo in principio sanctus Moyses informauit nos atque instruxit de insufflatione animæ, ut nõ laberemur opinionibus diuersis philosophorum, qui sibi constare nõ possunt. Plarique enim uaria senserunt, ut Critias, & eius discipuli, sanguinè esse animam dicentes, istã utique animã qua uiuimus, quæ est sensibilis, non illã animã quæ rationalis & intelligibilis interioris hominis æstimatur. Hippocrates autem etsi non Critiæ improbauit ingenium, nec disputationem eius redarguit, tamen sententiæ non acquieuit. Aristoteles entelechian dixit. Ignem alij esse uoluerunt. Nos igitur huiusmodi diuisionem tenemus, ut separemus quod est rationale animæ, cuius substantia diuina est spiritus, sicut ait scriptura: quia insufflauit in faciem eius spiritum uitæ. Est autem in ea nutrimentum quoddam uitale, quo hoc corpus animatur, est etiam delectabile. Illarum igitur & uitalis & delectabilis animæ partium substantia, sanguis appellatur à quibusdam, licet etiam scriptura dixerit, Anima totius carnis, sanguis est. Propriè igitur animam carnis, sanguinem appellauit. In carne enim delectatio & passio est, non mens & ratiocinatio. Tamen si diligenter intendas, hic locus illum explanat. Cum enim hoc loco animam sanguinem dixerit, utique significauit aliud esse animam aliud sanguinem, ut sit animæ substantia spiritus uitalis: sed ipsum spiritum uitalem non per se tantum & sine sanguine usum afferre uiuendi, sed commiseri sanguini: quia sunt quæ uocantur arteriæ uel receptacula spiritus, quæ non solum aërem purum amplectuntur, sed etiam sanguinem, sed minorem longè sanguinis portionem. Gemina enim cum uasa sint, aliud est uenæ, quæ φλέψ Græcè appellatur, aliud arteriæ. Vena plus habet sanguinis quam spiritus, arteria minus habet sanguinis, multo amplius spiritus. Iam temperatio pro diuersitate est hominum singulorum. Altior autem sensus delectare te debet, qui significat sanguinem animam ideo dictum, quia sanguis calidus & ignitus est, sicut est uirtus. Quicumque igitur studio uirtutis fuerit accensus, & uaporem laudis assumpserit, omnes delicias ventris excludit. Ea igitur cogitationum quæ sunt carnalia atque terrena, in uirtutis, inquit, ardore positi reiciētis, quasi inhabilia spiritali cibo. Non enim carnem manducabat, hoc est, terrenum aliquod cogitabat, qui dixit, Meus cibus est ut faciam uoluntatem patris mei, qui in caelis est: studium hominibus uirtutis inspirans, & cupiditatem diuinæ cogitationis infundens. Ergo terrena cogitationes & infimæ, quasi euiratæ & sine usu sanguinis habentur. Et ille euiratus dicitur, qui sanguinis plurimum amiserit. etenim sanguinis amissione frigeſcit. Quisquis igitur diligēs uirtutis est, cibos ab-

Gen. 2.

Arist. lib. 1. de anima, tex. 32.

Idem lib. 2. de anima, tex. 6. Lib. 1. de anima, tex. 29. et 30. Gen. 2.

Leuit. 17.

Leuit. 27.

Ioan. 4.

gat & reicit corporales, nisi quantum scit fatis esse naturæ. Quisquis autem negligentior tamquam lubricum & aquosum uitæ istius fuerit cursum secutus, quasi amissis uestigis in uerum decidit & uentrem. Itaque ea quæ sunt terrena desiderat, cibi caelestis alienus, & qui non possit dicere, Nostra cõuersatio in caelis est. Ideoque ut ad secretos prouocaret, ait idè, Ne tetigeritis, ne attaminaueritis, ne gustaueritis quæ sunt ad corruptelã ipso usu, secundum præcepta & doctrinas hominum, quæ sunt rationem quidè habetia sapientiae, in obseruatione religionis, & humilitate cordis, non in indulgentia corporis, non in honore aliquo ad saturitatem & diligentiam carnis. Quod per hoc quod ait, *Etenim uestrum sanguinem & animarum uestrarum exquiram de omnibus bestis, & de manu hominis fratris, detur intelligi hominè grauius peccare qui fratri insidiatur: & quis dicatur frater, quare etiã dixerit, Ad imaginem Dei feci hominem, & non ad imaginem meam, cum reprobatione opinionis philosophorum, qui negant Deum habere curam super homines. CAP. XXVI.*

**D**enique hunc sensum esse, posteriora approbãt. Sic enim ait, *Etenim uestrum sanguinem, animarum uestrarum de omnibus bestis requiram illum, & de manu hominis fratris, &c.* Bestiali malitiæ comparauit, immo etiã acerbauit iniquitatem hominis ultra bestiarum feritatem, dicèdo, *De manu hominis fratris.* Etenim bestiae nihil nobiscum habent commune naturæ, nullo uel fraterno iure deuinctæ sunt. Si nocent hominibus, quasi extraneis nocēt. Naturæ iura nõ uolant, germanitatis non obliuiscuntur affectu. Ideo grauius homo peccat qui fratri insidiatur, & Dominus seuerius vindicatorum se esse promissit dicens, *De manu hominis fratris eius requiram animam hominis.* Annõ frater est quem rationalis naturæ quidã uerter effudit, & eiusdè matris nobis generatio copulauit? Eadè enim natura omnium mater est hominum, & ideo fratres sumus omnes, una atque eadè matre generati, cognationisq; eodè iure deuincti. Ideoque & Dominus fratrem appellauit & eum à quo sanguis fratris requiritur, significans magis ab his periculum pertimescendum qui fraterno sibi iure sociantur. Hinc etenim insidiæ, hinc pericula frequentiora hominibus comparantur. Et ut specialia comprehendamus, fratribus in hæreditatis diuisione frequenter odia succrescunt. Deinde si fratri amplius collatum fuerit à parentibus, fratres alij indignantur magis, & gratiam à parentibus collatam parricidio auferre conantur. Ista magis bella suspecta, bella non cibi tantum, sed singularium donorum. Illos ergo Dominus ad ultionis iudicium comprehendit, quos magis insidiarios sibi esse cognouit. Terrium est quod in eo fratrem dixit, non quod dignus pietatis nomine parricida sit, sed quod magis pietatis grauetur uocabulo, atque inde fiat sceleris incrementum, quo iustior sit uindicta sceleris. Ergo Dominus Deus noster ultionem promittit, ut uel sic frangatur metu, qui pietatis est oblitus, & sciat quod etiam si homines effugiat homicida, Dei tamen iudicium nõ possit euadere, sed maiori & aeterno supplicio referuetur. Altiore autem sensu per hoc intelligimus, non solum ab extraneorum, uerum etiam à nostrorum, hoc est domesticorum, cogitationibus nobis cau-

Philip. 3. Coloss. 3.

Proverb. 10.

Matth. 12.  
Rom. 10.

Job. 33.

Ioan. 1.

Psalm. 103.

dum. Deinde obseruandum nobis non solum à malitia metis, verum etiam ab ipsis sermonibus nostris. Ideoque ait, De multiloquio non effugies peccatū. Ergo hoc significari videtur, non solum operis nostri, sed etiam sermonis qui est magis domesticus, rationem Domino esse reddendam. Et ideo diligentius considerandum ne vel sermone vel opere contrahamus offensam, quia sicut ore confessio fit ad salutem, sic ore fit lapsus ad mortem. *Qui effuderit* (inquit) *sanguinem hominis, pro sanguine hominis, eius effundetur.* Non errauit locutio, sed emphasis facta verborum est, eo quod is qui effuderit sanguinem hominis, ipse quasi sanguis effundetur, quod spem ei posteritatis cripiat: quia sicut sanguis effusus in terram hac atque illac spargitur, ita impiorum anima corporeæ fragilitatis more soluitur: quia & de anima dictum est mortem eius esse corruptionem, eo quod gratiæ cælestis munere defraudetur, & velut collisa malitiæ scopulis salubritatis suæ corpus imminuat. Mouet etiam pluresque quod dixerit, *Ad imaginem Dei feci hominem:* & non dixit, *Ad imaginem meam,* cum ipse sit Deus. Sed intellige & patrem esse, & filium esse. Et licet per filium omnia facta sunt, tamē legitimus quia pater fecerit omnia, & fecerit per filium, sicut scriptum est, *Omnia in sapientia fecisti.* Sine ergo pater dicit, ad imaginem verbi fecit: siue filius dicit, ad imaginem Dei patris fecit. Et ideo familiarem quandam & domesticam Deo demonstrat hominis esse naturam, id est, rationalis hominis secundum quod ad imaginem Dei creati sumus: eaque causa inultum non esse apud Deum quod in domesticum animal sibi videat crudeliter & impiè esse commissum. Causa ergo vindictæ addita facit, vt primum excludamus philosophorum quorundam opiniones, qui negant Deum habere curam super homines: deinde scientes prerogatiuam nostræ vltionis apud Deum manere, neque in alios committamus quod diuino iudicio vindicandum sit, neque mortem ipsi vehementius pertimescamus, cum sciamus necati hominis innocentis apud Deum nullū esse contemptum.

*Quomodo intelligendum sit quod inquit Dominus, Non erit diluuium vt corrumpat omnem hominem. & quod subdit, Arcum meum ponam in nube, & qualis fuerit arcus ille.*  
CAP. XXVII.

**N**on ultra erit (inquit) diluuium aquæ vt corrumpat omnem terram. Dubium videtur, vtrum, diluuiū non erit, intelligendum sit, quod diluuium corrumpat terram (hoc enim diluuium facere consuevit) an verò non erit tale diluuium quo terra omnis corrumpatur; quod posteriora aperiunt, cum dicit omnem carnem non corrumpendā. Ostendit enim diluuium quidē esse futura, sed non talia quibus possit omnis terra corrumpi. Sētus autem hoc altior habet, quod iam prouidentia futura sit Domini, ne tantum sit diluuium corporalium passionum, vt anima omnis intereat. Et quidē nō audeo dicere, quia videtur Dominus statueret quod nullius anima possit penitus interire. Quid enim de parricida dicimus? quid etiam de homicida? quid de adultero? quid de præuaricatore? Quas eis partes ad veniam referuamus? Vnde magis illud arbitror, quod prouocet Dominus Deus, ne si quis leuiore alias habeat passiones, peni-

tus diuinam desperet gratiam, nec omnimodis victurum se esse diffidat. Sed etiam si est luxuriosus, nec potest studium vitare luxuriæ, ab adulterio studeat tamen temperare: sit epulandi delectatio, non stuprandi. Etiam si nescio quis auarus qui aliena diripuit, ciecit pupillos, eliminavit viduas, postea tamen in penitentiam regressus restituat quod abstulit. Denique Zacchæus ideo veniam meruit, quia nō solum restitutum se, sed quadruplum promisit, quibus aliqua sustulisset, pauperibus quoque medietatē sui patrimonij donaturum. Consideremus etiam diligentius quid sit quod ait, *Arcum meum ponam in nube, & erit signum testamenti aterni inter me & inter terram: & erit cum innubilauero nubes super terram, apparebit arcus meus in nube, & memor ero testamenti mei.* Non enim sicut plerique arbitrantur, arcum istum dicit quem adiunt homines esse quo pluuiarum signa aliqua declarantur, in quo colores diuersi tamquam radiatorum solis nunc rutilantium, nunc lumine lucentium clariore figurantur, vnde & pluuiæ futura significatur, eo quod inconstantia quædam serenitatis versicolora specie demonstratur. Arcum hunc Irim quidā appellant. Sed absit vt hunc arcum Dei dicamus. Hic enim arcus qui Iris dicitur, per diem videri solet, per noctem non apparet. Etiam per ipsum diem, si obductus aer tetris nubibus fuerit, nec sic quidem videtur, ni fortē cum grauiore nubes se cœperint relaxare. Ergo videamus ne quia arcus quo sagittæ iaciuntur, nunc tenditur, nunc resoluitur, quandam extensionem & remissionem videatur scriptura significare, per quam neque penitus per nimiam extensionem vniuersa rumpantur, sed sit quædam mēsurā, & quoddam diuinæ virtutis examen. Est ergo virtus inuisibilis Dei, quæ & specie istius arcus extendendi & remittendi moderatur pro diuina voluntate, misericordia, potestate, quæ neque omnia confundi nimia solutione, neque dirumpi nimia irruptione patiatur. Quam ideo in nube dicit poni, quia tunc maximè opus est diuinæ auxilio prouidentia, quando agmina nubium in procellas tempestatēq; coguntur. Ideoque dicit, *Arcum meum ponam in nube,* non sagittam ponam. Arcus enim instrumentum iaculandæ sagittæ est. Iraque non ipse arcus vulnerat, sed sagitta. Et ideo Dominus in nube arcum magis quàm sagittam ponit, id est, nō illud quod vulneret, sed quod habeat terroris indicium, vulneris effectū habere non solet.

*Qua ratione cum tres filios Noe, Sem, Cham, & Iapheth supra computauerit, hoc loco medij filij, id est, Cham generationem prius comprehendit: & quomodo ille Chanaanorum auctor fuerit.*  
CAP. XXVIII.

**Q**ua ratione autem cum supra tres filios Noe computauerit, Sem, Cham, & Iapheth, hoc loco cōprehenderit medij filij tantū generationem? Hoc est quod ait, *Cham autem pater erat Chanaan. Isti tres erant filij Noe.* Et maximè cum illi duo iusti, iste medius iniustus. Iniusti ergo prius generatio quàm iustorū cōprehenditur. Neq; enim possumus negare quod scriptum est: sed ad coaceruandum delictū addita eius est generatio, quia cum haberet filium, & pater esset, solus ipse patrem non cognouit, qui magis cognoscere debuisset. Et ideo improbum habere

iudic. 1.

Luc. 19.

Gen. 3.

Gen. 1.

Gen. 4.

Ibid.

Galat. 5.

habere meruit filium, qui improbus fuerat patri. Simul significat ex illo Chanaan Chanaanos fuisse, qui post multas generationes à populo iusto oppressi, cesserunt in eius possessionem. Auctorem ergo Chanaanorum Chanaan fuisse manifestum est, qui fuit filius huius Cham, qui impius in patrem extitit. Altior autem sensus nominum interpretatione significatur. Cham enim calor est, Chanaan turbatio eorum. Qui enim calet, continuo mouetur & perturbatur: ideoque euidentissimè declaratur, non tā hominem patrem hominum fuisse, sed passionem malam improbæ passionis generatricem, quæ esset à patris moribus, hoc est ab vtu virtutis aliena.

*Quomodo Noe egressus ab arca factus sit agricola: & de differentia inter operatorem terræ, & agricolam. quid etiam sit quod iustus primum vineam plantauerit, & non triticum aut hordeum: & quid sibi velit quod subdit: Bibit de vino, & inebriatus est, & de duplici specie ebrietatis, & gemina nudatione sapientis: ac de operum anima.*  
CAP. XXIX.

**E**t cepit Noe homo agricola esse terræ. Videtur quidem prima specie Adæ illi qui de terra factus est, comparari Noe vir iustus, quia & de illo scriptum est quod de paradiso eiectus cœperit operari terram: de isto quoque quoniam egressus ex arca factus sit agricola. Et propemodum in vtroque præcesserat quædam forma diluuij, quia & Noe post diluuium vixit, & Adam post mundi constitutionem secundum figmentum corporis formatus est. Nam antequam mundus fieret, congregata est aqua in vnam congregationem, vt videretur terra, quæ antè non poterat per aquarum cōfusionem videri. Ergo sicut ille primigenes terram videtur operatus, ita etiam egressus ex arca Noe seminationis & culturæ auctor est factus. Hæc putantur similia. Sed si verba consideres, quæ iam vim sensus altioris exprimunt, aliud est operatorem terræ esse, aliud agricolam. Alius enim tamquam mercenarij, alius tamquam patrisfamilias loco fungitur. Denique Cain qui fratrem occidit, erat operarius terræ. Et vt scias quia operari terram magis seruire quàm liberū sit, maledicto parricidalis eius operatio comprehenditur. Vnde scriptum est, *Quoniam operaberis terram, & non augetbit virtutem suam dare tibi, gemens & tremens eris super terram.* Terra autem caro nostra est, quam improbus operatur, bonus autē excolit. Ille quasi mercedem querit è terra, iste quasi boni fructus capit gratiam disciplinæ, vt magis fructiferum faciat agrum suum, & qui Domini possit respondere culturis, & indulgentiam cultoris ostendat. Operator autem quid aliud nisi escam tantummodo corporis sui querit, vtrius magis vsui studēs, atq; id solum explicare contētus, quod sibi prodesse possit ad victum? Ille verò alius fructū vtilitate percipit. Quos fructus habeat iustus, agnoscat. Fructus autem spiritus, charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas. Bonus ergo agricola habet continentiam, castitatem, vt si quæ arbores citò curuantur in terram, & effusius germinant, eas velut quadam tēperantiæ suæ falce succidat, vt abiiciant quod infirmum est, germinent quod decorū. Quid est quod iustus primum vineam plantat, & non aut triticum aut hordeum? Vnde au-

tem vinea post diluuium corruptionemque terre? Sed de hoc supra diximus, quia veris tempore etiā corruptarum radices vitium pullulare potuerunt. Vnde & illud maiore sollicitudine soluendū arbitror, quia iustus prius quæ voluptaria, quàm quæ necessaria sunt requirit. Necessarij enim fructus sunt tritici & hordei, sine quibus nō possumus viuere, vinum autem voluptarium, & causa delectationis datum. Quod quia iustus est, ideo sibi magis hoc quod secundū erat, quàm quod primū est vendicauit. Necessaria enim alimenta viuēdi Deo detulit quod erat. Superflū autē vinū hominibus, & non necessariū. Sed fortē dicas, ita sine potu nō posse homines viuere, quæadmodū etiā sine cibo. Necessarius est ergo potus sicut cibus, non abnuo. Siti vtiq; necessarius à Domino constitutus, non repugno. Et ideo ad potū necessarium fontes & flumina conuenit deriuare, quæ nō vtiq; manu hominis effecta, sed Domini Dei nostri iussu & operatione fluxerunt. At ne quia diximus operationē Domini, ad illud retorqueas, quod operatio Cain videtur maledictiones habuisse: cōsidera non operationem maledicti nomē accipere, sed quod scriptum est, operari terram. Qui enim operatur terram, mercenarius est. Ille autē non mercenarius, sed dominus, qui ait, *Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor.* Quid operatur huiusmodi operator? Audi: *Meus cibus est vt faciā voluntatem patris mei qui in cælis est. Et bibit* (inquit) *de vino, & inebriatus est, & nudatus est in domo sua.* Non dixit, *Vinū bibit:* neq; iustus vinū ebibit, sed *de vino,* hoc est, de eius portione libauit. Ebrofius est omne absorbere vinum, & intemperantis euacuare quod sumpsit. Cōrinentia autē vtendi mēsurā legitima est. Ebrietatis itaq; species gemina est, vna quæ titubationem corpori afferat, atque eius supplantet vestigia, sensumq; perturbet: altera quæ mentem virtutis vaporet gratia, & omnem infirmitatem videatur auertere. Vnde Apostolus ait, *Vino modico vtere propter frequentes tuas infirmitates.* Sicut enim isto bibendi moderamine vinum nō infirmitati est, sed salutis, atq; omnē infirmitatē alleuat corporis, ita etiā ebrietas illa præclara omnem infirmitatem carnis excludit, de qua scriptum est, *Et poculum inebriantis quàm præclarū est!* Quæ est ista ebrietas? Inebriamini nōa vino in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto, Apostolus dixit. Et secundum litteram igitur cautio est, & secundum altiorem sensum, laudatio est. Cautus est qui etsi nudatur, in domo tamē nudatur sua, vbi operimenta non desint, & quædam tegmina ebrietatis, vt vitia sua norit abscondere. Corporalia igitur nudū corpus tegunt, vt parietes & recta: anima autem quæ sint operimenta, videamus. Sed tunc operimenta reperimus, si enudationem eius discutimus. Gemina autem nudatio sapientis. Gemino igitur amictu mens nostra vestitur, si aut peccatum imprudens admiserit (hæc est enim enudatio velut ebriæ mētis, vt nesciat quod delinquat, quasi quæ temulentia quadam ignorantie in vitium deducta labatur) aut rursus negligentia & ignorantia somno sepulta errorem suum nesciat. Quæ cum inciderimus, immò cum peccata plura inciderimus etiam per scientiam (est enim naturalis quædam etiā nostræ infirmitatis ebrietas, vt impetu de-

Gen. 2.

Gen. 4.

Ioan. 5.

Ioan. 4.

1. Tim. 5.

Psalm. 22.

Ephes. 5.



lectationis feramur in vitium, sicut plerique iuuenili accensi calore, aut luxuria & delectatione flammati, aut auaritia rapti cupiditate) certè omnibus his medicina quaratur, vt aliquis tegat huiusmodi infirmitatem suam, primùm pudore quodam & verecūdia, vt etiam si in lubrico sit adhuc positus delinquendi, det tamen emédationis insigne. Etenim plurimum interest, vtrum peccata sua iactare desideret. In altero enim turpis impudentia, in altero tolerabilis verecūdia spem futuræ correctionis ostendit. Alia est autem denudatio animæ, quæ velut quandam sarcinam corporis abiicit atque exiit, sicut sepulchrum quoddam carnis effugiens. Sepulchrum enim patens est guttur huiusmodi hominum, in quo sepulchro velut accumulatur anima delectationibus & cupiditatum passionibus onerata diuersis. Exiit igitur se à congestione terrena, & quasi retia quædam circumfusa euadit atque effugit, quæcumque se ab omni nudauerit passionum laqueo, & omnem illam deformem speciem terrene labis auerterit, vt lucem videat decoris æterni.

*Quare non simpliciter dixerit, Vidit Cham nudationem patris: sed, Vidit Cham patrem Chanaan: & cur Cham nudatum patrem riserit.* C. AP. XXX.

**Q**uæro nunc cur non simpliciter dixerit, *Vidit Cham nudationem patris, sed Vidit Chā patrem Chanaan?* vtique Chanaan natus non erat: cur ergo nomen addidit filij, nisi vt & vitio auctoris deformaretur hæreditas, & auctor filij nequitia grauaretur? Et pater igitur in filio, & in patre filius redarguitur, habentes stultitiæ, nequitia, impietatis quoque commune consortium. Nec poterat fieri, vt bonum generaret filium, qui bono patri nequam filius, & naturæ & eruditionis degener extitisset. Hæc secundum litteram. Quod autem ad altiorē sensum pertinet, omnes mores pessimi erroribus delectantur alienis: nec solum erroribus, sed etiam iis quæ ipsis videantur mala esse, etiam si non sint. Nudum enim Noe se non sentiebat, qui amictu erat indutus sapientia. Denique nec Adam in paradiso positus nudum se putabat, nisi posteaquam commisit præuaricationis errorē. Et reus, amictu sapientia ac iustitia, mandatorum caelestium præuaricatione nudatus, nudū se vidit, & folijs operiendum putauit. **R**idet igitur Cham nudatum patrem videns. Omnis namque improbus quoniam ipse deuius disciplina est, aliorum lapsus non solum pro sui erroris solatio accipit, quod consortes inuenerit culpæ, verum etiam improbo lætatur affectu, tamquam sua ipse dicta correxerit. Mala mens ergo lætatur præter propositum aliquid accidisse sapienti, cum vtique corporis lapsus in vitio esse non debeat, etiam si lapsus putetur, nisi animus quoque inclinetur ad culpam. Postremò venialia iudicentur huiusmodi errata, non odio prosequenda, non habenda ludibrio. Sed mens, vt dixi, improba cum putat errasse sapientem, insultandū arbitratur ei, cuius sibi putat mores esse contrarios, quod peccatum suum velut tacito quodam sapientis testimonio redarguatur: eoque lætandum sibi, quod iusto viro nec eruditio profuerit, nec iustitia suffragata sit, nec ea quæ secundū corpus sunt, habuerint prosperos cursus. Hæc enim

psal. 13.

Gen. 3.

**G** pro summis bonis apud improbos æstimantur, in diuitiis aut honore posita, quæ tamen nullum fructū ad latūdē virtutis conferunt. Propterea insipientiæ defensores vidētur, qui virtutis amatorem prosperorum munere esse fraudatum, qui omne bonum temporalibus magis quàm perpetuis æstimandum putant.

*De pietatis affectu in bonis filiis Sem & Iapheth, qui nudati amictu patrem videre cauerunt: & quomodo mens sapiens retrorsum ambulet, quid etiam significet quod somno recedente Noe sobrius factus sit à vino: & quare scriptura Cham, quem primò medium inter filios posuit, postea minorem appellauerit, dicens, Cognouit Noe omnia quæ fecit ei filius iunior.* C. AP. XXXI.

**Q**uid est quod Sem & Iapheth imposuerunt palium super humeros suos, & perrexerunt retrorsum, & operuerunt nudatum patrem, & facies eorum nō viderunt nudationem eius? Littera euidentem pietatis expressit affectum, quod nudatum amictu patrem boni filij videre cauerunt, ne paternæ reuerentia vel ipso minueretur aspectu. Siquidem etiam tacito vultu pietas frequenter offenditur. Vnde etiam Romæ vetus fuisse vsus dicitur, ne filij cum parentibus, & maxime puberes intrarent lauacrum. Sensus autem altior hoc habet, quia insipiens præsentia tantummodo videt quæ in oculis sunt, futura nō respicit, præterita nō cogitat: sapiens autem & præterita recordatur, & futura considerat. Omnis ergo mens sapiens retrorsum ambulat, hoc est, præterita spectat, nec naturæ quodam vsu impeditur, nihil vacuum, nihil nudum suorum patitur esse gestorum. Operit quæ aliter gesta sunt, amictu quodam & gratia vel præsentis operis, vel futuris, vt nihil indecorum prætereat, nihil inornatum relinquat. Vnde & Apostolus superiora obliuiscēbat, priora appetebat: sed obliuiscēbatur, vt absconderet persecutionis errores, vt tegetet superiora delicta, bonisque operibus obumbraret. Beati enim & illi quorum tecta sunt peccata; id est, si tegantur bonis operibus, & operiantur virtutum sequentibus disciplinis. *Et sobrius (inquit) factus Noe à vino.* Manifestum est, ex ebrietate intercedente somno sobrios fieri homines. Mens autem sobria est quando & præterita & futura cognoscit. Sobria ergo erat mens iusti etiam quando ebria putabatur. Est enim præclarū poculum inebrians iustos. Ille autem verè inebriatus erat, qui ridebat patrem. Qui enim neque præteritā generationis gratiam, neque præsentē reuerentiam patris, neque futuram pœnam paternæ iniuriæ considerabat, verè ebrius erat, & quod putabat videre se, non videbat. Erat in illo profunda cæcitas, qui patrem videre non poterat. Nam si vidisset patrē, non vtique risisset. Neque enim ridendus, sed verendus est pater. Multo autem amplius mentem iusti insipientis videre non poterat. Quomodo enim videbat, qui in eo putabat dubietatis errorem, vbi erat perfectus sapientia cæterarumque virtutum vapor? sicut scriptum est, Vapor est enim virtutis Dei. Quando enim mens magis sobria est, quàm tunc quando natura omnium rerum, temporumque præsentium & futurorum ita spectat negotia, vt nullam in eo temporalis titubantia ebrietatis appareat? **Q**uæro

M. Cicero lib. 1. Officiorum.

philip. 3.

psal. 31.

psal. 22.

sapient. 7.

sup. 4. Edit. 18.

3. Reg. 20.

supra cap. 2. huius libri.

**Q**uæro etiam qua ratione cum antè mediū dixerit inter filios Cham, nunc iuniorē cōstituat. Sic enim scriptū est, *Cognouit Noe omnia quæ fecit ei filius iunior.* Numquid antè scriptura in ordine generationis errauit? Non vtique. Quid ergo? Contraria nunc scripta sunt? Non arbitror. Quomodo igitur soluitur, nisi iuniorē non ætate, non tempore accipias, sed rudem sensu, & in quadam intellectus infantia constitutum, qui prouectioris doctrinam ætatis nō hauserit, nec perceperit senile consiliū? Cui enim quidam sunt sensus hominum. Et ideo inquit, Cū veneris ad seniorum concilium, claude os tuum. Et alibi habet sententia: Discendum prius est quàm loquendum. Aures ergo paratas habe, vt aliquid de sapientium consiliis consequaris. Lingua reprimenda est, auditio præparanda.

*De benedictione Sem filij, & quare Noe Dominum & Deū dixerit, & specialiter Deum filij sui Sem. & qua ratione cum Cham peccauerit, non ipsum, sed filium illius seruituti addixerit: & de benedictione filij Iapheth, & multipli- ci dilatatione bonorum: & de mysterio annorum Noe.* C. AP. XXXII.

**B**enedicens filium Sem, ait Noe: *Benedictus Dominus Deus Sem, & erit Chanaan seruus eius.* Et Dominum & Deum dixit, & specialiter Deum filij sui cui nomen Sē est, eo quod Deus iustorum est, hoc est mortium, non vallium, qui gratiam habeant virtutis excellæ. Denique qua ratione cum filius eius Cham peccauerit, non ipsum, sed filium eius seruituti addixit? Et fortasse ideo, quod pater plus afficitur iniuriis filij sui, maxime quàm quod reus & auctor existat, & vehementius contristatur sui peccati damnationem à filio perfolutam, qui non tam suo quàm patris merito puniretur. Deinde quia doctrinæ paternæ discipulus esset filius, & pessimarum æmulus cogitationum, vno corpore vterque vteretur & mente, eadēque malitia. Indifferenter igitur vel paternæ vel suæ malitiæ filius pretiū luit, quoniam improbitatis commune consortium est. Quod igitur pro patris soluit improbitate, sine dubio & pro sua soluit, culpæ eius reus: vel certè diutius pœna producit cum etiā ad filium vsq; pertendit, & successoris afflictio in tēpora multa profertur. Hoc secundum litteram. Cæterum non tam hīc homines quàm mores comprehenduntur, quorum in vtroque vna natura. Nam Cham calor, Chanaan commotio & inquietudo. Qui enim calidus est, vtique inquietus atque commotior est. In duobus igitur erat vna passio, & vnus affectus. Itaque cum alter addidit, vterque damnatur. Cū autem sanctus Noe benedicens filium suum Iapheth, ait, *Dilatet Deus Iapheth, habitet in domibus Sem, & fiat Chanaan seruus eius:* diximus supra in Iapheth quasi in differēs bonum significari. Indifferentia autem latitudinem habet, quæ est in salutē, vigore, decore, fortitudine, diuitiis, gratia, nobilitate, amicis, potestatibus, & cæteris. Sed hæc licet indifferentia bona sint, tamen plerisque nocuerunt, qui ea non cum sapientia & iustitia possederunt. Multos enim ebrios fecere diuitia, nobilitas & potestas superbos, pulchritudo luxuriosos, cuius suffragatio alienæ mentis corruperit castitatem.

**A** Ergo pro vrentis affectu horum quæ diximus indifferentiæ sunt, quorum vsus aut virtutibus regitur, aut certè sine gubernatione virtutū fraudi esse incipiunt, quæ possunt esse vtilitati. Nunc quoniam post diluuium Noe dicitur vixisse trecentis & quinquaginta annis, nequaquam prætereundum putamus. Nam in trecentis crucem Christi significari certum est, cuius typo iustus à diluuiō liberatus est. In quinquaginta Iubilæus est numerus remissionis quo Spiritus sanctus missus à cælo est, gratiam humanis pectoribus infūdēns. Perfecto igitur numero remissionis & gratiæ, iustus curriculum vitæ huius impleuit.

Leuit. 25. Act. 2.

Genesis Cap. X.

**H**æc generationes filiorum Noe, Sem, Cham, Iapheth: & nati sunt eis filij post diluuium. Filij Iapheth, Gomer, & Magog, & Madai, & Iaynan, & Thobal, & Mosoch, & Thiras. Et filij Gomer, Aschonez, & Riphath, & Thogorma. Et filij Iaynā, Eliffa, & Tharsis, Citij, Rhodij. Ab iis diuisæ sūt insulæ nationū in terra eorum, vnusquisque secundum linguam in familijs suis, & gentibus suis. Filij autem Cham, Chus, & Mesraim, Phuth, & Chanaan. Filij autem Chus, Saba, & Euila, & Sabatha, & Regma, & Sabathacha. Filij autē Regma, Seba, & Dadan. Chus autem genuit Néroth. hic cœpit esse gigas super terram. Isse erat gigas, venator ante Deū, propter hoc dicitur quod Néroth gigas venator ante Deū. Et fuit principiū regni eius Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne, in terra Sennaar. Ex terra illa egressus est Assur, & ædificauit Niniuē, & Rhooboth ciuitatem, & Chalach, & Dasesem inter Niniuē & inter Chalach. hæc ciuitas magna. Et Mesraim genuit Ludim, & Anamiim, & Labiim, & Nephthuum, & Phetrusium, & Celuim. vnde egressi sunt inde Philisthim, & Caphthurim. Chanaan autem genuit Sidonē primogenitum suum, & Chetæurn, & Iebusæum, & Amorrhæum, & Gergesæum, & Euæum, & Arachæum, & Cynati, & Aradiū, & Samarium, & Amathæum. Et post hæc dif-  
feminatæ sunt tribus Chananæorum: & facti sūt termini Chananæorū à Sidone, donec veniatur in Gerara & Gazā, donec veniatur Sodomā & Gomorrhā, Adama & Seboim vsq; ad Lasa. Hi filij Chā in tribubus suis, secundum linguas suas, in regionibus suis, & in gentibus suis. Et Sem natus est & ipsi patri omnium filiorum Heber, fratri Iapheth maiori. Filij Sē, Elam, & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Avā, &

Cainan. Et filij Aram, Hus & Hul, & Gether, & Mes. Et Arphaxad genuit Cainan, Cainan autem genuit Sale, Sale autem genuit Heber: & Heber nati sunt duo filij, nomē vni Phalec, quia in diebus eius diuisa est terra: & nomen fratri eius Iectan. Iectan autem genuit Elmodad, & Saleph, & Afarmoth, & Iared, & Adorā, & Aizal, & Decla, & Ebal, & Abimael, & Sabā, & Vphir, & Euilar, & Iobab. omnes isti filij Iectā. Et facta est habitatio eorū, de Messa vsque ad Sephar montem orientis. Isti filij Sē in tribubus suis, secundum linguas suas, in regionibus suis, & in gentibus suis. Hæ tribus filiorū Noe secundum cognationes eorum, secundum gentes eorum: ab istis disseminatæ sunt insula gentium in terra post diluuium.

*De posteritate Iapheth: & quod insula maris, ne dum terra, ei data sunt: & sensus mysticus explicatur.*  
CAP. XXXIII.

**D**E generatione Iapheth loquens, inquit, *Rhodus & alie insula nationum, &c.* Non immeritò latitudo dicitur, quando etiam in alteram partem naturæ, hoc est maritimā, generatio eius processit. Verè enim tamquā latitudo nō fuit eo contenta quod in vsum hominibus natura præscriperat, hoc est, terræ possessione; verum etiam introgressa est mare, ad insulas vsq; processit. Hoc secundum litteram. Secundum altiorē autem sensum, ea quæ extra sunt, quæ dicuntur bona, diuitiæ, potestates, honores quasi diffunduntur latius, nec tamen his contenti sunt diuites quæ in manibus & in conspectu sunt, sed longè latèq; diffundunt suas cupiditates, dum aut pecuniarum compendium de vltioribus queritur, aut honor à pluribus, aut potestas diffusior, aut cupiditas.

*Qua ratione Cham illius improbi filium seniore Chus scriptura fuisse memorauerit: & quod Chus Nemroth gigantem*

*genuerit, qui erat venator ante Deum: & de interpretatione nominis Nemroth: quodque idem principium fuerit regni Babylonis.*  
CAP. XXXIII.

**N**unc quaero, qua ratione Cham illius improbi filium seniore Chus scriptura fuisse memorauerit. Duo genera terræ: vnū velut arenosum & puluerulentum, immò vt expressius dicam, puluis: aliud genus terræ fructiferum atque fecundum, hoc est terra solidior & profūda. Quid igitur improbus nisi puluerem generat, ex quo generatio esse nō possit? Ideoq; Propheta puluerem impiis comparauit, dicens, Nō sic impij, nō sic, sed tamquam puluis quē proicit vētus à facie terræ. Eo quod etiā secundum altiorē sensum infœcunda sit impiorum anima, quæ fructus viles generare non possit. Qua ratione etiam Chus Nemroth gigantem genuerit, qui erat venator ante Deum? Quid aliud puluis & arena generaret, nisi terrenum hominem, eo quod impius cælestibus terrenæ præponat? Gigantes enim voluisse pugnare aduersum superna fabulæ inducunt, & terreno ascensu scandendum ad cælestia putauerunt. Altiorē autem sensu illud significatur, quod qui terrenas diligit voluptates, & eas sequitur, putat his se posse ad Dei gratiam peruenire, & regnum cælestis huiusmodi erroribus deferendum: is aduersum cælestia contumaci præliatur affectu. Propterea & in proverbio est de eo qui deliquerit, *Sicut Nemroth gigas venator ante Deum.* Nemroth autem per interpretationem dicitur Æthiops. Color Æthiopsis tenebras animæ squaloremque significat, qui aduersus lumen est, claritatis exors, tenebris inuolutus, nocti similior quàm diei. Venatoris quoque vsus in siluis, inter feras ac bestias conuersatio eius. Irrationabilis ergo miscetur irrationabilibus passionibus, & ea quæ sunt malitiæ agrestis atq; præduræ, venator huiusmodi explorare cōsuevit, atq; his potiri atq; delectari. Deniq; Nemroth huius principium regni Babylon, hoc est confusio, eo quod malitia & potestas non in simplicitate & puritate, non in distinctione virtutis, sed in confusione vitiorum est.

S. AMBROSII DE NOE ET ARCA LIBRI FINIS.

### Summarium Libri primi de Abraham.

*A cap. I. vsque ad cap. VI. agit de Abraham, præclarisq; eius gestis & virtutibus.*

*A cap. VII. vsque ad cap. VIII. de Sara eius uxoris, & mirabili illius conceptu & partu.*

*A cap. VIII. vsque ad finem libri, de Abraham probatone per oblationem filij, de Sara obitu, & de nuptiis filij.*

### Capita primi Libri.

*De huius libri titulo, auctoris intentione, tractandi ordine, rationisq; propositi negotij expositione.*

Cap. I.

*De fidei Abraham singulari deuotione, quam obedientia admirabili comprobauit.*

Cap. II.

*De cæteris Abraham virtutibus, videlicet prudentia, iustitia, charitate atque parsimonia: & quemadmodum rixas inter serulos suos ac nepotis eius exortas, fibrā discordiæ amputando sedauerit.*

Cap. III.

*De defensione immunitatis adulterij Abraham, qui ex ancilla filium suscepit.*

Cap. IIII.

*De hospitalitate Abraham hospitum explorantis aduentum, & angelos hospitio suscipientis; cum diligenti exhortatione ad hospitalitatis illius imitationem.*

Cap. V.

De

*De aduentu angelorum ad Sodomam ciuitatem; de Lot hospitalitate eis exhibita, Sodomorūque nefando scelere, & hospitalitatis violatione.*

Cap. VI.

*De pudicitia Sara uxoris Abraham sepius tentata, & tandem à Deo pulchra donata prole.*

Cap. VII.

*De tentatione Abraham, & multiplici eius probatione.*

Cap. VIII.

*De morte uxoris Abraham, sterūque eius, & sepultura officio. Curat Abraham providere uxorem filio suo Isaac; mittit seruum qui ducit Rebeccam, & datur Isaac in uxorem.*

Cap. IX.

## SANCTI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS, DE ABRAHAM

LIBER PRIMVS.

Genesis Cap. XII.

**E**T dixit Dominus Abrā, Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam tibi monstrabo: & faciam te in gentem magnam, & benedicā te, & magnificabo nomē tuū, & eris benedictus: & benedicā benedicentes te, & maledicentes te maledicam: & benedicentur in te omnes tribus terræ. Et abiit Abram sicut loquutus est ei Dominus, & exiit cum eo Lot. Abram autē erat annorum septuagintaquinque quando egressus est de Charran. Et accepit Abram Saram uxorem suam, & Lot filium fratris sui, & omnem substantiam eorum quæcumque possidebant, & omnem animā quam possederunt in Charran. Et egressus est vt iret in terram Chanaan: & perambulauit Abram terram vsque ad locum Sychem, ad quercum excelsum. At Chananæi tunc habitabant terram: & apparuit Dominus Abram, & dixit ei, Semini tuo dabo terram hāc. Et ædificauit illic Abram aram Domino, qui apparuit ei. Et recessit inde in montem contra orientem Bethel, & locauit tabernaculum sibi in Bethel versus mare, & Hai ad orientem: & ædificauit ibi altare Domino, & inuocauit in nomine Domini. Et abiit Abram, & vadens demoratus est in deserto. Et facta est fames in terra: & descendit Abram in Ægyptum vt habitaret ibi, quia inualuit fames in terra. Factum est autem, quando appropinquauit Abram vt ingrederetur in Ægyptum, dixit Abram Sara uxori suæ: Noui ego quod mulier pulchra es: erit ergo cum viderint te Ægyptij, dicent quod vxor illius est hęc, & interficient me, te autem vendicabunt. Dic ergo quod soror illius sum, vt bene mihi sit propter te, & vi-

uet anima mea propter te. Factum est autem, quando ingressus est Abram in Ægyptum, videntes Ægyptij mulierem quod speciosa erat valde: & viderunt eam principes Pharaonis, & laudauerunt eam ad Pharaonem, & induxerunt eam in domum Pharaonis: & cum Abram bene egerunt propter eam. Et fuerunt ei oues, & vituli, & asini, & serui, & famulæ, & muli, & cameli. Et afflixit Dominus Pharaonem afflictionibus magnis & sauiissimis, & domum eius propter Saram uxorem Abram. Vocans autem Pharao Abram, dixit, Quid hoc fecisti mihi? quare non dixisti mihi quia vxor tua est? sed dixisti mihi, quod soror tua est: & sumpseram eam mihi uxorem? Et nunc ecce mulier tua ante te, accipiens recede. Et præcepit Pharao viris de Abram qui deducerent eum, & uxorem eius, & omnia quæcumque erant ei, & Lot cum eo.

*De huius libri titulo, auctoris intentione, tractandi ordine, rationisq; propositi negotij expositione.*

CAP. I.



**A**BRAM libri huius titulus est, quoniam huius quoque patriarche gesta per ordinem cōsiderare animum subit. De quo nobis moralis primò erit tractatus & simplex. Nam etsi altiori disputatione processus quidam & forma virtutis, & species quædam exprimat, tamen forensia quoque actū eius vestigia spectare, virtutis profectus est. Etenim si ea quæ natura ad victū generauit hominum, non vnus, sed geminæ aut etiam vberioris gratiæ sunt: quanto magis ea quibus epulantur animi, non angusti, sed abundantioris vsus & multiplicis cibi esse æstimari conuenit? Non mediocre autē aut otiosum negotiū. Etenim cum Dominus Deus noster hunc locupleti benedictionis suæ dote donauerit, vt eius gratia prouocaret cæteros, institutione corrigeret: Moyses quoq; imitandū eundē nobis descripsit, vt corda hominū in viciū labentia, huius viti contuita

Plato lib. 4.  
de Republica.

velut è quodam terreno busto refuscitaret: non perfunctorium debet videri si nos quoque scrupulosius eiusdem viri versemus vestigia. Nam si sapientes huius mundi, & Plato ipse princeps philosophorum, non veram aliquam, sed fictam & adumbratam sibi cam quam legimus *τὸ δὲ πρῶτον* proposuit ædificandam, vt doceret qualem reipublicam esse oporteret: atque ita quam nec audierat nec viderat in aliqua vrbe describendam putauit, vt ij quibus hoc munus est, quemadmodum reipublicam regerent, institui possent: & si condiscipulus Platonis Xenophon ille Socraticus fictis & ipse rebus personam voluit informare sapientis in eo libro quem *ἡ πόλις* inscribit, vt ex intimo philosophiæ sinu regis iusti & sapientis disciplina procederet: quanto magis nos non compositam figuram sapientis viri, sed expressam virtutem & diuino institutam magisterio recensere intentius, & vias eius debemus persequi, quem Moyses ita descripsit, vt retrò quodammodo se ipse respiceret?

De fidei Abrahæ singulari deuotione, quam obedientia admirabili comprobauit. CAP. II.

Magnus planè vir, & multarum virtutum clarus insignibus, quem votis suis philosophia non potuit æquare. Denique minus est quod illa finxit, quam quod iste gessit, maiorque ambizioso eloquentiæ mendacio simplex veritatis fides. Itaque cuiusmodi fuerit in eo viro deuotio, consideremus. Ea enim virtus ordine prima est, quæ est fundamentum cæterarum: meritoque hæc ab eo primam exegit Deus, dicens, *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Satis fuerat dixisse, de terra tua. Ibi enim erat exire de cognatione, exire de paterna domo. Sed ideo addidit singula, vt eius affectum probaret, ne fortè aut imprudenter cœpisse videretur, aut fraus aliqua mandatis cælestibus pareretur. Sed sicut coaceruanda fuerunt præcepta, ne quid lateret: ita etiam proponenda præmia, ne fortè desperaret. Tentatur vt fortis, incitatur vt fidelis, prouocatur vt iustus, meritoque exiuit, quemadmodum locutus est illi Dominus. *Et exiit cum eo Lot.* Hoc autem quod pro magno inter septem sapientum dicta celebratur, *ἡ πόλις*, id est, sequere Deum, perfecit Abraham, factòque sapientum dicta præuenit, & secutus Deum, exiuit de terra sua. Sed quia antè terra ei fuerat alia, hoc est regio Chaldaeorum, de qua exiuit Thara pater Abrahæ, & in Charran demigravit, & quia secum eduxit nepotem suum, cui dictum fuerat, *Exi de cognatione tua*: consideremus ne fortè hoc sit exire de terra sua, de huius terræ, hoc est, de corporis nostri quadam commoratione egredi, de qua exiuit Paulus qui dixit, Nostra autem conuersatio in cælis est; & de illecebris & delectationibus corporalibus quas velut cognatas animæ nostræ dixit, quam compati necesse est corpori donec eius colligata vinculo adhæret. Ergo exire de conuersatione terrena, & à secularibus oblectamentis & superioris vitæ moribus atque actibus debemus, vt non solum loca, sed etiam nosmetipsos mutemus. Si cupimus adhærere Christo, deseramus corruptibilia. Sunt autem corruptibilia in nobis caro, de-

Gen. 11.

Philip. 3.

lectatio, vox obnoxia passionibus corruptibilibus. Per vocem autem passiones intelligimus. Vnde quoniam anima nostra *διμερής* est, hoc est bipertita, & rationabile habens & irrationabile, quod diuiditur per carnem, & delectationis corporalis illecebras, cæterasque passiones corporis: qui iustus est vir, rationabile animæ suæ ab irrationabili se iungere debet ac segregare. Hoc est enim exire de Charran, tamquam de cauernis quibusdam & cuniculis latibulisque egredi. Latere enim criminosa conscientia est. Et nos igitur sequentes Abraham exeamus de latibulis. Si enim filij Abrahæ sumus, opera Abrahæ faciamus, vt luceant opera nostra bona coram Deo, & coram hominibus. Iustus dicit opera sua regi, peccator seipsum occultat, sicut Adam se occultare cupiebat, sed latere non poterat. Paruit itaque mandato Abraham, nec vlla legitur mora interuenisse. *Egressus perambulauit terram usque ad locum Sychem, ad quercum excelsam.* Sychem interpretatione Latina dicitur humerus vel ceruix: per quæ executionem præscripti operis intelligimus. Si quidem & infra habemus scriptum, Supposuit humerum suum ad laborandum. Vnde per figuram locorum id expressum aduertimus, quòd deuotionem suam sanctus Abraham non solum studio, sed etiam efficacia probauerit fructuosa, qua ad quercum usque peruenerit. Quo loco apparuit illi Dominus, & dixit, *Semini tuo dabo terram hanc.* Vide quomodo promisso frequenti tamquam inualidum adhuc informet atque instituat: & ipse immemor sui totum Deo deputet, nihil sibi vendicet. Ideo & aram ædificauit Domino, qui apparuit ei: & recessit inde in montem contra orientem Bethel, surgentem adhuc solem iustitiæ cupiens videre. Ideoque non in vallibus, sed in monte tabernaculum sibi locauit, quia Deus montium est, & non vallium. *Et inuocauit in nomine Domini.* Vbi Bethel, id est, domus Dei, ibi & ara: vbi ara, ibi & inuocatio Dei nostri. Meritoque processus tantos habuit, quia Deum sperabat sibi auxilio fore. Exercetur athleta Dei, & duratur aduersis: in desertum abiit, famem incidit, in Ægyptum descendit. Compererat in Ægypto lasciuia esse iuuenum luxuriam, petulantem cupiditatem, voluptatum intemperantiam. Aduertebat inter huiusmodi viros intutam vxoris pudicitiam fore, sibi que coniugis pulchritudinem periculo futuram: monuit vxorem, vt sororem se diceret. Quo docetur non magno opere decorem querendum coniugis, qui viro necem plerumque gignere soleat. Non enim tam pulchritudo mulieris quam virtus eius & grauitas delectat virum. Qui suauitatem querit coniugij, non tam superiorem censu ambiat, quam necessitates non terreant maritales: non monilibus ornatam, sed moribus. Offendit plerumque virum si se vxor nobiliorem nouerit. Hæc proxima superbix sunt. Sara non facultatibus ditior, non genere splendidior erat: ideo virum imparem non putabat, ideo quasi parem gratia diligebat, ideo non censu est retenta, non parentibus, non propinquis, sed virum proprium quocumque pergeret sequebatur: externa adiit, sororem se eius asseruit, contenta, si ita esset necesse, se periclitari pudore quam virum salute. Vt tueretur maritum, mentita est germanitatem, ne infidiatore

Ioan. 8.  
Matt. 5.  
Psalm. 44.  
Genes. 3.

Genes. 49.

3. Reg. 20.

Act. 17.

fidiatore pudoris eius tamquam æmulum & vindicem vxoris necarent. Denique simul vt viderunt illam Ægyptij, admirati quòd speciosa esset valde, induxerunt illam ad regem suum, & cum Abram bene egerunt, tamquam fratrem eius quæ placuisset regi honorantes. *Afflixit autem Dominus Pharaonem afflictionibus magnis & seuisissimis, & domum eius propter Saram vxorem Abram.* Magnum testimonium documentumque castitatis. Intuendus locus ita hortatorius, vt vnusquisque se castum præbeat, alienum non affectet torum, nec latendi spe, aut faciendi impunitate, alienam vxorem incestat, non incuria aut stultitia prouocetur mariti, aut absentia longiore. Adest præsul coniugij Deus, quem nihil lateat, nullus euadat, nemo irrideat, vicem absentis mariti tueretur, seruat excubias, immo sine excubiis deprehendit reum antequam faciat quod parauerit in animis singulorum, in mentibus vnuerforum crimen agnoscat. Et si maritum adulter sefelleris, non falles Deum: & si maritum euaseris, & si iudicem fori luseris, non euades iudicem totius mundi. Ille grauius vlscitur iniuriam inopis, contumeliam imprudentis mariti. Maior est enim iniuria auctorem quam custodem thalami speratum esse, nec consideratum. Ipse quoque Pharaon, licet rex Ægyptiorum, quem & insolentia regalis potentia supinaret; & Ægypti lasciuia atque luxuries à studio castitatis abduceret; vocauit Abram, & arguit eum, dicens, *Quid hoc fecisti mihi? Quare non dixisti mihi quia vxor tua est? sed dixisti mihi quia soror tua est, & sumpseram eam mihi vxorem? Et nunc ecce mulier tua ante te.* Et si natura ferus ac barbarus, tamen significat etiam exteris ac barbaris moribus esse curam pudoris, & adulterij etiam sibi crimen cauendum. Qui præterdit ignorantiam, condemnat intemperantiam. Nec mirum si barbarus ius nouit naturæ, cum muta animalia licet nullis constringantur legibus, sunt tamen aliqua quæ non solum paribus suis copulæ seruent fidem, verum etiam coitus vnus castitatem custodiant. Ita maior lex naturæ, quam legum præscriptio est. Non mirum ergo si & iste Ægyptius rex Deum timuit qui hominem non timebat, & pœnam soluit adulterij, qui nullis reus tenebatur legibus, statimque vt alienam esse cognouit vxorem, non solum marito reddidit, verum etiam prosecutores dedit qui deducerent eum, ne quis de populo barbaro irrogaret violentiam vel peculio viri, vel vxoris pudori. Pulcherrimus est hic locus ad incitandum studium deuotionis, quòd is qui Deum sequitur, tutus semper est. Et ideo Deum præferre debemus omnibus, nec patriæ contuitu, nec parentum filiorumque gratia, nec vxoris contemplatione reuocari debemus ab executione præceptorum cælestium, quia Deus nobis omnia illa largitur, & potens est seruare quæ donat. Itaque magnum exemplum deuotionis Abrahæ, quòd cum vxore speciosa descendit in Ægyptum. Erat quidem iusto viro cura coniugalispudicitia, sed maius erat studium maturandæ deuotionis, ne prætulisset custodiam tori mandatis videretur cælestibus. Itaque quoniam propter Deum contempsit omnia, recepit à Deo multiplicata omnia; sed primam Deus pudicitia tribuit remunerationem, quam gratam sciebat coniugi. Nam quia

A studio obeundi cælestis oraculi vxorem quoque in periculum deduxit pudoris, etiam castimoniam coniugij defendit.

Genesis Cap. XIII.

ASCENDIT Abram de Ægypto ipse & vxor eius, & omnia sua, & Lot cum eo in deserto. Abram autem erat diues valde pecoribus & argento & auro: & abiit vnde egressus est in desertum, vsque Bethel, vsque ad locum vbi fuit tentorium eius prius, inter Bethel & inter Hai, in locum altaris quod fecit illic prius; & inuocauit Abram nomen Domini. Et Lot qui simul ambulabat cum Abram, erant oues & boues & armenta: & non capiebat eos terra habitare simul; quoniam substantia eorum multa, & non poterant habitare simul. Et facta est rixa inter pastores pecorum Abram, & inter pastores Lot. At Chananæi & Phærezai tunc habitabant terram. Dixit autem Abram Lot, Non sit rixa inter me & inter te, inter pastores meos & inter pastores tuos, quia homines nos fratres sumus. Nonne ecce tota terra ante te est? Discede à me. si tu in sinistram, ego in dexteram: si tu in dexteram, ego in sinistram. Et eleuauit oculos suos Lot, & aspexit omnem circa regionem Iordanis, quia tota irrigabatur antequam euerteret Deus Sodomam & Gomorrhæam, sicut paradysus Dei, & sicut terra Ægypti, donec veniatur in Segor. Et elegit Lot sibi omnem circa regionem Iordanis: & recessit Lot ab oriente, & diuisi sunt vnusquisque à fratre suo. Abram autem habitauit in terra Chanaan: Lot autem habitauit in terra finitimorum, & habitauit in Sodomis. At homines qui in Sodomis, sicut erant & peccatores in conspectu Domini valde. Et dixit Deus ad Abram postquam recessit Lot ab eo: Respice oculis tuis, vide à loco in quo nunc tu es, ad Africum, & Aquilonem, & Orientem, & mare: quia omnem terram quam tu vides, tibi dabo eam, & semini tuo vsque in æternum. Et faciam semen tuum sicut arenam terræ. Si potest aliquis numerare arenam terræ, & semen tuum numerabit. Surgè, & perambula terram in longitudinem suam, & in latitudinem, quia tibi dabo eam, & semini tuo in æternum. Et mouens tabernaculum Abram, veniens habitauit iuxta quercum Mambre, quæ erat in Chebron: & ædificauit ibi altare Domino.



De ceteris Abraham virtutibus, videlicet prudentia, iustitia, charitate, atque parsimonia: & quemadmodum rixas inter seruos suos ac nepotis eius exortus fibrâ discordiæ amputando sedauerit. CAP. III.

**P**RIMA igitur partes sibi iusto ordine vendicauit deuotio. Videamus & cæterarum virtutum gratiam. Mulcebatur sanctus Abraham nepotis præsentia, cui patrum affectum exhibebat. Incidit rixa inter seruos nepotis & patrum. Aduertit prudentior, seruulorum dissensionibus dominorum concordiam solui solere, amputauit fibrâ discordiæ, ne contagium serperet. Tolerabilius enim putauit vt copula sequestraretur, quam gratia dirimeretur. Quod te facere oportet, si forte huiusmodi aliquid incideris, vt feminariû dissensionis auferas. Neque enim tu fortior quam Abraham. Ille declinâda censuit, non despicienda seruulorum iurgia. Et si tu fortior, caue ne alter infirmior, qui aurem præbeat seruulorum susurris. Frequenter indiuisa seruitia inter parentes discordiam ferunt. Diuide potius, vt maneat amicitia. Indiuisa domus duò non sustinet. Nonne melius est emigrare cû gratia, quam cohabitare cum discordia? Ipsa quoque cuiusmodi esse debeat diuisio, patriarcha edocet. Firmior diuidat, infirmior eligat, ne habeat quod queratur. Electionis enim sua partem non poterit calumniari. Non refidet occasio resiliendi, cui datur optio eligendi, nec diuisor grauat. Nam quo prudentior, eo cautior, vt nec in diuisione circumscribatur, nec in electione fraudetur. Diuisit Abram, quia non capiebat (inquit) illos terra habitare simul, quia nimium diuites erant. Sæculare vitium, vt diuites terra nõ capiat. Nihil enim satis est diuitum cupiditati. Quanto ditior quis fuerit, tanto auidior ad possidendum est. Exterendè agri terminos cupit, & vicinû excludere. Numquid huiusmodi Abraham? Minimè: quamuis in principio & ipse imperfectior. Vnde enim perfectio ante aduentum Christi? Nondum venerat qui diceret, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes; & da pauperibus, & veni; sequere me. Tamen vt minimè auarus electionem offert, vt iustus dissensionem amputat. Non su (inquit) rixa inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos, quia homines nos fratres sumus. Nonne ecce tota terra ante te est? Discede à me, si tu in sinistram, ego in dexteram; si tu in dexteram, ego in sinistram. Et eleuauit oculos suos Lot, & elegit irrigua (regionem scilicet Iordanis) quia tota (inquit) irrigabatur antequam conuerteret Deus Sodomâ & Gomorrhâ, sicut paradysus Dei. Plurimumque possessiones obueniunt hæreditariæ, alia vtiliores, alia amœniores. Nõ vtique in portione secunda sunt. Nam incipit minui singularum meritum. Sed si non queunt partes de vtilioribus conuenire, conferatur amœnæ vtilioribus. Diuersa hominum ingenia sunt: alios vtilia, alios amœna delectant. Infirmior amœniora eligat, vtiliora fastidit. Villicus nonnumquam vtilis est, vel actor agri confertur vrbano. Si inspicens sit elector, aut cocum eligit, aut focalem, quem venustior gratia putat, refutat vtiliorem. Plurimumque etiam vbi fructus impares sunt, prudentior amœniora declinat. Citò inuidiam mouent, citò in se excitant mentem auari. Hic tamen nihil dixit scriptura de eo quòd alia pars vti-

lior, alia amœnior fuerit, ne studio Abraham cepisse oculos adolescentis videretur. Amœnam partem vnam descripsit, non addidit alteram vtiliorem. Necessè erat vt de tota regione duas partes faceret: deinde præsentia, non absentia diuidebat. Vna regio capere vtrumque non poterat. Quod potuit summè esse iustitiæ, electionem obtulit.

Genesis Cap. XIII.

**F**ACTVM est autem in regno Amraphel regis Sennaar, Arioch rex Elasar, Chodorlaomor rex Elam, & Thargal rex gentium, fecit bellum cum Balla rege Sodomorum, & cum Barfa rege Gomorrhæ, & Sennar rege Adama, & Symor rege Seboin, & rege Balac. hæc est Segor. Omnes hi conuenerunt in vallem Salfam. hoc mare Salis. Duodecim annis ipsi seruiuerunt Chodorlaomor: & terdecimo anno recesserunt. In quatuordecimo autem anno venit Chodorlaomor, & reges cum eo, & trucidauerunt gigantes in Astaroth, Carnain, & gentes fortes cum eis, & Emmæos in Sane ciuitate, & Chorraeos in montibus Seir, vsque ad Therebinthum Pharan, quæ est in solitudine. Et reuersi venerunt ad fontem iudicij: ipsa est Cades & trucidauerunt omnes principes Amalec, & Amorrhæos, & habitantes in Asafonthamar. Egressus est autem rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, & rex Adama, & rex Seboin, & rex Balac: hæc est Segor: & occurrerunt cum acie eis in prælium in valle Salfæ aduersus Chodorlaomor regem Elam, & Chargal regem gentium, & Amraphel regem Sennaar, & Arioch regem Elasar, & quattuor reges aduersus quinque. At vallis Salfæ, putei putei-bituminis. Fugit autem rex Sodomorum & rex Gomorrhæ, & ceciderunt illic: at qui remanserunt, fugerunt in montana. Abduxerunt autem equitatum omnem Sodomorum & Gomorrhæ, & omnes cibos eorum, & abierunt. Ceperunt etiam Lot filium fratris Abram, & supellestem eius, & abierunt (erat enim habitans in Sodomis.) Adueniens autem quidam saluatorum, nuntiauit Abram transitori. ipse autem habitabat apud quercum Mambre Ammor fratris Eschol, & fratris Aunan qui erant confederati Abram. Audiens autem Abrâ quòd captiuatus est Lot nepos eius, numerauit proprios vernaculos suos trecentos decem & octo, & persequutus est vsque ad Dan: & irruit super eos nocte ipse & pueri

& pueri eius, & percussit eos, & persequutus est vsque ad Chobal, quæ est ad dextram Damasci: & reuocauit omnem equitatum Sodomorum, & Lot nepotem suum rediit, & substantiam suam, & mulieres, & populum recepit. Exiuit autem rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ obuiam Abraham, postquam reuersus est à cæde Chodorlaomor, & regum qui cum eo in valle Sane. hic erat capus regis Melchisedec. Et Melchisedec rex Salem protulit ipsi panes & vinum (erat enim sacerdos Dei summi) & benedixit ei Melchisedec, & dixit: Benedictus Abram Deo altissimo, qui creauit cælum & terrâ, & benedictus Dominus Deus altissimus, qui tradidit inimicos tuos captiuos tuos. Et dedit ei Abram decimam ex omnibus. Dixit autem rex Sodomorum ad Abrâ: Da mihi homines, equos autè sume tibi. Dixit autem Abram ad regem Sodomorum: Extendam manum meam ad Dominum altissimum, qui fecit cælum & terram: si à filo vsque ad corrigiam calceamenti sumam ex omnibus tuis, vt non dicas quòd ego ditavi Abram: præter ea quæ comederunt iuuenes, & partem virorum qui venerunt mecum, Eschol, Aner, Mambre: isti accipient partem.

Lot amœnam elegit, quæ citò prædonum oculis incurrit. Hinc bellum inter reges, aduersariorum victoria, incôlarum captiuitas. Itaque etiam Lot infirmioris consilij pretium luit, non terrarum infecunditate, sed amœnitatis inuidia deceptus, vt etiam ipse captiuus abduceretur, quoniã vitio seruilis nequitia à potiore deflexerat, & partem flagitiosorum elegerat. Sodoma enim luxuria atque lasciuia est. Ideoque declinata Latina interpretatione dicitur Lot, quòd is vitia eligit qui à virtute declinat, & ad iniquitatem deflectit. Quo comperto Abram numerauit seruos suos vernaculos, & cum trecentis decem & octo viris adeptus victoriam, liberauit nepotem. Probatur diuisionis affectus, quando sic amabat nepotem, vt pro eo nec belli declinaret periculum. Quid est, numerauit? Hoc est, elegit. Vnde illud non solum ad scientiam Dei refertur, sed etiam ad gratiã iustorum, quod in Euangelio dixit Dominus Iesus, Et capilli vestri numerati sunt. Cognouit autem Dominus qui sunt ipsius: eos autem qui non sunt ipsius, non dignatur cognoscere. Numerauit autem trecentos decem & octo, vt scias non quantitate numeri, sed meritum electionis expressum. Eos enim adfiscit, quos dignos numero fidelium iudicauit, qui in Domini nostri Iesu Christi passionem crederent. Trecentos enim 7 Græca littera significat, decem & octo autem summam exprimit. Fidei ergo merito Abraham vicit, non populoso exercitu. Denique eos quibus quinque regum arma cefferunt, cum paucis egressus vernaculis triumphauit. Sed qui vincit,

non debet arrogare sibi victoriam, sed deferre Deo. Hoc Abraham docet, qui triumpho humilior factus est, non superior. Sacrificium denique obtulit, decimas dedit: ideoque ei Melchisedec (qui interpretatione Latina dicitur rex iustitiæ, rex pacis) benedixit. Erat enim sacerdos summi Dei. Quis est rex iustitiæ sacerdos Dei, nisi cui dicitur, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec, hoc est, Dei filius, sacerdos patris, qui sui corporis sacrificio patrem nostris repropitiuauit delictis? Quantum autem illud quòd de præda victoriæ nihil voluit contingere, nec oblatum fumere? Minuit enim fructum triumphi mercedis susceptio, & beneficij arrodit gratiam. Plurimum enim refert, vtrum pecuniæ an gloriæ dimicaueris. Alter mercenarij loco ducitur, alter dignus habetur conseruatoris gloria. Iure sanctus de præda vsurpare aliquid vel oblatum recusat, ne dicat qui dedit, Quia ego diuitem feci eum: hoc solum sibi satis esse testatur, quod pastui præliantiu iuuenum profecisset. Dicit aliquis, Cùm ipse vice-rit, quomodo dicit ad regem Sodomorum, Nihil sumam abs te: cùm præda vtiq; in potestate victoris fuerit? Docet militarem disciplinam, vt regi seruentur omnia. Sanè iis qui secum fuissent in adiumentum fortasse sociati, partem emolumentis tribuendam asserit, tamquam mercedem laboris.

Genesis Cap. XV.

**P**OST hæc autem verba factum est verbum Domini ad Abram in visu dicens, Noli timere Abram, ego protegâ te, merces tua multa erit valde. Dicit autem Abram, Domine, quid mihi dabis? ego autè dimittor sine filiis: at filius Mafec vernaculæ meæ, hic Damascus Eliezer. Et ait Abram, Quoniam mihi semen non dedisti, vernaculus meus mihi hæres erit. Et statim vox Dei facta est ad eum dicens, Non erit hæres tuus hic, sed qui exierit de te, ille hæres tuus erit. Eduxit autem eum foras, & dixit ipsi, Respice in cælum, & numera stellas, si poteris numerare ipsas. & dixit, Sic erit semen tuum. Et credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiã. Dixit autem ad eum: Ego Deus qui eduxi te de terra Chaldeorum, vt darem tibi terram hanc, vt hæres esses eius. Ait autem, Dominator Domine Deus, quomodo intelligam quia hæres eius sum? Dixit autem illi Dominus Deus, Sume mihi vitulum trimum, & capram trimam, & arietem trimum, & turturem, & columbam. Et accepit ipse omnia hæc, & diuisit ea media, & posuit ea contraria ad inuicem: at aues non diuisit. Descenderunt autè volucres super corpora & diuisiones eorum, & confedit illic Abram. Circa solis autem occasum excessus cecidit super

Heb. 7.  
Psal. 109.  
Hebr. 5.

23, 9, 5, e. dicas  
aliquis.

Abram, & ecce horror magnus & tenebrosus incubuit super eum: & dictum est ad Abram, Sciendo scies, quod peregrinum erit semen tuum in terra non sua, & seruiunt opprimuntur, & nocebunt eis, & humiliabunt eos annis quadringentis: & gentem cui seruiunt, iudicabo ego, dicit Dominus. Post hac verò reuertentur huc cum suppellectili multa: tu autem ibis ad patres tuos cum pace, sepultus in senectute bona. Quarta autem generatione reuertentur huc. Nondum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque nunc. Postquã autem iam fuit sol ad occasum, flamma facta est, & ecce fornax fumigabunda, & lampades ignis quæ pertransierunt per media diuisa illa. In die illa disposuit Dominus fœdus Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc, à flumine Ægypti vsque ad flumen magnum Euphraten, Cenæos, & Cenezæos, & Cedmonæos, & Chettæos, & Pharezæos, & Raphaim, & Amorrhæos, & Chananæos, & Gergesæos, & Iebusæos.

Ideoque quoniam sibi mercedem ab homine nõ quesit, à Deo accepit, sicut legimus scriptum, quia post hæc verba factum est verbum Domini ad Abram, in visu, dicens, Noli timere Abram, ego protegam te, merces multa erit valde. Non est serus ad remunerandum Dominus: & citò promittit, & multa largitur: ne infirmos animos per dilationem aliquam subeat pœnitentia, contempnisset præsentia: & velut quadam vsuraria largitate compensat, vt vberiora restituat ei qui captus non fuerit oblatione præsentium. Ab ipso quoque Domino mercedem quam postulet, cõsideremus. Non diuitias vt avarus exposcit, nõ longauitatem vitæ istius vt meticulosus mortis, non potentiam, sed dignum querit sui hæredem laboris. Quid mihi (inquit) dabis? ego autem dimittor sine filiis. Et intrã, Quoniam mihi semen (ait) non dedisti, vernaculus meus mihi hæres erit. Discant ergo homines coniugia non spernere, nec sibi sociare impares, ne huiusmodi suscipiant, liberos quos hæredes habere non possint, vt vel transfundendæ hæreditatis contemplatione, si nullo contuitu pudoris mouentur, digno studeant matrimonio. Sed si Abraham sententia ad corrigendum minus proficit, accipe oraculum Dei huiusmodi condemnantis hæreditatem. Non erit (inquit) hæres tuus hic, sed alter qui exierit de te, ille hæres tuus erit. Quem dicit alterum? Peperit enim & Agar filium Ismael: sed non ipsum dicit, sed dicit sanctum Isaac. Et ideo addidit, Qui exierit de te. Ille enim verè exiuit ex Abraham, qui legitimo coniugio procreatus est. Sed per Isaac legitimum filium, illum verum legitimum possumus intelligere Dominum Iesum Christum, quem in principio Euangelij secundum Matthæum Abraham filium legimus, qui verè se Abraham gessit hæredem, auctoris illuminans successionem, per quem Abraham respexit in cælum, & splendo-

rem posteritatis suæ agnouit non minus illustrem, quàm stellarum cælestium fulget claritas. Sicut enim stella differt à stella in claritate, ita & resurrectio mortuorum, Apostolus dicit, eo quod resurrectiois suæ donans confortia, homines quos mors solebat terris abscondere, regni cælestis fecit esse participes. Quomodo autem Abraham propago diffusa est, nisi per hæreditatem fidei, per quam cælo comparatur, conferimur angelis, æquamur stellis? Ideo ait, Sic erit semen tuum. Et credidit (inquit) Abraham Deo. Quid credidit? Christum sibi per susceptionem corporis hæredem futurum. Vt scias quia hoc credidit, Dominus ait, Abraham diem meum vidit, & gauisus est. Ideo reputatum est illi ad iustitiam, quia rationem non queruit, sed promptissima fide credidit. Ponum est vt rationem præueniat fides, ne tamquam ab homine, ita à Domino Deo rationem videamur exigere. Etenim quàm indignum, vt humanis testimoniis de alio credamus, Dei oraculis de se non credamus? Imitemur ergo Abraham, vt hæredes simus terræ per iustitiam fidei, per quam ille mundi hæres factus est.

Genesis Cap. XVI.

SARA autem vxor Abram non peperit ei. Erat autem ipsi ancilla Ægyptia, cui nomen Agar. Dixit autem Sara ad Abram, Ecce iam conclusit me Dominus vt non pariam: intra ergo ad ancillam meam, vt filium facias ex illa. Audiuit autem Abram vocem Saræ: & accipiens Sara vxor Abram Agar Ægyptiam suam ancillam post decem annos habitacionis Abram in terra Chanaan, & dedit eam Abram viro suo ipsi vxorem. Et ingressus est ad Agar, & concepit: & vidit quòd in ventre haberet, & inhonorata fuit domina coram ipsa. Dixit autem Sara ad Abram, Iniurias patior ex te, ego dedi ancillam meam in sinum tuum: vbi autem videt conceptum esse in vtero, sperera sum coràm ab ea. iudicet Deus inter me & te. Dixit autem Abram ad Saram, Ecce ancilla tua in manibus tuis, vt ere ea quomodo tibi placuerit. Et afflixit eam Sara, & fugit à facie eius. Inuenit autem eam angelus Domini super fontè aquæ, & dixit illi angelus Domini, Agar ancilla Saræ vnde venis, & quò vadis? Et ait, A facie Saræ dominæ meæ ego fugio. Dixit autem ei angelus, Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manibus eius. Et dixit ei angelus Domini: Multiplicans multiplicabo semè tuum, & non numerabitur præ multitudinem. Et ait ei angelus Domini: Ecce tu in vtero habes, & paries filium, & vocabis nomè eius Ismael: quia exaudiuit Deus humiliacionem tuam. Hic erit ferus homo, manus eius contra

Genes. 16.

Genes. 21.

Matth. 1.

1. Cor. 15.

Ioan. 8.

Rom. 4.

Ibidem.

cõtra omnes; & manus omnium contra eum: & ante faciem omnium fratrum suorum habitabit. Et vocauit nomen Domini loquentis ad eam: Tu es Deus qui vidisti me, quia dixit, Etenim coràm vidi eum qui apparuit mihi. propterea appellauit puteum, Puteum vbi coràm vidi. ecce inter Cades & inter Barad. Et peperit Agar Abram filium, & vocauit nomen filij sui quem peperit ipsi Agar, Ismael. Abram autem erat annorum octoginta sex, quando peperit Agar Ismael Abram.

De defensione immunitatis adulterij Abrahæ, qui ex ancilla filium suscepit. CAP. IIII.

SEd fortasse dicat aliquis, Quomodo Abraham nobis imitandum proponis, cum de ancilla suscepit filium? Aut quid sibi vult hoc, vt tantus vir huic errori fuerit obnoxius, cuius tanta opera miramur? Et ideo ne quodam more nauigantium, locum hunc, quem plerique vadosum putant, declinasse videamur, rationem eius explanare cordi est. Non abnuo quòd Abraham de ancilla suscepit filium, vt eognoscas quòd non superioris cuiusdam nature ac substantiæ fuit Abraham, sed vnus è numero & fragilitate vniuersorum hominum: Denique & de regione Chaldæorum vocatus est, quos superstitioni vanæ intentos esse magis quàm ceteros accepimus: & ideo maiorem inuenit gratiam apud Deum, quia posterioribus renuntiauit, ad priora se extendit, vt sequeretur Deum. Propositus est enim ad imitandum tibi, vt & tu aduertas quòd si peccatis renunties, possis emereri Domini misericordiam. Mouere tamen aliquos potest, quòd iam cum Deo loquebatur, & ad ancillam introiuit, sicut scriptum est, quia dixit Sara ad Abram, Ecce iam conclusit me Dominus vt non pariam: intra ergo ad ancillam meam, vt filium facias ex illa. Et ita factum est. Sed consideremus primum, quia Abraham ante legem Moyfi, & ante Euangelium fuit: nondum interdictum adulterium videbatur. Pœna criminis ex tempore legis est, quæ crimè inhibuit: nec ante legem vlla rei damnatio est, sed ex lege. Non ergo in legem commisit Abraham, sed legem præuenit. Deus in paradiso licet coniugium laudauerit, non adulterium damnauerat. Non vult enim mortem peccatoris: & ideo quod præmijs est pollicetur: quod pœnæ, nõ exigit. Mauult enim mitibus prouocare, quàm seuerioribus terrere. Et tu peccasti cum gentilis esses, habes excusationem: venisti ad Ecclesiam, audisti legem, Non adulterabis; iam excusationem delicti non habes. Tamen quoniam cum his mihi sermo est, qui ad gratiam baptismatis nomen dederunt: si quis tantum crimè fecit, sciat sibi tribuendam veniam, sed quauis qui crimen commiserit: in reliquum tamen abstinendum nouerit. Denique illi adulteræ quam in Euangelio obtulerunt Scribæ & Phariæi, ignouit quidem Dominus superiora, sed ait, Vade, & amodo vide ne pecces. Quod cum illi dicit, tibi dicit. Fecisti gentilis adulterium, fecisti catechumenus: ignoscitur tibi, remittitur tibi per baptismum. Vade, & post hæc

Gen. 11.

Philip. 3.

22. q. 4. c. dicit Sara. & Lib. 4. sent. dist. 33. §. queritur hic.

Rom. 5. Genes. 2. & Eccl. 18.

Exod. 20.

Ioan. 8.

vide ne pecces. Habes vnã Abraham defensionem: Secunda illa est, quòd non ardore aliquo vagæ succensus libidinis, non petulantis formæ captus decore, ancilla contubernio coniugalem posthabuit torum, sed studio quærendæ posteritatis, & propagandæ sobolis. Adhuc post diluuium raritas erat generis humani: erat etiã religio, ne quis non reddidisse debitum videretur naturæ. Denique & Lot sancti filia hanc causam quærendæ posteritatis habuerunt, ne genus deficeret humanum: & ideo publici muneris gratia priuam culpã prætextuit. Nèc otiosum est quòd vxor auctor facti inducitur, vt excusetur maritus, ne vago raptus errore credatur. Simul vt discant mulieres diligere viros, nec agitari vana suspicione pellicatus, aut inuidere priuignis, si ipsæ liberos non susceperint. Vxori bonæ cordi erat excusare apud virum sterilitatem suam: & ne causa esset viro quòd liberos non haberet, suafit vt intraret ad ancillam. Hoc fecit Lya, hoc Rachel postea. Discite mulier zelum deponere, qui sæpe mulieres in furorem incitat. Sed & vos moneo viri, maxime qui ad gratiam Domini tenditis, non commiseri adulterino corpori. Qui enim se iungit meretrici, vnũ corpus est: nec dare hanc occasionem diuortij mulieribus. Nemo sibi blandiatur de legibus hominũ. Omne stuprum, adulterium est: nec viro licet quod mulieri non licet. Eadem à viro quæ ab vxore debetur castimonia. Quidquid in eam quæ non sit legitima vxor, commissum fuerit, adulterij damnatur crimine. Ergo aduertistis quid debeatis cauere, ne quis sacramentis se indignum præbeat. Accipite etiam aliud, quia huiusmodi intemperantiã soluit charitatem coniugij, superbas ancillas facit, iracundas matronas, discordes coniuges, concubinas procaces, inuercundos maritos. Simul vt ex domino conceperit ancilla, spernit dominam suã, tamquam ditior partu: domina se despici dolèt, maritum auctorem iniuriarum suarũ arguit. Denique Sara ipsa marito ancillæ suæ potestatem dederat, & postea dicit ad eum, Iniurias patior ex te, ego dedi ancillam meam in sinum tuum: vbi autem videt conceptum esse in vtero, sperera sum coràm ab ea: iudicet Deus inter me & te. Quæritus dolor, quàm grauis querela sit fœminarum, lætione exponitur. Da improuidum & leuem maritum qui morigerari nesciat, & diuortij causas exhibet. Sed Abraham vir moderatus & prudens, Ecce (inquit) ancilla tua in manibus tuis, vt ere ea quomodo tibi placuerit. Maluit enim vxorem tenere, quàm famulam. Nec hoc tamen plenum remedium. Acepit potestatem irata vxor, & immoderatus vlione permissa vitur. Quòd si Sara moderationem non tenuit, quæ tenebit? Ideoque scriptum est, Et afflixit eam Sara, & fugit à facie eius. Duo sunt quæ comprehendit scriptura, vt & dominæ grauem indignationem exprimeret, & ancillæ tumorem ac superbiam. Quòd afflixit eam Sara, ad iracundiam affligentis refertur: quòd Agar fugit, contumeliam seruili patientia non ferebat, quæ sibi herilis cõtubernij vendicabat fastigium: indignata est iniuriã, quæ induerat insolentiam. Denique interroganti angelo quòd iret, respondit, A facie Saræ dominæ meæ ego fugio. Et hoc tumoris immodici, vt prius nomen diceret, postea dominam significaret. Illud ad iniuriam præ-

Genes. 19.

Genes. 30.

1. Cor. 6. 32. q. 4. c. nemo.

missum, hoc ad expressionem persona additū. Non placuit angelo ancillæ insolentia. Et ideo dixit illi, *Revertere ad dominam tuam.* Vtique non latuisset angelum si vi suppliciorum victa fugisset, & magis reprehendisset verberantis sanctitiam, quam fugientis discessionem. Sed vt ostenderet quia tamquam superba fugiebat, ne subiecta esset domine, addidit: *Et humiliare sub manibus eius.* Opto igitur vt hoc vitium nullus incidat: sed si quis incidit, discat ancillam suam humiliare vxori suæ, ne dum vult ancillam vindicare, excludat vxorem.

Genesis Cap. XVII.

**E**RAT autem Abram annorum nonaginta, & apparuit Dominus Abram, & dixit ei, Ego sum Deus tuus, emerere in conspectu meo, & esto sine querela: & ponam fœdus meum inter me & inter te, & multiplicabo te valde. Et cecidit Abram super faciem suam, & loquutus est ei Deus, dicens, Et ecce fœdus meum tecum, & eris pater multitudinis gentium: & non vocabitur ultra nomen tuum Abram, sed erit nomen tuum Abraham: quia patrem multarum gentium posui te. Et augebo te valde, & ponam te in gentes, & reges ex te erunt. Et statuam pactum meum inter me & inter te, & inter semen tuum post te in generationes suas, in fœdus sempiternum, vt sim tuus Deus, & seminis tui post te. Et dabo tibi & semini tuo post te terram quam habitas, omnem terram Chanaan in possessionem aternam, & ero illis in Deum. Dixit Deus ad Abraham, Tu autem pactum meum custodies, & semen tuum post te in generationes suas. Et hoc pactum quod obseruabis inter me & vos, & inter semen tuum post te. Circumcidatur omne masculinum vestrum, & circumcidatis carnem præputij vestri, & erit in signum fœderis inter me & vos. Et puer octo dierum circumcideretur vobis, omne masculinum in generationes vestras. Vernaculus domus tuæ, & pretio emptus ex omni filio alieno, qui non est de semine tuo, circumcissione circumcideretur: & erit testamentum meum in carne vestra in fœdus aeternum. Et qui non fuerit circumcisus masculus, & qui non circumciderit carnem præputij sui octauo die, peribit anima illa & exterminabitur de genere suo, quia testamentum meum interrupt. Et dixit Deus Abraham: Sara vxor tua non vocabitur nomen eius ultra Sara, sed Sarra erit nomen eius. Benedicam autem ei, & dabo tibi ex ea filium, & benedicam ei, & erit in gentes, & reges gentium ex illo erunt.

**E**t procidit Abraham in faciem suam, & risit, & dixit corde suo, Si mihi centum annorum nascetur filius, & si Sarra nonaginta annorum pariet? Dixit autem Abraham ad Deum, Ismael hic viuat in conspectu tuo. Dixit autem Deus ad Abraham, Etiam, ecce Sarra vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Isaac: & ponam pactum meum ad eum in fœdus sempiternum, & semini eius post eum. De Ismael autem ecce exaudiui te, ecce benedicam ei, & augebo eum, & multiplicabo eum valde. Duo decim gentes generabit, & dabo illum in gentem magnam. At pactum meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sarra in tempore hoc, in anno altero. Perfecit autem loquens ad eum: & ascendit Deus ab Abraham. Accepit autem Abraham Ismael filium suum, & omnes vernaculos suos, & omnes qui empti sunt, & omne masculinum virorum, qui in domo Abraham, & circumcidit præputia eorum in tempore diei illius, sicut loquutus est ei Deus. Abraham autem erat annorum nonagintanoue quando circumcidit carnem præputij sui. Ismael autem filius eius annorum tredecim erat quando circumcisus est carnem præputij sui. In tempore diei illius circumcisus est Abraham, & Ismael filius eius, & omnes viri domus eius, & vernaculi eius, & empticij ex alienis gentibus.

Ergo Abraham & vnus de populo erat gentili, & causa posteritatis introierat ad ancillam, quia vxor eius sterilitatem suam obumbrare cupiens, auctor eius facti fuerat viro: & tamen non otiosum est quod post hoc Deus statim, quia alia eius opera probaret, pro huius facti poenitentia dixit illi, *Ego sum Deus tuus, emerere in conspectu meo, & esto sine querela.* Quasi adhuc plene non emeruisset, qui desperaret sterilibus partum vxoris, & de ancilla posteritatem quæreret, *Esto* (inquit) *sine querela.* hoc est, irreprehensibilis, vt de te vxor non queratur, nec quisquam tua facta reprehendat. Mutat ei nomē littera addita, vt Abram vocaretur Abraham, hoc est de patre vano (sicut habet Latina interpretatio) vocaretur pater sublimis, pater electus: vel de patre fieret pater filij. Vanus erat cum Deum nesciret: electus factus est postquam cognouit Deum. Pater erat cum de ancilla prolem haberet: sed pater filij non erat, quia non erat ei filius, qui non erat legitimo susceptus coniugio. Pater Sara, & factus est pater filij. Circumcidi iubetur, accepturus veri seminis hereditatem. Nonne euidenter circumcisio carnis, præceptum est castimonie, vt aliquis refecet libidinem carnis, & indomitas luxu ac lasciuia refrænet cupiditates? Etenim circumcissionis vocabulo id præscribitur, vt omnis impuritatis factor abstergatur, & incentiuum libidinis auferatur. Duabus vsi sumus defensionibus. Tertia quoque est, quam nobis Apostoli Pauli tribuit

Genes. 16.

Genes. 11. Genes. 16. Genes. 21.

Galat. 4.

ibidem.

ibidem. Galat. 2.

ibidem.

1. Cor. 10.

Galat. 4. Genes. 21.

Rom. 4.

ibidem. Galat. 3.

Ioan. 14.

1. Cor. 13.

Ioan. 7.

Lucæ 9.

ibidem.

Deut. 31. Esaiæ 1.

buit auctoritas, qui ait, Illa quæ gessit Abraham vt de ancilla susciperet sobolem, in figura facta sunt, & secundum allegoriam dicta. Allegoria est cum aliud geritur & aliud figuratur, sicut etiam ipse Apostolus docet, dicens, Sub lege volentes esse, legem non legistis? Scriptum est enim, Quoniam Abraham duos filios habuerit, vnum de ancilla, & vnum de libera: sed is quidem qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem, quæ sunt per allegoriam dicta. Nam hæc sunt duo testamenta: vnum quidem à monte Sina in seruitutem generans, quæ est Agar. Duos populos ostendens de Abraham generatione manare: vnum Iudæorum, qui legis syllabis fertur, eo quod de ancilla in seruitutem videatur esse generatus: alterum Christianum, qui ad remissionem peccatorum cælestis gratiæ libertatē acceperit. Quod ergo putas peccatum, aduertis esse mysterium, quo ea quæ posterioribus erant futura temporibus, reuelabatur. Denique addidit, Vos autem fratres, secundum Isaac promissionis filij estis. Ideo nolite gloriari per opera legis, quoniam non iustificatur, inquit, homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. Et vt scias quia Christianis dixit, subiunxit, Et nos in Christum Iesum credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis. Agnoscamus ergo quoniā hæc quæ in figuram contingebant, illis crimini non erant: nobis autem erunt, si ad ad correctionem nostram scripta cauere nolimus: sed magis id agamus, vt cum sinus libera filij, quæ est Sarra, à legis laqueis eruamur: cum Abraham liberam tenuerit, ancillam eiecerit. Quo loci plerisque moueri scio. Si enim bona est circumcisio, hodieque teneri debuit: si inutilis, mādari non debuit, diuino præsertim oraculo. Sed cum Apostolus dixerit Paulus, Quia Abraham signum accepit circumcissionis: vtique signum non ipsa res, sed alterius rei est: hoc est, non veritas, sed indicium veritatis. Denique ipse exposuit & expressit, dicens, Signum accepit circumcissionis, signaculum iustitiæ fidei. Vnde non incōgruè intelligimus quia circumcisio corporalis signum circumcissionis est spiritualis. Ergo signum mansit donec veniret veritas. Aduenit Dominus Iesus, qui ait, Ego sum via, veritas, & vita. Qui non partem exiguum corporis in signo, sed totum circumcidit hominem in veritate: E signum destruxit, veritatē induxit: quia posteaquam venit quod perfectum est, quod ex parte erat, euacuatum est: & ideo cessauit circumcisio partis, vbi refullit circumcisio vniuersitatis. Iam enim non ex parte, sed totus homo saluatur, in corpore scilicet & anima. Scriptum est enim, Qui vult post me venire, abneget seipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Hæc est perfectio circumcissionis, quia per corporis oblationem redimitur anima, de qua ipse Dominus ait, Quoniam qui perdidit animam suam propter me, inueniet eam. Superest illa nunc quæstionis portio, vtrum debuerit pars præmitti, quum esset ventura perfectio. Qui locus facilis est ad diluendum, si consideremus quibus pars mandata sit, quibus seruata perfectio. Pars enim mandata est secundum legem populo Iudæorum, illi dura ceruice, illi infirmo, illi qui Deum suum non cognouit. Quum ergo partem non potuerit sustinere, quomodo per-

fectionem seruare potuisset? Vt si puerulum litteris imbuas, à singulis litterarum elementis inchoadum est tibi, vt à singulis apicibus ad syllabas, à syllabis eū per ordinē ad nomina orationemque deducas. Nec potest mare quisquam nauigare intrepidus, nisi qui ante in fluminibus nauigauerit. Denique si quid aut conficiendi itineris, aut leuandi oneris puero velis prouectioque mandare, numquid æquanda onera sunt, aut æquandus labor? Ita igitur noueris his perfectionem circumcissionis esse seruata, qui Christi institutis validioribus idonei viderentur: vt & fideles probarentur, quorum multitudo innumera crucem suam tolleret, suamque pro Christo animā deuoueret: & increduli non possent resistere, qui in totius corporis immolatione quæri salutem putarent, qui exiguum circumcissionis suæ sanguinem salutarem arbitrarentur. Considerandum autem quod in præputio positum vocauit Deus, in præputio adhuc manenti legitimi filij promissa est hereditas, vt non Iudæorum tantummodo patrem, vt ipsi asserunt, sed omnium credentium auctorem per fidem credas. Sarra quoque ante circumcissionem viri in vnus litteræ adiectione non mediocri remuneratione benedicitur, vt principatum virtutis & gratiæ haberet, de qua nationes & reges gentium spondet futuros, vt in ipsa typus non synagoga, sed Ecclesiæ constitueretur. Quod autem promissio ex ea filio risit Abraham, non incredulitatis, sed exultationis indicium fuit. Denique procidit in faciem, qui adorauit & credidit, & adiecit, *Si mihi centum annorum nascetur filius, & si Sarra nonaginta annorum pariet? Et dixit Abraham, Ismael hic viuat in conspectu tuo.* Non est incredulus in promissis, nec auarus in votis. Hoc est, Non dubito quod facias vt & centum annorum seni dones filium, & naturæ auctor, naturæ meras relaxes. Beatus cui ista donantur: sed tamen etiam hic Ismael, quem habeo de vernacula, si viuat in conspectu tuo, abundat mihi gratia. Denique Dominus & probauit eius affectum, & petitionem non abnuuit, & sua promissa firmavit.

Rom. 4.

Genesis Cap. XVIII.

**A**PPARUIT autem illi Deus ad quercum Mambre, sedente ipso ante ostium tabernaculi sui in meridie. Et respiciens oculis suis vidit: & ecce tres viri stabant supra illum. Et cum vidisset illos, cucurrit obuiam illis de ostio tabernaculi sui, & adorauit super terra, & dixit, Domine si utique inueni gratiā ante te, ne præterieris seruum tuum: sumatur aqua, & lauentur pedes vestri, & refrigerate sub arbore: & sumam panem, & manducate, & post hæc transietis in viam vestram, propter quod declinastis ad seruum vestrum. Et dixit, Sic fac, sicut dixisti. Et festinauit Abraham in tabernaculum ad Sarram, & dixit ei, Festina & con-sperge tres mensuras similaginis, & fac subcinericia. Et ad boues cucurrit Abraham, & vi-



tulum tenerum & bonum sumpfit, & dedit puero, & festinauit facere illum. Accepit autem butyrum & lac, & vitulum quem fecit, & apposuit eis: & manducauerunt illi. Ipse autem adstabat eis sub arbore. Dixit autem ad illum, Vbi est Sarra vxor tua? Qui respondit, & dixit, Ecce in tabernaculo. Dixit autem, Reuertens veniam ad te secundum tempus hoc in horas, & habebit filium Sarra vxor tua. Sarra autem audiuit ad ostium tabernaculi existens post eum. Abraham autem & Sarra prouecti crant diebus. Desierat autem Sarra fieri muliebria. Risit autem Sarra in se ipsa, dicens, Nondum quidem mihi fuit vsque nunc: at dominus senex. Ait autem Dominus ad Abraham, dicens, Quare risit Sarra in se ipsa, dicens, Num verè pariam? ego consenui. Numquid impossibile erit apud Dominum verbum? In tempus hoc in horas reuertar ad te: & erit Sarra filius. Negauit autem Sarra, dicens, Non risi. timuit enim. Et ait illi, Non, sed risisti. Exurgentes autem viri inde, conspexerunt in facie Sodomæ & Gomorrhæ. Abraham autem simul gradiebatur cū eis comitans eos. At Dominus dixit, Non clabo Abraham pueri meo quæ ego facio. Abraham autem futurus erit in gentem magnam & multam: & benedicentur in ipso omnes gentes terræ. Scio enim quod præcipiet filiis suis, & domui suæ post se, & custodient vias Domini, vt faciāt iustitiam & iudicium; vt adducat Dominus super Abraham omnia quæcunque locutus est ad eum. Dixit autem Dominus: Clamor Sodomorū & Gomorrhæ impletus est apud me, & peccata eorū magna valde. Descendam itaque vt videam si secundum clamorem illorum venientē ad me, consummant: sin autem, vt sciam. Et profecti viri inde perierunt Sodomā. Abraham autem erat stans coram Domino. Et appropinquans Abraham, ait, Numquid simul perdes iustum cū impio, & erit iustus sicut impius? Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, perdes illos? Non remittes omni loco propter quinquaginta iustos, si fuerint in ea? Nequaquam facies verbum hoc, occidere iustum cū impio, & erit iustus sicut impius. Nequaquam, qui iudicas omnem terram, non facies iudiciū. Dixit autem Dominus, Si fuerint in Sodomis quinquaginta iusti, remittā omni ciuitati, & omni loco propter eos. Et respondēs Abraham, dixit, Nūc cœpi loqui ad Dominum, ego au-

tem sum terra & puluis: Si autē minus fuerint quinquaginta iusti in quadraginta quinque, perdes propter quadraginta quinque omnem ciuitatem? Et dixit, Non perdam, si inuenero illic quadraginta quinque. Et addidit vltra loqui ad eum, & dixit, Si inuēti fuerint illic quadraginta? Et dixit, Non perdam propter quadraginta. Et ait, Nūquid si locutus fuero Domine: Si autem inuēti fuerint illic triginta? Et dixit, Non perdam propter triginta. Et dixit: Postquam habeo loqui ad Dominū: Si autem inuēti fuerint illic viginti? Et dixit, Non perdam, si inuenero illic viginti. Et dixit, Numquid Domine si loquutus fuero adhuc semel: Si autem inuēti fuerint illic decem? Et dixit, Non perdam propter decem. Abiit autē Dominus vt cessauit loquens Abraham. Et Abraham reuersus est in locum suum.

*De hospitalitate Abraham, hospitum explorantis aduēum, & angelos hospitio suscipientis, cum diligētī exhortatione ad hospitalitatis illius imitationem. C.A.P. V.*

**D**iximus de Abraham deuotione ac fide, prudentia, iustitia, charitate, parsimonia: nunc etiam de hospitalitate dicamus. Est enim non mediocris ea virtus. Vnde & Apostolus principaliter eam in episcopo esse oportere geminè scriptiois docuit auctoritate, vt præsto sit aduenientibus, & occurrat obuiam, & itinera exploret, & adit non quærentibus, & rapiat præterredientes. Ante ostium sedebat Abraham, sedebat in meridie. Quando alij quiescebant, iste hospitum explorabat aduentus. Merito illi Deus apparuit ad quercum Mambre, quia fructum hospitalitatis studiosissimè requirebat. *Et respiciens, (inquit) oculis vidit, & ecce tres viri stabant supra illum. Et cum vidisset illos, cucurrit obuiam illis.* Vide primò fidei mysterium. Deus illi apparuit, & tres aspexit. Cui Deus refulget, Trinitatem videt, nec sine filio patrem suspicit, nec sine Spiritu sancto filium confitetur. Hæc alibi plenius. Nunc moralis persequēdi propositum est loci. Non otiosus sedet, qui longè aspicit: nec aspexit contentus, cucurrit obuiam. Festinauit occurrere, quia non satis est rectè facere, nisi etiam matures quod facias. Festinanter enim manducare pascha lex iubet. Vberiores enim fructus habet celerata deuotio. Disce ergo quàm impiger esse debeas, vt possis præuenire hospitem, ne quis præueniat, & te boni muneris defraudet copia. Bona est hospitalitas, habet mercedem suam, primū humanæ gratiæ, deinde (quod maius est) remunerationis diuinæ. Omnes in hoc incolatu hospites sumus. Ad tempus enim habitandi habemus hospitium. Emigremus properè, caueamus ne si nos duri aut negligentes fuerimus in recipiendis hospitibus, etiam nobis post vitæ istius cursum sanctorum hospitia denegentur. Vnde in Euangelio Saluator dicit, Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in æterna tabernacula sua. Deinde etiam in hoc corpore positus plerumque oboritur peregrinandi

1. Tim. 3. Tit. 1.

In libro de fide resurrexerunt.

Exod. 12.

2. Cor. 5. Hebr. 13.

Luc. 16.

Pro. 15.

Math. 10.

Genf. 29.

Math. 23. Reg. 17.

4. Reg. 4.

peregrinandi necessitas. Quod ergo aliis negaueris, id in te ipse decernis: & quod aliis detuleris, eo te facis dignum videri. Si omnes eam sententiam non suscipiendi hospites sequantur, vbi erit requies peregrinantibus? Relictis igitur humanis habitaculis, caprabimus secessus ferarum, cubilia bestiarum. Sed pauperiem prætendis. Non opes à te hospes requirit, sed gratiam: non ornatum conuiuium, sed cibum obuium. Melior est, inquit, hospitalitas cum oleribus ad amicitiam & gratiam, quàm si vitulos occidas ad præsepia cum inimicitiis. Hęc est grata hominibus, & accepta Deo. Vnde Dominus Iesus in Euangelio, cum quicumque dederit hospiti porum aquæ frigida, caelestium asserit præmiorum non exortem futurum. Denique Iacob oues adaquauit Rachel, & gratiam reperit, & vxorem acquisiuit. Deinde quæ scis an Deum suscipias, cum hospitem putas? Abraham dum peregrinantibus desert hospitium, Deum atque angelos eius hospitio suscepit: quamuis & cum hospitem suscipis, suscipias Deum. Sic enim scriptum in Euangelio legis, dicente Domino Iesu: Hospes eram, & collegistis me. quod enim vni horum minimorum fecistis, mihi fecistis. Vnius horum hospitio vidua illa quæ suscepit Eliam, & exiguo cibo, perpetuum toto tempore famis inuenit alimentum, & mercedem accepit mirabilem, vt numquam de hydra farina deficeret. Elisæus quoque defuncti pignoris resurrectione donata resoluit hospitij pensionem. Non sola tamen facilitas susceptionis, sed etiam sedulitas suscipientis & affectus quæritur. Vtrumque te Abraham docet. Cucurrit obuiam, rogauit prior, dicens, Domine, si vtiq; inueni gratiam ante te, ne præterieris seruum tuum: sumatur aqua, & lauentur pedes vestri, & refrigerate sub arbore: & sumam panem, & manducate, & post hæc transietis in viam vestram: propter quod declinastis ad seruum vestrum. Tres videt, & vnum Deum appellat, ipsius folius se seruum fateretur. Deinde conuersus ad duos, quos ministros arbitrabatur, etiam ipsis deferre gestit obsequium: iam non iure debito seruitutis adstrictus, sed blando sedulitatis nomine vsuque famulatus. Et festinauit Abraham in tabernaculum ad Sarram, & dixit ei, Festina, & consperge tres mensuras similaginis, & fac subcinericia. Bonus maritus exortem religiosi muneris esse non patitur vxorem, nec auarè sibi totum munus vsurpat. Rectè igitur & pietatis & verecundiæ causa seruat. Quod pietatis est, vult esse commune: quod pudoris est, integrum manet Sarra. Ante tabernaculum vir hospitum explorat aduentus: intra tabernaculum Sarra tuetur foemina verecundiam, & opera muliebria tuto exercet pudore. Foris maritus inuitat, intus Sarra conuiuium adornat. Nec solum ipse festinat Abraham, sed etiam festinandum dicit vxori, sociam deuotionis ostendens, nec fide disparem. Consperge (inquit) tres mensuras similaginis, & fac subcinericia. Græcè ἐξίππια dicuntur, hoc est, abicōdita, eo quod latere debet omne mysterium, & quasi operiri fidei indicium, ne profanis temerè diuulgetur auribus. Hoc pascitur diuina maiestas, hunc epulatur affectum, qui parcus loquendi sit, nec hæc in medium ferat. Breuiter autem mysterium docet Sarra, vnius similaginis tres mensuras faciens, quæ typum Ecclesiæ habet, cui dicitur,

**L**ætare sterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis. Hæc enim quæ intimo fidem spiritu fouet eiusdem diuinitatis asserens trinitatem, parit quadam mensura atque reuerentia patrem, filiumque, & sanctum adorans spiritum, & maiestatis vnitatem concelebrans, personarumque proprietate distinguens, hac deuotionem tuam fidei assertionem conspergit. Mulier similaginem offert, hoc est, interiora spiritalis frumenti vel grani illius de quo dictum est, quod nisi in terram ceciderit, nullum fructum affert. Vnde & prima vidit Dominicæ resurrectionis mysterium, & festinauit non passim omnibus, sed solis Petro & Ioanni intimare sacræ salutis nuntium. Vir currat ad boues, sumat vitulum, & sacramentum Dominicæ passionis festinato impiger studio, non lento otio remissus accipiat, tradat illud puero, qui innocentiam teneræ seruet ætatis, dolum nesciat, referre nõ nouerit, incorrupti corporis castimoniam custodiat. De quo puero ait Dominus Iesus, Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut puer iste, non intrabitis in regnum caelorum. Huic puero & similibus eius etiam sanctus Dauid diuinæ laudationis dispensat officium, dicens, Laudate pueri Dominum. Nec illud otiosum, quod cucurrit ad boues, tenerum vitulum & bonum sumpfit, & cum lacte apposuit. Denique & in Exodo cum pascha Domini declararet, ait Moyses, Agnus sine macula mundus, consummatus anniculus, masculus erit vobis ab ouibus & hœdis. Sumetis & occidetis, inquit, illum tota multitudo synagogæ ad vesperum. Vnde & hîc merides esse describitur, quando Abraham Domino offert hospitium. Sed ad cenam vitulus immolatur, & cum lacte manducatur, hoc est, non in sanguine, sed cum fidei puritate. Bonus vitulus, utpote qui peccata dilueret. Tener, quia non dura ceruice, sed molli iugum legis agnouit, crucis patibulum non recuauit. Et merito tener, de cuius capite & pedibus & intestinis nihil relictum est, & os non est contritum ab eo, sed totus epulantium cibo cessit. Talem nobis legis figurauit vmbra, talem veritas Euangelij demonstrat. Manducauerunt (inquit) illi: Abraham autem adstabat eis sub arbore. Aduertimus officium commendare humilitatem. Abraham stabat, tu primam accubitionis partem occupas? Denique ea humilitas inuenit gratiam, vt promitteretur ei filius. Dixit autem ad illum, Vbi est Sarra vxor tua? Qui respondit, & dixit, Ecce in tabernaculo. Numquid ignorabat Dominus, qui in posterioribus Sodomorum futura excidia denuntiat, vbi Sarra esset? Sed docere nos voluit, quantus pudor esse debeat foeminarum, ne procaci occursum hospitum in se oculos insectant, salua verecundia ministerium suum exerceant. Abraham quoque auribus tuis ingerit in tabernaculo Sarram degere, vt discas quid ab vxore exigas. Prouectior ætate iam Sarra iuuenilem custodit verecundiam, ideo Dominus sponndit ei filium. Desierant (inquit) Sarra fieri muliebria. Non otiose additum, ne putares foemineæ adhuc possibilitatis fuisse vt pareret. Risit autem Sarra in seipsa. Quod indicium futuri magis, quàm incredulitatis arbitror. Risit enim (licet adhuc nesciēs quid rideret) quod publicam esset in Isaac paritura læritiam. Ideo negauit se risisse, quia ignorauit: ideo ri-

Esaiæ 54.

Galat. 4.

Ioan. 12.

Ioan. 20.

Math. 18.

Psal. 112.

Exod. 12.

Ioan. 19.

Math. 23.

lit, quia prophetauit. *Exurgentes autem viri conspexerunt in faciem Sodomæ & Gomorrhæ.* Sicut visitatio Domini timentibus exhibetur, ita etiam impiis pœna peccati reponitur. Abraham deducebat hospites, ad humanitatis gratiam addebat obsequia. Sodomitæ pro pietatis officiis impunitatis augebant flagitia. *Non celabo* (inquit) *Abrahæ puero meo quæ ego facio.* Senilis utique ætatis Abraham superius scriptura significauit, quia nonaginta & nouem processisset annos: quomodo nunc puerum dicit? Sed cum immemorem senectutis exploratorem indefessum, cursu impigrum, standi patientissimum, deducendi studiofissimum expresserit, nonne conuenire nomen pueri videtur? Officiis merito puer dicitur, qui senile nesciebat fastidium, pueritiæ innocentiam & obsequium deferebat. Datur itaque iusto benedictionis gratia, & posteritatis hæreditas. Offensa autem peccatorum exponitur. *Clamor* (inquit) *Sodomorum & Gomorrhæ impletus est apud me.* Magna Domini patientia, ut non statim peccatorem puniat, sed diu differat, expectans correctionem: nec commoueat ad vlciscendum, nisi peccator mensuram excedat. Vnde & Dominus Iesus in Euangelio ad Iudæos ait, *Implete mensuram patrum vestrorum. Descendam itaque ut videam si secundum clamorem illorum venientem ad me, consummant: sin autem, ut sciam.* Non ignorabat Deus peccata Sodomorum, sed propter te instruendum verba huiusmodi loquebatur, ut tu propius scruteris eorum commissa in quos vindicandum arbitraris. *Descendam* (inquit) *ut videam,* hoc est, etiam tu descende cura, descende indaginis studio, ne quid sit quod fallat aut lateat absentem, ut oculis facinus deprehendas. Eminus positi multa nescire possunt. *Quem clamorem autem ait,* nisi forte quia ei quem nihil latet, clamant omnia, clamare videntur singulorum crimina? Vnde ad Cain dicitur, *Sanguis fratris tui ad me clamat: hoc est, non latet, sed clamat parricidium tuum.* Itaque velut excitatur Deus flagitiorum nostrorum clamoribus, ut aliquando vindicet, qui libenter ignoscit. *Et profecti viri inde, petierunt Sodomam.* Quid sibi autem vult quod illi qui ad Abraham simul cum Domino venerant, Sodomam petierunt viri, nisi ut acerbaretur crimen eorum, si quos iustus honorauerat, his maiore sacrilegio impij vim conarentur inferre? Nam quod viros dixit, euidentem est ratio, quia speciem præferabant viro- rum. Denique Abrahæ petenti ne simul perderet iustos tamquam iniquos, & interroganti, *Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, perdes illos?* respondit, *Non perdam ciuitatem, si fuerint in ea quinquaginta iusti, & totum locum seruabo.* Et sic per ordinem interrogationum, & responsionum vicem, etiam si decem iustos inuenit in ciuitate, tamen propter paucorum iustitiam, impunitatem toti populo promittit. Vnde discimus quantum murus sit patriæ vir iustus, quemadmodum non debeamus inuidere viris sanctis, nec temerè derogare. Illorum etenim nos fides seruat, illorum iustitia ab excidio defendit. Sodomam quoque si habuisset viros decem iustos, potuit non perire.

Genesis Cap. XIX.

Genes. 17.

Math. 23.

Genes. 4.

Eccles. 9. Job. 5.

VENERUNT autem duo angeli Sodomam vespere. Sedebat autem Lot ad portam Sodomorum. Videns autem Lot, exurrexit obuiam illis, & adorauit in faciem super terram, & dixit, Ecce domini, declinate in domum pueri vestri, & manete, & lauate pedes vestros, & manicantes proficiscemini viam vestram. Dixerunt autem, Non, sed in platea manebimus. Et coegit eos, & declinauerunt ad eum, & ingressi sunt in domum eius: & fecit illis conuiuium, & azymos coxit eis, & comederunt. Antequam autem dormirent, viri ciuitatis Sodomorum circumdederunt domum ab infante vsque ad senem totus populus pariter, & vocauerunt Lot, & dixerunt ad eum, Vbi sunt viri qui ingressi sunt ad te nocte? Educ illos ad nos, ut cocamus cum eis. Egressus est autem Lot ad vestibulum: at ostium adaperuit post se. ait verò eis, Nequaquam viri fratres, ne malum feceritis. Sunt autem mihi duæ filiæ quæ nō cognouerunt virum: educam eas ad vos, utimini eis sicut placuerit vobis; solum in viros istos ne faciatis iniquum, cuius causa ingressi sunt sub tegmine trabium mearum. Dixerunt autē illi, Recede illuc. Ingressus es habitare, nūquid & iudiciū iudicare? Nūc ergo te affligemus magis quàm illos. Et coegerunt virum Lot vehementer: & appropinquauerunt cōfringere ostium. Extendentes autem viri manus, attraxerunt Lot ad se in domum, & ostium domus clauserunt. At viros existentes ad ianuam percusserunt cæcitate à minimo vsque ad magnum, & fatigati sunt quærentes ostium. Dixerunt autem viri ad Lot, Sunt tibi hic generi, aut filij, aut filia: aut si quis tibi alius est in ciuitate? educ de loco isto, quia perdemus nos locum istum, quia exaltatus est clamor eorum coram Domino, & misit nos Dominus delere eum. Egressus est autem Lot, & loquutus est ad generos suos qui acceperunt filias suas, & dixit, Surgite, & egredimini de loco isto, quia delebit Dominus ciuitatem. Visus est autem derideri coram generis suis. Vt autem diluculum factum est, vrgebant angeli Lot, dicentes, Surgens accipe uxorem tuam, & filias quas habes, & egredere, ut non pereas cum iniquitatibus ciuitatis. Et turbati sunt, & tenuerunt angeli manum eius, & manum vxoris eius, & manus duarum filiarum eius, eo quod parceret Dominus illi.

Et

Et factum est, quando eduxerunt eum foras, dixerunt, Saluans salua tuam ipsius animam: ne respexeris retrorsum, neque sisisteris in tota circum regione: in montem saluare, ne forte simul comprehendaris. Dixit autē Lot ad eos, Quæso Domine, quia inueni puer tuus gratiā corā te, & magnificasti iustitiam tuam, quod facis super me ut viuat anima mea: ego autem non potero saluari in monte, ne apprehendat me mala, & moriar. Ecce ciuitas hæc iuxta, ut fugiam ego illuc, quæ est parua, & saluabor. Nō parua est, & saluabitur anima mea propter te? Et dixit ei, Ecce admiratus sum tuam faciē, & in verbo hoc ne euertam ciuitatē de qua loquutus es. Festina ergo saluari illic: non enim potero facere rē, donec venias tu illuc. Propter hoc vocauit nomen ciuitatis illius Segor. Sol egressus est super terram, & Lot ingressus est in Segor: & Dominus pluit super Sodomā & Gomorrhā sulphur & ignē à Domino de cælo; & subuertit ciuitates has, & omnē circa regionē, & omnes habitantes in ciuitatibus; & germinantia super terram. Et respexit vxor eius retrorsū, & facta est statua salis. Manicauit autē Abrahā diluculo in locū, vbi steterat coram Domino, & respexit super faciem Sodomorum & Gomorrhæorum, & super faciem circa regionis: & vidit, & ecce flāma de terra, sicut vapor fornacis. Et factū est cum subuerteret Deus omnes ciuitates regionis, ut recorderetur Deus Abrahā: & emisit Lot de medio subuersionis cū subuerteret ciuitates, in quib⁹ habitauit in eis Lot. Egressus est autem Lot de Segor, & sedit in mōte ipse & duæ filia eius cū eo (timuit enim habitare in Segor) & habitauit in spelunca ipse & duæ filia eius cū eo. Dixit autem senior ad iuniorem, Pater noster senior est, & nemo est super terrā qui ingrediatur ad nos, sicut conuenit vniuersæ terræ. Veni, & potemus patrē nostrum vino, & dormiamus cum eo, & suscitemus ex patre nostro semen. Potauerūt autē patrē suū vino in nocte illa; & ingressa senior dormiuit cū patre suo in nocte illa, & nō sciuit cum dormiret ipse, & cum resurgeret. Factū est autē in crastinū, & dixit senior ad iuniorem: Ecce dormiui heri cum patre nostro: potemus eū vino & in nocte hac, & ingressa dormi cū eo, & suscitemus ex patre nostro semē. Potauerūt autē in nocte illa patrem suū vino, & ingressa iunior dormiuit cū patre suo: & non sciuit cum dormiret ipse, & resur-

S. Ambr. tom. 1.

geret. Et cōceperūt ex patre suo duæ filia: Lot. Et peperit senior filium, & vocauit nomē eius Moab, dicens, de patre meo. hic pater Moabitaram vsque in hodiernum diem. Peperit autem & iunior filium, & vocauit nomen eius Ammon, filius generis mei. hic pater Ammonitarum vsque in hodiernum diem.

*De aduentu angelorum ad Sodomam ciuitatem, de Lot hospitalitate eis exhibita, Sodomorumque nefando scelere, & hospitalitatis violatione. CAP. VI.*

VENERUNT autem duo angeli Sodomam vespere. Sodomam venerunt vespere, meridie ad Abraham: quia iusto refulget angelorum præsentia, impiis tenebras affert. Tamen potest referri etiam ad tempus Dominicæ passionis, quod vespere venerunt ad eum, qui à Sodomitanis contagionibus & totius vr-bis excidio erat liberandus. Vesper erat antequam Christus veniret: quia totus erat mūdus in tenebris. Vesper erat omnibus, quos immanium delictorum squalor tenebrosus vrgebat. Venit Dominus Iesus, redemit sanguine suo mundum, lucem attulit. *Venerunt autem angeli duo Sodomam vespere.* Vbi gratia largienda est, Christus adest: vbi exercenda seueritas, soli adsunt ministri, dicit Iesus. *Sedebat autē Lot ad portam.* Emendauerant Lot sanctum aduersa captiuitatis, & sollicitorem fecerant. Itaque processu ætatis didicerat imitari parentem. Ad portam itaque sedebat, ut exciperet aduenientes. Denique *exurrexit obuiam illis.* Perfectior cucurrit obuiam, iste *exurrexit, et adorauit in faciem super terram, & dixit, Ecce domini, declinate in domū pueri vestri.* Et coegit illos diuertere. Qui dicebant, *Non, sed in platea manebimus.* Commendatur hic iusti sanctitas, & angelorum gratia. Illi nolebāt aduentum suum hospiti grauiorē videri: ille quidē inter quos habitaret, sciebat, tamen domum suam offerebat periculis, quibus auferret hospites. Certē quo tardius acquiescebant, diūtius tentado plenius comprobabant. *Viri ciuitatis Sodomorum circumdederunt domum ab infante vsque ad senem, totus populus pariter.* Præstruitur iudicij diuini æquitas, ne fortē quis diceret, *Quid peccauerunt pueri, ut omnes excidio inuoluerentur?* Ita nullus illic iustus, nullus innocēs fuit. Audi scripturam testificantem, quia *circumdederunt domum ab infante vsque ad senem, totus populus pariter.* Nulla ætas erat culpæ immunis, ideo nullus immunis exitij fuit. Et qui possibilitatem perpetrandi criminis non habuit, habuit affectum. Effœta vires seminum, sed mens plena libidinis, *sunt autem mihi duæ filia quæ non cognouerunt virum: educam eas ad vos, utimini eis sicut placuerit vobis; solum in viros istos ne faciatis iniquum.* Offerobat sanctus Lot filiarum pudorem. Nam erit illa quoque flagitiosa impunitas erat, tamen minus erat secundum naturam, quàm aduersum naturam delinquere. Præferbat domus suæ verecundiæ hospitalē gratiam, etiam apud barbaras gentes inuolabilem. *Et coegerunt virum Lot vehementer: & appropinquauerunt cōfringere ostium. Extendentes autem viri manus, attraxerunt Lot ad se in domum, & ostium domus clauserunt.* Munitur ita pietatis locus, ut inoffensa illic hospitalitas quoque foret, vbi nec germanitas

Gen. 18.

Ioan. 1.

Gen. 14.

Gen. 18.

32. q. 7. c. offerebat.

luc. par. 9. ca.

115.

fatis tuta fuit. Percusserunt quoque illos angeli cæcitate, ut etiam ostiū domus quod aperire cupiebāt, non reperirent. Vbi mirabilis quædam angelorum declaratur potestas, ut offusa impuris cæcitate, non reperirentur domus ostia. Simul etiam illud ostenditur, quia cæca est omnis libido, & quod est ante se non videt. Quod verò hospitem manibus reuocatus est sanctus Lot in domum, demonstrat quod ille immemor periculi, memor fidei, non eripuit se periculo, sed obtulit. *Dixerunt autem viri ad Lot, Sunt tibi hic generi, aut filij, aut filiarum educ de loco isto, quia perdemus nos locū istum.* Quod generos habere Lot sanctus inducitur, & manifestata ei totius regionis euerfione illos monere ut fugerent, docetur simul ne deserendo eos, nec admonendo, minus pius videretur circa filiarum maritos: vel erroris earū causa ipsi assignaretur, quæ destitutæ virili consortio, concubitu inebriati expetissent patris. Non ergo indefensum finit scriptura virum sanctum relinquere, cum & tradidisset maritis filias, & monuisse generos inducit. Sed visum est illis quod derideret eos, & tamen adhuc morabatur Lot ut persuaderet generis suis: & pene non profectus non euasisset, nisi vrgentibus angelis, & tenentibus manus eius, egredi coactus esset. Inquit enim, *Et factum est, quando eduxerunt eum foras, dixerunt, Salua salua tuam ipsius animā: ne respexeris retrorsum, neque sis in tota circum regione, &c.* Non ergo profectus, sed eductus est, & mandatum accepit ne respiceret retrò, nec sisteret in tota regione illa, sed in montem ascenderet. Hoc cum illi dicitur, omnibus dicitur. Si vis ergo & tu euadere, ne respicias retrò, sed antè. Aspicce vbi Christus est, ut dicat tibi, Vade retrò, sicut Petro dicit, Vade post me: ut Christum sequeretur, Christum videret. Retrò Sodoma est plena flagitij, retrò Gomorra vitis scatens, criminum regio. Ne tetigeritis, inquit: Apostolus, ne attaminaueritis, ne gustaueritis, quæ sunt omnia ad corruptelam. Fuge ergo Sodomā, relinque ocyus, desere clemēta huius mundi, ne te imminētia inuoluant pericula, non fistas fugiēs, nec in tota vitiorum regione remoreris. *Et respexit vxor eius retrorsum, & facta est statua salis. Qui non respexit retrorsum, euasit: quæ respexit, nō potuit euadere. Dixit autem senior ad iuniorem, Pater noster senior est, & nemo est super terram qui ingrediatur ad nos, sicut conuenit vniuersæ terræ, veni, & potemus patrem nostrum vino, & dormiamus cum eo, & suscitemus ex patre nostro semen.* Excusantur filia sancti Lot, quia putauerunt non vicinæ regionis, sed totius orbis fuisse illud excidium, & se solas cum patre superstitas omnibus populis remansisse. Et ideo, ne genus deficeret humanum, paternum petisse concubitu, ut semen generationis humanæ de patre suo suscitarent. Non ergo libidinis vitium fuit, sed generationis remediū, quod non puto criminis duci loco. Nam & Eua à viro sumpta, supra cuius costam ædificata est mulier os de ossibus eius, & caro de carne eius, tamen propter seriem successionis humanæ viro mixta est. Subducitur tamen huic admissio conscientia viri iusti. Inebriat enim vino, quid gereret nesciebat. Vnde non mirum si puellas decepit opinio, quæ putarent totius populos orbis perisse. Non eadem esset Lot sancti excusatio, qui audierat ab angelis locū illum, non totum mundum esse peritum. Sanè dicitur

scimus vitandam ebrietatem, per quam crimina cauere non possumus. Nam quæ sobrii cauemus, per ebrietatem ignorantes committimus. Parum est quod ea inflammat libidinem, accendit cupiditates corporis: ipsam quoque mētem subruit, & animum capit, sensum extorquet. Nesciunt quid loquantur qui nimio vino indulgent, iacent sepulti. Ideoque si qua per vinum deliquerint, apud sapientes iudices venia quidem facta donantur, sed leuitatis notantur auctores. Quanta ipsa deformitas, ut soluatur vires, incessus vacillet? Multi se fortes putant: num fortiores quàm Lot? nū continentiores quàm Noe? Nō vitia patriarcharum scriptura exposuit, quos vitios vino legimus: sed ut tu disceres quid caueris. Ille nudus iacuit, iste filiarum errori patuit. Et Noe iustus deceptus est, quia vini vis adhuc ignorabatur: sed in illo instructus es, ne tu ignorares. Lot filiabus se credit, & per senectutem madidam vino solutus commisit incestū ignorans, tu sic bibe, ne capiaris. Instruant patriarchæ non solum docētes, sed etiam errantes. Ideo iteratum est exemplum ebrietatis, ut confirmetur magisterium cautionis.

### Genesis Cap. XX.

ET mouit Abraham illinc ad austrum, & habitauit inter Cades, & inter Sur, & habitauit in Geraris. Dixit autē Abraham de Sarra vxore sua, quia soror mea est. Timuit enim dicere quia vxor mea est, ne forte interficerent illum viri ciuitatis propter illam. Misit autem Abimelech rex Gerarū, & accepit Sarra. Et ingressus est Deus ad Abimelech nocte, & dixit, Ecce tu morieris propter mulierem quam accepisti. hæc enim commoratur cum viro. Abimelech autē non tetigit eam, & dixit, Domine, gentē ignorantem & iustam nō interficies. Nō ipse mihi dixit, soror mea est? & ipsa mihi dixit, frater meus est? In puro corde, & iustitia manū feci hoc. Dixit autē illi Deus per somnium: Et ego cognoui quoniā puro corde fecisti hoc, & peperi tibi ut non peccares in me: propter hoc nō sum passus te tangere illā. Nunc autem redde mulierem homini, quia propheta est, & orabit pro te, & viues. Si autē non reddideris, scito quod morieris tu & omnia tua. Et manicauit Abimelech diluculo, & vocauit omnes seruos suos, & loquutus est secundū omnia verba hæc in aures eorū. Timuerunt autē omnes viri valde. Et vocauit Abimelech Abraham, & dixit ei, Quid hoc fecisti mihi? nūquid peccaui in te, quia fecisti super me, & super regnum meum peccatū grāde? Opus quod nullus fecit, fecisti mihi. Dixit autem Abimelech Abraham, Quid videns fecisti hoc? Dixit autē Abraham, Dixi enim, Forsitā nō est

cultus

cultus Dei in loco isto, meque interficient propter vxorem meā: etenim verè soror mea est ex patre, sed non ex matre, facta est autē mihi in vxorem. Factū est quando eduxit me Deus de domo patris mei, & dixi ei, Hanc iustitiam facies in me: in omnem locum, quocumque ingressi fuerimus illuc, dic de me, quia frater meus est. Accepit autem Abimelech mille didrachmas, & oues & vitulos, & seruos & ancillas, & dedit Abraham, & reddidit illi Sarra vxorē suam. Et dixit Abimelech Abraham, Ecce terra mea coram te, vbicumque tibi placuerit, habita. Et Sarra dixit, Ecce dedi fratri tuo mille didrachmas, hæc tibi erūt in pretium faciei tuæ, & omnibus quæ tecū: & omnia verè loquere. Oravit autem Abraham ad Deū, & sanauit Deus Abimelech, & vxorem suam, & omnes ancillas eius, & omnia iumenta eorum, & pepererunt: quia concludēs conclusit Deus de foris omnē vuluam in domo Abimelech propter Sarra vxorem Abraham.

*De pudicitia Sarra vxoris Abraham sepius tentata, & tādē a Deo pulchra donata prole. CAP. VII.*

Misit autem Abimelech rex Gerarum, & accepit Sarra. Et ingressus est Deus ad Abimelech nocte, &c. Ideo tentatur Sarra pudicitia, ut exigatur omnium. Nam & Abimelech in vxorem sibi eam sumperat, & dixit ei nocte Deus, *Ecce tu morieris propter mulierem quam accepisti.* Aduertimus adulterium diuino iudicio morte puniri. Ideoque addidit, *Hæc enim commoratur cum viro.* Habent quidem omnes viri mulierisque concubitus nulla legitimi matrimonij forte celebrati suam culpam. Discite etiam qui ad gratiā baptismatis tenditis, velut quidam fidei candidati, continentia disciplinam sobriam. Nulli licet scire mulierem præter vxorem. Ideoque coniugij tibi datum est ius, ne in laqueum incidas, & cum aliena muliere delinquas. Vincit es vxori, noli querere solutionem: quia non licet tibi vxore viuente vxorem ducere: nam & aliam querere, cum habeas tuam, crimen est adulterij; hoc grauius, quod putas peccato tuo auctoritatem lege querendam. Tolerabilior est si lateat culpa, quàm si culpæ vsurpetur auctoritas. Nec hoc solum est adulterium, cum aliena peccare coniuge, sed omne quod non habet potestatem coniugij: tamen locus iste docet grauius crimē esse, vbi celebrati coniugij iura temerantur, & vxorius pudor soluitur. Ideoque cum prætenderet Abimelech quod vxorem alienam esse ignorauerit, quam sororem esse vir ipse suam dixerit, respondit ei Dominus, *Et ego cognoui quoniam puro corde fecisti hoc, & peperi tibi, ut non peccares in me: propter hoc non sum passus te tangere illam.* Cognoscimus velut præfulem custodemque coniugij esse Deum, qui non patitur alienum torum pollui. Et si qui fecerit, peccare eum in Deum, cuius legem violet, gratiam soluat. Et quia in Deum peccat, sacramenti cælestis amittit

consortium. Fortasse te moueat qua ratione Pharaon quæstionibus ab omnipotente Deo grauius afflictus sit, ut supra legimus, cum & ipse ignorauerit vxorem esse Abraham Sarra, quam sororem audierat: Abimelech autem nullam pœnam exceperit. Verum cum Ægypti regem noueris ducem fuisse vitiorum, qui quo plus habuerit licentiæ, eo plus flagitij commiserit: Abimelech autem & fidelis æstimatus sit Deo, ut meruerit audire, *Et ego cognoui quoniam puro corde fecisti hoc: rex non afflictionis, ut Ægyptius, sed monitionis, quod Gerarum quibus operibus eius indignationem Domini esse reuocatum, docet interpretatio: non est dubium cæteris operibus eius indignationem Domini esse reuocatum, qui verè interioris arbiter est conscientia, & animi ac mentis interpres. Denique non ut Pharaon ille conuentus à Moyse recusauit & spreuit mandatum Dei: nec obsequium distulit, sed statim vocauit Abraham, vxorem suam ei reddidit, pretio se ipse multauit quod vidisset alienam, dotē pudoris exsoluit. Hinc quoque colligi potest, Abimelech regem clementiora meruisse, quod Abraham pro eo rogauit & impetrauit. Peperit enim & vxor eius, & ancilla eius, quas antè concluderat Deus propter Sarra vxorem Abraham. quod æquè ad œconomiam pertinet, ut Sarra partus Dei donatus promissione, etiam hoc fulciretur testimonio, cum aduertat, Dei offensione & fecundas sterilefcere, & rursus Domini voluntate sterile fecundari, iuxta quod scriptum est, Nōne sterilem & parientem ego feci dicit Dominus. Quamuis ad synagogæ illud & Ecclesiæ mysterium dictum accipiat, quia & synagoga partus habere desiuit, quæ successionis fraudata est posteritate: & congregatio nationum, quæ sterilis erat cum Deum ignoraret, partus habere cepit æternos. Vnde lectum est, Latere sterilis, quæ nō parit: erumpe & clama, quæ non parturit, quoniam plures filij desertæ magis quàm eius quæ habet virū.*

### Genesis Cap. XXI.

ET Dominus visitauit Sarra, sicut dixit: & fecit Dominus Sarra sicut loquutus est, & concipiens peperit Abraham filium in senectute, in tempus sicut loquutus est ei Dominus. Et vocauit nomen filij sui qui fuit illi, quem peperit illi Sarra, Isaac. Circūcidit autē Abraham Isaac die octaua, sicut præcepit ei Dominus. Et Abraham erat annorum cētum, quando genitus est ei Isaac filius eius. Dixit autē Sarra, Risum mihi fecit Dominus. Qui-cūque enim audierit, congratulabitur mihi. Et dixit, Quis annuntiabit Abraham quoniam lactat infantem Sarra, quia peperi filium in senectute mea? Et creuit puer, & ablaçtatus est. Fecit autem Abraham conuiuium magnum qua die ablaçtatus est Isaac filius eius. Videns autem Sarra filium Agar Ægyptiæ, qui fuit ex Abraham, ludentem cum filio suo Isaac, &

a ij



dixit Abraham, Eiice ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Durum autē apparuit verbū valdè coram Abraham de filio suo Ismael. Dixit autem Deus Abraham, Nō durum sit ante te de puero, & de ancilla. Omnia quæcumque tibi dixerit Sarra, audi vocem eius, quoniā in Isaac vocabitur tibi semen. sed & filium ancillæ in gentem magnam faciam eum, quia semē tuū est. Surrexit autem Abraham mane, & accepit panes & vtrē aquæ, & dedit Agar, & imposuit puerum super humeros eius, & dimisit eā. Abiēs autem errabat per desertū iuxta puteum iuramenti. Defecit autem aqua vtris, & protexit puerum subter vniā abietem, & abiēs sedit e regione eius de longè quasi arcus iactū. Dixit enim, Non videbo mortem filij mei. & sedit contra. Clāmās autem puer fleuit. Exaudiuit autem Deus puerum de loco vbi erat, & vocauit angelus Domini Agar de celo, & dixit ei, Quid est Agar? ne timeas: exaudiuit enim Deus vocē pueri de loco vbi est. Surge, accipe puerū, & tene manum eius: in gentem enim magnā faciam eū. Et aperuit Deus oculos eius, & vidit puteum aquæ viuæ, & abiit, & impleuit vtrē, & potauit puerum suum. Et fuit Deus cum puero, & creuit, & habitauit in deserto. Factus est autem sagittarius, & habitauit in deserto Pharan. Et accepit illi mater eius vxorem de Ægypto. Et factum est in tēpore illo, & dixit Abimelech & Hochozad pronubus eius, & Phichol princeps exercitus eius ad Abraham, dicens, Deus tecū in omnibus quæcumque feceris. Nunc ergo iura mihi per Deum ne noceas mihi, neq; semini meo, neq; nomini meo: sed secundum iustitiam quā feci tecū, facies mecum, & terræ quam habitasti in ea. Et dixit Abraham, Ego iuro. Et increpauit Abraham Abimelech pro puteis aquæ, quos abstulerant serui Abimelech; & dixit ei, Non sciui quis fecit verbum hoc, neque tu mihi annuntiasti, neque ego audiui, nisi hodie. Et accepit Abraham oues & vitulos, & dedit Abimelech, & disposuerunt ambo testamentum. Et statuit Abraham septem agnas ouiuū solas. Et dixit Abimelech Abraham, Quid sunt septem agnæ ouium harum, quas statuisti solas? Et dixit, Quia septem agnas accipies à me, vt sint mihi in testimonium, quia ego fodi puteū hunc. Propter hoc vocauit nomen loci illius, Puteum iuramenti, quia illic iurauerunt am-

bo: & posuerunt fœdus super puteū iuramenti. Surrexit autē Abimelech, & Hochozad pronubus eius, & Phichol princeps exercitus eius, & reuersi sunt in terrā Philistiim. Et plantauit Abraham agrum super puteum iuramenti, & inuocauit ibi nomen Domini, Deus æternus. Habitauit autem Abraham in terra Philistiim dies multos.

**H** *Genius est igitur Abraham filius Isaac, cum esset annorum centū. Et tu si perfectus fueris, habebis posteritatem lætitiæ, exultationis hæreditatem. Dixit autem Sarra, Risum mihi fecit Dominus. Quicūque enim audierit, congratulabitur mihi. Nō vtiq; hoc de generatione hac intelligitur, quæ casibus pleriq; obnoxia est, vt interdū nō generasse melius fuerit; sed de generatione qua vnusquisq; peccator agēs poenitentiā, cum redimitur à morte, angelis solet exhibere lætitiā. Et dixit Sarra, Quis annuntiabit Abraham quoniā lactet infantē Sarra? Moralitatis locus. Prouocātur scēminæ meminisse dignitatis suæ, & lactare filios suos. Hæc enim matrū gratia, hic honos, quo se propriis cōmēdent viris. Deniq; eos plus amare filios solēt, quos ipse matres lactauerint vberibus suis. Fecit autē Abraham conuiuium magnum qua die ablatatus est Isaac filius eius. Nō mediocre istud nec vsitatū. Nō enim quia à nutricis lacte subductus est puer, magnum conuiuium exhibuit Abraham; sed quia idoneus habitus est Isaac fortioris gratiæ cibo, & virtutis alimento, non adhuc, vt Corinthij, lacte potandus, sed epulis solidioribus mādatorum celestium mentis suæ lacertos firmans. Videns autem Sarra filium Agar Ægyptiæ, qui fuit ex Abraham, ludentem cū filio suo Isaac, &c. Prosperitatē citō sequitur inuidia. Pepererat Sarra, ablatauerat filium, vidit ancillæ filiū ludentem cum filio suo Isaac, & dixit ad Abraham: Eiice ancillam, & filium eius. non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Durū valdè hoc Abraham videbatur, vt eiiceret filium suum, licet eum quem susceperat ex vernacula. Et tu noli te miscere ancillæ, ne suscipias ex illa filium, & vxor tua non patiatu coharedem illum filio suo fieri. Vides enim hinc solui gratiā matrimonij. Certē si incidisti, & habes filium, eiice ancillā, & filium eius. Melius est enim vt ancilla quā vxor recedat, & filius ancillæ quā legitimus euiciatur. Quod si dubitaueris, si contēpseris vxoris tuæ sententiam, & durū tibi visum fuerit, dicit tibi Deus quod dixit Abraham. (quod illi enim dixit, tibi dicit, & omnibus dicit): Non sit durum ante te de puero, & de ancilla. Omnia quæcumque dixerit tibi Sarra, audi vocem eius, quoniā in Isaac vocabitur tibi semen. Nusquam alibi dixit, Audi vocem vxoris tuæ, nisi hic: id est, fecisti iniuriam vxori tuæ, & non mitigasti affectum eius: suscepisti ex ancilla filiū, & non honorasti vxoris filium. Numquid potest in ancillæ filio semen tuum vocari? Non vtiq; in legitimo enim filio vera successio est. Sed vereris, quia filius tuus est, ne fortē ciectus intereat atque occidat. Non ei deierit mea gratia. Omnes alit Deus noster, suffulcit vniuersos, & iustos & iniustos. Denique & pluit super iustos & iniustos. Sicut fecit Abraham, facito & tu. Eiice ancillam, vt secura vxor & inoffensā maneat domi. Eiice*

Luc. 15.

1. Cor. 3.

Galat. 4.

Gen. 16.

Math. 5.

Galat. 4.

&c

& ancillæ filium, vt non habeat hæreditatis confortium, qui non habet originis priuilegium.

Genesis Cap. XXII.

**E**T factum est post verba hæc, Deus tentauit Abraham, & dixit ad eum, Abraham, Abraham. Et dixit, Ecce ego. Et dixit, Accipe filium tuum dilectissimum, quem dilexisti Isaac, & vade in terram excelsum, & offeres mihi illum in holocaustum in vno montium, quem tibi dixerō. Exurgens autem Abraham diluculo, strauit asinum suum: & sumpsit secum duos pueros, & Isaac filium suum, & concidit ligna ad holocaustum. surgens autem abiit, & venit in locum quem dixit illi Deus, die tertia. Et respiciens Abraham oculis suis, vidit locum à longè. Et dixit Abraham pueris suis, Sedete hic cum asino; ego autem & puer pertransibimus vsq; illuc, & cum adrauerimus, reuertemur ad vos. Accepit autem Abraham ligna holocausti, & imposuit Isaac filio suo. Accepit & ignem ipse in manu, & macharam, & abierunt duo simul. Dixit autem Isaac ad Abraham patrem suum, Pater. Qui dixit, Quid est fili? Dixit autem, Ecce ignis & ligna, vbi est onis ad holocaustū? Dixit autē Abraham, Deus prouidebit sibi ouē ad holocaustum fili. Pergentes autem vterq; pariter, venerunt in locum, quem dixit ei Deus: & ædificauit ibi Abraham altare, & imposuit ligna; & colligatis manibus ac pedibus Isaac filij sui, imposuit eū in altare supra ligna. Et extendit Abraham manum suam ad accipiendū gladium, vt iugularet filium suū, & vocauit eum angelus Domini de celo, & dixit ei, Abraham, Abraham. Ille autē dixit, Ecce ego. Et dixit, Non iniicias manū tuā in puerū, neq; facias ei quid quā. Nunc enim cognoui quia timeas tu Deū, & non pepercisti filio tuo dilectissimo propter me. Et respiciens Abraham oculis suis, vidit, & ecce aries vnus suspēsus cornibus in virgulto Sabec. & abiit Abraham, & accepit arietem, & obtulit eum in holocaustū pro Isaac filio suo. Et vocauit Abraham nomen loci illius, Dominus vidit: vt dicant hodie, In monte Domini apparuit. Et vocauit angelus Domini Abraham secūdō de celo, dicens, Per memetipsum iurauit, dicit Dominus: propterea quod fecisti verbum hoc, & non pepercisti filio tuo dilectissimo propter me: profectō benedicēs benedicā tibi, & multiplicās multiplicabo semē

tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam iuxta labium maris: & hæreditabit semen tuū ciuitates aduersariorum: & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quoniam audisti vocem meam. Reuersus est autem Abraham ad pueros suos, & surgentes abierunt simul ad puteum iuramenti, & habitauit Abraham super puteum iuramenti. Factum est autē post verba hæc, nuntiatum est Abraham, dicentes, Ecce peperit Melcha & ipsa filios Nachor fratri tuo: Hus primogenitum, & Buz fratrem eius & Camuel patrem Syrorū, & Chazad, & Azau, & Phalas, & Ieldath, & Bathuel; & Bathuel genuit Rebeccam. Octo isti filij, quos peperit Melcha Nachor fratri Abraham; & cōcubina illius cui nomen Roma, peperit & ipsa Tabea, & Gaon, & Thaa, & Maacha.

De tentatione Abraham, & multiplici eius probatione. CAP. VIII.

**E**T factum est post verba hæc, Deus tentauit Abraham. Aliter Deus tentat, aliter diabolus. Diabolus tentat vt subruat, Deus tētat vt coronet. Denique probatos sibi tentat. Vnde & David dicit, Proba me Deus, & tenta me. Et sanctum Abraham probauit antè, & sic tētauit, ne si antè tentaret quā probasset, grauaret. Probauit eū cum exire de Chara iussit, & obedientem reperit. Probauit eū cum fidei titulo fretus liberauit nepotem; cum de prædā nihil attigit, cum promissit seni filium: & cum esset ceterum annorum, quamuis Sarra genitalia cōsideraret emortua, tamē credidit, nec fide hæsitauit, qui post hæsitare ratione sterilitatis aut senectutis: probauit eum hospitij sedulitate. Probatum igitur, quasi fortiorem tentandum putauit maioribus, & quibusdam imperiis durioribus. Et hoc quidem exemplo docemur, quia veris probatur quis, tentatur autem compositis & fictis. Nō enim volebat Deus immolari à patre filium, nec impleri hoc munus volebat, qui arietem pro filio immolandum obrulit, sed tētabat affectum patris, si Dei præcepta præferret filio, si paternæ pietatis contemplatione vim deuotionis inflecteret: Et dixit ad eum, Abraham, Abraham. Repetitione nominis mentem excitat, vt esset paratior. Denique respondit illi, Ecce ego. Et dixit, Accipe filium tuum dilectissimum, quem dilexisti Isaac, & vade in terram excelsum, & offeres mihi illum in holocaustū in vno montium, quem tibi dixerō. Non finit otiosum esse affectum patris. A principio eū stimulat, & pungit pietatis aculeis, & filij nomē addit ad vim necessitudinis & amoris. Non satis putauit dixisse filium, adiungit, Dilectissimum, quem dilexisti Isaac. Quid est quod ait, Quem dilexisti; & non dixit, quem diligis? Possumus quidem vt ad defensionem scripturæ, consuetudine diuinæ, quia præterita plerumque ponit pro futuris vel præsentibus, vt in Euangelio habes, Hic est filius meus dilectissimus, in quo cōplacui; cum vtiq; semper in filio placeat pater. Et in Psalmo habes, Dixit Dominus Domino meo, sedē à dextris meis, &

Math. 4.

Gen. 12.

Gen. 14.

Gen. 17.

Rom. 4.

Gen. 18.

22. q. 2. c. ff. qualibet. §. non enim.

Math. 3.

Psal. 109.

cum semper sedeat. Possumus tamen & dilectissimū ad præfens accipere, & quem dilexisti ad id, ut non recenti quodam impulsu amoris, sed inolito diu & probato amore significaret dilectum. Quod enim ad tempus augetur, ad tempus resoluitur: quod autem diu aut semper placuit, citò aboleri non potest. Potest & illud non absurdum videri, quia morituros plus diligimus. Hoc est, quæ antè dilexisti: quasi iam non diligat immolandum. Nec otiosè addit nomen sancti Isaac, hoc est, eum quem suscepisti de vxore vnicum, suscepisti in senectute, suscepisti tamquam fidei tuæ præmium, remunerationem operū tuorum, suscepisti ex promissione Dei, non cōiugis fecunditate, ex qua alium sperare non possis. *Offeres mihi in holocaustum, sed prius vade in terram excellentiam. Interponitur spatium, ne præcipitari subito videatur affectus, ut illa dilatione obrepat pietatis gratia, desiderium patris. Adiecit, In vno mōtium, quæ tibi dixerō. Et hinc similiter, ut dum atcenderet senex, infringere impetus, lassaretur dextera, deficeret intentio: dum montem disceret, dedisceret apparatus. Exurgens autem non solum sequenti die, sed etiam diluculo, ut attulisse nox moras studio festinantis patris videretur. *stravit asinum suum, & sumpsit secum duos pueros, & Isaac filium suum, & cōcidit ligna ad holocaustum. Docemur parata omnia ad sacrificium Dei ferre, dicitur etiam apparatus sacrificij, & ministerij munus ipsi nobis vendicare, non delegare aliis. Senex Abraham, & diues pecoribus, atque abundans seruitorum, non quæsiuit comitatus sui agmina: ipse quoque ligna concidit, & obsequia maiora viribus suis non intermisit. *Surgens autem abiit, & venit ad locum quem dixit illi Deus, die tertia. Cum duobus ipse tertiū proficiscitur, hostiam suam secum ducēs, & die tertia ad locum sacrificij venit. Salutaris hic numerus, & conueniens sacrificaturis. Denique & in posterioribus Moyfēs dicit ad Pharaonem regem Ægypti, Viam trium dierum ibimus, & immolabim⁹ Deo nostro, sicut dixit nobis. Et rectè tertia die celebratur trinitatis sacrificium. *Et respiciens Abraham oculis suis, vidit locum à lōgè. Sollicitè explorat, qui properat implere. Quamuis scilicet studio celeraret gradum, tamen hoc seruum putans præcedebat oculis: vigeant singulorum officia membrorum, licet senilia membra non possent vigere. Solet hebescere visus senum, ut etiam propinquam non facillè conspiciant. Hic non solum vidit locum, sed etiam longè positus aspexit. Nec dubitauit vidisse, sed ait pueris suis, *Sedate hic cum asino, ego autem & puer pertransibimus vsque illuc, & cum adorauerimus, reuertemur ad vos. Merito typus in asino, quia & veritas in pullo asinæ. In hoc enim animante figuratur populus gentiliū, M antè oneri subiectus, nūc Christo subditus. Isaac ergo, Christi passuri est typus. Venit in asino, ut crediturum populum nationū significaret. Ideoq; & Dominus cum ad subeundam pro nobis passionem veniret, pullum asinæ soluit, quem ipse conscientia mittem atque mansuetum iam Christo sua terga credentem ascēderat. Quod autem ait, *Ego & puer pertransibimus vsque illuc, demonstrat quod non deficeret in tanto apparatu pater, non cederet filius: aut quia pertrāsiret pietatis remedio tanti facinoris austeritatem. Addidit, *Ad vos reuertemur. Prophetat-*******

uit quod ignorabat: ipse solus disponebat redire 22. q. 2. c. si immolato filio, sed Dominus per os eius locutus est qua liber. 8. quælibet. 8. prophetauit.

quod parabat. Captiosè autem loquebatur cum seruulis, ne cognito negotio aut impediret aliquis, aut gemitu obstreperet aut fletu. *Accipit autē Abraham ligna holocausti, & imposuit Isaac filio suo: accepit & ignem ipse in manu, & macheram. Consecratur sacris hostia ministerijs, & commendatur futura. Quæ pietatis hostia, pij antè ministerij vectura est. Ligna Isaac sibi vexit, Christus sibi patibulum crucis portauit. Abraham comitabatur filium, pater Christum. Nec Isaac solus, nec Iesus solus. Denique ait, Solum me relinquetis, & non sum solus, quia pater mecum est. *Dixit autem Isaac ad Abraham patrem suum, Pater. Qui dixit, Quid est fili? Pulsatur pietatis vocabulis patris affectus, & fluctibus quibusdam hinc atque inde tunditur. Filius vocat patrē, pater dicit, *Fili, ut ipso verborum sono se recognoscat pater, quàm impossibile est ut ferire possit, cuius se vulnere subiicere optaret. Hæc nomina vitæ solent operari gratiam, non ministerium necis. hæc vocabula incitare ad pietatem, non ad mortem solent. Addidit Isaac, dicens, *Ecce ignis & ligna, ubi est ovis ad holocaustum? Et hinc prophetat sermone, non scientia. Ovis enim à Domino ad sacrificium parabatur. Respondit denique similiter & Abraham, *Deus prouidebit sibi ouem ad holocaustum fili. Inflexibilis à studio deuotionis minister vocare filium frequenter non timet: ita erat intentionis soliditate fundatus: & hoc se meliorem patrem putabat, hoc sibi in perenne mansurum iudicabat filium, si eum immolaret Deo. Non solum autem hoc prophetauit quod statim accidit, quia Deus prouidit sibi pro Isaac hostiam, & reddidit patri filium: verum illud magis, quod non hæc hostia diuinæ esset dispositionis, sed alia esset hostia quam Deus sibi pararet, ut mundaret orbem terrarum: illa esset omnibus acceptior, per quam multi patres offerrent filios suos, & separari in hoc sæculo à filiis non timerent. Quotidie offerunt patres filios suos, ut moriantur in Christo, & conspeliuntur in Domino. Quanti patres occisis martyrio filiis lætiores ab eorum tumultu reuerterunt! Venit Abraham ad locum sacrificio prædestinatum; *et edificauit ibi Abraham altare, & imposuit ligna. Quanta molimina immolaturi, ne raptus subito ad immolandum æstimaretur? *Et colligatis manibus ac pedibus Isaac filij sui, imposuit eum in altare supra ligna. Nescit filio manibus suis vincula pater, ne refugiendo filius, & vi ignis exustus peccatum incurreret. *Et dixit angelus, Abraham, Abraham. Tenuit quodammodo manum eius diuina vox, & ictū vibrantis occupauit dextera. Non semel vocauit, ne aut non plenè audiret, aut fortuitam vocem putaret. Sic reuocauit, quemadmodum imperauit. Repetiuit vocem, tamquam veritatem ne præueniret studio deuotionis, & vna vox impetum ferientis reuocare non posset. *Non inuicias (inquit) manum tuam in puerum, neque facias ei quidquam. Nunc enim cognoui quia timeas tu Deum, & non peperisti filio tuo dilectissimo propter me. Hoc est dicere, Affectum tuum inquisiui, non factum exegi. Tentauit mentem tuam, si etiam filio dilectissimo non parceres propter me. Non aufero quod donauit ipse, nec hæredem inuideo, quem largitus sum non habenti.*********

Gen. 18. Gen. 17.

Gen. 13. Gen. 14.

Exod. 5. Exod. 3.

Ioan. 12.

Isai. 9. Isai. 148. Isai. 44. Ioan. 8. Ibid.

Ioan. 12. Ioan. 8.

Gen. 15.

Gen. 17.

Matth. 10.

22. q. 2. c. si quælibet. 8. non enim.

benti. Nec otiosè hic quoq; ei dilectissimum filium A dixit, ut illud quod supra dixit, *Quem dilexisti*, ita dictum ostenderet, ne æstimares quod iam diligere desisset. *Et respiciens Abraham oculis suis, vidit, & ecce aries vnus suspensus cornibus in virgulto Sabec. Quæ ratione arietem? Quasi præstantem utique cætero gregi. Quæ ratione suspensum? Ut aduerteres hostiā illam non esse terrenam. Quæ causa cornibus suspensum, nisi quod carnem suam virtute superiore à terris leuaret? iuxta quod scriptum est, Cuius principium super humeros eius. Quis utique significatur, nisi ille de quo scriptū est, Exaltauit cornu populi sui: Cornu nostrum Christus est, qui præstitit omnibus, sicut legimus, Speciosus forma præ filiis hominum. Solus eleuatus & exaltatus à terris, quemadmodum ipse nos docet, cum loquitur, Ego non sum de hoc mundo, ego de supernis sum. Hunc vidit Abraham in isto sacrificio, huius passionem aspexit. Et ideo ipse Dominus ait de eo, Abraham diem meum vidit, & gauisus est. Vnde ait scriptura, *Vocauit Abraham nomen loci illius, Dominus vidit: ut dicant hodie, In monte Domini apparuit, hoc est, quod apparuerit Abraham, reuelans futuram sui passionem corporis, qua mundum redemit: demōstrans etiā genus passionis, cum suspensum ostendit cornibus arietem: virgultum illud patibulum crucis est. Et in hoc ligno præfatisimus ductor gregis exaltatus omnia traxit ad se, ut ab omnibus cognosceretur, vnde & ipse ait: Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. Hinc quoque promeruit Deum Abraham. Vnde ait, *Profecto benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo semen tuum. Hæc est tertia benedictio. Tres enim plenarias accepit benedictiones: Vnam post victoriam, qua liberauit nepotem, & occurrit illi Melchisedec, quando dixit ei Dominus, *Respice in cælum, & numera stellas si poteris: sic erit semē tuum. Et credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Aliam quando iussus est Abraham nominari, & signaculum accepit circumcisionis: Tertiam hinc, quando dilectissimum filium suum in holocaustum Deo non dubitauit offerre. Hæc iterum benedictio præstitit superioribus. In illis enim propagationem seminis Abraham promisit futuram: in hac autem ait, *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terra, quoniam audisti vocem meam. Et nos ergo audiamus vocem Dei nostri, & obediamus præceptis eius, si volumus apud eum inuenire gratiam.*****

Genesis Cap. XXIII.

FVIT autem vita Sarre anni centum vigintiseptem: & mortua est Sarra in ciuitate Arbec, quæ est in cōualle. hæc est Chebron in terra Chanaan. Venit autem Abraham plāgere Sarram & flere. Et surrexit Abraham à mortuo, & dixit filiis Chet, dicens, Aduena & peregrinus ego sum vobiscum: date ergo mihi possessionem vobiscum, & sepeliā mortuum meum à me. Responderunt autem filij Chet ad Abraham, dicentes, Non domine, au-

di autem nos: Rex à Deo es tu in nobis: in electis sepulcris nostris sepeli mortuum tuum: nullus enim nostrum non prohibebit sepulcrum suum à te, ut sepelias mortuum tuum illic. Surgens autem Abraham adorauit populum terræ, filios Chet: & loquutus est ad eos Abraham, dicens, Si habetis in anima vestra ut sepeliā mortuum meum à facie mea, audite me. Loquimini pro me Ephron filio Saar, & det mihi speluncam duplicem, quæ est eius, existentem in parte agrifui. Argento digno det mihi illam in vobis in possessionem sepulcri. Ephron autem sedebat in medio filiorum Chet. Respondens autem Ephron Chettæus ad Abraham dixit, audientibus filiis Chet, & omnibus ingredientibus in ciuitatem, dicens, Apud me esto Domine, & audi me: Agrum & speluncam, quæ in eo, tibi do: coram omnibus ciuibus meis dedi tibi, sepeli mortuum tuum. Et adorauit Abraham coram populo terræ. Et dixit Ephron in aures coram populo terræ: Quoniam apud me es, audi me: Argentum agri accipe à me, & sepeliā mortuum meum illic. Respondit autem Ephron Abraham, dicens, Nequaquam Domine: audiui enim quadringentarum didrachmarum argenti: sed quid utique esset hoc inter me & te? Tu autem mortuum tuum sepeli. Et audiuit Abraham Ephrō, & restituit Abraham Ephron argentum quod loquutus est in aures filiorū Chet, quadringentas didrachmas argenti probati mercatoribus. Et stetit ager Ephron, qui erat in spelunca duplici, quæ est secundum faciem Mambre, ager & spelunca quæ erat in eo, & omnis arbor quæ erat in agro, quæ est in terminis eius in circuitu, Abraham in possessionem coram filiis Chet, & omnibus ingredientibus in ciuitatem. Post hæc autem sepeliuit Abraham Sarram vxorē suam in spelunca agri duplici, quæ est coram Mambre. hæc est Chebron in terra Chanaan. Et confirmatus est ager & spelunca quæ in eo, Abraham in possessionem sepulcri, à filiis Chet.

De morte vxoris Abraham, fletuque eius, & sepultura officio. CAP. IX.

Locus qui legitur, habet mortem vxoris, fletum mariti, sepultura officium, quibus maritalis affectus probatur. *Et surrexit (inquit) Abraham à mortuo. Docemur ut non diutius in hæreamus mortuis, sed quātum fatis est officij deferamus. Festinauit autem pro loco sepulcri pretium soltere, cum gratis daretur, ut non in alienis locis, sed nostris potius ædific-*

Ecli. 22.

cemur tumulos parentum vel proximorum. Sape enim cum alienationibus possessionum venales sunt quæ in iisdem locis sepulturæ sunt. Hoc autem ideo Abraham fecit, quia nondum erant huiusmodi Dei templa, in quibus fidelium in Domino reliquæ cõderentur.

*Genesis Cap. XXIII.*

**E**T Abraham erat senior, prouectus diebus: & Dominus benedixit Abraham per omnia. Et dixit Abraham puero suo seniori domus suæ, principi suorum omnium: Pone manum tuam subter femur meum, & adiurabo te per Dominum Deum cæli & Deum terræ, vt non accipias vxorem Isaac filio meo de filiabus Chananæorum, cum quibus ego habito inter ipsos: sed in terrâ meam vbi ego natus sum ibis, & in tribum meam, & accipies vxorem filio meo Isaac inde. Dixit autem ad eum seruus, Si igitur non voluerit mulier venire mecum retrò in terram hanc, reducam filium tuum in terram, vnde egressus es inde: Dixit autem ad eum Abraham, Attēde tibi ne reducas filium meum illò. Dominus Deus cæli & Deus terræ, qui accepit me de domo patris mei, & de terra in qua natus sum, qui loquutus est mihi, & iurauit dicens, Tibi dabo terram hanc, & semini tuo; ipse mittet angelum suum ante te, & accipies vxorē filio meo inde. Quod si noluerit mulier venire tecum in terram hanc, purus eris à iuramento meo hoc: tantum filium meum ne reducas illuc. Et posuit puer manum suam sub femore Abraham, domini sui, & iurauit ei de verbo hoc. Et accepit puer decem camelos de camelis domini sui, & de omnibus bonis domini sui cum ipso; & surgens profectus est in Mesopotamiam in ciuitatem Nachor. Et fecit quiescere camelos extra ciuitatē apud puteū aquæ ad vespertum, quando egrediuntur aquatrices, & dixit, Domine Deus domini mei Abraham, prosperum fac coram me hodie, & fac misericordiam cum domino meo Abraham. Ecce steti in fonte aquæ: at filiarum hominum habitantium ciuitatem, egrediuntur ad hauriendam aquam. Et erit virgo cui vtique ego dixerò, Inclina hydriam tuam vt bibam: & dixerit mihi, Bibe, & camelos tuos potabo donec vtique cessent bibentes, hanc præparasti seruo tuo Isaac. Et in hoc cognoscam, quod fecisti misericordiam cum domino meo Abraham. Et factum est antequam perficeret

ipse loquens in mente, & ecce Rebecca egrediebatur, genita Bathuel filio Melchæ vxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam super humerum: & virgo erat speciosa aspectu valdè, quam vir non cognouerat. Descendit autem ad fontem, & impleuit hydriam, & ascēdit. Cucurrit autem puer in occursum ipsi, & dixit ei, Pota me parū aquæ de hydria tua. Illa autem dixit, Bibe domine. Et festinauit, & deposuit hydriam super brachiū suum, & potauit eum, donec cessauit bibēs. Et dixit, Et camelis tuis hauriā aquā, donec vtique omnes bibāt. Et festinauit, & euacuauit hydriā in adaquatorium, & cucurrit iterum ad puteum vt hauriret: & hausit aquam omnibus camelis. At homo considerabat eam, & tacebat vt cognosceret, si prosperam fecit Dominus viam suam, an non. Factum est autem quando cessauerunt omnes cameli bibere, accepit homo duas inaures aureas vnus drachmę ponderis, & duas virias in manibus eius, decem aureorum pondus earum: & interrogauit eam, & dixit: Filia cuius es? indica mihi: & si est apud patrem tuum locus nobis ad manendum. Et dixit ei, Filia Bathuel sum Melchæ, quem peperit Nachor. Et dixit ei, Paleæ & pabula multa apud nos, & locus ad manendum. Et complacens homo, adorauit Dominum, & dixit, Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non reliquisti iustitiam tuam & veritatem à domino meo Abraham, meque prosperè duxit Dominus ad domum fratris domini mei ad accipiendam vxorē filio suo. Et currens puella nuntiauit in domum matris suæ secundum verba hæc. At Rebecca erat frater, cui nomen Laban: & cucurrit Laban ad hominem foras ad fontem. Et factū est quando vidit inaures & virias in duabus manibus sororis suæ, & quando audiuit verba Rebecca sororis suæ dicentis, Sic loquutus est mihi homo: & venit ad hominem, stante ipso iuxta camelos prope fontem, & dixit ei, Huc ingredi benedicte Domini, & cur stetit foris? Ego autem præparauit domum & locum camelis. Ingressus est autem homo in domum, & destrauit camelos, & dedit paleas & pabula camelis, & aquam pedibus ipsius, & pedibus virorum qui cum eo, & apposuit illis panes ad comedendum. qui dixit, Non comedam, donec loquar ego verba mea. Et dixit, Loquere. Et dixit, Seruus Abraham sum ego. Dominus autem

autem benedixit domino meo valdè, & exaltatus est, & dedit ei oues & vitulos, aurum & argentum, & seruos & ancillas, camelos & asinos. Et peperit Sarra mulier domini mei filiū vnū domino meo postquam consenuit ipse, & dedit ipsi quæcumque erant ei. Et adiurauit me dominus meus, dicens, Non accipies vxorē filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos ego habito in terra eorum: sed ad domum patris mei perges, & ad tribū meam, & accipies vxorē filio meo. Et dixi domino meo, Ne fortè non veniat mulier mecum? Et dixit mihi, Dominus Deus cui complacui coram eo, ipse mittet angelum suum tecum, & prosperabit viam tuam, & accipies vxorē filio meo de tribu mea, & de domo patris mei: tunc innocēs eris à maledictione mea. Quando enim veneris ad meam tribum, & non tibi dederint, eris innocēs à iuramento tuo. Et veniens hodie ad fontem, dixi, Domine Deus domini mei Abraham, si tu prosperam facis viam meam, in qua nunc ego ambulo in ea: ecce steti supra fontē aquæ, & filiarum hominum ciuitatis egrediuntur ad hauriendam aquam. Et erit virgo, cui vtique ego dixerò, Pota me parum aquæ de hydria tua: & dixerit mihi, Bibe tu, & camelis tuis hauriam aquam: hæc mulier quam præparauit Dominus suo seruo Isaac, & in hoc cognoscam quod fecisti misericordiam domino meo Abraham. Et factum est antequam ego perficerem loqui in mente mea, & ecce statim Rebecca egressa est, habēs hydriam super humerum: & descēdit ad fontem, & hausit aquam, & dixit ei, Pota me parum aquæ. & festinās deposuit hydriam suam à seipso, & dixit, Bibe tu, & camelis tuis potum dabo. Et bibi, & camelos meos adaquauit. & interrogauit eam, & dixi, Cuius filia es? nuntia mihi. Illa autem dixit, Filia Bathuel sum ego, filij Nachor, quem peperit ei Melcha. Et circūposui ei inaures, & virias circa manus eius, & complacens adorauit Dominum, & benedixi Dominū Deum domini mei Abraham, qui prosperauit me in via veritatis, vt acciperem filiam fratris domini mei filio suo. Si ergo facitis vos misericordiam & iustitiam cum domino meo, nuntiate mihi: si autē non, nuntiate mihi, vt reuertar ad dextram vel ad sinistrā. Respondentes autem Laban & Bathuel, dixerunt, A Domino egressa est res hæc; non poterimus tibi contradicere malum aut bo-

num. Ecce Rebecca coram te, tollens reuertere, & sit vxor filio domini tui, sicut loquutus est Dominus. Factum est autem cum audiret puer Abraham verba eorum, adorauit super terram Dominum. Et proferens seruus vasa argentea & aurea, & vestem, dedit Rebecca: & dona dedit fratri eius, & matri eius: & comederunt & biberunt ipse & viri cum eo existentes, & dormierunt. Et surgens puer mane, dixit, Dimittite me, vt vadā ad dominum meum. Dixerunt autem fratres eius & mater, Maneat virgo nobiscum dies quasi decem, & post hoc proficiscetur. Ille autē dixit ad eos: Ne detineatis me, & Dominus prosperauit viam meam; dimittite me, vt pergā ad dominum meum. Dixerunt autem, Vocemus puellam, interrogemus os eius. Et vocauerunt Rebecca, & dixerunt ei, Ibis cum homine isto? Illa autem dixit, Vadā. Et dimiserunt Rebecca sororem eorum, & substantiam eius, & puerum Abraham, & eos qui cum eo. Et benedixerunt Rebecca sororem eorum, & dixerunt ei, Soror nostra es, fias in millia millium, & semen tuum possideat ciuitates aduersariorum. Surgens autem Rebecca, & ancillæ eius ascenderunt super camelos, & abierunt cum homine. Et accipiens puer Rebecca, abiit: Isaac autem ambulabat per desertum iuxta puteum visionis. Ipse autem habitabat in terra ad Africum. Exiit autem Isaac exercere se in campum ad meridiem: & respiciens oculis vidit camelos venientes. Et respiciens Rebecca oculis vidit Isaac, & descēdit à camelo, & dixit puero, Quis est homo ille qui venit in agro in occursum nostrum? Dixit autem puer, Hic dominus meus. At illa accipiens pallium, caput suum obnubere cœpit. Et narrauit puer Isaac cuncta verba quæ fecit. Intrauit autem Isaac in domum matris suæ, & accepit Rebecca, & fuit illius vxor, & dilexit eam. Et consolatus est Isaac de Sarra matre suā.

*erat Abraham prouidere vxorē filio suo Isaac, mittit seruum qui ducit Rebecca, & datur Isaac in vxorē.*

*Et Abraham erat senior, prouectus diebus, &c. Senuerat itaque Abraham, quod boni est patris, debuit vxorē prouidere filio: sed propter oraculum Dei non poterat redire eò, vnde iussus erat exire. Habebat autem in terris Chananæorum, ex quorum genere legitimam successionem sibi querere fugiebat. Et vocauit puerum seniore domus suæ, & dixit ei vt iret in Charran, & de proximis suis vxorē peteret iuniori domino suo. Discē hinc quod etiam senioris*



atatis seruuli pueri dicantur à dominis, vel à quibus- que potioribus. Vnde & quidam poeta hoc sequen- dum putauit, siue in eorum vsu qui sibi docti & sapientes videntur, ipse hoc reperit, siue de nostris ipse transtulit, siue translatum inuenit:

Virgil. in Bu- col. eelog. 1.

Pascite, ut ante bonos pueri submitte tauros.

Vnde & pueros dicimus, quando seruulos significa- mus, non a tatem exprimentes, sed conditionem. Aduerte nunc virtutem boni patrisfamilias, & cōsi- dera primum, quod munus, & cui mandet, vt & tu ita in situas seruulos, vt liberis tuis paternum affe- ctum deferant, officia exquantur. Inuentus est de seruulis senior, tamen qui ad vxorem prouidendam Domino iuniori eligeretur, & cōstricū vt iuraret, & mitteret manum subter femur domini sui. Per femur generationem intelligimus: generatio autem Abraham, Christus est. Vnde Apostolus ait: Abraham dictus sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, Et feminibus, quasi in multis, sed sicut in vno, Et femini tuo, quod est Christus: ostendens per ipsam nobis sanctum sacramentum, per ipsum tutum auxiliū fore. Cōstrinxit autem eum vt non de femine Chanæorum vxorem accerferet domino suo, quorum generis auctor patrem non honorauerat, & ideo maledictionis hæreditatem transmisit in suos: vt cognoscamus fidem, & quandam hæreditatem de auctoris profapia in iis requirendam, quos nobis velimus adiungere. Cum sancto enim sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. Si hoc in aliis, quanto magis in coniugio, vbi vna caro, & vnus spiritus est? Quomodo autem potest congruere charitas, si discrepet fides? Et ideo caue Christiane gentili aut Iudæo filiā tuam tradere. Caue, inquam, gentilem aut Iudæam atque alienigenam, hoc est hæreticam, & omnem alienam à fide tua vxorem accerfas tibi. Prima coniugij fides, castitatis gratia est. Si idola colat, quorum prædicantur adulteria, si Christum neget, qui præceptor & remunerator est pudicitia: quomodo potest diligere pudicitia? Si Christiana sit, nõ est factis, nisi ambo initiati sitis sacramento baptismatis. Simul ad orationem nocte vobis futgendum est, & coniunctis precibus obsecrandus Deus. Accedit aliud insigne castimonie, si credas à Deo tibi quod fortitus es coniugium datum. Vnde & Salomon ait: A Deo præparatur viro vxor. Non possunt hoc discipares fide credere, vt ab eo quem non colunt, putet sibi connubij impartitam gratiam. Ratio docet, sed amplius exempla mouent. Sæpe illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, & à religione fecit discedere. Et ideo tu vel amori consule, vel errorem caue. Primum ergo in coniugio religio quæritur. Ideo Abraham proximā quæsiuit dare vxorem filio suo. Et tu proximam quære. Quis est proximus? Qui fecit, inquit, misericordiam. In Euangelio hoc dixit Dominus Iesus. Et tu proximam feminis Abraham require, & propinquam proximi tui. Semē Abraham Christus ipse est proximus omnium qui super omnes fecit misericordiam, tollēs peccatū mūdi. Disce deinde quid in vxore quærat: non aurum, non argentum quæsiuit Abraham, non possessiones, sed gratiam bonæ indolis. Deinde interrogatus, si nollet venire mulier, ytrūnam eò filium domini sui duceret, ait, Attende tibi, ne reuoces filium meum illò. Domi-

Galat. 3.

Gen. 9.

Psal. 17.

Gen. 2.

28. q. 1. c. caue & lib. 4. sent. dist. 39. §. post hæc.

1. Cor. 7.

Proverb. 19.

3. Reg. II.

Luc. 10.

Ioan. 1.

nus Deus celi & Deus terre, qui accepit me de domo patris mei, & de terra in qua natus sum, qui locutus est mihi, & iurauit dicens, Tibi dabo terram hanc, & semini tuo; ipse mittet angelum suum ante te, & accipies filio meo vxorem inde. Quod si noluerit tecum venire mulier in terram hanc, purus eris à iuramento hoc. Quò proficiat hoc, considera diligentius. Non licet tibi accipere alienigenam. Sane si Christianam se faciat, & laudem habebis ex ea. Ne te quoq; si recusauerit Christiana fieri, studium nuptiarum à fide deflectat, instruit lectio. Abraham enim sequentem deduci admonuit, residentem non expeti, nec eò filium pergere. Sanè Domini sui, qui se ab incolatu terræ in qua habitabat, adduxerat, non defuturam misericordiam, vt præire studio petitoris, & puellæ inclinaret animum. Quasi propheta hoc dixit in causa filij, & quasi moralis doctor docuit te sperare de Domino, quòd iuuare dignetur incrementum fidei quærentem. Et surgens puer profectus est in Mesopotamiam, & iuxta voti seriē quod proficiscens seruulus vouerat, occurrit ei Rebecca, habēs hydriam super humerum, virgo speciosa aspectu valde, quam vir non cognouerat. Descendit autem ad fontem, & impleuit hydriam, dedit puero bibere, & adaquauit omnes camelos eius. Vnde puer Abraham accepit in aures aureas singularum drachmarum, & duas virias dedit in manus eius, decem aureorum pondus earum, & quæsiuit ab ea si locus esset hospitio, & cuius esset filia. Simplicitas quidem moralis exprimitur, quòd nullus fuerit vel in coniugij petitione ambitioni locus, sed Dominus præful coniugij petitionem impleuerit. Tamē spectare licet Ecclesiæ mysteria. Vbi inuenitur Ecclesia, nisi in Mesopotamia? Inde quæritur, ibi accerfitur, ibi duobus stipatur fluminibus, la-uacro gratiæ, & fletu pœnitentiæ. Etenim nisi peccata propria defleueris, nisi gratiam baptismatis acceperis, non tibi acquiritur Ecclesiæ fides, & quædā coniugalis copula. muniūt eam Tygris, hoc est prudentia, & Euphrates, hoc est iustitia, & illuminatio fructuosa, à barbaris separans gentibus. Virgo autem speciosa aspectu valde, cuius decorem nulla corruptit ætas. Speciosa valde, quia speciosus & ille præ filiis hominum qui eam acquisiuit sibi. Quam vir non cognouerat, nulli enim viro erat copule ius, sed soli Christo debita. Habens hydriam super humerum, qua lauat actus hominum. Et quia ex congregatione gentiliū constat, qua suos lauit: ideo legis, quia descendit ad fontem, & impleuit hydriam, & ascendit. Samaritana illa venit ad fontem, sicut in Euangelio scriptum est, sed non descendit: puteus enim ei videbatur altus, nec impleuit hydriam. Denique ait: Reliquit hydriam mulier. Reliquit; vnde non habuit quo actus suos lauaret. Hæc sola descendit, hæc sola cognouit fontem verum: hoc est, non aquæ fontem, sed vitæ æternæ; sicut dixit Dauid, Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Ideoque habuit quod daret sitientibus, quia credidit. Nam quæ non credebat, ait fonti huic volenti sibi potum dare: Vnde mihi habes dare aquam viam? Hæc autē habuit vnde non solum puerum, sed etiam camelos adaquaret, quæ non solum iustos rigare consuevit, sed etiam iniustos replere. Ideo accepit in aures aureas, & virias quas misit Abraham, tamquam meritorum suorum præmia. Fortasse audientes

Psal. 44.

2. Cor. 11.

Ioan. 4.

Ibid.

Psal. 35.

Ioan. 4.

Matth. 5.

dientes hæc filiæ quæ ad gratiam Domini tenditis, A & vos prouocemini vt habeatis in aures & virias, & dicatis, Quomodo prohibes nos episcopo, vt habeamus quod Rebecca accepit pro munere, & hortaris vt similes simus Rebecca? Sed non has in aures Rebecca habebat & virias, quæ lites in ecclesia serere solent, quæ labuntur frequenter: alias in aures habebat, alias virias, quas vtinam vos habeatis. In aures Rebecca pij auditus insignia, & viriæ Rebeccæ ornāmēta factorum sunt. Has in aures habebat, quæ non grauent aurem, sed demulcerent: has virias, quæ manum non materiali auro onerarent, sed spiritali a&tu leuant. Ideo & fratri & parentibus in hoc placuit ornatu. Et tu sume in aures quas tibi Abraham reliquit: sume quas transmisit virias. Audi verba Domini Dei tui, sicut ipse audiebat: exequere iussa, sicut ipse properauit implere. Inquit enim, Et apposuit illis panes ad comedendum, qui dixit, Non comedam donec loquar ego verba mea. Pulcherrimus hic est locus ad instruendos eos quibus aliquid iniungitur, quòd non prius manducauit puer Abraham: appositum sibi panem, quàm mandatum domini exqueretur. Quo impetrato, vasa aurea & argentea & vestem dedit Rebecca. Vbi sponsata est Ecclesia, accepit vasa aurea & argentea, in quibus esset thesaurus fidei: Sunt etenim vasa in honorem, sunt & in contumeliam. Quæ sint ea vasa, audi, Habemus thesaurum in vasis fictilibus. Vasa fictilia, corpora nostra sunt: fides nostra, thesaurus est. Et fortasse iam etiam ipsa corpora nostra, quæ thesaurum habent, aurea sunt, quia sunt plena prudentiæ: & argētea vasa sunt, quæ videntur mandati caelestis alloquiis resplendere. Honorantur autem & parentes muneribus. Consulitur puella non de sponsalibus (illa enim iudicium expectat parentum, non est enim virginis pudoris eligere maritum) sed etiam desponsata viro de professionis consulitur die. Nec immeritò dilationem non atulit: iure etenim properare debuit ad maritum. Vnde illud Euripideon, quod mirantur plerique vnde translatum sit, manifestum est. Ait enim in persona mulieris, quæ tamen maritum volebat relinquere, & ad alias petebatur nuptias:

Rem. 9.

1. Cor. 4.

32. q. 2. c. honorantur.

Euripides in Andromacha.

Νυμφευµένων ἔδοξε τῷ πατρὶ ἕμῳδ Μέρηνας ἔχειν ἐν ἑμῶν κρήνῃ τῶδῃ.

Hoc est, Sponsalium quidem meorum pater meus

curam subibit: hoc enim non est meum. Ergo quod & ipsi philosophi mirati sunt, seruate virgines. Mulier etiam si qua amisso citò marito adolescentula laqueum infirmitatis suæ timeret incidere, si vult, nubat tantum in Domino, vt electionem mariti parentibus deferat, ne appetitiæ procacioris æstimetur auctor, si ipsa de nuptiis suis electionem sibi vendicet. Expetita enim magis debet videri à viro, quàm ipsa virum expetisse. Verecundiam præmittat antequam nubat, quòd ipsum coniugium plus commendat verecundia. Sed illi verba imitantur, opera imitari nequeunt. Inesse quoque in eo præclarum Ecclesiæ mysterium liquet, eo quòd nemo ausus sit eam ante Christum vocare. Soli enim Christo hæc erat vocandarum nationum reposita prærogatiua. Vocata autem non fecit moram, & ideo acceptior Domino, qua populus Iudæorū, qui erat ad cœnam vocatus, dignus non fuit venire: congregatio autem gētium simul vt accersiri se vidit, occurrit. Denique vt scias non sine mysterio esse: cum veleretur camelo, venit ad sp̄sum, eo quòd populus nationum beluina quadam horridus meritorum deformitate qui formæ suæ nullum haberet decorem, fidem esset atque consensum Ecclesiæ recepturus. Nec illud otiosum, quòd cum veniret Rebecca, vidit Isaac deambulans: & cum interrogasset, quis esset, cognito quòd ipse esset cui duceretur vxor, descendit, & caput suum pallio obnubere cepit, docens verecundiam nuptiis præire debere. Inde enim & nuptiæ dictæ, quòd pudoris gratia puellæ se obnubarent. Discite ergo virgines quemadmodum seruetis verecundiam, ne intecto capite prodeatis ante extraneos, cum Rebecca iam desponsata designatum maritum aperto capite non putauerit videndum. Quis ille est seruulus qui prouidit has nuptias? Vnus vtique de Apostolis, & ille maximè qui ait, Viri fratres vos scitis quia à diebus antiquis in nobis Deus elegit ex ore meo audire nationes verbum Euangelij. Vel ille qui doctor appellatus est gentium. Ipsi enim cum audiuntur, acquirūt Christo animam, vt credat quæ antè non credidit: & cupientibus Christum videre, vt ait Ioannes euangelista, sermonibus demonstrant suis. Denique Abraham celebratis filij nuptiis, longæua ætate, & bona senectute compleuit diem.

1. Cor. 7.

Luc. 14.

30. q. 5. c. nec illud.

Ast. 15.

1. Tim. 2.

Ioan. 1. & 12.

Gen. 25.

S. AMBROSII DE ABRAHAM LIBRI PRIMI FINIS.

Summarium libri secundi de Abraham.

Agit de vita, gestis & virtutibus Abraham; in quo sanctus doctor Ambrosius iustum & sapientem Christianum delineare & ad viuum formare videtur.

Capita secundi Libri.

De continuatione huius libri ad præcedentem; cum profundioris intellectus apertione: qua ratione menti dicatur, sicuti & Abraham dictum est, vt exeat de terra, cognatione, & domo sua. quomodo etiam volens perfectam purgationem consequi, à tribus se debeat disjungere. Cap. I.

De exitu Abraham, quemadmodum locutus est ei Dominus: & quod processus illius viri propositus sit nobis ad imitandum, & scriptus ad experimentum: ac qualiter reformet se mens in Abraham, & per gradus & incrementa se colligat. Cap. II.

De perambulatione Abraham vsque ad locum ubi Dominum sibi apparētem vidit: quem, quamdiu Chaldeus fuit, videre non poterat. & quòd etiam mens quamdiu Chaldaicis erroribus inflectitur, Deum non videt. de edificatione quoque aræ per Abraham, & inuocatione nominis Domini. Cap. III.

De abitu Abrahæ, & demoratione in deserto, descensuque in Ægyptum, quod etiam mens tunc probetur ac tentetur quando est in deserto, quid præterea significet quod Abraham descendens in Ægyptum dixit Sarra, ne se uxorem, sed sororem eius appellaret. quid etiam increpatio Abrahæ per regem Ægypti, uxorisque restitutio, & abeundi licentia. Cap. III.

Discessus Abrahæ de Ægypto cum uxore sua Sarra quid significet: quid etiam quod eò inducitur redisse, unde in Ægyptum descenderat. cur præterea diuitias eius scriptura expresserit: & virum Lot quoque nepos eius diues fuerit. Cap. V.

Qua ratione scriptum sit: Et Lot qui ambulabat cum Abraham. cur etiam dictum sit quod non capiebat eos terra, qui præterea sint pastores, & quorum animantium: quæ rixa inter pastores Abrahæ, & inter pastores Lot, & quomodo illam sedare curauerit Abrahæ: quanta quoque præmiserit ne Lot discedere cogeretur: de insolentia denique ipsius Lot, & electionis nescientia: & quid nos eligere debeamus. Cap. VI.

Quomodo ex locutione Domini ad Abraham, & ostensa sibi terræ promissione doceamur quantum mens superfluis portionibus & irrationabilibus exhaustis proficiat: quemadmodum etiam instruamur ex triumpho quatuor regum contra quinque, quantum vitia vitiiis adiuncta noceant. Cap. VII.

Quemadmodum ex oblatione Melchisedech admonetur mens plena prudentia ac iustitia, ut deuotior sit erga Dei cultum: quodque expeditione regis Sodomorum, ubi se vicisse putat, tentari se discat; & qualiter ex Abrahæ responsione contagium intemperantiæ declinare possit. cur præterea post euentum belli mercedem Dominus sponderit. Quid denique significet quod Abrahæ cura posteritatis fuit: ac de mystica interpretatione totius sacrificij Abrahæ. Cap. VIII.

Quid sibi velit quod post solis occasum excessus cecidit super Abraham: & quomodo ei non tam quæ futura erant declarabantur, quam præscribebatur quæ facienda forent. quid præterea singulariter per superiora auctor significari arbitretur. Cap. IX.

Quid significetur oraculo Domini ad Abraham dicentis, Semini tuo dabo terram hanc. ad quid etiam pertinet Sarra uxor Abrahæ, quæ sterilis fuerat: & quid ancilla eius Agar significet. qua ratione præterea Sarra conclusa fuerit, & Agar filios pepererit. Cap. X.

Quid nos doceat oraculum quo dictum est Abrahæ, Cir cumcidatis omne masculinum vestrum, &c. quomodo etiam plerique moueantur ex hoc quod Dominus dixit, Quoniam qui non fuerit circumcisus masculus, &c. qua ratione præterea Sarra una littera fuerit addita, ac de futuri filij promissione: quid denique significet quod Abraham in faciem ceciderit: & de promissi confirmatione, & responsione Domini ad Abrahæ petitionem. Cap. XI.

# SANCTI AMBROSII EPISCOPI

## MEDIOLANENSIS DE ABRAHAM

### LIBER SECVNDVS.

De continuatione huius libri ad præcedentem, cum profundioris intellectus apertione, & qua ratione mēti dicatur, sicuti & Abrahæ dictum est, ut exeat de terra, cognatione, & domo sua. quomodo etiam volens perfectam purgationem consequi, à tribus se debeat disjungere. CAP. I.

**M**ORALEM quidem locum profecti sumus, qua potuimus intellectus simplicitate, ut qui legunt, morum possint sibi haurire magisteria. Sed quia ex vtraque parte acuta est acies gladij, ex vtraque parte præliaris: similiter verbum Dei, quod est acutius omni gladio acutissimo, penetrās vique ad diuisionem animæ, quocumque conuerteris, paratum inuenies & oportunum ut animam legentis pertranseat ad reuelanda prophetarum scriptu-

rarum anigmata. Vnde non absurdum reor, referre ad altiora sensum, & per historiam diuersarum personarum, virtutis formæ quendam processum explicare: maximè cum iam in Adam intellectus profundioris exordia degustauerimus. Adam etenim mentem diximus, Euam sensum esse significauimus, serpentis specie delectationem expressimus: sed ibi de summa beatitudine, & quadam naturali virtutum amoenitate per circumuentionem sensus, & delectationis illecebram, deflexus ad culpam est, hinc autem ad profectum mentis speculari datur. Hoc enim legislator prouidè egit, ut quemadmodum lapsus mentis demonstrat, ut illas erroris caueremus semitas; ita etiam profectum mentis & quendam superiorem reditum significaret, ut quemadmodum infracta mens reformare

Gen. 9.

Gen. 17.

Gen. 11.

Gen. 12.

Ph. 1. p. 3.

Gen. 12.

mare se possit, cognosceremus. Purgauerat enim A terram Dominus in diluuij infusione, lauerat humana colluione fragilitatis: sed non satis erat ad virtutum profectum, nisi ut instrueretur homo, quem admodum se regeret & gubernaret. Abraham mentis loco inducitur. Denique Abraham transitus dicitur. Ergo ut mens quæ in Adam totam se delectationi & illecebris corporalibus dederat, in formam virtutis speciẽmque transfret, vir sapiens nobis ad imitandum propositus est. Denique Abraham secundum Hebræos & secundum Latinos pater dicitur est, eo quod mens paterna quadam auctoritate, censione & sollicitudine totum gubernet hominem. Hæc ergo mens erat in Charra, id est, in cauernis, obnoxia variis passionibus. Ideoque dicitur ei, Exi de terra tua, hoc est, de corpore tuo. Exiit de hac terra ille cuius conuersatio in calis. Et de cognatione, inquit, tua. Cognati sunt animæ nostræ corporis sensus. Diuiditur in duo anima nostra: in id quod est rationale, & in id quod est irrationabile. In eo autem quod est irrationabile, sensus sunt: ergo cognati sunt partis rationalis, hoc est mentis. Et de domo tua, inquit, exi. Domo mētis, prolatum est verbum. Sicut enim pater familias habitat in domo sua, & in potestate habet quemadmodum regat domum suam; ita etiam mens in sermonibus nostris habitat, & gubernat verba nostra, & vis eius ac disciplina in sermone elucet. Et bonus pater familias à primo vestibulo domus æstimatur: ita etiam de sermonibus nostris mens nostra perpenditur. Denique etiam modulum vocis pulsat & reuocat. Ergo qui vult perfectam purgationem consequi, disjungat se ab his tribus, à corpore, à sensibus corporalibus, à voce: in quibus sunt omnes corporis passiones, & circumscriptiones sensuum quibus decipimur & illudimur. In nullo enim horum trium bonum. Non in carne, quamuis Epicuri schola, plerique etiam voluptarij dirumpantur corporis delectatione. Neque in sensibus, qui sæpe luduntur, neque in sono vocis, quæ falsis plerumque animam demulcet cantibus, est perfectum bonum hoc incorruptibile. Manifesta autem fides: Mortuo etenim homine caro corrumpitur, sensus percunt, vox amittitur, remanet mens immortalis, incorpoream vitam recipiens. Vnde in alteram terram vocatur plenā beatitudine, ubi non falsa pro veris, sicut in hac vita, sed viuam rerum cernat substantiam, eo quod excussa corporis & sensuum & vocis nebulosa quadam imagine, corruptibilem caliginè deponat, & reuelata facie beatæ vitæ gratiam lustret obtutu. Benedicam, inquit, te, & faciam te in gentem magnam. Immortalitatem spondet, cum genus promittit. Genus enim immortale videtur esse, personæ mortales sunt singulorum, ut hominum, ut equorū, ut apū. De quibus ait quidam, At genus immortale manet.

2. Cor. 3.

Gen. 12.

Ecl. 3.

Virg. lib. 4. Georgic.

1. Pet. 2.

Tamen multo illud melius quod gentem magnam dixit, Ecclesiæ perpetuam posteritatem, & generationem illam supernam, quæ verè magna est. Itaque peccato moriamur, Deo renascamur.

De exitu Abrahæ, quemadmodum locutus est ei Dominus: & quod processus illius viri propositus sit nobis ad imitandum. S. Ambr. tom. 1.

tandem, & scriptus ad experimentum: ac qualiter reformet se mens in Abraham, & per gradus & incrementa se colligat. CAP. II.

**E**Xiit Abraham, quemadmodum locutus est ei Dominus. Hinc ferunt gentiles septem sapientum sententiam: Sequere Deum; quasi inuentum suum: cum longè anterior non dico Abraham, sed Moyses fuerit, per quem lex data est, dicens, Post Dominum Deum tuum ambulabis. Exiit ergo Abraham: in quo non tam profectio eius, quam animæ eius deuotio, & mentis libertas exiit de corporis vinculis, de illecebris delectationis. Denique sic habes, Exiit Abraham, quemadmodum locutus est illi Deus. Suprà habes, Exi dixisse Deum, in quo apertum imperium iubentis expressum: hinc habes quemadmodum locutus est illi Deus. Quasi quidam confabulationis affectus comprehenditur: omnia enim fecit quæ statuta sunt. Ante factum igitur Deus dicit quasi obnoxio, post factum loquitur quasi amico. Amicus est enim Deo, qui facit quæ imperata sunt. Vnde & in Euangelio suo dicit Dominus Iesus: Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego precipio vobis. Iam enim non dicam vos seruos. Sed (ut dixi) processus viri sapientis propositus est nobis ad imitandum, scriptus ad exprimendum: nec perfectio. Adhuc enim reformat se mens in Abraham, quæ in homine primo lapsa est. Et ideo per gradus & incrementa se colligit. Vnde & addidit, Et exiit cum eo Lot, hoc est, declinatio. Id enim nominis significat interpretatione: quod ut viantes incognitam carpentes viam, semitis aliquibus sæpe falluntur, ut à directo deflectant: & tamen si prudentes sunt, non deuiant, sed cunctabundi licet regionis ipsius cõtuitu viam colligunt: ita & Abraham nutabundus quidem, tamen tramitem veri sequebatur. Ducebatur plerumque falsa specie bonorum, sed non penitus inclinabatur. Perfecti est enim non defectere, prudentis non penitus declinare. Solus autem ille numquam deflexit de quo scriptum est, Ecce virgo in ytero accipiet, & pariet filium, & vocabis nomē eius Emanuel: butyrum & mel manducabit: priusquam sciat aut profert mala, eliget bonum: quoniam priusquam sciat puer bonum aut malum, non credet malitiæ, ut eligat quod bonum est. Hoc Abraham facere non poterat, ut prius bona eligeret quam mala sciret: sed præceptis inhærebat caelestibus, ne declinaret à vero. Ideo etiam septuaginta & quinque annorum describitur exisse de Charra, quod septuagesimo perfecto remissionis numero sensus is fit qui possit inlecti. Delectationes enim horum sensuum faciunt, ut non semper erecta sit mens nostra, sed aliquando se inflectat, ut non intra cauernas corporis, aut intra latibula voluptatis abscondat. Tamen etiam in his cuniculis positus ita euasit, ut sumeret uxorem suam, & nepotè, & omnem animam quascumque possederat in Charra. Prudentes enim & continentes virtutis atque animæ possessores sunt, decorem morum manufactorum eligentes. Qui autem amatores corporis sunt, delectationibus eius irretitur: quia irrationabilium in corporis habitudine omnis virtus est, rationabilium autem in virtutibus animæ.

Dent. 10.

Gen. 12.

Ioan. 15.

Gen. 12.

Matth. 1.

Esai. 7.

Gen. 12.

U. id.

ac disciplinis. Propterea scriptum est, quia posside-

re coepit, & eum cognoscere esse Deum, cuius in-

Ibid.

De perambulatione Abrahæ vsque ad locum ubi Dominum

H

CAP. III.

Gen. 12.

ET perambulavit, inquit, Abraham vsque ad lo-

Gen. 22. Gen. 14. Gen. 12. Malach. 4. Prouerb. 9. Luc. 2. Mich. 5.

Gen. 48.

Gen. 12. Gen. 11.

Gen. 12. 2. Petr. 1. Gen. 12.

2. Cor. 4.

Gen. 12.

De abitu Abrahæ, & de moratione in deserto, descensuque

CAP. IIII.

ET abiit Abraham, & demoratus est in deserto.

Ibid.

1. Cor. 7.

Gen. 2.

Gen. 12.

Gen. 12.

Gen. 12.

Gen. 12.

Gen. 12.

Gen. 12.

Gen. 12.

Gen. 12.

Gen. 12.

Gen. 12.

Gen. 12.

Gen. 12.

Gen. 12.

Gen. 12.

deserto esse possim, destitutus ab omni incentiuo...

tur in quodam male conscij secretario. Itaque gra-

Discessus Abrahæ de Ægypto cum uxore sua Sarra quid si-



**Gen. 13.** **D**icescit itaque Abraham inde, habens secum uxorem suam Sarram, hoc est principalem, non seruentē. Ideo & dicitur illi, Audi Sarram uxorem tuam. Quæ enim seruitio delictorum se exuit, principatum habet, non seruitium. Mens ergo validior principalem virtutem secum habet, hoc est, imperitantem corporis sensibus, non obedientem. Quæ de Ægypto secum omnia retulit, nihil ibi disciplinarum suarum amisit. Non colorata est intemperantia, insolentia flagitiorum, immodestia, non expoliata est amictu sedular sobrietatis, non exuta vestimento pudoris. Erat diues valdè, utpote cui nihil bonorum deerat, qui non alieni erat appetens, qui nullius indigebat quod suum dici veller. Hoc est enim esse diuitem, quod satis voluntati sit. Mensuram enim frugalitas habet, census non habet, cuius modus in arbitrio quærentis est. Erat enim diues pecoribus, argento, & auro. Quid sibi hoc vult? Non mihi videntur in homine iusto sæculares diuitiæ laudari. Vnde in pecoribus corporales sensus intelligo, quia & ipsi irrationabiles sunt, in argento sermonem, in auro mentem. Meritò diues erat Abraham, quia regebat sensus irrationabiles. Denique & domuit, & mansuetos fecit, ut fierent rationabiles. Habebat sermonem fidei calore splendidum, purgatum spiritalis gratia disciplinæ, habebat mentem plenam prudentiæ. Et ideo auro comparatur mens bona, quia sicut cæteris illud præstat metallis, ita mēs bona in homine cæteris potior est humanæ substantiæ portionibus. In tribus igitur census sapientis: in sensu, in sermone, in mēte: gradus quidam per ordinem factus, sicut etiam in Apostolo legimus: Manet autem spes, fides, charitas, tria hæc, maior autem his est charitas. Et mens igitur maior est, quia ipsa est quæ molit spirituale fructum, ut purgationem sensuum sermonumque proferat. Seruatur ubique persona sapientis viri. Denique eò inducitur rediisse Abraham, hoc est in Bethel, vnde in Ægyptum descenderat, ut agnoscamus quod etiam iusti in domo Dei positi, & verbo Dei intenti tentantur quidem sæcularibus afflictionibus, sed non alienantur à domo Dei, & à custodia præceptorum cælestium. Si vis contentus esse finibus, non extolli diuitiarum copiis, & rebus secundum gratiam voluptatum fluentibus, hoc scias esse mentis optimæ, meditari semper principium & finem, eò procedere, & inde egredi, hoc est, bonum. Bonum autem sapiētia est. Nemo enim bonus, nisi vnus Deus. Ab eo procedimus, creati per ipsum: ad eum reuertimur, quia cum Christo esse multo melius. Et ut scias quia bonum est congruere principium & finem, ipse ait bonus Iesus, Ego sum α & ω, principium & finis. Mens igitur nostra cum ipso semper sit: ab eius templo, ab eius verbo nunquam recedat. Semper in lectione scripturarum sit meditationibus, orationibus, ut sermo eius qui est, semper operetur in nobis, & ut quotidie procedentes in ecclesiam, vel domesticis incubantes orationibus, ab ipso incipiamus, & in ipso finiamus. Ita totus hic vitæ nostræ dies, & cursus diei ab se sumat principium, & in se desinat. Sicut enim à principio vitæ credere, & imitari, salus est: ita perseverantia usque in finem necessaria est. Est autem mentis optimæ diligentia, ut verbo Dei intenta nihil faciat

irrationabile vnde tristitia subeat, ut iugiter actuum suorum bene conscia, lætitiæ bonæ seruet conscientiæ. Quod enim bonum, hoc sine timore & sine tristitia est, id est, securitatis & gratiæ plenū. Possessio enim iusti grata est Deo, insipientium nullus gradus. Ideo Esaias appropinquante bono ait, Fugiet dolor & tristitia, & gemitus. Ioannes quoque in Apocalypsi, Et ille, inquit, Deus cum illis erit, & delebit omnem lacrymam de oculis eorum, & mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque dolor ulterius. In resurrectione enim iustorum lætitia iugis erit & gratia, cum illud bonum cœperit esse cum suis, quando requiescent in sinu Abraham, positi in eius tabernaculo, quod inter domum vel sermonem Dei & gratiam fixum est: significans innocentiam fidelium agere gratias auctori suo, qui non habet vnde eos pœniteat in hoc mundo fuisse. Factis itaque simplicibus Abraham, magnarum institutionum documenta explicatur. Meritò diues, qui etiam disputationes philosophorum diuites facit, qui de eius actu præcepta formarent sua. Eius ergo diuitias scriptura expresserat; supererat cognoscere, utrumnam Lot quoque nepos eius, & ipse, utpote eiusdem successione, diues fuerit. Sed scriptura eum pecoris tantum abundantem asserit. Vnde sic habet, Et Lot qui simul ambulabat cum Abraham, erant oues & boues, & armenta. Non habebat argentum, quia nondum iustus. Etenim argentum igitur lingua iusti. Non habebat aurum, quod habebat ille qui vidit Christum posteriora, de quo scriptum est, Et posteriora eius in specie auri. Vidit illum Abraham, sicut testatus est Dominus, dicens, Abraham diem meum vidit, & gauisus est. Et ideo auri speciem habere meruit & possidere.

*Qua ratione scriptum sit, Et Lot qui ambulabat cum Abraham. cur etiam dictum sit quod non capiebat eos terra, qui præterea sint pastores, & quorum animantium: quæ rixa inter pastores Abraham, & inter pastores Lot; & quomodo illam sedare curauerit Abraham: quanta quoque præmiserit ne Lot discedere cogeretur: de insolentia denique ipsius Lot, & electionis nescientia: & quid nos eligere debeamus.*  
CAP. VI.

**N**unc illud quoque nequaquam prætereundum arbitror, quod videtur etiam doctiores mouisse, qua ratione sit scriptum, Et Lot qui simul ambulabat cum Abraham; quasi alter esset Lot, qui non ambularet cum eo, secundum quod accepimus. Et putant plerique non solum quæstionem. Ergo ut illis satisfaciamus, & à regula scripturæ non recedamus, vnam personam dicimus, duo negotia, quod in vno eodemque viro duæ res significatur: numero vnus, officio duplex. Declinatio enim dicitur Lot, sicut habet Latina interpretatio. Declinat autem quilibet ad bonum aut ad malum. Cum ergo Lot declinaret malum, hoc est, errorem, flagitium, crimen, iungebatur patruo: cum declinaret bonum, hoc est iustum, innocentem, sanctum, religiosum, sociabatur flagitio. Bene ergo dixit, Et Lot qui ambulabat cum Abraham, quia adhuc non elegerat Sodomam, non habitabat cum flagitiorum auctoribus. Postea enim cepit habitare in Sodomis. Ideoq; quasi à seipso mutatus velut

**Gen. 13.**  
**Gen. 21.**  
**Gen. 13.**  
**Ibid.**  
**1. Cor. 13.**  
**Luc. 17.**  
**Gen. 13.**  
**Marc. 10.**  
**Philip. 1.**  
**Apost. 1.**  
**Ios. 1.**  
**Math. 14.**

**Gen. 13.**  
*supra cap. 1. huius libri.*  
**Gen. 3.**  
**Matth. 8.**  
**Sapient. 5.**  
**Proverb. 2. 4.**  
**Gen. 13.**  
**Proverb. 10.**  
**Psal. 67.**  
**Ioan. 8.**  
**Galat. 5.**  
**Ast. 9.**  
**Rem. 7.**  
**Ibid.**  
**Ibid.**

velut alter accipitur, non solum à iusto viro, sed à A seipso desciscens. Denique quia studio iam desclecti cœperat à patruo, nō capiebat eos terra. Nulla enim spatia possunt satis esse discordibus. Quietis & pacificis etiam angusta abūdant, dissonis moribus etiam spatiosa artantur. Et quia à principio dixi mentem hic formari hominis, quæ à principio perfecta fuerat, sed per incrementa & gradus quosdam proficit, ideo ait, Non capiebat eos terra; hoc est, vna anima motus diuersos non recipiebat naturaliter sibi repugnantes. Potest tamen fieri ut interdum non omnia in vno eodemque perfecta sint: possit tamen aliqua vitia sua operire, vel motus suos tēperare, aut si plura bona sint quibus pauciora vitia operiat, aut repentanam commotionem consilio maturiore reflectat. Verum si ex vtraque plura concurrant dissona ac repugnantia, habitatio discrepantium virtutum ac passionum in vna anima soluitur necesse est. Figuratè ergo animam secundum philosophos terram appellauit. Nam & Salomon ait, Tamquam agricultura homo imprudens; quæ si fecunda sit opimis segetum fructibus, abscondere potest spinas: sin verò spinae concurrant aristis, secandi nulla est copia. Qui igitur pastores sunt, & quorum animantium, & quæ rixa inter pastores Abraham & inter pastores Lot, consideremus. Pastores sunt magistri gregum, vel diligentes & sobrij, non inentes agrorum culta obterenti vestigio, atque aduri sentibus: vel negligentes & remissi, & qui non reuocent pecus suam, quod herbosa & nō fructuosa pascatur, sed liberè vagari per varios agri fructus sinant. Istorum ergo pastorum solers custodia necessaria est, ne fortè adscribatur diligentibus, quod euertit negligentium incuria. Sed quia non sermo deuisibilibus, ideo cuius pecoris pastores sint, consideremus. Pastores hos definire possumus: Pastores, inquit, pecorum. Pecora autem sensus corporis irrationabiles significari accepimus. Qui sunt ergo pastores sensuum, nisi præceptores, & quasi quidam rectores gregum, duces eorum, vel monitores alicuius sermonis, vel mentis nostræ cogitationes? Qui si pastoralis disciplinæ gnari & tenaces sunt, non permittunt longius sensuum gregem vagari, & inutilibus ac noxiis inhærere pabulis, sed prouido doctore reuocant, & frenos rationis admovent, atq; obstruunt, renitentibus. Mali autè præceptores, vel inutilis disceptationis permittunt eos impetu suo ferri, & in præruptum ac periculum ruere, & culta obterere, fructuosa depasci, ut si qui sunt in eadē anima virtutum huiusmodi fructus, eos quoq; dissipet. Hinc ergo cogitationum nostrarum discordia: cum caro repugnat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, non mediocris pugna est; quando ipse Apostolus vas electionis dominicæ dicit, Video legem carnis meæ repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Sedare hanc pugnam ipse nequiebat, & ideo ad Christum refugit, dicens, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Hoc est, ne delectationi carnis adhæreā. Quis igitur est, qui his me soluat vinculis, & liberum faciat sensibusq; ad sobrietatē animæ magis detorqueat, quam ad corporis temulentiā? Sed quia inter homines tantum non potuit rectorē inuenire, cōuersus ad Deū: Gratia, inquit, Dei per Iesum Christum

Dominū. Si fortior non cōmisit viribus, quod corpus mortis euaderet, sed auxiliū quæsiuit à Christo: quid nos facere oportet infirmiores? Hanc pugnam grauem esse cognouit Abraham, & ideo in principio cauendam putauit. Sapiētī enim pacis est studium, imprudenti amica iurgia. Non sit, inquit, rixa inter me & inter te, & inter pastores meos & pastores tuos, quia homines nos fratres sumus. Patrum legimus Abraham, & Lot eius nepotem: quomodo cum fratrem appellabat? Sed aduerte quia causas concordia sapiens adhibet. Vnde præmisit, Homines nos sumus. Omnes autem homines vnus naturæ partus sunt, intra eius concepti viscera, & vno foti atque effusi vtero. Vnde nobis iure quodam germanitatis velut fratres connectimur, ab vno patre conditi, & vna matre tãquā fratres vterini editi. Et ideo cum simus rationabilis naturæ soboles, tamquā vterini nos diligere debemus amore mutuo, non impugnare ac persequi. Multo autem verius ad vnam animam refertur, cuius rationabile cognatos habet, ut supra diximus, sensus irrationabiles: quod autem rationabile, virtutum habet copulā. Vnde fraterna quadā sibi copulantur necessitudine vitia virtutesq; hominis: quia illa carnalis, ista rationabilis anima sunt. Caro autē atq; anima velut quadam lege sociatur coniugij, ex quibus homo cōstat. Homo igitur velut portiones suas foederare debet, atque ad pacē cogere. Sed quia nemo erat tantus qui carnem vinceret, ideo venit pax nostra, quæ fecit vtraque vnum, & mediū parietem maceriar solues, inimicitias in carne sua, legem mandatorū edictis euacuans, ut duos conderet in semetipso, in vno nouo homine faciens pacem, ut reconciliaret utrosque in vno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso. Rectè igitur se ut hominē infelicē dixit Apostolus, qui tantū bellū intra se pateretur, quod nō possit restinguere. Deniq; cum de vna portuicula passionū, hoc est iracundiæ, diceret Salomon, Melior est, inquit, sapiens fortis: qui autem iracundiam continet, melior est quàm qui urbem capit. Beatus igitur qui hoc bellum euasit: iam enim non advena nec peregrinus, sed cuius sanctorum & domesticus Dei, quem in terra positū terrena non quatiant. Hunc affectum seruare cupiebat Abraham. Ita ut vir pacificus ait, primò, Non sit rixa inter me & inter te. Inde ait, Et inter pastores meos, & pastores tuos. Tertium posuit, Ecce, inquit, tota terra ante te; hoc est, si non potest conuenire, cedo omnibus, totum cape si de loco aut possessione dissensio est. Quod si moribus non conuenit, discede à me. Quanta autem præmisit ne cogere discederet? Sed etiam hoc virtutis ac disciplinæ est. Dixit enim ante nos vir ex philosophiæ profectus disciplina, quattuor hæc bono viro inesse: Vt elaboraret primum, ut omnes amicos faciat: Secundum, ut si non potest amicos facere, certè nec inimicos: Tertium, ut si nec istud suppetit, ex sententia discedat: Quartum, si quis cedentem persequitur, vindicet se ut potest. Sed illa tria superiora in Abraham non sermonibus nudis, sed veris operibus agnosceamus. Quartum autem non ita est, quando etiam circa cedentem seruauit affectum parentis, ut eum non solum nō persequeretur, sed etiā captū crueret ac liberaret. Deniq; Apostolus cū tria illa doceat, quar-

**Proverb. 17.**  
**Gen. 13.**  
**Sapient. 7.**  
**Cap. 1. huius libri.**  
**Ephes. 2.**  
**Rem. 7.**  
**Proverb. 16.**  
**Ephes. 2.**  
**Gen. 13.**  
**Gen. 14.**

Rom. 12.

Ibid.

D. ut. 32. Mat. 5. Rom. 12. 2. Tim. 1.

2. Tim. 2.

Ibid.

Ibid.

Tit. 2. Tit. 3.

Psal. 7.

1. Cor. 7.

1. Tim. 5.

tum præceptis suis soluit quod addiderat philo-  
 sophia. Ait enim cum pacificum populum Dei infor-  
 mare vellet: Si fieri potest, quod ex vobis est, cum  
 omnibus hominibus pacem habentes. Deinde si hoc  
 non potest, certe nec discordias nec inimicitias mo-  
 ueat. Ideo addidit, Non vos vindicantes charissimi.  
 In quo & tertium illud excluditur, vt vindicare nos  
 nequaquam velim. Sed date locum iræ. Habes & quar-  
 tum, vt discedas magis, & vindictam Deo committas, quã  
 tibi exigas, tanquam & hoc secundum legem magis dictum  
 voluit videri. Nam secundum Euangelium habes, Benedi-  
 cite eos qui vos persequuntur. Habemus hæc præce-  
 pta ad Timotheum in secunda epistola: Propter quam  
 causam, inquit, admoneo te vt resuscites gratiam  
 Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.  
 Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris,  
 sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis. Et iterum,  
 Tu autem fili charissime, fortitudinem cape in gra-  
 tia. Habes ergo primæ præceptum sententiæ, vt erga  
 omnes gratiam locet: deinde si non potest præ-  
 ceptis suis omnes acquirere, caueat ne verbis ali-  
 quos exasperet, hoc est, ne inimicos faciat. Vnde ait  
 infra. Hoc commoneo, testificans coram Deo: Noli  
 verbis contendere, nihil vtile nisi ad subuersio-  
 nem audientium. Seruum autem Domini non oportet  
 litigare, sed mitem esse ad omnes. Pulchrè post  
 pauca subiicit, & causam præstitit, quam philoso-  
 phia non vidit: Cum modestia, inquit, corrigentem  
 eos qui resistunt, ne quando Deus det illis poeniten-  
 tiam ad cognoscendam veritatem. Ad tertium quo-  
 que illud, vt discedamus ab eis cum quibus nobis  
 conuenire non potest, habes additum, cum præcep-  
 tit vt loquatur quæ decent sanam doctrinam, deinde  
 pugnas legis declinet: hoc est, primum gratiam  
 feminer, deinde nullum litigando auertat: tertium  
 est vt hæreticum hominem post vnam correptionem  
 deuiter, quia subuersus est qui huiusmodi est, &  
 delinquit, cum sit à semetipso damnatus. Quam ar-  
 gute suo iudicio damnatum, nostræ vltioni subtra-  
 hit, quasi indignum in quem vindicetur. David au-  
 tem euidenter studium vindictæ amouet, dicens, Si  
 reddidi retribuentibus mihi mala. Ergo mens viri  
 sapientis, eiusdem animæ vel lapsus vel irrationabi-  
 les motus studet corrigere, sibi que coniungere. Po-  
 test enim fieri vt quæ interdum displicent, emendentur  
 cum gratia. Effusio patrimonij sui recidatur, habet  
 liberalitatem sine dispendio. Verecundia interdum  
 remissior est: si confirmetur, habet & pudoris  
 gratiam, & propositi constantiam. Commotio si tem-  
 peretur, indignationis horrorem deponit, assumit  
 laudem vigoris. Quod si emendare non potest, non  
 exasperet. Intemperantia reprehendit ardorem libi-  
 dinis, quã obnegio coerceat: ne dum quaritur con-  
 tinentia, obrepat impudicitia. Ideoque bonorum  
 magister: Dico, inquit, non nuptis & viduis, bonum  
 est illis si sic permaneant, sicut & ego. Quod si se non  
 continent, nubant. Melius est enim nubere quam  
 vri. Sunt aliquæ mulieres immaturo destitutæ mari-  
 torum obitu, & se continere nequeunt. Volo, in-  
 quit, iuniores nubere, filios procreare, matres fami-  
 lias esse, nullam occasionem dare aduersario. Quod  
 si aliquas deliciae delectent, & luxuriari in Christo  
 volunt, viduitatis affectantes gloriam, germanita-

tem autem non custodientes, eas deuitandas iudi-  
 cat, vt habes scriptum, A dolentes viduas deui-  
 ta. Rectè igitur Abraham cum bona venia voluit  
 nepotem dimittere, quem desectentem à se tenere  
 non poterat. Sic & mens bona à præcipiti & diuer-  
 so rationabilium lapsu secernat se ac separat. Si tu,  
 inquit, in sinistram, ego in dexteram: vel si tu in dex-  
 teram, ego in sinistram, hoc est, quæ tibi in dextera  
 sunt, mihi in sinistra sunt: & quæ tibi in sinistra, mihi  
 in dextera sunt. Viro enim imprudenti in dextera  
 sunt quæ sunt corporis, ea præfert, ea constituit in  
 meliorem partem, diuitias quoque & honores præ-  
 ponit: at verò immortalitatis adipiscendæ gratiam in  
 sinistram habet, quæ sapienti ad dexteram est. Lon-  
 gitude enim vitæ in dextera eius. Omnèsque animæ  
 virtutes insipiens vir in sinistram eiicit, prudens au-  
 tem vir has sibi ad dexteram locat: quæ autem cor-  
 poris, in sinistram. Et eleuauit, inquit, Lot, oculos, &  
 aspexit omnem circa regionem Iordanis. Desce-  
 dentibus à vero, amica iactantia est. Denique vt A-  
 braham humiliter, qui electionem obtulit: ita Lot  
 insolentius, qui electionem vsurpauit. Virtus se hu-  
 miliat, extollit autem se iniquitas: qui se debuit  
 committere maturiori, vt esset tutior. Denique eli-  
 gere nesciuit. Nam primò eleuauit oculos, & aspexit  
 regionem, hoc est, illam rem quæ non esset prima  
 ordine, sed tertia, hoc est nouissima. Prima sunt  
 enim quæ sunt animæ bona: Secunda, quæ corporis,  
 id est salus, virtus, pulchritudo, formæ gratia: Tertia  
 sunt, quæ accidunt, hoc est, diuitiæ, potestates, pa-  
 tria, amici, gloria. Regio igitur tertio loco ponitur.  
 Est enim res habitationis. Vidit igitur regionem  
 quia irrigabatur priusquam euerteret Deus Sodo-  
 mam & Gomorrhæ, sicut paradysus Dei, & terra  
 Ægypti, donec veniatur in Scgor. In quo nisi dili-  
 genter intendis, numquid in eo errasse eum dicere  
 potes, quod elegit fluuuiam Iordanis, & ea quæ irriga-  
 bantur sicut paradysus Dei? Non utique secundum  
 litteram. Sed cum Iordanis descensio dicitur, de-  
 scendit qui deseruit virtutis consortium: & speciem  
 elegit, non veritatem. Paradysus enim perfectæ bea-  
 titudinis amœnitas, vel animæ fructuosa funda-  
 menta, in qua sapientiæ sint, iustitiæ, ceterarumque  
 virtutum plantaria. Terra autem Ægypti corpora-  
 lem substantiam significat, cuius plantaria sunt sen-  
 sus & passiones corporis. Sicut enim vireta virtu-  
 tum fontem habent Christum, & spiritalis vberta-  
 tem gratiæ, quo exuberent: ita intemperantia fons  
 quidam est passionum corporalium, quo aluntur  
 superflua. Pulchrè autem ait scriptura, elegit sibi  
 Lot, hoc est, declinatio, quia posuit Deus ante nos  
 bonum & malum, vt vnusquisque eligat quod velit.  
 Non eligamus ergo quod specie videtur iucundius,  
 sed quod veritate præstet, ne cum sit nobis tributa  
 optio vt sequamur potiora, leuemus oculos inflexi  
 falso amœnitate decore, veritatem autem naturæ  
 velut deslexis obrutibus obumbremus. Quod au-  
 tem homines in Sodomis seui erant, & peccato-  
 res in conspectu Domini valdè, non mediocri est  
 hæc œconomia, vt aduertat mitem Deum graui  
 peccatorum moueri acerbitate ad vlcersendum, nec  
 meritò potuisse exorare Abraham Sodomitanis ve-  
 niam, quia supra modum flagitiosi erant. Plerique sunt  
 quo

Ibid.

Gen. 13.

Proverb. 3.

Gen. 13.

Gen. 13.

Ibid.

Ecl. 15.

Gen. 18.

1. Reg. 16.

Daniel. 13.

Gen. 13.

Diogen. Laer. lib. 7. in vita Zenonis.

Prouer. 17.

Ecl. 27. Mat. 7. Sap. 7.

Gen. 1.

Sap. 7. Sap. 9. Sap. 7.

quo nequiores, eo tectiores, qui hominum subterfu-  
 giunt indaginem, vbi res sine arbitrio geruntur, vt  
 falso testimonio iustus circumueniatur. Manet au-  
 tem ante Deum iustus etiam si condemnatur ab ho-  
 minibus, quia Deus non iudiciorum exitus, nec cum  
 intextis nequitia commentis negotia, sed nudam  
 spectat negotiorum naturam. In examine autem  
 hominum falsæ opinionis error plerumque obdu-  
 cit vim veritatis. Manebat autem apud Deum Su-  
 fanna pudica valdè, etiam cum damnaretur adu-  
 lterij, quia Deus non assertionibus falsorum facti exa-  
 minabat fidem, sed intimæ conscientiam mentis in-  
 terrogabat.

*Quomodo ex locutione Domini ad Abraham, & ostense sibi  
 terræ promissione doceamur quantum mens superfluis por-  
 tionibus & irrationabilibus exhaustis proficiat: quæ admo-  
 dum etiam instruat ex triumpho quattuor regum con-  
 tra quinque, quantum vitia vitis adiuncta nocent.*

CAP. VII.

SEquitur locus, quo euidenter docemur quatum  
 mens superfluis portionibus & irrationabilibus  
 exhaustis proficiat, & quantum vitia vitis adiuncta  
 mali afferant. Non enim otiosè scriptura posuit, Et  
 dixit Deus ad Abraham postquam recessit Lot ab eo:  
 Respice oculis tuis, & vide à loco in quo nunc tu es,  
 ad Africam, & Aquilonem, & Orientem, & mare:  
 quia omnem terram quam tu vides, tibi dabo eam,  
 & femini tuo in æternum. Hinc tanquam à fonte ha-  
 serunt Stoici philosophi dogmatis sententiam, om-  
 nia sapientis esse. Oriens enim & Occidens, Septen-  
 trio & Meridies, portiones sunt vniuersitatis. His e-  
 nim totus mundus includitur. Hæc cum promisit deus  
 daturum se Abraham, quid aliud declarat, nisi sapien-  
 tiæ & fideli præsto omnia, deesse nihil? Vnde & Salo-  
 mon in Prouerbijs ait, Eius qui fidelis sit, totus mun-  
 dus diuitiarum. Quanto prior Salomon quam Zeno  
 Stoicorum magister, atque auctor sectæ ipsius? Quã-  
 to prior quam ipse pater philosophiæ Plato, vel eius  
 inuentor nominis Pythagoras? Quis autem sapiens  
 nisi fidelis? Stultus enim sicut luna immutatur: sa-  
 piens autem immobilis fide permanet. Sed fortè di-  
 cas, Quomodo sapientis totus mundus? Quoniam  
 ipsa natura dat illi sortem omnium, etiam si ipse ni-  
 hil possideat. Domina est & possessor sapientia, quæ  
 sua putat naturæ munera, quoniam in vsum homi-  
 num data sunt, nec vllis indiget, etiam si desint ei ad  
 victum necessaria. Namque si musicus organa, aut  
 medicus medicamenta, aut nauclerus quæ ad nauis  
 instrumentum necessaria sunt, etiam si quando non  
 habeat, habet tamen eo ipso quo possit his vt, etiam  
 ad tempus vsus eorum non suppetat: quanto magis  
 sapiens suum iudicat quidquid naturæ est, qui viuunt  
 secundum naturam? Non enim amittit ius suum,  
 qui meminit se ad imaginem Dei factum, & ad ho-  
 mines à Deo dictum, Crescite, & multiplicamini, &  
 replete terram, & dominamini in ea, & imperate  
 piscibus maris, & volatilibus cæli, & omnibus pe-  
 coribus, & omni terræ, & omnibus quæ repunt super  
 terram. Et nouit quia sapientia omnium mater  
 est, & ipsa orbem terrarum possidet. Denique Salo-  
 mon qui sapientiam poposcit & accepit à Domino  
 Deo nostro: Ipse mihi, inquit, dedit eorum quæ sunt

scientiam veram, vt sciam dispositionem orbis ter-  
 rarum, & virtutem elementorum, initium & con-  
 summationem & medietatem omnium rerum, &  
 diuisiones temporum, & anni cursus, & stellarum dis-  
 positiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ve-  
 torum, & cogitationes hominum, differentias herbarum,  
 & virtutes radicum, & quæcumque sunt abscondita &  
 perspicua noui. Sed hæc nulli nisi perfectos suppetunt.  
 Denique Abraham quamdiu adhebat ei Lot, hoc  
 est, deslexio morum, fortè horum non acceperat. Vbi  
 verò deslexionis ambiguo atque anfractu absoluto  
 rectas virtutum semitas continuas animæ suæ gressi-  
 bus cepit carpere, in omnem terram possessorem mittitur,  
 atque dicitur ei: Surge, & perambula terram in lon-  
 gitudinem suam, & in latitudinem: quia tibi dabo eam, &  
 femini tuo in æternum. Ergo qui sapientiam meruerit,  
 & non fuerit ancillæ filius, non peccati seruus, non suc-  
 cessione carnis obnoxius, sed liberæ, id est Sarræ il-  
 lius non seruietis, sed principatis, bonæ stirpis, bonæ  
 indolis, perfectæ titulo virtutis, hæreditatè acquirat  
 vniuersitatis. Dicitur ergo Abraham, Surge. Non cor-  
 poralè assurrectionem significat, sed spiritalem: hoc  
 est, Surge qui dormis, surge à terrenis, surge à cor-  
 poralibus, relinque terrena, cælum aspice: & exurge à  
 mortuis, hoc est ab operibus vanis, & disputationi-  
 bus Chaldæorum. Intuere mundum, intuere etiam illum  
 qui potest totum donare mundum. In possessionem tibi  
 dabo mundum, quem Deum ante credebas. Per-  
 ambula terram in longitudinem & latitudinem eius.  
 Vtiq; intra momentu terram istam Perfarum in-  
 clusam imperijs, ab Indiæ quoque littoribus ad Her-  
 culis, vt aiunt, columnas, vel Britannia extremæ cõ-  
 finia non potuit perambulare. Et potuit quasi inde-  
 uotus videri, qui cælesti oraculo non obedisset, si  
 obeundæ huius terræ mandatū accepisset. Sed cum  
 sit eius deuotio probata, quia ad quercum tantum-  
 modo Mambre transtulerat tabernaculum, utique  
 terram, hoc est, virtutem possumus perfectam intel-  
 ligere, quæ bonos fructus daret, & fecundas in-  
 uentiones, cogitationumque primitias, meritorum  
 vindemiam, frumento, vino & oleo repletet inte-  
 riorem domum, terram resurrectionis quam pro-  
 misit patribus nostris fluentem lac & mel, suauita-  
 tem vitæ, iucunditatis gratiam, splendorem gloriæ,  
 cuius hæres primus factus est primogenitus à mor-  
 tuis Dei filius Iesus Christus. Et ideo non feminibus  
 dixit, sed femini, vt declararet illum qui hanc hære-  
 ditatem humano generi primus acquireret. Cognito-  
 uimus bonæ mentis profectum, quia vitio lubricæ  
 deslexionis exurgens, quæsiuit statum primum sa-  
 pientia, hæreditatem iustitiæ. Quantum autem no-  
 ceant leuitati vitia adiuncta, docet sequenti serie  
 lecturæ. Nam illi quattuor reges de quinque re-  
 gibus triumphauerunt, & abduxerunt equitatu So-  
 domorum omnem: ceperunt etiam Lot filium fra-  
 tris Abraham, & discesserunt. Quinque reges, quinque  
 sensus corporis nostri sunt; vilis, odoratus, gustus,  
 tactus, auditus. Quattuor reges, illecebræ corpora-  
 les atque mundanæ sunt, quoniã & caro hominis vt  
 mundus quattuor constat elementis. Meritò reges  
 dicuntur, quia habet suam culpa dominatum, habet  
 regnum grande. Vnde Apostolus ait, Nou regnet  
 peccatum in vestro mortali corpore. Sensus igitur

Gen. 13.

Galat. 4.

Ephes. 5.

Gen. 13.

Ibid.

Exod. 3.

Apost. 1. Galat. 3.

Gen. 14.

Rom. 6.

nostri facile delectationibus secularibus se dedit: & quadam eorum potestate capiuntur. Corporales enim delectationes & illecebras huius seculi non vincit nisi mens quae fuerit spiritalis, adherens Deo, & se totam a terrenis separans. Deflexio omnis his capitur. Vnde Ioannes ait, Vae habitantibus in terra. Non utique omnes homines comprehendit, qui tunc vitae huius cursum conficerent (sunt enim & in terris positi quorum conuersatio in caelis est) sed eos quos terrenae conuersationis affectus ac huius seculi vicerit gratia. Ergo non habitatores, sed accolas sumus terrae huius. Accola enim temporalis diuersorum speciem gerit. Habitatorem autem speciem omnem atque vitam suam illic substantiae locare videtur ubi habitandum putauerit. Itaque qui est terrae accola, habitator caeli est: qui autem habitator terrae, possessorem est mortis. Numerauit Abraham trecentos decem & octo vernaculos suos, & percussit eos, & persecutus est vsque Chobal, quae est ad dextram Damasci. Hic numerus vitalis est. In ipso enim vita, si credamus in passione, in nomine Domini Iesu: nam haec est nominis interpretatio huius quod diximus Chobal, id est vita. Ipsa ad dexteram Damasci pulchre esse dicitur. Agni enim ad dexteram, haedi ad sinistram. Scit exercitata mens quos ad praelium consummandum sibi adhiberet, quibus armis instrueret, quibus ducat vexillis. Non aquilarum praefert imagines, nec dracones, sed in cruce Christi & in Iesu nomine progreditur ad praelium: hoc signo fortis, hoc vexillo fidelis. Merito ergo mens exercitata, quae recepit veram sapientiam iusti viri. Iustitia autem solers correptionis est, ac arguendo reuocat peccatores, & stringit passionum impetus. Ideo dicit scriptura quia reuocauit omnem equitatum Sodomorum, hoc est, habenas tenuit, frana rationis imposuit, reuocauit culpam, strauit errorem. Equus enim stare nescit, velox ad impetum, ceruicem exaltans suam, hinnies ad libidinem. Quid tam simile peccati? Feruet enim primo culpa impetu, & omnem recti cogitationem praue nit, motuque immaturo exilit, ut eam difficile ratio reuocare possit. Fertur in praecipit, & ascensorem eius proicit in mare istud huius seculi, ceruicem tumida reculans iugum correctionis. Et specialis quaedam forma libidinis, quae vocem mutet hominis, verba amatis corrumpat, suisque se prodat sermonibus. Denique ad Iudam per Hieremiam dicit Dominus Deus, Nunc videbitur ignominia tua, & adulterium tuum, & hinnitus, & alienatio fornicationis tuae supra colles. Hunc iustus reuocauit equitatum, mores quoque declinantis conuertit, & ad se vocauit, ut imitatores sui fierent qui deflexerant, quia sensus nostri ad disciplinam mentis recurrunt. Substantia quoque recepit. Non patrimonium utique significat, sed vitalem animae substantiam, in qua sit pretiosus census, non stipula, non foenum, in quo fidelis sit alioquin splendor, in qua nostrae census subsistat spei. Haec est enim vera nostra substantia, quae est sapientiae diues copias, haec immortalis substantia, corporis autem vel accedentium diurnus magis quam diurnus usus. Vnde quidam recte non putant patrimonium dici substantiam. Non enim subsistimus in eo, cum & illis quibus de sit pecunia, vitae tamen non desit substantia.

Apo. 8.

Philip. 3.

Gen. 14.

Lib. 1. de Abraham, cap. 2.

Math. 25.

Hierem. 5.

Exod. 15.

Hier. 13.

1. Cor. 5.

Quomodo ex oblatione Melchisedec admonetur mens plena prudentia ac iustitia, ut deuotior sit erga Dei cultum: quodque expeditione regis Sodomorum, ubi se vicisse putat, tentari se discat: & qualiter ex Abraham responsione contagium intemperantiae declinare possit, cui praeterea post euentum belli mercedem Dominus spondiderit, quid denique significet quod Abraham cura posteritatis fuit: ac de mystica interpretatione totius sacrificij Abraham. CAP. VIII.

DE Melchisedec in tractatu morali plenè diximus, in quo & mysterium nequaquam praeteritum ac praetermissum est. Hoc loco autem satis est illud admonere solum, quod mens plena prudentiae iustitiaeque deuotior sit erga Dei cultum, & decimas terrae gignētium in fructibus, iuxta altiore prudentiam in eo soluat, ut perfectionem omnium sensuum atque operum suorum Deo deferat, nihil sibi arroget, quae se regere non potest, diuino nisi fauore sulta sit. Denique ubi se vicisse putat, tentatur atque incessitur. Hoc exprimit & docet lectio, quia semper aduersum passionem corporis mens nostra tamquam in excubiis debet praetendere. Quid enim est quod ait, Rex (inquit) Sodomorum exiit obviam Abraham, & dixit, Da mihi homines, equos autem sume tibi: nisi quod post has mihi luxuriae victorias, vis quaedam libidinis potest rationabili menti subreperere, ut infundat ei irrationabiles passiones: Sed perfectae mentis est, nihil de terrenis, nihil de corporalibus illecebris assumere, abstinere a terrenis. Ideo Abraham dicit, Nihil sumam ab omnibus tuis. Quasi contagium declinat in temperantiae, quasi labem refugit corporali sensuum, delectationes mundi reiicit, quarens quae supra mundum sunt, hoc est, extendere manus ad Dominum. Manus, operaria virtus est animae. Haec non ad terrenae arboris pomum, sed ad Dominum extendit: Qui fecit, inquit, caelum & terram, hoc est, intelligibile & visibile substantiam. Intelligibilis enim visus caelum est: visibilis vel sensibilis substantia terra est. Ergo significat quod virtutem animae suae ad superiora extendat, ut ex illa intelligibili substantia theoreticae vitae induat altitudinem, spectans non illa quae videntur, sed quae non videntur, hoc est, non terrena, non corporalia, non praesentia, sed incorporalia, aeterna, caelestia. De ista autem visibili substantia operatoriae atque ciuili disciplinae capeisset gratiam. Subtexit his oraculum Domini dicentis, Noli timere Abraham, ego protegam te, merces tua multa erit valde. Spondendae mercedis locus nunc erat. Minus enim mirabile faceret, si secutus promissum Dei esset hostis adorsus. Victoriae securus procellerat ad triumphum, magis inuitatus quam proptus ad gloriam, vel ad vlciscendum pietatis dolorem paratus. Propositum pietatis mercedem non expetit, sed pro mercede habet boni facti conscientiam, & iusti operis effectum. Angusta mentes inuitetur promissis, erigatur speratis mercedibus: bona metes quae sine responsi caelestis syngrapha certam arripuit, geminae laudis fructum acquirat sibi: ut & confidentissimae fortitudinis, & plenissimae deuotionis gratiam locet. Quod de sancto Abraham aestimari conuenit, quia & diuinum fauorem non despici se iustus duxit erroribus, & hoste percussit despectu periculi, quod gloriosè sibi pro vltione pietatis subeundum putauit. Dei quoque in eo praedicatur iustitia, qui remunerationem

Lib. 1. de Abraham, cap. 3.

Gen. 14.

Ibid.

Ibid.

2. Cor. 4.

Genes. 15.

Gen. 11. Gen. 14.

Luc. 14.

Hierem. 17.

Gen. 15.

Ibid.

Ibid.

1. Cor. 7.

Sap. 1. Rom. 10.

Gen. 15.

Ibid.

Luc. 1.

Gen. 15.

rationem piis mentibus non ex necessitate promissi, sed ex aequitatis suae contemplatione largitur: iudicans dignum fore quod hi qui militant sine aliqua mercedis humanae remuneratione, repositum habeant praemium in eius bonitate, cui deuouendas animas suas aestimauerint. Simulque adoreis bellicis ex usu ipsius victoriae, aut hominum gratia paratum est praemium: pietatis autem & parsimoniae, puritatis, ceterarumque velut priuatarum virtutum a Deo soluitur. Quae manifesta sunt hominibus, ipsi remunerantur. Non omnia autem manifesta, sed alia manifesta, alia incerta, & maxime occulta cordium, quorum spectator & scrutator Deus est. Non ergo magnam mercedem promississet Abraham, nisi puram animam ab omni contagione delictorum iudicasset. Sanctae tamen & propheticae menti cura maior posteritatis perpetua est. Partus enim sapientiae & fidei hereditatem desiderat. Ideo ait, Quid mihi dabis? Ego autem dimittor sine filiis. Ecclesiae sobolem desiderabat, eam successionem petebat quae non esset seruilis, sed libera: non secundum carnem, sed secundum gratiam. Ideoque huiusmodi responsum diuinum resultauit, quo electus audiuit, Respice in caelum, & numera stellas, si potes numerare. Et dixit, Sic erit sementium tuum. Et credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Quid credidit? Hoc est, non solum multitudinem populorum in Christum credentium, sed etiam caelestis gratiae splendorem, & resurrectionem vitae immortalis soboli ecclesiae deferendam. Quid est autem quod ait, Eduxit eum foras? Tamquam foras educitur propheta, ut exeat foras corporis, & angustias carnis operientis, ac spiritus sancti infusionem, ut velut quandam descensionem videat. Oportet nos quoque exire ex his diuersorij nostri angustias, mundare animam nostrae locum ab omni inquinamento, proicere sordes malevolentiae, si volumus spiritum recipere sapientiae, quia in maleuolam animam non introibit sapientia. Credidit vero Abraham, non auri, non argenti illectus testimonio, sed quia corde credidit ad iustitiam. In quo probatum est eius meritum, in eo perfolutum est praemium. Denique statim fidei eius testimonium Dominus dedit, dicens, Ego Deus qui eduxi te de terra Chaldaeorum, ut darem tibi terram hanc, ut haeres esses eius. Et quia deposuerat Abraham studium Chaldaeorum, quaerit nunc: Quomodo, inquit, intelligam quia haeres eius sum? Hoc est, iam diuinationes magorum repudiaui, doce quomodo sciam me futurum terrae eius heredem. Qui quaerit quomodo sciat, non dubitat manifestante Deo cognoscere se posse, sed formam vult acquirendae cognitionis aduertere. Nam & in Euangelio Maria cum audisset ab angelo quod virgo paritura esset filium, respondit, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognoui? Et iure respondit. Hoc est, cum id quod natura est, non suspetat, quia non solet parere virgo quae viro non fuerit copulata, quaero quomodo praeter instituta naturae possim generare. Dixit autem illi Dominus Deus, Sume mihi vitulum trimum, & capram trimam, & arietem trimum, & turturem, & columbam. Praeterirem huiusmodi interpretationem sacrificij, nisi quibusdam hinc scrupulum nasci aduerterem, eo quod aruspicinae quaedam scribi videatur solemniter

tas, quod post immolationem diuisa sunt animalia, & contra faciem alterutrum posita, & confedit illis Abraham. Sed si vim interrogationis praemissae & futurae responsionis consideremus, aduertere poterimus, spei nostrae & fidei conuenire huius sacrificij disciplinam. Vitulus enim aratorum animal est, deditum terrae & labori. Capra ad aquarum similitudinem per aenigmata figuratur, eo quod a Graecè κατὰ τὸν ἄνθρωπον nomen acceperit, ab eo quod est impetu ferri. Sic enim currit sicut & aqua. Possunt vel fluminum sono, cursu, vel maris violentis aestimare fluctibus. Aeri comparatur aries, quia omnibus animantibus vitulus hoc animal generi esse humano reperitur, quandoquidem & vestis nobis usum exhibet, sicut aer huius spiritus vitale nobis ministrat substantiam. Vnde & hunc ordinem factum puto, ut prius diceret, Sume mihi vitulum & capram, & tertio loco diceret arietem: eo quod prima illa, hoc est vitulus & capra, terris & mari, materialibus conparentur elementis, & quia foeminea dicatur: at verò aries masculinum quoddam animal est, vehemens natura, & violentum cornibus. Similiter autem aeris huius spiritus vitalis est, ut masculus, auctor & causa gignentium, mouens terrarum genitalia, & velut quadam se miscens copula. Aliud ad terram, aliud ad mare, aliud ad aërem vitale, mysticè figuratur horum trium animalium genus. Haec traditio naturalis est, sed moralis etiam conuenit & suppetit. In omnibus enim hominibus caro, sensus, & verbum est. Caro nostra vitula est: laborat, ut ferat: laborat, ut colligat: laborat, ut pariat: innumeris fatigatur laboribus. Vnde & Graeci μάλα κατὰ τὸν ἄνθρωπον λέγουσιν, eo quod dometur nimis. Masculorum bouum labore, aratro & iugo, fungitur foemineos partus representat cum multo vberem. Caro quoque nostra vitae istius subiugatur necessitatibus, crebris quatitur doloribus, & multarum ærumnarum quodam curuata partu fenescit. Iam illud quis ignorat, quod vehementior sit virtus animae, cui velut nupta adhæret in istius vitae cursu corporalis substantia: sensus autem nostri caprarum modo velut saltu quodam alis exiliunt, & pascuntur præruptionibus, impetu suo ipsi commotiones excitantes animae, & concutientes eam. Ad omnem occasionem praesto sunt, vel occursum foemineae pulchritudinis, vel odore suauitatis alicuius. Auditum pariter & tactum mouentur velociter, quibus etiam animae insistent constantia, & velut a natura sui alienant eam. Vnde plerique ἐπιπορευτὸν dictam putant, quia ὄρεται impetus dicitur, eo quod ex quodam impetu sensuum inflexionis atque alienationis nostrae causa nascatur: foemineae autem sexus speciem habet. Et etiam sensus nostri κατὰ τὸν ἄνθρωπον Graecè dicuntur foemineo vocabulo. Effetarum modo animarum cito vacuantur, ubi partus suae generationis delectationisque, effuderint, & iterum excitationis cupiditatibus nos referunt impetus. In ariete verò verbi ac sermonis nostri habetur similitudo, quod sit vehemens, sicut & sermo noster efficacis operationis, & quadam ornatus nostri & tegminis causa sit. Aries per usum vestium ordine quodam gregem ducens, sicut ordo quidam vitae vsusque, nostri verbo explicatur. Arbitror autem quod illud verbum magis intelligere debeamus quod est verbum Dei, cum quo aries iste habere videatur non me-



diocrem cognationem. Quod verbū nos verē te-  
 gmine velleris sui vestiuit, & in domū introduxit æ-  
 ternæ salutis. Qui se pro nobis immolandum obtu-  
 lit, qui tamquam ovis ad victimam ductus est, & si-  
 cut aries coram tendente se sine voce, sic nō aperuit  
 os suum. Ex quo ordinem quendam substantiæ ha-  
 bemus & sacræ redemptionis, quod per ipsum con-  
 diti ac redempti sumus. Duplex igitur causā per ver-  
 bum: naturalis & moralis. Naturalis qua condidit,  
 moralis qua redemit. Philosophia quoque geminā  
 speciem sui constituit in verbo, naturalem, & mora-  
 lem. Rationalis enim vtriusque portio est. Naturalē  
 secundum mundi creationem, quam verbo assignat;  
 moralem secundum iustitiam, & æqualitatem vi-  
 uendi, cuius vita & ratio de verbo. Qua causā cum  
 dies quadraginta complerentur ex Mariæ virginis  
 partu, tulerunt Dominum nostrum in Hierusalem,  
 vt offerretur Domino secundum legem, & vt daret  
 hostiam par turturum, aut duos pullos columbarū,  
 eo quod in columba spiritalis gratia sit, in turture  
 incorruptæ generationis natura, vel immaculati  
 corporis castimonia. Merito ergo ad sacrificium iu-  
 bebatur post arietem turtur & columba sumi, vt ver-  
 bo adherere intelligas incorruptam castimoniam,  
 & spiritalem gratiam. Et hoc ipso quidem quod a-  
 ues posuit, intelligere possumus celestium merito-  
 rum volatus. Sunt enim volucres cæli quæ veniunt  
 & habitant in ramis eius arboris quæ de grano si-  
 napsis surrexit, cui cælorum regnum comparatur. Et  
 Ezechiel apertos sibi cælos dicit, & vidisse inter alia  
 etiam rotam vnam super terram coniunctam anim-  
 alibus quattuor. Et infra, Audiebam, inquit, vocē  
 alarum eorum cum ambularent, sicut vocem aqua-  
 rum multarum, & vocem sublimis Dei: & cum irēt,  
 ipsa vox verbi, sicut vox castrorum. Vnde quidam  
 ad libros philosophiæ deriuauerunt, eo quod ipsum  
 cælum eis simile sit. Denique Plato currum volucrē  
 dixit esse cælū, ex eo quod propheta dixerat, Cum  
 irent animalia, ibant & rotæ coniunctæ illis: & cum  
 eleuarent se animalia à terra, eleuabantur rotæ. Sed  
 propheta non cælum ipsum dixit, sed aues esse in  
 cælo. Denique & Dauid ait, Cæli enarrant gloriam  
 Dei, hoc est, potestates cælestes, vel ut cum spectatur  
 pulchrum elementum, prædicatur operator. Ani-  
 mam autem describit propheta, cuius motus sunt  
 quattuor, velut equi, λογισμῶν, θυμῶν, ὁρμητικῶν,  
 διορατικῶν. Hæc animalia quattuor, id est, homo λο-  
 γισμῶν, leo θυμῶν, vitulus ὁρμητικῶν, aquila διορα-  
 τικῶν. Ideo ratio præmissa est, vt reliqua rationem se-  
 quantur. Ideo cum homine à dextris est leo, id est,  
 eū ratione cōmotio à dextris est. Ista animalia quā-  
 do eleuantur, eleuantur etiam rotæ. Rota autem, vi-  
 ta est super terram, qua viuimus. Si animæ nostræ  
 motus quattuor eleuantur, eleuatur & vita nostra.  
 Ideoq; addidit, Quoniā spiritus vitæ, inquit, erat in  
 rotis. Anima ergo magis currus est, quæ ait in Ca-  
 nticis canticorum: Posuisti me currus Aminadab, id  
 est, Domini nostri. Non ergo philosophiæ traditio-  
 ni descriptio currit prophetica. Denique vocem ala-  
 rū audisse se dicit propheta. Ista alæ, virtutes sunt  
 quæ de te poscuntur. Qui tales offert hostias, fidem  
 & castimoniam mētis, simplicitatis gratiam, chari-  
 tatis & pacis effectū, ipse beata illius terræ agnoscit

Esa. 53.

Luc. 2.

Gen. 15.

Matth. 13.

Ezech. 1.

Ibid.

Ibid.

Psal. 18.

Ezech. 1.

Cant. 6.

Ezech. 1.

hæredem: sicut etiam Dominus apertius in Euange-  
 lio declarauit, dicens, Beati mūdo corde, quoniam  
 ipsi Deum videbunt, vel, Beati mites, quoniam ipsi  
 possidebunt terram. Accipe aliā diuisionem. Caro  
 quoq; nostra ipsa Dei ordinatione diuisa habet mē-  
 bra. Duo oculi sunt, binæ aures, duæ genæ, nares di-  
 uisæ, dentiū geminatus ordo, vbera, scapulæ, manus,  
 femora, genua, crura, pedes, nōnne bina omnia, vt  
 subnixa geminatis subsidiis omnia nostra obire vi-  
 deatur officia? Anima etiam diuisionē suarum patit-  
 ur portionum. Nā διορατικῶν, hoc est superiora, quasi  
 oculi quidā contrarij, rationabile est & irrationabi-  
 le. Rationalē ipsum diuiditur circa mentem & ser-  
 monem. Sensibile eius in auditum & visum, quibus  
 vitæ huius cumulatur gratia. Nam odor & gustus  
 vitalis vñs videntur necessariū præbere ministeriū.  
 Nares iugi flatu aspirationem recipiendo vitalem,  
 continuato quodam substantiam hominis cibo pa-  
 scunt. Gustus autem potu epulsiq; generatur. Quin-  
 tus verò sensus, hoc est tactus, velut admixtus est il-  
 lis quattuor. Odor & gustus quædam magis alimē-  
 ta sunt corporis, quibus huius carnis malitia subsi-  
 stit. Visus verò & auditus mentem adiuuant. Hæc sūt  
 diuisiones quæ secundum carnem nostrā animam-  
 que à summo operatore diuisæ sunt. Vnde oportet  
 nos colligere quia etiam iste mundus velut per mē-  
 bra quædam gemina, & tāquam antiprosopa sit di-  
 stributus. Est enim terra in montes & in campos, vt  
 sunt partes nostri corporis elatioris aliæ, aliæ pla-  
 niores. Eminent scapulæ, & pedū superiora vel ma-  
 nuum: latera verò & inferiora ceruicis, velut valles  
 terræ & concaua. Quod & de vola manus intellige-  
 re licet. Nam in ipso calcaneo pedis eminere alia,  
 media autem sinuata quis nesciat? Aqua in mari sal-  
 sa, in flumine dulcis vel in fontibus. Est aer in hyber-  
 no frigidus tempore, veris mēsisbus temperatus, cal-  
 lidus æstate. Ergo ista diuisit operator. Mentem au-  
 tem nostram, quæ modo auim, virtutum diuersa-  
 rum & vigoris sui vecta remigiis supra cælū euolat,  
 non diuisit, quia trinitati adheret diuidenti omnia,  
 soli indiuisæ. Vnde philosophi superiorem mundi  
 huius substantiam, quem æthera vocant, non ex  
 cæterorum admixtione elementorum constare vo-  
 lunt: sed splendidam, & multo refulgentem lumine,  
 quæ non terræ sordidum, nec aquarum humidum,  
 nec aëris nebulosum, nec ignis ipsius rutilum quid-  
 quam recipiat, ex quinta quadam vsia esse asserunt:  
 & velut volucrē mundi huius mentem velociorem  
 purioremque esse cæteris partibus: nam aliæ mixtæ  
 sibi & concretæ sunt. Nos autem nihil materialis  
 compositionis immune atque alienū putamus, præ-  
 ter illam solā venerandæ Trinitatis substantiā, quæ  
 verè pura & simplex sinceræ impermixtæq; naturæ  
 est: quamuis aliqui putent de illa quinta vsia lucem  
 esse clariorem, de qua dixerit Dauid, quod Deus cir-  
 cumdatus sit lucem sicut vestimentum. Et Aposto-  
 lus scripserit de ipso omnipotente, quod solus ha-  
 beat immortalitatem, & lucē habitet inaccessibilē.  
 Qua autem ratione dixerit, quod aues descenderint  
 supra diuisa corpora vitulæ, capræ atque arietis, non  
 facile dicā, nisi quod omnia terrena, marina, atq; ipsa  
 aëria plena sunt insidiarū ac perturbationū. Videtur  
 enim aues istæ cibi causā descendisse supra corpo-  
 ra.

Matth. 5.

1. Cor. 14.  
Ephes. 6.  
Matth. 8.  
Luc. 11.  
Luc. 17.  
1. Cor. 6.  
Gen. 2.

Psal. 103.

Matth. 10.  
Psal. 83.

Gen. 15.

Luc. 8.

Aristoteles  
1. de calo.

Psal. 103.  
1. Tim. 6.  
Gen. 15.

Luc. 1.  
Ibid.

ra. Naturaliter autem violentiores potioresque viri-  
 bus super infirmiores irruunt, & quasi mortuis cor-  
 poribus incumbunt, ex improviso frequentius ir-  
 ruentes: vel (quod verius puto) quia princeps mūdi  
 huius, & volucres cæli, spiritaliū nequitia quæ sūt in  
 eo, eos qui mūdāna sollicitudine curāq; diuisi sunt,  
 graui motu incessunt, & velut cadauera mortuorū  
 dilacerāt dente aspero. De his enim dictum est, Re-  
 linque mortuos sepelire mortuos suos: quia sunt de  
 regno diaboli, qui in seipsum diuisus est. Qui autem  
 sunt Dei, quibus dicit Iesus: Regnū Dei intra vos est:  
 hi non sunt diuisi, quia adherent Deo: quoniam qui  
 adheret meretrici, vnum corpus est. Erunt enim, in-  
 quit, duo in carne vna. Qui autē adheret Domino,  
 vnus spiritus est. Isti ergo nō sunt mortua corpora, vt  
 volucres cæli comedant eos, sed sunt spiritus. Facit  
 enim Deus angelos suos spiritus. Denique supra col-  
 umbam & turturē non descēderūt, quia diuisæ istæ  
 aues nō erant. Non sunt enim diuisi iusti, quibus di-  
 citur vt sint simplices sicut colūba. Ideoq; dicit Da-  
 uid, quia & passer inuenit sibi domū, & turtur nidū  
 sibi, vbi reponat pullos suos. Hæc spectabat Abrahā,  
 hæc profundo & spiritali cōsiderabat intuitu. Ideo-  
 que scriptum est, Confedit illis. Non quasi aruspici-  
 næ, sed quasi celestis reuelationis interpres, signa  
 diuinæ operationis explorās. Mens enim directā ad  
 Christi gratiam videbat hunc mundum plenum esse  
 iniquitatis, quæ velut à summo cæli volaret, & op-  
 primeret infirmos terræ: pudicitiam autem, fidem,  
 sinceritatem, nullis esse obnoxias passionibus: auari-  
 tiam verò & sollicitudines sæculi quibus suffocātur  
 qui habent voluptates diuitiarum, dilacerari ac di-  
 uidi. Vnde & diuitiæ dicuntur, quod mentem diui-  
 dāt, atq; in diuersum scindant, & in partes trahant,  
 nec sinant incorruptam esse & integram. Vir ergo  
 pacificæ mentis confidebat, & considerabat, quate-  
 nus prohibere cominus posset ea mala quæ homini-  
 bus inferuntur. Mens enim sapientis viri ac iusti mē-  
 deri studet humanis casibus, & prohibere ac refecā-  
 re animarum nostrarum labores.  
 Quid sibi velit quod post solis occasum excessus cecidit super  
 Abraham: & quomodo ei non tā quæ futura erant decla-  
 rabantur, quā præscribebantur quæ faciendæ forent, quid  
 præterea singulariter per superiora auctor significari arbi-  
 tretur.  
 C. A. P. IX.  
 Deo affectu fecerit, sequētia docēt. Nā solis oc-  
 casu excessus cecidit super eum: & ecce horror ma-  
 gnus & tenebrosus incubuit super eū. Excessus pro-  
 phetis fieri solet, sicut habes Prophetā dixisse, Ego  
 dixi in excessu meo, omnis homo mendax. Excedit  
 enim mens prophetæ velut fines quosdam humana  
 prudentiæ, quando repletur Deo. Et antē euacuat  
 se cogitationibus & disceptationibus sæculi huius,  
 vt aduenienti gratiæ spiritali puram se & exinanitā  
 præbeat, superueniat in eam Spiritus sanctus magna  
 se vi infundens, ita vt mēs hominis subitō turbetur.  
 Denique angelus venit ad Mariam, & est sedulita-  
 te & gratia venit, & tamen Maria mota est in introi-  
 tu eius. Vnde angelus ait ad eam, Ne timeas Maria,  
 inuenisti enim gratiam apud Deum: & ecce concipies  
 in vtero, & paries filium. Cognoscimus ergo  
 quia quando venit gratia Dei super propheticā mē-

tem, subitō irruit, & inde incubuisse & cecidisse su-  
 per prophetas Spiritum sanctum legimus, quia ex-  
 cessum patitur, & turbatur, & timet, & quibusdam  
 ignorantia & imprudentia tenebris offunditur: si-  
 cut & in Actibus Apostolorum legimus, quia circū-  
 fulsit lux super Saulū de cælo, & cecidit, & horrore  
 animi turbatus est, & audiuit vocem de cælo dicētē,  
 Saule, Saule, quid me persequeris? Desinit enim vi-  
 dere sæcularia, qui incipit audire diuina. Vnde & ti-  
 morem Abrahæ & tenebras mirari non debes, qua-  
 si præter virtutem aut meritum eius acciderint, cum  
 prophetarum consuetudini congruere aduertas, quando  
 cognoscunt futura. Continuo autem dictū habes ad  
 eum: Sciendo scies quod peregrinum erit semen tuum  
 in terra non sua, & seruitio opprimen-  
 tur, & nocebunt eis, & humiliabunt eos annis qua-  
 dringentis. Merito tenebrosus horror & magnus  
 factus est, quia magna oracula deferebantur; cum  
 de populo sæculorum dabatur præceptum: Quo-  
 modo tam facile capere istud mens humana pote-  
 rat, maximè quæ admonebatur vt in hac peregrina-  
 retur terra? Non enim tam quæ futura erant de-  
 clarabantur, quā præscribebantur quæ faciendæ  
 forent. Peregrinum, inquit, erit semen tuum: siue  
 quia omnes homines peregrini esse debeamus in  
 hac vita (omnium etenim pater est Abraham) siue  
 quia verum semen Abrahæ peregrinatur in hoc mū-  
 do. Illud enim verum semen est, de quo dictum est,  
 In Isaac erit semen tuum. Denique qui se Abrahæ  
 hæredē agnosceret, ait, Advena ego sum in hac ter-  
 ra & peregrinus, sicut omnes patres mei. Qui enim  
 peregrinus hīc fuerit, cuius in cælo est: Qui autem in  
 hac terra omnem animā suā substantiā constituen-  
 dam putauerit, hæreditatēque huius terræ acqui-  
 redam sibi exultauerit, Dei regno excludetur. Vnde  
 Apostolus ad fideles viros, & ciues Hierusalem  
 illius quæ in cælo est, & Ecclesiæ filios dicit, Ergo  
 iam non estis peregrini, sed estis ciues sanctorum, &  
 domestici Dei. Non ergo hæc terra nostra est, de  
 qua potest princeps mundi huius dicere, ostendens  
 omnia regna orbis terræ: Tibi dabo potestātē hanc  
 vniuersam, si procidens adoraueris me. erūt omnia  
 tua, quæ sibi alieni vendicant, & seruitio opprimūt  
 populum Dei, vt seruis eius nocere, & humiliare con-  
 tentur sanctos Dei. Denique ipse filius Dei nihil si-  
 bi ex hoc mundo vendicandum putauit: vnde ait,  
 Venit mundi huius princeps, & in me inueniet nihil.  
 Diuersi ergo domini in seruitute nos volunt tene-  
 re, incessit diabolus, infestant angeli eius, passiones  
 motūque corporis velut domestici atque intestini  
 hostes inquietant. Foris pugnat, intus timores: foris  
 pugnat, intus cupiditates. Aliena est enim interni  
 corporis substantia puritati cordis, & ideo impugnat  
 vel repugnat. Bellum ergo quotidianum est, & in-  
 ter eadem graue prælium, donec Deus misericors  
 diabolum atque ministros eius iudicet, passiones re-  
 stinguat, ac subiiciat menti sedulæ. Et gentē cui ser-  
 uiet, iudicabo ego, dicit Dominus. Exquirat animas  
 nostras de omnibus offensis, & periculi nostri aucto-  
 ribus, qui ait, Sanguinem animarum vestrarum ex-  
 quiram de manibus omnium bestiarū. Et vt Ioan-  
 nes dixit, Quia mors & infernus missi sunt in stagnū  
 ignis. Post hæc verò reuertentur huc cum supel-

Act. 9.

Ibid.

Gen. 13.

Ibid.

Ibid.

Gen. 22.  
Psal. 38.

Ephes. 2.  
Ioan. 14.

Matth. 4.  
Luc. 4.

Ioan. 14.

Matth. 16.  
2. Cor. 7.

1. Cor. 15.  
Gen. 15.

Gen. 9.  
Apoc. 20.

Gen. 15.

Exod. 12.  
Exod. 3.

Luc. 21.

2. Tim. 1.

Gen. 2.

2. Cor. 4.  
Exod. 12.  
Rom. 8.

Gen. 3.  
Gen. 6.  
Ecdi. 12.

Gen. 15.

Galat. 4.

Hebr. 11.

Gen. 15.

Sapient. 4.

Gen. 15.

lectili multa. Itaq; exhibet iusti, vt nihil de suo dimittant in hac terra, ne spolia eorum resideant apud incolas & possessores istius terræ. Quæ etiam si abibunt de terra Ægypti ista, vasa quæ sumpserunt ab Ægyptiis mutuo vel aurea vel argentea, quibus ad tempus vtentur, secum auferant, & deprædætur Ægyptios. Hæc vasa acceperunt voluntate Domini, & secum ea auferunt, quia resurrectionis filij sunt, quibus dicitur, Non peribit capillus de capite vestro. Vasa hæc Ægyptij dederunt, quæ de terra afflictionis sunt assumpta. Et sunt alia aurea, alia argentea, quia omnis creatura Dei bona, & maximè hominis in terris præstantissima, quem honorauit Deus, vt inspiraret in faciem eius spiritum vitæ, & omnibus præficeret animantibus. Hæc illa sunt vasa de quibus dicit Apostolus, Habemus thesaurum in vasis fictilibus. Hæc est vestis Ægyptiorum qua vestitur anima nostra, vt locupletior hinc recedat, & quo hic vehementer laborat, liberetur. Non solum enim omnis creatura ingemiscit & parturit, sed etiam nos donec veniat redemptio corporis nostri. Habet Dominus curam operis sui, habet naturæ propriæ in plerisque rationem ac benevolentiam. Neq; excidi & perire patimur arbores, quarum circa primos fructus nobis futura prorumpunt, si posteriore ætate aut ventus decutiat, aut sol adurat, aut suffulcienda & subministranda virtute, siccitatis deficiat substantia, sed melioribus auris differimus examinandas. Et ideo Dominus Deus noster bonæ voluntatis remunerator, etiam primæ futuræ indolis contemplationem habens, omne colligi patitur animæ nostræ patrimonium, & reseruari, futuri aduentus illud probaturus tempore. Memor itaque sui muneris, quod immortalæ voluit esse si culpa non obrepisset, quæ fecit vt non expediret homines diu viuere. Patitur nos discedere ex hoc sæculo, vt secessione animæ hoc corpus resoluaatur in terram suam, & finis sit peccati, deinde per resurrectionem reformetur diuinæ liberalitatis gratia. Ideo dicit ad Abraham, Tu autem ibis ad patres tuos. Nonnulli putauerunt patres esse elementa, ex quibus constat caro nostra diuimus, & in quæ resoluiamur. Sed nos qui meminimus matrem nobis esse Hierusalem quæ sursum est, quæ libera est, quæ est mater omnium nostrum, sicut dicit Apostolus: illos asserimus patres, qui vitæ merito & ordine præcesserunt. Erat illic Abelpia victima, erat pius & sanctus Enoch, erat Noe; ad eos promittitur Abraham transitus. Transit enim qui de hac vita recedens, ad vitam demigrat alterâ, quia viuunt mens sapientis & iusti viri qui nutritus est in pace. Nam insipiens in bello nutritur & in discordiis, iustus in senectute bona viuunt. Non dixit longa, sed bona, quia iustus bene senescit. In iustorum autem nemo, quamuis cornicibus viuacibus diuturniore vitæ vixerit. Nam diu viuere commune sapientibus atque insipientibus est, bene autem viuere speciale sapientis est, cuius senectus venerabilis, & ætas senectutis vitæ immaculata: non diuturna, inquit, neque numero annorum computata, nec capillis canis in capite, sed sensibus. Ille ergo bene senescit, qui bene senserit. Quarta autem generatione reuertentur huc. Historia quidem Iudæis videtur conuenire, qui in Ægyptum transferunt, & de Ægy-

pto reuerterunt. Quadringenti enim & triginta anni illic exacti sunt, sed non omnes centenos, & quod excurrit, annos vixerunt, sicut Moyses, aut Iesus Naue, vt quartæ generationi tempus conueniat. Vnde mysticū aliquid magis requiramus, eo quod tetras omnibus numeris apta sit, & radix quædam decimæ ac fundamentum, hebdomadis quoq; media. Denique nonagesimustertius Psalmus scribitur, Quarta sabbati, eo quod hic numerus medius sit priorum & sequentium, tres enim præcedunt eum, primus, secundus, tertius: & tres sequuntur, quintus, sextus, septimus. Qui hunc Psalmum canit, velut aptis numeris vitam istius mundi transigit, quasi tetragonus, & stabilis atq; perfectus. In quattuor enim libris plenum Euangelium atque perfectum est. Quattuor animalia mystica sunt. Mundi quoq; istius partes quattuor sunt, ex quibus congregati filij Ecclesiæ regnum Christi sacratissimum propagarunt, venientes ab Oriente atque Occidente, Septentrione, & Meridie. Quadripartito igitur latere sancta surrexit Ecclesia. Decas quoque ex isto numero asurgit. Si enim connectas ab vno vsque ad quattuor, hoc modo decimâ facies. Computa vnum, adde illi duo, fiunt tres: adde tribus tres, fiunt sex: & ad sex adde quattuor, fiunt decem. Tetras igitur decem implet, decas numerum omnem cõplectitur. Quattuor quoq; ætates sunt hominis, pueritia, adolescentia, iuuentus, maturitas. Paulatim affurgit & fundatur. Sapientia itaque summa prudentiæ quarto gradatam ordine venit. Meritoque & si quis ante subrege Ægypti fuit, maturioris tamen consilij exit de potestate eius: & legem igitur agnoscit sequendam. Tunc fit ei istius vitæ mare peruium. Similis ratio his quæ gignuntur solo. Vbi semen sparsum fuerit, soluitur humo. Et primò prorumpit in radicem, deinde germinat, formatur fructus, & postea maturefcit. Arbores quoque ipsæ primùm fructum ferunt, deinde adolescit fructus, accessu temporis mutat colorem, quarto ordine consummatur, hoc est nouissimo. Ita ergo & nos in terra hac afflictionis fugiamus lateres formare, sed lacrymis & gemitu vocemus Domini misericordiam, vt mittat nobis Moysen & Aaron, hoc est legem & sacerdotem: illum verum sacerdotem, & sacerdotum principem, qui licet inter homines versaretur, de eo dicebatur, Ecce spiritus ante faciẽ nostram Christus Dominus: & liberet nos de terra Ægypti, vt pascha Domini celebremus. Feramus etiam fructum fidei ab ipsa pueritia, augeamus in adolescentia, coloremus in iuuentute, compleamus in senectute. Iam enim securis ad radicem arboris posita est, vt qui facit fructum, ferat. Adultam etiam maturamq; legetem nostrâ messor inueniat, vt maturos fructus in apothecis recondat ne immaturos hyems deprehendat, vtêus decutiat, pluuia corrumpat. Ego tamen arbitror significari magis, inter aduentum Domini priorem, & secundū qui futurus est iudicij dies, tempus medium. Ideo enim & ad solis occasum viro huiusmodi factus est horror magnus, quia occidente iam mundo futurum sacrificium declarabatur quo mundus redimeretur, fides esset hostia, quæ non diuideretur à filiis Abraham. Nam qui eam diuidunt, non sunt Abraham filij. Fides comparatur regno cælorum. Simile

Matth. 13.  
Ibidem.

Deut. 34.  
Iosu. 24.

Psal. 93.

Luc. 11.  
Gen. 15.  
Luc. 9.

Matth. 8.

Exod. 12.  
Exod. 14.

1. Pet. 4.  
Iob. 14.  
Rom. 5.  
Gen. 15.

Exod. 2.  
Exod. 4.  
Thren. 4.  
Exod. 12.

Matth. 3.

1047. 15.

Gen. 15.

Matth. 13.  
Ibidem.

Luc. 11.  
Gen. 15.  
Luc. 9.

1. Pet. 4.  
Iob. 14.  
Rom. 5.  
Gen. 15.

Apo. 22.

1. Cor. 13.

Gen. 15.

Simile est enim regnum cælorum grano sinapis. Et simile est regnum cælorum negotiatori qui emit agrum, & inuenit in eo margaritam pretiosam. Regnum cælorum indiuisum est, quia regnum Trinitatis vnum est. Ideo perpetuum atque æternum, quia indiuisum. Omne enim regnum diuisum facile destruetur. Hostia etiã foret pudicitia Trinitati dicata, post illud sacrificium, vituli pro laboribus, quia sacerdotalis est victima: capræ autem, quia pro peccatis hostia: arietis, quia pro omni mundo, & pro ipsis arietibus vel cælestibus, non solum pro hominibus: nec solum pro agnis, sed etiam pro hædis quos peccatricis generationis foetore exiit. Testificatur oraculum futurum adhuc in terra afflictionis Abraham filios, vt in agone multorum & grauium certaminum se probent, & ita cum multa supellectili aureorum & argenteorum vasorum spoliis opimis exeant & reuertantur animæ, atque exeant pretiosa possidentes corpõra, diuersarum virtutum, & præcipue castimonie possessionum thesauro repleta, sumpturæ etiam Christi iudicio de diabolo & eius ministris, cæterisque qui voluerunt nocere vindictam. Tunc erit horror magnus etiam iustorum. Nemo enim sine peccato. Omnes habebunt quod timeant, quia impleta peccata erunt. Et cum superabundauerit peccatum, superabundabit & gratia. Iterum cum iam sol esset ad occasum, flamma facta est. Et ecce fornax fumigabunda, & lampades ignis, quæ pertransierunt per media diuisa illa. Etiam si dubitaretur de superioribus, confirmaret sequentia, quando flammam factam ad occasum legimus, quæ illuminaret vespertina mundi tempora, & fulgeret in tenebris, ac reuclaret latentia. Denique continuo visa est fornax fumigabunda. Cuius similitudine exprimi videtur vita humana, quæ implicata iniquitatibus sæculi istius atque inuoluta, non habens veri fulgoris claritudinem, & splendorem sinceri luminis, intus quasi fornax æstuat diuersis cupiditatibus, & quibusdam desideriorum anhelat ignibus: foris velut quodam fumo obtexitur, ne videat veritatis faciem. Obumbratur itaque & obducitur quadam caligine oculus animæ, vt confundatur globo quodam fumigantis nebulæ mentis aspectus, ne pura possit spectare negotia, donec caelestes lampades dirigat Dominus Iesus, hoc est, fulgorem gloriæ suæ. Quando, inquit, non indigebunt luce lucernæ, & lumine solis, quoniam ipse Dominus erit lux omnibus, & ipse illuminabit omnia mundi istius: quorum supra cognita est diuisio, nunc manifestata in lumine, nunc per speculū in enigmate, tunc nec in parte, sed facie ad faciẽ veritatis soliditas, atq; illud quod perfectum est, possit videri.

Quid significetur oraculo Domini ad Abraham dicentis, Semini tuo dabo terram hanc, ad quid etiam pertineat Sarra uxor Abraham, quæ sterilis fuerat: & quid ancilla eius Agar significet, qua ratione præterea Sarra conclusa fuerit, & Agar filios pepererit. CAP. X.

Post hæc secutum est oraculum Dei dicentis, Semini tuo dabo terram hanc, à flumine Ægypti usque ad flumen magnum Euphratem. Qui futuram gloriam demonstrauerat, debuit etiam conferenda S. Amb. tom. 1.

virtutum merita polliceri. Ipse enim & adiutor laborantium, & remunerator innocentium est. Ægyptus hinc nomen non regionis sed fluminis est. Sic enim veteres Nilum vocabant, siue quod ipse regioni nomen dedisset, siue quod regionis accepisset vocabulum. Denique & poëta Græcus testificatur ita esse, dicens,

ἦτοι δ' ἐν ἀργύρῳ ποταμῶν νεῶς ἀμφιελίσσας. Homerus Odys. 14.

Angustum autem & vile est, vt putemus quod caelestibus signis terrena sponderit. Itaque confideremus ne fortè perfectam beatitudinem & consummationem bonorum operum promiserit. Perfecta enim beatitudo ex tribus istis videtur subsistere, corporis, atque animæ, & accidentibus bonis, quæ Græci ἐγόντα dixerunt: vt sit corporis castimonia, patientia, vel temperantia: sit animæ prudentia atque iustitia. Ægypti igitur flumen corporalia videtur significare. Vnde & Geon dictus est ipse fluuius, quia de terra figuratus est homo. Euphrates autem quæ sunt animæ, eo quod fons sit iustitia ceterarum virtutum, quæ virtutes alias illuminet. Prudentia enim sine iustitia nocet. Fortitudo quoque nisi eam iustitia temperet, intolerabilis insolentia est, furori quàm rationi propior, dominationi quàm libertati. Sobrietas & temperantia, priuata bona sunt, nec vilius vis, nisi iusta erga Deum reuerentia, & fidei mente pietatem colas. Iustitia sola est quæ virtutes omnes complectitur, & commendat omnes. Accidentia quoq; sunt, negotiationes, mercaturæ, & agriculturæ, competentia quæstus, laborum operumque ruralium. Sunt etiam corporis accidentia, salubritas, & commoditas valetudinis, decus, fortitudo, quæ ex tempore accidunt, & cum ætate mutantur. Non mediocrem hanc triplicem gratiam putes. Habes enim perfectionem perfectam in Euangelio. Nam cum dicit Dominus Iesus legisperito illi: Diliges Dominum Deum tuum, animæ iustitiam mandat tenendam. Etenim si honorari parentes iustum est, quanto magis parenti omnium fieri debet honorificentia? Rursus cum dicit, Non occides, non adulterium, non furtum facies, non falsum testimonium dices: virtutes corporis seruandas admonet. In posterioribus verò dicens, Nemo est qui relinquat domum, aut parentes, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat centies tantum nunc in hoc tempore, in sæculo autem futuro vitam æternam: nonne incrementa bonorum accidentium cum animæ corporisque remuneratione promittit? Hæc quæ simplicibus verbis sacra scriptura exprimit, magno quodam cothurno Aristoteles & Peripatetici personant atque extollunt. Pythagoricum quoque dogma esse testificantur sui. Sed quis illorum æquauit Abraham tempore? Quis auctoritate & sapientia Dominum, cuius oraculo triplicis huius gratiæ munus agnoscit? Datur autem ei tamquam in disciplinam alienigenarum nationes, vt mens æqui seruantissima, recidat vitia, emendet errata. Magis tamen euidentis Ecclesiæ declaratur mysterium, quia per Apostolos qui sunt Israelitæ, quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem, congreganda Ecclesia foret, crediturus populus nationum. Quos non otiose decem numero significauit, vt ostenderet quia illi antè

Homerus Odys. 14.

Gen. 2.

Matth. 22.  
Ephes. 6.  
Hebr. 12.

Matth. 19.

Marc. 10.

Arist. lib. 1.  
Ethic. cap. 8.

Rom. 9.

Genes. 16. Lib. 1. de Abraham, cap. 3.

2. Cor. 4.

Genes. 21. Galat. 4.

1. Cor. 2.

1. Th. 7.

Heb. 11.

Exod. 4.

1. Idem. Galat. 3.

Genes. 16.

1. Esai. 49. 2. Cor. 6.

Rom. 11. Rom. 9.

1. Idem.

1. Esai. 65. Rom. 10.

Galat. 4.

perfidii, ubi mensuram pietatis impleverunt, perfectæ essent fidei adepturi coronam. Denique sequitur, quia Sarra vxor Abraham sterilis fuerat, quod ad Ecclesiam pertinere in ea expositione quam de moralibus scripsimus, apostolicis docuimus exemplis. Ecclesia enim sterilis videtur in hoc sæculo, quia non secularia parit, nec presentia, sed futura, hoc est, non ea quæ videntur, sed quæ non videntur. Huius ancilla est synagoga, vel omnes hæreses, quæ seruos, non liberos creat. Ideoque Agar dicitur habitatio. Etenim temporalis spes fouet, non perpetuæ possessionis gratiam tenet. Itaque ut non insolens partu corporeo fiat ancilla eius, & ius Ecclesiæ sibi vendicet, dicitur ibi, Eice ancillam & filium eius. non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Sed etiam in singulis Sarra est, & in singulis Agar. Sarra virtus vera est, vera sapientia: Agar autem est versutia, tamquam ancilla perfectioris virtutis. Alii enim sapientia spiritalis, alia sapientia huius mundi. Ideo etiam Ægyptia scribitur, quia philosophica eruditio abundauit in Ægypto. Denique & Moyses eruditus erat in omni sapientia Ægyptiorum, sed abiecit eam, præferens Ægypti thesauris opprobrium Christi. Nam si illam iudicasset alicuius momenti esse sapientiam, non utique dixisset: Precor Domine, non sum eloquens ante hæsternam & nudius tertium diem, neque ex quo cœpisti loqui seruo tuo: gracili enim locutione, & tardiore lingua ego sum. Denique quasi inerudito respondetur ei quod erudiretur a Domino: Ego aperia os tuum, & instruam te quod debeas loqui. Præclarum autem mysterium, quod lex non satis plena erat ut persuaderet populis, & gentes vocaret, vel quia clausa foret vsq; ad Christi aduentum. Qui exponens nobis prophetica oracula, & proferens lectionis veteris testimonia, veluti quoddam os legis aperuit, ut fidei clamor in totum perveniret orbem. Vnde & mysticè ait Sarra, Conclusit me Dominus ut non pariam, intra ergo ad ancillam meam, ut filium facias ex illa. Quod agnoscas in prædestinatione fuisse semper Ecclesiam Dei, & paratam fidei fecunditatem, quando iuberet Dominus prorumpere, sed voluntate Domini certo referuatam tempore. Denique scriptum est, Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiui te. Advertimus itaque quod festinabat fides Ecclesiæ, sed conclusa erat eius fecunditas. Quo verbo demonstratur, quoniam expectabat partus sui tempora, quia quod conclusum est, aperiri solet. Qua ratione conclusa fuerit, docet te Apostolus, dicens, Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereretur: ut non volentis neque currentis, sed miserentis Dei esset gratia, ne te ipsum iustificares, sed omnia tribueres Deo qui te vocavit. Nemo enim pigrescat, & excusationem prætentat, quod serius credat, quia scriptum est, non volentis neque currentis esse. Consideret enim quid additum sit: Sed miserentis, inquit, Dei. Talè ergo præbe bonis studiis & prompta fide, ut Deus tui misereatur, & vocet te sicut Ecclesiam vocavit, dicens, Palam factus sum non querentibus me, apparui iis qui me non interrogabant. Et rectè præmissa sunt deteriora, ut meliora sequeretur. Popèrit ancilla seruos, ut eos Ecclesia liberos faceret, & de seruitute populos ad libertatè

vocaret, de culpa ad innocentiam, de offensa ad gratiam. Singulorum quoque hominum si species ordinem, non omnes a perfectis inchoauerunt, nec apud omnes tempore prima est, sed merito antiquior perfecta virtus. Prudentis igitur mentis est considerare quamdiu imperfecta est anima, quæ sunt secum deliberet, ut vel in posterioribus se exerceat virtutum disciplinis, donec exercitui vsu valeat. Dum verò se erroris inuolucris exuerit, & ab omni enodauerit offensione, consummatam sui purgationem exhibens, tunc suo nitatur ordine magnos partus edere. Præterea dicitur Abraham, Esto sine querela, cui dabatur spiritus sapietia sanctus, integer, mobilis, immaculatus. Oportet igitur viri sapientis animam die noctuque in exercitio iugi specula prætere, numquam somno indulgentem, perpetuis vigiliis intentam Deo, ad comprehensionem rerum earum quæ sunt, & singularum causarum cognitionem. Sed etiam futurorum interpret sapientia est, scit præterita, & de futuris æstimat. Scit versutias sermonum, & solutiones argumentorum. Signa & monstra scit antequam fiant, & euentus temporum & sæculorum. Non potest igitur bonus atq; perfectus non esse qui hanc acquisierit, quia & omnem habet virtutem, & imago bonitatis est. Vnde & sæculi istius sophistæ traxerunt definitionem huiusmodi, quod sapiens vir bonus est & peritus. Redeamus nunc ad donum Dei, quo nihil plenius. Quid enim melius sapietia? Quid peius vanitate? Quid deterius superstitio? Ideoque tamquam ei cui promiserat plenitudinem perfectionis, ait, Augebo te valdè, & ponam te in gentes, & reges de te erunt: quia qui eiusmodi est, totus mundus diuitiarum est, & augetur, non minuitur ut stultus. Ponitur in gentes Abraham, hoc est, fides eius ad gentes transfertur, & reges sæculi qui crediderunt, & se subiiciunt Domino Iesu, cui dicitur, Tibi offerent reges munera. Nec illud absurdum, quia ex genere Abraham non solum reges erunt dignitate, verum etiam illi reges qui peccato non seruiant, nec vincat eos malitia, supra quos regnum mors non habeat. Mentis quoque bonæ cognouimus reges esse & principes inuentiones, quæ sicut Abraham mediocris quidem generationis proventus non habet, sed abundat regalibus. Cui data est terra in possessionem, ut dominetur corpori, nec sit captiua carnalium voluptatum, sed quasi famulatu debito obnoxia caro menti seruiat. Secundum personam autem Abraham euidens mysterium Ecclesiæ, quæ totum orbem fidei hæreditate possedit: bene pater electionis dicitur, pater fidei, pater piæ confessionis.

*Quid nos doceat oraculum quo dictum est Abraham, Circumcidatis omne masculinum vestrum, &c. quomodo etiam plerique moueantur ex hoc quod Dominus dixit, Quoniã qui non fuerit circumcisus masculus, &c. qua ratione præterea Sarra una littera fuerit addita, ac de futuri filij promissione: qui denique significet quod Abraham in faciem ceciderit: & de promissi confirmatione, & responsione Domini ad Abraham petitionem.* CAP. XI.

**E**T quia ad perfectum vocatur, oraculum perfectionis accipit: Circumcidatis, inquit, omne masculinum vestrum, & circumcidatis carnem præputij vestri, perfecta autem circumcisio spiritalis est. Denique

Genes. 17. Sapien. 7.

Sapien. 8.

Sap. 7.

Genes. 17.

1. Prou. 17. Eccl. 27.

1. Psal. 67.

Rom. 7. Rom. 4.

Genes. 17.

Deut. 10.

1. Esai. 13. Luca 2.

1. Esai. 26.

1. Pet. 1.

Rom. 6. 1. Ioan. 3. 1. Th. 18. 1. Cor. 7. 1. Ioan. 8.

Denique & lectio hoc docet, cum dicit, Circumcidate duritiam cordis vestri. Et hic plerique ita accipiunt, ut sit, Circumcidatis omne masculinum vestrum, hoc est, mentem vestram, nihil est enim mente validius. Deinde quia masculinum sanctum dicitur: Omnis masculus adaperiens vuluam, sanctus Domino vocabitur. Quid autem mente sanctius, quæ dat bonarum semina cogitationum, quibus aperit vuluam animæ conclusam pariendi sterilitate, ut possit illas inuisibiles generationes edere, vtero illo videlicet spiritali, de quo dicit Esaias: In vtero accepimus & parturiuimus spiritum salutis? Circumcisio ergo cordis intelligibilis, circumcisio etiam carnis mandatur sensibilis. Illa in veritate, ista in signaculo. Gemina itaque circumcisio, quia & animi & corporis queritur abstinentia. Denique Ægyptij quarto decimo anno circumcidunt mares, & scemina apud eos eodem anno circumcidi feruntur, quod ab eo videlicet anno incipiat flagrare passio virilis, & sceminarum menstrua sumant exordia. Legis autem lator æternæ signaculum circumcisionis carnalis in solis maribus exigit, eo quod ad mixtionis vsu vir muliere vehementior sit, & ideo ipsius impetum infringere voluit circumcisionis signaculo. Vel quia viri licitè se errare credunt, si solo se abstineant adulterio: meretricios autem vsus tamquam legi naturæ suppetere putant, cum præter coniugium nec viro liceat nec scemina misceri alteri. Altiore autem interpretatione illud panditur, quod si mens purgata & circumcisã sit, exuta superfluis voluptatibus & cogitationibus restringit animam ad sui castimoniam, purisque sensibus infusam bonorum facit partuum genitricem. Octauo autem die circumcidi puerum lex iubet, mystico idque præcepto, quia ipse est resurrectionis dies. Dominica enim die resurrexit Dominus Iesus. Ergo si dies resurrectionis circumcisos nos & exutos inueniat delictorum superfluis, ab omni ablutos sordibus, mundos a vitiiis corporalibus, si hinc mundus exieris, mundus resurges. Circumcide igitur te non carne, sed vitio carnali. Et circumcide tuum non solum vernaculum, sed etiam pretio emptum. Si ad singula referas, vernaculi sunt motus naturales: pretio empti, ratione & doctrina acquisiti. Egent autem & illi & hi, tamquam virgulta, purgatione & incisione luxuriæ, ne vagentur ut sterilia sarmenta, & obumbrent inutilia fructuosiss, velut quædam omni vitio distenta: multis incassum laborat. Mysterij autem ratio dilucidat. Vernaculi enim Iudæi, pretio empti sunt gètes qui crediderunt, quia pretio sanguinis Christi redempta est Ecclesia. Ergo & Iudæus & Græcus, & quicumque crediderit, debet scire se circumcidere a peccatis, ut possit saluus fieri. Et domesticus, & alienigena, & iustus, & peccator, circumcidatur remissione peccatorum, ut peccatum non operetur amplius: quia nemo ascendit in regnum cælorum, nisi per sacramentum baptismatis. Nec proderit superioris iustitia temporis, si in fine vitæ iustitiam dereliquerit. Ideo Paulus ait, Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum. Sunt enim contraria, quia seruitus peccato contrahitur, & pretio peccatum remittitur. Hæc igitur simplici expositione abundare ad intellectum opinamur. Ideoque nec cubos geometria, nec tetragonum nime-

rum philosophia, quaternionem (ut aiunt) Pythagoricum, nec semper virgines (ut appellant) hebdomadis numeros cura discutimus inani, nec solè radio formamus, nec cælum in puluere scribimus, nec intra angustos abacos orbem concludimus, sed vera aperimus mysteria, vnam salutem esse Christi resurrectione. Complantemur ergo similitudini mortis eius, ut mereamur resurrectionis consortium. Et vetus homo noster sit crucifixus cruci, ut corpus destruat peccati. Egregiè autem infantia in primis vagitibus circumcidi mares lex iubet, etiam vernaculos: quia sicut ab infantia morbus, ita & circumcisio. Nullum tempus vacuum debet esse tutelæ, quia nullum est culpæ vacuum. Et infans reuocandus a peccato est, ne idololatria polluat contagio, & ne adorare affuecat idolum, & exoculari simulacrum, parentis violare nidum, pietatem lædere. Simul ne quisquam infletur, quod sibi iustus videatur, ætatis maturioris processu Abraham circumcidi iubetur. Nec senex ergo profelytus, nec infans vernaculus excipitur, quia omnis ætas peccato obnoxia, & ideo omnis ætas sacramento idonea. Et erit, inquit, testamentum meum in carne vestra. Forfitan referatur hoc loco, quomodo spiritali dicitur circumcisionem, cum oraculum dicat, Erat testamentum (scilicet circumcisionis) in carne vestra? Quasi verò animæ solius, & non passionum corporis exigatur temperantia. Nam & visus, & auditus, & odoratus, & gustus, & tactus, & vocis ipsius queritur quædam castimonia: quia & visus procacior habet crimen, & ideo scriptum est, Noli intendere fallaci mulieri, neque capiaris oculis, neque abripiaris palpebris. Et in ipso auditu crimen est, si seducat meretrix, & multo blandimento sermonis & laqueis labiorum suorum te alliget. Et in ipso tactu crimen est, ideo tibi dicitur, Ne multus fueris in aliena, neque cõtinearis amplexibus non tuæ. Et in voce culpa est. Laqueus enim fortissimus est homini sua labia, & abducitur a labiis sui oris. Et mel ipsum noli multum edere, ne euomas. Oportet ergo ut omnium sensuum acuta sit moderatio, ne aut impetus in vitium trahat, aut nimietas lædat, aut mora offensionem sit. Non otiosè autem nec superfluè plerique hoc qui sequitur loco moueri videtur: Ecquid ita dixerit Dominus, quoniam qui non fuerit circumcisus masculus, & qui non circumciderit carnem præputij sui octauo die, peribit anima illa de genere suo, quia testamentum meum interrupit. Graue enim putatur quod infanti octo dierum negligentia parentum fraudi esset futura, ita ut interiret anima eius, cum ipsa lex etiam homicidæ (qui tamen non voluntarium facinus necandi hominis impleuerit) ciuitates præscripserit ad quas confugiendo mereatur sanguinis impunitatè. Quomodo ergo aut illic ratio habetur fortuitæ necis, aut hic ratio infantia non habetur, in qua crimen non potuit esse aut dissimulationis, aut voluntatis, nisi fortè putent aliqui quoniam morte filij grauius puniuntur parètes? Sed iniustum putatur ut culpa nocentum interatur pœna innocenti, vel propter pœnam nocentis innocens puniatur, aut fiat consors supplicij qui dispar est merito. Vnde putant quod de parente dicat exterminando, quod eius intereat anima, non paruuli. Sed valdè ambiguum

Rom. 6.

Genes. 17.

1. Prouer. 5.

1. Idem.

1. Prouer. 25.

Genes. 17.

1. Num. 35. Deut. 19.

1. Iosue 20.

1. Th. 18.



est, licet suffragetur huic assertioni quod ait, quia testamentum meum interrupit. Itaque hoc ad intelligentem magis quam ad infantem referendum videtur. Alij grauiora parentibus vel silentio minitantem putant Dominum Deum, quod plus timeant maiores, quando nec infanti parcitur. Mihi autem satis liquidò patet dictum de vniuscuiusque mente. Diximus enim masculi nomine mentem significari, quod sit validus mentis vigor, & animam in sui copulam trahat, sitque vehementior tamquam sexu potior, & virili validitate. Ergo hæc ratio est, quod omnis mens que nõ fuerit circũcisa à superfluis corporalibus, & purgata solemnè munere vt exuat se passionibus & vitis, peribit. Non caro, inquit, peribit, nõ homo, sed anima illa peribit, quia potuit salua fieri si habuisset purgationem. Nuda autem præsidij, & incircumcisi cordis colluione infirmior, salutem generis sui non potuit seruare. Omne autem genus videtur immortale, vt homo genus est, vt vllus species est. Homo semper dicitur, vllus non semper, immò non deficit vllus. Deficit qui fidem non habet, persona deficit vnus, conditio vel nomẽ hominum non deficit. Ex diurno igitur & innoxio in id quod temporale est & noxiũ peccator deducitur, qui mentis suæ adscribere debet infantia quod incautus fuit & intemperans, vel remissionem peccatorum non acquisiuit. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Vtique nullum excipit, non infantem, non aliqua præuentum necessitate. Habeant tamen illam opertam pœnarum immunitatem, necicio an habcant regni honorem. Saræ quoque vna addit littera, scilicet, r, vt vocaretur Sarra. Quod vtiq; par est, vt in superioribus, non vnus adiectione pensari litteræ. Non enim munus Dei est vna littera, sed virtus litteræ, quæ exprimit muneris diuini gratiam. Sara enim dicitur *שָׂרָה*, hoc est, potestas mea, vel principatus mei ianitiũ, vel regis. Sarra Græcè dicitur *Σαρρα*. Latinè, quæ regat. Illa mortalis, ista immortalis: illa specialis, ista generalis. Est namque in me prudẽtia, in me castimonia, in me virtus, in me iustitia, me solum regunt, & mihi dominantur, & sunt mortales. Moriente enim me, soluuntur & moriuntur etiam illa. Quæ autem prudentia generaliter dicitur, quæ castimonia, quæ fortitudo, cæteræque virtutes principales, generaliter principales, & reginæ quædam immortales, in his potestas est immortale & principale, sicut est regina Ecclesia, quæ non me vnum, sed vniuersos regit. Ergo speciem in genus, partem in vniuersitatem, corruptibilitatem in incorruptibilitatem conuersam videmus: quæ omnia Ecclesiæ conuenire certum est. Non enim specialis hæc, sed generalis ratio est: nec partis, sed vniuersitatis salus. Ideoque his præcedentibus cum vnumquemque prudentia sua ad hanc principalem & diffusam per omnes salutẽ deduxerit, in qua fons sapientiæ iustitiæque est, requiritur generatio, & ille perfectus partus iucunditatis, cuius nomen est Isaac. nulla enim melior est voluptas quam emendatæ gratia conscientia. Hinc Epicurei traxerunt, summum bonum voluptatẽ esse, sed eam corporis magis inquinamẽto quam sobrietate mentis æstimauerunt. Quid est autem quod ait, Et

procidit in faciem Abraham, & risit? Et hinc reuerentia significatur, quod timuit Deum velut libero risu lædere, quamuis risus lætitiã declararet viri iusti, qui tantis gratulabatur promissis. Non enim dubitantis hic risus, sed credentis fuit. Simulque cadunt ante Deum omnia, & nutantur & transeunt, sola illa immutabilis stat semper substãtia. Aut fortasse & in hoc mysterio prophetauit Abraham Dominum Iesum, quod per susceptionem corporis & resurrectionem tanti complẽda oraculi gratia foret. Adoratur igitur non elementum terræ, de quo dictum est, Et adorate scabellum eius, quoniam sanctum est. Vbi enim corpus, ibi & aquilæ, quæ adorauerunt versantem in corpore. Et dixit, inquit, in corde suo: Si mihi cẽtum annorum nascetur filius, & si Sarra nonaginta annorũ pariet? Græcus *ἐν τῇ δυνάμει* posuit, vt possimus æstimare quia cordi suo quasi altercanti secum dixerit, Si centenariò nascetur filius, & nonagenariò pariet? hoc est, ætas generandi præterit. Sed Deo omnia sunt possibilia. Et ideo facile istud, vt senibus reuocet iuuentutis annos, vires refundat, sterilibus det fœcunditatem. Nec illud prætereundum, quod promissa sibi generatione legitima respondit Abraham Deo: Ismael viuat hinc in conspectu tuo. Iustus est etiam pro peccatoribus interuenire. Et ideo vel hoc credant Iudæi, quia & pro ipsis interuenit: si tamen credant. Hoc est enim viuere in conspectu Dei, digna Dei verbo negotia gerere. Oculi Domini super iustos. Vnde & Dominus ait, Etiam. Ecce Sarra vxor tua pariet tibi filium. De Ismael autem exaudiui te. Etiam, cum dicit, confirmat promissa: confirmatiuum etenim verbum est. Et ideo prius generationem Ecclesiæ confirmat futuram, vt verum recognosceret Propheta se audisse, quod de Ismael dixit Deus; præuidens quia cæcitas ex parte Israel haberet cõtingere, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Itaque sicut testamenta hominum prius hæredem scribunt, postea legatum exprimunt, melioribus hæreditatem, inferioribus legata: ita & Deum in testamento vsum, & nos hunc morem accepimus. Hæres scribitur natura bonus, nobilis, legitimo creatus coniugio: legato donatur inferior. Promittitur autem generatio sequenti anno, vt aduertat quam generationem polliceatur Dominus, hoc est, nõ illam vteri corporalis Sarra, sed iustum partum Ecclesiæ, qui esset futurus. Denique & infra ait, Reuertar ad te in tẽpus hoc, in horas, & crit Sarra filius. In quo vtrumque possumus accipere, & hunc conuentum Ecclesiæ, & fidelium resurrectionẽ. Tertio decimo quoque anno quod circumciditur Ismael, ratio euidentis: quia is qui incipere habet vti cognitione fœminæ, antè debet recidere in se ardorem libidinis, vt superfluis abstineat cõmixtionibus, coniunctioni tantum legitima referuet. Mẽtem quoque sapientis hospitem esse decet, vt etiã aliis impertiat sui gratiam, & prudentiæ suæ fructũ aliis quoque diuidat, atque epulentur bonis doctrinæ cibis, epulũmque eius exhibeat desiderantibus. Tunc præterea nesciat nisi secundum naturam viuere, in cuius instituto & ordine Dei lex est. Nulli se trãsuertali cupiditati miscere nouerit, solius sapientiæ propter copulã Mandatis Dei, sæculi istius gloriam, & quandã præsentis laudis

laudis hæreditatem præferre nesciat. Atque vt altaris Domini suas immolet utilitates, ita iudicij i-

gnem non excipiat, neque reformidet, sed magis certiam vt alios eripiat, elaboret.

S. AMBROSII DE ABRAHAM LIBRI SECYNDI FINIS.

Summarium Libri de Isaac & Anima.

A cap. I. vsque ad cap. III. describit primum animæ iustæ progressum.

A cap. IIII. vsque ad cap. V. describit secundum & tertium eiusdem progressum.

A cap. VI. vsque ad finem libri perficit quartum animæ progressum, & mutuam inter animam & sponsam charitatem exaggerat.

Capita libri.

De commendatione sancti Isaac tam ex paterna origine & gratia, quam ex dominica generationis & passionis præfiguratione, quæ & nomine suo significatur: ac de apertione mysterij inter Christum per Isaac designatum, & animam representatam per Rebeccam. Cap. I.

De admonitione hominis vt intueatur qui sit, quò salutem suã vitamque tueatur, & quid sit homo: quidve ac qualis sit anima tam secundum sui naturam, quam per irrationabilem sui partem, qua obnoxia sit corruptioni. Cap. II.

De perfecta animæ primique processu eius descriptione, quomodo charitatis impatiens, & verbi moras non ferens, rogabat vt oscula mereretur, & meruit desideratum videre. Cap. III.

De secundo perfecta animæ processu, quo in sponsi cubiculum introducta, se ipsam cognoscat, vt mereatur perfectiorem ascendere gradum, Rebecca exemplo. Cap. IIII.

De tertio ipsius animæ processu, quo cum in cubili noctibus, in ciuitate, in foro, & in plateis quæ situm non reperisset, aliquando rationibus suis gratia quarentem reuocauit, adeo vt ab eius sponso propius vocaretur. Cap. V.

De summaria dictorum perstrictione, cum inductione & prosecutione quarti processu perfectæ animæ, quo ipsa iam dormiens, quamuis corde vigilaret, à sponso excitatur, vt continuo vocem pulsantis audiret: sed moram passa dum surgit (quia velocitatem verbi non potuit comprehendere) dum aperit ostium, transiit verbum, & ipsa exiit, & per vulnera charitatis requisitum vix tandem inuenit, & tenuit, vt postea non amitteret. Cap. VI.

De laudatione animæ à sponso, quod tam bene & constanter requisierit eum, & quod tam fidelis, & verbo potens, & fructibus fecunda diuersis; quodque vna sicut columba habens spiritus unitatem, in qua sit pax, quæ fecit vtraque vnum. Cap. VII.

Anima dum laudatur à sponso, verècundè refugiens coram laudari; & reuocata à sponso, quid dicat: de præconijs quoque bonæ animæ, singularique laude charitatis. Cap. VIII.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS DE ISAAC ET  
ANIMA LIBER.

Genesis Cap. XXV.

ADICIENS autem Abraham accepit vxorem, cui nomen Cettura. Peperit autẽ illi Zambam, & Iectan, & Madal, & Madian, & Iesboc, & Sobec. Iectan autem genuit Saba, & Dedan. Filij Dedan fuerunt Assurim, & Latufim, & Laomim. Filij autem Madian, Gephâr, & Apher, & Enoch, & Abida, & Raga.

Omnes isti fuerunt filij Cetturæ. Dedit autem Abraham omnem substantiam suam Isaac filio suo: & filiis concubinarum suarum dedit Abraham munera, & misit eos ab Isaac filio suo, adhuc viuente ipso, ad orientem in terram orientis. Isti autem anni dierum vitæ Abraham quos vixit, centum septuagintaquin-

que anni: & deficiens mortuus est Abraham in senectute bona, senex, & plenus dierum: Et appositus est ad populum suum. Et sepelierunt eum Isaac & Ismael filij eius in spelunca duplici, in agro Ephron Saar Ethæi, qui est è regione Mambre: agrum & speluncam quam possedit Abraham à filiis Chet. illic sepeliere Abraham, & Sarram uxorem suam. Factum est autem postquam mortuus est Abraham, benedixit Deus Isaac filio eius: & habitavit Isaac iuxta puteum visionis. Hæ autem generationes Ismael filij Abraham, quem peperit Agar Ægyptia famula Sarræ Abraham: & hæc nomina filiorum Ismael, & nomina generationum eius. Secundum nomē generationum eius primogenitus Ismael, Nabaioth, & Cedar, & Nabeel, & Massan, & Masma, & Iduma, & Masse, & Adad, & Theman, & Iatur, & Naphe, & Cedma. isti sunt filij Ismael: & hæc nomina eorum in mansionibus eorum, & in tabernaculis eorum; duodecim principes secundum gentes eorum. Et isti anni vitæ Ismael, ceterum trigintaseptem anni, & deficiens mortuus est; & appositus est ad genus suum. Habitavit autem ab Euila vsque ad Sur, quæ est ante faciem Ægypti, donec veniatur ad Assyrios: ante faciem omnium fratrum suorum habitavit. Et hæc generationes Isaac filij Abraham. Abraham genuit Isaac. Erat autem Isaac annorum quadraginta, quando accepit Rebeccam filiam Bathuel Syri sibi uxorem. Deprecatus est autem Isaac pro Rebecca uxore sua Dominum, quia erat sterilis. Exaudiuit autem eum Deus, & concepit Rebecca in utero vxor eius. Exultabant autem infantes in ea. dixit autem, Si sic mihi futurum est fieri, quare mihi hoc? Abiit autem interrogare Dominum, & ait Dominus illi, Duæ gentes in utero tuo sunt: & duo populi ex ventre tuo diuidentur, & populus populum superabit, & maior seruiet minori. Et impleti sunt dies ut pareret ipsa: & huic erant gemini in utero eius. Egressus est autem primogenitus rufus totus, & sicut pellis hispidus. vocauit autem nomen eius Esau. Et post hoc egressus est frater eius, & manus eius apprehendens calcaneum Esau: & vocauit nomen eius Iacob. Isaac autem erat annorum sexaginta, quando peperit eos Rebecca. Creuerunt autem iuuenes. Et fuit Esau homo sciens venari, rusticus: Iacob autem fuit homo simplex habitans domum. Dilexit autem Isaac Esau, quia venatio illius cibus ei:

Rebecca autem diligebat Iacob. Coxit autem Iacob coctionem lentis: venit autem Esau de agro deficiens. Dixit autem Esau Iacob: Ciba me de coctione tua rufa hac, quia deficio. Propter hoc vocatum est nomen eius Edom. Dixit autem Iacob Esau: Vende mihi hodie primogenita tua. Dixit autem Esau: Ecce ego vado mori, ut quid mihi ista primogenita? Et dixit ei Iacob: Iura mihi hodie. Et iurauit ei. Vendidit autem Esau primogenita sua. Iacob autem dedit Esau panem, & coctionem lentis, & comedit, & bibit, & surgens abiit: & vilipendit Esau primogenita sua.

*De commendatione sancti Isaac tam ex paterna origine & gratia, quam ex dominice generationis & passionis prefiguratione, quæ & nomine suo significatur, ac de apertione mysterij inter Christum per Isaac designati, & animam representatam per Rebeccam. C.A.P. I.*

**I**N patre Abraham, sancti Isaac vel origo satis est nobis expressa vel gratia: cum ad omnem redundat gloriam, quod tanto & tam imitabili viro natus ipse in præmium fuerit. Necnon & illud est mirabile, quod in eo dominice generationis & passionis figura præcesserit. Siquidem & sterilis anus ex promissione Dei concepit eum, ut crederemus quod potens est Deus facere, ut possit & virgo generare: & oblatu vnice ad inmolandum, qui & patri non periret, & impleret sacrificium. Itaque ipso nomine figuram & gratiam signat. Isaac etenim risus Latine significatur. Risus autem insigne lætitiæ est. Quis autem ignorat quod is vniuersorum lætitia sit, qui mortis formidolosæ vel pauore compresso, vel mœrore sublato, factus omnibus est remissio peccatorum? Itaque ille nominabatur, & iste designabatur: ille exprimebatur, & iste annuntiabatur. Ipse est quem iam tunc persequebatur ancilla, ipse est propter quem iam tunc dicebatur, Ellice ancillam & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Ipse est cui pater alienigenam acquisiuit sponsam. Ipse est mitis, humilis, atque mansuetus, qui veniente Rebecca, hoc est patientia, exiuit in campum se exercere. Sapientis enim est segregare se à voluptatibus carnis, cleuare animam, atque à corpore abducere: hoc est enim se hominem cognoscere. Qui Chaldæorum sermone Enos dicitur, Latine homo. Enos autem sperauit inuocare nomen Domini Dei. Non videtur itaque homo esse, nisi is qui in Deum sperat. Qui autem sperat in Deum, placet Deo, mutatur in melius, nec videtur degere in terris, sed quasi translatus adherere Deo. Ideo & de Enoch dicitur, quod non est inuentus, quia transiit cum Deo: quod manifesta interpretatione signatur. Bonus igitur Isaac verus, utpote plenus gratiæ, & fons lætitiæ. Ad quem fontem veniebat Rebecca ut impleret hydriam. Dicit enim scriptura, Quia descendens ad fontem, impleuit hydriam, & ascendit. Descendit itaque ad sapientiæ fontem vel Ec-

Genes. 21.  
Genes. 22.  
Genes. 18.

Genes. 21.

Heb. 2. & 5.

Genes. 21.  
Gen. 24.  
Ibidem.

Genes. 4.

Genes. 5.

Ioan. 1.  
Genes. 24.

clesia,

clesia, vel anima, ut totum vas impleret suum, & hauriret puræ sapientiæ disciplinas, quas haurire ludæi de fonte profluo noluerunt. Quis iste fons sit, audi dicentem, Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Ad hunc fontem currebat sitiens anima prophetarum, sicut & Dauid dicit, Sitiuit anima mea ad Deum viuum; ut sitim suam vbertate diuinæ cognitionis expleret, & insipientiæ sanguinem spiritualium rigatu dilueret fluentorum. Hic est enim fluxus sanguinis, sicut significat lex, qui deoperitur, quando vir sedenti in diebus sanguinis sui mulieri miscetur. Mulier est delectatio corporis. Illecebram itaque caue, ne vigor mentis tuæ coitu quodam corporeæ voluptatis inflexus emolliatur, atque in eius amplexus omnis resoluitur, & fontem eius aperiat, qui debet esse clausus & septus intentionis studio, & consideratione rationis. Hortus enim clausus, fons signatus. Namque mentis vigore resolutio, sensim se corporales delectationes effundunt, perniciosæ nimis, & in appetentiam plenam grauis periculi proruentes: quas, si mentis viuide considerata mansisset custodia, refrænasset.

Gen. 4.

Gen. 46.  
Gen. 6.

Genes. 21.  
Gen. 6.

Gen. 11.  
Gen. 7.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

*De admonitione hominis ut intueatur qui sit, quod salutem suam vitamque tueatur, & quid sit homo: quidve ac qualis sit anima tam secundum sui naturam, quam per irrationabilem sui partem, qua obnoxia sit corruptioni. CAPVT II.*

**I**Ntuere ergo o homo qui sis, quod salutem tuam vitamque tuearis. Quid est itaque homo? Vtrum anima, an caro, an vtriusque copula? Aliud enim nos sumus, aliud nostrum: aliud qui induitur, & aliud vestimentum. Legimus in Genesi, Omnes animæ quæ descenderunt in Ægyptum; de hominibus dictum. Et alibi dictum est, Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quoniam carnes sunt. De alterutro igitur legitur, quia homo dicitur & de anima & de carne. Sed illa discretio est, quod vbi anima pro homine ponitur, significatur Deo adherens, non corpori, ut est illud, Anima benedicta omnis simplex. Vbi autem caro pro homine nuncupatur, peccator exprimitur, ut est illud, Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. quod enim operor, non cognosco. Non enim quod volo ago, sed quod odi, illud facio. Hoc iam posterius de vtroque. Alius est enim qui vult, alius qui odit, alius qui facit. Denique addidit, Si ergo quod odi, hoc facio, consentio legi, quoniam bona est: nunc autem iam non ego illud operor, sed quod habitat in me peccatum. Illud quoque expressius: Video legem carnis meæ repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Et tamen cum vtrumque in se concertantem hominem declarasset, hoc est, interiorem & exteriorem: in animæ magis quam in carnis parte se maluit constituere quod anima sua traheretur captiua ad peccatum, in qua esse se mallet, & esse confirmat, dicens, Infelix ego homo, quam meli liberabit de corpore mortis huius? Tamquam ab extraneo hoste, ita se desiderat liberari à carne. Non ergo sanguis anima, quia carnis est sanguis: neque harmonia anima, quia & huiusmodi harmonia carnis est: neque aer anima, quia aliud est flatilis spiritus, aliud anima: neque ignis est anima, neque entelechia

anima: sed anima est viuens, quia factus est Adam in animam viuentem, eo quod insensibile atque exanimè corpus anima viuificet & gubernet. Est & præstantior homo, de quo dicitur, Spiritalis autem diuidat omnia, ipse autem à nemine iudicatur. Hic est homo quod memor es eius, aut filius hominis, quod visitas cum? Homo vanitati similis factus est. Non ille secundum imaginem Dei homo vanitatis est: sed qui illud amisit, & in peccatum decidit, & in materialia ista dilapsus est, iste homo est vanitatis. Anima igitur secundum sui naturam optima est, sed plerumque per irrationabile sui obnoxia fit corruptioni, ut inclinetur ad voluptates corporis & appetentiam, dum mensuram rerum non tenet, aut fallitur opinionone, atque inclinata ad materiam, agglutinatur corpori. Sic rationabile eius impeditur, & malitia repletur: quia dum intendit malitiæ, eius se vitis replet, & fit defectu bonitatis intemperantior.

*De perfecta anima primique processu eius descriptione, quomodo charitatis impatiens, & verbi moras non ferens, rogabat ut oscula mereretur, & meruit desideratum videre. C.A.P. III.*

**P**erfecta autem anima auersatur materiam, omne immoderatum, mobile, malignum refugit ac respuit: nec videt, nec appropinquat ad illius terrenæ labis corruptionem; diuinis intendit, terrenam autem materiam fugit. Fuga autem est, non terram relinquere, sed esse in terris, iustitiam & sobrietatem tenere: renuntiare vitis, non vsibus elementorum. Fugiebat Dauid sanctus à facie Saul, non utique, ut terras relinqueret, sed ut immittis & inobseruantis & perfidi declinaret contagium. Fugiebat autem adherens Deo, sicut & ipse ait: Adhæsit anima mea post te. Abducebat se, & abluabat vitis sæculi huius, exercebat animam suam sicut Isaac in campo, vel abalienabat, vel (ut alij habent) deambulabat. Nam hoc quoque ostendit cum virtutibus familiare habere consortium, ut deambulet vnusquisque in innocentia cordis sui, nullo vsu terrenis vitis miscetur, atque irreprehensibilem viam inoffenso mentis carpat vestigio, nec vllum locum in se aperiat corruptioni. Talis erat Isaac eum Rebeccam aduenientem expectaret, præparans se copulæ spirituali. Veniebat enim iam cælestibus dotata mysterijs, veniebat magna sequam ornamenta atrium & manuum ferens, eo quod auditu & operibus emineat Ecclesiæ pulchritudo, cui recte dictum aduertimus: Esto in millia millium, & semen tuum possideat aduersariorum ciuitates. Decora igitur Ecclesia, quæ ex inimicis gētibus filios acquisiuit. Sed potest hoc etiam ad animam deputari, quæ passiones corpori subigit, & ad virtutum officia conuertit, repugnantemque motus sibi obediens efficit. Ergo vel animam patriarchæ videns mysterium Christi, videns Rebeccam venientem cum vastis aureis & argenteis, tamquam Ecclesiam cum populo nationum, mirata pulchritudinem verbi, & sacramentorum eius, dicit, Osculetur me ab osculis oris sui. Vel Rebecca videns verum Isaac, verum illud gaudium, veram lætitiā, desiderat osculari. Quid est igitur, Osculetur me ab osculis oris sui? Confide-

Genes. 2.  
1. Cor. 2.  
psal. 8.  
psal. 143.

1. Reg. 21.  
De pæn. dist.  
2. c. ut cognouerunt. S. f. i. g. e. r. a. t.  
psal. 62.  
psal. 107.

Genes. 24.

Ibidem.

Causis. 7.

Cantic. 2.  
Cant. 1.

Luca 7.

Psal. 118.

Cantic. 1.

Ibidem.

Psal. 102.  
Ibidem.

2. Tim. 2.  
Psal. 18.  
Cant. 1.

ra vel Ecclesiam iam diu promisso sibi per prophetas dominico aduentu per tempora multa suspensam, vel animam que eleuans se à corpore, abdicatis luxuria atque deliciis, voluptatibusque carnalibus, iam dudum infusionem sibi diuinæ præsentia, & gratiam verbi salutari exoptet, commacerari quòd serò veniat, & affligi. Ideoque quasi vulneratà charitate, cum moras eius ferre non possit, conuersam ad patrem rogare, vt mittat sibi Deum verbum: & causam qua sit ita impatiens, declarare, dicentem, Osculetur me ab osculis oris sui. Non vnum osculum querit, sed plura oscula, vt desiderium suum possit explere. Quæ enim diligit, non est vnus osculi paritate contenta, sed plura exigit, plura vendicat, & ita se amplius dilecto commendare consuevit. Denique illa in Euangelio sic probata est, quia non cessauit, inquit, osculari pedes meos: & ideo remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Ergo & hæc anima oscula verbi multa desiderat vt illuminetur diuinæ cognitionis lumine. Hoc est enim osculum verbi, lumen scilicet cognitionis sacræ. Osculatur enim nos Deus verbum, quando cor nostrum, & ipsum principale hominis spiritu diuinæ cognitionis illuminat, quo anima dotata charitatis pignore nuptiali, læta atque ouans dicit, Os meum aperui, & dixi spiritum. Osculum est enim quo inuicem amantes sibi adhærent, & velut gratiæ interioris suauitate potiuntur. Per hoc osculum adheret anima Deo verbo, per quod sibi transfunditur spiritus osculantis: sicut etiam ij qui se osculantur, non sunt laborum prælibatione contenti, sed spiritum suum sibi inuicem videntur infundere. Ostendens itaque non solam speciem verbi, & vultum quendam, sed omnia eius interiora diligere, adiungit ad osculorum gratiam: Quia bona, inquit, vbera tua super vinum, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Illa osculum poposcit, Deus verbum se ei totus infudit, & nudauit ei vbera sua; hoc est, dogmata sua, & interioris sapientiæ disciplinas, & vnguentorum suorum dulci odore fragrauit. Quibus capta, iam dicit vberiorum esse iucunditatem diuinæ cognitionis, quam latitiam omnis corporis voluptatis. Aspirat enim in verbo odor gratiæ, & remissio peccatorum, quæ in totum diffusa mundum, omnia tamquam exinanito repleuit vnguento; quia per vniuersos grauis vitiorum colluuiis deterisa est. Propterea, inquit, adolecentulæ dilexerunt te. Attrahe nos, post odorem vnguentorum tuorum curramus. Bona quidem prudentia, sed dulcis misericordia. Illam enim pauci assequuntur, hæc ad omnes peruenit. Propter hanc, inquit, indulgentiam tuam diligunt te animæ renouatæ spiritu. Vnde & ad animam dicitur, Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Ad animam enim loquebatur, dicens, Benedic anima mea Dominum. Et ideo festinat ad verbum, & rogat vt attrahatur, ne fortè derelinquatur: quia currit Dei verbum, & non est alligatum. Denique exultat tamquam gigas ad currendam viam. Et quia egressus eius à summo caelo, & occursum eius vique ad summum eius: videns se imparem tantæ velocitati, dicit, Attrahe nos. Bona anima, quæ non pro se sola, sed pro omnibus rogat: Attrahe, inquit,

nos. Habemus enim cupiditatem sequendi, quam vnguentorum tuorum inspirat gratia. Sed quia cursus tuos æquare non possumus, attrahe nos, vt auxilio tuo fulta, vestigiis tuis possumus insistere. Si enim tu attraxeris, curremus & nos, & spiritalia velocitatis flabra capiemus. Deponitur enim sarcina quibus manus tua fulcro est: & oleum tuum infunditur, quo curatus est ille qui à latronibus vulneratus est. Ac ne impudens tibi videatur quòd ait, Attrahe nos; audi dicentem, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Vides quòd libenter nos attrahit, ne remaneamus sequentes. Sed qui vult attrahi, curat vt comprehendat: & currat, superiora obliuiscens, & ea quæ sunt priora appetens. sic enim poterit Christum comprehendere. Vnde & Apostolus ait, Sic currite vt comprehendatis. Vult & ista ad brauium peruenire, quæ desiderat comprehendere. Prudenter ergo rogat vt attrahatur, quia non omnes sequi possunt. Denique Petro dicenti, Quòd vadis? respondit verbum Dei: Non potes me sequi modò, sequeris autem postea. Clauis ei commiserat regni caelorum, & sequendo se in parem iudicauit. Hanc tamen animam non distulit: quia non præsumebat, sed rogabat. Denique ait, Introduxit me rex in cubiculum suum. Beata anima, quæ verbi ingreditur penetralia. Insurgens namque de corpore, ab omnibus sit remotior, atque intra semetipsam diuinum illud si quo modo assequi possit, scrutatur & querit. Quod cum potuerit comprehendere, ea quæ sunt intelligibilia supergressa, in illo confirmatur, atque eo pacitur. Talis erat Paulus, qui sciebat se raptum in paradysum: sed siue extra corpus raptum, siue in corpore, nesciebat. Assurrexerat enim anima eius de corpore, & se à visceribus & vinculis carnis abduxerat atque eleuauerat, factusque à semetipso alienus, intra semetipsum tenuit verba ineffabilia quæ audiuit, & vulgare non potuit, quia aduertit, ea loqui homini non licere. Anima ergo bona contemnit visibilia & sensibilia, nec consistit in eis, nec in suspiciendis his immoratur & residet, sed ascendit ad illa æterna & inuisibilia, & plena miraculis, puro sensu se præ mentis attollens. Etenim perfectioni studens, solum illud bonum diuinitatis intendit, nec aliud quidquam requirendum putat; quia tenet quod summum est. Itaque vir huiusmodi, in quo est animæ pulchritudo, solus sibi abundat, quia ipse sibi est satis. Nec solus aliquando est, cui præsul Dominus adest.

*De secundo perfecta anima processu, quòd in spòsi cubiculum introducta se ipsam cognoscat, vt mereatur perfectiorem ascendere gradum, Rebecca exemplo. CAP. IIII.*

Denique in illud diuini illius introducta secreta, Exultemus, inquit, & lætemur in te, diligamus vbera tua super vinum. Non enim in diuitiis auri, argentique thesauris, non in possessionum fructibus, non in potestatibus, non in conuiujs, sed in solo Deo exultat. Eadem tamen anima cognoscens se corporis societate fuscata, dicit ad alias animas, vel ad caelestes & appofitas sacro ministerio potestates: Nolite aspicer me quòd obfusata sum: quoniam non est intuitus me sol. Filij matris meæ pugnauerunt

Luca 10.  
Matth. 11.

Philip. 3.  
1. Cor. 9.

1. Ioh. 13.  
Matth. 16.

Cantic. 1.

2. Cor. 12.

Ibidem.

Rom. 10. ex  
Esa. 52.  
Exod. 3.

Cantic. 1.

1. Cor. 9.  
Luc. 17.  
Cant. 1.  
Ibidem.

Cantic. 1.

Ibidem.

Isaia 5.

Cant. 1.

Gen. 34.

Psal. 36.

Mat. 9.

Cantic. 1.

Rom. 10. ex  
Esa. 52.  
Exod. 3.

Cantic. 1.

1. Cor. 9.  
Luc. 17.  
Cant. 1.  
Ibidem.

Num. 24.

gnauerunt aduersum me: hoc est, impugnauerunt me corporis passiones, carnis illecebræ decolorauerunt me: ideo mihi sol iustitiæ non refulfit. Quo viduata præsidio, deuotionem meam, & obseruantiam plenam seruare non potui. Hoc est enim, Vineam meam non custodiui, quia spinas & nõ vnam attulit: id est, faciens peccata pro fructibus. Et cum de verbo loquitur, irradiante sibi verbi splendore conuersa ad ipsum dicit, Vbi pascis? vbi manes in meridiano? Rectè dicit, Vbi pascis, quia regale est Dei verbum: Vbi manes, quia morale: In meridiano, quia mysticum. Siquidem quia meridie Ioseph cum fratribus suis in conuiuio constitutus, futurorum temporum mysteria reuelabat. Sed etiam Dauid ait, Reuera ad Dominum viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet: & educt sicut lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tamquam meridiem. Et ipse Paulus circumfulsisse sibi lumen meridie asseruit, quando à persecutione est conuersus ad gratiam. Queritur ergo quòd derelicta sit, quòd destituta sit pauper ex diuite. Abundabat enim munere gratiarum, sed egere cœpit vbi diuinæ præsentia sibi copia denegata est: & ideo vel quasi mercenaria habere postulat, quæ ante sibi pretiosioris copulæ gratiâ vendicabat. Cui respòdit verbum Dei, Nisi cognoscas te decora inter mulieres, quæ quereris quòd relicta sis: nisi te cognoscas, nisi te pœniteat lapsus tui, nisi intentionem deuotionis approbes, nisi fides tua & sinceritas augeatur, querela nihil proderit. Ac sic, Nisi cognoscas te quia decora es, nisi pulchritudinem naturæ tuæ serues, & corporis te illecebræ non demergant, nec impedimenta detineant: nihil tibi naturæ melioris nobilitas suffragabitur. Cognosce igitur te, & naturæ tuæ decorem, & exi quasi exuta vinculis pedem, & nudo exerta vestigio, vt carnalia integumenta non sentias, vestigium mentis tuæ corporalia vincla non implicent, vt pes tuus speciosus appareat. Tales enim sunt qui ad regnum caelorum annuntiandum eliguntur à Domino, de quibus dictum est, Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem? Talis Moyses, cui dicitur, Solue calciamentum pedum tuorum, vt vocaturus populum ad Dei regnũ, prius carnis exuuias deponeret, & nudo spiritu vestigioque mētis incederet. Hoc est ergo quod ait, Exi tu in calcaneis gregum, & pascce hœdos tuos in tabernaculis pastorum: quia per greges regnum intelligimus, eo quòd potestatis sit gregibus præsidere. Præsider autem vnusquisque sibi quadam potestate regali, si coerceat in se corporis luxus, & seruituti redigat carnem suam. Ideoque dictũ est, Regnum Dei intra vos est. Vnde pulchrè ait ad animam, Exi, id est, exi à seruitio, exi à carnis imperio atque dominatu: & exi non in carne, sed in spiritu, exi ad regimen potestatis. Ideoque addidit, Pascce hœdos tuos, hoc est, rege ea quæ in sinistra tua sunt. nam si non regantur, faciliè labuntur. Coerce petulantiam, lasciuam tui corporis, & luxuriam irrationabilem, edoma leues motus, pascce eos non in corporeis tabernaculis, sed in tabernaculis pastorum, qui regere gregem norunt. Sunt enim amabilia tabernacula Israhel, sicut nemora obumbrantia super flumen: in quibus anima tamquã in procinctu bellico sita bonam exercet militiam, incursum explorat

hostiles. Virtutis labor querit victoriam, vt possit equæ illi quæ Salomonis est comparari, velox ad currendum, habilis ad partum: quoniam fecunditas animæ desideratur & queritur. Hæc ergo equa pretiosa, & currus Pharaonis veloces: quod aliqui ad Ecclesiam referunt & ad populum. Sed de hoc mysterio alibi sapius diximus, & maxime in Psalmo centesimo octauo decimo. Hoc autem loco de anima dicendum suscepimus. Huius equæ similis æstimatur hæc anima: hoc est, prophetica vel apostolica virtus: eo quòd in eorum annumeretur orbem, qui fecunditate prædicationi suæ totius orbis terrarum spatia refererunt, & quamuis in corpore constituti, nulla tamen cursus spiritualis fensere dispendia. Ideoque laudatur, quòd caelesti sibi illuminante præcepto, iam speciosa, iam pulchra sit, quæ vultu præferat castitatis decorem, & redimicula cervicis attollat, in qua sunt patientiæ & humilitatis insignia. Talis animæ diligebat Isaac verus decorem, humilitatem, patientiam: & ideo partus eius auidè requirebat. Concepit autem Rebecca, & patientia sua nodum sterilitatis absoluit. Quid autem pariat prophetica atque apostolica anima, consideremus, & quomodo pariat: *Abiit* (inquit) *interrogare Dominum*, quia exultabant infantes in vtero eius. Et responsum accepit, *Due gentes in vtero tuo sunt, & duo populi, &c.* eo quòd nihil sponte præsumat, sed in omnibus summum Deum præfulem poscat suorum consiliorum, simul plena pacis atque pietatis, duos populos sua fide & prædicatione connectat, & tamquam vtero suo claudat.

Genesis Cap. XXVI.

FACTA est autem fames super terram, abfque fame priore quæ fuit in tēpore Abraham. Et abiit Isaac ad Abimelech regem Philistiim in Gerara. Apparuit autem ei Dominus, & dixit, Ne descendas in Ægyptum: habita autem in terra quam tibi dixero. & habita in terra hac, & ero tecum, & benedicam tibi. Tibi enim & semini tuo dabo terram hæc, & statuam iuramentum meum, quod iuravi Abraham patri tuo. Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli: & dabo semini tuo omnem terram hanc, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quòd obediuit Abraham pater tuus meæ voci, & custodiuit omnia præcepta mea, & mandata mea, & iustificationes meas, & omnia legitima mea. Habitauit autem Isaac in Geraris, & interrogauerunt viri loci de Rebecca vxore sua; & dixit, Soror mea est. Timuit enim dicere quòd vxor mea est, ne fortè interficerent eum viri loci pro Rebecca, quia erat pulchra aspectu. Fuit autem multo tempore illic. Prospiciens autem Abimelech rex per fenestrâ, vidit Isaac ludentem cum Rebecca vxore sua. Vocauit

Cantic. 1.  
Serm. 2. in  
Psal. 118.



autem Abimelech Isaac, & dixit ei, Vtique vxor tua est: cur dixisti, quod soror mea est? Dixit autem ei Isaac, Dixi enim, ne forte moriar propter illam. Dixit autem illi Abimelech: Quid hoc fecisti nobis? Ferè quis dormiuisset ex genere meo cum vxore tua, & induxisses super nos ignorantiam. Præcepit autem Abimelech omni populo suo, dicens, Omnis qui tetigerit hominem hunc & vxorè eius, mortis reus erit. Seminauit autè Isaac in terra illa, & inuenit in anno illo centuplicatum hordeum. Benedixit autem ei Dominus, & exaltatus est homo: & proficiens maior factus est, donec magnus factus est valdè. Fuerunt autem ei armenta ouium, & armenta bouù, & agricolationes multæ. Inuiderunt autè ei Philistiim, & omnes puteos quos foderat serui patris sui, obstruxerunt eos in tēpore patris sui Philistiim, & impleuerunt eos terra. Dixit autè Abimelech ad Isaac: Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valdè. Et discessit Isaac inde, & mansit in valle Gerarorù, & habitauit illic. Et rursus Isaac fodit puteos aquæ, quos foderunt serui Abraham patris sui, & obstruxerunt eos Philistiim, postquam mortuus est Abraham pater eius. Et posuit eis nomina secundum nomina quæ nominauit pater eius. Et foderunt serui Isaac in valle Gerarorum, & inuenit illic puteum aquæ viuæ. Et litem fecerunt pastores Gerarorum cum pastoribus Isaac, dicentes suam esse aquam. Et vocauerunt nomen loci illius, Iniustitia. Iniustitia enim affecerunt eum. Profectus autem inde, fodit puteum alium. Rixati sunt autem & de illo: & vocauit nomē loci illius, Inimicitia. Profectus autè inde, fodit puteum aliū, & non pugnaverunt pro eo: & vocauit nomē eius, Latitudo, dicens, Quia nunc dilatauit Dominus nobis, & auxit nos super terram. Ascēdit autem inde ad Puteum iuramenti, & apparuit illi Dominus in nocte illa, & dixit, Ego sum Deus Abraham patris tui: ne timeas, tecum enim sum, & benedicā tibi, & multiplicabo semen tuum propter Abraham patrem tuum. Et ædificauit ibi altare, & inuocauit nomen Domini: & fixit illic tabernaculum suum. Foderunt autem ibi serui Isaac puteum in valle Gerarorum. Et Abimelech iuit ad eum de Geraris, & Hochozath pronubus eius, & Phichol dux exercitus eius: & dixit eis Isaac, Vt quid venistis ad me? vos autem odistis me, & expulistis me à vobis. Et di-

xerunt ei, Videntes vidimus quia Dominus erat tecum, & diximus, Sit imprecatio inter te & inter nos, & disponemus tecum fœdus, nō facere nobiscum malum, sicut non abominati sumus te nos, & quemadmodum vsi sumus te bene, & dimisimus te cū pace: & nunc benedictus tu à Domino. Et fecit eis conuiuium, & comederunt & biberunt. Et surgentes mane, iurauit vnusquisque proximo: & dimisit eos Isaac. Et discesserunt ab eo cum salute. Factum est autem in die illa, & venientes serui Isaac, nuntiauerunt ei de puteo quem foderunt, & dixerunt ei, Inuenimus aquam, & vocauit eum, Iuramentum. Propter hoc vocauit nomen ciuitati illi, Puteus iuramenti, vsque in hodiernum diem. Erat autem Esau annorum quadraginta, & accepit vxorem Iudith filiā Beor Chettai, & Basemath filiam Elom Chettai. Et erant contententes cum Isaac & Rebecca.

*Habitauit autem Isaac in Geraris, & interrogauerunt viri loci de Rebecca vxore sua, & dixit, Soror mea est. Rebecca non immeritò soror magis quam vxor appellatur, eo quòd mitis atque pacifica anima communis magis pietatis quam specialis copulæ nomen accipiat: & quia vniuersis magis quam vni se existimet alligatam. Et vnus Isaac fodit puteos aquæ, quos foderunt serui Abraham, &c. Fodit puteos Isaac, & plurimos quidem, nam quos foderat Abraham pater eius, obstruxerunt, & impleuerunt terra post mortem Abraham alienigenæ. Præ ceteris verò fodit hos puteos: vnum in valle Gerarorum, & inuenit ibi puteum aquæ viuæ: & litem fecerunt pastores Gerarorum cum pastoribus Isaac, eo quòd aquam sibi eius putei quasi propriam vendicabant: & vocauit nomen eius, Iniustitia. Et fodit alium, in quo orta est disceptatio, & imposuit illi nomen, Inimicitia. Et fodit tertium, in quo lis nulla inter pastores commissa est, & vocauit eum, Latitudo. Fodit & alium puteum: & nuntiatè serui inuenisse se in eo aquam, vocauit eum, Puteum iuramenti. Quis hæc legens, terrena magis quam spiritalia opera esse arbitretur, quòd vel Abraham fodit puteos, vel Isaac, tanti videlicet patriarchæ, vel etiam Iacob, sicut & in Euangelio reperimus, velut fontes quidam generis humani, & specialiter deuotionis ac fidei? Quid est enim puteus aquæ viuæ, nisi profundæ altitudinis doctrinæ? Vnde & Agar ad puteum angelum vidit, & Iacob ad puteum Rachel sibi inuenit vxorem. Moyse quoque secus puteum futuri locauit merita prima coniugij. A puteo igitur visionis aperire Isaac adorsus est puteos, & bono ordine, vt eius putei aqua primùm rationabile animæ, oculumque eius dilueret & foueret, quòd visum eius faceret clariorem. Fodit etiam alios puteos plures. Vnde & scriptum est, Bibe aquam de tuis vasis, & de puteorum tuorum fontibus. Quanto plures fuerint, tanto est vberior*

Ioan. 4.

Genes. 16.

Gen. 29.

Exod. 2.

Prover. 5.

ephef. 2.

osee 10.

1. Ioan. 4.

Prou. 5.

Ibidem.

Eclli. 2.

Cantic. 4.

1. Cor. 13.

rior redundantia gratiarum. Fodit tamen puteum, quem foderat pater Abraham, de quo litem fecerunt pastores Gerarorum, hoc est, maceria. Vbi enim maceria, ibi diuisio inter repugnantes, ibi iniustitia: & ideo vocauit iniustitiam. Aliam quoque fodit, & orta disensione vocauit eum Inimicitias. In quibus videtur elucere doctrina moralis, eo quòd sublato pariete maceriæ, solutæ sint in carne hominis inimicitia, & facta sint vtraque vnum in figura per Isaac, in veritate per Christum: meritòque postea pura aqua in eo puteo sit reperta, tamquam doctrina moralis, utilis ad hauriendum. Puteus quoque Latitudinis quid aliud significat, nisi de naturalibus disciplinā? Qua causa & latitudo dicitur, quia sine contentione, sine lite iam quietus atque securus est qui mundana hæc & sensibilia fuerit supergressus. Vnde superatis iam aduersantibus & alienigenis cogitationibus (quid enim tam alienū quam omnia sæcularia, quæ perpetua esse non possunt?) potest sapiens dicere, *Dilatauit nunc Dominus nobis, & auxit nos super terram*, quia terrena transcendit. Vltimus est puteus Iuramenti, in quo ei visus est Deus, & ait, *Ego sum Deus Abraham patris tui: ne timeas, tecum enim sum*. Et benedixit ei. Hæc doctrina iam mystica est. Habes hæc in Salomone: quia Prouerbia eius moralia, Ecclesiastes naturalis, in quo quasi vanitates istius despicit mundi: mystica eius sunt Cantica canticorum. Habes & in Propheta, Seminate vobis in iustitia, vindemiate fructum vitæ, illuminare vobis lumen cognitionis. Hoc est enim lumen cognitionis, habere charitatis perfectionem. Ideoque dictum est, *Ne timeas*. Charitas enim timorem excludit foras. Vt cognoscamus autem quia Salomon ita hos interpretatus est puteos, vt ad moralè doctrinā & naturalè referret, & mysticā: in singulis libris suis, quos de moralibus, vel naturalibus, vel mysticis scripsit, posuit hos puteos. Nā & in Prouerbiis cum declinandam speciem diceret sæcularis illecebræ, ait, Bibe aquam de tuis vasis, & de puteorum tuorum fontibus, & supereffluant tibi aquæ de tuo fonte. Et infra, Fons aquæ tuæ sit tibi proprius, & iucundare cum vxore quæ ab adolescentia tua. eo quòd aduersus tentamenta mundi remediū nobis vera sapientia sit; moralis quoque doctrina, quæ imaginè mundanæ voluptatis meretricis quibusdam illitam fucis irriguo suo diluat, & fluento sui fontis abstergat. De naturalibus quoq; habes in Ecclesiaste dictum: Feci mihi piscinas aquarum ad irrigandum ex his saltum germinantem. Neque te moueat quòd pro puteo piscinas posuit: quia & Moyses puteum Latitudinis dixit, eo quòd à sollicitudine omni & angustiis soluitur qui mundum hunc pia mente transcendit. Non immeritò ergo piscinas habet Ecclesiastes, qui vidit nullam abundantiam esse sub sole: sed si quis abundare velit, in Christo abundet. Et de mysticis puteus superest nobis, quem etiam ipsum reperimus in Canticis canticorum, dicente scriptura, Fons hortorum puteus aquæ viuæ, & impetu descendens à Libano. Etenim si mysteriorum altitudinem persequeris, puteus tibi videtur, tamquam in profundo sita mystica esse sapientia: si verò haurire velis affluentia charitatis, quæ maior & vberior est quàm fides & spes, tunc tibi fons est. Exuberat

enim charitas, vt & haurire eam cominus, & rigare eius affluentia hortum tuum possis, spiritalibus fructibus redundantem. Et quia ipse puteus latitudinis est, qui charitatem habet, ideo dixit, quia vbi charitas est, ibi impetus magnus descendit à Libano. Ne quid autem moueat quòd & puteum & fontem eundem dixit: etiam Euangelium te instruat, in quo scriptum est, Quia venit Iesus in ciuitatem Samarig, quæ dicitur Sychar, iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Et fatigatus, inquit, sedebat sic super puteum. Vnde ad mysticam doctrinam hunc referri puteum etiam ibi cognoscimus: quia ibi Samaritana illa, id est custos, (custos autem cælestium præceptorum) hausit de puteo illo diuina mysteria, cognoscens quia Deus spiritus est, & non in loco adoratur, sed in spiritu: & quia Messias venit, qui Christus est. Et ideo qui adhuc expectatur à Iudæis, iam venit. Quibus auditis, mulier illa quæ speciem Ecclesiæ gerit, legis sacramenta cognouit, & credidit. In ipso quoque Canticorum libro Salomon hanc triplicem sapientiam euidenter expressit, sicut in Prouerbiis dixerat: vt tripliciter sibi scriberet qui sapientiam eius vellet audire. Ait ergo in Canticis sponsa de sponso: Ecce pulcher es confobrinus meus, ecce pulcher es & decorus, acclinatio nostra opaca, trabes domorum nostrarum cedri, lacunaria nostra cupressi. Possumus hoc de moralibus accipere. Vbi enim requiescit Christus & Ecclesia, nisi in operibus suæ plebis? Denique vbi impudicitia, vbi superbia, vbi iniquitas erat, ibi ait Dominus Iesus, Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. De naturalibus autem quid accipiamus? In vmbra, inquit, eius concupiui & sedi, & fructus eius dulcis in faucibus meis. Qui enim terrena supergreditur, & cui mundana moriuntur (quoniam crucifigitur ei mundus, & ipse mundo) omnia quæ sunt sub sole, refugit & contemnit. De mysticis quoque ait, Introducite me in domum vini, constituite in me charitatem. Etenim sicut vineam suam vitis, ita Dominus Iesus populum suum quasi vitis æterna quibusdam brachiis charitatis amplectitur. Considera singula. In moralibus flos est, inter spinas lilium, sicut ipse ait, Ego flos cæpi, & lilium conualliu. In moralibus flos est, sicut in naturalibus sol iustitiæ, qui oriens & resurgens illuminat, occidens obumbrat. Caue ne tibi occidat, quia scriptum est, Sol non occidat super iracundiam vestram. In mysticis charitas est, quia plenitudo legis est Christus. Et ideo Ecclesia quæ diligit Christum, vulnerata est charitate. Hanc itaque charitatem suscitatur & resuscitat, donec vocem eius accipiat, & presentiam eius accersat: quia quæ situs non solum venit, sed etiam saliens venit. Saliens super montes, & transiliens super colles. Super maioris gratiæ animas salit, inferioris transilit. Vel sic, saliens quomodo venit? Saltu quodam venit in hunc mundum. Apud patrem erat, in Virginem venit, & ex virgine in præsepe transiliuit. In præsepi erat, & fulgebatur in cælo: descendit in Iordanem, ascendit in crucem: descendit in tumulum, surrexit è tumulo, & sedet ad patris dexterā. Inde quasi hinnulus ceruorum, qui desiderat ad fontes aquarum, descendit ad Paulum, & circumfulsit eum, & exiliuit super Ec-

Cantic. 4.

Ioan. 4.

Ibidem.

Prover. 22.

Cant. 1.

Matth. 8.

Cant. 2.

Galat. 6.

Cantic. 3.

Ibidem.

Ephef. 4.

Rom. 10.

Cant. 2.

Ibidem.

Lucæ 2.

Lucæ 3.

Lucæ 23.

Matth. 16.

psal. 41.

Ait. 9.

Ephes. 2. Cantic. 2. Esa. 24. Luc. 12. Cantic. 2. Ibidem. 1. Cor. 7. Ioh. 16. Cantic. 2. Eccli. 9. Cant. 2. Ibidem. Luc. 15. Cantic. 2. Ibidem. Dem. 32.

clesiam suam, quæ est Bethel, quod dicitur domus Dei. Pauli enim vocatio, Ecclesie firmitudo est. Venit ergo, & primò post parietem est, vt inimicitias animæ & corporis soluat, sublato pariete qui impedimentum concordie videbatur afferre. Deinde prospicit per fenestras. Quæ sint fenestræ, audi Prophetam dicentem. Fenestræ apertæ sunt è cælo. Prophetas vtique significat, per quos Dominus genus respexit humanum, priusquam in terras ipse descenderet. Et hodie si qua eum anima multum requirat, multum merebitur misericordie: quoniam qui multum requirit, plurimum debetur ei. Si qua ergo anima eum studiosus quærat, longè audit vocem eius: & quamuis ab aliis requiratur, præ ipsi à quibus quæritur, audit vocem eius. Videt eum salientem ad se venire, id est, properantem atque currentem, & transilientem eos qui infirmo corde virtutem eius capere non possunt. Deinde prospicientem per ænigmata prophetarum legendo eos, & tenendo eorum sermones, videt eum prospicientem, sed quasi per fenestram, non adhuc quasi presentem. Videt eminentem super retia, Quid est hoc, nisi fortè quia illa retia nobis sunt, non illi? Retia, eo quod adhuc illa anima intra sensibilia & mundana sit, quæ mentem hominis capere, & quodam sinu proprio conuoluerunt inuoluerunt. Posito ergo adhuc in sæcularibus, sed tamen quarenti eum per retia se ostendit. Denique dicit ad animam eiusmodi: Surge, veni proxima mea: id est, surge à delectationibus mundi, surge à terrenis, & veni ad me, quæ adhuc laboras, & onerata es: quia sollicita es quæ sunt mundi. Veni supra mundum, veni ad me: quia ego vici mundum. Veni prope me, ià pulchra æternæ vitæ decore, iam columba, id est, mitis atque mansueta, ià tota plena gratiæ spiritalis. Iure ergo iam retia timere non debet, cum is vocet ad se animam, qui tentamentis & retibus mundi non potuit capi. Nam cum nos homines ambulemus in medio laqueorum, per appetentiam eicæ, retibus simul & laqueis obnoxij sumus. Ille in corpore positus retia non timebat, sed eminebat super retia, id est, super tentamenta mundi, & corporis passiones; immò & alios eminere faciebat. Ideoque & hanc animam fundare volens, dicebat, Surge, veni proxima mea, noli timere retia, iam præterit hyems: id est, venit pascha, venit indulgentia, venit remissio peccatorum, cessauit tentatio, imber abiit, procella abiit & quassatio. Ante aduentum Christi, hyems est: post aduentum eius, flores sunt. Vnde ait, Flores visi sunt in terra. Vbi antè spinæ, ibi nunc flores. Tempus, inquit, secædi aduenit. Vbi antè desertum, ibi messis est. Vox turturis audita est in terra nostra. Bene addidit Propheta, Nostra, quasi admirans quod vbi antè impudicitia, ibi castitas. Ficus protulit grossos suos. Quæ antè quasi infructuosa iubebatur excidi, hæc fructus ferre ià cœpit. Sed quid dubitas quia grossos dixit? Priores decutit fructus, vt posteriores meliores afferat: grossus sicut synagogæ fructus abiicitur, Ecclesie autem renouatur. Et quamuis plena tranquillitas sit, & adoleuerint mysteria, iterum tamen dicit, Surge secura integimento petra, id est, tuta præsidio passionis mee, & fidei munimento. Suxerunt enim mel de petra, & oleum de firmissima petra. Hoc integri-

mento animæ piorum induta, iam nudæ non sunt, & hæc illis est præmunitio. Ideoque & huic animæ ait, Et veni tu columba mea integimero petra iuxta præmunitioem, ostende mihi faciem tuam, & infirma vocem tuam. Hortatur ad confidentiam, vt nò erubescat crucem Christi, nec eius signaculum. Hortatur ad confessionem, vult omnes infidias dimoueri, vt bonus odor fidei spiret, vt dies fulgeat, vt aduersæ noctis umbra non noceat: quoniam qui iuxta Christum est, dicit, Nox præcessit, dies appropinquauit. Est & umbra sæcularium, quæ præterit: & dies cælestium Christus, qui sanctis suis lucet. Accipit hæc anima bona pignora charitatis. De tertio ipsius animæ processu, quo cum in cubili, & noctibus, in ciuitate, in foro, & in plateis quæsitum non reperisset, aliquando orationibus suis gratia quærentem reuocauit, adeo vt ab eius sponsa propius vocaretur. CAP. V. Sed quia verbum Dei sicut caprea exilit, aut sicut hinnulus ceruorum, semper vigilet anima, & præterdat quæ requirit eum, & quæ tenere desiderat. Ideo quasi sublapsus sibi, in cubili, inquit, meo in noctibus quæsiui quem dilexit anima mea. Qui bene quærit, in cubili quærat, in noctibus quærat: nec die feriat, neque nocte sit. Nullum tempus valet à pietatis officio: & si non inuenit primò, perseueret in quærendo. Ideoque dicit, Exurgam itaque, & quæram in ciuitate, in foro, in plateis. Et fortasse ideo non inuenit adhuc, quia in foro quæsiuit, vbi lites sunt: in plateis, vbi munditiarum venalium. Non enim vlla Christus pecunia comparatur. Possumus & sic intelligere: In cubili quærit Christum, qui quærit eum cum tranquillitate, cum pace. In noctibus quærit, quoniam per parabolas loquebatur. Posuit enim tenebras latibulum suum: & nox nocti indicat scientiam. Deinde quoniam quæ dicimus in corde nostro, ea nos compungere in cubilibus debent. Sed tamen nec sic inuenit, & ideo dicit, Exurgam, id est, erigam & attollam intentionem meam, vt quæram impigrè, quæram sollicitè: introibo in ciuitatem. Est & anima quæ dicit, Ego ciuitas munita, ego ciuitas obsessa. Est ciuitas munita per Christum, est ciuitas illa Hierusalem in cælo, in qua abundant diuinæ legis interpretes, & disciplinarum periti, per quos verbum Dei quæritur. Quæram, inquit, in foro illius ciuitatis, in illo foro vbi tractant iura consulti, vbi oleum venditur, quod euangelicæ virgines emunt, vt semper faces suæ luceant, ne eas fumus iniquitatis extinguat. Quæram, inquit, in plateis, in quibus superfluunt aquæ, de illis fontibus prorumpentes, de quibus Salomon dicit esse potandum. Dum quærit igitur Christum, inuenit custodes qui in ministerio sunt: ab his requirit. Sed anima quæ Deum quærit, etiam custodes transit. Sunt enim mysteria quæ etiam angeli concupiscunt videre, vnde Petrus ait, Nuntiata sunt (inquit) vobis per eos quibus euangelizauerunt Spiritu sancto misso de cælo, in quem concupiscunt angeli prospicere. Ergo cum transierit custodes, verbum inuenit. Transiit Ioannes, qui verbum apud patrem inuenit. Multi quoque sunt qui in otio quærunnt Christum, & non inueniunt: & quærunnt eum in persecutionibus,

Cantic. 2. Cantic. 3. Math. 7. Rem. 13. Cantic. 2. Cantic. 3. Ibidem. Math. 13. Psal. 17. Psal. 18. Psal. 4. Esaia 27. Cantic. 3. Math. 25. Prouer. 5. Cantic. 3. 1. Pet. 1. Ioh. 1.

Cantic. 3. Math. 7. Math. 28. Luc. 24. Ioh. 20. Math. 28. Luc. 8. Luc. 6. Ioh. 20. Math. 28. Gen. 3. Cant. 3. De pan. dist. 2. c. sed nec Adam. Cantic. 3. Psal. 15. Cantic. 3. Psal. 140.

tionibus, & citò inueniunt. Et ideo quasi post tationes, quia in periculis fidelium suorum adest, Quam modicè, inquit, cum transiui ab eis, inueni eum, tenui eum, & nò dimisi eum. Omnis enim qui quærit, inuenit: & qui inuenit, adherere debet, ne possit amittere. Et quoniam per Euangelium in terris videmus cælestia mysteria figurata, veniamus ad Magdalenam, veniamus & ad alteram Mariam. Consideremus quemadmodum Christum in cubili corporis sui, in quo defunctus iacebat, in noctibus quæsiuerint, quando dixit illis angelus, Iesum qui crucifixus est quæritis: non est hic, surrexit enim. Quid igitur quæritis viuente cum mortuis? Quid quæritis in sepulcro eum qui iam in cælo sit? Quid quæritis in vinculis sepultura, vniuersorum vincula soluentem? Non sepulcrum huic sedes, sed cælum est. Ideo dixit vna ex his, Quæsiui eum, & non inueni eum. Tamen dū vadunt Apostolis nuntiare, miseratus quærentes, occurrit eis Iesus, dicens, Auetè. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tenet ergo Iesus, sed delectatur sic teneri, quia fide tenetur. Denique delectauit eum & illa mulier quæ tetigit eum, & curata est sanguinis fluxu, de qua dixit, Tetigit me aliquis; nam sentio virtutem de me exisse. Tange ergo, & fide tene eum, & constringe fideliter pedes eius, vt virtus de eo exeat vt sancti animam tuam. Et si dicat, Noli me tangere: tu tene. Semel dixit, Noli me tangere, quando surrexit: & fortè illi dixit quæ putabat furto esse sublatum, & non virtute propria resuscitatum. Denique in alio libro habes, quia tenentibus & adorantibus dixit, Nolite timere. Tene ergo & tu anima, sicut tenebat & Maria, & dic, Tenui eum, & non dimittam; cum dicebant ambæ, Teneamus te. Vade ad patrem, sed nò derelinquas Euam, ne iterum labatur. Tecum eam ducito, iam non errantem, sed arborem vitæ tenentem; tecum rape tuis pedibus inhaerentem. Tecum accedam, noli me dimittere, ne iterum serpens venena sua fundat, ne iterum quærat scemineum mordere vestigium, vt supplantet Adam. Dicat ergo anima tua, Teneo te, & inducam te in domum matris mee, & in secretum eius quæ concepit me, vt cognoscā mysteria tua, vt hauriam sacramenta tua. Suscipe igitur Euam iā non ficulneæ foliis adopertam, sed sancto amictam spiritu, & noua gratia gloriosam: quia iam non tamquam nudata absconditur, sed tãquam circumdata vestimenti splendore fulgentis occurrat, quia vestit eam gratia. Sed nec Adam primò nudus erat, quando eum innocentia vestiebat. Videntes itaque eam filia Hierusalem Christo inhaerentem, & adhuc ascendentem cum eo (dignatur enim quærentibus frequenter occurrere, & condescendere vt eos eleuet) dicunt, Quæ hæc est quæ ascendit à deserto? Desertus hic terræ locus & incultus videtur, sentibus & spinis nostrorum oblitus delictorum: mirantes videlicet quomodo anima quæ antè in inferno derelinquebatur, inhaereat Dei verbo, & ascendat sicut vitis propago, in superiora se subrigens, velut fumus natus ex igne, atque alta petens, tū præterea bonis odoribus fragret. Odor autem ille orationis piæ redolet suauitatem, quæ dirigitur sicut incensum in conspectu Dei. Et in Apocalypsi legitur quod ascendit fumus incensorum

ex orationibus sanctorum: quæ incensa referuntur per angelum super altare illud aureum quod est ante sedem; & tamquam piæ precationis suauis fragrat vnguentum, quia de æternorum & inuisibilium, non de corporalium petitione compositum est: præcipue tamen myrrham redolet & thus, eo quod peccatis mortua sit, & Deo viuatur. Hanc igitur ascendentem & non resistentem videntes, & meritorum eius odoribus delectatæ, agnoscentes quocumque; Salomonis illius pacifici esse sponsam, etiam comitatu sedulo prosequuntur vsque ad lectum Salomonis, eo quod ei vera requies in Christo debeatur. Lectus enim sanctorum Christus est, in quo vniuersorum festa sæcularibus preliis corda requiescunt. In hoc lecto requieuit Isaac, & benedixit filium iuniorum, dicens, Esto dominus fratrum tuorum. In hoc lecto recubans Iacob benedixit duodecim patriarchas. In hoc lecto recubans archifsynagogi filia surrexit à morte. In hoc lecto iacens viduæ defunctus, mortis vincula Christi vocatus voce dissoluit. Perducta igitur sponsa vsque ad sponsi requiem, nuptiale canunt carmen, dicentes filiabus Hierusalem: Egredimini, & videte regem Salomonem in corona qua coronauit eum mater eius in die sponsalium eius. Canunt epithalamium, & vocant cæteras potestates cælorum, vel animas, vt videant charitatem, quam circa filias Hierusalem habet Christus. Vnde & meruit coronari à matre quasi filius charitatis, sicut Paulus ostendit, dicens, Quia Deus eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij charitatis suæ. Charitatis itaque filius & ipse charitas est, non ex accidentibus habens charitatem, sed habens eam substantia sua, sicut regnum, de quo dicit, Ego in hoc natus sum. Ideoque dicunt, Egredimini, id est, exite de sollicitudinibus & cogitationibus sæculi, exite de angustiis corporalibus, exite de vanitatibus mundi, & videte quæ rex pacificus in die sponsalium suorum habeat charitatem, quàm gloriosus sit, quia corporibus resurrectionem dedit, & animas sibi coniunxit. Hæc magni est corona certaminis, hoc præclarum munus sponsalium Christi, sanguis eius & passio. Quid enim plus potuit dare, qui sibi etiam non pepercit, & pro nobis in morte animam suam obtulit? Ipse quoque Dominus Iesus delectatus fide animæ huius, confessionis gratia, & collaudatis eius meritis, propius eam aduocat, dicens, Ades huc à Libano sponsa, ades huc à Libano; transibis & pertransibis à principio fidei, à capite Sanyr & Hermon, à speluncis leonum, à montibus pardorum: hoc est, Egredere de corpore, & totam te exue. Non potes enim mihi adesse, nisi antè peregrineris à corpore: quoniam qui in carne sunt, peregrinantur à Dei regno. Ades, inquit, ades, Bene reperiuit: quia siue præsens, siue absens, adesse & placere Domino Deo tuo debes. Adesto præsens, adesto absens, etsi adhuc in corpore es. Mihi enim omnes præsentem sunt, quorum fides mecum est. Adest mihi, qui exit de sæculo: adest mihi, qui me cogitat, me intuetur, de me sperat, cui ego periorio sum. Adest mihi, qui abfuerit sibi: adest mihi, qui se negauerit sibi. Ille mecum est, qui intra se non est: quoniam qui in carne est, non est in spiritu. Ille mecum est, qui ex seipso egreditur: ille iuxta me, qui extra se fuerit: ille mihi integer, qui propter

Apoc. 8. Rem. 6. Cant. 3. Gen. 27. Gen. 49. Marci. 5. Luc. 7. Cantic. 3. Coloss. 2. Ioh. 18. Cantic. 3. Esai. 53. Cant. 4. 2. Cor. 5. Cantic. 4. Rom. 8.

*Math. 16. Cant. 4.* me perdidit animam suam. Et ideo ades sponsa, transibis & pertransibis à principio fidei. Transibit & pertransibit ceteros, quæ ad Christum peruenit. Transibit fidei merito, & operum claritate, quæ lucet sicut Sanyr & Hermon: hoc est, via lucernæ transibit de uicinis tentationibus sæculi, & superatis nequitias spiritalibus, legitimi petens coronam certaminis, & ideo meruit Christum iudicante laudari. Hortus clausus soror mea sponsa, hortus clausus, fons signatus, emissiones tuæ paradisi malorum granatorum cum fructu pomorum. Laudatur sponsa, eo quod hortus sit, habens in se odorem agri illius pleni, de quo dicit Isaac: Odor filij mei tamquam odor agri pleni. Bona ergo anima fragrat odore iustitiæ. Et fortasse ager est patriarcha, hortus est anima inferioris alicuius, quasi agri portio, & hortus clausus ne incursetur à bestiis: & fons signatus, quæ integritate signaculi perseverante, quæ inde propria peccata diluerit. Nam quæ de Ecclesia accepit, habet quod ad virginitatis gratiam referat, eo quod in paradiso delectationis posita, sine labore fructus capiat spiritalis, ut ei patriarcharum animæ rurali quodam labore fructus suos conferant, quod ista capere possit perpetuam suauitatem. Quæ merito fons signatus dicitur eo quod imago Dei inuisibilis in illa exprimitur. Laudant etiam munera animæ quæ missa sunt à sponso, quibus dotata ueniebat. Dos autem piæ animæ boni odores sunt, myrrha & aloë quibus spirat hortorum gratia, & peccatorum fœtor aboletur. Itaque tanto secura præconio conquiescere Aquilonem grauem ventum petit ne flores decutiat, spirare Austrum: id est, vult hyemem præterire, & mollioris status vernare temperiem. Inuitat sponsum in hortum suum. Descendit sponsum, & fructuum eius diuersitate delectatus, lætatur quod inuenit fortiosem cibum, inuenit etiam dulciorem. Est enim velut panis quidam verbi & mel, alius vehementior, alius suavior sermo. Est & fides alia feruentior, ut vinum: alia placidior, ut succus est lactis. Hunc cibum Christus epularet in nobis, hoc poculum bibit, & eius potus ebrietate nos prouocat, ut ad meliora & optima ab inferioribus faciamus excessum.

*De summaria dictorum perfrictione, cum inductione & prosecutione quarti processus perfecte anime, quo ipsa in dormiens, quamuis corde vigilaret, à sponso excitatur, ut continuo vocem pulsantis audiret: sed moram passa dum surgit (quia velocitatem verbi non potuit comprehendere) dum aperit ostium, transfuit verbum, & ipsa exiit, & per vulnera charitatis requisitum vix tandem inuenit, & tenuit ut postea non amitteret. CAP. VI. M*

*Cant. 5.* **A**vdians hæc anima, hausit mysteriorum ebrietatem caelestium, & velut soporata à vino, & quasi in excessu vel stupore posita dicit, Ego dormio, & cor meum vigilat. Cum verbi præsentis lumine percussa, oculis requieuisset inflexis, excitatur à verbo. Quartus autem hic processus est anima. Primum etenim charitatis impatiens, & verbi moras non ferens, rogabat ut oscula mereretur, & meruit desideratum videre. Secundum, introducta in cubiculum regis, cum mutua misceret alloquia, in umbra eius requie-

*Supra cap. 3. huius libri.*

*Supra cap. 4.* **C**uit, & subito ei verbum medio sermone discessit: quærenti tamen non diu absuit, sed saliens supra montes, & transiliens super colles, aduenit. Nec multo post quasi capreolus aut ceruorum hinnulus, dum affatur dilectâ, exiliuit & reliquit. Tertio cum in cubili, & noctibus, in ciuitate, in foro, & in plateis questum non reperisset, aliquando orationibus suis gratiaque reuocauit, adeo ut etiam propius vocaretur à sponso. Quarto, ipsa iam ab eo dormiens excitatur, quamuis corde vigilaret, ut continuo vocem pulsantis audiret. Sed moram passa, dum surgit (quia velocitatem verbi non potuit comprehendere) dum aperit ostium, transfuit verbum, & ipsa exiit in verbo eius, & per vulnera requisitum, sed vulnera charitatis, vix tandem inuenit, & tenuit ut postea non amitteret. Ad summam hæc compendioso sermone perstrinxi. Nunc discutiamus singula. Et si dormias, si modò deuotionem animæ tuæ nouerit Christus, venit & pulsat eius ianuam, & dicit, Aperi mihi soror mea. Bene soror, quia nuptiæ spirituales sunt verbi atque animæ. Neque enim animæ norunt coniugiorum fœdera, & vix copulæ corporalis, sed sunt sicut angeli in cælo. Aperi, inquit, mihi, sed extraneis claude, sæculo claude, neque ipsa foras ad illa materialia prodeas, neque tuum relinquant lumen, & alienum requiras: quia materiale lumen tenebrosam infundit caliginem, ut non videatur lumē veræ gloriæ. Aperi ergo mihi, noli aperire aduersario, neque locum des diabolo. Aperi ipsam te mihi, noli coartari, sed dilatare, & adimplebo te. Et quia decurso orbe terrarum plus molestiarum & offensionis reperi, nec facile habui vbi requiescerem; ideo tu aperi, ut in te filius hominis reclinet caput, cui non est requies nisi supra humilem & mansuetum. Audiens anima, Aperi mihi, & caput roris pleni, hoc est tentationibus sæcularibus, subito turbata, & quasi surrectura quæ surgere iubebatur, ait, Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Veretur enim ne iterum in tentationes resurgat, ne iterum in culpam redeat atque peccatum, & egressus suos virtutumque processus terrenis incipiat vestigiis inquinare. Certè etiã hoc modo perfectione virtutis suæ indicat, quæ tantam Christi meruerit charitatem, ut ad eam veniat, & pulset ianuam eius, & veniat cum patre, & cœnet cum eadem anima, & ipsa cum eo; sicut in Apocalypsi dixit Ioannes. Etenim cum in superioribus audisset, Ades huc à Libano: & cum aduertet in carne se Christo adesse non posse, sed tunc adesse cum adest in spiritu, conformans se ad eius voluntatem, ut esset & ipsa conformis imaginis Christi, iam non sentit carnis exuias, iam quasi spiritus exuens se corporis cõiunctione, iam quasi oblita, & quæ, si velit, copulæ illius meminisse non possit, ait, Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Exiit enim tunicam illam pelliceam, quam acceperunt Adam & Eva post culpam, tunicam corruptelæ, tunicam passionum. Quomodo induam eam? Non requirit ut induat, sed ita significat abiectam, ut iam indumento sibi esse non possit. Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Hoc est, Vestigia mea lauui dum egrederer, ac me eleuarem de corporis contubernio, de illa connexionione & familiaritate carnalis amplexus: quomodo

*Supra cap. 5.*

*Cantic. 5.*

*Ibid.*

*Math. 22.*

*Ephes. 4. Psal. 80.*

*Luc. 9.*

*Esa. 66.*

*Cant. 5.*

*Apoc. 3.*

*Cantic. 4.*

*Rom. 8.*

*Cant. 5.*

*Gen. 3.*

*Cantic. 5.*

*1. Cor. 13. Cant. 5.* **Q**uomodo inquinabo eos, ut in corporis claustrum & illum tenebrosam passionum eius carcerem reuertantur? Dum hæc illa dicit, misit operationem suam verbum tamquam per cauernam, non adhuc facie ad faciem misit, tamquam manum: Et venter, inquit, meus conturbatus est super eum. Et surrexi ego aperire fratri meo. Manus meæ distillauerunt myrrhâ, digiti mei myrrhâ pleni sunt super manus claustrum. Quid hoc significet, consideremus. Primum operibus suis videtur, vnde dixi, Deus verbum tamquam per cauernam, non plene atque perfecte: deinde augetur amor, & conceptus adolescit, atque ex feminibus eius quæ quodam vtero intelligibilis suscepit anima, totam plenitudinem diuinitatis eius habitatem in eo corporaliter, ut legimus, videre desiderat. Surrexit, ut propius illud Dei verbum videret. Et in hoc ipso processu eius significatur, quod surrexit per vigorem atque virtutem. Præsentia enim verbi hausit anima virtutem, sicut præsentia Mariæ, cum vtero grauis esset, erudiuit Ioannem in vtero constitutum, adeo ut exiliret in vtero, & exultaret Domini præsentiam recognoscens. Surrexit aperire, & opera eius & facta mortificata sunt mundo. Talis enim debet esse anima quæ verbum est receptura, ut moriatur mundo, & conspeliatur in Christo. sic enim Christus inuenitur, & tale sibi querit hospitium. Deinde ipsa ministeria operationum, id est, manus & digiti, quibus comprehenditur Christus, mortificantur: quos digitos velut eminentia factorum nostrorum opera possumus æstimare. Itaque velut è complexu suo, cum iam extenderet intelligibiles manus suas & digitos, ut comprehenderet verbum, transfuisse sibi illud, non tamen adhuc pertransisse anima pia dicit. Et hunc processum habet, quando transit & pertransit animam verbum Dei, quia scriptum est, Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur multorum cordium cogitationes. Hæc adhuc transitur, non pertransitur: ut Maria in posterioribus forte pertransitur, vbi tamquam signaculum ponitur in medio eius Dominus Iesus. Denique statim alius profectus verbi transeuntis, quia exiit anima in verbo eius: hoc est, verbum eius secuta, exiit de corpore, eleuans se de eius habitaculo, & peregrinã se faciens ei, ut adesset Deo, & esset eius sanctorum. Simul enim & carnis domestici, & Dei esse non possumus. Ergo in hoc loco exire significatur, ut dixi, anima, quando abducit se à corporis voluptatibus. Denique scriptum est, Exi de Babylone, fugiens à Chaldæis. Nō vtiq; ut regionem Babylonis Hebræus fugiat, sed mores, ut prophético admonetur alloquio: siquidē sint qui in Babylone sunt, Hebræi, & de Babylone exisse moribus doceant. Nam & illi, de quibus dicit Propheta quod sedebat super flumina Babylonis, sedebant quidem in regione Babylonis, sed in eis non erant vitii & confusione. Nam quomodo erant in illa confusione vitiorum, qui flebant gerentes penitentiam quod de arca deuotionis ac fidei, & virtutis paternæ meritis excidissent? Quæ autem in verbo exit anima, verbum requirit. Vnde & ista dum querit, incidit in custodes, qui circumstant ciuitatem. Percusserunt, inquit, me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium à me custodes murorum. Bene quidem quasi sponsa ueniebat cum pallio,

*Gen. 24.* **A** quo obnuberet caput suum, cum sponsum occurreret: sicut Rebecca, quæ cognito quod Isaac sibi veniret obuius, descendit de camelo, & pallio se operuit: ita & hæc anima nuptialis vestis præmittit insignia, ne forte reuiceretur quasi vestem non habens nuptialem, vel ut caput velaret propter angelos. Sed illi percusserunt eam, ut amplius probaretur. Excitentur enim animæ tentationibus. Tulerunt ei pallium, quærentes si verum decorem nudæ virtutis afferret: vel quia sine integimento quis in illam caestem ciuitatem debeat introire, nulla deferens cœli opera facorum. Sunt etiam qui requirant ne qua anima exuias secum vehat carnalis illecebræ & concupiscentiam corporalem. Nudatur pallio, cum eius conscientia manifestatur. Sed est & quæ bene nudatur, cui licet imitari dicentem, Venit enim princeps huius mundi, & in me inueniet nihil: quia certè in illo solo nihil inuenit, qui peccatum non fecit. Beata & illa est in qua non graua aut multa inuenit, sed inuenit in ea amicum fidei & sapientiæ disciplinam. Itaque sine dispendio sui (quia etsi uolet quis, non potest veram auferre sapientiam: etiã aduersarius obstrepat, ibi tamen vera innoxia conuersationis elucet integritas) transfuit custodes, & filiabus illius caelestis ciuitatis admixta verbum requirit, & querendo eius in se excitat charitatem, & vbi verbum querat agnoscit. Quod inter orationes sanctorum moretur, & quod ibi inhæreat, nouit: & quod Ecclesiam suam, vel animas iustorum suorum inter lilia palcat, intelligit. Hoc mysterium tibi in Euangelio Dominus demonstrauit, cum in sabbato duceret per seminata discipulos. Moyse per desertum duxit populum Iudæorum, Christus per seminata ducit: Christus per lilia ducit, quia per passionem eius desertum floret ut liliū. Sequamur ergo, ut in die sabbati illius magni, in quo requies magna est, fructus colligamus. Nec verearis ne Pharisei accusent seminata colligentem. Et si illi accusant, Christus excusat, & similes facit quas vult animas se sequentes, David illius qui supra legem panes propositionis manducauit, nouæ gratiæ sacramenta prophetica iam tunc monte prospiciens.

*De laudatione anime à sponso, quod tam bene & constantè requisierit eum, & quod tam fidelis, & verbo potens, & fructibus fecunda diuersis, quodque vna sicut columba habens spiritus unitatem, in qua sit pax, quæ fecit vtraque vnum. CAP. VII.*

**L**audatur itaq; à sponso, quod tam bene & constantè requisierit eum: ideoque iam non solum soror dicitur, sed etiã beneplacita nominatur, quasi ei cõplacita, qui complacuit patri: & speciosa sicut Hierusalẽ, sicut admiratio ordinata, quod ciuitatis æternæ vniuersa habeat mysteria, & admirationi sit omnibus videntibus eam: quia plena ut æquitatis atque perfecta est, & fulgorẽ de verbi lumine mutuata dum id semper intendit: sit etiam terribilis ordine quodam ad summum prouecta virtutum. Ideoque quasi perfecte dicit, Auerte oculos tuos à me, noli contra me intendere; deuotione nimia ac fide possibilitatem naturæ & cõditionis propria supergressa, quia lucẽ inaccesibilem è regione intrare est graue. Auerte, inquit, oculos tuos à me, eo quod plenitu-



Prover. 25.

Ioan. 12.  
Ioan. 14.  
Matth. 18.

psal. 29.

Matth. 17.

Matth. 5.

Cant. 5.  
Cant. 6.

Ephes. 2.

Prov. 11.  
Ioan. 17.

Ibid.

Cant. 6.

2. Cor. 7.

A. 7. 4.

dinem diuinitatis eius, & splendorem veri luminis sustinere non possit. Possimus tamen & sic accipere: Auerte oculos tuos a me: Et si tu perfecta es, alia mihi adhuc redimenda sunt animae, alia fulcienda. Eleuas enim me videndo: ego autem ideo descendendi, ut omnes eleuem. Et si surrexi, & habeo patris sedem, tamen orphanos non relinquam vos, paterno quasi praesidio destitutos, sed praesentia mea vos confirmabo. Habes in Euangelio hoc scriptum, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem mundi. Auerte ergo oculos a me, quia me eleuas. Quanto enim quid ad Dominum intendit, tanto amplius Dominum eleuat, & ipse eleuatur. Vnde & ille ait, Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me. Sanctus enim exaltat Dominum, peccator humiliat. Vult ergo auertere illam oculos, ne eam consideras, quod iam ad superiora sequi possit, eleuetur, & ceteras animas derelinquat. Ideo & in Euangelio non omnibus discipulis, sed perfectioribus suam gloriam demonstrauit. Constitue nunc aliquem doctorem, qui rem obscuram velit aperire audientibus: quem admodum et si ipse potens in sermone sit & scientia, condescendat tamen ad eorum infirmitatem qui non intelligunt, & simplici & planiore atque vsitato sermone vtatur, ut possit intelligi. Si quis igitur inter audientes viuacior sensu sit, qui facile sequi possit, eleuat cum atque excutit. Hunc videns doctor reuocat, ut patiat magis doctorem humilioribus & planioribus immorari, quod & ceteri sequi possint. Quod ait Aquila, sonans ut reuelata: sonantem ad admirationem dignam tulit, quasi magna & sonora habentem opera: reuelata, ad operum claritatem: vel quod eius animae opera luceant coram patre qui in caelis est. Vnde non otiose pallium eius sublatum intelligis, ut aperta meritis & nuda fulgeret. Laudatur praeterea quod fidelis, quod verbo potes, quod fructibus fecunda diuersis, quod vna sicut columba habens spiritus unitatem, in qua sit pax, quae fecit vtraque: vnum: & quae non sit composita ex diuersis elementis discretae copugnantisque naturae. Quid enim tam diuersum quam ignis & aqua, aer & terra, ex quibus corporis nostri creatura consistit? Anima autem benedicta omnis simplex, quae imitatur dicentem, Ut omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis vnum sint. Hec est enim consummatio atque perfectio. Vnde & addidit, Ut sint vnum, sicut & nos vnus sumus: ego in his, & tu in me, ut sint consummati in vnum. Haec est ergo vna columba atque perfecta, quae simplex atque spiritalis neque huius turbatur corporis passionibus, in quo foris pugnae, intus timores sunt. Denique hoc verbo unitatis concordiam & pacem significari scriptura nos docet, dicens, Multitudo autem credentium habebat cor vnum, & animam vnam, & non erat separatio in eis vlla. Nec otiose fecunditatis laudatur anima, non solum quod sit fecunda virtutibus, sed etiam quod nihil habeat in se mali. Illud enim decorum atque speciosum est, in quo nihil sit mali. Decorum enim quod bonum: quod autem indecorum, hoc malum. Speciosa fecunditas est bonorum operum. Contraria ergo speciositati sterilitas: quoniam qui priuatur specie vel decore, in eo est malum: quod autem malum, hoc sterile & infecundum.

Cuius rei quod euentius indicium quam terra est? Terra enim quae bona est, fertilis atque fecunda; quae autem mala, ea ieiuna atque sterilis: quae vero fertilis, haec & decora. Quid enim pleno agro pulchrius, cum seges fluctuat, cum poma irrutilant, vel cum vuarum ferta dependent, aut baccis onusta olea curuescit, vel viridanti gramine montium vertices, vallium humilia vestiuntur? Et ut scripturae vtamur testimonio, Iacob decorus erat, & ideo erat odor agrum pleni: Esau hispidus erat & indecorus, & ideo agrestis erat, qui fructus illos habere non possit. De ipso quoque Domino postquam Ecclesiae fecunditatem fecit assurgere, pulchre dictum est, Dominus regnauit, decorem induit. Et alibi, Confessionem & speciem induisti. Liqueat igitur decorum id esse, quod fecundum: indecorum, quod infecundum. Similis est causa animae soli, quia ea decora anima, quae fecunda sit meritis, fecunda consiliis: ea indecora quae sterilis. Infirmitates etenim animae sunt sterilitas & materia. Namque eam sterilitas fructu defraudat suo, inopiam infert, timorem incutit, adolet cupiditates & vanas opiniones: sic anima cadit. Quid ergo est malitia, nisi boni indigentia? Suo enim defraudatur, atque alieni indiget, exinanitur atque repletur sine mensura & modo. Materialia autem vitia animae obumbrant gratiam. Ignorantia & concupiscentia animae sunt aegritudines, sed ad speciem magis quam ad materiam referuntur. Materia est caro, species est ignorantia & concupiscentia. Cur igitur caro accusatur, cum tantae sint in specie laeae? Quia nihil species potest sine materia. Denique, nihil species securis sine materia facit. Quid enim esset concupiscentia, nisi ea caro inflammaret? Friget in senibus, in pueris quoque, quia iis corpus infirmum est: ardet in adolescentibus, quia his vis corporis feruet. Ex bonis igitur mala orta sunt. Non enim mala sunt, nisi quae priuantur bonis. Per mala tamen factum est, ut bona emerent. Ergo indigentia boni, radix malitiae est. Definitione boni malitia deprehenditur, quoniam per disciplinam boni malum reperitur. Bonum autem nullius eget, sibi abundat, mensuram & perfectionem, finem quoque tribuit omnibus, in quo vniuersa constant, & de quo omnia pendunt. Haec boni natura est, quae mentem replet. Circa hoc versatur anima pura, hoc introspicit, & in hoc Deum cernit, bonis omnibus abundat. Vnde & ait, Fauces eius dulcedines, & totus desiderium. Omnium enim bonorum auctor est Deus: & quae sunt eius, profecto omnia bona sunt, & nusquam illic malum: & si in illo mens nostra maneat, malum nescit. Anima igitur quae in Deo non manet, ipsa sibi auctor malorum est: itaque peccat. Anima autem quae peccat, ipsa morietur. Aureis enim vinculis soluta virtutum, prona fertur praecipitio, & labitur ad inferiora. Anima autem beata est, quam nulla aduersa corporis praemia expugnant. Haec anima sicut passer laqueo cōtrito euolat. Escae enim malorum sunt voluptates corporis. His quisquis intēdit, laqueo innēdit animam suam. Qui autem ab escis eius tēperat, & de tenebris eius exit, eius anima fulget ut diluculum, de qua dicitur, Quae nam haec est prospiciens tamquam diluculum, speciosa sicut luna? Prospicit enim tamquam de domo libera. Nec dicit, Tenebrae cooperiunt me, & parietes

Gen. 31

Gen. 27.

psal. 91.  
psal. 103.

S. August. li. 1. cont. Iul. Pelag. cap. 9.

S. August. ibid.

Cant. 5.

Ezech. 18.

psal. 123.

Cantic. 6.

Ezech. 23.

tcs

tes circumdant me, & quis scit si videt altissimus? Sed ipsa magis lucem expetit tamquam in superioribus domus sua, id est, corporis sui, & supra mundum posita diuina intuetur: & ad aeterna se eleuat ut Deo adsit, iam lumē suorum operum sicut luna orbē suum toto orbe circumferens. Quod autē Aquila ait, Sonans sicut soli videtur illa axis caelestis conuersio, solisque & lunae & stellarum cursus, concētus globorum exprimi. A quibusdam etiam nostris videtur, qui quoniam non inuenit fidem, saltem propter gratiam suauitatis non videtur alienus. Anima dum laudatur a sponso, verecundè refugiens coram B laudari, & reuocata a sponso, quid dicat: de praeconiis quoque bonae animae: singularique laude charitatis.

C. AP. VIII.

Dum laudatur a sponso, verecundè refugiens coram laudari, deinde sponsi amore reuocata, ait, In hortum nucis descendere videre in natiuitate torrentis. Vbi enim est Ecclesia, nisi vbi virga & gratia floret sacerdotalis? Ibi est frequenter, ut in amaritudinibus & tentationibus probetur. Per nucem amaritudines intelligimus, per torrentem tentationes, sed tamen tolerabiles, quia scriptum est, Torrensque pertransiit anima nostra. Itaque descendit in locum amaritudinis, vbi floret vitis, & malorum granatorum specie diuersus & multiplex fructus, qui velut vno tegmine totius corporis fide & charitate munitur. In illa ergo amaritudine non cognouit se anima. Corruptibile enim corpus aggrauat animam & terrenum habitaculum cito inclinatur. Cognoscere autem se debet. Sed tentatus est & Petrus, & non se cognouit, nam si cognouisset, non negauisset auctorem. Sed cognouit eum Christus: (cognouit verò, quia eum respexit, cognoscit enim Dominus qui sunt eius) & tamquam suū misericordiae suae frenis ut bonus rector reuocauit a lapsu. Rector ergo noster Christus est. Ideoque ait anima, Posuit me currus Aminadab. Anima ergo currus, qui bonum rectorem sustinet. Si currus est anima, habet equos vel bonos vel malos. Boni equi, virtutes sunt animae: mali equi, passiones sunt corporis. Bonus ergo rector malos equos restringit & reuocat, bonos incitat. Boni equi sunt quattuor: prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia. Mali equi, iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas. Interdum ipsi equi inter se dissident, & aut iracundia protendit, aut timor, & se inuicem impediunt, & cursum retardant. At verò boni equi volant, & a terris ad superiora se subrigunt, animamque eleuant: maxime si iugum habeant suauē, & onus leue dicentis, Tollite iugum meum super vos. Iugum enim meum suauē est, & onus meum leue. Ipse rector est qui nouit equos proprios gubernare, ut aequalis omnium cursus sit. Velociores prudentia tardat, iustitia admonet flagello proprio se-gniores, temperantia mansuetiores, fortitudo duriores reddit: nouit copulare discordes, ne forte currum suum dissipent. Itaque licet intelligibili spectaculo videre vnamquamque animam cum summo certamine ad caelum rapi, festinantes equos qui priores perueniant ab brauii Christi, quorum prius imponatur palma cervicibus. Isti sunt equi subiecti fidei iugo, adstricti vinculo charitatis, iustitiae frenis, retinaculis sobrietatis. Pulchre ergo ait, Posuit me currus Ami-

nadab, hoc est, pater populi. Ipse autem qui pater populi, idem pater Naafon, id est, serpentum. Iam tu recole quis sicut serpens in cruce pependerit pro salute vniuersorum, & intelligis illam animam esse pacificam, cui pater Deus praesul sit, Christus agitator: quia scriptum est & hoc nomen in nostris: Pater pater agitator Israel. Hic ergo agitator dicit, Conuertere Sunamitis, conuertere. Bene & quasi agitator, & quasi ad currum dicit, Conuertere Sunamitis, hoc est, pacifica. Quae enim pacifica est anima, cito se conuertit & corrigit, etiam si ante peccauit, & magis eam Christus ascendit, & regere dignatur, cui dicitur, Ascende in equos tuos, & equitatus tuus sanitas. Et alibi, Misisti equos tuos Tharsis. Hi sunt equi Christi. Ascendit ergo equos suos Christus, ascendit verbum Dei animas suas. Vnde cognosce quia & istam ascendit, & perduxit eam ad locum palmarum, quando & dicit ad eam, Quam pulchra & suauis facta es charitas in deliciis tuis? Statura tua similis facta est palmarum. Et ipsa ait, Dixi, ascendam in palmam. Sed etiam ipsa charitas palma est, ipsa est enim plenitudo victoriae. Plenitudo enim legis, charitas est. Curramus ergo, ut comprehendamus: curramus, ut vincamus. Qui vincit, ascendit in palmam, & manducat fructus eius. Qui vicit, iam non currit, sed sedet, sicut scriptum est, Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in sede mea, sicut & ego vici, & sedeo cum patre meo in sede ipsius. Hinc philosophi curulia illa animarum in suis libris expressere certamina, nec tamen ad palmam peruenire potuerunt, quoniam summam verbi, & altitudinem illam animae nescierunt, quam cognouit haec anima, in qua erat verbi conuersio. Sic enim ait, Ego fratri meo, & super me conuersus meus. Hinc sensum tertio reperit diuersè in Canticis canticorum. In principio ait, Frater meus mihi, & ego ei, qui pascitur in liliis vsque dum asperet dies, & amoueantur umbræ. Deinde ait, Ego fratri meo, & frater meus mihi, qui pascitur inter lilia. In fine ait, Ego fratri meo, & super me conuersio eius. Primum ad institutionem animae, ideo & praemisit, Frater meus mihi, illo enim demonstrante se, etiam adhaerendi Deo sumpsit affectum, quod sequitur secundum profectum, tertium secundum perfectionem. In primo quasi in institutione adhuc umbras videt anima, necdum verbi appropinquantis reuelatione commotas, & ideo adhuc ei dies Euangelij non resplendebat. In secundo sine umbrarum confusione odores pios carpit. In tertio iam perfecta requie in se verbo ministrat, ut conuertatur super eam, & caput suum reclinet, atque requiescat, meritoque iam tenens quem antea quaesitum inuenire non poterat, inuitat ad agrum suum, dicens, Veni frater meus, excamus in agrum, requiescamus in castellis. Supra ad hortum inuitabat, hic ad agrum habentem non solum florum gratiam, sed etiam triticum & hordeum: hoc est, solidiorum firmitate virtutum, ut fructus eius aspiciat. Requiescamus, inquit, in castellis, ad quae Adam cum de paradiso eiectus esset, fuerat relegatus: in his requiescebat, sed terram operabatur. Qua autem ratione exire eum in agrum vellet, intellectus manifestus est, ut quasi bonus pastor pascat gregem suum, lassos alleuet, reuocet errantes. Nam et si ista anima noua & vetera seruauit, tamen sunt adhuc velut agni, qui

Cant. 6.

Ruth. 4.

Ioan. 3.

4. Reg. 2.

Cantic. 6.

Habacuc. 3. ibid.

Cantic. 7.

Rom. 13. 1. Cor. 9.

Apo. 3.

Cant. 7.

Cantic. 2. Cantic. 6.

Cantic. 7. Cantic. 6.

Cantic. 7.

Cantic. 5. Cant. 7.

Cantic. 6.

Cantic. 7.

Gen. 3. Ezech. 34.

Cantic. 7.

*Pfal. 18.*

*Ioan. 7. Cant. 8.*

*Ibid. Apoc. 3.*

*Cantic. 8. Cant. 6.*

*Ioan. 13.*

*Cant. 8.*

*Ioan. 1.*

*Cant. 6.*

*Cant. 8.*

*Galat. 4.*

*Cantic. 8.*

*Ephes. 5.*

laetis succo nutriendi sunt. Ergo quasi perfecta, non pro se, sed pro aliis interuenit, ut de sinu patris exeat, ut procedat foras tamquam sponsus de thalamo suo, egrediens currat viam, ut infirmos lucretur, non in illo secreto patris folio, & in illa luce immoretur, quod inualidi equi conscendere non queunt, sed ut assumatur & inducatur in domum sponsae atque secretum. Sit foris sibi, ut nobis intus sit medius nostrum, etsi non videatur a nobis. Vnde ait, Quis dabit te frater latentem vbera matris meae? Inueniens te foris, oculabor te. Bona anima, quae foris est, ut verbum intus sit: illa extra corpus, ut verbum habitet in nobis. Assumam te, inquit, & inducam te. Recte assumitur & inducitur verbum Dei, quia pulsata anima ut aperiat sibi ostium. Et nisi apertum sibi ostium inuenerit, non intrat. Si quis autem aperuerit ianuam, intrat & cenat. Sic sponsa verbum assumit, ut assumendo doceatur. vnde non immerito ascendit adhuc ad superiores mansiones, & semper processum accipit. Quod significant virtutes vel animae, quae dicunt, Quae est haec quae ascendit candida innitens super fratrem suum? Superius dixerunt, Quae nam est haec, prospiciens tamquam diluculum, speciosa sicut luna, electa sicut sol? Hic plus quod diceretur inuentum est, eo quod verbo Dei innixa ascenderat. Perfectiones enim supra Christum recubunt, sicut & Ioannes in Christi pectore recumbebat. Ita ergo & haec vel incumbebat in Christum, vel supra ipsum se reclinabat: aut certe quoniam de nuptiis loquimur, iam quasi tradita in Christi dextera, in thalamum ducebatur sponso. Et quia iam copula charitatis est, blanditur ei sponsus, & dicit, Sub ardore mali eleuata, illic parturiuit te mater tua, illic parturiuit te quae peperit te. Bona anima, quae requiescit sub arbore fructuosa, & maxime boni odoris. Nam si Nathanael bonus, in quo dolus nullus erat, sub arbore ficu visus est: utique bona anima, quae sub arbore mali eleuata est sponso suo. Plus est enim eleuari quam videri, plus etiam a sponso eleuari. Nam etsi Nathanael videbatur sub arbore, tamen anima eius sponsa non erat, qui dubius veniebat ad Christum. Non erat speciosa sicut luna, electa ut sol, quae erat in umbra, quia sponsa per diem nubit, publice confitetur. Ideo ista sub arbore mali, illa sub ficu, quia haec confessionis suae odorem diffundebat longius, illa habebat puritatis innocentiae suauitatem, fragrantiam spiritus non habebat. Illic, inquit, parturiuit te mater tua, illic parturiuit te quae peperit te. Ibi enim nascimur, ibi renascimur. Parturiuntur autem in quibus Christi imago formatur. Vnde & Paulus ait, Filioli, quos ego parturio donec formetur Christus in vobis. Parturit enim qui in vtero accipit spiritum salutis, & alius infundit. Vnde quoniam iam formatus in hac erat Christus, ait, Pone me ut signaculum in cor tuum, ut figillum in brachium tuum. Signaculum Christus in fronte est, signaculum in corde. In fronte, ut semper confiteamur: in corde, ut semper diligamus: signaculum in brachio, ut semper operemur. Luceat ergo imago eius in confessione nostra, luceat in lectione, luceat in operibus & factis: ut si fieri potest, tota eius species exprimat in nobis. Ipse sit caput nostrum, quia caput viri Christus: ipse oculus noster, ut per illum videamus patrem:

ipse vox nostra, per quam loquamur ad patrem: ipse dextera, per quam Deo patri sacrificium nostrum offeramus: ipse quoque est signaculum nostrum, quod est perfectionis & charitatis insigne, quia diligens pater signauit filium, sicut legimus, Quem pater signauit Deus. Charitas itaque nostra Christus. Bona charitas, quae obrulit morti se pro dilectis: nostra induat charitatem, & charitatem huiusmodi quae sit valida ut mors: quia sicut mors finis peccatorum est, ita & charitas: quoniam qui diligit Dominum, peccare desinit. Charitas enim non cogitat malum, neque gaudet super iniquitate, sed omnia sustinet. Nam qui ea quae sua sunt non quaerit, quomodo aliena quaeret? Est & mors illa valida per laucrum, per quod peccatum omne sepelitur, & culpa dimittitur. Talis erat charitas quam deferebat euangelica illa mulier, de qua Dominus ait, Remissa sunt peccata eius multa, quoniam dilexit multum. Est & illa mors sanctorum martyrum valida, quae culpam abolet superiorem, & ideo valida, cuius non impar est charitas, quae adaequatur martyrum passioni, ut auferat meritum delictorum, Zelus quoque ut inferi, quoniam qui zelum Dei habet, pro Christo nec suis parcat. Itaque & mortem habet charitas, & zelum habet charitas, & alas ignis habet charitas. Denique Christus diligens Moysen, in igne ei apparuit. Et Hieremias habens in se focum diuinae charitatis, dicebat, Et erat ignis inflammans in ossibus meis: & dissolutus sum vndique, & ferre non possum. Bona igitur charitas habens alas ignis ardentis, quae volitat per pectora & corda sanctorum, & exurit quidquid materiale atque terrenum est, quidquid vero sincerum est probat, & quod contigerit suo igne, meliorat. Hunc ignem in terram misit Dominus Iesus, & refulsit fides, accensa deuotio, illuminata est charitas, iustitia respandit. Hoc igne inflammavit corda Apostolorum suorum, sicut testatur Cleophas, dicens, Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret scripturas? Alae igitur ignis in flamma, scripturae sunt diuinae. Denique aperiebat scripturas, & ignis exiebat, atque audientium corda penetrabat. Et vere alae ignis, quia eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum. Cum Paulus quoque assumeretur a Christo, vidit circumfuisse super se lumen, & super eos qui simul erant, cecidit pauore, & probatior resurrexit: denique Apostolus factus est, qui persecutor aduenerat. Spiritus quoque sanctus descendit, & repleuit totam domum in qua erant plurimi sedentes, & visae sunt dispersitae linguae tamquam ignis. Bonae alae charitatis, verae alae quae volitabant per ora Apostolorum, & alae ignis quae purgatum sermonem loquebantur. His alis euolauit Enoch raptus ad caelum. His alis euolauit Elias curru igneo, & equis igneis ad superna translatus. His alis Dominus Deus per columnam ignis deducebat patrum plebem. Has alas habuit Seraphim quando sumpsit carbones ignis de altari & tetigit os prophetarum, & iniquitates eius abstulit, & peccata purgavit. Harum alarum igne purgati sunt filii Leui, & baptizabantur populi nationum, sicut testificatur Ioannes, dicens de Domino Iesu: Ipse vos baptizabit in spiritu & igne. Merito vri renes suos volebat & cor suum

*Ioan. 6.*

*Cantic. 8.*

*1. Cor. 13. Ibid.*

*Luc. 7.*

*Cantic. 8. Ibid.*

*Exod. 3. Hierem. 20.*

*Luc. 12.*

*Luc. 14.*

*Psal. 11. Act. 9.*

*Act. 2.*

*Gen. 5.*

*4. Reg. 2. Exod. 13.*

*Isai. 6.*

*Malach. 3. Matth. 3.*

*Pfal. 25.*

*Dan. 3.*

*Matth. 23.*

*Sapient. 3.*

*Psal. 15.*

*Psal. 26.*

*Matth. 17.*

suum Dauid, quia alas igneas charitatis sciebat non esse metuendas. Merito Hebraei pueri in fornace ardenti non sentiebant ignis incendia, quia charitatis eos flamma refrigerabat. Et ut plenius cognoscamus quia alas habet perfecta charitas, audisti dudum dicentem, Quotiens volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas? Sumamus igitur has alas, quae sicut flamma ad superiora dirigunt. Exuat vnusquisque animam suam in uolucris sordidioribus, & quasi aurum igne approbet deterfam luto. Sic enim purgatur anima, velut aurum optimum. Pulchritudo autem animae sincera virtus & decor, verior cognitio supernorum, ut videat illud bonum ex quo pedet omnia, ipsum autem ex nullo. Eo igitur viuit, atque intellectum accipit. Vitae enim fons est summum illud bonum, cuius in nobis acceditur desiderium, cui appropinquare & misceri voluptas est: quod ei qui non videt, desiderio est, & ei qui videt, vita est: ideoque vniversa alia despiciunt, hoc vno mulcetetur & delectatur. Hoc est quod subministrat vniversam substantiam, ipsum autem in semetipso manens dat aliis: nihil autem in se ex aliis suscipit. De quo Propheta ait, Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Hoc solum videre desiderauit, sicut ipse alibi ait, Vnam petij a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitae meae, & videam delectationem Domini, & considerem templum eius. Si quis igitur summum illud purum & incorporeum videre meruerit, quid habeat aliud quod desideret? Denique Petrus in motu gloriam resurrectionis Christi vidit, & nolebat descendere, dicens: Domine, bonum est nos hic esse. Et quanto incomparabilior est illa diuinitatis gloria, & lux inaccessibilis, quam si quis viderit, quid aliud concupiscat? Non regna, non facultates, honores, gloriam, potestates. Illis enim uti nihil beatitudinis est, hoc vti beatum est, ut illa despiciens ad hoc conuersus maneat. Hanc igitur vides pulchram imaginem ingrediatur intus, foris relinquat vultum corporis. Nam qui intuetur corpora, non debet introsum intueri, ne more mergentis in gurgite rapiatur atque absorbeat, & quasi profundo demersus nusquam appareat. Fugiamus ergo in patriam verissimam. Illic patria nobis, & illic pater a quo creati sumus, vbi est Hierusalem ciuitas quae est mater omnium. Sed quae est fuga? Non vti que pe-

dum, qui sunt corporis. Isti enim quocumque currunt, in terra currunt, & de solo ad solum transeunt. Nec nauibus fugiamus & curribus, aut equis qui obligantur & cadunt, sed fugiamus animo & oculis, aut pedibus interioribus. Assuescamus oculos nostris videre quae dilucida & clara sunt, spectare vultum continentiae & temperantiae, omnesque virtutes, in quibus nihil scabrum, nihil obscurum & tortuosum sit: & se ipsum spectet quis, & conscientiam suam, illum oculum mundet, ne quid sordidum habeat. Quod enim videtur, non debet dissonare ab eo qui videt, quoniam conformes nos Deus imaginis voluit esse filij sui. Cognitum igitur nobis est illud bonum, nec longum est ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, & sumus, & mouemur. Ipsius enim & genus sumus, ut Apostolus gentiles voluit monere. Ipsum est bonum quod quaerimus, & solum bonum. Nemo enim bonus, nisi vnus Deus. Hic est oculus qui magnum illum & verum decorem intuetur. Solem nisi sanus & valens oculus non aspicit, nec bonum potest videre nisi anima bona. Fiat ergo bonus qui vult videre Dominum, & quod est bonum. Huius boni similes sumus, & secundum id operemur quae bona sunt. Hoc est bonum quod supra omnem operationem est, supra omnem mentem atque intellectum, ipsum est quod semper manet, ad ipsum conuertuntur omnia, in quo habitat plenitudo diuinitatis, & per ipsum reconciliatur omnia in ipsum. Et ut plenius definiamus quid sit bonum, vita est bonum, quia semper manet, dans viuere & esse omnibus, quia fons est omnium vitae Christus, de quo ait Propheta, In umbra eius viuemus. Nunc enim vita nostra abscondita in Christo est: cum autem apparuerit Christus vita nostra, tunc & nos apparebimus in gloria. Ergo non timeamus mortem, quoniam requies est corporis: animae autem vel libertas, vel absolutio. Nec vereamur eum qui potest corpus interficere, animam autem non potest: quia non timeamus eum qui potest vestimentum auferre, non timeamus eum qui potest nostra furari, nos autem non potest. Nos igitur animae sumus, si volumus esse de iis qui sunt socij Iacob, id est, imitatores eius. Nos animae sumus, nostra autem in ebra vestimenta sunt: seruanda sunt quidem vestimenta ne scindantur, ne inueterascant, sed ille magis qui his vtitur, seruare se debet & custodire.

*Galat. 4.*

*Psal. 118.*

*Rom. 8.*

*Act. 17.*

*Mar. 16.*

*Coloss. 2.*

*Coloss. 1.*

*Thre. 4.*

*Coloss. 3.*

*Matth. 10.*

S. AMBROSII DE ISAAC ET ANIMA LIBRI FINIS.

Summarium libri de bono mortis.

*Agitur de multiplici genere mortis, declaratur quae quod anima non interit, sed corpore exuta viuunt, maiorem expectans felicitatem vel miseriam.*

Capita Libri.

*Connectit hunc librum cum precedenti, & proponit dubium, quomodo mors non dicatur mala, licet sit vitia contraria.*

*Praemissa distinctione de triplici genere mortis, propositum soluit dubium.*

*Cap. I. Cap. II.*

Quid secundum scripturam sententiam sit mors, quid vita, & quae sit mors spiritualis.  
 Mortem omnino esse bonam: tum quod sit finis peccati, tum quod ea mundum redemerit.  
 Mortem non esse timendam: & qua ratione usum eius, dum in corpore sumus, imitari debeamus.  
 Omnia hoc in mundo plena esse laqueorum.  
 Varias huius vitae esse molestias.  
 Mortem ipsam non esse terribilem, sed opinionem de morte.  
 Animam non interire cum corpore.  
 Animam non mori cum corpore, scripturae testimoniis comprobatur.  
 Quae sit animarum post hanc vitam futura letitia.  
 De felicitate regni aeterni, & quibus modis eò contendere debeamus.

376  
 Cap. III.  
 Cap. IIII.  
 Cap. V.  
 Cap. VI.  
 Cap. VII.  
 Cap. VIII.  
 Cap. IX.  
 Cap. X.  
 Cap. XI.  
 Cap. XII.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
 MEDIOLANENSIS DE BONO  
 MORTIS LIBER.

Connectit hunc librum cum praecedenti, & proponit dubium, quomodo mors non dicatur mala, licet sit vita contraria.

CAP. I.



QVONIAM de anima superiore libro sermonem aliquem contexuimus, faciliore viam putamus, de bono mortis conficere aliquid. Quae si animae noceat, malum videri potest: si nihil autem officiat animae, ne malum quidem. Quod autem malum non est, id etiam bonum: quonia quod vitiosum, id malum: quod autem vitio caret, id bonum: ideoque bona malis contraria sunt, & mala bonis. Denique innocentia est, ubi non est nocendi voluntas: & noxius dicitur, qui non sit innoxius: misericors, qui remittat: immisericors, qui ignoscere atque in se lecti nesciat. Sed forte aliquis asserit: Quid tam contrarium, quam vita morti? Si ergo vita putatur bonum, quomodo mors non est malum? Et ideo quid sit vita, quid etiam mors, consideremus. Vita est spirandi munere frui, mors priuari. Hoc autem spirandi munus apud plerosque in bonis ducitur. Hoc est ergo vita, frui bonis: mors contra, bonis exui. Et scriptura dicit, Ecce dedi ante faciem tuam vitam & mortem, bonum & malum: vitam bonum appellans, mortem malum: & illa sibi priora, & haec sibi conferens. Denique ut lectionis divinae exemplo utamur, in paradiso est positus homo, ut ederet de ligno vitae, & ceteris paradisi lignis; de ligno autem in quo esset cognitio boni & mali, non ederet: qua die autem ederet, morte moreretur. Non servavit praecceptum, & caruit fructu, atque eiecit de paradiso mortem gustavit. Malum igitur mors, quia pretio damnationis infertur.

Premissa distinctione de triplici genere mortis, propositum soluit dubium. CAP. II.

Sed mortis tria sunt genera. Vna mors peccati est, de qua scriptum est, Anima quae peccat, ipsa morietur. Alia mors mystica, quando quis peccato moritur, & Deo vivit, de qua ait Apostolus, Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.

Tertia mors est, qua cursum vitae huius & munus explemus, id est, animae corporisque secessio. Aduertimus igitur quod vna mors sit mala, si propter peccatum moriamur: alia mors bona sit, qua is qui fuerit mortuus, iustificatus est à peccato: tertia mors media sit. Nam & bona iustis videtur, & plerisque metuenda. Quae cum absoluat omnes, paucos delectat. Sed non hoc mortis est vitium, sed nostrae infirmitatis, qui voluptate corporis, & delectatione vitae istius capimur, & cursum hunc consummare trepidamus, in quo plus amaritudinis quam voluptatis est. At non sancti ac sapientes viri, qui longevitate peregrinationis huius ingemiscebant, dissolui & cum Christo esse pulchrius aestimantes; denique diem generationis suae execrabantur, sicut ille qui ait, Pereat dies illa in qua natus sum. Quid enim est quo haec vita delectet, plena arumnarum & sollicitudinum, in qua innumerae calumniae, & multae molestiae, & multae lacrymae eorum qui affliguntur molestiis, & non est, inquit, qui eos consoletur? Et ideo laudat Ecclesiastes defunctos magis quam viventes. Et optimus, inquit, supra hos duos, qui nondum natus est, qui non vidit hoc malum. Et alibi idem Ecclesiastes meliorem longaeo viro eum asseruit, quem abortu eiecit mater sua, quia non vidit haec mala quae fiunt in hoc mundo, nec in has venit tenebras, nec in vanitate ambulavit saeculi: & ideo requiem hic magis habebit qui in hanc vitam non venit, quam ille qui venit. Quid enim boni est homini in hac vita, qui in umbra vivit, nec expleri potest cupiditatibus suis? Et si expleatur diuitiis, fructum quietis amittit, quia cogitur custodire quod misera auaritia quaesierit: ut miserius eas possideat cui prodesse non poterit. Quid enim miserius quam ut custodia torqueat, quarum abundantia nihil proficit? Itaque si plena oneris vita, utique finis eius alleuamentum est. Alleuamentum est bonum, mors autem finis: mors igitur bonum est. Neque enim aliter gavius est & Symeon qui responsum acceperat, non visurum se mortem nisi prius videret Christum Domini: & cum eum parentes in templum inducerent, suscepit manibus suis, & dixit, Nunc Domine dimitte seruum tuum in pace.

pace; quasi necessitate quadam teneretur in hac vita, non voluntate. Ita dimitti petit, quasi à vinculis quibusdam ad libertatem festinaret. Sunt enim velut vincula quaedam corporis huius cogitationes, & (quod est grauius) vincula tentationum, quae nos alligant, & ad iniuriam captiuitatis adstringunt quadam lege peccati. Vnde in exitu ipso videamus quemadmodum anima decedentis paulatim soluat se vinculis carnis, & ore emissa euolet tamquam carcereo corporis huius exuta gurgustio. Denique festinabat etiam sanctus David de hoc loco peregrinationis exire, dicens, Aduena ego sum apud te in terra & peregrinus, sicut omnes patres mei. Et ideo tamquam peregrinus ad illam sanctorum communem omnium patriam festinabat, petens pro huius commorationis inquinamento remitti sibi peccata priusquam discederet à vita. Qui enim hic non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit. Non erit autem, qui ad vitam aeternam non potuerit peruenire, quia vita aeterna remissio peccatorum est. Ideoque dicit, Remitte mihi ut refrigerer priusquam eam, & amplius non ero. Quid igitur tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto diutius quis fuerit, tanto maiore oneratur sarcina peccatorum? Ipse Dominus ait, Sufficit diei malitia sua. Et Iacob dixit, Dies antiorum vitae meae quos peregrinor, centum triginti, minimi & mali: non quia dies mali, sed quia nobis accessu dierum malitiae incrementa cumulantur. Nullus enim dies sine nostro peccato praeterit. Vnde egregie Apostolus ait, Mihi viuere Christus est, & mori lucrum: aliud ad necessitatem vitae referens, aliud ad mortis utilitatem. Christus enim nobis viuere est cui seruius, cui oportet ut à sanctis suis in Euangelij praedicatione deferatur obsequium. Denique & Symeon qui ait, Nunc dimitte seruum tuum, propter Christum expectabat. Christus enim rex noster est, & ideo quod rex iubet, deferere non possumus & contemnere. Quantos Imperator terrae huius in peregrinis locis aut honoris specie, aut muneris alicuius causa iubet degere? Numquid hi inconsulto Imperatore discedunt? Et quanto amplius est diuinis parere quam humanis? Viuere ergo seruo Dei Christus est, & mori lucrum. Quasi seruus enim non refugit vitae obsequium, & quasi sapiens lucrum mortis amplectitur. Lucrum est euasiva incrementa peccati, lucrum fugisse deteriora, & ad meliora transisse. Et addidit, Dissolui enim, & cum Christo esse, multo melius: permanere autem in carne, magis necessarium propter vos. Aliud melius, aliud necessarium. Necessarium propter fructum operis, melius propter gratiam & copulam Christi.

Quid secundum scripturarum sententiam sit mors, quid vita, & quae sit mors spiritualis. CAP. III.

ERGO quonia docuit Apostolus, cum qui euasent ex hoc corpore, si meruerit tamen, cum Christo futurum: quid sit mors, quid etiam vita, consideremus. Itaque scriptura docente cognouimus quia mors absolutio est animae & corporis, & quaedam hominis separatio. Soluimur enim hoc nexu animae & corporis, cum recedimus. Vnde & David ait, Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Vincula autem vitae huius, id est, coniunctionis no-

strae, quae ex anima constat & corpore, significari docet superior versiculus Psalmi huius: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Et ideo quasi propheta prauidens se cum sanctis, & qui pro deuotione animas suas in Christo deposuerunt, futurum, laetatur, quia & ipse obtulit se fideliter pro Dei populo ut aduersus Goliath singularem certamine dimicaret, & solus commune periculum & crimen refelleret; vel cum se morti pro Domini placanda offensione promptus obiceret, & pro salute populi laborantis diuinam ultioni paratus offerret. Sciebat enim gloriosius esse pro Christo mori, quam regnare in hoc saeculo. Quid enim praestitius, quam fieri Christi hostiam? Itaque cum frequenter ab eo legamus, Domino oblata esse sacrificia, hoc tamen loco addidit, Tibi sacrificabo hostiam laudis. Non sacrifico, inquit, sed sacrificabo: significans illud perfectum esse sacrificium, quando vnusquisque Domino corporis huius vinculis absolutus adfisteret, & offerret se hostiam laudis, quia ante mortem nulla est perfecta laudatio. Neque quisquam in hac vita potest definito praconio praedicari, cum posteriora eius incerta sint. Mors igitur solutio est animae & corporis. Denique & in Apostolo docuimus lectum, Dissolui, & cum Christo esse, multo melius. Solutio autem ista quid aliud agit, nisi ut corpus resoluatur & quiescat, anima autem conuertatur in requiem suam, & sit libera: quae si pia est, cum Christo futura sit. Quid igitur in hac vita aliud iusti agunt, nisi ut exuant se huius corporis contagionibus, quae velut vincula nos ligant, & se ab his molestiis separare contendant, renuntient voluptatibus atque luxuria, fugiant flammam libidinum? Nonne igitur vnusquisque in hac vita postus speciem mortis imitatur, qui potest ita se agere, ut ei moriatur omnes corporis delectationes & cupiditatibus omnibus, mundique illecebris etiam ipse moriatur, sicuti mortuus erat Paulus, dicens, Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo? Denique vt sciamus quia est mors in hac vita, & bona mors, hortatur nos ut mortem Iesu in corpore nostro circumferamus. Qui enim habuerit in se mortem Iesu, is & vitam Domini Iesu in corpore suo habebit. Operetur igitur mors in nobis, ut operetur & vita. Bona vita post mortem, hoc est, bona vita post victoriam: bona vita absoluto certamine, vt iam lex carnis legi mentis repugnare non nouerit, vt iam nobis nulla sit cum corpore mortis contentio: sed sit in corpore mortis victoria. Atque haud scio ipse, an maioris virtutis mors ista quam vita sit. Certè Apostoli moueor auctoritate dicentis, Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis. Vnius mors quantorum populorum vitam aedificabat? Itaque docet & istam mortem in hac vita postis expectendam, vt mors Christi in corpore nostro eluceat, & illam beatam qua corrumpitur exterior, vt renouetur interior homo noster, & terrestris domus nostra dissoluatur, vt habitaculum nobis caeleste referetur. Imitatur igitur mortem qui se à communione carnis huius abducit, atque illis vinculis soluit, de quibus tibi dicit Dominus per Esaiam: Solue omnem colligationem iniustitiae, dissolue obligationes violentarum commutationum, dimitte contractos in remissionem, & omnem conscriptionem iniquam di-

psal. 38.  
 Heb. 11.  
 2. Cor. 7.  
 psal. 38.  
 Matth. 6.  
 Gen. 47.  
 philip. 1.  
 Luc. 2.  
 Act. 4.  
 philip. 1.  
 Ibid.  
 Ibid.  
 2. Cor. 5.  
 psal. 115.

Deut. 30.  
 Gen. 2.  
 Gen. 3.  
 Ezch. 18.  
 Rom. 6.

Ibid.  
 1. Reg. 17.  
 2. Reg. 24.  
 psal. 115.  
 Eccl. 11.  
 philip. 1.  
 psal. 114.  
 Galat. 6.  
 2. Cor. 4.  
 5. August. lib. 4. cont. duas epist. velag. cap. 11. Rom. 7.  
 2. cor. 4.  
 2. cor. 5.  
 psal. 58.



rumpe. Imitatur & ille mortera qui se voluptatibus exuit, & a terrenis cogitationibus attollit atque abluat, & in illo caelesti habitaculo locat, in quo Paulus cum adhuc viueret, conuersabatur. Aliter enim non diceret, Nostra autem conuersatio in caelis est; quod ad presumptionem meriti potest meditationemque conferri. Illic enim erat eius meditatio, illic animae eius conuersatio, illic eius prudentia, quae utique intra angustias carnis huius habere non solet. Sapientis enim cum illud diuinum inquirat, absoluit animam suam a corpore, & eius ablegat contubernium, cum illam veri tractat scientiam, quam velut nudam sibi & apertam desiderat demonstrari, & ideo rebus quibusdam & nebulis huius corporis se quaerit exuere. Neque enim manibus istis aut oculis atque auribus comprehendere illam supernam possumus veritatem: quoniam quae videntur temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna. Denique saepe fallimur visu, & aliter quam sunt praeteraque videmus. Fallimur etiam auditu: & ideo contemplerur non illa quae videntur, si nolimus falli. Quando igitur anima nostra non fallitur, quando solum veritatis attingit, nisi quando se ab isto fecerit corpore, neque ab ipso decipitur & illudatur? Illudatur enim visu oculorum, illudatur auditu aurium: & ideo relinquat illud & deserat. Vnde Apostolus clamat, Ne tetigeritis, ne ataminaueritis, ne gustaueritis, quae sunt omnia ad corruptelam. In corruptelam enim sunt, quae sunt in corporis indulgentiam. Et ideo ostendens, non per corporis indulgentiam, sed per animae eleuationem, & cordis humilitatem se inuenisse quod verum est, addidit, Nostra autem conuersatio in caelis est. Ibi igitur quaerit quod verum est, quod est & manet, & que in se colligat, & congregat omnem aciem virtutis suae, neque aliis committat & credat, sed seipsum cognoscat & intelligat, & quod sibi videtur verum esse, hoc sequendum nouerit: quod delectatione carnali eligendum aestimauerit, hoc sciat fallum, ab eo fugiat & recedat, quia fraudis est plenum. Merito ergo depretiauit & dehonestauit hoc corpus, corpus mortis appellans. Quis enim oculis potuit videre virtutis splendorem? quis iustitiam manibus comprehendere? quis sapientiam oculorum obtutibus intueri? Denique quando aliquid cogitamus, neminem nobis occurrere, neminem volumus obstreperare auribus nostris, atque ita intendimus animo, ut plerumque non videamus praesentia. Quinetiam in noctibus sincerius cogitamus, & tunc melius quae mouent, corde meditamus. Vnde & Propheta ait, Quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. Saepae etiam aliqui claudunt oculos siquid profundè volunt visu cogitationis erucere, oculorum impedimenta vitantes. Saepae etiam solitudines captamus, ne cuius sermo nostris auribus infurret, & quasi semita quaedam inherens cogitationi animam abducat a vero, atque ab intentione deflectat. Multas igitur occupationes nobis corporis huius necessitas gignit, atque usus inuehit, quibus impeditur animae vigor, ac reuocatur intentio. Vnde de se pulchre dicit sanctus Iob, Memoro quia lutum me finxisti. Si ergo lutum est corpus, oblinat nos utique, non diluit, & coinquinat animam inquinamento immoderantiae. Corium & carnem me,

inquit, induisti, ossibus & neruis intexuisti. Ligatur itaque & distenditur anima nostra istius corporis neruis, & ideo interdum rigescit, saepe curuatur. Et addidit, Ab iniquitate innocentem me non fecisti. Si enim impius fuero, vae mihi: si autem sim iustus, non potero caput reclinare. Plenus enim confusio nis sum. Induxisti super me tentationes. Quid enim est aliud haec vita, nisi plena laqueorum? Inter laqueos ambulamus, inter plurimas versamur tentationes. Denique idem supra ait, Numquid non tentatio est vita hominis in terra? Bene addidit, in terra, quia est vita hominis & in caelo. Sicut mercenarij, inquit, merces vita eius, in labore scilicet & tepore, leuior fabulis, & stuitans, & narans verbis: cuius habitatio in luteis domibus, & ipsa vita in luto, nulla firmitudo sententiae, nulla constantia. In die nox desideratur: in nocte dies quaeritur: ante escam gemitus, inter cibos fletus, lacrymae, dolores, timores, sollicitudines, nulla requies a perturbationibus, nulla a laboribus reclinatio, ira & indignationis motus horridior. Plerique cupiunt mortem, & non impetrant: si autem impetrauerint, gratulantur, quia sola est mors requies viro.

*Mortem omnino esse bonam tum quod sit finis peccati, tum quod ea mundum redemerit. C. A. P. IIII.*

Sed dicet aliquis scriptum esse quia Deus mortem non fecit. Vita erat in paradiso, vbi lignum vitae, & vita erat lux hominum. Mors igitur mala, quae accessit & subintravit. Sed quomodo mors mala, si aut secundum gentiles sensu caret, aut secundum Apostolum lucrum Christi est, cum quo esse multo melius? Quomodo igitur mors nobis malum, si nullus post mortem sensus est? Vbi enim nullus sensus, nullus utique iniuriae dolor, quia dolor sensus est. Aut quia est post mortem sensus, est etiam vita post mortem, & superstes mortis est anima quae sensu vititur, & vita fungitur. Cum autem manet post mortem vita atque anima, manet bonum, nec morte amittitur, sed augetur, nec villo impedimento mortis retardatur anima, sed operatur magis, quia operatur quae sua sunt, sine vlla societate corporis, quod animae maiori oneri quam vsui est. Quid igitur mali est animae, quae puritatem suam custodierit, & virtutum disciplinam serauerit? Aut si non serauerit, non mors malum, sed vita, quia vita non fuit. Quae est enim vita vitii peccatisque obsita? Quid igitur accusamus mortem, quae aut vitam pretium luit, aut abolet eius dolorem atque cruciatum? Itaque mors aut suae quietis bono vitatur aut malo alieno laborat. Nunc illud specta: Si vita oneri, mors absolutioni: si vita supplicio, mors remedio: aut si iudicium post mortem, etiam vita post mortem. Mors igitur ea non est bona? Aut si hic vita bona, quomodo mors non est bona, cum ibi nullus sit terribilis iudicij metus? Sed ipsa haec vita bona si est, quibus rebus bona est? Virtute utique, & bonis moribus. Non ergo secundum animam & corporis copulam bona est, sed quia per virtutem quod malum est suum repellit, quod autem bonum est mortis adipiscitur, ut quod anima est, magis quam id quod contubernij & conjunctionis operetur. Quod si vita bona, quae animam se a corpore separantis est speculum, & si anima bona quae

Philip. 3.

1. Cor. 2.

2. Cor. 4.

Colos. 2.

Philip. 3.

Rom. 7.

Psal. 4.

Iob. 10.

Ibid.

Ibid.

Ecl. 9.

Iob. 7.

Iob. 4.

Iob. 7.

Iob. 3.

I Cor. 15.

Sapient. 1.

Gen. 2.

Iuan. 1.

Philip. 3.

Sapient. 9.

Iuan. 14.

Psal. 102.

naque se eleuat atque abducit a corporis contubernio: & mors utique est bonum, quae animam a societate carnis huius absoluit & liberat. Omnifariam igitur mors est bonum: & quia compugnantia diuidit, ne se inuicem impugnet, & quia portus quidam est eorum qui magno vitae istius iactati salo, fidae quietis stationem requirunt; & quia deteriore statum non efficit, sed qualem in singulis inuenierit, talem iudicio futuro reseruat, & quiete ipsa fouet, & praesentium inuidiae subducit, & futurorum expectatione componit. Accedit eo, quod frustra homines mortem timent, quasi finem naturae. Nam si recolamus quod Deus mortem non fecerit, sed postquam homo lapsus in flagitium est praeruaricationis & fraudis, sententia eum comprehenderit ut in terram suam terra remearet, inuenimus mortem finem esse peccati: ne quo esset vita diuturnior, eo fieret culpa numerosior. Passus est igitur Dominus subintrare mortem, ut culpa cessaret. Sed ne iterum naturae finis esset in morte, data est resurrectio mortuorum: ut per mortem culpa deficeret, per resurrectionem autem perpetuaretur natura. Itaque mors haec transitus vniuersorum est. Opus est ut constantem transeas. Transitur autem a corruptione ad incorruptionem, a mortalitate ad immortalitatem, a perturbatione ad tranquillitatem. Non igitur nomen te mortis offendat, sed boni transitus beneficia delectent. Quid est enim mors, nisi sepultura vitiorum, virtutum suscitatio? Vnde & ille ait, Moriatur anima mea in inimis iustorum, id est, conspeliatur, ut sua vitia deponat, iustorum assumat gratiam, qui mortificationem Christi in corpore suo atque anima circumferunt. Mortificatio autem Christi, remissio peccatorum, abolitio criminum, erroris obliuio, assumptio gratiarum est. Quid autem de bono mortis plenius possumus dicere, quam quod mors est quae mundum redemit?

*Mortem non esse timendam: & qua ratione usum eius, dum in corpore sumus, imitari debeamus. C. A. P. V.*

Sed de communi omnium morte dicamus. Quid seam timeamus, quae animam nocere non solet? Scriptum est enim, Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Per mortem autem istam anima liberatur, dum a corporis contubernio secernitur, & inuolucris perturbationis exuitur. Vnde & nos dum in corpore sumus, usum mortis imitantes, abluemus animam nostram ex istius carnali cubili, & tamquam de isto exurgamus sepulcro. Abducamus nos a corporis nexu, relinquamus omnia quaecumque terrena sunt, ut cum venerit aduersarius, nihil in nobis inueniat suum. Contendamus ad illud aeternum, ad illud diuinum euolemus pennis dilectionis, & remigio charitatis. Surgamus hinc, hoc est, de saecularibus atque mundanis. Dixit enim Dominus, Surgite, camus hinc, praecipiens ut vnusquisque surgat de terrenis, erigat animam humi iacentem, ad superna attollat, excitet aquilam suam, illam de qua dictum est, Renouabitur sicut aquilae iuuentus tua. Ad animam hoc dictum est. Anima ergo nostra sicut aquila alta perat, supra nubes volet, renouatis splendescat exuuiis, caelo vo-

Sapient. 1.

Gen. 3.

I Cor. 15.

Num. 23.

2. Cor. 4.

Math. 10.

2. Cor. 5.

Iuan. 14.

Psal. 102.

latus suos inferat, vbi laqueos incurrere non possit. Auis enim quae descendit ex alto, vel quae in altum se extollere non potest, frequenter aut laqueis capitur, aut visco fallitur, aut quibuscumque irretitur infidiis. Sic quoque & anima nostra caueat ad haec mundana descendere. Laqueus in auro, viscus in argento, nexus in praedio, clausus est in amore. Dum aurum petimus, strangulamur: dum argentum quaerimus, in visco eius haeremus: dum praedium inuadimus, alligamur. Quid inane quaerimus lucrum, pretio sae animae detrimentum? Exiguus tibi est totus mundus pro vnus animae dispendio. Quid enim prodest homini si hunc mundum lucratur, animae vero suae detrimentum patiat? Aut quam commutationem dabis pro anima tua? Non auro redimitur, non argento, immo auro amittitur. Quinetiam mulieris decus dum tentat, astringit. Clausus est libido, clausus tristitia, clausus iracundia, clausi sunt omnes passiones, quae velut veru quodam animam nostram penetrant, & insigunt corpori, visceribusque eius annectunt. Fugiamus ergo haec mala, & transformemus animam nostram ad illam imaginem Dei & similitudinem. Fuga malorum, similitudo Dei est, & virtutibus imago Dei acquiritur. Ideo qui nos pinxit quasi auctor, pinxit virtutum coloribus: Ecce ego, inquit ad Hierusalem, pinxi muros tuos. Non detergamus peniculo negligetiae depicta animae nostrae muralia. Ideo dixit, Muros pinxi, quibus hostem possumus auertere. Habet anima muros suos, de quibus eminet, & de quibus ait, Ego ciuitas munita, ego ciuitas obfessa. His munitur muris, his obfessa defenditur. Et verè murus anima, quae praetendit in castris. Vnde & ipsa ait in Canticis: Ego murus, & vbera mea ut turris. Bonus murus quem pinxit Dominus, sicut ipse ait, In manibus meis pinxi muros tuos, & in conspectu meo es semper. Bona anima quae habet speculatorem Deum, & in manibus eius est, sicut anima prophetica, quae in manus Domini commendatur ut spiritus, & quae in conspectu Dei est. Oculi enim Domini super iustos, sicut & ipsa ait, Ego eram in oculis eius tamquam inueniens pacem. Bonas turres habet quae habet & de intelligibilibus verbum, & de moralibus disciplinam. Ideoque haec anima habens gratiam suorum vberum, ingreditur in hortos, & inueniens illic sponsum sedentem & disputantem cum amicis, ait, Qui sedes in hortis, vocem tuam insinua mihi. Mihi, inquit, non amicis. Fuge frater meus. Hortatur ut fugiat sponsum, quia iam sequi potest etiam ipsa terrena fugientem. Dicit autem ut similis sit damula, quae euadit de rebus. Vult enim & ipsa fugere & euolare supra mundum. Hinc hortum illum sibi Plato composuit, quem Iouis hortum alibi, alibi hortum mentis appellauit. Iouem enim & Deum & mentem totius dixit. In hunc introisse animam, quam Peniam nuncupat, ut se abundantia & diuitiis horti repletet, in quo repletus potu iaceret Porus, qui nectar effunderet. Hoc igitur ex libro Canticorum composuit, eo quod anima Deo adhaerens in hortum mentis ingressa sit, in quo esset abundantia diuersarum virtutum, floresque sermonum. Quis autem ignorat quod ex paradiso illo quem legimus in Genesi habentem lignum vitae, & lignum scientiae boni & mali, & ligna caetera

Luc. 9.

2. Cor. 3.

Esai. 49.

Esai. 27.

Cantic. 8.

Esai. 49.

Psal. 30.

Psal. 33.

Cantic. 8.

Ibid.

Plato in Symposio.

Cant. 8.

Gen. 2.

abundantiã virtutum putauerit transferendam, & in hortum mentis esse plantandam? Quem in Canticis canticorum Salomon hortum animæ significauit, vel ipsam animam. Sic enim scriptum est, Hortus clausus soror mea sponsa, hortus clausus, fons signatus, transiisiones tuæ paradus. Et infra ait anima, Exurge aquilo, & veni auster, perfla hortum meum, & desuuant vnguenta mea. Descendat frater meus in hortum suum. Quanto hoc pulchrius quod anima ornata virtutum floribus hortus sit, vel in se paradisum habeat germinantem? In quem hortum inuitat verbum Dei descendere, vt anima illa verbi imbre cælestis, & eius copiis irrigata fructificet. Verbum autē Dei pascitur animæ virtutibus, quoties obedientem sibi & opimam inuenit, & carpit fructus eius, atque his delectatur. Cum autem descenderit in eam Dei verbum, desuunt ex ea salubrium vnguenta verborum, & diuersarum fragrant longè lateque redolentia gratiarum spiramina. Vnde ait sponsus (Sponsus autem animæ, Deus verbum est, cui anima legitimo quodam connubij fœdere copulatur.) Ingressus sum in hortum meum soror mea sponsa, vindemiaui myrrham meam cum vnguentis meis, manducaui panem meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Edite proximi mei, & bibite, & inebriamini fratres mei. Ego dormio, & cor meum vigilat. Cognoscamus quos fructus & cibos epuletur Deus, quibusve delectetur. Delectatur eo si quis mortificet peccatū suum, obliteret culpā suam, sepeliat atque aboleat iniquitates suas. Myrrha enim est sepultura mortuorum. Mortua autem peccata sunt, quæ vitæ suauitatem habere non possunt. Perfunduntur autem diuini sermonis vnguentis, & fortiore cibo verbi velut panis, & suauiore sermone velut melle curantur quædam vulnera delictorum. Sermones autem cibos esse docet & alibi Salomon dicens, Fauis mellis, sermones boni. In illo ergo hortu sermones boni sunt, alius qui culpam coerceat, alius qui iniquitatem corripiat, alius qui mori faciat insolentiam, & velut sepeliat eam, quado correptus aliquis erroribus suis renuntiat. Est etiam sermo fortior, qui confirmat cor hominis validioribus scripturæ cælestis alimentis. Est etiam sermo suavior, dulcis vt mel, & tamen peccatoris conscientiam in ipsa suauitate compungens. Est etiam feruentioris spiritus sermo, qui inebriat sicut vinum, & cor hominis latificat. Est etiam lactis sermo, purus & candidus. Hos cibos dulcium vtiliumque sermonum epulandos sponsus proximis suis dicit, Edite proximi mei, & bibite & inebriamini fratres mei. Proximi autem sunt qui eum sequuntur, & nuptiis eius interfunt. Quo cibo & potu repleta anima (bibit enim vnusquisque aquam de suis vasis, & de puteorum suorum fontibus) atque inebriata, sæculo dormiebat, vigilabat Deo. Et ideo sicut posteriora docent, aperiri sibi Deus verbum eius ianuam postulabat, vt eam suo repleret ingressu. Hinc ergo epulatores illi Platonici, hinc nectar illud ex vino & melle prophetico, hinc somnus ille trāslatus est, hinc vita illa perpetua, quā deos suos dixit epulari, quia Christus vita est. Ideoq; taliū sermonū seminibus animæ repletus est veter, atque ipsa exiuit in verbo. Quæ autē exit anima seruitio isto, & cleuat se à corpore, verbū sequitur,

Cant. 4.  
Ibid.  
Cant. 5.  
Cant. 5.  
Prouerb. 16.  
Psal. 103.  
Ibid.  
Cantic. 5.  
Prouerb. 5.  
M. Cicero lib. 1. Tuscul. quest.  
Ivan. 24.  
Cant. 5.

Omnia hoc in mundo plena esse laqueorum. CAP. VI.

**S**ed sunt principatus aërij, & potestates mundi, qui nos velut de muro deicere animæ, vel impedire rectè gradientes, vel ad altiora tendentes quærunt deponere, & ad terrena reuocare. Sed nos multo magis ad sublimia mentem erigamus, verbum sequentes Dei. Illi principatus secularia ostundunt, quibus tuam mentem incurrent, tu magis ad Christum dirige gressus tuos. Iniiiciunt cupiditatem auri, argenti, vicinæ possessionis, vt acquirēdæ eius gratia excuses à cœna illius qui ad nuptias verbi te inuitauit. Tu caue ne excuses, sed vestem te indue nuptialem, & vtere conuiuio diuitis, ne diues qui te inuitauerat, cum excusaueris te, dum es secularibus occupatus, alios inuitet, & tu excludaris. Iniiiciunt etiam honoris appetentiam potestates mundi, vt te extollas sicut Adam: & dum vis adæquari Deo similitudine potestatis, diuina præcepta despicias, & quæ habebas incipias amittere. Qui enim non habet, & quod habet auferetur ab eo. Quotiens in oratione nobis, qua maximè Deo appropinquamus, offundunt ea quæ plena sunt opprobrij aliquid aut sceleris, quò nos à studio precatationis auertat? Quotiens inimicus cordi nostro conatur inserere, quò nos reflectat à sanctitatis proposito & piis votis? Quotiens corporeos inflammat ardore? Quotiens occurfare facit oculos meretricios, quibus castū iusti tentent affectum, vt improuiso amoris spiculo feriat imparatum? Quotiens in ferit animo tuo verbum iniquum, & cogitationes cordis absconditas? de quo tibi dicit lex, Attende tibi ne fiat verbum absconditum in corde tuo iniquum, & dicat tibi Dominus, Quid cogitas mala in corde tuo? Nèue cum abundaueris auro & argento, & opimis agrorum fructibus, vel honoribus, dicas, Virtus mea dedit mihi hæc, & obliuiscaris Dominum Deum tuum. His ergo anima que cupit euolare, deponitur. Sed tu oblitare quasi bonus miles Christi Iesu, & inferiora obliuiscens, terrena despiciens, ad cælestia & æterna contende. Attolle animam tuam, ne eam illiciat esca laqueorum. Voluptates sæculi, et cæ quædam sunt: (quod peius est) esca malorum, esca tætionū. Dñi voluptatē quæris, laqueos incurris. Oculis enim meretricis, laqueus amatoris est. Oculis ergo meretricis est laqueus. Laqueus est etiam sermo meretricis, qui obdulcat ad tempus fauces tuas, & postea exasperat eas amaritudine conscientie peccatricis. Laqueus est aliena possessio plena amœnitatis. Omne iter istius vitæ, plenum laqueorum est. Vnde iustus dicit, In via hac qua ambulabam, abscondentur laqueos mihi. In via, inquit, hac absconderunt. Ideo tu illam viam ambula quæ dicit, Ego sum via & veritas, & vita: vt dicas, Animam meam conuertit, deduxit me super semitas iustitiæ propter nomē suum. Morietur igitur nobis hoc sæculum, morietur nobis carnis istius sapientia, quæ inimica est Deo. Subiciamus animam nostram soli Christo, vt dicat vnusquisque, Nonne Deo subiecta est anima mea? Non sæculo subdita, non mundo, inquit, subdita. Non potest hoc pecuniosus, non potest auarus dicere, sed dicit iustus & continens. Auarus autem dicit, Anima, habes multa bona in

Ephes. 6.  
Matth. 4.  
Matth. 22.  
Gen. 3.  
Matth. 13.  
Deut. 15.  
Matth. 9.  
Deut. 8.  
2. Tim. 1.  
Philip. 3.  
Prouer. 5.  
Psal. 141.  
Ioan. 14.  
Psal. 22.  
Rom. 8.  
Psal. 61.  
Luc. 12.

annos multos posita, requiesce, manduca, bibe, epulare, quia auari anima subdita est luxuriæ corporali, iusti autem anima vtitur corpore vt instrumēto aut organo, quæ velut præclara artifex quòd vult obsequiū corporis ducit, & effingit de eo speciem quam elegerit, & eas quas voluerit facit in eo resonare virtutes, pangens nunc modulos castitatis, nunc modulos temperatiæ, sobrietatis carmen, integritatis dulcedinē, virginitatis suauitatē, grauitatem viduitatis. Interdum tamen modulator cõpatitur organo suo. Et ideo honesta modulare, vt sit honesta cõpassio. Nam & ille qui videt, videndo plerumque, & audiēs audiendo afficitur. Et ideo dicit scriptura, Oculi tui recta videant. Et infra, Ne multus fueris ad alienam. Noli intendere in oculos iuenculæ: noli intendere in verba meretricis.

Prov. 4.  
Ecdi. 6.  
Rom. 7.  
Galat. 5.  
Sapient. 9.  
1. Cor. 12.  
Matth. 26.  
Ioan. 12.  
Psal. 23.

Varias huius vitæ esse molestias. CAP. VII.

**E**t quid de extraneis laqueis loquor? Nostri nobis laquei sunt cauedi. In ipso hoc corpore nostro laquei circumfusi nobis sunt, quos debemus vitare. Non credamus nos huic corpori, non miscamus cum eo animam nostram. Cum amico, inquit, misce animam tuam, nõ cum inimico. Inimicū tibi est corpus tuū, quod repugnat menti tue, cuius opera inimicitia, dissensiones, lites, perturbationesque sunt. Noli cum eo miscere animā tuam, ne vtrumque confundas. Nan si miscetur, ergo melior fit caro quæ inferior est, quàm anima quæ superior: quia anima vitam corpori tradit, caro autem mortē animæ trāsfundit. Cõfunditur ergo vtriusque operatio, confunditur propè ipsa vtriusque substantia. Igitur suscipit in se anima insensibilitatem defuncti corporis, & corpus omnibus animæ virtutibus fungitur. Ac ne fortè quia infunditur anima corpori, etiam confundi putetur, exemplum nobis sit huius luminis gratia. Siquidē & lumē terreno loco infunditur, nec tamē cõfunditur. Non sit ergo cõfusa operatio, quorum dispar substantia est: sed sit anima in corpore vt viuificet corpus, gubernet, illuminet. Negare tamē non possumus quòd compatiatur corpori suo, nam & contristatur. Siquidem Iesus ait, Tristis est anima mea vique ad mortem; affectum hominis in se exprimit. Et alibi, Anima mea turbata est. Siquidē & modulator modulis suis, aut tibi, aut cithara, aut organi voce, gestu, affectūque compatiatur. In tristibus sonis tristior, in latis latior, in acutioribus excitior, in ipsis mitiorib; mitior atque mansuetior, vt sonos cātum ipse commēdet, & quodammodo moduletur affectus. Anima quoque in hoc corpore tamquam in fidibus musicis, quæ sobria est, cum summis (vt ita dicam) digitis vel neruorum sonos ita pulsat carnis passiones, vt consonum reddat morum atque virtutum conscientiamque concētum, vt in omnibus cogitationibus suis, in omnibus operibus id custodiat, vt omnia cõsilia & facta sibi concināt. Anima est ergo quæ vtitur, corpus quod vsui est: ac per hoc aliud quod in imperio, aliud quod in ministerio: aliud quod sumus, aliud quod nostrū est. Si quis animæ pulchritudinem diligit, nos diligit: si quis corporis decorem diligit, non ipsum hominem, sed carnis diligit pulchritudinem, quæ tamē citò marcescit & desuuit. Vnde illi intende, de quo dicit Propheta: Qui non accepit in vanum animam suam. In vanum accepit animam suam (vt iam de huius vitæ dicamus molestiis) qui secularia fruit, ædificat corporalia. Quotidie ad edēdum & bibendum surgimus, & nullus expletur, vt non post momentum esuriat ac sitiatur. Quotidie lucrum quærimus, & nullus cupiditati modus ponitur. Non fatiabitur, inquit, oculus visu, nec auris auditu. Qui diligit argentum, non satiatur argento. Nullus finis laboris, & nullus est fructus abundantia. Cupimus quotidie scire noua: & quid est ipsa sciētia, nisi quotidiani doloris adiectio? Omnia quæ sunt, iam fuerūt, & nihil sub sole est nouū, sed omnia vanitas. Vitam odio habui, dixit Ecclesiastes. Qui vitā odio habuit, mortē vtiq; prædicauit. Deniq; mortuos laudauit magis quā viuentes: & illū iudicauit beatum, qui in hæc vitā non venit, nec inanem hūc suscepit laborem. Circuuiuit, inquit, cor meum vt considerarem & quærerem sapientiam & numerum, & vt scirem impij lætitiā & molestiam & iactationem, & inueni ego eam amariorem morte: non quia amara sit mors, sed quia impio amara: & tamen amarior vita quàm mors. Grauius est enim ad peccatum viuere, quàm in peccato mori: quia impius quamdiu viuuit, peccatū auget: moriatur, peccare desinit. Plerique criminum suorum absolutione lætantur. Si emēdaturi sunt, rectè: si perseueraturi in eis, stultè: quia longè illis plus damnatio profuisset, ne incrementa facerent peccatorum. De quo sublimis est sententia Apostoli dicentis, quòd non solum ij qui flagitiosa agūt, sed etiam qui ea approbant, digni morte sunt: sed illos qui talia condemnant in alijs qualia ipsi agūt, inexcusabiles haberi, & sua damnatos sententia. Cum enim alios condemnant, se ipsos condemnant. Nec sibi eos blandiri oportere, quia pœnarum ad tempus immunes vidētur, & exortes reatus, cum grauiore pœnas intra se luant, & sibi rei sint, quia alijs non vidētur, atque in se intorqueat grauiorem conscientie sententiam, cum de aliorum peccatis iudicant. Sed noli, inquit, o homo, diuinæ bonitatis & patientiæ thesauros contemnere. Bonitas enim Dei ad pœnitentiam te prouocat, ad correctionem inuitat: duritia autem tua qua in erroris pertinacia perseueras, futuri iudicij auget seueritatē, vt dignam retributionem tuorum accipias delictorum. Non igitur mors malum. Nam neque apud viuentē mors est, neque apud defunctos. Apud alios enim non est, quia adhuc viuunt. alij transferunt. Itaque neque apud eos mala est qui eam adhuc nesciunt, hoc ipso quia nesciunt; neque apud eos qui iam & secundum corpus nihil sentiūt, & secundū animā liberati sunt. Mortem ipsam non esse terribilem, sed opinionem de morte.

Cap. VIII.  
Quòd si terribilis apud viuentes æstimatur, non mors ipsa terribilis est, sed opinio de morte, quā vnusquisque pro suo interpretatur affectu, aut pro sua conscientia perhorrescit. Sux igitur vnusquisque conscientie vulnus accuset, non mortis acerbitatem. Denique iustis mors quietis est portus, nocentibus naufragium putatur. Certè ijs quibus grauis est timor mortis, non est graue mori, sed graue est viuere sub metu mortis. Non ergo mors grauis, sed metus mortis. Metus autem opinionis est, opinio verò nostræ infirmitatis, contraria veritati. Nam per

CAP. VIII.

Qvòd si terribilis apud viuentes æstimatur, non mors ipsa terribilis est, sed opinio de morte, quā vnusquisque pro suo interpretatur affectu, aut pro sua conscientia perhorrescit. Sux igitur vnusquisque conscientie vulnus accuset, non mortis acerbitatem. Denique iustis mors quietis est portus, nocentibus naufragium putatur. Certè ijs quibus grauis est timor mortis, non est graue mori, sed graue est viuere sub metu mortis. Non ergo mors grauis, sed metus mortis. Metus autem opinionis est, opinio verò nostræ infirmitatis, contraria veritati. Nam per

Ecdi. 1.  
Ibid.  
Ecdi. 2.  
Ecdi. 4.  
Ecdi. 7.  
Rom. 2.  
Ibid.  
Aristo. lib. 4. Ethic. cap. 1.  
Rom. 2.

veritatem virtus, per opinionem infirmitas. Opinio autem non mortis vtiq; sed vitæ est. Ergo illud graue vita magis inuenitur esse. Liqueat igitur quia mortis metus non ad mortem referendus est, sed ad vitã. Non enim habemus quod in morte metuamus, si nihil quod timendum sit vita nostra commisit. Etenim prudentibus delictorum supplicia terrori sunt; delicta autem non mortuorum actus sunt, sed viuentium. Vita igitur ad nos refertur, cuius actus in nostra potestate est, mors autem nihil ad nos: Est enim separatio animæ & corporis. Anima absoluitur, corpus resoluitur. Quæ absoluitur, gaudet: quod resoluitur, nihil sentit: quod nihil sentit, nihil agnoscit. Tamen si mors malum quomodo iuuenes non timent fieri senes, nec finitimam morti verentur atatem? Patientiusque deficit qui præsumpta morte deficit, quam qui inopinata. His quoque qui mortem malum putant, aptum responsum arbitror, quia per vitam ad mortem est transitus, per mortem autem ad vitam reditus. Neque enim nisi qui mortui fuerint, possunt resurgere. Insuper autem mortem quasi summum malorum reformidant, sapientes quasi quietem post labores & sine malorum expetunt. Duabus autem ex causis mortem insipientes verentur: Vna, quod eam interitum appellat. Interitus autem hominis esse non potest, cum anima superstes corpori sit, saluo eo quod ipsum corpus maneat resurrectio. Altera autem causa, quod pœnas reformidat, poctarum videlicet fabulis territi, latratus Cerberi & Cocytii fluminis tristé voragine, & Charotem tristioem, furiarum agmina, aut prærupta tartara, in quibus Hydra fauoris sedem habeat. Tityi quoque viscera reparandis fecunda suppliciiis, quæ vultur immanis sine vlllo sine depascitur. Ixionij quoque orbis perpetuam sub pœnæ atrocitate vertiginem, & saxi desuper imminentis super capita accubantium inter epulas impendentem ruinam. Hæc plena sunt fabularum: nec tamen negauerim pœnas esse post mortem. Sed quid ad mortem id quod post mortem est? Si autem quæ post mortem sunt, referantur ad mortem: eadem etiam quæ post vitam sunt, referantur ad vitam. Nulla ergo erunt supplicia quæ referantur ad mortem. Mors enim, vt supra diximus, absolutio est & separatio animæ & corporis. Non est autem mala solutio, quia dissolui & esse cum Christo, multo melius. Non igitur mala mors. Denique mors peccatorum pessima. Non vtiq; mors pessima generaliter, sed pessima specialiter peccatorum. Denique pretiosa iustorum. Vnde liqueat acerbiter non mortis esse, sed culpæ. Pulchrè autem Græci à sine mortem appellauerunt. τεινέτω enim mortem appellant, eo quod finis istius vitæ sit. Sed etiam somnum scriptura nūcupat mortem, sicut est illud, Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno suscitem eum. Somnus autem bonus, quoniam quies est, sicut scriptum est, Ego dormiui, & requeiui, & surrexi, quoniam Dominus suscepit me. Dulcis igitur quies mortis. Denique Dominus suscitauit quiescentes, quia Dominus est resurrectio. Illud quoque egregium, quod ait scriptura: Ante mortem non laudaueris quemquam. Vnusquisque enim in nouissimis suis cognoscitur, & in filiis suis æstimatur, si bene filios suos instituit, & disciplinis competentibus erudiuit. Siquidem ad

negligentiam patris refertur dissolutio filiorum. Tum quia vnusquisque quamdiu viuit, obnoxius est lapsui, nec senectus immunis à crimine: ideo legis quia Abraham mortuus est in senectute bona, eo quod in bonitate propositi sui permanit. Mors igitur vitæ est testimonium. Nam si laudari ante gubernator non potest, quam in portum nauem deduxerit: quomodo laudabis hominem prius quam in stationem mortis successerit? Et ipse sui est gubernator, & ipse vitæ huius iactatur profundo. Quamdiu in solo isto, tamdiu inter naufragia. Dux ipse nisi confecto prælio non sumit lauream, nec miles arma deponit, nec stipendij mercedem adipiscitur, nisi hoste superato. Mors igitur stipendiorum plenitudo, summa mercedis, gratia missionis est. Quantum autem morti dedit sanctus Iob, qui dixit, Benedictio morituri in me veniat? Nam etsi Isaac benedixit filios suos moriens, & Iacob benedixit patriarchas; tamen benedictionis illius gratia poterat solis benedictentium meritis deputari, vel pietatis paternæ. Hic verò nulla prærogatiua meritorum est, nulla pietatis, sed solius mortis priuilegiu: cum benedictio cuiusque morituri tantum virtutis habeat, vt eam sibi sanctus propheta optauerit. Ac per hoc cogitemus semper hunc versiculũ, & corde teneamus. Si quem viderimus pauperem moriturum, sumptu iuuenem & dicat vnusquisque nostrum, Benedictio morituri in me veniat. Si quem viderimus debilem, non deseramus: si quem in extremis positum, non relinquamus. occurat & nobis dicere, Benedictio morituri in me veniat. Laudet & te vnusquisque moriturus, vnusquisque depositus auro, vnusquisque confectus vulnere graui, vnusquisque morbo absumptus, & iam morti proximus. Hic versiculus quantos benedici fecit? quotiens mihi pudorem incussit, si moriturum præterij, si non visitauit grauius ægrum, si fastidiui inopem, si captiuum non redemi, si senem spreui? Sit ergo in corde id semper, vt stimulet duriores, vt admoneat promptiores. Resonent te postrema verba morituri, & benedictionem tui egrediens corpore anima secũ vehat. Eripe etiã eum qui ad mortem ducitur, qui periturus erat, nisi tu subuenisses, vt dicas, Benedictio morituri veniat in me.

*Animam non interire cum corpore. Cap. IX.*

**Q**uis igitur dubitet de bono mortis, cum id quod inquietum, id quod erubescendum, id quod inimicũ nobis est, id quod violẽtum, id quod procellosum, & ad omnia vitia illecebrosus est, cõquiescat & iacat, & quasi fera claudatur cauea sepulcri, relinquatur rabies eius exanimis, & emortua cõpago viscerum in terrã resoluatur: id autem quod familiare virtutibus, amicis disciplinis, studiosum gloria, sequax boni, Deo subditum est, ad illud sublime euolet, & cum illo puro & perpetuo bono atque immortalis maneat, ipsi adhæreat, & cum ipso sit, de quo cognationem ducit, vt quidam ait, Cuius & genus sumus? Non enim mori animam cum corpore manifestũ est, quia non est de corpore. Non esse autem eam de corpore, scriptura multis modis edocet. Nam & Adã à Domino Deo nostro accepit spiritum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Et David ait, Conuertere anima

Gen. 25.  
Iob. 29.  
Gen. 27.  
Gen. 49.  
Iob. 29.  
Gen. 27.  
Gen. 49.  
Iob. 29.  
Prou. 4.  
Eccl. 20.  
Math. 5.  
Prou. 24.  
Iob. 29.  
Prou. 6.  
Ibid.  
Prou. 9.  
Psal. 17.  
Ibid.  
Ibid.  
Gen. 2.

mea in requiem tuã, quia Dominus benefecit tibi. Et in quo benefecerit, audi. Quia liberauit, inquit, pedes meos à lapsu. Vides gratulari eum mortis huius remedio, quia finis factus est erroris, quia culpa, non natura defecit. Vnde quasi exutus & liber, dicit, Placebo Domino in regione viuorum. Illa est enim viuorum regio. Denique illam animarum quietem, dicit terram esse viuẽtium, quod peccata non penetrant, vbi virtutum viuunt gloria. Ista autem regio plena est mortuorum, quia plena delictorum: meritoque dictum est: Relinque mortuos sepelire mortuos suos. Sed & David alibi ait, Anima eius in bonis demorabitur, & semen eius hereditabit terrã, hoc est, Anima timentis Deum habitabit in bonis, vt semper in eis sit, & possideat ea. Quod potest etiã de eo accipi qui sit in corpore, vt & ipse si timeat Deũ, in bonis habitet, & in celestibus sit, & possideat corpus suum, & dominetur ei quasi in seruitutem redacto, & possideat hereditatem gloriae & celestium promissorum. Vnde & nos si volumus post mortem corporis huius in bonis esse, caueamus ne agglutinetur anima nostra huic corpori, ne commisceatur, ne in hæreat, ne trahatur à corpore, & tãquam ebria perturbationibus eius vacillet & fluet, ne se ei credat atque eius delectationibus, vt committat se eius sensibus. Nam & oculus eius error & fraus est, quia fallitur visus: & auris eius deceptio est, quia & auditus illuditur, & sapor eius deceptio est. Ideo nõ otiose dictum est, Oculi tui recta videant, & lingua tua non loquatur peruersa. Quod non esset dictum, nisi frequenter erraret. Vidisti meretricem, captus es vultu eius, & forma decoram putasti: errauerunt oculi tui, peruersa viderunt, aliena nuntiauerunt. Nam si verè vidissent, vidissent deformem meretricis affectum, inhorrentem procaciam, indecentem impudicitiam, marcentes libidines, tetram colluionem, animæ vulnera, conscientia cicatrices. Qui viderit, inquit, mulierẽ ad concupiscendũ eam, iam mœchatus est in corde suo. Vides quod iste falsum quæsuit, qui non veritatem, sed adulterium requisit. Videre enim quæsuit vt concupisceret, non vt verum cognosceret. Errat igitur oculus, vbi errat affectus. Affectus ergo deceptio est: deceptio visus. Et ideo tibi dicitur, Ne capiaris oculis tuis, id est, non capiatur anima tua. Mulier enim virorũ pretiosas animas capit. Deceptio est auditus. Deniq; blandimento multo sermonis mulier fornicaria sæpe iuuenis cor seduxit, decepit, illudit. Ergo nõ laqueis nos credamus & retibus iis quæ decipiunt & illudunt, quia corda tẽtantur, impediunt cogitationes, quæ impediunt risu, impediunt auditu, odore, tactu, sapore. Non sequamur illecebrosã & seductoria, sed sequamur illud quod bonũ est: illi adhæreamus, illud imitemur: illius præsentia, illius cõmunicatio nos meliores faciat, mores nostros coloret, illius quædã nos societas informet. Qui enim bono adhæret, assumit inde quod bonũ est, quia scriptũ est, Cum sancto sanctus eris, & cũ peruerso peruersus eris, & cũ innocente innocẽs eris. Alsiduitate enim atq; imitatione quædã similitudinis imago formatur. Ideoq; addidit, Quoniã tu illuminas lucernam meã Domine. Etenim qui appropinquat lumini, citius illuminatur, & plus in eo splendor æterni luminis

resurget è proximo. Ergo anima illa quæ adhæret inuisibili bono Deo atq; immortalis, & ipsa corporea hæc fugit, & terrena & mortalia derelinquit, fitque illius similis quod desiderat, in quo viuunt & pascitur: & quia immortalis intendit, non est ipsa mortalis. Quæ enim peccat, moritur, non vtiq; aliqua sui dissolutione, sed merito moritur Deo, quia viuunt peccato. Ergo quæ non peccat, nõ moritur, quia manet in substantia sui, manet in virtute & gloria. Nam quomodo substantia eius interire potest, quum vtiq; anima sit quæ vitam infundit? Et cui anima infunditur, vita infunditur: à quo anima discedit, vita discedit. Anima ergo vita est. Quomodo enim potest mortem recipere, cum sit contraria? Sicut enim nix calorem non recipit, nam statim soluitur, & lux non recipit tenebras, nam statim discutit (infulo enim lumine, tenebrarum horror aufertur, sicut admoto igne niuium rigor desinit) ita & anima quæ vitam creat, mortem non recipit, nec moritur.

*Animam non mori cum corpore, scripturæ testimonio comprobatur. C. AP. X.*

**S**ed hæc humana, illud diuinum, quod ait Dominus, Potestatem habeo ponendi animã meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Vides igitur quia non moritur cum corpore, quæ & ponitur & resumitur, & in manus Dei patris commendatur? Sed ne fortè dicas speciale esse quod Christi est, quamuis ille quæ sunt hominis suscepit, tamen quia altioris est causæ istud adstruere, ne tẽpus craftinetur, audi dicentem, Quid scis an nocte hæc à te tua anima reposcatur? Numquid dixit, Moriatur in te anima tua? Non, sed, reposcatur à te. Quæ data est, reposcitur, vel repetunt à te. Repetitur enim anima, non interimitur. Quod repetitur, manet: quod interimitur, non manet. Quomodo enim interimitur, de qua dixit sapientia Dei, non timendum quemquam qui potest corpus occidere, animam autem non potest? De qua dicit Propheta, Anima mea in manibus tuis semper. Semper, inquit, non in tempore. Et tu commenda animam tuam in manus Domini: non solum cum recedit è corpore, sed etiam cum est in corpore, est in manibus Domini, quia non vides eam vnde veniat, aut quò vadat. Est enim in te, & est cum Deo. Deniq; cor regis in manu Domini, & ab eo regitur & gubernatur. Cor repletur mente, & mens animæ principale est, & virtus animæ. Non eam virtutem dico quæ in lacertis, sed quæ in cõsiliis, tẽperantia, pietate, atq; iustitia est. Si cor hominis in manu Domini, multo magis anima. Si anima in manu Dei est, non vtiq; anima nostra sepulcro simul cũ corpore includitur: nec busto tenetur, sed quiete pia fungitur. Et ideo homines frustra pretiosa struunt sepulcra, quasi ea animæ, & non solius corporis receptacula sint. Animarum autem superiora esse habitacula, scripturæ testimonio valde probatur. Siquidem & in Esdræ libris legimus, Quia cum venerit iudicij dies, reddet terra defunctorum corpora, & puluis reddet eas quæ in tumulis quiescunt reliquias mortuorum. Et promptuaria, inquit, reddent animas quæ his commendatæ sunt, & reuelabitur altissimus super sedem iudicij. Hæc sunt habitationes de

Ibidem.  
Ibid.  
Ips. 16.  
Math. 8.  
Ips. 24.  
Iob. 29.  
Gen. 27.  
Gen. 49.  
Iob. 29.  
Prou. 4.  
Eccl. 20.  
Math. 5.  
Prou. 24.  
Iob. 29.  
Prou. 6.  
Ibid.  
Prou. 9.  
Psal. 17.  
Ibid.  
Ibid.  
Gen. 2.

I Cor. 15.

Virginius lib. 6. Aeneid.

Supra. cap. 4. huius libri. Philip. 1.

Psal. 33.

Psal. 115.

Ioan. 11. Psal. 3.

Ioan. 11.

Eccl. 17.

1. Tim. 5.

1. Tim. 3.  
Eccl. 18.  
Ioan. 10.  
Luc. 23.  
Luc. 12.  
Math. 10.  
Psal. 118.  
Psal. 30.  
Ioan. 3.  
Prou. 26.  
Ibid.  
Ioan. 14.



quibus dicit Dominus, multas mansiones esse apud G patrem suum, quas suis, pergens ad patrē, discipulis prępararet. Sed Esdrę vsus sum scriptis, vt cognoscant gentiles, ea quę in philosophię libris miratur, translata de nostris. Atque vti nam non superflua his & inutilia miscuissent, vt dicerent animas hominum pariter ac bestiarum esse communes, carumque summum pręmium, si magnorum philosophorum animę in apes aut luscinijs demigrarent: vt qui antē hominum genus sermone pauissent, postea mellis dulcedine, aut cantus suauitate mulcerent. Satis fuerat dixisse illis quod liberatę animę de corporibus *lib. 10. de Repub.* peterent, id est, locum qui non videtur, quē locū Latinē infernū dicimus. Deniq; scriptura habitacula illa animarum prōptuaria nūcupauit, quę occurrēs querelę humanę, eo quod iusti qui pręcesserunt, videantur vtiq; ad iudicij diē, per plurimum scilicet temporis, debita sibi remuneratione fraudari, mirabiliter ait coronę esse similem illum iudicij diem, in quo sicut non nouissimorum tarditas, sic nec priorum velocitas. Coronę enim dies expectatur ab omnibus, vt intra eum diem & victi erubescāt, & victores palmam adipiscantur victoria. Illud quoque non reliquit occultum, quod superiores videantur qui antē generati sunt, infirmiores qui postea. Comparauit enim vtero mulieris partus huius sæculi: quoniam fortiores sunt qui in virtute iuuentutis nati sunt, infirmiores qui tempore senectutis. Deficit enim multitudine generationis hoc sæculum tamquam vulua generantis, & tamquam senescens creatura robur iuuentutis suę, velut marcētiam virium suarum vigore deponit. Ergo dum expectatur plenitudo temporis, expectant animę remunerationem debitam. Alias manet pœna, alias gloria: & tamen nec illę interim sine iniuria, nec istę sine fructu sunt. Nam & illę videntes seruantibus legē Dei repositam esse mercedem glorię, conseruari earum ab angelis habitacula, sibi autem dissimulationis & contumacię supplicia futura, & pudorem & confusionem, vt intuentes gloriam altissimi, erubescant in eius conspectum venire, cuius mandatum temerauerunt. Sicut enim pręuaricatio Adę, ita & confusio: quoniam sicut ille per incuriam mandatorum cęlestium lapsus est, & pudore se prolapsione abscondit, fulgorem diuinę pręsentię verecundia peccatricis conscientię subire non ausus: ita & animę peccatorum vibrantis luminis eius splendorem non sustinebant, quo teste se reminiscuntur errasse.

*Que sit animarum post hanc vitam futura lętitia. Cap. XI.*

Istarum autem animarum per ordines quosdam digesta lętitia. Primum, quod vicerint carnē, nec illecebris eius inflexę sint. Deinde, quod pretio sedulitatis & innocentię suę securitate potiantur, nec quibusdam sicut impiorum animę erroribus & perturbationibus implicentur, atque vitiorum suorum memoria torquentur, & exagitentur quibusdam curarum artibus. Tertio, quod seruata ē se legis diuino testimonio fulciantur, vt factorum suorum incertum supremo iudicio non vereantur euentum. Quarto, quia incipiunt intelligere requiē suam & futuram sui gloriam pręuidere, eaque se consolatione mulcentes, in habitaculis suis cum magna trā-

quillitate requiescent, stipatę prędijs angelorum. Quintus autem ordo, exultationis vberimę habet suauitatem, quod ex hoc corruptibilis corporis carcere in lucem libertatēque peruenerint, & repositam sibi possideant hęreditatem. Est enim ordo quietis, quia est & resurrectionis. Sicut enim in Adā omnes moriuntur, ita & in Christo, inquit, omnes viuificabuntur. Vnusquisque autem in ordine suo: primitię Christus; deinde qui sunt Christi, qui in aduentum eius crediderūt, deinde finis. Erit igitur ordo diuersus claritatis & glorię, sicut erit ordo meritorum. Processus quoque ordinum, processum exprimit claritatis. Denique sexto ordine demonstrabitur iis, quod vultus earum sicut sol incipiat resurgere, & stellarum luminibus comparari, vt fulgor earū corruptelam iam sentire non possit. Septimus verō ordo his erit, vt exultent cum fiducia, & sine vlla cunctatione confidant, & sine trepidatione letentur, festinantes vultum eius videre, cui sedulę seruitutis obsequia detulerunt: de quo innoxie conscientię recordatione pręsumant gloriosam mercedem laboris exigui, quam incipientes recipere, cognoscant indignas esse huius temporis pansiones; quibus remunerationis aternę gloria refertur. Hic ordo, inquit, animarum, quę sunt iustorum, quos etiam immortales non dubitauit dicere in quinto ordine; eo quod spatium, inquit, incipiunt recipere fruente & immortales. Hęc est, inquit, requies earum per septem ordines, & futura glorię prima perfectio, priusquam in suis habitationibus quietę congregationis munere perfruantur. Vnde ait Propheta ad angelum, Ergo dabitur tempus animabus postquam separatę fuerint de corpore, vt videant de quo modo dixisti? Et dixit angelus, Septem dies erit libertas earum, vt videant in septem diebus, qui prędicti sunt sermones, & postea congregabuntur in habitaculis suis. Hęc ideo plenius de iustorum ordine expressa sunt, quām de pansionibus impiorum: quia melius est cognoscere quomodo innocētes saluentur, quām quomodo crucientur flagitiosi. Ergo quia iusti hanc remunerationem habent, vt videant faciē Dei, & lumen illud quod illuminat omnem hominem, ab hinc induamus huiusmodi studium, vt appropinquet anima nostra Deo, appropinquet oratio, adhæreat illi nostrum desiderium, non separemur ab eo. Et hęc quidem positi, meditando, legendo, quarendo copulemur Deo, cognoscamus cum vt possumus. Ex parte enim hęc cognoscimus, quia hęc imperfecta, illic perfecta omnia; hęc paruuli, illic robusti. Videmus, inquit, nunc per speculū in anigmate, tunc autem facie ad faciem. Tunc reuelata facie gloriam Domini speculari licebit, quam nunc animę corporis huius concretis visceribus inuolutę, & quibusdam carnis huius maculis & colluionibus obumbratę sincerē videre non possunt. Quis enim, inquit, videbit vultum meum, & viuet? Et respondēt. Nā si solis radios oculi nostri ferre non possunt, & si quis diuini ē regione in solem intenderit, excari solere perhibetur: si creatura creaturam sine fraude atq; offensione sui nō potest intueri: quomodo potest sine periculo sui vibrantē cernere vultū creatoris aterni, corporis huius opertus exuuijs? Quis enim iustificatur in cōspectu Dei, cū vnus quoq; dei

1. Cor. 15.

Ibid.

4. Esdr. 7.

Matth. 13.

Rom. 8.

4. Esdr.

4. Esdr.

4. Esdr. 9.

S. A. Greg. lib. 4. cont. dan. epist. Pe. ag. cap. xi.

Ioan. 1.

1. Cor. 13.

Ibid.

1. Cor. 3.

Exod. 33.

Ibid.

infans

Tob. 14.

Proser. 20.

4. Esdr. 14.

Plato in Acad. 2. dialog. Socrat. 10.

Matth. 17.

Gen. 18.

Gen. 32.

Dan. 12.

Heb. 12.

Luc. 16.

Matth. 24.

Matth. 8.

Luc. 14.

Luc. 10.

Luc. 23.

Apo. 21.

Esu. 60.

Ioan. 1.

Ioan. 14.

Ibid.

Ibid.

infans mundus a peccato esse non possit, & nemo possit de sui cordis integritate & castimonia gloriari? Non timeamus igitur recipi ab hominibus, non vereamur illum debitum omnibus finem, in quo Esdras remunerationem suę deuotionis inuenit, dicente ei Domino, Tu enim recipieris ab omnibus, & conuersaberis residuus cum filio meo, & cum similibus tuis. Quod si illi gloriosum & iucundū erat cum similibus conuersari; quanto nobis gloriosius erit & iucundius ad meliores pergere, & conuersari cum iis, quorum facta miramur? Quis itaque prior, Esdras, an Plato? Nam Paulus Esdrę, non Platonis fecutus est dicta. Esdras reuelauit secundum collatā in se reuelationem, iustos cum Christo futuros, futuros & cum sanctis. Hinc & Socrates ille festinare se dicit, ad illos semideos, ad illos optimos viuos. Nostra sunt vtiq; quę in philosophorum litteris pręstant: & ille posuit ea, quorum proprium testimoniū non habebat: nos diuini pręcepti habemus auctoritatem. Moyse & Elias cum Christo apparuerunt, Abraham duos alios cum Deo suscepit hospitio, Iacob Dei castra conspexit, Daniel iustos sicut solem & stellas fulgere in cęlo, reuelante sibi Spiritu sancto, declarauit.

*De felicitate regni aterni, & quibus modis eō contendere debeamus. CAP. XII.*

His igitur freti, intrepidē pergamus ad redemptorem nostrum Iesum, intrepidē ad patriarcharum concilium, intrepidē ad patrem nostrum Abraham, cū dies aduenerit proficiscamur: intrepidē pergamus ad illum sanctorum cętum, iustorumque conuētum. Ibimus enim ad patres nostros, ibimus ad illos nostrę fidei pręceptores, vt etiam si opera desint, fides opituletur, defendat hęreditas. Ibimus & vbi sinum suum pater Abraham expandit, vt suscipiat pauperes, sicut suscepit & Lazarum: in quo sinu requiescent, qui in hoc sæculo graui atq; aspera pertulerunt. Sed nunc pater etiam atque etiā rogo extende ad suscipiendum hunc pauperem manus tuas, aperi gremium tuum, expāde sinus tuos vt plures suscipias, quia plurimi in Deum crediderunt. Sed tamen, quamuis fides creuerit, abundat iniquitas, refrigescit charitas. Ibimus ad eos, qui recubunt in regno Dei cum Abraham, Isaac & Iacob: qui rogati ad cęnam nō excusauerunt. Ibimus eō vbi paradisus est iucunditatis, vbi Adam, qui incidit in latrones, nescit iam vulnera sua flere, vbi & latro ipse regni cęlestis confortio gratulatur, vbi nullę nubes, nulla tonitrua, nullę coruscationes, nulla ventorum procella, neque tenebrę, neque vesper, neque æstas, neque hyems vices variabunt temporum. Non frigus, non grandis, non pluuia, non solis istius erit vltus, aut lunę, neq; stellarum globi, sed sola Dei fulgebit claritas. Dominus enim erit lux omnium, & illud lumen verum, quod illuminat omnem hominem, fulgebit omnibus. Ibimus eō vbi seruilis suis Dominus Iesus mansiones parauit, vt vbi ille est, & nos simus. Sic enim voluit. Quę sint illę mansiones audi dicentem, In domo patris mei mansiones multę sunt. Quę sit voluntas, iterum inquit, Venio, & accersam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis.

Sed dices quia solis discipulis loquebatur, quod ipsis solis sponponderit. Multas mansiones igitur vndecim tantum discipulis pręparabat: Et vbi est illud quod ex omnibus mundi partibus venient & recubent in Dei regno? Vnde voluntatis diuinę dubitamus effectus? Sed Christi velle, fecisse est. Denique demonstrauit & viam, demonstrauit & locum, dicens, Et quō vado, vos scitis, & viam sitis. Locus apud patrem est, via Christus est, sicut ipse ait, Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad patrem nisi per me. Ingrediamur hanc viam, teneamus veritatem, vitam sequamur. Via est quę perducit, veritas quę confirmat, vita quę perseueratū addidit. Et vt sciamus veram voluntatem, addidit in posterioribus, Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, pater iuste. Repetitio ista confirmatio est, sicut illud, Abraham, Abraham. Et alibi, Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas. Pulchrę autē quod supra promissit, hęc poposcit. Et quia antē promissit, & sic poposcit, nō antē poposcit, & sic promissit: quasi arbiter muneris, conscius potestatis, poposcit a patre quasi pietatis interpres. Et antē promissit, vt potestatem cognoscas: poposcit postea, vt pietatem intelligas. Non poposcit antē, & sic promissit, ne videretur promississe potius quod impetrauerat, quām quod promiserat pręstitisse. Nec superfluum putes quod poposcit cū tibi exprimat paternę voluntatis consortium, in quo vnitatis indicium, non incrementum est potestatis. Sequimur te Domine Iesu, sed vt sequamur accersi, quia sine te nullus ascēdit. Tu enim via es, veritas, vita, possibilitas, sedes, pręmium. Suscipe nos quasi via, cōfirma quasi veritas, viuifica quasi vita. Pande illud tuum bonū quod videre desiderabat Dauid, in habitās in domo Domini, ideoq; dicebat, Quis ostēdit nobis bona? Et alibi, Credo videre bona Domini in terra viuētium. Ibi enim sunt bona, vbi vita perpetua est, vita sine crimine. Alibi quoque ait, Replebimur in bonis domus tuę. Quod ideo frequentauit, vt scires, hinc bonum illud philosophos transtulisse, quod summum asserunt. Pande ergo illud verē bonum tuum, illud diuinum, in quo & viuimus, & sumus, & mouemur. Mouemur quasi in via, sumus quasi in veritate, viuimus quasi in vita aternā. Demonstra nobis illud bonum, quod est simile sui, semper indissolubile atque immutabile, in quo simus aterni, in agnitione omnis boni, sicut vas electionis tuę Paulus testificatus est, dicens, Forssitan enim ideo discessit ad horam, vt aeternum illum reciperes. Aeternum ergo ministrum Dei dixit, scribens ad Philemonem cuius fidem in agnitionē omniū boni, quod in sanctis est, in Christum Iesum euidentiorē fieri postulabat. In quo bono est requies pura, lux immortalis, gratia perpētua, hęreditas animarum pia, & secura tranquillitas, non morti subiecta, sed erepta de morte, vbi nullę lacrymę, nullus est fletus. Vnde enim illic fletus, vbi nullus est lapsus? vbi sunt sancti tui erroribus & sollicitudinibus, insipientia atque ignorantia, timore ac metu, cupiditatibus atq; corporeis colluionibus & pansionibus absoluti, vbi regio viuētium? Et vt assertioni huic adiungamus auctoritatem, de quo bono Propheta

Plato in Phaedone, & lib. 10. de Repub.

4. Esdr. 7.

4. Esdr. 5.

4. Esdr. 4.

Gen. 3.

4. Esdr. 7. Sapien. 5.

Sapien. 4.

Sapien. 11.

Matth. 8.

Ioan. 14.

Ibid.

Ioan. 17.

Gen. 22.

Esa. 43.

Ioan. 14.

Psal. 4.

Psal. 26.

Psal. 64.

Ast. 17.

Ioan. 17.

Philem.

Apo. 7.

*Psal. 114.* dicit, Conuertere anima mea in requie tuam, quia Dominus benefecit tibi: quoniam eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu: Placebo Domino in regione uiuorum. Placebo dixit, non placeo: hoc est, de tempore sibi blauditur futuro. Contraria sunt autem presentibus futura, & temporalibus aeterna. Et ideo quoniam ibi uiuorum regio, hic utique mortuorum. Annò mortuorū hac regio, ubi umbra mortis, ubi porta mortis, ubi corpus est mortis? Denique donatur Petro, ne portæ inferi præualeant ei. Portæ inferi istæ sunt terrenæ. Vnde & ille ait, Qui exaltas me de portis mortis. Sicut enim sunt portæ iustitiæ, in quibus sancti Domino consentunt; ita sunt criminum portæ in quibus impij Dominum negant. A udi quoniam regio ista sit mortuorū. Si quis igitur mortuū tetigerit, immundus erit. Immundus autē in conspectu Domini omnis iniquus. Si quis igitur tetigerit iniquitatē, immundus: & si quis in deliciis, mortuus, quoniam quæ in deliciis est, uiuens mortua est. Et qui infideles sunt, descendunt in infernum uiuentes; et si nobiscum uidentur uiuere, sed in inferno sunt. Si quis uisuram accipit, rapinam facit, uita non uiuit, ut habes in Ezechiele. Si quis autē iustus iustificationes Domini custodit ut faciat eas, uita, inquit, uiuet, & uiuet in eis. Ipse est ergo in regione uiuorum, in illa regione ubi uita non est abscondita, sed libera, ubi non umbra, sed gloria. Hic enim nec ipse Paulus uiebat in gloria. Denique in corpore mortis ingemi-

S. AMBROSII DE BONO MORTIS LIBRI FINIS.

Summariū libri primi de Iacob & uita beata.

*Qua ratione ad perfectionem quispiam peruenire ualeat, & qualis sit uita perfecta, quam & beatā nuncupat sanctus doctor, describitur.*

Capita primi Libri.

*Quòd ad uirtutum disciplinam, passionēque coercendas necessarius sit sermo prudens ac bonus, & mens rationi intenta: quòdque docibilis sit uirtus: & quòd licet ratio concupiscentiam eradicare, & corporales motus auferre non possit, mens tamen sobria refrænare atque reprimere ualeat quamuis grauem passionem.* Cap. I.

*De ordine ac differentia passionum: & qua ratione temperantia quàmmaximè istarum passionum restinguat ardorem, corporalisque ferocitatis habenas: ac de magnis eiusdem temperantia laudibus, quam & primis hominibus tenendam Deus mandauit, & lex docet, uniuersorumque infundit affectibus.* Cap. II.

*Quòd sapientiam & disciplinam doceri scriptura testetur: ac de exhortatione ad studium, & eius commendatione: & quòd nulli nostram adscribere debeamus culpam, nisi nostra uoluntati, qua uel peccato uel iustitiæ seruiamus. quòd præterea carnem iniuste quasi infirmam accusemus, cum affectus, non caro auctor sit culpæ. quòd denique considerandum sit in qua parte, an peccati uel iustitiæ tolerabilior sit seruitus, & fructus uberior.* Cap. III.

*Quantum Dominus homini contulerit per dationem legis, & gratiæ adiunctionem: & quid lex operata sit in homine iuxta sententiam Apostolicam: ac de absolutione duarum questionum circa uerba Apostoli*

*Apostoli incidentium.*

*Qua ratione lex non suffecerit, sed ultra eam necessaria fuerit gratia per mortem Christi donata: quòdque nos etiam cum illo mori, resurgere, & uersari debeamus.* Cap. IIII.

*Quid profuerit legis promulgatio: quantum etiam utilitatis atque cōsolationis homini attulerit gratia, & pignus charitatis Christi, cum incitatione ad repensionem obsequij pro tantis beneficiis debiti, eorūdemque beneficiorum consolatiua inductione.* Cap. V.

*Qualis in nobis debeat esse Christi charitas: & quòd nulla aduersa corporis uita beata munus imminuit: quòdque in se habeat remunerationem suam qui Christum sic sequitur, ac beatus sit: quòd etiam sic beata uita sit in hominibus, in quibus fuerit uita perfecta, & qua sit uita perfecta: quid denique uir perfectus querat, ac illi conueniat.* Cap. VI.

*Quòd quamuis sapiens delectetur sanitate corporis aut liberis, non tamen minus perfectus si illa amittat, & quòd nulla aduersa intolerabiliter ferat; cum expositione eorum quæ ad formam iusti uiri requiruntur.* Cap. VII.

## SANCTI AMBROSII EPISCOPI

### MEDIOLANENSIS DE IACOB ET VITA

#### BEATA LIBER PRIMVS.

*Quòd ad uirtutum disciplinam, passionēque coercendas necessarius sit sermo prudens ac bonus, & mens rationi intenta: quòdque docibilis sit uirtus: & quòd licet ratio concupiscentiam eradicare, & corporales motus auferre non possit, mens tamen sobria refrænare atque reprimere ualeat quamuis grauem passionem.* CAPVT I.



CESSARIVS ad disciplinam bonus omnibus sermo, plenus prudentiæ, & mens rationi intenta præcurrit uirtutibus, passionēque coeret. Docibilis enim uirtus est: quæ studio & discendo acquiritur, dissimulando amittitur. Alioquin nisi sermo bonus necessarius esset ad correctionem, numquam lex diceret, Non adulterabis. Sed quia nudus sermo ad monendum uilis, ad persuadendum infirmus est, ideo adhibenda est rationis recta consideratio, ut quod sermo bonus præscripserit, ratio plenius tractata persuadeat. Non enim seruii ad obediendum constringimur necessitate, sed uoluntate arbitra siue ad uirtutem propendimus, siue ad culpam inclinamur. Et ideo nos aut liber affectus ad errorem trahit, aut uoluntas reuocat, rationem secuta. Grauiissima uero causa culpæ concupiscentia, quam tamen ratio emollit & comprimit. Emollire enim potest, eradicare non potest: quoniam animus qui est rationis capax, non est suarū passionum dominus, sed repressor. Neque enim fieri potest ut facilis ad iracundiam non irascatur, sed ut ratione se temperet, indignationem cohibeat, ac puriendo se reuocet, sicut & Propheta nos docet, dicēs, Irascimini, & nolite peccare. Concessit, quod natura est: negauit, quod culpæ est. Omnis ergo temperantia est de iis quæ negantur, ideòque sequenda est. Nam aut de naturalibus suscipitur, aut de moralibus. Aut enim naturalia temperat, aut moralia. Denique non excidit concupiscentiam, sed facit ne concupiscentiæ seruiamus. Quis enim tantus, ut corporales motus possit auferre, nisi solus ille qui potuit de infructuosa ficulnea dicere, Ecce anni tres sunt ex quo ueni quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam. Cui respondit seruus, Remitte illam & hoc anno, utique dum fodiam circa illam, & mittam cophinum stercoris: & siquidem fructum fecerit sin autem, in futurum succides illam. Merito ad Dominum retulit, quia excidendæ temporalis prolapsionis potestatem sibi ipse uendicare non poterat, sed Domino reseruabat. Denique quæ de hominibus meliorem & fortiorem assumemus quam sanctum Dauid, qui cupiditatē qua concupierat aquam de lacu Bethlehem hostili interclusam exercitu, sibi auferre non potuit, potuit mitigare? Nam cum aliis defuisse non inueniamus, id est, tanto exercitus numero, cum utique multo minus regi deesse potuerit ex cæteris fontibus aqua: irrationabilem quandam concupiscentiam passus, desiderauit eam quæ hostium erat circumfusione uallata, unde sine maximo periculo non facile potuisset deferri. Itaque ait, Quis mihi dabit potum de lacu qui est in Bethlechem ad portam? Et cum essent reperti tres uiri qui hostium castra præciderent, & deferrent aquam quam summo desiderio desiderabat: cognoscens quòd periculo alieno aqua sibi eadem constitisset, profudit illam Domino, ne sanguinem illorum qui eam detulerant, bibere uideretur. Quæ res indicio est quòd concupiscentia quidem rationem præueniat, sed ratio cupiditati resistat. Humani itaque quid passus est Dauid, ut irrationabiliter concupisceret: sed illud laudabile, quòd irrationabilem concupiscentiam rationabiliter parato fraudauit remedio. Laudo uiros qui erubuerunt desiderium sui regis, & maluerunt finem eius uerecundiæ uel periculo propriæ salutis afferre: sed plus laudo eum qui erubuit in suo desiderio alienum periculum, & aquam dubiæ fortis pretio quaesitā sanguinis comparauit: simul quasi repressa uisus cupiditate profudit aquam Domino, ut ostendat

deret quod concupiscentiam suam verbi cōsolatione restingeret. Potest igitur mens sobria impressio- nes refranare ac reprimere quamvis grauiū passio- num, & feruorem omnem cupiditatis flagrantissi- mæ refrigerare, deriuare aliō motus, & rectæ ratio- nis tractatione despuere passiones. Etenim cū Deus hominem cōstitueret, & in eo mores sensūque plā- faret, tuñc motibus eius imposuit regale mentis im- perium, vt omnes sensus motūque hominis eius vi- gore ac potestate regerentur. Adiunxit ad gratiam creaturæ, vt mentem ipsam diuinis informaret præ- ceptis, & sapientiæ instrueret disciplinis, quibus & cauenda nosceret, & legenda cognosceret. Mens igitur recta ratione tenens disciplinam sapientiæ, vt diuina ac humana cognoscat, eruditur in lege, per quam discit quas sibi subiicere debeat passiones.

*De ordine ac differentia passionum: & qua ratione temperantia quammaximè istarum passionum restinguat ardorem, corporalisque ferocitatis habenas; ac de magnis eiusdem temperantia laudibus, quam & primis hominibus tenendam Deus mandauit, & lex docet, vniuersorumque infundit affectibus.* CAP. II.

**P**assionū autem velut duces sunt naturalis delectatio & dolor, quas sequitur ceteræ. Illæ enim complectuntur vniuersas, quarum vtræque non solum corporis, sed etiam secundum animam passiones sunt. Et quia diximus subesse his alias passiones: ante delectationem concupiscentia, post delectationē gratulatio est. Ante dolorem autem est timor, post dolorem tristitia. Commotio autem animi, communis passio & delectationis & doloris est. Transcurram alias, id est, superbiam, auaritiam, ambitionem, contentionem, inuidiam, quæ sunt secundū animam passiones: transcurram etiam inexplēbilē vorandi libidinē, effusionēque luxuriæ atque lasciuia, quæ vitia nexa sunt corpori, & secundū illud operantur. Meritoque temperantia quammaximè istarum passionum restinguit ardorem, quæ primū sobrietate atque moderamine animum temperat, mentem informat: deinde etiam deliciarum abstinentia restinguit habenas corporalis ferocitatis. Ideo lex recondit ciborum licentiam, epularum copias, non solum vt refecaret luxuriam, verum etiam vt inhibētis contemplatione præcepti viam tractationi rationis aperiret, quæ irritamenta gula, ceterasque recideret cupiditates, corporales passiones motūque cohiberet. Temperantia est igitur correctionis præuia, disciplinæ magistra. Ab hac profectus Iacob factus, primatus à fratre quos non habebat accepit: eiūque prælatus assensu, docuit in reliquum intemperantes proprio sibi viles esse iudicio. Ab hac profectus Ioseph & calorem iuuentutis edomuit, & tentatum adulterinis animum illecebris, rectæ rationis inductione firmavit. Denique quamvis fortis esset & validus, tamen tractatu rationis fulcire se maluit, dicēs

*vxori domini sui: Si dominus meus non scit præter me aliquid in domo sua, sed omnia quæcumque habet, dedit in manus meas, neque subtractum est à me quidquam præter te, quæ vxor illius es: quomodo faciā verbum hoc malum, & peccabo coram Deo? Hæc est igitur rectæ rationis tractatio, quam Græci λογισμὸν nuncupant, qua mens sapientiæ intenta*

**S**olidatur. Pulchra enim ratio; quod nec beneficiis domini esse deberet ingratus, nec occultum posset esse peccatum, quod Deo teste committeret, quem latere nō posset. Bona igitur ratio, quæ & hostilem plerumque affectum exiit, & dolorem iniuriæ sequestrat. Denique & in acie plerumque victorem victo mitigat, & ferituri mucronem retardat, & rogantē morti eripit: eo quod subiectis parcere iusta ratio persuadet. Nam de excludendo vel mitigando iniuriæ dolore quis melior magister quam patriarcha Iacob, qui proprios coarguens Symeon & Leui, ait, Odiosum me fecistis, ita vt scæuus videar. Et vtiq; vlti fuerant sororis iniuriam, quæ contra instituta patria violato fuerat pudore temerata, nec potuit Iacob præceptor disciplinæ, custos pudoris, stuprū probare commissum, sed maluit insolentes ratione cohiberi, sciens quod indignationem ratio temperare posset. Temperantia est igitur quæ resecat cupiditates. Hanc primis hominibus tenendam mandauit Deus, dicens, De fructu autem ligni quod est in paradiso, non edetis, neque tangetis illud, ne moriamini. Et quia non est retenta, ideo transgressores virtutis egregiæ, paradisi exules facti sunt, & immortalitatis exortes. Hanc lex docet, & vniuersorum infundit affectibus.

*Quod sapientiam & disciplinam doceri scriptura testatur: ac de exhortatione ad studium, & eius commendatione: & quod nulli nostram adscribere debeamus culpam, nisi nostræ voluntati, qua vel peccato vel iustitiæ seruimus, quod præterea carere iniuste quasi infirmam accusamus, cum affectus, non caro auctor sit culpæ, quod demique considerandum sit in qua parte, an peccati vel iustitiæ tolerabilior sit seruitus, & fructus vberior.* CAP. III.

**D**ocere autem Dominum sapientiam & disciplinam scriptura testatur. De temperantia in lege, de ceteris in libro Iob, in quo scriptum est, Nōne Dominus est qui docet intellectum & disciplinā? Et in Euāgelio Dominus ipse ait, Discite à me, quia mitis sū, & humilis corde. Et alibi ad discipulos ait, Ite, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Vnde autem discipuli dicti? Aut quid aliud à Christo, nisi virtutum operari præcepta discerant? Denique David ait, Venite filij, audite me, timorē Domini docebo vos. Vtiq; timor Dei de numero virtutum est, quia, Initium sapientiæ timor Domini: per quem adsciscitur piæ forma doctrinæ, de qua Paulus ait, Gratias autem Deo, quod fuistis serui peccati, sed obedistis ex corde in eam formam doctrinæ in qua traditi estis: liberi autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. Doctrina igitur facit, vt possimus peruenire ad iustitiā. Potest igitur acquiri iustitia, discendo. Intendamus igitur studio in formam euangelicæ doctrinæ. Minimū studij plerumque pro maximo habetur. In studio enim sunt omnia per quod adhibetur obedientia: quæ in vtrambet partem propēderit, aut culpam adiungit, aut gratiam. Hæc nos in primo Adam traxit ad mortem, hæc nos in Adam secundo ad vitam vocauit. Non est quod cuiquam nostram adscribamus arumnā, nisi nostræ voluntati. Nemo tenetur ad culpā, nisi voluntate propria deflexerit. Non habent crimen quæ inferuntur reluctātibus, voluntaria tantum

Gen. 25.

Gen. 39.

ibid.

Gen. 34.

Gen. 2.

Gen. 3.

Exod. 20.

Iob. 21.

Matth. 11.

Matth. 28.

Psal. 33.

Ecl. 1.

Rom. 6.

15. q. 1. c. 11.

est quod.

tantum commissa sequitur delictorum inuidia, quod in alios deriuemus. Voluntarium seruum sibi diabolus auctio- natur. Neminem iugo seruitutis adstrictum possidet nisi se prius peccatorum ære ei vendiderit. Quid carnem quasi infirmam accusamus? Membra nostra arma sunt iniquitatis, & arma iustitiæ. Vidisti pauperem iniuriam accipientem, protexisti cum, membra tua arma pietatis sunt, quibus pauperem ab iniuria vindicasti. Vidisti egenum, donasti eum muneribus, dextera tua mortem à tuo peccatore repulisti. Vidisti eum qui ducebatur ad mortem, eripuisti eum, quia scriptum est, Eripe eum qui ducitur ad mortem: membra tua arma sunt iustitiæ. Vidisti mulierem, castigasti corpus tuum, mortificasti libidines, procacis meretricis oculos auersatus deruisti, membra tua arma sunt castimonie. Contra autē, si oculus tuus vidit mulierem ad concupiscendum eam, aperuisti vulnus, impressisti telum corpori tuo, membra tua arma iniquitatis sunt. Vidisti possessionem pupillorum, & paternis eos expulisti sedibus, transfuisti terminos quos posuerunt patres tui, membra tua arma iniquitatis sunt. Affectus igitur, non caro auctor est culpæ, caro autem voluntatis ministra. Non ergo vendat nos voluntas nostra. Clamat Apostolus: Nescitis quoniam cui exhibuistis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obedistis, siue peccati in mortem, siue obeditionis ad iustitiam? Ergo si aut peccato seruimus aut iustitiæ, consideremus in qua parte seruitus tolerabilior, fructus vberior. Sed qui potest esse fructus in morte? Peccati enim stipendium mors: & ideo nullus in eo fructus est, sed pudoris dispendium: cum ea quæ gestimus, erubescimus. Seruire autem iustitiæ, libertas est. Qui enim vocatus est in Domino seruus, libertus est Domini. Similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. Vtraque conditio optima, esse sub Christo, sub quo & pretiosa seruitus, & gloriosa libertas. Pretiosa seruitus, quasi tanti sanguinis pretio comparata: gloriosa autem libertas, quam nulla seruitus culpæ, nulla peccatorum vincula constringunt, nulla flagitiorum onera, nulla criminum cōmercia degeneris nexui seruitutis addicunt. Disce humilitatem o homo, apostolici vim cognosce magisterij. Seruum te dicis: libertus es: liberum te iactas? Seruus es. Nam & ille qui quasi seruus redemptus est, libertatem habet: & iste qui quasi liber vocatus est, bonum est illi vt seruum Christi se esse cognoscat, sub quo seruitus tuta est, & libertas secura. Quis quasi idiotam Paulum vel in ipso iure asserit? Sciuit enim discernere inter libertum & liberū, & ideo non perfunctoriè, sed propriè dixit: Qui enim vocatus est in Domino seruus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. Reuera enim omnes Christi liberi sumus, nemo liber. Omnes enim in seruitute generati. Quid seruili conditione arrogantia libertatis assumis? Quid titulos nobilitatis versus seruilis hereditas? Nescis quod te Adæ atque Eue culpa macipauerit seruituti? Nescis quod redemerit te Christus, non emerit? Non auro, non argēto redempti estis de vana vestra cōuersatione, sed pretioso sanguine agni, clamat Apostolus Petrus. Ergo redēptus à Domino es, seruus es qui creatus es,

Rom. 6.

Tran. 2. 4.

Matth. 5.

Rom. 6.

1. Cor. 7.

Rom. 6.

Rom. 6.

ibid.

1. Cor. 7.

ibid.

Gen. 3.

1. Petr. 1.

**A** seruus es qui redemptus es, & quasi Domino seruitutē debes, & quasi redemptori. Nec inferiorem putes libertinitatē sub Christo, quam libertatem esse. Ad dignitatem equalis, ad tuitionem præstator est, ad gratiam par, aduersus lapsum cautior, aduersus superbiam tutior. Ita libertatem accepisti, vt meminisse manumissoris tui debeas, vt patrono tuo noueris legitimum obsequium deferendum, ne ab ingrato reuocetur libertas. Quid te beatius, qui sub domino regnas, & sub patrono militas?

*Quantum Dominus homini contulerit per dationem legis, & gratiæ adiunctionem: & quid lex operata sit in homine iuxta sententiam apostolicam: ac de absoluteione duarum questionum circa verba Apostoli incidentium.* CAP. IIII.

**Q**uid autem est quod tibi non contulit Dominus? Legem dedit, peccatum prodidit, adiunxit gratiam. Lex peccatum denuntiavit, sed in conditione lubrica penitus cohibere non potuit. Cognoui enim peccatum quod nesciebam. Cognoui concupiscentiam esse peccatum: & hac occasione, peccati æra cumulata sunt: quia peccati quod antè per ignorantiam in me mortuum videbatur, reuixit. Ego autem mortuus sum peccati vulnere. Cognitio culpæ quæ mihi profutura videbatur, hæc nocuit, vt scirem quod vitare nō poteram. Peccatum enim prodidit, & per bonum denuntiationis suæ peccati ipsius aceruauit inuidiam. Itaque supra modum factum est peccatum mihi, quia cumulatum est denuntiatione mandati. Crescit enim culpa, cum proditur, nec cauetur. Quomodo ergo bonum mandatum, quod mihi mors est? Aut quomodo non est mihi mors, quod per bonum significatiōnis suæ demonstrando peccatum, operatum est in me mortē? Nam certum est quod mors mihi accessit, dum quod facio agnosco peccatum, sicut ipse Dominus ait, Si non venissem, & locutus non fuisset his, peccatum non haberent. Quid miraris igitur si lex quibusdam morti sit, cum morti sit & Domini salutaris aduentus, per quem redempti sumus? Infidelis enim mortem sibi querit ex gratia, manet autem mandati gratia. Etenim sicut cognitio venenatorum poculorum consummatur ad disciplinam medicinæ: sic diuinum mandatum ad vitam æternam. Sicut autem ei qui malè vitatur noxiis potionibus, cognitio earum in malum vertitur & periculum: & quo magis venena cognouerit, hoc se intelligit amplius periclitari: sic forma mandati iis qui legem malè interpretantur, vel demonstrata atque interdicta peccata vitare nō possunt, mortis auctor est. Sicut ergo bonum est antidotum, etiam si imprudenti aut intemperanti non bonum: sic bonum mandatum, etiam si intemperanti non bonum est. Ergo bonum mandatum, quod alicui mors est. Responsum igitur habe primæ propositioni: quia potest esse bonum mandatum, quod mihi mors est: bonum per naturam salutaris præcepti, mors per intemperantiam carnis. Et quia didicimus esse bonum mandatum, quod mihi mors est, nunc discutiamus quomodo non sit mors, & quomodo per bonum mihi operatum est mortem. Sic enim proposuit Apostolus: Quod ergo bonum est, mihi mors est? Absit. Sed peccatum, vt

Rom. 3.

Rom. 7.

ibid.

Ioan. 15.

Luc. 2.

Rom. 7.



Ibid.

Ibid.

Ibid.

Rom. 8.

Roman. 6.

Coloss. 2.

Coloss. 3.

appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Itaque spectemus singula. Mandatum utique legis est, lex autem spiritualis est, cuius gratiam video, pulchritudinem laudo, formam prae dico, praecipuum admiror: sed quia carnalis sum ego, venundatus sub peccato, trahor inuitus ad culpam. Etenim quasi seruo culpa dominatur. Itaque odi crimen, & facio. Mens odit, caro concupiscit, ego tamen in vtraque, qui legi mente consentio, & carne quod nolo hoc ago. Bonum ergo mandatum, cui consentio: & mes bona, quae quod bonum est elegit. Bona ad iudicandum, sed infirma plerumque ad resistendum: quia repugnat ei corporis appetentia, & captiuam eam trahit ad erroris illecebras. In quo periculo vnum est remedium, ut quae lex liberare non potuit, liberaret Dei gratia. Sic enim scriptum est, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Itaque sit ut licet peccatum quod latebat, id est, concupiscentia mea quam non putabam esse peccatum, mortem mihi operata sit, dum proditur, & supra modum facta sit ipsum peccatum (erat enim peccatum etiam nesciebatur, sed cognitione coaceruatum est, & quasi incrementum erroris assumpsit, atque in naturam delicti cessit forma mandati) mihi tamen mors non sit, cui promptum est ad Christum confugere, per quem solui mur omni mortis periculo. Absoluta igitur etiam secunda est propositio, quia mandatum legis mors non est, etiam mortem operetur. Quod enim conturbamur, fragilitatis est: quod euadimus, Christi.

*Qua ratione lex non suffecerit, sed ultra eam necessaria fuerit gratia per mortem Christi donata: quodque nos etiam cum illo mori, resurgere & versari debeamus.*  
CAP. V.

**E**rgo ut ad exordia sermonis huius reuertamur, mens bona est quae habet tractationem rationis, & intendit sapientiae disciplinis: sed grauis iuncta est ei cum mortis corpore, & plerumque rationem mentis vincit carnis illecebra. Et ideo Dominus primo legem dedit cui mens hominis sese ad obtinendum dedit, & ei seruire coepit ut esset subdita: sed caro subiecta non erat, quia sapientia carnis non est legi subdita, & praecipuis eius repugnabat. Non enim poterat virtuti obedire, cupiditatibus dedita, & lenociniis carnalibus implicata. Ideo laborandum est ut teneamus Dei gratiam. Mens itaque bona, si rationi intendat: sed parum perfecta, nisi habeat gubernacula Christi. Venit enim Dominus Iesus, qui nostras passiones cruci suae affigeret, peccata donaret: in cuius morte iustificati sumus, ut totus mundus eius mudaretur sanguine. Denique in morte ipsius baptizamur. Si igitur in ipsius morte dimittitur nobis peccata, etiam peccatorum nobis passiones in illius morte moriantur, illius crucis clauis affixae teneantur. Si in illius morte mortui sumus, quid iterum tamquam viuentes ad ea quae sunt mundi reuocamur? Quid nobis cum elementis huius mundi? Quid cum cupiditatibus? Quid cum luxuria atque lasciuia, quibus in Christo mortui sumus? Quod si sumus in Christo mortui, in Christo resurreximus: cum Christo igitur versetur, cum Christo supe-

riora quae sunt, non quae corruptibilia & terrena quaeramus. Christus resurgens a mortuis, veterem hominem affixum reliquit, nouum resuscitauit. Christus mortuus est, ut & nos peccato moreremur, Deo resurgeremus. Mortua est caro nostra, quid iterum peccato reuiuiscit? quid iterum peccato obedit: quid iterum peccatum regnat in mortuis, cum mors finis peccati sit? Mortui sumus carne, renouati sumus spiritu. Spiritu ambulemus, qui spiritum Christi accepimus. Si autem spiritus Christi in nobis, ergo sit nobis caro mortua propter peccatum, spiritus vero uiuat propter iustificationem. Si quod erat impossibile legi, solutum est, in spiritu ambulemus. Si passiones sepeliuimus, crucem huius corporis non resoluamus. Si chirographum peccati deletum est in cruce Christi, non rescribamus. Si veteris hominis amictum exuimus, non induamus. Scriptum est enim in Canticis, Exui tunicam meam, quomodo in duam eam? Laui pedes meos, quomodo inquinao eos? Mortificata igitur nobis sunt corporis membra, cur eius pullulant vitia? Ideo lex non praeualuit, quia carnem non mortificauit. Ideo quasi umbra preterit, non colorauit: ideo etiam obumbravit nos a sole iustitiae, coaceruauit crimina, non deleuit.

*Quid profuerit legis promulgatio: quantum etiam utilitatis atque consolationis homini attulerit gratia, & pignus charitatis Christi, cum incitatione ad reuersionem obsequij pro tantis beneficiis debiti, eorundemque beneficiorum consolatione induktione.*  
CAP. VI.

**Q**uid igitur opus erat ut lex promulgaretur, si profutura non erat? Habebamus iam legem naturam, erat vnusquisque sibi lex, qui opus legis scriptum habebat in corde suo. Illam non tenuimus: cur addebatur ei altera, in cuius operibus caro non posset iustificari? Accessit vinculum, non solutio: addita est peccatorum agnitio, non remissio. Peccauimus omnes qui poteramus excusationem praeterdere per ignorantiam: os obstructum est omnibus. Profuit tamen mihi, coepi confiteri quod negabam, coepi delictum meum cognoscere, & iniustitiam non operire, coepi pronuntiare aduersus me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietates cordis mei. Sed & illud mihi prodest, quod non iustificamur ex operibus legis. Non habeo igitur unde gloriari in operibus meis possim, non habeo unde me iactem, & ideo gloriabor in Christo. Non gloriabor quia iustus sum, sed gloriabor quia redemptus sum. Gloriabor non quia vacuus peccati sum, sed quia mihi remissa sunt peccata. Non gloriabor quia profui, neque quia profui mihi quisquam, sed quia pro me aduocatus apud patrem Christus est, sed quia pro me Christi sanguis effusus est. Facta est mihi culpa mea merces redemptionis, per quam mihi Christus aduenit. Propter me Christus mortem gustauit. Fructuosior culpa quam innocentia. Innocentia arrogantem me fecerat, culpa subiectum reddidit. Habes igitur quibus latro profuit tibi legis. Sed dicis quia per legem superabundauit peccatum. Sed ubi superabundauit peccatum, superabundauit & gratia. Mortuus es peccato homo, ergo lex iam non obest. Resurgis per gratiam, ergo lex profuit, quia acquisiuit gratiam. Accepisti etiam pignus Christi charitatis: quoniam qui pro te mortuus est, aduocatus

Coloss. 2.

Rom. 6.

Galat. 5.

Rom. 8.

Coloss. 2.

Cantic. 5.

Hebr. 10.

Esai. 31.

Rom. 8.

Rom. 2.

Rom. 3.

Esai. 37.

Rom. 4.

1. Ioan. 2.

Galat. 4.

Rom. 5.

Rom. 6.

1. Ioan. 2.

Rom. 5.

Rom. 8.

Ibid.

Esai. 31.

Rom. 8.

Ibid.

Ibid.

Esai. 53.

Rom. 8.

Ibid.

tus est tibi, & sanguinis sui mercedem te seruat. Et qui peccatorem reconciliauit patri, multo magis commendat innocentem, & tuetur subditum, quia scit innoxium. Tanti igitur beneficii debitor non rependes obsequium? Haeridem te fecit, coharedem te fecit. Haeridem Dei, coharedem Christi: spiritum tibi adoptionis infudit. Numera haec, & adiunge non tam ad debiti nexum, quam ad muneris accepti conseruationem. Cohares Christi es, si compatiare, si commoriare, si conselpiare cum Christo. Suscipe passiones eius, ut supra passiones cum eodem esse merearis. Vide quomodo tibi peccata superiora donauit, ut nihil faceret obesse quod accepisti. Breuis huius laboris est meta, & corona fructus perpetui: tolerabilis passio, merces inestimabilis. Quid enim te angit? An ignobilitatis abiectione? Sed erit tibi in futurum gloriosa nobilitas deuotionis ac fidei. Num census tenuior, victus angustiior? Sed erunt tibi diuitiae remunerationis aeternae, in quibus rei vllius egere non possis. Num amissio filiorum? Recipies perpetuos, quos susceperas temporales, & dicitur de te, Beatus qui habet semen in Sion, & domesticos in Hierusalem. Indignae passiones sunt huius temporis ad futuram gloriam, scriptura tibi dicit. Adde quia vita beata his aduersis saecularium molestiarum aut passionum corporalium non minuitur, sed magis probatur. Adde quod vel patrimonij damna non sentit, vel necessitudinum fortiter abscondit dispendia, absorbet dolorem. Adde quia nescit naufragia, qui semper in portu tranquillitatis est. Quid illud, quod labor tibi communis est cum omni creatura? quia propter te mundus ipse seruitutem tolerat corruptionis: quia cum sanctis tibi laboris huius & expectationis commune confortium est? Sol occasum suum recognoscit, luna defectum, errorem stellarum lumina, dum totius corporis nostri expectatur redemptio. Sed vereris dubios vitae anfractus, & aduersarij insidias, cum habeas auxilium Dei, habeas tantam eius dignationem, ut filio proprio pro te non pepererit? Pulchro verbo vsa est scriptura, ut Dei patris erga te patrum propositum declararet, qui morti pro te totum obtulit. Quod in patre fuit, nihil sibi ipse reliquit: totum pro te obtulit, quod in plenitudine diuinitatis non amisit, & ipse te redemit. Considera affectum patrum. Quod pietatis est, quasi morituri filij suscepit periculum, quasi orbitatis hausit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis. Tantum fuit Domino studium tuae salutis, ut propemodum de suo periclitaretur, dum te lucraretur. Ille propter te dispendia nostra suscepit, ut te diuinis infereret, caelestibus consecraret. Mirè etiam addidit, Pro nobis omnibus tradidit illum, ut ostenderet quod ita omnes diligat ut dilectissimum sibi filium pro singulis traderet. Pro quibus igitur quod super omnia est dedit, potest fieri ut non in illo vniversa donauerit? Nihil enim excepit, quod omnium concessit auctorem. Nihil est igitur quod negari posse nobis vereamur, nihil est in quo de munificentiae diuinæ diffidere perseverantia debeamus, cuius fuit tam diuturna & iugis vbertas, ut primò praedestinaret, deinde vocaret: & quos vocaret, hos & iustificaret: & quos iustificaret, hos

& clarificaret. Poterit deserere quos tantis beneficiis suis vsq; ad praemia persecutus est? Inter tot beneficia Dei num metuenda iunt aliqua accusatoris insidia? Sed quis audeat accusare quos electos diuino cernit iudicio? Num Deus pater ipse qui contulit, potest sua dona rescindere: & quos adoptione suscepit, eos a paterni affectus gratia relegare? Sed metus est, ne iudex seuerior sit. Considera quem iudicem habeas. Nempe Christo dedit pater omne iudicium. Poterit ergo ille damnare, quem redemit a morte, pro quo se obtulit, cuius vitam suam mortis mercedem esse cognoscit? Nonne dicit, Quae utilitas in sanguine meo, si damno quem ipse saluauit? Dein de consideras iudicem, non confidras aduocatum? Potest iste sauiorem ferre sententiam, qui interpellare non definit ut paternae reconciliationis in nos conferatur gratia?

*Quis in nobis debeat esse Christi charitas, & quod nulla aduersa corporis vita beata munus imminuat: quodque in se habeat remunerationem suam qui Christum sic sequitur ac beatus sit: quod etiam sic beata vita sit in hominibus, in quibus fuerit vita perfecta; & quae sit vita perfecta, quid denique vir perfectus querat, ac illi conueniat.*  
CAP. VII.

**S**ed et si qua imminerent graua, nequaquam nos a Christo separare deberent. Cur nos pro illo non etiam dura & acerbata toleremus, qui pro nobis tam indigna suscepit? Ideoque debet in nobis esse charitas, ut nullis periculis reuocemur a Christo. Scriptum est enim, Aqua multa non poterit extinguere charitatem, & flumina non concludent eam; quia torrentem transit anima diligentis. Nulla tempestas, nullum profundum periculum, nullus terror mortis aut poenae vim charitatis imminuit. In his enim probamur, in his beata vita est, etiam si multis periculis inundetur. Non enim frangitur sapiens doloribus corporis, nec vexatur in commodis, sed etiam in aerumis beatus manet. Neque enim aduersa corporis vitae beata munus imminuat, neque de eius suauitate aliquid delibet, quia non in delectatione corporis vitae beatitudo est, sed in conscientia pura ab omni labe peccati, & in eius mente qui cognoscit quia quod bonum est, hoc delectat, etiam si asperum sit: quod autem indecorum etiam si suauis, non mulcet. Ergo causa bene viuendi, non delectatio corporalis, sed mentis prudentia est: non caro, quae subiecta est passioni, sed mens, quae iudicat: quia nihil melius delectat quam consiliorum honestas, & operum pulchritudo. Ea igitur beatae interpretis est vitae. Melior est enim prudentia vel ratio arbitra passionis, quam passio; praestanti usque quod iudicat, quam quod iudicio subiectum est. Neque enim fieri potest ut ratione sit melius, quod est irrationabile. Habet ergo in se remunerationem suam qui sequitur Iesum, & in suo affectu praemium, etiam si dura sustineat: beatus tamen est suis moribus, beatus ipsis periculis, sicut Dominus definiuit, dicens, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Est ergo beata vita in hominibus, sed in his scilicet in quibus fuerit perfecta vita. Perfecta autem vita non sensibilis ista, sed illa rationalis secundum tractationem rationis, & mentis viuacitatem: in

1. Ioan. 5.

Esai. 29.

Rom. 8.

Ibid.

Cantic. 8.

Esai. 123.

Matth. 5.

quo non est portio hominis, sed perfectio; quæ non tã est in conditione hominis, quàm in operatione. Ea enim beatum facit. Huic igitur viro quid est bonum, nisi ipse sibi qui habet? Et adest ei hoc bonum, & causa ei erit futurorum bonorum. De hoc bono dixit Salomon, Bibe aquam de tuis vasis, & de puteorum tuorum fontibus. Supereffluant tibi aquæ de tuo fonte, in tuas autem plateas discurrant. Sint tibi soli cõstituta, & nemo alienus particeps sit tibi. Fons aquæ tuæ sit tibi proprius. Vtere igitur interno bono tuo. Testimonium autem boni huius maximum, quoniam qui habet, alia non requirit. Quid enim requirat, qui inferiora despicit: Præstâtissimæ autem inhæreat, sicut scriptum est, Ceruus amicitia & pullus equi gratiarum cõuertetur tecum. Amicitia autem præcedat te, & vna sit tecum in omni tempore. Bona enim virtutum amicitia, & summi boni charitas. Nihil itaque aliud quærat perfectus ille, nisi solum & præclarum bonum. Vnde & dicit, Vnã petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ, & videam delectationem Domini. Neque verò eum tamquam angustū inopemque fastidias, quia vnus hominis velut solitaria societate contentus sit. Huius enim amicitia circumdatus plurimus erit. Abundat enim huiusmodi viro ad beatitudinem & ad possessionem boni, & ideo nihil aliud desiderat. Nihil enim quasi nouū expetit, qui omnia habet. Nihil est enim boni quod nõ habeat, nec superfluis delectatur, sed necessariis, & eo ipso necessario quod non sibi, sed carni adherenti sibi necessarium sit: idque indulget quod ab interioris hominis proposito non discrepet, quod faciat vtraque vnum, & reconciliet exteriorum hominem iuxta atque interiore Deo, vt fiat in vtroque vnus spiritus. Huius igitur propositi vir nec dispendiis minuitur, nec aduersis frangitur, nec repagulis inhibetur, nec suorum amissionibus mœstificatur. Ad cuius informationem dicit Apostolus, Nolumus autem ignorare vos fratres de dormientibus; vt non tristes sitis, sicut & cæteri qui spem non habent. Solatur enim se resurrectionis fide, & futuræ remunerationis gratia: nec recipit ea mente mœsticiam qua adhæret Deo, & diuinæ præsentia voluptate lætatur. Qui autem contristatur his, non secundum Deum contristatur. Quod autem non secundum Deum, hoc plenum stultitia. A perfecto igitur abest huius mundi tristitia, quæ non secundum Deum, & omnis sollicitudo corporalis ærumnæ. Huiusmodi enim inductioni mentis atque substantiæ non annumeratur habitudo corporis, & quidam exterioris vsus naturæ, cum simul aduersus delicias corporis fragilitatemque ipsam naturæ, orbitatis dispendia, contumelias, inuictus animus vniformem debeat seruare constantiam, vt corpus ipsum scindat, sensusque exuat carnis, qui beatitudinis palmam habere desiderat, cuius fructus non in vnus portione sit, sed in plurimarum, & si fieri potest, in omnium sit virtutum cõsortio. Nescit igitur perfectus incommoda huius corporis, aut aduersam mundi, neque sentit, qui alienum ab huiusmodi metu, ne occidant, animum gerit. Non enim vita perfectior si his careat definitur, sed si ista contemnat. Nam si ita definitur, vt ea esset beata vita, quæ ab huiusmodi casibus expers vacuã

Prover. 5.

ibid.

psal. 26.

ephes. 2.

1. Thess. 4.

2. Cor. 7.

que reperiri posset: vtique his accedentibus nõ posset beatus aliquis definiti. Ea igitur sequestrata sunt, & hoc solum in æstimatione beatæ vitæ est requisitum, vt non in aliis, sed in possessione veri boni eius definitio teneretur: quoniam qui id habet, despuit cætera, nec requirit.

*Quod quamuis sapiens delectetur sanitate corporis aut liberis, non tamen minus perfectus si illa amittat; & quod nulla aduersa intolerabiliter ferat: cum expositione eorum que ad formam iusti viri requiruntur. CAP. VIII.*

**Q**uæro nunc, vt rum sapiens delectetur sanitate corporis. Negare non possumus quod delectetur secundum naturam, & libentius accipiat non dolere aliquid quàm dolere, nisi fortè pro Christo: pro quo, si causa poscat, & debilitatem corporis promptè accipiat, & totum corpus suum morti offerat. Idem tamen etiam præter causam fidei atque iustitiæ, si desit sanitas, nõ afficiatur animo, neque frægatur dolore corporis, qui se potest virtutum perfectione solari. Quæro etiam, vt rum delectetur liberis.

**Q**uis istud abnuat? Neque enim durus & ferreus, sed perfectus quæratur. Tamen etsi amittat liberos, non ideo minus beatus, qui non ideo minus perfectus. Quod enim perfectum, beatum. Quinctiam si aduersa toleret, quàm si secundis affluat, magis solet huiusmodi videri perfectus: quamuis neque si desint, neque si adsint externa commoda, aut læta corporis, decedere quidquam virtuti soleat vel accedere. Sed plerisque tã laudi fuit tolerasse aduersa fortiter, quàm non incidisse. Verum hæc specie æstimantur, non pondere. Illud profundum puto, virum iustum nihil velle nisi illud solum & præclarum bonum, huic soli intendere, hoc vnum in bonis ducere, non aliud cum illo, sed solum ipsum semper desiderare, hoc delectari: cui si aliud adiungatur quod delectet eum, vt est filiorum suauitas; non illud amittitur, sed istud adiungitur. Non enim minuunt beatitudinem, quæ augere non possunt: quia plenum illud & inuiolabile manet, in quod anima sese induit, & cui se inseruit & infudit. Manet semper inter aduersa & delectabilia perfecta virtus, neque aduersa de perfectione eius quidquam minuunt, neque delectabilia adiungunt perfectioni. Quid enim est quod is qui ad summum ascendit, aut damni de caducis sentiat, aut commoditatis? Neque verò (quod grauissimum apud plerisque habetur) se miserum putabit si in captiuitatem vel ipse veniat, vel eius filij. Non enim intolerabiliter feret quod habet natura, vel quod videtur Domino. Denique iustus dixit, Bonum verbum quod locutus est Dominus: & Fiat pax & verbes in diebus meis. Non vtique iustus iste Ezechias in filios deflexisse ærumnã captiuitatis gratulabatur, sed volutati Domini obuiare non poterat, & ideo mandata eius æquanimiter suscipiebat vt seruuus. Accedit illud, quod æstimare poterat posse & in captiuitate meritum eminere virtutis. Neque enim minus beatus Hieremias in captiuitate, minus etiã Daniel, minus Esdras, minus beati Ananias, Azarias, & Misael, quàm si in captiuitatem non incidissent: cum ideo in captiuitatem ducti sint, vt populo & præsentia in captiuitate solatia, & spem euadendæ captiuitatis afferret.

**L** Perfecti est enim viri, communitatem naturæ sustinere animi virtute, & ad meliora adducere, nec succumbere iis quæ plerisque terribilia & formidolosa videntur; sed quasi fortem militem grauissimorum casuum sustinere incurfus, confictus subire: & quasi prouidum gubernatorem nauem in tempestate regere, atque occurrente insurgentibus fluctibus, magis vitare naufragium sulcãdo vndas, quàm declinando. Non iste in persecutione pauidus, non in tormentis mollior, ne torquentem exasperet: sed quasi athleta fortis, qui repercutiar verberantem, si non cedis, certè sermonis flagello; qui metuenda multis tormenta despiciat, dicens, Sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorū, qui cum grauissimo licet dolore luctetur, nec se miserabilem præbeat, sed ostendat tamquam in læterna lumen, emittit inter asperas procellas & grauissimos flatus suã lucere nec extingui posse animi virtutem. Non iste in suorum iniuriis mollis, nec de sepulcro sollicitus sui corporis, cui sciat cælum deberi, non in captiuitate ciuicæ plebis abiectior, sed sicut iudex seuerus, infidelium perfidiam errorisque condemnans, vt Daniel, qui sacerdotum furta prodibat, & superstitiones eorum redarguebat, ostendens nulla veritate subnixas, sed fraudibus adumbratas. Talis vir postremo est perfectus, qui omnes velit bene agere, nihilque cuiquã accidere mali: & si præter voluntatem eius acciderit, ipse tamen de propria virtute nil amittit. Sed fortè aliquis putet, agritudinem atque imbecillitatem corporis impedimento esse ad perfectionis munus implendum, eo quod non possint ad opera manuum factaque procedere. Verum ea sibi iustus impedimento esse non sentiet, immò etiam eū qui illa miserabiliter defleat, corripiet, & quasi ignauium arguet, quod plus in corporis vsu quàm in animi virtute constituit, quod ea quibus seruiat desideret, eū habeat quod aliis magis possit iubere: quod in paupertate ingemiscat, qui possit supra mundi opes esse: (Fideli enim totus mundus diuitiarum est) quod ignobilitatem defleat, qui debeat despiciere regias potestates, diuitibus & potentibus imperare. (hæc enim vita iusti) qui etiã quas habeat facultates, cõmunes æstimare debeat, immò etiam in opibus diuidere, dispensare pauperibus, recidere voluptates proprias, tenuare sumptū, adhibere parsimoniam temperantiæ, sobrietatem tenere in prosperis, patiẽtiam in aduersis, in dolore tolerantiam, magnanimitatem in periculis, sanitatis perpetuę vota nescire, mortis imminentis terrore nõ concuti, neque eum præstantiorem putare cui secundum naturam libert, propinqui, salubritas, lætitia, affluentia redundauerint, quàm cui illa defuerint: neque externis sæculi, sed virtutis domesticę merito pensare.

4. reg. 20.

Hierem. 40. Daniel. 1. 1. Esdr. 7. Dan. 3.

**P**erfecti est enim viri, communitatem naturæ sustinere animi virtute, & ad meliora adducere, nec succumbere iis quæ plerisque terribilia & formidolosa videntur; sed quasi fortem militem grauissimorum casuum sustinere incurfus, confictus subire: & quasi prouidum gubernatorem nauem in tempestate regere, atque occurrente insurgentibus fluctibus, magis vitare naufragium sulcãdo vndas, quàm declinando. Non iste in persecutione pauidus, non in tormentis mollior, ne torquentem exasperet: sed quasi athleta fortis, qui repercutiar verberantem, si non cedis, certè sermonis flagello; qui metuenda multis tormenta despiciat, dicens, Sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorū, qui cum grauissimo licet dolore luctetur, nec se miserabilem præbeat, sed ostendat tamquam in læterna lumen, emittit inter asperas procellas & grauissimos flatus suã lucere nec extingui posse animi virtutem. Non iste in suorum iniuriis mollis, nec de sepulcro sollicitus sui corporis, cui sciat cælum deberi, non in captiuitate ciuicæ plebis abiectior, sed sicut iudex seuerus, infidelium perfidiam errorisque condemnans, vt Daniel, qui sacerdotum furta prodibat, & superstitiones eorum redarguebat, ostendens nulla veritate subnixas, sed fraudibus adumbratas. Talis vir postremo est perfectus, qui omnes velit bene agere, nihilque cuiquã accidere mali: & si præter voluntatem eius acciderit, ipse tamen de propria virtute nil amittit. Sed fortè aliquis putet, agritudinem atque imbecillitatem corporis impedimento esse ad perfectionis munus implendum, eo quod non possint ad opera manuum factaque procedere. Verum ea sibi iustus impedimento esse non sentiet, immò etiam eū qui illa miserabiliter defleat, corripiet, & quasi ignauium arguet, quod plus in corporis vsu quàm in animi virtute constituit, quod ea quibus seruiat desideret, eū habeat quod aliis magis possit iubere: quod in paupertate ingemiscat, qui possit supra mundi opes esse: (Fideli enim totus mundus diuitiarum est) quod ignobilitatem defleat, qui debeat despiciere regias potestates, diuitibus & potentibus imperare. (hæc enim vita iusti) qui etiã quas habeat facultates, cõmunes æstimare debeat, immò etiam in opibus diuidere, dispensare pauperibus, recidere voluptates proprias, tenuare sumptū, adhibere parsimoniam temperantiæ, sobrietatem tenere in prosperis, patiẽtiam in aduersis, in dolore tolerantiam, magnanimitatem in periculis, sanitatis perpetuę vota nescire, mortis imminentis terrore nõ concuti, neque eum præstantiorem putare cui secundum naturam libert, propinqui, salubritas, lætitia, affluentia redundauerint, quàm cui illa defuerint: neque externis sæculi, sed virtutis domesticę merito pensare.

psal. 63.

dan. 14.

Prover. 17.

**A**llam quoque formã iusti esse quis abnuat, vt nihil metuar, nihil reformidet, nisi virtutis dispedia, aliorumque vanas formidines comprimat, quas habeat de periculorum solitudine, mortis timore, corporis infirmitate, vt doceat dissolui corpore, & esse cum Christo multo melius, vt ostendat quia operationes non impediuntur debilitatibus corporis, sed augentur, neque splendore generis, aut propinquorum subsidij, aut opibus, sed bono commendantur affectu. Neque enim minus beatus Elias quàm Moyses, cum alter cibi indigus, melotide vili, sine filiis, sine sumptu, sine comite: alter populi ductor, lætus sobole, succinctus potetia, diuerso genere meritum æquale fundauerint, sicut in Euangelio declaratum est, quando cum Domino Iesu in resurrectionis gloria resulserunt. Videtur enim parem his quasi paribus gloriae suæ testibus dedisse mercedem. Nec minus beatus Elisæus quàm Dauid, cum alter regibus subditus, alter regali potestate præditus, propheticæ sanctificationis haud disparẽ sint adepti gratiam. Quid enim deest ei qui illud bonum possidet, & habet sibi semper comitem sociamque virtutem? In quo statu non potentissimus? In qua paupertate non diues? In qua generis ignobilitate non clarus? In quo otio non laboriosus? In qua debilitate non vegetus? In qua infirmitate non fortis? In qua somni quiete non feriat, quem etiam quiescentem virtus propria non relinquit? In qua solitudine non stipatus, quem vita beata circumdat, quem vestit gratia, quem gloriae amictus illustrat? Non minus etiã otiosus quàm cum operatur beatus, nec minus dormiens quàm vigilans gloriosus: quia non minus dormiens; quàm cum vigilat, incolumis & sanus est. Quando autem feriatus videri potest, cuius mens semper operatur? Quando autem solus qui cum illo semper bono est, de quo ait Propheta, Replebimur in bonis domus tua? Quando abiectus, cuius conuersatio est in cælo? Quando non decorus, qui ad illius decori & solius boni se conformat similitudinem: qui etiam si membris solutus sit, tamen mente se erigat? Et tamquam ille qui cithara canere solitus, si eã dissipatam resolutis nervis & contractam viderit, & vsu eius interruptum, abiciat eam, atque eius numeros non requirat, sed voce ipse se mulceat: ita & iste citharam corporis sui otiosam iacere patietur, corde se oblectabit, bonæ conscientia recordatione mulcebit, diuinis oraculis & scriptis prophetis allenabit, suaue illud & iucundum animo tenens, mente complectens, cui nihil triste possit accidere, cum semper ei diuinæ præsentia aspiret gratia, & ipse sibi adsit summa animi tranquillitate perfrusus.

philip. 4.

math. 17.

psal. 64. philip. 3. 2. Cor. 3.

S. AMBROSII DE IACOB ET VITA BEATA LIBRI PRIMI FINIS.

Summariū secundi Libri de Iacob & vita beata.

*A cap. I. vsque ad cap. III. ea Iacob Patriarchæ explicantur gesta, quæ in cap. XXVII. Lib. Genes. continentur.*

*In cap. IIII. notantur pauca quedam ex cap. XXVIII. XXIX. & XXX. Lib. Genes.*

*In cap. V. quedam alia ex cap. XXXI. eiusdem Libri.*

S. Ambr. tom. I.

In cap. VI. obseruantur nonnulla loca, sed præcipua ex cap. XXXII. & XXXIII. eiusdem Libri. A cap. VII. usque ad finem libri super quibusdam verbis cap. XXXIII. & XXXV. dicti libri commendatur vita & finis Iacob Patriarchæ.

Capita secundi libri.

Post continuationem huius libri ad superiorem, docet quemadmodum Iacob beatus fuerit etiam cum patriam relinqueret, ac de definitione beati, & ex hoc quod sancto Iacob nihil horum quæ ad meritum beatitudinis spectant, defuerit. Cap. I.

De excusatione parentum sancti Iacob quod iuniorem filium seniori prætulerint, simulque de cautela parentum circa filios obseruanda: & quali affectu Isaac & Rebecca de filiis certauerint: qua ratione etiam Iacob uicerit, ac de commendabili mysterio eorum quæ circa benedictionem ipsius facta sunt. Cap. II.

Quid significet quod celebrata benedictione postea senior frater aduenerit, & ut ipse benediceretur, cogendo clicuerit & impetrauerit, cur præterea ea conditione, ut fratri suo seruiret. comminatur Esau, ut Iacob fratrem suum occideret: sed mater prouidit ne parricidium sequeretur. Cap. III.

De profectioe Iacob in Mesopotamiam ad Laban: de angelorum apparitione; & Iacob ditatione. Cap. IIII.

Iacob diuina iussione in terram suam reuertitur ob inuidiam Laban & filiorum eius. qualis præterea uir iustus esse debeat, si inuidia fuerit exorta, indicatur. quid denique significet inquisitio Laban, & nihil sui apud Iacob inuentio; & ex hoc de beati Iacob excellenti commendatione. Cap. V.

Quid significet quod proficiscenti Iacob angeli Dei occurrerunt: quid sibi etiam uelut quod ipse fratri occurrens septies in terra adorauerit. quid præterea quod petiturus à fratre concordiam, in castris dormiuerit: quid denique lucta, & eius claudicatio designent. Cap. VI.

De uindicta filiorum Iacob contra alienigenas ob Dinæ deflorationem, & ipsius Iacob mansuetudine: & de responso diuino ei facto ut exurgeret & ascenderet Bethel. Cap. VII.

De commendabili sancti Iacob senectute, futurarumque ac dubiarum rerum, finis quoque uitæ suæ præuidentia, atque agendorum dispositione. Cap. VIII.

Qua ratione sanctus Iacob cum in ipsis mortis esset diebus, merito prædicandus fuerit beatus, ac de multiplici eius laude, præsertim in Patriarcharum benedictione. quod præterea neque Ioseph, neque Esaias, neque Hieremias, neque Daniel, neque mater Machabæorum cum filiis, negandi sunt fuisse beati; licet graua sustinuerint supplicia. Cap. IX.

Quantæ laudis fuerit sacerdotum sacerdos Eleazarus in suppliciorum constanti toleratione: quodque ideo non minus, sed magis fuerit beatus. Cap. X.

De admirabili patientia ac fortitudine septem fratrum Machabæorum, quibus mater octaua addita fuit, qui suis suppliciis meritum beatæ uitæ acquisierunt. Cap. XI.

De singulari beatæ illius matris septem filiorum commendatione. Cap. XII.

## SANCTI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS, DE IACOB ET VITA BEATA

LIBER SECVNDVS.

Genesis Cap. XXVII.

**F**ACTVM est autem cum senuisset Isaac, & hebetati sunt oculi eius ad videndum: & uocauit Esau filium suum seniore, & dixit, Fili. Et dixit, Ecce ego. Et dixit, Ecce cōsenui, & non scio diem mortis meæ: nunc ergo summe apparatus tuum, & pharetram & arcum,

& egredere in agrum, & uenare mihi uenationem, & fac mihi edulia, sicut amo ego, & affer mihi ut comedam, & benedicat tibi anima mea antequam moriar ego. Rebecca autem audiuit loquentem Isaac ad Esau filium suum. Abiit autem Esau in agrum ad uenandum uenationem

nationem patri suo. Et Rebecca dixit ad Iacob filium suum iuniorem: Vide, ego audiui loquentem patrem tuum ad Esau fratrem tuum, & dicentem, Venare mihi uenationem, & fac mihi edulia, & comedens benedicam tibi coram Domino. Nunc ergo fili mi audi me, sicut ego tibi præcipio: & abiens ad oues, accipe mihi inde duos hædos teneros & pulchros, ut faciam edulia patri tuo, sicut amat: & inferes patri tuo, ut comedat, & benedicat tibi pater tuus antequam moriatur. Dixit autem Iacob ad Rebecca matrem suam: Est frater meus uir pilosus, ego autem uir lenis: ne forte ergo attrectet me pater meus, & ego coram eo sicut despiciens, & inducam super me maledictionem, & non benedictionem. Dixit autem ei mater, Super me maledictio tua fili: solum exaudi uocem meam, & pergens, affer mihi. Abiens autem accepit, & attulit matri. Et fecit mater eius edulia sicut amabat pater eius. Et accipiens Rebecca stolam Esau filij sui senioris pulchram, quæ erat apud ipsam in domo, induit eam Iacob filium suum iuniorem: & pelles hædorum circumposuit circum brachia eius, & circa nuda colli eius: & dedit edulia & panes quos fecit in manus Iacob filij sui, & intulit patri suo, & dixit, Pater. Ille autem dixit, Ecce ego. Quis es tu fili? Et dixit Iacob patri suo: Ego Esau primogenitus tuus: feci sicut locutus es mihi: surgens sede, & comede de uenatione mea, ut benedicat mihi anima tua. Dixit autem Isaac filio suo: Quid hoc, quod tam cito inuenisti fili? Ille autem dixit, Quod tradidit Dominus Deus tuus coram me. Dixit autem Isaac Iacob, Accede ad me, & contrectabo te fili, si tu es filius meus Esau, an non. Appropinquauit autem Iacob ad Isaac patrem suum: & contrectauit eum, & dixit, Ipsa quidem uox, uox Iacob; at manus, manus Esau. Et non cognouit eum: erant enim manus eius sicut manus Esau fratris eius pilosæ. Et benedixit ei, & dixit, Tu es filius meus Esau? Ille autem dixit, Ego. Et dixit, Affer mihi, & comedam de uenatione tua fili, ut benedicat tibi anima mea. Et attulit ei, & comedit: & obtulit ei uinum, & bibit. Et dixit ei pater eius Isaac: Accede ad me, & osculare me fili. Et appropinquans osculatus est eum: & odoratus est odorem uentilorum eius, & benedixit ei, dicens, Ecce odor filij mei tamquam odor agri pleni, cui benedixit Dominus: Det tibi Deus à rore cæ-

li, & ab ubertate terræ abundantiam frumenti & uini. Et seruiant tibi gentes, & adorent te principes: esto dominus fratris tui, & adorent te filij patris tui. Qui maledixerit tibi, maledictus erit: at benedicens tibi, benedictus. Et factum est postquam cessauit Isaac benedicens Iacob filio suo: & ut egressus est Iacob à facie Isaac patris sui, Esau frater eius uenit de uenatione; & fecit & ipse edulia, & obtulit patri suo, & dixit, Surgat pater meus, & comedat de uenatione filij sui, ut benedicat mihi anima tua. Et dixit illi Isaac pater eius, Quis es tu? Ille autem dixit, Ego sum filius tuus primogenitus Esau. Expauit autem Isaac stupore magno ualde, & dixit, Quis igitur, qui uenatus est mihi uenationem, & intulit mihi, & comedi de omnibus antequam tu uenires, & benedixi ei, & benedictus erit? Factum est autem quando audiuit Esau uerba Isaac patris sui, & clamauit uoce magna & amara ualde, & ait, Benedic & mihi pater. Ait autem illi Isaac, Frater tuus ueniens cum dolo accepit benedictionem tuam. Et dixit, Iustè uocatum est nomen eius Iacob: supplantauit enim me iam secundo, & primogenita mea tulit, & nunc accepit benedictionem meam. Et dixit Esau patri suo, Non relicta est mihi benedictio, pater? Respondens autem Isaac, dixit Esau, Si dominum illum feci tuum, & omnes fratres eius seruos, frumento & uino stabiliui eum, tibi autem quid faciam, fili? Dixit autem Esau ad patrem suum: Num benedictio una tibi est, pater? Benedic & mihi, pater. Compuncto autem Isaac, exclamauit uoce Esau, & fleuit. Respondens autem Isaac pater eius, dixit ei, Ecce de pinguedine terræ erit habitatio tua, & de rore cæli desuper: super gladium tuum uiues, & fratri tuo seruias. Erit autem cum deposeris & solueris iugum illius à collo tuo. Et iratus est Esau Iacob pro benedictione, qua benedixit ei pater eius. Dixit autem Esau in mente sua, Appropinquent dies luctus patris mei, ut occidam Iacob fratrem meum. Nuntiata sunt autem Rebecca uerba Esau filij sui senioris: & mittens uocauit Iacob filium suum iuniorem, & dixit ei, Ecce Esau frater tuus minitatur tibi occidere te: nunc ergo, ô fili, audi uocem meam, & surgens fuge in Mesopotamiam ad Laban fratrem meum in Charran, & habita cum eo dies aliquot, donec auerratur furor & ira fratris tui à te, & obliuiscatur quæ fecisti ei: &



mittēs accersam te inde, ne fortè orber à duobus vobis in die vna. Dixit autem Rebecca ad Isaac: In fensa sum vitæ meæ propter filias filiorum Het. si accepero Iacob vxorem de filiabus terræ huius, vt quid mihi viuere?

Post continuationem huius libri ad superiorem, docet quem admodum Iacob beatus fuerit etiam cum patriam relinqueret, ac de definitione beati, & ex hoc quod sancto Iacob nihil horum quæ ad meritum beatitudinis spectant, defuerit.

CAPVT I.

**S**UPERIORE libro de virtutum præceptis disputauimus: sequenti clarorum virorum vtamur exemplis, qui in summis periculis positi, beatitudinem vitæ non amiserunt, sed potius acquisierunt. Annon beatus Iacob etiam cum patriam relinqueret? Immo planè beatus, qui dura exilij suscepit, vt fratris mitigaret iracundiam. Nam si beatus est qui peccatum declinat, vtique negari beatus esse non potest, qui alterius culpam leuat, crimen auerit. Paratum itaque parricidium declinavit exilio voluntario, eoque facto sibi salutem quaesiuit, fratri innocentiam donauit. Merito itaque cum diuina vbique comitata est gratia, vt & cum dormiret beatæ vitæ munus acquireret. Videbat enim futurorum mysteria, & diuina audiebat oracula. Bonus in somno operarius, & in paupertate diues, qui mercenariæ vitæ munere & patrimonio & coniugium eodem parauit officio. Idem fraterni affectus reconciliator egregius, certauit muneribus & obsequiis, vt indignationem omnem excluderet, dolorem offensionis auerteret, ostendens se minorem exilio non fuisse, qui posset largiri quæ non acceperat. Sed nimis ad inferiora propero, & vtiliora transcurro, cum prius definiendum sit quid sit beatus. Scriptum est enim, Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentie non sedit. Hoc scriptura significante, eum beatum esse, qui se à perfidorum confortio temperauerit (Ea est enim impietas, auctorem vitæ & parentem quendam salutis non recognoscere) vel in peccato non manserit, vel in luxuria atque lasciuia non perseuerauerit. Ipsum quoque in lege Domini die ac nocte meditantem, fore tamquam lignum quod dabit fructum in tempore suo. Superiora merita sunt præmiorum, hoc meritorum præmium. Quid horum quæ ad meritum beatitudinis spectant, defuit sancto Iacob, qui tantum abfuit à perfidorum consortiis, vt ex eo fidelis populis nomen acceperit, Israel dictus, coquod Deum mentis internæ oculis intueretur, peccati abstinens, à luxuriæ omnis ebrietate sobrius, vt dura laborum absorbuerit, otij secura neglexerit? Nonne pulchrè & verè de hoc dictum est, quod & fructum dabit in tempore suo, de quo hic scriptum est: Ecce odor filij mei tamquam odor agri pleni? Errat enim perfectus in omni flore virtutum, & sacræ benedictionis atque cælestis beatitudinis redolebat gratiam. Ipse est enim ager quem benedixit Dominus; non iste terrenus aut horridus filius, aut

fragosus torrentibus, aut palustris pigrioribus aquis, aut ieiunus frumentis, aut inutilis vitibus, aut infœcunda glareæ saxosus, aut hiulcus & aridus siccitate, aut sanguine madidus, aut sentibus incultus; sed ille ager de quo dicit Ecclesia in Canticis, Adiuuauit vos filia Hierusalem in virtutibus & fortitudinibus agri. Hic namque est ager de quo & Dominus ait, Et species agri mecum est. In hoc agro vna illa reperitur, quæ expressa sanguinem fudit, & mundum diluit. In hoc agro est ficus illa sub qua sancti requiescent, spiritalis gratiæ suauitate recreati. In hoc agro est oliua illa fructifera, dominicæ fluens pacis vnguentum. In hoc agro florent malograna, quæ plurimos fructus vno fidei munimine tegunt, & quodam fouent charitatis amplexu. Hos igitur fructus redolebat Iacob, qui Deum per pericula sequebatur, & tutum se eius vbique deductione credebat. Nam licet dulcis & suauis odor sit agri, quia est odor naturæ; tamen in sancto patriarcha virtutum spirabat gratia. Quam continens erat parsimonia, qui cibum sibi paratum non expetiuit, sed petenti fratri sine dilatione concessit, à quo primatus benedictionis accepit? Quam pius erga parentes, vt præferri germano seniori materno affectu mereretur, & paternæ benedictionis munere sacraretur? Quam religiosus, vt fratrem recusaret lædere? Quam verecundus, vt patrem timeret fallere? Quam honorificus, vt matri quod iubebat, non posset negare?

De excusatione parentum sancti Iacob, quod iuniorum filium seniori prætulerint; simulque de cautela parentum circa filios observanda: & quali affectu Isaac & Rebecca de filiis certauerint: qua ratione etiam Iacob vicerit, ac de commendabili mysterio eorum quæ circa benedictionem ipsius facta sunt. CAP. II.

**S**ed nec parentes nobis inexcusati relinquendi sunt, quod iuniorum filium seniori prætulerint. Simul cauendum, ne quis dum eorum intendit exemplo, iniquum inter filios habeat iudicium: vt alterum diligendum putet, alterum posthabendum. Hinc enim excitantur odia fraterna, & de vilis incremento pecuniæ facinus parricidiale componitur. Eadem foueat prolem mensura pietatis. Esto tamen, vt aliquid sibi amplius circa blandiorem aut similiorem rapiat affectus, par debet circa omnes esse forma iustitiæ. Plus confertur dilecto, cui fratrum amor quaeritur: plus autem adimitur ei qui prælationis iniustæ oneratur inuidia. Minutabatur Esau quod fratrem suum occideret, nec fraterna eum germanitas, nec parentum reuerentia à parricidiali furore reuocabat: & dolebat sibi benedictionem esse præreptam; cuius vtique dignum se mansuetudine debebat probare, non scelere. Sed & Rebecca non quasi filium filio, sed quasi iustum præferrebat iniusto. Etenim apud matrem piam mysterium pignori præponderabat: illum non tam fratri præferrebat, quam fouerebat Domino, quem sciebat collatum sibi munus posse seruare: in quo & alteri consulebat, quem diuinæ subducebat offensæ, ne grauiore implicaretur reatu, si acceptæ gratiam benedictionis amitteret.

Accipe

**A**ccipe tamen bonum certamen inter parentes. Mater deserat affectum, pater iudicium. Mater circa iuniorum tenera pietate propendeat, pater circa seniore naturæ honorificentiam seruet. Hic magis honoret, illa plus diligat, dum singuli singulos foueant, non in vnum vterque conspirent, defraudent alterum. Fiat æquitas inter diuersa certamina, & disparibus studiis par vtrique ac æqualis parentum amor & gratia conferatur: compenset alter, quod alter imminuit. Sic pio affectu Isaac patriarcha & sancta Rebecca certabant, vt neutrum inferiorem facerent, sed vtrumque æqualem. Vicit tamen ille qui præferrebat oraculo, vicit impigritia tarditatem, mansuetudo duritiam. Dum alter venatu asperro prædam quaerit agrestem, hic mitium cibos morum, hic domesticam gratiam, hic teneræ mansuetudinis atque pietatis pio patri dulces epulas ministravit. Plus placet in animis quidquid occurrerit, quam quidquid affectatum putaueris deferendum. Accessit ad oues Iacob, & attulit innocentie partus, vel sacræ prophetiæ munera: quia patriarchæ cibum nullum credidit dulciorem esse quam Christum, qui sicut ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus ad victimam. Hunc communi parenti, vel populo, cuius typum gerebat, cibum vilem iudicabat, quo futura erat remissio peccatorum. Ideo stolam accepit fratris sui, quia senili præstabat sapientia: ideo iunior frater seniore fratre exiit, quia fidei emicuit dignitate. Hanc stolam Ecclesiæ typo Rebecca protulit, & dedit filio iuniori stolam veteris testamenti, stolam propheticam & sacerdotalem, stolam illam regalem Dauidicam, stolam Salomonis, Ezechia & Iosia regum, & dedit populo Christiano, qui uti amictu sciret accepto, quoniam populus Iudæorum eam sine vfu habebat, & proprios nesciebat ornatus. Iacebat hæc stola in vmbra abiecta atque neglecta. Obscurabatur enim tenebrosa impietatis caligine, nec in angusto corde populi Iudaici latius poterat explicari. Induit eam Christianus populus, & resulsit, illuminauit eam suæ fidei claritate, & piorum luce factorum. Agnouit Isaac notum odorem generis sui, recognouit stolam scripturæ veteris, sed vocem plebis veteris non recognouit, & ideo cognouit esse mutatam. Manet enim hodieque eadem stola, sed populi deuotioris canora coepit esse confessio. Merito dixit, Ipsa quidem vox, vox Iacob, at manus, manus Esau. Et odoratus est odor vestimentorum eius. Et fortasse illud est, quia non operibus iustificamur, sed fide: quoniam carnalis infirmitas operibus impedimento est, sed fidei claritas factorum obumbrat errorem, quæ meretur veniam delictorum.

Quid significet quod celebrata benedictione postea senior frater aduenit, & vt ipse benediceretur cogendo eliceretur & impetrauerit: cur præterea ea conditione, vt fratri suo seruiret, comminatur Esau vt Iacob fratrem occideret: sed mater prouidit ne parricidium sequeretur. CAP. III.

**C**elebrata benedictione, postea senior frater aduenit. Quo declaratur, prius Ecclesiæ regnum, quam synagogæ in prædestinatione delatum; sed subintrasse synagogam, vt superabundaret peccatum: & cum superabundasset peccatum, superabun-

daret & gratia: simul claresceret, impigrum militem regni cælestis candidatum esse debere, vt præcipiat benedictionem, & prærogatiuam suæ commendationis usurpet. Vnde non est notatus à patre iunior filius, sed laudatus. Ait enim Isaac, Frater tuus veniens cum dolo accepit benedictionem tuam. Bonus dolus vbi irreprehensibilis est rapina. Irreprehensibilis autem rapina pietatis: quia à diebus Ioannis regnum cælorum cogitur, & cogentes diripiunt illud. Festinantes autem fratres pascha celebrabant, qui festinantes manducabant agnum, non demorantes: & fratrem Benjamin sanctus Ioseph pie commento fraudis accersit & tenuit. Et ipse tamen Esau vt benediceretur, cogendo elicit & impetrauit, sed eam benedictionem quæ cum superiore congrueret & conueniret, vt seruiret fratri suo. Etenim qui imperare non poterat, & alterum regere, seruire debebat, vt à prudentiore regeretur. Neque enim sancti patriarchæ fuit, vt filium suum degeneri conditioni seruitutis addiceret; sed vt bonus pater cum duos haberet filios, vnum intemperatam, sobrium alterum, quod vtrique consuleret, intemperanti præfecit sobrium, & insipientem prudenti statuit obedire: quia insipiens non potest voluntarius virtutis esse discipulus, nec perseuerare in studio, quia stultus sicut luna mutatur: meritoque ei libertatem proprii negavit arbitrij, ne velut nauis in fluctibus sine gubernatore fluitaret; sed subdidit eum fratri, secundum quod scriptum est: Seruit enim imprudens prudenti, Rectè ergo eum subdidit, vt regentis imperio suum melioraret affectum. Ideo ait, Super gladium tuum viues, & seruis fratri tuo. Domina enim est pietas crudelitatis, & mansuetudo duris moribus præstat. Seruit omnis qui auctoritatè purè non habet conscientia: seruit quicumque vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exasperatur, vel mœnore deiicitur. Seruilis enim est omnis passio, quoniam qui facit peccatum, seruis est peccati: & (quod peius est) multorum seruis est, qui subiectus est vitis, multis se dominis addixit, vt seruitio ei exire vix liceat. At verò ille qui voluntatis suæ arbiter est, iudex consilij, interpres arbitrij, qui coeret corporæ appetentiam passionis, qui ea quæ agit bene agit, bene autem agens rectè agit, & quæ rectè agit, inculpatè & irreprehensibiliter agit, habens suorum actuum potestatem: is profecto liber est. Nam qui omnia prudenter agit, & ita viuunt vt vult, is solus est liber. Non conditio fortuita seruum facit, sed probrosa insipientia. Denique famulus prudens reget dominos stultos, & propriis dominis serui fœnerabunt. Quid fœnerabunt? Non vtique pecuniam, sed sapientiam, sicut & lex dicit, Fœnerabis gentibus multis, tu autem mutuum non accipies. Fœnerabit Iudæus profecto diuinæ legis oracula. Sed quia ipse legis mysteria videre non potuit, & quæ habebat nesciuit oracula: qui litteram fœnerabat gentibus, nunc ab his spiritalibus doctrinæ gratia mutuatur, meritoque subiectus est seruituti, quoniam qui mutuatur, seruus est, quasi addictus fœnori creditoris: qui autem pia doctrinæ fœnus impartit, is est princeps, sicut lex dicit, Princeps eris gentium multarum, tibi autem princeps ex ipsis non erit. Princeps enim

f iij

est qui regit, qui & habet sapientiae principatum, quem habuit populus Iudaeorum. Sed quoniam quod docebat, seruire non potuit: debet discere quod docere nesciuit. Hoc est igitur quod ait patriarcha Isaac: *Seruius fratri tuo. Erit autem cum deposueris & solueris iugum illius à collo tuo*: significans duos futuros populos, vnum ancillae filium, alterum liberae. Seruit autem littera, libera est gratia, eumque populum qui litterae intendit, tamdiu seruum fore, quamdiu spiritalis doctrinae sequatur interpretem. Tunc quodque illud futurum est quod Apostolus ait, *Vt reliquiae saluae fiant secundum electionem*. Seruius ergo fratri tuo, sed tunc senties seruitutis profectum, cum voluntarius potius quam coactus obedire coeperis fratri. *Eccè Esau frater tuus minuitur tibi occidere te nunc ergo, &c.* Orta est invidia, & minitabatur Esau quod post obitum patris fratrem occideret. Sed ne id accideret, discamus à Rebecca quemadmodum prouidendum sit, ne inuidia iracundiam excitet, iracundia in parricidium proruat. Veniat Rebecca, hoc est, patientia, bona cultus innocentiae, suadeat ut irae locum demus. Concedamus aliquò longius, donec tempore indignatio molliatur, offensiois subrepat obliuio. Itaque patientia nec exilium reformidat, sed impigre suscipit: non tam ut periculum salutis, quam ut incertium scelus declinetur. Mater quoque pia abesse sibi dilectissimum filium, tolerat plus ei collatura quem laesit, vtrique tamen consulens: ut alterum immunem à periculo, alterum integrum praestaret à crimine. Audiuimus quid corporeis ebria cupiditatibus intemperantia locuta sit, consideremus quid vera virtus agat. Nihil requirit nisi Dei gratiam, solum illud & summum bonum sequitur, solo eo contenta est, à quo accepimus omnia, ipsi autem nihil conferimus, quia nullo indiget, sicut ait Dauid, *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non indiges. Quo enim indiget qui abundat omnibus, & nobis largitur vniuersa, omnia sine defectu ministrat?*

*Genesis Cap. XXVIII.*

**A**D VOCANS autem Isaac Iacob, benedixit ei, & praecipit ei, dicens, Non accipies uxorem de filiabus Chanaanorum. Surgens fuge in Mesopotamiam, in domum Bathuel patris matris tuae: & accipe tibi uxorem de filiabus Laban fratris matris tuae. At Deus meus benedicat tibi fili, & multiplicet te: & eris in congregationem gentium. Et dabit tibi benedictionem Abraham patris mei tibi, & semini tuo post te, ad haereditandum terram incolatus tui, quam dedit Deus Abraham. Et misit Isaac Iacob: & abiit in Mesopotamiam ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeckae matris Iacob & Esau. Vidit autem Esau quod benedixit Isaac Iacob, & misit in Mesopotamiam Syriae accipere sibi uxorem inde,

cum benediceret ei: & praecipit ei, dicens, Non accipies uxorem de filiabus Chanaanorum. & audiuit Iacob patrem & matrem suam, & profectus est in Mesopotamiam. & vidit Esau quod malae sunt filiae Chanaan coram Isaac patre suo: & abiit Esau ad Ismael, & accepit Maeleth filiam Ismael filij Abraham, sororem Nabeoth, ad uxores suas uxorem. Et egressus est Iacob de Puteo iuramenti, & abiit in Charan: & occurrit loco, & dormiuit ibi. occiderat enim sol. Et tulit de lapidibus loci, & posuit ad caput suum, & dormiuit in loco illo, & somniauit. Et ecce scala firmata in terra, cuius caput perueniebat in caelum, & angeli Dei ascendebant & descendebant super eam. At Dominus firmatus erat super eam, & dixit, Ego Deus patris tui Abraham, & Deus Isaac, ne timeas: terra in qua tu dormis super eam, tibi dabo eam, & semini tuo. Et erit semen tuum sicut arena terrae: & dilatabitur ad mare & austrum, & ad aquilonem, & ad orientem: & benedicentur in te omnes tribus terrae, & in semine tuo. Et ecce ego tecum custodiens te in terra omni, quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc: quia non te derelinquam, donec faciam ego omnia quaecumque loquutus sum tibi. Et surrexit Iacob de somno suo, & dixit, Quia est Dominus in loco isto, ego autem non sciebam. Et timuit, & dixit, Quam terribilis locus iste: non est hoc nisi domus Dei, & haec porta caeli. Et surrexit Iacob mane, & tulit lapidem, quem supposuit illic ad caput suum, & statuit eum titulum, & effudit oleum super summitatem eius, & vocauit nomen loci illius, Domus Dei. Et Lammaus erat nomen ciuitati prius. Et vouit Iacob votum, dicens, Si fuerit Dominus Deus mecum, & custodierit me in via hac, qua ego ambulabo, & dederit mihi panem ad comedendum, & vestimentum ad induendum, & reuersus fuero cum salute in domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem statui titulum, erit mihi domus Dei, & omnium quae mihi dederis, decimam decimabo ea tibi.

*Genesis Cap. XXIX.*

**E**T eleuans Iacob pedes, abiit in terram orientis, ad Laban ex Bathuel Syro, fratrem Rebeckae matris Iacob & Esau. Et vidit, & ecce puteus in agro. Erant autem illic tres greges ouium

ouium quiescentes in eo. ex puteo enim illo introduabant pecora: lapis autem erat magnus super os putei: & congregabantur illic omnia pecora & pastores, & reuoluebant lapidem ab ore putei, & aduabant oues, & rursus reponabant lapidem super os putei in locum suum. Dixit autem illis Iacob, Fratres, unde estis vos? Illi autem dixerunt, Ex Charan. Ait autem illis, Numquid cognoscitis Laban filium Nachor? Illi autem dixerunt, Cognoscimus. Ait autem illis, Sanus est? Illi autem dixerunt, Sanus est: & ecce Rachel filia eius venit cum ouibus patris sui. Et dixit eis Iacob, Adhuc est dies multa, non dum ut congregentur greges: aduantes oues, abeunt pascite. Illi autem dixerunt, Non possumus, donec congregentur omnes pastores, & reuoluant lapidem à puteo, & aduamus oues. Adhuc eo loquente illis, & ecce Rachel filia Laban veniebat cum ouibus patris sui. haec enim pascebat oues patris sui. Factum est autem ut vidit Iacob Rachel filiam Laba fratris matris suae, & oues Laban fratris matris suae: & accedens Iacob, reuoluit lapidem ab ore putei, & aduauit oues Laba fratris matris suae. Et osculatus est Iacob Rachel: quae clamans voce sua fleuit. Et indicauit Rachel quod frater patris sui est, & quod filius Rebeckae est. Et currens nuntiauit patri suo secundum verba haec. Factum est autem ut audiuit Laban nomen Iacob filij sororis suae, cucurrit in occursum eius, & complexus eum osculatus est: & induxit illum in domum suam: & narrauit Laban omnia verba eius. Et dixit ei Laban, Ex ossibus meis, & ex carne mea es tu. Et fuit cum eo mensum dierum. Dixit autem Laban Iacob, Quia enim frater meus es, num seruius mihi gratis? Nuntia mihi, quid tua merces est. At Laban duae filiae erant, nomen maiori Lia, & nomen secundae Rachel. At oculi Liae infirmi, Rachel autem pulchra aspectu, & decora facie valde. Dilexit autem Rachel Iacob, & dixit, Seruiam tibi septem annos pro Rachel filia tua iuniore. Dixit autem Laban, Melius tibi dare me eam, quam dare me eam viro alteri: habita mecum. Et seruiuit Iacob pro Rachel annos septem: & erant coram eo quasi dies pauci, eo quod diligeret ipse eam. Dixit autem Iacob ad Laban, Da mihi uxorem meam: impleti sunt enim dies, ut ingrediar ad illam. Congregauit autem Laban omnes viros loci, & fecit nuptias. Et fa-

cta est vespera: & accipiens Lia filiam suam, introduxit ad Iacob: & ingressus est ad eam Iacob. Dedit autem Laban Liae filiae suae Zelphari ancillam suam, illi ancilla. Factum est autem mane, & ecce erat Lia. Dixit autem Iacob ad Laba, Quid hoc fecisti mihi? Nonne pro Rachel seruiui tibi? & quare decepisti me? Dixit autem Laban, Non est sic in loco isto dare iuniorem antequam seniore. Imple ergo septena huius, & dabo tibi & hanc pro opere, quod operatus fueris apud me annos septem alios. Fecit autem Iacob sic, & impleuit hebdomadam eius: & dedit illi Laban Rachel filiam suam illi uxorem. Dedit autem Laban Rachel filiae suae Ballam ancillam suam, illi ancillam. Et ingressus est ad Rachel. Dilexit autem Rachel magis quam Liam: & seruiuit ei septem annos alios. Videns autem Dominus, quod odio haberetur Lia, aperuit vuluam eius: Rachel autem erat sterilis. Et concepit Lia, & peperit filium Iacob, & vocauit nomen eius Ruben, dicens, Quia vidit Dominus humilitatem meam, nunc me diliget vir meus. Et concepit rursus Lia, & peperit filium secundum Iacob, & dixit, Quia audiuit Dominus quod odio habeor, addidit mihi & hunc. Vocauit autem nomen eius Symeon. Et concepit adhuc, & peperit filium, & dixit, In hoc tempore apud me erit vir meus, peperit enim ei tres filios. Propter hoc vocauit nomen eius Leui. Et concipiens adhuc peperit filium, & dixit, Nunc adhuc hoc confitebor Domino. Propter hoc vocauit nomen eius Iudam: & cessauit parere.

*Genesis Cap. XXX.*

**V**IDENS autem Rachel quod non peperit Iacob, inuidit sorori suae, & dixit Iacob, Da mihi filium, alioqui moriar ego. Iratus est autem Iacob Rachel, & dixit ei, Numquid pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris? Dixit autem Rachel Iacob, Ecce ancilla mea Balla; ingredere ad illam, & pariet super genua mea, & habebit filios ex illa. Et dedit Ballam ancillam suam illi uxorem. Ingressus est autem ad eam Iacob: & concepit Balla ancilla Rachel, & peperit Iacob filium. Et dixit Rachel, Iudicauit mihi Deus, & exaudiuit vocem meam, & dedit mihi filium. Propter hoc vocauit nomen eius Dan. Et concepit adhuc Balla ancilla Rachel, & peperit filium

secundum Iacob, & dixit, Auxiliatus est mihi Deus, & comparata sum cum sorore mea, & inualui. Et vocavit nomen eius Nephthalim. Vidit autem Lia quod cessauit parere, & accepit ancillam suam, & dedit eam Iacob uxorem. Concepit autem Zelpha ancilla Liæ, & peperit Iacob filium. & dixit Lia, Felix facta sum. Et vocavit nomen eius Gad. Et concepit adhuc Zelpha ancilla Liæ, & peperit Iacob filium secundum. Et dixit Lia, Beata ego, quia beatam dicunt me mulieres. Et vocavit nomen eius Aser. Abiit autem Ruben in die messis tritici, & inuenit poma mandragoræ in agro, & tulit ea ad Liam matrem suam. Dixit autem Rachel Liæ sorori suæ: Da mihi de mandragoris filij tui. Dixit autem Lia, Non satis tibi quod accepisti virum meum? numquid & mandragoras filij mei accipies? Dixit autem Rachel, Non sic: dormiat tecum nocte ista pro mandragoris filij tui. Regressus est autem Iacob ex agro vespere, & egressa est Lia in occursum ei, & ait, Ad me ingredieris hodie, quia mercede conduxisti te pro mandragoris filij mei. Et dormiuit cum ea nocte illa. Et exaudiuit Deus Liam: & concipiens peperit filium quintum Iacob. Et ait Lia, Dedit mihi Deus mercedem meam, eo quod dedi ancillam meam viro meo. Et vocavit nomen eius Issachar, quod est merces. Et concepit adhuc Lia, & peperit filium sextum Iacob. Et dixit Lia, Donauit mihi Deus donum bonum in hoc tempore, eliget me vir meus: peperit enim illi sex filios. Et vocavit nomen eius Zabulon. Et post hoc peperit filiam, & vocavit nomen eius Dina. Recordatus est autem Deus Rachel, & exaudiuit eam Deus, & aperuit eius vuluam: & concipiens peperit filium Iacob. Dixit autem Rachel, Abstulit Deus opprobrium meum. Et vocavit nomen eius Ioseph, dicens, Addidit mihi Deus filium alterum. Factum est autem ut peperit Rachel Ioseph, dixit Iacob Laban: Dimitte me, ut reuertar in locum meum, & in terram meam: redde mihi uxores meas & filios meos, pro quibus seruiui tibi, & abibo: tu enim scis seruitutem quam seruiui tibi. Dixit autem ei Laban, Si inueni gratiam coram te, augurarer utique: benedixit me Deus tuo ingressu: distingue mercedem tuam ad me, & dabo. Dixit autem illi Iacob, Tu scis seruitutem quam seruiui tibi, & quanta erant pecora tua mecum. Parua enim erant, quæ-

cumque tibi erant coram me, & aucta sunt in multitudinem, & benedixit te Dominus in pede meo. nunc ergo quando faciam & ego mihi ipsi domum? Et dixit Laban illi, Quid tibi dabo? Ait autem illi Iacob, Non dabis mihi nihil: si feceris mihi verbum hoc, iterum paciscam oues tuas, & custodiam. Transcant omnes oues tuæ hodie, & separa inde omnem ouem fuscam in agnis, & omne subalbum & sparsum in capris erit mihi merces: & exaudiet me iustitia mea in die craftina, quia est merces mea in conspectu tuo. Omne quod non fuerit sparsum aut subalbum in capris, & fuscum in agnis, furatum erit apud me. Dixit autem illi Laban, Sit secundum verbum tuum. Et distinxit in die illa hircos sparsos & subalbos, & omnes capras sparsas & subalbas, & omne fuscum quod erat in agnis; & omne quod erat album in ipsis, & dedit per manum filiorum suorum gregem singulariter. Et posuit spatium viam trium dierum inter eos, & inter Iacob: Iacob autem pascebat oues Laban reliquas. Accepit autem sibi Iacob virgam styracinam viridem, & nuceam, & platani: & decorticauit eis Iacob cortices albas, circumtrahens viride. Apparuit autem in virgis album, quod decorticauit varium: & apposuit virgas quas decorticauit in canalibus concharum aquæ, ut cum venirent oues ad bibendum, in conspectu virgarum venientibus ipsis ad bibendum conciperent oues in virgas. Et pepererunt oues subalbas, & varias, & cineratas sparsas. At agnos separauit Iacob, & posuit coram ouibus arietem subalbum, & omne varium in agnis: & separauit sibi greges per se ipsum, & non miscuit eos ad oues Laban. Factum est autem in tempore quo conceperunt oues, in vtero accipientes, posuit Iacob virgas coram ouibus in canalibus, ut conciperent ipsæ secundum virgas: quando autem pariebant oues, non ponebat. Facta sunt autem non signata Laban, at signata Iacob. Et ditatus est homo valde nimis: & fuerunt ei pecora multa, & boues, & serui, & ancillæ, & cameli, & asini, & muli.

*De profectioe Iacob in Mesopotamiam ad Laban, de angelorum apparitione, & Iacob ditatione. CAP. IIII.*

**E**T misit Isaac Iacob: & abiit in Mesopotamiam ad Laban, &c. Profectus est Iacob, & in itinere dormiuit (quod est quieti animi indicium) & vidit angelos Dei ascendentes & descendentes, hoc est, Christum

*Matth. 4.*

*Gen. 29.*

*Prover. 5.  
Prover. 12.  
Genes. 29.*

*Genes. 30.*

*Psalm. 140.  
Num. 17.*

Christum præuidit in terris, ad quem angelorum caterua descendit atque ascendit, obsequium proprio Domino pio præbitura seruitio. *Et eleuans Iacob pedes abiit, &c. & vidit, & ecce puteus in agro.* Venit autem Iacob ad puteum, ut biberet de suis vasibus, & de puteorum suorum fontibus, & supereffluerent ei aquæ de suo fonte. Fons enim vitæ in manibus iusti. Et venit ad Laban, & oues eius paut. Iniquitas in-comitata residet, sapientia regendi officium non o-mittit, nescit vel in alienis vacare, nescit exul esse in peregrinis. Quomodo enim exul, quæ ubique suum seruat, & in se habet quod possidet? *Et dixit Laban illi, Quid tibi dabo? &c.* Quasi mercenarius ingreditur iustus, & rector est: qui sibi gregem multarum præstantiumque virtutum splendore fulgentem, euangelicæ prædicationis ministerio colligebat, ut potaturis ouibus virgam styracinam & nucinam & de platano proponeret in canalibus, quod concupiscentes beatissime Trinitatis præfigurata mysteria, haudquaquam decolores foetus piæ mentis conceptione formarent. Bonæ oues, quæ bonorum partus operum fidei sacræ non degeneres ediderunt. Per styracem significatur incensum & sacrificium versperinum, quod Deo patri defertur in Psalmo. Per nucinam virgam sacerdotale Christo munus defertur. Hæc enim virga Aaron quæ reposita floruit, quæ sacerdotalis gratia sanctificationis emicuit. Per platanum spiritalis fructus significatur vbertas, quia arbori huic vitis annectitur, ut eius læta consortio, in partus sese vberes fundat. Siquidem Dominicæ muneris passionis, remissionemque omnium peccatorum adiuncta spiritus gratia dare consuevit.

#### *Genesis Cap. XXXI.*

**A**VDIUIT autem Iacob verba filiorum Laban, dicentium, Tulit Iacob omnia quæ patris nostri, & de his quæ patris nostri fecit omnem gloriam hanc. Et vidit Iacob faciem Laban, & ecce non erat ad eum sicut heri & tertia die. Dixit autem Dominus ad Iacob: Reuerte in terram patris tui, & in gentem tuam, & ego ero tecum. Mittes autem Iacob, vocauit Lian & Rachel in agrum ubi erant greges, & ait illis, Video ego faciem patris vestri, quod non est erga me sicut heri & tertia die. At Deus patris mei fuit mecum. Et ipsæ scitis, quod in omni fortitudine mea seruiui patri vestro: at pater vester decepit me, & mutauit mercedem meam decem agnorum; & non dedit illi Deus malefacere mihi. Si sic diceret, Varia erunt tua merces, & parient omnes oues varia. si autem diceret, Alba erunt tua merces, & parient omnes oues alba. Et abstulit Deus omnia pecora patris vestri, & dedit mihi ea. Et factum est, quando concipiebant oues, in vtero accipientes, & vidi oculis

meis eas in somnio, & ecce hirci & arietes ascendentes super oues & capras, subalbi & varij, & cinerati sparsi. Et dixit mihi angelus Dei per somnium, Iacob Iacob. Ego autem dixi, Quid est? Et dixit mihi, Respice oculis tuis, & vide hircos & arietes ascendentes super oues & capras subalbas & varias, & cineratas sparsas. Vidi enim quæcumque tibi Laban facit. Ego sum Deus qui apparui tibi in loco Dei, ubi vnixisti mihi illic titulum, & vouisti mihi votum. Nunc ergo surge, & egredere de terra hac, & vade in terram natiuitatis tuæ. Et respondentes Lia & Rachel, dixerunt ei, Numquid est nobis adhuc pars hæreditatis in iis quæ patris nostri? non quasi alienæ reputatæ sumus ei? Vendidit enim nos, & deuorauit deuoratione argentum nostrum: Omnes diuitias & gloriam, quam abstulit Deus patris nostri, nobis erit & filiis nostris. Nunc ergo quæcumque tibi dixit Deus, fac. Surgens autem Iacob accepit uxores suas, & filios suos super camelos: & abduxit omnem substantiam suam, & omnem supellestem suam quam acquisiuit in Mesopotamia, & omnia sua, ut abiret ad Isaac patrem suum in terram Chanaan. Laban autem abiit ad tondendum oues suas. Furata est autem Rachel idola patris sui. Abscondit autem Iacob Laban Syro, ne indicaret ei quod fugit. Et fugit ipse, & sua omnia, & transiuit flumen, & festinauit in montem Galaad. Nuntiatum est autem Laban Syro die tertia, quod fugit Iacob. Et assumens filios suos & fratres suos cum eo, persequutus est post eum viam dierum septem; & comprehendit eum in monte Galaad. Venit autem Deus ad Laban Syrum per somnum nocte, & dixit ei, Caue ne forte loquaris ad Iacob mala. Et comprehendit Laban Iacob. Iacob autem fixit tabernaculum suum in monte: Laban autem statuit fratres suos in monte Galaad. Dixit autem Laban Iacob, Quid fecisti? quare fugisti clam, & furatus es me, & adduxisti filias meas quasi captiuas gladio? Et si annuntiaffes mihi, misissem te cum lætitia, & cum musicis & tympanis & cithara. Non dignus habitus sum osculari filios meos, & filias meas? Nunc autem stultè egisti. Et nunc valet manus mea malefacere tibi: at Deus patris tui heri ait ad me, dicens, Custodi te ipsum, ne forte loquaris cum Iacob mala. Nunc ergo vade: desiderio enim desiderasti in domum



patris tui abire: quare furatus es deos meos? Respondit Iacob, & dixit Laban, Dixi enim, ne fortè auferas filias tuas à me, & omnia mea. Cognosce ergo quid est tuorum apud me, & accipe. Et non cognouit apud eum nihil. Et dixit Iacob, Apud quem inuenti fuerint dei tui, non uiuet coram fratribus nostris. nesciebat autem Iacob, quòd Rachel vxoreius furata est eos. Ingressus autem Laban scrutatus est domum Lia, & non inuenit. Et egressus ex domo Lia, scrutatus est domum Iacob, & in domo duarum ancillarum, & non inuenit. Ingressus est autem & in domum Rachel. Rachel autem accepit idola, & iniecit ea in stramentis cameli, & sedit super eis, & dixit patri suo, Non grauius fer domine: non poterò surgere coram te, quia quæ secundum consuetudinem mulierum mihi sunt. Scrutatus est autem Laban coram ipso in omni domo, & non inuenit idola. Iratus est autem Iacob, & rixatus est cum Laban. Et respondens Iacob, dixit Labā, Quæ iniquitas mea, & quod peccatum meum quòd persequutus es post me, & quòd scrutatus es omnia uasa domus meæ? Quid inuenisti de omnibus uasibus tuis? Pone hinc coram fratribus tuis, & fratribus meis, & arguant inter duos nos. Hi mihi viginti anni ego sum tecum: oues tuæ & capræ tuæ non fuerunt steriles: arietes ouium tuarum non comedi, à bestia comestum non attuli tibi: ego soluebam à me ipso furta diei, & furta noctis: fui combustus æstu diei, & glacie noctis: & fugiebat somnus ab oculis meis. Isti viginti anni ego sum in domo tua: seruiui tibi quatuordecim annos pro filiabus tuis, & sex annos in ouibus tuis, & decepisti mercedem meam decem agnis. Nisi Deus patris mei Abraham fuisset mihi, & timor Isaac, nunc vacuum me misisses. Humilitatem meam, & laborem manuum mearum vidit Deus, & redarguit te heri. Respondens autem Laban, dixit Iacob, Filia, filia meæ: & filij, filij mei: & pecora, pecora mea: & omnia quæcumque tu vides, mea sunt, & filiarum mearum: quid faciam istis hodie, aut filiis earum quos pepererunt? Nunc ergo veni, disponamus fœdus ego & tu, & erit in testimonium inter me & te. Accipiens autem Iacob lapidem, statuit eum titulum. Dixit autem Iacob fratribus suis: Colligite lapides. Et collegerunt lapides, & fecerunt collem: & comederunt illic super col-

lem, & biberunt. Et vocauit eum Laban, Collem testimonij. At Iacob vocauit eum, Collis testis. Dixit autem Laban: Tumulus iste testis est inter me & te hodie: propter hoc vocatum est nomen loci, Collis testificatur. Et visio quā dixit, Respiciat Deus inter me & te, quia discedemus alter ab altero. si humiliaueris filias meas, si acceperis vxores super filias meas, vide nullus nobiscum est, Deus testis inter me & te. Et dixit Laban Iacob, Ecce tumulus iste & titulus quem statui inter me & te, testis est. Tumulus iste & titulus quem statui, hic testis est. Si enim transgrediar ego ad te, neque tu transgrediaris ad me collem istum, & titulum istum in malitia, Deus Abraham & deus Nachor iudicabit inter nos. Et iurauit Iacob per timorem Isaac patris sui. Et sacrificauit sacrificium in monte, & vocauit fratres suos, & comederunt & biberunt, & dormierunt in monte. Surgens autem Laban mane, osculatus est filios & filias suas, & benedixit eis: & reuersus est Laban in locum suum.

*Iacob diuina in visione in terram suam reuertitur ob inuidiam Laban & filiorum eius, qualis præterea vir iustus esse debeat, si inuidia fuerit exorta, indicatur. quid denique significet inquisitio Labā, & nihil sui apud Iacob inuentio: & ex hoc de beati Iacob excellenti commendatione.*  
CAPVT V.

**D**ixit autem Dominus ad Iacob, Reuere in terram patris tui, & in gentem tuam, & ego ero tecum. Diues valde factus erat Iacob, bonum gregem nutries Christo, quem fidei titulo, & variarum virtutum nobilitabat insignibus. Itaque nec sibi videbatur angustus censu, fide opimus, & à Labā filiis vt opulentissimus in inuidiam vocabatur, qui suum gregem alieni gregis accessione cumulasset. Et dixit ei Deus, Reuere in terram patris tui, & in gentem tuam, & ego ero tecum: ostendens nihil ei deesse, cui adesset omnium plenitudo virtutum: hoc solum abundare perfectè, in hoc constare omnia, & omnia ad ipsum referri. Nihil ei superfluum aut necessarium, cui pax fida suppeteret, per quam reconciliaret quæ primò fuerant discrepantia. Nec mirum si pacem haberet, qui columnam statuerat & vnixerat Deo, quæ est Ecclesia. Columna enim & firmamentum dicta est veritatis. Eam vngit qui in Christum fidei, in pauperes misericordiae fundit vnguentum. Nunc consideremus qualis vir iustus esse debeat, si inuidia fuerit exorta. Primum vt declinet eam: melius est enim sine lite abire, quàm residere cum iurgio. Deinde vt talia possideat, quæ secum auferre possit, vt in nullo teneri ab aduersario possit obnoxius, sed dicat, Cognosce si quid tuorum est apud me. Et quæsiuit Laban, & nihil suum inuenit apud Iacob. Magnus vir & verè beatus, qui nihil potuit suum amittere, nihil alienum habere: hoc est, nihil minus habere, nihil superfluum.

fluum. Itaque ille perfectus est, cui nihil deest: iustus, cui nihil superest. Hoc enim est iustitiæ tenere mensuram. Quanta virtus, cui societas lucrum dabat, non irrogabat dispensium? Hoc est perfectum esse, adhaerentibus sibi commodi plurimum dare, nihil afferre incommodi. Denique is qui nocere cupiebat, inanem eum non potuit dimittere. Sapiens enim nūquam inanis est, semper in se habens amicum prudentiæ, qui potest dicere, Iustitiam induebam, & vestiebā iudicium, sicut dixit Iob. Nāque hæc mentis sunt interna velamina, quæ nemo alius possit auferre, nisi cum aliquē sua culpa despoliat. Denique sic despoliatus Adam, nudus inuentus est. At verò Ioseph etiam vestimento exteriori relicto, nudus non erat, qui salua habebat indumentā virtutis. Numquā ergo inanis sapiens. Nam quomodo inanis, qui de plenitudine Christi accipit & seruat acceptū? Quomodo inanis, cuius repleta est anima, quæ acceptæ gratiæ vestimenta custodit? Illud metuendum est, ne quis innocentiæ velamen amittat, ne impij sacrilegæ persecutionis impressione, terminos iustitiæ prægressi, vestimentum animæ ac mentis eripiant. Quod non accidit, nisi prius aliquē nox suæ iniquitatis exuerit. Vnde & Dauid dicit, Si est iniquitas in manibus meis, decidam meritò ab inimicis meis inanis, persequatur inimicus animā meam, & comprehendat. Nemo ergo ex inimicis potest tuā animam comprehendere, nisi prius inanis fuerit effecta. Noli igitur metuere eos qui possunt auri argentique compilare thesauros. Isti tibi nihil auferunt. Hoc enim auferunt quod non habebas, hoc auferunt quod possidere non poteras, hoc auferunt quod non ornabat animam tuā, sed onerabat, hoc auferunt quod non locupletabat cor tuum, sed potius deprimebat. Vbi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit cor tuū: sicut legi audisti hodie. Multi seris portarum suarū includunt aurum suum: sed ij nec vestibus & claustris suis credunt. Multi vigilēs adhibēt, sed ipsi quoque plus ipsos solent timere custodes. Multi deosso auro incubant, aurum eorum sub terra, & cor eorū sub terra. Caue ergo ne & tu cor tuū terræ viuus infodias. Nō ergo auri istius metuēdi fures. Ille tibi cauendus est fœnerator, qui substantiam animæ tuæ scrutatur, si qua peccati grauioris æra contraxeris, qui cor tuum includit solo, qui animam tuā eo cespite obruit quo aurum texeris, qui mentem tuam centesimarum incuruat vsuris, & graui condit sepulcro, de quo nullus resurgit. Sequere sanctū Iacob, qui neq; de alienis vitis quidquam habebat, neque suarū virtutum erat inanis & vacuus, qui erat iustitiæ fructu repletus. Sed hæc moralia. Illud mysticū, quòd venit ad eum Labā, hoc est, dealbatus (quia & satanas transfiguratur se in angelum lucis) & cœpit ab eo sua requirere. Respondit ei Iacob, Cognosce si quid tuorum apud me, hoc est, nihil tuorum habeo. Quare si quid agnoscis vitiorum tuorum & criminum. Nihil mecum abstuli, fraudum tuarum dolique confortia vlla non habeo, omnia tua tamquam contagium refugi. Et quæsiuit Laban, & nihil suum reperit. Quam beatus vir, in quo inimicus nihil inuenit, quod suum posset dicere: in quo diabolus nihil offendit, quod suū agnosceret. Impossibile videbatur istud in homine, sed typum gerebat eius qui dixit in Euangelio, Venit

huius mundi princeps, & in me inueniet nihil. Nihil est enim quicquid est diaboli, quod nullam potest habere perpetuitatem atque substantiam. Ipse autem est qui præfigurabatur in Iacob, Dominus Iesus, sponsus duorum coniugiorum, hoc est, legis & gratiæ, qui virginē Rachel antè dilexit, & prædestinatam sibi in coniugium pio amabat affectu. Sed quoniam Lia tamquam lex subintravit, & oculis infirmior obrepit tamquā synagoga, quæ mentis cæcitate Christum videre non potuit, superabundauit gratia sanctæ Rachel, quæ supra primum illud est expetita coniugium, quæ Ecclesiæ principatum futurum iam tunc nominis sui interpretatione signabat. Beata Rachel, quæ abstulit opprobrium suo partu: beata Rachel, quæ abscondit cultus, errorēque gentilium, quæ simulacra eorum plena esse immunditiæ declarauit. Nemo credat paternam lēsam esse reuerentiam, quòd stante patre sedit, quoniam scriptum est, Qui plus diligit patrem aut matrem quàm me, non est me dignus. Vbi causa agebatur religionis, fides debuit habere sedem iudicij, & quasi restare perfidia.

### Genesis Cap. XXXII.

**E**T Iacob abiit viam suam: & respiciens vidit castra Dei castrametata, & obuiauerunt ei angeli Dei. Dixit autem Iacob, quando vidit eos, Castra Dei hæc sunt. Et vocauit nomen loci illius, Castra. Misit autem Iacob ante ad Esau fratrem suum in terram Seir, in regionem Edom: & præcepit eis, dicens, Sic dicetis domino meo Esau: Sic dicit seruus tuus Iacob: Cum Laban habitauit, & moratus sum vsque nunc: & fuerunt mihi boues, & asini, & oues, & serui, & ancillæ: & misi domino meo Esau nūtiare, vt inueniat seruus tuus gratiam coram te. Et reuersi sunt nuntij ad Iacob, dicentes, Venimus ad fratrem tuum Esau, & ecce ipse venit in occursum tuum, & quadringenti viri cum eo. Timuit autem Iacob valdè, & dubitauit: & diuisit populum qui cum eo, & boues & oues in duas turmas. & dixit Iacob, Si venerit Esau ad turmam vnā, & percusserit eam, erit turma secunda vt saluetur. Dixit autem Iacob, Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac, Domine qui dixisti mihi, Reuere in terram natiuitatis tuæ, & bene tibi faciam: sufficiat mihi ab omni iustitia, & ab omni veritate quam fecisti seruo tuo. In virga enim mea hac transiit Iordanem hunc: nunc autem factus sum in duas turmas. Erue me de manu fratris mei, de manu Esau, quia timeo eum ego, ne fortè veniens percutiat me, & matrem super filios. Tu autē dixisti, Bene tibi faciam, & ponam semē tuum sicut arenā maris, quæ non numerabitur præ multitudine. Et

*De pen. dist. 2. sapiens. lib. 27.*

*Genes. 3. Genes. 39. Iam. 1.*

*Isal. 7.*

*Math. 6.*

*Isal. 108.*

*Coloss. 1. Genes. 28. 1. Tim. 3.*

*2. Cor. 11.*

*Math. 5. Genes. 31.*

*Isal. 14.*

*Gen. 29.*

*Rom. 5.*

*Genes. 29. Genes. 30. Genes. 31. Math. 10.*

dormiuit illic nocte illa: & accepit de quibus ferebat dona, & misit Esau fratri suo, capras ducentas, hircos viginti, oues ducetas, arietes viginti, camelos lactates & filios eorū triginta, boues quadraginta, tauros viginti, asinos viginti, & pullos decē: & dedit ea per manū seruis suis greges singulariter, & dixit pueris suis, Ite ante me, & spatium facite inter gregem & gregē. Et præcepit primo, dicēs, Si tibi obuiauerit Esau frater meus, & interrogauerit te dicēs, Cuius es? & quod vadis? & cuius ea quæ vadūt ante te? dices, Serui tui Iacob, dona misit domino meo Esau, & ecce ipse post nos. Et præcepit primo, & secundo, & tertio, & omnibus antecedentibus post greges istos, dicens, Secundum verbum hoc loquimini Esau, cum inueneritis eū vos, & dicetis, Ecce seruus tuus venit post nos. Dixit enim, Placabo faciē eius in donis præcedentibus, & post hoc videbo faciē eius: forsitan enim suscipiet faciē meā. Et præcesserunt munera ante faciē suam. Ipse autem dormiuit nocte illa in castris. Surgens autē nocte illa, accepit duas mulieres, & duas ancillas, & vndecim filios suos, & trāsiuit transitum Iacob: & accepit eos, & trāsiuit torrentem, & traduxit omnia sua. Relictus est autem Iacob solus: & luctabatur homo cum eo vsque ad mane. Vidit autem quod nō potest ad eum: & tetigit latitudinem femoris eius, & emarcuit latitudo femoris Iacob, cum luctaretur ipse cum eo. Et dixit ei, Dimitte me: ascendit enim diluculum. Ille autem dixit, Non te dimittam, nisi mihi benedixeris. Dixit autem illi, Quod nomen tibi? Dixit autem: Iacob. Dixit autem illi, Non vocabitur ultra nomen tuum Iacob, sed Israel erit nomen tuum: quoniam præualuisti cum Deo, & cum hominibus potens. Interrogauit autem Iacob, & dixit, Indica mihi nomen tuum. Et ait, Quare hoc interrogas tu nomen meum? Et benedixit ei illic. Et vocauit nomen loci illius, Facies Dei. Vidi enim Deum faciē ad faciē, & salua facta est anima mea. Ortus est autem ei sol, quando præterit Facies Dei. Ipse autem claudicabat femore suo. Propter hoc non manducant filij Israel neruum, qui emarcuit, qui est super latitudinem femoris, vsque ad diem hanc: quia tetigit latitudinem femoris Iacob nerui, qui emarcuit.

Genesis Cap. XXXIII.

432  
RESPICIENS autem Iacob, vidit, & ecce Esau frater eius veniens, & quadringenti viri cum eo. Et diuisit Iacob filios ad Liam, & ad Rachel, & duas ancillas: & fecit duas ancillas & filios earum in primis, & Liam & filios eius post: Rachel autē & Ioseph vltimos. Ipse autē præcessit ante eos, & adorauit super terram septies, donec appropinquaret fratri suo. Et accurrebat Esau in occursum ei, & amplexatus eum, osculatus est: & cecidit super collum eius, & fleuerunt ambo. Et respiciens Esau, vidit mulieres & puerulos, & dixit, Quid hæc tibi sunt? Et ait, Paruuli, quibus misertus est Deus serui tui. Et appropinquauerunt ancillæ & filij earū, & adorauerunt: & post hoc appropinquauit Rachel & Ioseph, & adorauerunt. Et ait, Quid hæc tibi sunt? omnes turmæ istæ quibus obuiaui: Ille autem dixit, Vt inueniat seruus tuus gratiā corā te domine. Dixit autem Esau, Sunt mihi multa frater, sint tibi tua. Dixit autem Iacob, Si inueni gratiam coram te, accipe dona per meas manus. propter hoc vidi faciē tuam, sicut si quis videret faciē Dei: & benedices mihi. accipe benedictiones meas, quas attuli tibi: quia misertus est mei Deus, & sunt mihi omnia. Et cōpulit eū, & accepit, & dixit, Discedentes gradiamur in rectam. Dixit autē illi, Dominus meus scit quod teneriores pueri, & oues & boues scetæ sunt apud me. Si ergo vigeā eos diem vnum, morientur omnia pecora. Præcedat dominus meus ante seruum suum: ego autem fortis ero in via secundum otium ambulationis, quæ ante me, & secundum pedem puerulorum meorum, donec veniam ad dominum meum in Seir. Dixit autem Esau, Relinquam tecum de populo qui mecum: Ille autem dixit, Ad quid hoc? Satis, quod inueni gratiam coram te domine. Reuersus est autem Esau in die illa in viam suam in Seir: & Iacob discedit in tabernacula, & fecit sibi domos, & pecoribus suis fecit tabernacula. propter hoc vocauit nomen loci illius, Tabernacula. Et venit Iacob in Salem ciuitatem Sicimorum, quæ est in terra Chanaan, quando venit de Mesopotamia Syriæ: & castrametatus est secundum faciē ciuitatis. Et acquisiuit partem agri, vbi statuit ibi tabernaculum suum, ab Hemor patre Sychem, centum agnis. Et statuit illic altare, & inuocauit Deum Israel.

Quid

Quid significet quod proficiscenti Iacob angeli Dei occurrerunt: quid sibi etiam velit quod ipse fratri occurrens septies in terra adorauerit: quid præterea, quod petiturus a fratre concordiam, in castris dormiuerit: quid denique lucta, & eius claudicatio designent. CAP. VI.

Gen. 32.

Gen. 33.

Deut. 6.

Gen. 25.

Gen. 27.

Gen. 4.

Matth. 18.

Gen. 32.

Iuan. 14.

Ibid.

Philipp. 4.

ET Iacob abiit viam suam: & respiciens vidit castra Dei castrametata, & obuiauerunt ei angeli Dei. Proficiscenti Iacob sancto, angeli Dei occurrerunt. Deniq; vidit castra Dei applicata, & ait, castra Dei hæc sunt. Perfectus enim & fidelibus diuina solēt adesse præsidia. Perfectus autem, qui cogitabat de reconciliatione fraterna, ita vt humilitate inuitaret, officiis acquireret, muneribus quoq; emendā eam putaret. Dixit enim, Placabo faciē eius in donis præcedentibus. Occurrit itaq; fratri cū muneribus, vxoribus & pignoribus suis, vt etiam si ipse indignaretur, necessitudinis obsequiis inflecteret. Et adorauit septies in terra. Quid sibi istud vult esse? Lex dicit, Dominum Deum tuū adorabis, & ipsi soli seruiēs: & hic adorat intemperantem, iracundum, minantem parricidale flagitium. An terram adorauit, illam humano cruore concretam, serpentium infusam venenis, aut iciuna infelicē glarea, aut duris atq; asperis inhorrentem cautibus? Quid sibi etiam vult quod septies adorauit? Hæreret solutio, nisi illud occurreret quod Petro interroganti in Euangelio: Si frater meus in me peccauerit, quoties dimittam ei, vsque septies? Respondit Dominus Iesus, Non solū septies, sed vsque septuagies septies. Hoc igitur prophetico spiritu sanctus Patriarcha significat, in aduenientem respiciens, qui nō solū vique septies, sed etiā septuagies septies veniam fratri laxari iuberet, vt eius contemplatione conuētus Esau, iniuriam quam se accepisse putabat, remitteret fratri: & quamuis læsus, in gratiam rediret: quia propterea carnem suscepturus erat Dominus Iesus & venturus in terras, vt multiplicatam nobis donaret veniam delictorum. Denique petiturus a fratre concordiam, dormiuit in castris. Perfecta virtus habet quietis tranquillitatem & stabilitatem. Ideo Dominus donū eius perfectioribus reseruauit, dicens, Pacem meam relinquo vobis, pacem meā do vobis. Perfectorū est enim, non facillē mundanis moueri, nō turbari metu, non exagitari suspitione, non terrore cōcuti, non dolore vexari, sed quasi in litore tutissimo aduersum insurgentes fluctus secularium procellarum mentem immobilem fida statione placidare. Hoc firmamentum Christianis mentibus Christus inuexit, pacem internam inuens animis probatorum, vt non turbetur cor nostrum, neque exagitetur animus. Hanc pacem super omnem mentem esse Apostolus doctor asseruit, dicens, Et pax Dei quæ exuperat omnem mentem, custodiat corda vestra, & Iesus in Christo Iesu, Fructus itaq; pacis est nō perturbari in pectore. Deniq; vita iusti quieta est, iniustus autem inquietudinis & perturbationis plenus est. Itaque amplius suis suspitionibus affigitur impius, quā alienis plerique verberibus: maiorēq; vibices vulnere in eius animo sunt, quā in eorum corpore qui ab aliis verberantur. Grāde est intra se aliquem tranquillum esse, & sibi conuenire. Foris pax aut imperatoris sollicita prouidentia, aut manu militum quaritur, aut bellorū prospero cedit

S. Ambr. tom. 1.

eventu, aut internecione aliqua barbarorum, si in se hostili motu arma conuertant. In ea pace nulla nostra virtus, sed euentus est. Certē gloria pacis illius ad imperatorem refertur, istius pacis fructus in nobis est, quæ est in mentibus singulorum, quæ tenetur affectibus. Istius pacis maior est fructus, quo spiritalis nequitia tentamēta, quā quo arma hostilia repelluntur. Ista pax sublimior, quæ corporaliū passionum excludit illecebras, perturbationēque mitigat, quā ea quæ barbaricos sedat incursum. Plus est enim clauso intra te hosti resistere, quā remoto: Itaq; Iacob qui cor suum ab omni similitate mundauit, vt pacificum affectum gereret, postquā premissit omnia sua, solus remansit, & luctatus est cum Deo. Quicumque enim secularia negligit, ad imaginem similitudinēque Dei propius accedit. Quid est enim luctari cum Deo, nisi virtutis suscipere certamen, & cū superiore congredi, potiorēq; ceteris imitatorum fieri Dei? Et quia insuperabilis erat fides eius atque deuotio, secreta ei mysteria Dominus reuelabat, tangens latitudinem femoris eius, eo quod ex eius erat generatione Dominus Iesus oriundus ex Virgine, qui Deo nec impar nec inæqualis esset, cuius crucem obstupescētis femoris latitudo signabat, eo quod diffusa per vniuersum mundum remissione peccati, salutaris foret omnibus, qui stupore sui corporis ac sudore resurrectionem tribueret defunctorum. Vnde non immeritō exortus est sol sancto Iacob, cuius generi crux Domini salutaris illuxit: simul quia sol ei oritur iustitiæ, qui Deum cernit, quia ipse est lumen æternum. Claudicauit autem Iacob a femore suo. Propter hoc non manducant filij Israel neruum vsque ad diem hanc. Vtinam manducassent & credidissent. Sed quia non erant facturi voluntatem Dei, ideo non māducauerūt. Sūt & qui ita accipiāt, quod ideo claudicauerit ab vno femore Iacob, quia duobus populis ex eius generatione manantibus, vnus stupor etiam tunc circa fidei gratiam declarabatur futurus. Ipse est ergo populus qui stupore perfidiae claudicauit.

Genesis Cap. XXXIII.

EGRESSA est autem Dina filia Lia, quam peperit Iacob, vt cognosceret filias indigenarum: & vidit eam Sychem filius Hemor Heuæus, princeps terræ, & accipiens eam, dormiuit cum illa, & humiliavit eam. Et intēdit animam Dina filia Iacob, & dilexit virginē, & loquutus est secundum mentem virginis ei. Ait autem Sychem ad Hemor patrem suū, dicēs, Accipe mihi puellam hanc in vxorem. Iacob autē audiuit, quod polluit Sychem filius Hemor Dinam filiā suā. At filij sui erant cum pecoribus in agro. Tacuit autem Iacob, donec veniret ipsi. Egressus est autē Hemor pater Sychem ad Iacob, vt loqueretur ei. At filij Iacob venerunt de agro. Vt autem audierūt, cōpuncti sunt viri, & triste fuit illis valdē: quia turpe fecit in Israel Sychem, dormiēs eū filia Iacob.

Et non sic erit. Et loquutus est eis Hemor, dicens, Sychem filius meus elegit ex anima filiā vestram: date eam illi vxorem, & affinitatem contrahite nobiscum: filias vestras date nobis, & filias nostras accipite filiis vestris, & inter nos habitate. & terra ecce lata corā vobis; habitate, & negotiamini in ea, & acquirite in ea. Dixit autē Sychē ad patrē eius, & ad fratres eius, dicens, Inueniam gratiam corā vobis, & quodcumque dixeritis, dabimus: implete dotē valde, & dabo sicut dixeritis mihi, & dabitur mihi puellā hanc in vxorē. Responderunt autem filij Iacob Sychem & Hemor patri suo cū dolo, & loquuti sunt eis, quia polluerant Dinā sororem suam, & dixerunt eis Symeō & Leui fratres Dinā: Non poterimus facere verbum hoc, dare sororem nostram homini habenti præputium: est enim opprobriū nobis. Solūm in hoc assimilabimur vobis, & habitabim⁹ inter vos, si fueritis sicut nos, & vos in circumcidendo vestrū omne masculinum: & dabimus filias nostras vobis, & de filiab⁹ vestris accipiemus nobis: & habitabim⁹ apud vos, & erimus genus vnū. Si autē non audieritis nos, & circumcisi fueritis, accipientes filiam nostram, abibimus. Et placuerunt verba coram Hemor, & coram Sychem filio Hemor. Et non tardauit iuuenis facere verbū hoc: incubuerat enim filia Iacob. Ipse autē erat gloriosissimus omnium qui in domo patris sui. Venit autē Hemor & Sychē filius eius ad portā ciuitatis eorum, & loquuti sunt ad viros ciuitatis eorum, dicētes, Homines isti pacifici sunt, nobiscum habitēt super terrā, & negotientur in ea. At terra ecce lata coram eis, filias eorum accipiemus nobis vxores, & filias nostras dabimus eis. Solūm in hoc assimilabuntur nobis homines isti, vt habitent vobiscū, vt sit populus vnus, in circumcidēdo nostrum omne masculinum, sicut & ipsi circumcisi sunt: Et pecora eorū, & quadrupedia eorū, & omnis substātia nō nostra erūt? Solūm in hoc assimilēmur eis, & habitabūt nobiscū. Et audierūt Hemor & Sychē filiū eius omnes exēutes portam ciuitatis eorū, & circumciderūt carnem præputij eorum omne masculinum. Factū est autem in die tertio, quando erāt in dolore, accipientes duo filij Iacob Symeō & Leui fratres Dinā, vnusquisque gladium suū, ingressi sunt in ciuitatem confidēter, & interfecerunt omne masculinū, & Hemor & Sychē filiū eius occiderunt in ore gladij. Et tulerunt

Dinā de domo Sychem, & egressi sunt. At filij Iacob ingressi sunt super vulneratos: & diripuerunt ciuitatē, in qua polluerunt Dinā sororem suam. Et oues eorū, & boues eorum, & asinos eorū, quācumq; erant in vrbe, & quācumq; erāt in agro, tulerūt, & omnia corpora eorū, & omnem supellectilem eorum, & vxores eorum captiuauerūt, & diripuerūt quācūque erant in ciuitate, & quācumq; erāt in domibus. Dixit autē Iacob Symeō & Leui, O diosum me fecistis, ita vt malus ego sim omnibus habitantibus terrā, inq; Chanaanais, & in Pherzeais. Ego autem paucissimus sum in numero: & congregati super me percutiēt me, & de labor ego, & domus mea. Illi autem dixerunt, Sed sicut scorto vtentur sorore nostra?

Genesis Cap. XXXV.

**D**IXIT autem Deus ad Iacob, Surgens, ascende in locum Bethel, & habita ibi, & fac ibi altare Deo qui apparuit tibi cū fugeres à facie Esau fratris tui. Dixit autē Iacob domui suæ, & omnibus qui cum eo: Tollite deos alienos de medio vestrum, & mundamini, & mutate vestimenta vestra: & surgentes ascendamus in Bethel, & faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis, qui fuit mecū, & saluauit me in via qua ambulauit. Et dederūt Iacob deos alienos, qui erāt in manibus eorū, & in aures quæ in auribus eorū: & abscondit ea Iacob sub terebintho, quæ in Sicimis: & perdidit ea vsque in hodiernū diē. Et profectus est Israel de Sicimis. Et factus est timor Dei super ciuitates, quæ in circuitu eorū: & non persequuti sunt post filios Israel. Venit autem Iacob in Luza in terra Chanaā, quæ est Bethel, ipse & omnis populus qui erat cū eo: & edificauit ibi altare, & vocauit nomen loci, Bethel. illic enim apparuit ei Deus, cū fugeret ipse à facie Esau fratris sui. Mortua est autē Deborra nutrix Rebecca, & sepulta est inferius Bethel sub quercu: & vocauit Iacob nomen eius, Quercus fletus. Apparuit autē Deus Iacob adhuc in Luza, quando venit de Mesopotamia Syria: & benedixit ei Deus, & dixit illi Deus, Nomen tuū nō vocabitur vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuū. Dixit autem ei Deus, Ego Deus tuus: cresce, & multiplicare gentes, & congregationes gentium erunt ex te, & reges de lumbo tuo exhibunt: & terram quam dedi

dedi Abraham & Isaac, tibi dedi eam, tibi erit, & semini tuo post te dabo terram hanc. Ascendit autē Deus ab eo de loco, vbi loquutus est cum eo. Et statuit Iacob titulum in loco quo loquutus est cum eo Deus, titulum lapideum: & fecit super eū libamen, & effudit super eum oleū: & vocauit Iacob nomen loci in quo loquutus est cum eo illic Deus, Bethel. Discedēs autem Iacob de Bethel, fixit tabernaculū suū vltra turrim Gader. Factum est autem, quādo appropinquauit Chabath, vt veniret in Ephrata, peperit Rachel: & cū pareret, difficile peperit. Factum est autem cū difficulter ipsa pareret, dixit ei obstetrix, Cōfide, etenim iste tibi filius est. Factum est autem cū emitteret ipsa animam (moriebatur enim) vocauit nomē ei⁹, Filius doloris mei. At pater vocauit nomē eius Bēiamin. Mortua est autē Rachel, & sepulta est in via Ephrata. hęc est Bethleem. Et statuit Iacob columnā supra monumentū eius, hęc est columna super monumento Rachel vsq; in diem hunc. Factum est autē quādo habitauit Israel in terra illa, abiit Ruben, & dormiuit cum Balla concubina patris sui Iacob. Et audiuit Israel, & malum apparuit in cōspectu eius. Erant autem filij Iacob duodecim. Filij Lia, primogenitus Iacob Ruben, & Symeon, Leui, Iudas, Issachar, Zabulō. Filij autem Rachel, Ioseph & Benjamin. Filij autem Ballæ ancillæ Rachel, Dā & Nephthalim. Filij autem Zelphæ ancillæ Lia, Gad & Aser. Isti filij Iacob, qui fuerunt ei in Mesopotamia Syria. Venit autem Iacob ad Isaac patrem suum in Mambre, in ciuitatē Agri, hęc est Chebrō, in terra Chanaan, vbi habitauit Abraham & Isaac. Fuerūt autem dies Isaac quos vixit, anni centum octoginta. Et deficiens Isaac mortuus est, & appositus est ad genus suum senior, & plenus dierum. Et sepelierunt eum Esau & Iacob filij eius.

De vindicta filiorū Iacob cōtra alienigenas ob Dinā deflorationē, & ipsius Iacob mansuetudinē: & de respōso diuino ei factō vt exurgeret & ascenderet Bethel. CAP. VII.

Gen. 34.

**E**Gressa est autem Dina filia Lia, quā peperit Iacob, vt cognosceret filias indigenarū: & vidit eā Sychē filius Hemor Henuus, princeps terræ, & accipiens eā, dormiuit cū illa. Deniq; post factā supra reuelationē, cū esset ab alienigenæ filio Dina filia Iacob deflorato virginitatis pudore temerata, fratres eius qui nō intellexerūt mysteriū, alienigenas, qui societatem fidei per coniunctionem generis offerebant, vindictæ studio peremerūt. Iacob autē qui morali mansuetudine cle-

Gen. 32.

mentia diligebat, vel mystico spiritu sacramentum congregandæ ex gentibus præuidebat Ecclesiæ, inuitus & dolēs scenam illam exactæ vltionis accepit. Vnde prophetanti aduentum Domini Iesu, responsum diuinum est datum: *Exurgens ascende in locum Bethel*, hoc est, in domum panis, vbi natus est Christus; sicut Michæas Propheta testatus est, dicēs, Et tu Bethleē domus Ephrata nō es minima, vt sis inter principes Iuda: Ex te enim exiet princeps Israel, & egressus eius ab initio, à die sæculi. Verè domus panis, quæ domus Christi est, qui nobis panis salutaris aduenit è celo, vt iam nullus esuriat cibum sibi immortalitatis acquirens. Ibi iubetur habitare patriarcha, ibi altare facere Deo qui apparuit ei. Ibi deos accepit alienos, & abscondit eos sub terebintho: ibi quoq; sepulta est Rachel in via Ephrata, hęc est Bethleē. Ibi etiam columnam statuit Iacob supra monumentum eius. Quanta mysteria, quia ibi est Ecclesia Dei, in qua apparet Deus, & loquitur cum seruis suis! Ibi eripiuntur & absconduntur simulacra gentium. Fides enim Ecclesiæ omnem obseruantiam gentilitatis aboleuit. Sed cur sub terebintho? Certè genus istud infructuosum est. Ibi ergo sunt dii gentium, vbi nullus est fructus. Ibi in aures gentium infodiuntur quas dederunt Iacob, vt iam nouam linguam audire assuescant, veterem perfidiæ sonum nesciant, oburdescant aures eorum sacrilegio, & mudentur ad gratiam. Non immeritò ibi sanctus Daniel falsum aduersus Susannam testimonium deprehēdit. Ibi enim volebat adhuc radices suas locare perfidia, sed latere non potuit, quia à prophético spiritu deprehensa est. Congruus autem error presbyterij veræ confessionis, vt ibi contaminatam diceret castitatem, vbi gentium defossa simulacra sunt. Sed veritas Ecclesiæ nō detexit perfidiam, sed abscondit, & aures gentilitatis obstruxit. Conuenienter quoq; ibi sepulta est sancta Rachel, quia omnes qui baptizantur in Christo, consepeliuntur cum eo. Sic enim docemur, dicente Apostolo, Cōsepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quemadmodum ille surrexit à mortuis propria virtute suscitatus, ita & nos per eius gratiam resurgamus. Tunc igitur verè absconditur omnis error gentilium, cū quis fuerit ablutus à vititiis, quia confixus cruci vetus homo noster nescit iam veteri seruire peccato. Cōpetenter etiam columna statuitur supra monumentum Rachel, quia Ecclesia est columna & firmamentum veritatis.

Gen. 35.  
Luc. 2.  
Mich. 5.  
Ioan. 6.

Gen. 35.  
Ibid.

Sap. 14.

Dan. 13.

Rom. 6.

Ibid.

1. Tim. 3.

De commendabili sancti Iacob senectute, futurarūque ac dubiarum rerum, finis quoque vite sue præsentia, atque agendorum dispositione. CAP. VIII.

**S**enuerat autem Iacob: ætate iam senuerat & moribus, sed certabant in eo impigra iuuentutis, & tranquillitas senectutis. Est enim & senectus virens gratia, & iuuentus cana consiliis, de qua dicit scriptura, Senectus enim venerabilis: &, Ætas senectutis vita immaculata. Senuerat ergo Iacob, qui bonis operibus præuenit tempus longæ senectutis: vt fructum eius ante tempus carperet, & postrema eius in tempore nō timeret. Beatus quidem & iuuenis quibene viuit, sed magis beat⁹ est senex qui bene

Sap. 4.  
Ibid.



vixit. Quod enim iuuenis sperat, adeptus est senior; quod senex fuit, optat hoc esse qui iuuenis est. Certè hic inquieti maris longiore sibi adhuc cursu manente, iactatur fluctibus; senex verò sicut in portu, ita in statione est senectutis. Erat itaque huiusmodi Iacob, qui vix speranda iuuenibus bona, incolumi & tuta gratiæ claue iam clausa & obsignata tenebat. Quod autem possideas, eo quòd adhuc speres, præstabilius est. Erat ergo senex Iacob, ad quem iuuenes aduersa temporis alicuius tempestate percussit, tamquam in portum sese recipiebant: ipse autem tamquam in specula vitæ huius positus sollicito prætendebat affectu, & longè antè rebus dubiis prævidebat remedia. Denique famas erat in tota terra, & senex depositus quæ alacres iuuenes ignorabant, primus audierat: primus admonuit filios suos in Ægypto exuberare frumentum, & eò proficiscendum vt emerent quæ sibi ad vsum necessaria forèt. Libèter etiam ipse iuuenum consiliis acquiescebat, vt etiam filium iuniorem simul mitteret. Et renuntiatibus illis quòd Ioseph filius suus viueret; fracto licet corpore, sed viuida animi virtute, non expectauit vt filius ad se veniret, sed ipse magis perrexit ad filium. Pietati enim mensura ordinis non præpoderat. Nulla itaque sensit impedimenta fessæ senectutis cum pergeret. Pias enim leuabat laborem. Verùm vbi recepti filij fructu potitus est, aliquanto exacto tempore, decem & septem videlicet annorum, (quod secundum illam patriarchæ longauitatem exiguæ portionis tempus est) finem vitæ sibi appropinquare cognouit. Vocauit itaque Ioseph filium, & per generationis suæ futurum hæredem, constrinxit eum ne in Ægypto sepeliretur. Acceptaq; fide, cum paulo post infirmaretur, benedixit patriarchas duodecim, & prophetauit.

*Qua ratione sanctus Iacob cum in ipsis mortis esset diebus, meritò predicandus fuerit beatus: ac de multiplici eius laude, præsertim in patriarcharum benedictione, quòd præterea neque Ioseph, neque Esaias, neque Hieremias, neque Daniel, neque mater Machabæorum cum filiis, negandi sunt fuisse beati, licet grauias sustinuerint supplicia.*  
C.A.P. IX.

**D**icat nunc aliquis, non beatum Iacob cum in ipsis mortis esset diebus, qui pene plura cum Deo quam cum hominibus alloquia miscebat: non beatum cum oculi eius grauaarentur in senectute, & non posset videre. Videtur enim cecitas quibusdam esse grauis ærumna calamitatis. Sed tunc quoque beatus Iacob, qui discernerebat spiritu quod oculis discernere aspectuque nõ poterat. Videbat futura, qui æstimabatur non videre præsentia. Denique errauit & ipse Ioseph, vt quum ad dexteram eius filium suum seniore, & ad sinistram ipsius, hoc est Iacob, applicuisset filium iuniorem, vt ætatis ordo benedictionis ordinem seruaret, cum extenderet dexteram suam super nepotem iuniorem, & sinistram super seniore, & volenti filio patriam dexteram super Massan seniore conuertere, responderet, Scio fili, scio; & hic erit in populum; & hic exaltabitur, sed frater eius iunior maior illo erit. Et causam prælationis adiunxit, dicens, Semen eius erit in multitudinem gètium. Adeo, licet impedito corporis aspe-

ctu: melius videbat, vt videntem doceret errasse. Quis enim melius videt, quam qui videt Christum? Aut quis potest dicere oculis impeditum eum, qui videbat in Christo refulgentem Ecclesiam? Nonne igitur clarum est quòd debilitas beatitudinem impedire nõ possit? Ille oculorum impeditus munere, ille defatigatis corporis viribus in lecto tamquam in sepulcro corpus relinquens, affurrexit in se, & longè ab aliis, atque intra semetipsum sese colligens, præsentibus se rebus subduxerat, & nouissimis diebus futura miscebatur ætati. Sic enim scriptum est, Annuntiabo, inquit, vobis quæ occurfura sunt vobis in nouissimis diebus. Quid igitur ei deerat, cui Deus aderat, qui ei profecturo dixerat, Descendam tecum in Ægyptum, & ego deducam te in perpetuum? Nec defuit, quando in eo Spiritus sanctus loquebatur. Quis tam potens in suo domicilio, quam iste in alieno? Quis tam abundans in vberitate, quam iste in fame? Quis tam fortis in iuuentute, quam iste in senectute? Quis tam actiuus in negotio, quam iste in otio? Quis tam velox in curriculo, quam iste in lectulo? Quis tam lætus in flore adolescentiæ, quam iste in mortis confinio? Quis tam diues in regno, quam iste in peregrino loco? Deniq; reges benedicebat. Nec immeritò pauper non erat, qui nullo indigebat. Pauper nõ erat, qui se pauper non putabat. Et quis pauperem dicat, cuius conuerfatione dignus orbis terrarum non fuit? Et ideo conuerfatio eius erat in cælo. Hic verò prædiues in diuitiis simplicitatis & sinceritatis, decorus magis nitore animæ, quam corporis pulchritudine, quæ marcescere non nouit, ætate impiger, cui liceret cum veller corpore isto exire gurgustio, & superna paradisi mentis vigore penetrare, exultans spiritu, cum sepulcri extrema mandaret. Non enim terreno se tumulo claudendum, sed superno recipiendum domicilio præsumebat, & ideo tanquam alteri mandabat sepulcrum, sui autem securus, mortem illam immortalitatem putabat. Videbatur corporis implicatus impedimento, & vigilanti in futura tempora præcurrebat affectu, dicens de persecutoribus Domini, qui de tribu Symeon & Leui auctores erant nequitie processuri: In consilio eorũ non veniat anima mea, & in confessum eorum non contendat viscera mea. Quis autem tam validus in virtute, quam fortis iste in infirmitate? qui dicebat: Maledictus furor eorum, quia pertinax: & ira illorum, quia indurata est. Diuidam eos in Iacob, & dispergam illos in Israel. Quis verò tam canorus cantibus, quam iste vocibus, qui toto auditus est mundo, qui per omnes populos, per omnes auditur ætates? Quis tam suauibus numeris septem vocum oblocutus discrimina, quam iste septemplex Spiritus sancti gratia resultauit? Qui licet membris resolutus, tamen attollens se animo, & erigens spiritu, corporis sui tamquam citharæ harmoniam dissoluta membrorum compage destructam alta mente dispiciens non requirebat, sed otiosam iacere humi patiebatur. Ipse autem cætu se mulcebat interno, & prophetico se modulamine delectabat, dicens, Iuda, te laudabunt fratres tui, manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda, ex germine filii mi ascendisti: recumbens dormisti vt leo, & tam-

tamquã catulus leonis: Quis fuscitabit illum? Et infra, Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuar anaboladium suum. Hilares oculi eius a vino, & dentes candidiores lacte. Qui cantus dulcior, qui sonus suauior, quàm remissio peccatorum, & resuscitatio mortuorum? Hunc cantum sanctus David ille diuinæ organum vocis, & dominici sermonis interpres, cithara cecinit spiritali. His modulis gratiæ, sublimem illum animum mentemque mulcebat. Hoc cætu mundi istius aspera mitigaui, hoc sonitu sæculi dura molliuit, hoc psalterio terrorem mortis infregit, hac suauitate chòrdarum inferna calcavit. Sed audiamus etiam quæ sanctus Iacob patriarcha admirabili illo suæ organo mentis increpuit: Nephthalim vitis remissa, porrigens in germine decorem. Filius meus ampliatus Ioseph, filius meus adampliatum, zelo appetitus filius meus adolefcentior ad me reuertere. Et infra, Præualuit super benedictiones montium manentium, & desideria collium æternorum. Quid dulcius benedictione? Quid gratius eternitate? Et ipsa verba sunt cantus, & in verbis magna votorum sunt præmia, meritorum fastigia. Quid suauius sancto Ioseph, qui nos liberauit ab opprobrio, crucis dominicæ sacramento? Sicut enim maledictum factus est Christus, vt maledictum solueret legis: & peccatum factus est, vt mundi peccatum tolleretur: ita opprobrium factus est, vt gentilitatis opprobrium auferret. Sed illud opprobrium Christi, thesauris Ægypti pretiosius æstimatũ est. Et ideo Moses Pharaonis regis aulam reliquit, & fidei elegit opprobrium, cui se opprobrio maria diuidebant. Ipse ergo Nephthalim vitis totum remissa per mundum vt omnibus populis vberatè poculi spiritalis infunderet. Ipse est ampliatus, habens nomen super omne nomen: qui quoniã se pro omnibus obtulit morti, ideo audiuit à patre, Ad me reuertere. Loquebatur Iacob, & Deus audiebatur. Ille benedicebat, & Deus personabat, dicens filio, Ad me reuertere; hoc est, post passionem reuertere. Reuertere ad sedè tuã, reuertere cum trophæo, reuertere ad me, vt te resurgentem defuncti sequantur, & tua potestate pariter atque exemplo resurgant, vt fias primogenitus ex mortuis, vt ad dexteram sedearis patris. Vnde & filius dixit, A modò videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis Dei. Neget quis beatum Iacob in ipso mortis supremo, qui diuina fundabat oracula. Neget beatũ Ioseph in carcere, vbi sapietiæ spiritu interpretabatur somniorũ quæ audierat veritatè, & futurorum seriem reuelabat. Neget beatum Esaiam, cum mediis secaretur: Hieremiã, cum mergeretur: Daniel sanctum, cum inter leones stare intrepidus, & prandium ei raptus ab angelo propheta deferret. Non vtique ideo beatus, quia alienũ prandebat prandium, sed quia meritis suis impasta leonũ ora clauderat. Quis autem non beatus tam dixerit matrem Machabæorũ, quæ septem filiorum funeribus octauam se addidit ad laudem cælestis triumphi?

*Quanta laudis fuerit sacerdotum sacerdos Eleazarus in suppliciorum constanti toleratione; quòdque ideo non minus, sed magis fuerit beatus.* C.A.P. X.

**N**ec te Eleazare prætermittam, vt pote sacerdotum sacerdos, sed tuis iuuadum oratis, qui ge-

nere sacerdos, peritus in lege, maturus æui, cum oblati es Antiocho persecutori, nec tentamentis potuisti capi, nec præmiis inflecti, nec suppliciorum acerbitatibus frangi. Denique à blandimentis coepit, quia iudicabat tormenta sua posse superari. Erubescio, inquit, canitiem tuam, reueor senectutè, minor prudentiam, cur abstinendum bonis epulis putet, quæ natura largitur: Relaxa istiusmodi peruicaciam, expergiscere aliquando, dum adhuc malo tibi persuadere quàm extorquere, ne victus supplicii facias, quod refutas ratione inuitatus. Ad hæc respondit senex, Nos Antioche non intentione ducimur, sed reuerentia legis tenemur, quæ à suilla carne abstinendum præcipit. Pulcherrimam iudicis creaturam, negare tamen nõ potes quòd potior sit temperantia, quàm voluptas: potior legis obediētia, quàm præuaricatio. Quòd si hoc leue putas, vt carne vescamur suilla: qui in minimis legè contempserit, quomodo in magnis tenebit? Aut si pretiosa est creatura huiusmodi, vendicaris: cum eo quòd sit pulcherrimũ, defraudamur. Abstinentia autem nostra disciplina est castimoniam. Discimus enim recessecare luxuriam, cupiditates vincere, excludere concupiscentias, delectationibus corporis obuiare. Fortitudinis quoque exercitium est, pœnis pro lege nõ cedere. Iustitiæ quoque insigne atque prudentiæ, vt quod sequendam elegimus timore Dei, morte proposita referemus. Quis escam imperet liberis? Quis autem se ridendum præbeat? Quis autem in hoc seruiat, & non ridebitur? Non sum ita senex, vt mihi nõ iuuenescat animi fortitudo. Suspendis itaque cum hinc atque inde grauitè verberaretur, nec iam ferrent senilia membra verberum pœnas, lassatis carnificibus atque extensoribus, in terram deflexus, inflexibilem mentem gerebat. Et tunc quidam se loquæum miseratus ætatem, seu tentamentis circumuenire desiderans, Responde, inquit, tantummodo te manducaturum, nos te escæ eius immunem præstabimus. At ille clamans, Nequaquam, inquit, contingat mihi vt fiam senex incentiuum iuuenilis erroris, qui hucusque eram forma salutaris instituti. His ego ludibriis, vt paululũ viuam lucrabor, & totius vitæ labores addicam breui viatico senectutis? Senectus portus debet esse, non vitæ superioris naufragium. Non te negabo lex patria, nõ abiurabo vos sancta instituta maiorum, non decolorabo vos insularum sacerdotales, non te perfidiæ puluere turpabo canities. Quid multa? In moriendo tormentis factus est cæteris magisterium perseuerantiæ, qui electus erat ad infirmitatis exemplum. Beatus igitur, in quo non potuerunt tormenta rationem vincere. A mortuo beatus, qui potuit virtute animi victor esse pœnarũ, pietatisque remigio seruare integram in tantis fluctibus passionem?

*De admirabili patientia ac fortitudine septem fratrum Machabæorum, quibus mater octaua addita fuit, qui suis supplicii meritum beatæ vitæ acquisierunt.* C.A.P. XI.

**P**ost ipsum statuti sunt pueri septem cum matre. Insultare licet tyranno, qui dum callidè à seneciendum putat, magistrum eligit quò discipulos faceret fortiores, quorum velut puerilem ætatem præmiis prouocabat ad culpam, vrgebat terroribus

Gen. 41.

Gen. 42.

Gen. 43.

Gen. 45.

Gen. 46.

Gen. 47.

Gen. 48.

Gen. 49.

Gen. 48.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Galat. 3.

2. Cor. 5.

Psal. 21.

Hebr. 11.

Exod. 2.

Exod. 14.

Philip. 2.

Gen. 49.

1. Cor. 15.

Coloss. 1.

Matth. 26.

Gen. 49.

Gen. 40.

Hierem. 38.

Dan. 14.

2. Machab. 7.

2. Machab. 6.

Gen. 49.

Gen. 46.

Gen. 49.

Hebr. 11.

Philip. 3.

Gen. 49.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

2. Machab. 7.

ad formidinem. At illi nō degeneres tanto duci respondēt. Quid nos contemnis vel circumscribis vt pueros? Pueri fumus, sed fides cana est, sed valida disciplina. Experire certē, subiice quibus placet pœnis puerilia viscera, non inuenies corda puerilia, nec potentiores erunt tormentorum machinæ, quàm legitimæ obseruationis excubiæ. Quem vicit senectus superabit æmula senectutis pueritia. Sequimur patrem filij, discipuli doctorem. Collige suppliciorum instrumenta proposita: meditationem patientiæ, nō terrorem infantia afferunt dum videntur. Iussit maximum natu eligi. At ille ridens, Rectē, inquit, naturæ ordinē seruas. Sed cur Dei legem temerandam putas? Et pro pietate quidē omnes maximi sumus, sed tamē à me inchoatū gaudeo. Quod quæris tyranne, confiteor nos summo Deo seruire: & doctes quid agere debeamus. Si tu tanta pertinacia vis extorquere veritatem, cur non omni virtute nos eā tenendam putemus? Quid plura? Adhibentur variarum genera pœnarum. Sed vicit pietas immanitatis furorem, exclusa est anima, non religio. Secundus accessit, nec degener fratri munia piæ confessionis impleuit. Et cum detraheretur membrana capitis, respondit. Aufferis quidem membranam, sed habeo galeam spiritalem, quam non potestis auferre. Et verē hanc galeam nemo auferre potest, sicut postea Apostolus docuit in Ecclesia Domini, quia caput viri Christus est, & eius fumus membra. Rectē puer istam diuino spiritu doctrinam apostolicam præuidebat. Exuebant immanes bestia corium capitis, & pardalici feritibus sæuiebant: at ille deficiens, Quàm dulce est, inquit, mori pro religione, quàm suavis omnis acerbitas mortis pro pietate: quia manet horum remuneratio laborum. Tua sunt rex grauiora tormenta, tu tuis vehementius torqueris suppliciis, quia vides te vinci in potestate. Et hoc defuncto, tertium statui sibi iussit. Et cum eum partim tentaret insidiis, partim cupe-ret terrore percellere, respondit ad eum, Non faciam voluntatem tuam, non succumbam imperio tuo. Per beatam illam fratrum meorum passionem, & nobilem vitam, non negabo piam germanitatem. Quæuis adhibeto supplicia, quibus magis vrgeas: hoc proficites asperitate pœnarum, vt maiora testimonia nostræ germanitatis accipias. Iussit itaque ei linguam amputari. At ille exclamans, Victus es, inquit, Antioche, qui organum vocis abscindi iubes. Confessus es te respondere nō posse rationi, maioraque probas linguæ nostræ flagella, quàm tua verbera. Nos enim tua verbera non timemus, tu nostræ vocis flagella non potes sustinere. Sed hæc pietatis flagella sunt, tua flagella perfidia. Sed etiā lingua sub-lata, grauius te suo cadens murmure flagellabit. Euadere te putas Antioche si vocem eripias? Et tacētes Deus audit, & magis audit. Ecce aperui os meū, laxavi linguam meam, abscinde linguam: sed non abscindes constantiā, non virtutem auferes, non rationem obliterabis, nō eripies testimonium veritatis, nō eripies cordis clamorē. Si lingua amputatur, sanguis clamabit, & dicet tibi, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Audit enim sanguinis vocem, qui audit internas cogitationes. Tenebræ licet operiāt, & parietū septa circumdant, non dicat impius quia

nullus sibi testis adfistat: explorat vniuersa, videt omnia Deus, nec est aliquod facinus quod possit late-re omniū iudicē Deum, qui cognoscit vniuersa ante quam fiant. Quid verba damus? Loquaciora sunt vulnera: etsi vulnera tegantur, etsi abscondatur cicatrix, non absconditur fides: nec tamē plaudas quod auferendo linguam, confessionē laudis eripias. Satis iam Deum sermone laudauit, nunc passione laudemus. Et hoc perempto iussit quartum vinciri ad rotam, vt eius vertigine membris omnibus solueretur. At ille cum torqueretur immaniter: Diffoluis, inquit, corporis membra, sed adiungis gratiā passioni, nec eripis solatium morti. Est enim vox tonitru in rota, quia in bono & inoffenso vitæ istius cursu caeleste resultat oraculum, sicut in Ioanne & Iacobo filiis tonitru resultat. Itaque illud quod legi, nunc manifestius recognosco, quia rota intra rotā currit, nec impeditur. Teres enim vita sine vlla offensione in quauis passione versatur, & intra hanc quoque rota currit. Currit lex intra gratiā, & obseruatiā legis intra diuinæ curriculum misericordiæ est. Nam quo magis voluitur, plus probatur. Potius est hīc ab impiis aduersa tolerare, vt ibi à Domino consolationem inuenire possimus. Et iste cōsummans cursum suum, abrupit spiritum, animamque victor effudit. Quintus cum sisteretur, caelo prius, eidem iussit ignes admoueri, subici incendia. Manabat è vulneribus cruor, & effosis vlcibus sanguis effusus ipsos flammaram extinguebat globos. At ille inter igniū crepitus audiebatur dicens, Gratias tibi Domine quod dedisti nobis dicere, Transibimus per ignem. Et sicut alibi idem tuus dicit Propheta, Igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Adstabo tibi sicut aurū purgatus incendio: & si quid fuit culpæ, ignis exussit. Itaque & iste translatus à corruptela ad incorruptionem, vitam exhalauit. Sexto quoque ad-mota tormēta sunt. Ait ille, Noli inquit, frustra errare, & tu hoc adscribere potestati, quod ista aduersi nos exerceas. Nostrorum hoc delictorum est pretiū vt peccantes puniamur. Et gratias Domino, quod hīc à nobis duplicia peccata exiguntur, vt ibi nobis consolatio deferatur. Gratias autem & tibi, quod tā durus & immitis es: vt talibus nostris suppliciis Dominus in quem peccauimus, genti nostræ propitiū fiat. Nos quoque abluamus ærumnam, dum fidei passionibus delectamur. Et iste duris & asperis dilaceratus suppliciis, appositus est ad fratres suos. Supererat iunior ex fratribus, & iam pudebat Antiochum immaturæ ætati se ita fuisse ludibrio. Itaque dolis eū desiderās circūscribere, pollicebatur honores, diuitias, amicitiam suam, consortium secretorū. At verò pia mater monebat filium suum, dicens & huic sicut cæteris, Nescio quemadmodum in vterum meum introiit, neque ego spiritum donavi vobis, neque membra formaui, sed hæc omnipotentis Dei munera sunt. Putauit Antiochus, videns matrem sollicitā, quod salutem eius timeret, ipsi quoque sua dere cœpit, vt filium ab intentione sua reuocaret. At illa voce patria dicebat filio, Tu solus superes filii, summa votorum meorum: tu postremus clausisti partus meos, tu postremus conclude gaudia mea. Miserere mei, quæ te in vtero tot mensium curriculo portauit, ne vno momento confundas senectutem meam,

Ibid.

meam,

meam, ne decolorēs tot fratrum tuorum trophæa, A nec sacrum eorum comitatum relinquant, nec confortium deserant. Te adhuc isti expectant triumphi. Aspice in cælum, vnde hausisti spiritum, ad patrem omnium: aspice in terram, quæ tibi antè alimoniam ministravit: aspice ad fratres, qui collegam requirunt: aspice ad matrem, quæ tibi lac dedit: redde mercedem pij sanguinis: noli à fratribus, noli à matre diuelli. Temporales opes sunt quas promittit Antiochus, temporales honores: perpetua corona quæ à Deo omnipotente defertur. Vos mihi septem dierum lumina dedit Dominus, sextum iam diem clausi, & omnium opera bona valde. Debes mihi filii, vt quæ in illis sex laboravi, in te requiescam septimo, tamquam à sæculi operibus iam feriat. Itaque proripiens se iuuenis, ait, Quid sustinetis? Et multa vociferans, quod nequaquam diuelli posset à fratrum consortiis, quorum multo beatiora essent funera quàm regis imperia, cum vrgeret conuicijs regem, & ipse acerbis excruciatu tormentorum generibus, vitæ huius munus absoluit. Nouissima mater oblata est neci. Quis hanc beatam neget, quæ quasi septem vallata muralibus, inter corpora filiorum nullum sensit mortis incursum? Quis, inquam, dubitet de eius beatitudine, quæ septem turribus circumdata, in paradisi sedem caput extulit: quæ septem filijs cincta, sacratissimum Deo chorum, non solum canorum vocibus, sed etiam passionibus, ad concinendas Domini laudes cælestibus inuexit altaribus? Quam bonus fidei partus, quam tuus portus iste pietatis, quam splendida lucerna Ecclesiæ, septeno fulgens lumine, & octauo vtre cunctis luminibus oleum subministrans. De quibus pulchrè dicitur, Date partem illis septem, & illis quidem octo, eo quod in vtroque numero consortium gratiæ cōsequantur, in lege nutriti, per gratiā coronati, septem tamquā in sabbato, octo tamquā in Euāgelio. Pia mater supplemento passionis adiuncta, quæ in talibus filiis integram pietatis formam & parturiuit & peperit.

*De singulari beatæ illius matris septem filiorum commendatione.* CAP. XII.

REcurrūt in memoriam sermones sanctæ scemina, dicentis ad filios, Ego vos genui, ego vobis succum lactis infudi: nolite nobilitatem vestram perdere. Sic aliæ matres reuocare à martyrio solent filios, nō vocare. At ista maternum in hoc ponebat affectum, si filius vitam magis perpetuā quàm temporalem suaderet. Spectabat itaque pia mater filiorum certamina, & quamuis maternorum viscerum compassione quateretur, tamen pietatis studio premebat dolorem. Et offerente Antiocho, cum posset salutem eligere filiorum, malebat periculum: compressiq; naturæ gemitus pœnas filiis optabat augeri, vt mors citius appropinquaret. Videmus conuersa vota matris in filios, ne quem superstitem dereliqueret, sed omnes piæ cohæredes mortis acquireret. Sed nec filij minores tali parente, qui se inuicem cohortabantur, qui dicebant vno studio, &

quadam animorum acie: Mortis aduersæ impetum petamus. Tunc enim viuemus, cum fuerimus mortui. Nemo pietatis ordinem derelinquat, nemo se subtrahat prælio triumphali. Non homini, sed Deo nostras deuouimus animas: non homini, sed auctori omnium militamus. Talis hæc pugna est, vt ille gloriosus vicerit, qui crudelius occisus fuerit. Itaque nemo timuit nemo trepidauit, nullus ad mortē ex-tot fratribus pigrior fuit, sed omnestāquā ad immortalitatis viam, ita ad mortē per acerba supplicia cucurrerunt: & mater consona cernens filiorū agmina, tamquam pia anima sui membra corporis in filiis offerebat, & per artus proprios videbatur sibi subire tormenta. Cadebant filij tormentis exulcerati, mortui super mortuos aduoluebantur, corpora super corpora volutabatur, capita super capita exclebantur. Refertus erat locus cadaueribus filiorum, non fleuit mater, non lamentata est, non oculos cuiusquam pressit, aut ora morientis clausit, nō lauit vulnera, sciens gloriosos esse si euiscerati & cœcreti pariter puluere & sanguine videretur, quales solent de bello redire victores, qualia solent trophæa ex hostibus reportare. Non superiacienda velamina, non prosequedas exequias, nisi suæ quoque comitatu mortis arbitrata est. Quæ cithara dulciores ederet cantus, quàm morientes filij in tam grauibus supplicijs ediderunt? Erumpēbat enim naturæ gemitus, etiam inuitis. Spectares peremptorum cadauera, sicut fila chordarum audires heptachordum psalteriū triūphalibus gemitibus resultare. Non sic illecebrosi cantus Sirenium attraherent audientē. Illi enim ad naufragium trahūt, isti ad sacrificij victoriā. Nec sic cygnea carmina aures animūq; mulcerēt. Cygni enim naturæ sorte moriuntur, isti moriebantur amore pietatis. Non sic rauca resonant secreto in nemore colūbarum murmura, vt vltima verba morientium cum summa suauitate resonabant. Nec sic luna inter stellas refulget, vt inter filios mater: & cum eos ad martyrium illuminata deduceret, & cum amplexata victores in medio filiorum iaceret. O vera mater adamante fortior, melle dulcior, flore fragantior: o indissolubile pietatis vinculum, o verē valida charitas sicut mors, durus sicut inferi, zelus deuotionis ac fidei. Nulla tantarum diluuii passionum tuam potuerunt charitatem excludere, nulla inundare eam flumina tantarum acerbis. Sicut arca in illo mūdi diluuii totius orbis spatij innocua ferebatur, ita & tu aduersus fluctus tam grauium passionum pietate immobilis restitisti: & cum posses salutem filiorum eligere, noluisti. Quo affectu vos prosequar sanctæ matris pia pignora? Quo penicillo sermonis mei describam formæ vestræ & animarum similitudinem? Stetit inter exercitus regio, quibus totus fuit orbis terrarum subactus, quos India quoque in extremi maris secreta refugiens declinavit, & soli de rege superbo sine bellico conflictu victoriam reportastis. Vicerunt in vobis sola arma pietatis, dedit pœnas tyrannus, & quia vos non potuit vincere, & quia atroci peremptus est morte.

S. AMBROSII DE BONO MORTIS LIBRI FINIS.

Summariū Libri de Fuga sæculi.

Super verbis Rebecca matris Gen. cap. XXVII. dicentis filio Iacob, Surge, fuge in Mesopotamiam: agit sanctus Doctor Ambrosius (mysticè locum interpretando) de fuga sæculi, ut declaratur cap. IIII. huius libri, in quo docet quomodo fugiendus sit mundus & caro, ut perueniat quis ad gratiam.

Capita Libri.

Qua ratione homo impediatur ut à terrenis se exuere, mentemque eleuare, & semper ascendere sine diuino auxilio non possit: & quòd ascendere volens, non lata sæculi & amœna, sed plena doloris & luctus sequi debeat, quòd etiam saluus esse volens, à Christo doceatur ut supra mundum ascendat, & hoc seculum fugiat. Cap. I.

Quòd etiam lex doceat seculum esse fugiendum, & Deum sequendum; & de absolute quatuor questionum secundum mysticum intellectum per adaptationem ad diuersa genera virtutum, iuxta quatuor quæ posita sunt in lege circa vrbes ad refugia dispositas. Cap. II.

Quòd præmemorata virtutum genera etiam in Apostolo non adumbrata, sed expressa habeantur, ut ex dictis ipsius aperte demonstratur. Cap. III.

Quid sit fugere seculum, cum exhortatione ut fidei suffragio subnixi accedamus ad sedem gratiæ, hoc seculum & eius contagionem fugientes, neque fugere erubescerent, cum gloriosum sit ita fugere, quemadmodum ex fuga Iacob & aliorum sanctorum patrum demonstratur; & quàm beata etiam sit fuga quam Iacob suscepit. Cap. IIII.

Cur hinc fugere debeamus, & quomodo transire cum Moysè, ut videamus Deum, calceamenta pedum soluendo: quomodo etiam relinquere umbram huius vitæ, & cū sancto Dauid euolare, etsi non ut aquila, saltem ut passer, etiam si non ad calum, saltem ad montes. Cap. V.

Qua ratione volens fugere, velociter & diligenter fugere debeat: quòd etiam fugiendum sit, & ad quòd bonum animas nostras erigere debeamus. Cap. VI.

Quòd non mediocris sit causa cur hinc fugere debeamus: quòdque non impigrè malitia huius sæculi fugienda sit, & quid sit hinc fugere, cur etiam malitia in terris versetur & sæuiat: qua præterea ratione Dominus Iesus vindictam diaboli auctoris malitia distulerit, neque eadem sententia in ipsum & in hominem dicta sit. Cap. VII.

Quomodo hinc animo fugere possimus, etsi corpore retineamur, quòd etiam hinc, quia tempus breue est, fugiamus, ne cum prætereunte figura mundi opera nostra nosque ipsi prætereamus: quòd si cauere velimus, mandata Dei non prætereamus, neque disciplina alicuius profectum, quemadmodum Ioseph fecit, & in Sarra ostenditur, & sicut Iacob executus est. Cap. VIII.

De exhortatione quòd hinc fugiamus, sicut fugit de patria sanctus Iacob, & sicut cerui fugiunt ad fontes aquarum, quos & Dauid sitiebat: quis quoque sit iste fons, & quid hunc fontem desiderans facere debeat, exemplo Susannæ, quomodo etiam sicut Paulus & Lot fugerunt, nos fugere debeamus, quibus præterea modis quis bene fugere possit. Cap. IX.

SANCTI

MEDIOLANENSIS DE FUGA

SÆCVLI LIBER.

Qua ratione homo impediatur ut à terrenis se exuere, mentemque eleuare, & semper ascendere sine diuino auxilio non possit: & quòd ascendere volens, non lata sæculi & amœna, sed plena doloris & luctus sequi debeat. quòd etiam saluus esse volens, à Christo doceatur ut supra mundum ascendat, & hoc seculum fugiat. CAP. I.

REQVENS nobis est de effugiendo sæculo isto sermo, atque vtinam quàm facilis sermo, tam cautus & sollicitus esset effectus. Sed quòd peius est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat, ut quòd studeas vitare, hoc cogites animòque voluas: quòd cauere difficile est homini, exuere autem impossibile. Denique voti eam magis esse rem quàm affectus, testatur Propheta dicendo: Declina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Non enim in potestate nostra est cor nostrum: sed nostræ cogitationes, quæ improuiso offusa mentem animùmque confundunt, atque aliò trahunt, quàm tu propuleris, ad secularia reuocant, mundana inferunt, voluptuaria ingerunt, illecebrosa intexunt: vnde ipso in tempore quo eleuare mentem paramus, inferis inanibus cogitationibus ad terrena plerumque deiicimur. Quis autem tam beatus, qui in corde suo semper ascendat? sed hoc sine auxilio diuino quò fieri potest? Nullo profectò modo. Denique supra eadem scriptura dicit, Beatus vir cuius est ipsi auxilium abs te Domine, ascensus in corde eius. Beatus planè què delectatio non reuocat, quem nò inclinat voluptas, qui ad inferiora non respicit. Quòd nec ipsius Lot vxor potuit euadere. Quò admonitus exëplo Apostolus, posteriora obliuiscens, & ea quæ sunt priora appetens, festinabat ad brauium: & peruenire meruit, qui ante se Christum videbat, à quo ad iustitiæ vocabatur coronâ. Et ideo peruenit ille qui seipsum sibi abnegauit, ut Christum lucraretur. Deniq; non ipse viuebat, sed viuebat in eo Christus. Nam quis inter tot passiones huius corporis, inter tantas illecebras huius sæculi, tutum atque intemeratum seruare potest vestigium? Respexit oculus, & sensum mentis auertit: audiuit auris, & intentione inflexit: inhalauit odor, & cogitationem impediuit: os libauit, & crimen retulit: tactus contigit, & ignem adoleuit. Intrauit mors per fenestram, dixit Propheta. Fenestra tua est oculus tuus. Si videas mulierem ad concupiscendum, intrauit mors: si audias sermones meretricios, intrauit mors: si luxuria sensus tuos capiat, penetrauit mors. Et ideo qui vult ascendere, non lata sæculi, non amœna, non delectabilia, sed plena doloris & stetus sequatur. Melius est enim ire in domum luctus, quàm in domum conuiuij. Denique nec Adam de paradiso descēdit, nisi delectatione deceptus esset. Pulchrè igitur Dauid, qui periculosos etiam ipsos aspectus fuerat expertus, beatù illum dicit, cui ipse omnis in Dei nomine est. Sic enim

non respicit in vanitates, & insanias falsas si semper Christum intendat, semper Christum interioribus oculis aspiciat. Vnde iterum ad ipsum conuersus ait, Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Vanitas circus est, quia nihil prodest: vanitas est equorū velocitas, quia mendax ad salutē est: vanitas theatrum est, vanitas ludus omnis. Omnia vanitas, inquit Eccl. i. clesiastes, quæ in hoc sæculo sunt. Deniq; qui saluus esse vult, supra mundum ascendat, quærat verbum apud Deum, fugiat hunc mundum, terras relinquat. Nò enim potest percipere illud quòd est, & est semper, nisi priùs hinc fugerit. Vnde & Dominus volēs patri Deo appropinquare, ad Apostolos ait, Surgite, eamus hinc.

Quòd etiam lex doceat seculum esse fugiendum, & Deum sequendum: & de absolute quatuor questionum secundum mysticum intellectum per adaptationem ad diuersa genera virtutum, iuxta quatuor quæ posita sunt in lege circa vrbes ad refugia dispositas. CAP. II.

DOCET etiam lex fugiendum seculum, Deum sequendum. Quid enim aliud docet cum dicit, Disponetis vobis ciuitates ad refugium, & erunt vobis refugia, quòd refugiat homicida omnis qui percusserit animam inuitus? Et infra, Sex ciuitates ad refugia erunt vobis, tres ciuitates dabitur trās Iordanē, & tres ciuitates dabitur in terra Chanaan? Apertè quidem confugiētibus ob crimen homicidij, refugia proposita sunt: sed si consideremus altius, quatuor sunt quæ admonent profundius esse spectanda arcana lectionis istius. Vnum, qua ratione ex ijs ciuitatibus quæ Leuitis in portionem forte obuenerunt, sex ciuitates ad refugium datæ sint homicidij crimine laborātibus, cur non etiam aliarū tribuum ciuitates ad hoc munus deputatæ. Secundum, qua ratione sex numero, non enim otiosè numerus hic præscriptus videtur, neque plurium neque pauciorum ciuitatū. Tertium, cur tres vltra Iordanem ciuitates, & tres in regione Chanaanæ dispositæ sint, quæ refugio peccantibus forent. Quartum, cur dinumeratio & definitio temporis comprehensa sit, intra quòd habitet homicida in ciuitate refugij, quò ad moriatur sacerdos magnus, & post mortem sacerdotis magni reuertatur homicida in ciuitatē habitacionis suæ. De singulis ergo oportet dicere, atque ordine quo proposuimus, quæ sita absoluere. Competēt itaque Leuitarū ciuitates datæ ad refugij, primò explicandū est. Congruè autē prouisum liquet, quia Leuitæ fugitares sunt mundi huius, vt placeat Deo: relinquūt parentes, filios, omnem cognationem, vt adhæreant vni Deo. Denique & Abraham dictum est, Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Sed fortè dicas, Leuita non erat. Sed habebat in lumbis suis Leui, vt legimus ad Hebræos scriptum. Et Dominus Leuitis dicit, cum discipulis suis, hoc est Apostolis, dicit, Si

s. Augustin. lib. 2. con. Iul. Pelag. cap. 8. & lib. 4. con. duas epist. Pelag. cap. 11.

psal. 118.

Gen. 7.

Gen. 8.

psal. 83.

Gen. 19. Philip. 3. 2. Tim. 4. Galat. 2.

Hierem. 9. Luc. 11. Matth. 5. Proverb. 7. Eccl. 7. Gen. 3. psal. 39. Ibid.

psal. 118.

psal. 33.

Eccl. 1.

Ioan. 1.

Ioan. 14.

Num. 35.

Iosu. 20.

Num. 35.

Ibid.

Deut. 18.

Gen. 12.

Heb. 7.

Luc. 9.



quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. quamquam ad omnes iam dictum sit: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus in adoptionem. Venit plenitudo, reliquæ cessarunt, Christus enim omnes vocat. Omnibus patet, vt omnes sequatur, omnibus regnum propositum, & vita æterna. Ergo cui Deus portio est, nihil debet curare nisi deum, ne a lterius impediatur necessitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atq; huic nostro officio decerpitur. Hæc enim vera est sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum, & quædam alienatio charissimorum, vt suis etiam se abneget, qui seruare Deo gestit. Rectè ergo fugaces fugacibus commendauit æternæ legis sanctio, vt qui huc mundum obliuati sunt, eos recipiant qui peccata sua condemnantes atque opera, obliuionem vitæ superioris exoptent, & sæcularia quæ gesserint, abolere desiderent. Fugitans igitur est suorum, sacri altaris minister. Vnde Dominus quasi princeps sacerdotum, formâ Leuitis in Euangelio dâs suo, dixit, Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Hoc est, non agnosco matrem, non recognosco fratres, ignoro proximos. Mater mea & fratres mei ij sunt, qui audiunt verbum Dei, & faciunt. Solum ergo verbu Dei nouit minister, cum eos nouit in quibus operatur Dei verbum. Et ideo exul est mundi, fugitans corporis passionu, abdicat se omnibus, vt solus remaneat, sicut Elias dixit, Et ego relictus sum solus. sed nõ erat solus cū quo erat Dominus. Et ipse Christus relictus est solus: Sed non sum, inquit, solus, quoniã pater mecum est. Est etiã alia causa, quia Leuita ministri sunt Dei. Et ideo ipsorum ciuitates fugietibus homicidis per legem deputatur: quia ipsis ius est diuina mandata exequi circa eos qui crimen mortale admisserint. Nescit Ecclesia publicas leges, suas nouit. Vt dominico sacerdos obediat imperio, audi Leuitam dicentem, Tradidi huiusmodi hominem fatanã in interitũ carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi. Percussus igitur Leuitico gladio, moriatur sensus carnis in nobis, vt uiuat anima nostra. Nisi enim sensus carnis occiderit, nullus potest esse fructus vitæ æternæ. Sex autẽ ciuitatum refugia sunt, ita vt prima ciuitas sit cognitio verbi, & ad imaginem eius forma viuendi. Quicunq; eam cognitionem fuerit ingressus, tutus à pœna est: secundum quod & Dominus ait, Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Et alibi, Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Hæc est igitur ciuitas velut metropolis, cui adiacent aliæ quinque ciuitates Leuitarũ. Secunda ciuitas, cõsideratio diuinæ operationis, qua creatus est mundus. Tertia ciuitas, contemplatio potestatis regie, & maiestatis æternæ. Quarta ciuitas, propitiationis diuinæ contuitus. Quinta ciuitas, legis diuinæ contemplatio, quæ præcipit quid faciendum sit. Sexta quoque ciuitas, portio legis, quæ præscribit quid non faciendum sit. Quanta abundantia diuinæ misericordiæ, quantæ diuitiæ pietatis eius, vt singulorum studia, fragilitatẽsq; humanæ cõditionis considerans, quibus & inuiti ac reluctantes ad culpam ducimur, & non voluntaria delicta victi illecebris

1. Petr. 2.  
Galat. 4.  
Matth. 11.  
12. q. 1. c. cni  
portio.

Luc. 14.

Matth. 12.

Ibid.

3. Reg. 19.

Ioan. 16.  
Num. 35.

1. Cor. 5.

Num. 35.

Ioan. 15.

Ioan. 17.

frequenter committimus, diuersa nobis refugia proponat, sex videlicet vrbu: vt quo numero mundus formatus est, eodem numero aduersus mūdāna vitia, & sæculi huius naufragia remedium prouideretur. Primum igitur remedium, vt si cui boni propositi viro culpa irrepserit, is sine vlla comperendatione, si perfectam vellet habere securitatem, ad ipsam rerum omnium arcem properet, vbi verbum est Dei, in illo sinu patrio, id est arcano ac recessu Dei, vbi est fons sapientiæ, vnde pro morte, vitæ æternæ hauriat potum immortalem. Secundum est remediũ, vt qui nõ potest cognitionẽ boni illius prelibare, & tardior vel ingenio est, vel fidei cõprehensione, quoniã veloci mentis vigore atq; ingenij acumine ad cognitionis summam contenditur, saltem opera Domini consideret, atque ex his quæ facta sunt, tanti cõtempletur operis auctorem, quoniam ex his bonis quæ sunt in constitutione istius creaturæ (bona enim valde sunt, sicut Dominus dixit) bonum illud summum atque æternum comprehenditur. Qui ordo reru? quæ disciplina? quæ gratia? Nõne his quamuis tardũ ingenium diligere auctorum suum prouocatur? Etenim si parentes quia nos genuerunt, amamus: quãto magis diligere debemus creatorem parentum, auctoremque nostrum? Ergo operatoria virtus Dei et si non videtur, tamẽ ex suis operibus æstimatur: operatorumque opera sua produnt, vt intelligatur qui non comprehenditur. Vnde & Dominus ait, Si mihi non creditis, vel operibus credite. Bona igitur etiam hæc ciuitas ad refugium, quæ ædificatoris sui testificatur gratiam, & affectum nostrum excitat, vt eius simus cupidiore, qui tantam nobis fabricæ huius videatur contulisse pulchritudinem. Tertius ordo est, regalis potestatis contemplatione, vt subijciamur regi, si non deferimus tamquam parenti. Metu enim præsidetis plerumque fit obediens potestati, qui est salutis ingratus: vt necessitatem sobrietatis agnoscat, qui noluit ac nequiuit gratiam pietatis agnoscere. Corrigit ergo necessitas, quem pietas prouocare debuerat. Hæc sunt tres ciuitates trans Iordanem, perfectiori prudentiæ ad refugium datæ: vt primò culpam fugiamus inductione animi cõformis ad imaginẽ Dei. Ita enim creati sumus, dicente Deo: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrã. Hæc ergo primæ illius ciuitatis lex est. Deinde si per fragilitatẽ carnis, & mudi illecebras, ita mentem nostram formare non possumus, reuerentia paternæ generationis, & sedulitate prolis peccatum leuemus. Charitas enim multitudinẽ peccatorum operit. Qui ergo ad imaginem Dei esse non potuerit, sit ad plenitudinem charitatis. Illa ciuitas culpam excludit, hæc soluit. Hæc denique lex secundæ ciuitatis: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Sed si rursus angusti animi & minuti sunt qui abundantiam charitatis & gratiã recipere non possunt, habes tertiam ciuitatem, vt diuinæ potestatis formido te sobrium faciat, & inflectat metus. Et hæc lex tertiæ, Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli serues. Hæc igitur præcipuæ virtutes, & ideo paucorum, non plurium, supra Iordanem positæ: vt exprimas quasi imago archetypum, diligas quasi filius

Gen. 2.

Ioan. 1.  
Eccli. 1.

Rom. 1.  
Gen. 1.

Num. 35.

Hebr. 12.

Ioan. 10.

Rom. 13.

Gen. 1.

1. Petr. 4.

Deut. 6.

Ibid.

filius patrem, adores quasi subditus regem. Qui autem Iordanem tranfierint, (Iordanis enim descendio dicitur) quique descenderint ex illis superioribus virtutibus ad hæc inferiora, id est, in quibus integritas, charitas, humilitas vacillauerit, propiora habet homini refugia quæ petant: vt qui obnoxij delictis, & inflexi vitis sunt non voluntariis, sperent Dominum sibi reconciliari posse si veniam petant, sperent posse se corrigi, si præcepta sequantur cælestium testamentorũ: quibus aut informamur ad innocentiam, aut reuocamur à culpa. Hæc igitur intra Iordanem ciuitates sequendæ sunt, vt propitiemus nobis Deum, sequamur quæ iubet, vitemus quæ prohibet. Sit ergo propitiandæ diuinitatis ambitio, sequendæ præceptionis obeditio, interdictæ præuarcationis cautio, quibus propitiatoriam Dei misericordiam & nomotheticen eius prouidentiam vel institutorum obsequia, vel interdictorum declinatione veneremur. Quartum superest, quod ait, Quia vsque ad illud tempus erit in ciuitate refugij homicida ille, donec moriatur sacerdos magnus. In quo secundum literam hæret interpretatio. Primum ipsa fuga forte magis quàm æquitate alicuius examinis definita, deinde in causis paribus impar euentus. Poterat enim fieri vt post homicidã illius refugium sequenti die obiret magnus sacerdos. Quæ autem sub incerto sententia? Ergo quia hæret littera, quaramus spiritalia. Quis est iste magnus sacerdos, nisi Dei filius verbum Dei, cuius aduocationem pro nobis habemus apud patrem, qui exors est omnium voluntariorum & accidentium delictorum, in quo consistunt omnia quæ in terris sunt, & quæ in cælo? Vinculo enim verbi constricta sunt omnia, & eius continentur potentia, & in ipso constant, quoniam in ipso creata sunt omnia, & in ipso habitat omnis plenitudo. Et ideo omnia manent, quia dissolui illa non sinit, quæ ipse constringit, quoniam in eius voluntate consistunt. Omnia enim quoad vult suo imperio coeret & regit, & naturali concordia ligat. Viuit igitur verbum Dei, & maxime in animis viuunt piorum, nec vquam moritur plenitudo diuinitatis. Numquã enim moritur sempiterna diuinitas, & æterna Dei virtus. Sanè moritur nobis, si à nostra anima separatur: non quò morte corrumpatur, sed quò dissoluatur atque exuatur mens nostra ab eius coniunctione. Mors enim vera, est verbi & animæ separatio. Denique statim incipit anima peccatis patere inuoluntariis.

1. Ioan. 2.  
1. Petr. 2.  
Coloss. 1.  
Coloss. 2.

Ibid.  
Rom. 1.

Quòd præmemorata virtutum genera etiam in Apostolo non adumbrata, sed expressa habeantur, vt ex dictis ipsius aperte demonstratur. CAP. III.

HABEMVS hæc genera non adumbrata, sed expressa virtutum in Apostolo, dicente eo, Ita quod in me est, promptus sum & vobis qui Romæ estis euangelizare. Non enim erubescō Euãgelium. Virtus enim Dei est in salutẽ omni credenti: Iudæo primũ, & Græco. Iustitia enim Dei in eo reuelatur, id est, in eo qui credit. Denique addidit, Ex fide in fidem, sicut scriptũ est, Iustus autem ex fide viuunt. In quo igitur iustitia Dei reuelatur, nisi in eo qui conformis est imaginis Dei? Habes primum præceptum ad imaginem. Secundũ, quia inuisibilia illius

per ea quæ facta sunt intelliguntur, id est, sempiterna virtus eius & diuinitas operibus eius cognoscitur. hæc est operatoria virtus. Tertium de imperiali potestate, quia verbum Dei regale est, & iudiciale, & plenum iustitiæ sacerdotalis, remunerationem bonorum actũ, & retributionem malorum vêturis in iudicium suum seruans; de quibus ait Apostolus, Scimus autem quoniam iudiciũ Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Itaque qui veritatem & iustitiam Dei cognouit, non debet ea agere quæ morte digna sunt. Sequitur bonitas Dei propitiatoria vtique, de qua dicit, An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis cõtemnis? Ignoras quoniam bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit? id est, prouocat te, vt quia bonus est Deus, sperare possis tuorum peccatorum indulgentiam. Non vult enim vindicare, qui est paratus ignoscere. Subtexuit etiam legislationem, id est nomotheticen: vt si quis contemplatione diuinæ bonitatis resoluitur, & magis ad negligentiam quàm ad pœnitentiam prouocatur, legem sequatur: Quoniam & quicunq; inquit, sine lege peccauerunt, sine lege & peribunt: & quicunq; in lege peccauerunt, per legẽ iudicabuntur. Lex autẽ gemina est, naturalis, & scripta. Naturalis in corde, scripta in tabulis. Omnes ergo sub lege, sed naturali. Sed non est omnium, vt vnusquisque sibi sit lex. Ille autem sibi lex est, qui facit sponte quæ legis sunt, & in corde suo scriptum opus legis ostendit. Habes quæ bona legis sunt, quæ tamen non solum scire vel audire perfunctoriẽ, sed etiam facere debemus. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Cognouisti etiam quæ mala sunt. Primum natura ipsa boni operis magistra est. Scis non furandum, & seruum tuum si furtum tibi fecerit, verberas: & si quis ad vxorem tuam affectauerit, persequendum putas. Quod ergo in aliis reprehendis, ipse committis? Qui prædicas non furandũ, furaris? Qui dicis non adulterandum, adulteras? Secuta est etiam lex quæ data est per Moysen. Per legem autem agnitio peccati. Accepisti etiam quid declinares, & ea agis quæ prohibita cognoscis? Lex autem quid operatur, nisi vt omnis mundus fieret subditus Deo, quia non solum Hebræo lata est, verum etiam aduenã vocauit, quæ non excludit profelytum? sed quia & lex os omnium potuit obstruere, non potuit mentem conuertere, id est vltimum remedium postremæ illius ciuitatis debebatur, in quo esset refugium salutare, vt mors principis sacerdotum ab omni nos mortis liberaret formidine, atque exueret metu. Quis ille est, nisi de quo lectum est, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi? Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ. Accipe autem quia ipse princeps est sacerdotum. Pater iurauit de eo, dicens, Tu es sacerdos in æternum. Rectè in æternum, quia alij temporales omnes sub peccato: hic autem impræuarcabilem habet sacerdotium. Omnes sub morte, hic autem semper viuens: quoniam qui saluare alios potest, ipse perire quemadmodum posset? Talis enim, inquit, nobis decebat. Recta locutio. Siquidem & apud eos qui verborum & elocutionum delectum habuerunt, huiusmodi inuenitur, dicente eorum

Rom. 1.

Rom. 2.

Rom. 1.

Rom. 2.

Sapient. 11.

Rom. 2.  
Ibidem.

Exod. 34.

Rom. 2.

Ibid.

Ibid.

Exod. 20.

Rom. 3.

Exod. 12

S. Augustin.

lib. 4. con.

duas p. p. f.

Pelag. cap. 11.

Num. 35.

Ioan. 1.

Rom. 3.

Psal. 109.

Hebr. 7.

Ibid.

s. illuſtrum lib.  
1. h. ſtoriar.

Hebr. 7.  
Heb. 1.  
Ioan. 1.

Exod. 29.

Ioan. 1.

Epheſ. 3.  
Epheſ. 4.

Exod. 25.

Ibid.

aliquo, Locum editiorē quā victoribus decebat, capit. Quod ideo nō praterij, vt ſciamus quia Apoſtolus non naturalibus magis quā vulgatis aut ſecundum artem vtitur verbis. Talis ergo, inquit, nobis decebat, vt eſſet ſacerdos, iuſtus, ſanctus, innocens, immaculatus, ſegregatus à peccatoribus, & excellſior cælis factus. Hoc eſt igitur verbum, quod ſupra cælos habitans illuminat omnia, Vnde & vnctus naturaliter legitur à Deo patre: quia lumen eſt verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hoc eſt verbum Dei, in quo eſt magnum ſacerdotium, cuius Moyſes in illo veſtimento principis ſacerdotum indumenta deſcribit intelligibilia, quōd virtute ſua induit mundum, & tamquam eo amictus fulget in omnibus. Induite-  
tiam cognationem generis humani per huius corporis ſuſceptionem, & inenarrabilem charitatem, infundens ſe omnibus ſpiritu & plenitudine diuinitatis ſuæ, de cuius plenitudine omnes accepimus: vt ſciamus ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, & impleamur in omnem plenitudinem Dei. Caput eſt enim omnium. Chriſtus, ex quo totum corpus producit, & mutua ſibi connexionem cōiungitur, incrementum ſui in ædificationem charitatis accipiens. Hoc eſt igitur verbum quod ſupereminet, quod Moyſi in illius arcæ teſtimonij ædificatione dicit: Immites in arcā teſtimonia quæcumq; dabo tibi, & facies impoſitionem propitiatorij. Et infra, Impoſes propitiatorium ſuper arcā deſuper, & immites teſtimonia quæ dabo, & innotescam tibi inde, & loquar tibi deſuper. hoc eſt inde vbi ſuper cælos eſt, vbi apud patrem eſt, inde tibi loquar.

*Quid ſit fugere ſæculum, cum exhortatione vt fidei ſuffragio ſubnixi accedamus ad ſedem gratiæ, hoc ſæculum & eius contagionem fugientes; neque fugere erubeſcentes, cum glorioſum ſit ita fugere, quemadmodum ex fuga Iacob & aliorum ſanctorum patrum demonſtratur: & quā beatam etiam ſit fuga quam Iacob ſuſcepit.*  
CAP. IIII.

Hebr. 4.

1. Cor. 11.  
Matth. 5.  
De panit. di.  
2. c. ſimilem.

1. Cor. 6.

**A**CCEDAMYS itaque fidei ſuffragio ſubnixi, & eius remigiis ſubleuati, ad illam ſedem gratiæ, fugientes hoc ſæculum, & eius contagionem. Hoc eſt autem fugere, abſtinere à peccatis, ad ſimilitudinem & imaginem Dei formam virtutum aſſumere, extendere vires noſtras ad imitationem Dei ſecundū meſuram noſtræ poſſibilitatis. Vir enim perfectus, imago & gloria eſt Dei. Vnde & Dominus ait, Perfecti eſtote, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Hoc eſt igitur ſimilem eſſe Dei, habere iuſtitiam, habere ſapientiam, & in virtute eſſe perfectum. Deus enim eſt ſine peccato. Et ideo qui peccatū fugit, ad imaginem eſt Dei. Non eſt igitur dubium quōd is qui à peccato abſtinet, fugit. Vnde & Apoſtolus clamat, Fugite fornicationē. Perſequuntur enim nos peccatorum illecebræ, perſequitur libido. Sed tu fuge tamquā furioſam dominam. Quæ ſi comprehenderit, nec die nec nocte requieſcere ſinit: exagitat, vrit, incendit. Fuge auaritiā, ne te interius comprehendat. Fuge inuidiam, quæ non ſolum alienos, verum multo magis eum quem poſſederit, lacerare conſuevit. Fuge perſidiam, ne te ſuis

inuoluat retibus. Vnde & dominus ait, Cū autem perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam. Quōd ſi in alia perſequentur vos, in aliam fugite. Amen dico vobis, non conſummabitis ciuitates Iſrael, donec veniat filius hominis. Etenim quamuis propter infirmitatem carnis fugam nobis ſuadere videatur, tamē melius fugit qui fugit illecebrā ſecularē, vt nō teneatur diuitiarū ſuarū ſolicitudine, non theſauri cōtemplatione, non vitæ iſtius cupiditate, ſed directā animi intentione feſtinet ad gloriā regni cæleſtis, properet ad coronam, nec terrenorū conuitu à ſui corporis paſſione reuocetur. Fuga ergo mors eſt vel celebrata, vel adumbrata. Et forſē illas exprimit refugij legitimi ciuitates, vt confugiamus ad virtutum culmina, quas pro præmiis bono ſcenario alibi diſpenſat, dicens, Quia in modico fidelis fuiſti, eris poteſtatem habens ſuper decem ciuitates. Lex nouit ſex ciuitates: ſed qui legem impleuit, quia potuit dicere, Non veni ſoluere legem, ſed implere, perfectiorem numerum remunerationis indulget. Nō ergo erubeſcamus fugere. Glorioſa enim hæc fuga eſt fugere à facie peccati. Sic fugit Iacob matre ſuadente. Dixit enim Rebecca, Exurgens, fuge in Meſopotamiam. Sic fugit Moyſes à facie regis Pharaonis, ne cum aula regia coinquinaret, ne irretiret potentia. Denique pretioſius Ægypti diuitiis aſſimauit opprobrium Chriſti. Sic fugit etiam Dauid à facie regis Saul, à facie Abellalon. Denique fugiēs augebat incrementa pietatis, qui & inſidiatori perpercit, & paricidæ ſalutem rogauit. Sic fugit & populus Hebræorum, vt fides eius & vita inter fluctus ſibi aperiret viam. Fuga illa erat trames innocentia, virtutis viā, pietatis aſſumptio. Audeo dicere: Sic fugit Ionas in Tharſis, non corporis fuga, ſed mentis aſcenſione, qui vſque ad Chriſti aſcendit ſimilitudinem, vt fieret typus Chriſti. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Nam ſi ſic non fugiſſet, nūquam de ventre ceti eſſet auditus. Sed ſi dubitas, doceat te Rebecca, quā beatam ſit fuga quam ſuſcepit Iacob. Suāſit Rebecca, Fuge, inquit, in Meſopotamiam, & Iſaac dicit, Surgens vade in Meſopotamiam in domum Bathuel. In hymnis vel oraculis à plerique (vt ante nos ſcriptum eſt) Bathuel ſapientia dicitur: interpretatione autem Laſina, filia Dei ſignificatur. In domum ergo ſapientiæ mittitur Iacob, & accipere admonetur vxorem à filiabus Laban, qui habitabat in Charran, quod ſignificat cauernas, in quibus ſpecies eſt ſenſuū, qui ſunt tamquam in cauernis corporis, vt viſus in oculis, auditus in auribus, odoratus in naribus, in ore ſapor. Qui enim delectatur hoc mundo, & tripudiat in voluptatibus corporis, obnoxius eſt ſenſuum paſſionibus, atque in his habitat & diuerſatur. Vnde ei dicit Rebecca habitaturum paucos dies cum illo, non multo tempore, ne corporeis coloretur voluptatibus, & ſæculi capiatur illecebris. Perſuadet autem habitare, vt diſcat ſtudioſus diſciplinæ, virtutis ſenſum, vel ſitus quofdam carnis atq; regiones, vt ſe cognoſcat, & nouerit vehementiam carnis quæ & qua cauſa creatus ſit, & quemadmodum vnusquisque ſenſus operetur. Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiſcendum eam. Malè

Matth. 5.

Gen. 27.

Gen. 28.

Gen. 29.

Gen. 30.

Gen. 32.

Gen. 31.

Gen. 19.

Ioan. 14.  
colof. 3.

Luc. 6.  
Eſai. 1.  
Ioan. 20.

Ioan. 14.

Rom. 4.

Ioan. 1.

Malè ſic videt oculus. Videat ergo oculus, & fungatur ſuo munere: non vt lubricæ mentis imperio dirigatur ad lapſum, non vt vitium referat pro officio. Breue ergo tempus ad cognoscendos ſenſus, vel potius experiendos datur, & forſatē tenerioris adoleſcētiæ prima exordia: ſtatimq; reuocatur, ne diutius titubet in lubrico, & diuidua quadam inundatione corporis huius ſæculi merſentur animi interiora veſtigia. Cū autem vel expertus fuerit, vel ſteterit in inſtabili & incerto, atque humido ſolo, reuocatur à matre patientia vel perſeuerantia, quæ dicit, Mitam ad te, & accerſam te inde, vt & illic in lubrico portum inuenias ſapientiæ, quæ te non ſinat tamquam in naufragio ſuadare, & reuerſus perſeuerare circa Dei noueris cultum, & ſis in conuentus gentium, ſignificans eius fide eccleſiam gentium congregandam. Hiſ igitur patientiæ & perſeuerantiæ inſtructus diſciplinis, profectus Iacob copulam ſibi acquiſiuit de ſapientiæ domo, conſortem propoſiti, optimam dote prudentiæ, cum qua vitæ tempora ſine vlla offenſione tranſcurreret. Addito igitur theſauro ſapientiæ, variam ſibi ouium inſtituit gregem ſedulum, rationabiē, virtutū plurimarum diuerſitate fulgentem. Vnde & lactantia carnis eius recidit, quod ſignificat ſenſoris ſupor, ſaluā ſacra interpretatione myſterij. Hiſ ergo virtutibus velut gradibus quibuſdam mens eius aſcendit in cælum, & Dei ſecreta cognouit, & conſumatus eſt & repletus, vt Laban ſerutans domum eius, nihil apud eum inane, nihil vacuum reperiret, nulla ſimulacra, nulla effigies vanitatis. Non enim apud eum erat imago, ſed veritas: non effigies ignauia, ſed ſolida forma iuſtitia, & veræ virtutis expreſſio intelligibilis. Itaque Laban perſerutatus eſt domum eius ſpiritalem, & non inuenit effigies. Plena enim erat non figurarū, ſed negotiorum. Potuiſſet autem inuenire fundamenta virtutum & culmina, niſi cæcitatem cordis, & perſidæ mentis caliginem detuliſſet. Deniq; ea improbitatis cæcitate ſuffuſi mentem Sodomitæ, oſtium nequaquam ſancti Lot inuenire potuerunt. Vnde enim mens impia videre potuit viri ſancti vel exitum vel ingreſſum? Ipſe quoque Dominus in Euāgelio ait, Venit enim princeps mūdi huius, & in me inuenit nihil. Quomodo nihil inuenire potuit in eo, in quo plenitudo diuinitatis habitabat corporaliter, de quo virtus exibat, & ſanabat omnes? Quomodo nihil inuenire potuit in ſoliditate virtutis, vberrate ſapientiæ, integritate iuſtitie? Ipſe dixiſti domine, Plenus ſū: ipſe dixiſti, Mitte manum tuam in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Miſit manum qui non credebat, & Dominum te & Deum reperit. Nō ergo tu vacuus, ſed ille cæcus & inanis princeps iſtius mundi, qui nescit niſi ſua cernere, nescit niſi ſua inuenire: ea quæ Chriſti ſunt, nescit agnoſcere. Aut ſi ſic, quemadmodum plerique habent; Non inueniet in me nihil; hoc eſt, non inueniet in me malitiam, quia malitia nihil eſt: non inueniet mortuū, quia mortuus non eſt. Sed quomodo eum mortuū inueniret, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt? Non inueniet, inquit, peccatum in me, qui mundi peccatū abſtuli. Quomodo enim nihil habet, qui omnia habet? Et (quod plus eſt) S. Amb. tom. r.

A omnia habet quæ pater habet, ſicut ipſe ait, Omnia quæ pater habet, mea ſunt.

*Cur hinc fugere debeamus, & quomodo tranſire cum Moyſe vt videamus Deum, calceamenta pedum ſolendo. quomodo etiam relinquere vmbra huius vitæ, & cum ſancto Dauid euolare, eſi non vt aquila, ſaltem vt paſſer, etiam ſi non ad cælum, ſaltem ad montes.* CAP. V.

**F**VGIAMUS ergo hīc, vbi nihil eſt, vbi inane eſt omne quod magnificum putatur eſſe: vbi & qui ſe putat quid eſſe, nihil eſt, & omnino nō eſt. Vidi, inquit impium ſuper exaltatum & eleuatum vltra cedros Libani, & tranſiui, & ecce nō erat. Et tu tranſi ſicut Dauid, tranſi ſicut bonus ſeruus, vt dicatur tibi, Tranſi, recumbe. Tranſi ſicut Moyſes, vt videas Deum Abraham, Iſaac, & Iacob, & videas viſum magnum, hoc eſt, viſum myſteriorum. Sed ſi videre vis, ſolue calceamentum pedum tuorum, ſolue omne vinculum iniquitatis, ſolue vincula ſæculi, relinque calceamentum quod terrenum eſt. Ideo Ieſus ſine calceamento, auro & argento Apoſtolos deſtinauit, ne ſecū terrena portarent. Qui enim bonū quærit, non in calceamento, ſed pedu velocitate & decore laudatur, dicente ſcriptura, Quā ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona? Solue ergo calceamentum pedum tuorum, vt ſpecioſi ſint ad euangelizandum. Solue, dixit, non liga. Solue vt tranſeas, & illum quem mirabar in terra impium, nihil illic eſſe, nihil poſſe reperias. Tranſi igitur, hoc eſt, fuge de terris, vbi malitia eſt, vbi auaritia. Ideo dicit tibi Dauid, Declina à malo, & fac bonum. Declinare, fugere eſt vtiq; Malū autē in terris, bonum in cælo eſt. Vnde & addidit, Inquire pacē, & ſequere eam. Pax in cælo eſt. Denique de cælo veniens dicit, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Ergo quia fugiēda & declināda ſunt mala, mala autē in terris, in terris iniquitates: fugiamus terrena, ne nos comprehendant iniquitates, quæ etiam ſanctum comprehenderunt Dauid, ſicut ipſe teſtatur, dicens, Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem: eo quōd fumo iniquitatis oculus animæ cæcatur, ne videat quæ ſunt lucida. Sic ergo & Laban bona Iacob videre non potuit, & princeps huius mundi gloriam Chriſti. Sed forſē dicas, Cur igitur Iacob ad Laban miſſus eſt, ſi Labā reprehendiſſis? Si nomen conſideremus, candidus dicitur Latinè. Ergo ad ſplendidiora iuberetur egredi Iacob. Sed quia carnalis erat, melius intelligimus ſplendidiora vitæ huius. Quāſi nondum perfectus, primò ad eum vadit, apud quē ad horam exultaret in luce eius. Filios autem deteriores habebat, id eſt, tolerabilius nomen quā opera. Et ideo & matris conſilio, & diuino oraculo, & ipſius Iacob amatoris diſciplinæ voluntate citò deſeritur ac relinquitur. Abſcōdit autem ſimulacra ſancta Rachel, id eſt Eccleſia, vel prudentia: quia Eccleſia inanes ideas & vanas nescit ſimulacrorum figuras, ſed veram nouit Trinitatis ſubſtantiam. Denique vmbra aboluit, ſplendorem gloriæ manifeſtauit. Relinquamus ergo vmbra, qui ſolem quærimus: deſeramus fumū, qui lumen ſequimur. Fumus, iniquitas

Prover. 10. l. b. 8.

Eccli. 9.

Psal. 141.

Psal. 123. Psal. 141. Psal. 127. Psal. 54. Psal. 67.

Psal. 141. Psal. 138.

Psal. 54.

Psal. 138.

1. Reg. 24.

Psal. 141.

Psal. 142.

Psal. 143.

Psal. 54. Psal. 101.

Psal. 54.

est, quia sicut fumus oculis, sic iniquitas videntibus ca. Umbra etiam est nostra haec vita in terra, sicut Iob dixit, Quid insuper hic nisi tentationes? Omne tempus in solitudine, omnis vita in molestiis. In medio, inquit, laqueorum ambulat. Et alius in via qua ambulabat, extentos sibi sed absconditos laqueos querebatur, ne deprehensus caderet. Volebat fugere sicut passer, sed adhuc laqueus contritus non erat. Perit, inquit, fuga à me. Grauatatas habebat pennas per illam tenebrosam aquam in nubibus aeris, & fortasse euolare non poterat. Denique illas pennas quarebat accipere, vt euolaret & requiesceret, sicut scriptum est, Quis dabit mihi pennas sicut columbae, & volabo & requiescam? Vbi enim volatus, ibi requies. Denique alibi dicit, Si dormiatis inter medios clericos, pennae columbae dearguetur. Sed fortasse dicas, Quomodo ergo hic dicit fugam à se perisse, qui supra dixerat, Si sumpsero pennas meas ante lucem? Numquid contrarium est? Absit. Multa enim iustorum certamina. Numquid semel athleta luctatur? Quotiens post coronas multas vincitur in alio certamine? Quoties qui saepe vicerat interdum fluctuat, & in incerto haeret? Et saepe fit vt fortibus fortis congregiatur, maioraque oriatur certamina, vbi maiora virium documenta. Ergo David vbi fugam quarebat, vt euaderet aduersarium, & non inueniebat pennas suas ancipiti fluctuabat certamine. Siquidem vbi in potestate habet pennas suas, titulus Psalmi in finem est, id est, perfectionem & consummationem victoriae. Denique quasi victor dicit, Domine probasti me, & cognouisti me, tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Merito habebat facultatem volandi, qui pennas resurrectionis acceperat. Hic autem adhuc in spelunca est, id est, in carne, in antro quodam istius corporis, cum rege Saul filio duritiae, & intelligibilis illius principis potestate decernens, qui non videtur, sed intelligitur. Vnde & Psalmi titulus intellectus est, quem tamen David positus in carne conclusit, sed vt concluderet rogado meruit. Denique à voce precationis coepit. adde illud, quod ille ex persona Saluatoris Psalmus dicitur, iste ex persona David, qui in potestate non habebat victoriam, sed sperabat à Christo: & ipse tamen posteaquam expandit ad Deum manus suas, tamquam pennas animae suae, & confugit ad Dominum, & Spiritus sancti deductionem poposcit, quod cognosceret viam per quam posset ascendere, inclinari vidit caelos vt Christus descenderet, & rogauit vt eum leuaret manu sua. Aut forte ideo pennas suas iam non quarebat, quia perfectior factus manum Christi desiderabat. Qui vult igitur manu Christi leuari, ante ipse euolet, habeat pennas suas. Qui fugit saeculum, pennas habeat: & si suas non habet (ne forte ille solus habeat suas, qui potestatem habet volandi) si suas, inquam, non habet, ab eo qui habet accipiat. Qui fugit ergo saeculum, volat. Ecce, inquit, elogauit fugiens, & mansi in solitudine. Euolauit ergo David, sicut nycticorax in domicilio. Si autem ad Christum referas, euolauit in corporis passione, vt sub umbra alarum suarum protegeret populos nationum. Euolauit diuinitate, mansit corpore, atque habitauit in deserto, vt plures fieret desertae filij, quam eius quae habebat virum. Illud

ergo corpus sequamur, vt & nos resurgamus. Vbi enim corpus, ibi & aquila. Qui non potest vt aquila volare, volitet vt passer. Qui non potest ad caelum, volet ad montes, fugiat ante valestria, quae citò corumpuntur humore, & ad montes trāseat. Transiit ad montem Segor nepos Abraham, & saluus factus est: quae autem non potuit ascendere affectu foemineo reclinata, salutem amisit. Appropinquatibus montibus aeternis, Dominus dicit per Micham prophetam: Surgite hinc, quia non est vobis hic refrigeratio. Propter spurcitiam corrupti estis corruptione, persecutionem passi estis. Et Dominus dicit, Tunc qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes, vbi mons Sion, & ciuitas pacis Hierusalem, non terrenis, sed viuis constructa lapidibus, & decem milia angelorum frequentia, primitiuorum ecclesia, perfectorum spiritus, iustorum Deus, qui in sanguine suo melius locutus est quam Abel. Ille enim vindictam clamauit, hic indulgentiam. Ille peccatum fratris accusauit, hic peccatum mundi remisit. Ille prodidit crimen, hic rexit, secundum quod scriptum est, Beati quorum tecta sunt peccata.

*Qua ratione volens fugere, velociter & diligenter fugere debeat: quod etiam fugiendum sit, & ad quod bonum animas nostras erigere debeamus. CAP. VI.*

Sed qui fugit, velociter fugiat ne comprehendatur. Velociter deprædetur hunc mundum, vt Hebraeus Aegyptum. Qui parturit, pariat: ne onusto & degrauiato iniquitatibus mentis vtero fugere non possit: & fugiat non quasi latentem ferens, sed quasi expectatum: non paruulum gestas, sed perfectum in Christo exhibens: fugiat non quasi feriat in sabbato, sed tamquam operarius in negotio: nec tamquam sterilis in frigore, sed tamquam opimus in messe. Ideo enim dictum est, Orate ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato. Fuga ergo haec fecunda virtutum est, non effeta meritorum. Fuga haec nescit frigus timoris, tremorem mortis, contractionem sollicitudinis, dissolutionis otium, lasciviae ferias, torporem lentitudinis, sed vitae caelestis requirit impigru viatorem, regni superioris competitorem strenuum, diuitem agricolam, qui fructus suos cogat, & cogedo diripiat. Quid enim aliud à te o homo quaeritur, nisi vt timeas Dominum, requiras eum, post ipsum ambules, comprehendas vias eius? In quo, inquit, comprehendam Dominum? Comprehendam cum in holocaustis? Non in decem milibus haedorum, non in milibus arietum: non in fructibus impietatis reconciliatur Dominus, & peccata redimuntur, sed in bona vita Domini gratia comprehenditur. Renuntiatum est, inquit, tibi homo quid sit bonum, aut quid Dominus requirat à te. Quid aliud, nisi vt facias iustitiam, & diligas misericordiam, & paratus sis ire cum Domino Deo tuo? Dicit ergo Euangelium, Surgite, eamus hinc. Dicit tibi lex, Post Dominum Deum tuum ambulabis. Didicisti quomodo hinc fugias: quid moraris? Dicit tibi Euangelium iterum, Progenies viperarum, quis vobis monstrauit fugere ab ira ventura? Et dicit hoc illis qui veniebant ad baptismum poenitentiae. Ergo poenitentia, fuga est bona.

Gratia

Matth. 24.

Gen. 19.

Micha. 2.

Luc. 21.

Heb. 12.

Gen. 4.

Psal. 31.

Esa. 3.

Exod. 11.

Colof. 1.

Matth. 24.

Matth. 6.

Luc. 11. Thren. 3.

Deut. 10. Deut. 13.

Ibid.

Ioan. 14. Deut. 13.

Matth. 3.

3. Reg. 19.

3. Reg. 17.

3. Reg. 9.

Ibid.

Prover. 7.

Prover. 21.

Amos. 5.

Psal. 26.

Matth. 6.

Luc. 11. Thren. 3.

Deut. 10.

Philip. 4.

Ast. 17.

Marc. 10.

Psal. 103.

Esa. 1.

Gratia Dei, fuga est bona, in qua est assumptio fugietis. Desertum, fuga est bona, ad quod fugit Elias, Elifaeus, Ioannes Baptista. Fugit Elias mulierem Iezabel, id est effusionem vanitatis, & fugit ad montem Oreb, quod significat exsiccationem: vt sicca-retur in eo carnalis profluuium vanitatis, & cognosceret plenius Deum. Erat enim ad torrem Chorrad, quod est cognitio, vbi abundantiam profluentem diuinam cognitionis hauriret: ita fugiens saeculum, vt nec cibum corporis huius exquireret, nisi quem aues detulissent ministras, quamquam esca eius plerumque terrena non fuerit. Denique quadraginta diebus in virtute escae quae acceperat, ambulabat. Vtiq; non mulierem fugiebat propheta tantus, sed saeculum: nec mortem timebat, qui se obtulerat requirenti, & qui dicebat ad Dominum, Recipe animam meam, & diem vitae istius sustinens, non cupiditatem: sed fugiebat saecularem illecebram, & conuersionis maculosa contagionem, & impiam ac prauearicatricis nationis sacrilegia. Salomon quoque mulieris illius specie corruptelam saeculi huius exponit, & meretricias artes declinandas edocet. Haec est mulier aliena & fornicaria, à qua te vt custodias adhortatur. Ne declines in vias saeculi cor tuum, sed colloces illud in manu Domini, in qua est cor regis. Qui enim seipsum regit (quod plurius est quam alijs imperare) cor eius in manu Dei est, & quod Deus vult conuertit illud. Non mirum si conuertit in bonum, qui per se saeculari bonitas est. In manu ergo Dei sumus, vt bonum quaeramus: illud bonum incorruptibile atque incommutabile, de quo dicit Amos propheta, Exquirite bonum & non malignum, vt viuatis, & sic erit vobiscum Dominus Deus omnipotens. Quomodo dixistis, Odio habuimus mala, & dileximus bona? Vbi ergo bonus Deus, ibi bona sunt quae desiderauit videre David, & visurum se credit, sicut ipse ait, Credo videre bona Domini in terra viuentium. Illa enim bona sunt quae manent semper, quae non queunt temporis vel aetatis mutatione corrumpi. In illis bonis est qui Deum quaesuerit & inuenit. Vbi enim cor hominis, ibi & thesaurus eius est. Non enim solet bonum datum deprecantibus Dominus denegare. Ergo quia bonus Dominus est, & maxime sustentibus se bonus est, ipsi adhæreamus, cum ipso simus tota anima nostra, toto corde, tota virtute, vt simus in lumine eius, & videamus eius gloriam, & delectationis supernae fruamur gratia. Ad illud igitur bonum erigamus animas nostras, vt in illo simus, atque in ipso viuamus: ipsi adhæreamus, quod est supra omnem mentem, & omnem considerationem, & pace vitur perpetua ac tranquillitate. Pax autem supra omnem mentem est, & supra omnem sensum. Hoc est bonum quod penetrat omnia, & omnes in ipso viuimus, atque ex ipso pendemus. Ipsum autem supra se nihil habet, sed est diuinum. Nemo enim bonus, nisi vnus Deus. Quod ergo bonum, diuinum: & quod diuinum, bonum. Et ideo dicitur, Aperiente te manum, implebuntur omnia bonitate. Per bonitatem enim Dei, nobis vniuersa tribuuntur: merito bona, quibus nihil admixtum est mali. Haec bona promittit scriptura fidelibus, dicens, Quae bona sunt terrae, māducabitis. Boni ergo illius similes simus, vt quae bona sunt adipi-

scamur. Bonum quod est, sine iniquitate est, sine dolo, sine asperitate, cum gratia, cum pietate, cum sinceritate & beneuolentia, charitate, iustitia. Itaque omnes virtutes bonitas tamquam mater fecunda amplectitur.

*Quod non mediocri sit causa cur hinc fugere debeamus: quodque non impigre malitia huius saeculi fugienda sit: & quid sit hinc fugere, cur etiam malitia in terris versetur & seruiat, qua praeterea ratione Dominus Iesus vindictam diaboli auctoris malitiae distulerit, neque eadem sententia in ipsum & in hominem dicta sit. CAP. VII.*

Est igitur non mediocri causa cur hinc fugere debeamus, vt perueniamus à malis ad bona, ab incertis ad fidelia & plena veritatis, à morte ad vitam. Ipse quoque Dominus dicendo, Postui ante te bonum & malum, vitam & mortem: demonstrauit quia bonum vita est, sed aeterna. Haec enim est obnoxia saeculo atque eius malignitati: vtique illa est bona, quae non corrumpitur & mutatur, quae nullo vitio degenerat, quae virtute acquiritur. Fugiamus ergo malitiam saeculi huius, in quo ipsi dies, inquit, mali sunt, & fugiamus impigre. Ideoque Esaias clamat, Conualecite manus remissae, & genua dissoluta: id est, non corporis, sed animae genua conualecite, vt directum ad caeli altissima metis vestigium possit attolli, vt sit doctrina solidior, vita maturior, gratia plenior, prudentia circumspectior. Hoc est enim fugere, scire quod tendas, abluare se à saeculo, abluare se à corpore, ne iterum frustra se aliquis extollat, & inflatus mente carnis suae non teneat caput, & dicatur de his, Fugerunt, & non viderunt. Sed hoc est fugere hinc, mori elementis istius mundi, abscondere vitam in Deo, declinare corruptiones, non ataminare cupiditates, nescire quae sunt mundi istius, qui nobis varios gignit dolores, exinanit eum repleuerit, cum exinanierit, replet. Et haec omnia inania & vacua, in quibus nullus solidus est fructus. Mortuus est diues, & nihil habet, quia non est in Deum diues: & ideo inspiens, quia sapietia cultura est Dei: abstinere autem à malis, disciplina est. Quis ergo non fugiat malitiae locum, officinam improbitatis, quae interire nesciat? Denique non otiose signum positum est Cain, ne quis eum occideret, vt significaretur quod non extinguatur & auferatur à terris malitia. Timebat Cain ne occideretur, quia fugere nesciebat. Augetur enim & cumulat in ipso visu malitia, & est sine moderatione, sine fine, dolo & fraude decernens, quae factis suis proditur, & sanguine perceptorum, sicut & Cain proditus est. Versatur itaque in terris malitia: & ideo rogamus, voluntatem Dei fieri in terris sicut & in caelis, vt & hic sit innocetia. Itaque malitia quoniam illic iam locum non habet, hic circuit, hic seuit seseque infundit, non mundano illo mersa diluuium, non Sodomitano exulta incendio. Denique grauius postea in seminariis pullulauit, usque in ipsum parricidales ac sacrilegas iniciens manus vniuersorum auctorum salutis. Lex factum damnat, non auferit malitiam. Ipse Dominus Iesus peccatum dānauit, auctorem eius distulit, vt esset per quem iusti probarerentur. Etenim quia malum Deus non fecit, sed nequitia diaboli inseruit: vindictam Deus distulit,

Deut. 30.

Ephes. 3. Esa. 35.

Colof. 2. Tob. 9.

Luc. 12.

Gen. 4.

Matth. 6. Gen. 7.

Gen. 19.

S. August. lib. 4. cont. diuos. epist. velag. cap. 11.

v. ij



vt ab ipsis quos deceperat, diabolus vinceretur. Exercentur ergo decepti, vt & pretium luant facilitatis, & sumant studia virtutis, industriam cautionis. Vnde ait, Estote astuti sicut serpentes. Quare sicut serpentes? Vt & ille spoliatur suo, & qui alios exuere voluit, amittat quæ sunt ipsius, non venena, sed merita naturæ. Denique deiicitur ille cum tu ascenderis. Scriptum est enim, Videbā satanam sicut fulgur, cadētē de cælo. Non fulgur inquit, sed sicut fulgur, quia suum lumen amisit, quod habebat antequam tibi tuum lumen vellet auferre. Verum fortē dicas quia & de Salvatore legimus, quia sicut fulgur coruscans de sub cælo, ita erit & aduētus filij hominis. Bene & ille sicut fulgur, quia hic supra fulgur. Deniq; fulgur de sub cælo, lumen autem supra cælum. Ergo satanas sicut fulgur, quia amisit quod habuit, tu autem recepisti quod amiseras. Non enim ita circa illum sicut circa te soluta est sententia. Nam Christi gratia quæ te resoluit, illum adstrinxit. Manet enim maledictio directa in serpētem propter tuam deceptionem. Sic enim dictum est ad eum, Maledictus tu ab omnibus pecoribus terræ. Omnium enim communis inimicus est, qui fuit hostis bonorum, & pro ijs damnatur quos adhuc non læserat: quoniam qui hominem læsit, cui illa omnia subiecta sūt, læsit omnia. Communem etenim legem soluit, qua & ipse homini cum cæteris subditus est: ideo communi odio omnium atque execratione maledictio eius oneratur. Genus autem damnationis, non mors sed pœna diuturna est. Super pectus, inquit, tuum & ventrem ambulabis. Premēda enim fuit noxia conscientia, & proterenda malitia, fraudulentumque secretum tamquam à Dei facie relegandum: simul ostenditur quod terrena malitia sit, quæ in terram recurrit. Denique addit, Et terram cedes omnes dies vitæ tuæ. Describi quidem his natura serpentis videtur, sed magis omne vas malitiæ describitur, omnis serpens improbitatis, qui in vētrem se deiicit, atque intra se venenum suum claudit, & intus in pectore suo voluit, cogitationibus suis lubricus, & super fraudes suas ambulans, suis dolis se ipse implicans, mouens semper atque exagitans sua venena cum cogitat, ventrem quoque, hoc est, seminarium cordis sui proterens. Vnde pulchrē Dauid ait, Alienati sunt peccatores ab utero, errauerunt à ventre, locuti sunt falsa. Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obstruētis aures suas, quæ non exaudiet vocē incantantium, & venefici, cum incantatur à sapiente. Propter hoc etiam illud pulchrē dictum videtur, quod in libro prophetico legimus: Vēntrem meum doleo, vētrem meum doleo: quia ibi est malitia, vbi debet esse innocentia: & illud plus laborat, quod in nobis debet esse tranquillius: at quid nequitie vestigijs proculcatur, stimulaturng uibus, processu quodā improbitatis incrementōq; concutitur, vbi est genitale seminarium posteritatis æternæ. Videtur quidem hoc ad id esse referendum, quod dolebat perisse quos creauit filios & suscepit, sed multo magis quod in ventre suo verbi seminarium non habebant. Ideo ventrem suum dicit, quasi pretiosissimum. Pretiosus enim mentis vterus est, in quo fœcunda leges consiliorum verbi femine pullulare consuevit, & vitæ totius solent atque vir-

Math. 10.

Luc. 10.

Luc. 17.

Gen. 3.

Gen. 1.

Gen. 3.

Ibid.

Psal. 57.

Hierem. 4.

tutum ac disciplinarum quædam membra formari. Sed vt reuertamur ad propositum, quod malitiam Deus reprimendam, interimque abolendam putauerit, ait ad serpentem, Et inimicitias ponam inter te & inter mulierem, & semen tuum & semē mulieris. Ipsa tuum obseruabit caput, & tu illius calcaneum. Vbi inimicitia sunt, ibi discordia est, nocendique studium: vbi nocendi studium, ibi malitia ponitur. Ergo discordiæ inter serpentem & mulierem, discordiæ malitia subest. Non est ergo sublata malitia. Denique seruatum est serpenti vt calcaneum mulieris & feminis eius obseruet, quod noceat, & venenum suum infundat. Non ergo ambulemus in terrenis, & serpens nobis nocere non poterit. Sumamus euangelicū calceamentum quo venenum serpentis excluditur, morsus eius hebetatur, vt simus calceati pedes in euangelium. Et fortasse ideo Moyses iubetur soluere calceamentum pedum suorum, vt sumeret calceamentum Euangelij: vel quia non Moysi, id est, non prophetis, sed Apostolis prædicatio Euangelij debeat. Ea est quam supra diximus, dicta in serpentem sententia. In hominem quoque cuiusmodi dicta sit, consideremus. Maledictus ille qui auctor est culpæ: sed non maledictus est iste qui aliena fraude deceptus est: tamen quia non seruauit mandatum Dei, operum suorum labore damnatur. Maledicatur sanē terra, sed in operibus peccatoris, & maledicatur donec resoluat in terram. Ideo ergo Deus suscepit carnem, vt maledictū carnis peccatricis aboleret: & factus est pro nobis maledictum, vt benedictio absorberet maledictionem, integritas peccatum, indulgentia sententiā, vita mortem. Suscepit enim & mortem, vt impleretur sententia, satisfaceret iudicato per maledictum carnis peccatricis vsque ad mortem. Nihil ergo factum est contra sententiam Dei, cum sit diuinæ conditio impleta sententiæ. Maledictum enim vsque ad mortem, post mortem autem gratia. Mortui ergo sæculo sumus, quid adhuc sæculo decernimur? Mortui sumus cum Christo, quid adhuc vitæ huius actus requirimus? Mortem enim Christi in corpore nostro circumferimus, vt & vita Christi in nobis manifestetur. Non ergo iam nostram illam vitam, sed Christi vitam viuimus; vitam innocentiæ, vitā castimonie, vitam simplicitatis, omniumque virtutum. Cū Christo resurreximus, in ipso viuamus, in ipso ascendamus, vt serpens calcaneum nostrum quod vulneret, in terrenis reperire non possit.

*Quomodo hinc animo fugere possimus, & si corpore retinemur: quod etiam hinc, quia tempus breue est, fugiamus, ne cum prætereunte figura mundi opera nostra, nosque ipsi prætereamus: quod si cœquere velimus, mandata Dei non prætereamus, neque disciplinæ alicuius profectum, quemadmodum Ioseph fecit, & in Sarra ostenditur, & sicut Iacob executus est.* CAP. VIII.

**F**Vgiamus hinc. Potes animo fugere, etsi retineris corpore. Potes & hic esse, & adesse ad Dominū, si illi adhæreat anima tua, si post ipsū cogitationib⁹ tuis ambules, si fide nō specie vias eius sequaris, si ad ipsum cōfugias. Est enim refugium & virtus, cui dicit Dauid, Ad te confugi, & non sum deceptus.

Gen. 3.

Gen. 3.

Gen. 7.

Ephes. 6. Marc. 6.

Ephes. 6. Exod. 3.

Psal. 128.

Luc. 7.

Gen. 37.

Coloss. 2.

1. Cor. 4.

Rom. 6.

Exod. 1.

Gen. 27.

Psal. 45.

Ergo

Ergo quia Deus refugium, Deus autem in cælo, & supra cælos: vtique hinc illō confugiendum est, vbi pax, vbi requies ab operibus, vbi epulemur sabbatum magnum, sicut dixit Moyses, Et erunt sabbata terræ vobis etcæ. Epulatoriū enim & plenum iucunditatis & tranquillitatis est, requiescere in Deo, & eius delectationē videre. Qui ergo confugimus ad Deum, ad mūdum reuertemur? Qui peccato mortui sumus, peccata repetemus? Qui renūtiuimus sæculo & vlui eius, iterū in luto eius harebimus? Fugiamus hinc, quia tempus breue est. Audi quomodo fugias. Et qui habent vxores, ita sint ac si non habeant: & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non possidentes: & qui hoc mundo vtuntur, tamquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi. Non ergo cum prætereunte figura mundi opera nostra prætereāt, ne etiam ipsi prætereamus, sed maneamus in veritate. Si maneamus in Christo, manemus in veritate, & cum eo manebimus, & non præteribimus, sed dicemus, Benedictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine Domini. Qui enim prætereunt, non possunt dicere, quia non dixerunt prætereunte viam, Benedictio Domini super vos, quemadmodum dixit Propheta. Itaque si volumus non præterire opera nostra, non prætereamus mandata Dei, non prætereamus requirendi Iesu Domini diligentiam, emerendi eius gratiam. Non præteriuit eum illa mulier quæ vsque in Pharisæi domum ingressa, in qua Christus recumbebat, in pedes eius superfudit vnguentum. Non prætereamus disciplinæ alicuius profectum, sicut etiam Ioseph adolefcētulus non præteriuit, quia fratres suos requirebat, & ad eum festinabat locum, in quo pascebant oues, & cum cognouisset quia in Dothaim sunt, perrexit eō. Significatur autem illo verbo Dothaim, defectus idoneus, id est, vanarum opinionum defectus non mediocris, sed perfectus & plenus, in quo profectus est anima. Sapiens enim quando minuit, addit. Deficiunt enim sæculares opiniones, quæ mulieribus infirmis comparantur. Vnde pulchrē quod ostēderetur Sarra ad profectū venisse vt generaret risum & latitiam: Defecerūt, inquit, Sarra fieri muliebria. Bona ergo defectio cupiditatum, defectio vanitatis, quia veritatis adiectio est. Vnde & sanctus Dauid ait: Defecit in salutare tuum anima mea. Paritura enim erat quæ conceperat, vt promiserat Deus, paritura latitiam, & sobriā illam iucunditatis ebrietatem, paritura ante expectatum partum, ingenij celeritate fœtū sapientiæ. Deniq; & de alijs Hebræis mulieribus habes, quia Hebrææ prius pariunt quàm veniant obstetrices, eo quod animæ iustorum non expectent artes & disciplinas propter inuentionum genera, nec requirant adiumenta generandi, sed sponte partus suos fundant, expectationemque praueniunt. Nec minus impiger ad inueniendum, quàm ad exequendum Iacob: cui cum mater dixisset vt inferret patri escas, definitionum genera suppetisse cernimus. Nam & citō inuenit, & inuentorum suorum auctorem testificatus est Deū, in quo & diligentia palma, & ingenij significatur vbertas. Prima ergo definitio in inuentione. Quod inuenitur, quaritur: & quod quaritur, tem-

Psal. 76.

Luc. 25.

1. Cor. 7.

Psal. 128.

Luc. 7.

Gen. 37.

Gen. 18.

Psal. 118.

Exod. 1.

Gen. 27.

poris est: quod tēporis est, vtique diligentia est. quod autē præuenit vsū tēporis, Deus infudit, Deus dat: quod Deus dat; naturæ, non diligentia est. Ingeniū igitur diuini est muneris, quod autē diuini muneris, hoc naturæ. Ingenium ergo naturæ est, inuentio diligentia: illud sine tempore, hoc indiget tempore. Ideoque illud in tempore præsto est, hoc in spatio temporis inuestigatur. Illud supra nos, hoc verò ad nos refertur. Quærenti igitur patri cibū verbi, (non enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei. Talem cibum quærebat Isaac, talem cibum esuriuit Petrus, quando vidit credituri gentilis populi mysteria) Esau præsto non habuit cibum spiritalis & velocioris ingenij. Dum ille venatur & quærit, & prædurū atque agrestem sermonem suggerere parat, præuenit Iacob celeri inuentione, & miti, & propè domestica responsione suaue verbum ministrans, quod cum mulceret ac delectaret. Vnde miratus pater ait, Quid est hoc, quod tam citō intinire potuisti filij mei? Respondit Iacob, Quod tradidit Dominus Deus tuus in manus meas. Prima definitio in interrogatione est, secunda in responso. Plena igitur omnia reperiens pater quæ erant vel ingenij, vel diligentia, definitionis consummationem concludit, dicens, Ecce odor filij mei tamquam odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Ager enim & naturale habet fertilitatis ingenium, & cultura diligentiam temporalem: meritoque in eo est plenitudo, cui vtrumque non deest. Simul cum addidit, Quem benedixit Dominus: videtur naturę gratiam prætulisse cultionis labori. Et confirmauit Esau, dicens, Iustè vocatum est nomen filius Iacob. Supplantauit enim me iam bis, & primogenita mea accepit. Sed fortē dicas, In quo moram fecit, qui ad venationem à patre missus est? Sed considera quia & pater pronūtiavit quia paratum habere non posset quod spiritaliter petebatur, & ideo quia deficiebat ingenio, vel diligentia subsidium vt adiungeret exigebat. Celeritatis quoque admonet, qui ait, Capream & sagittam. Accepit tamen & diligentia fructum, qui agnouit superius esse ingenij munus. Nec immeritō domesticos cibos detulit, qui de domesticis feminis sui sapientiæ sibi acquisiuit copulam. Bona autem diligentia cum sapientia, & inuentio cum ingenio naturali. Denique habēs in promptu sapientiæ copulam sanctus Isaac, deambulabat in cāpo, immo abalienabatur. Et nos primò sapientiæ copulemur, & sic exeamus in cāpum quærere & inuenire cupientes. Multi enim sine sapientia malè quærunt. Et ideo Cain quia non acceperat à Deo prudentiam, malè quæsiuit, malè exiuit in campum: Abel bene, qui perfectum sacrificij munus impleuit. Bonum enim sapientiæ sacrificium, bona est hostia fides, & omnis virtus. Denique sapientia interfecit suas hostias, & miscuit in cratere vinum suū. Et ideo vt insipientibus gentilibus potum fidei daret, ad craterem suum conuocauit eos, dicens, Qui est insipiens, diuertat ad me. Et egētibus sensu dixit, Venite & edite de meis panibus, & bibite vinum quod miscui vobis. De hoc cratere Plato in suos libros transferendum putauit, ad cuius potum euocauit animas; sed eas explere nesciuit, qui potum non fidei, sed perfidia ministrabat.

Deut. 8.

Gen. 27.

Act. 10.

Gen. 27.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Gen. 24.

Gen. 4.

Prou. 9.

Ibid.

De exhortatione quod hinc fugiamus, sicut fugit de patria sanctus Iacob, & sicut cervi fugiunt ad fontes aquarum, quos & David sitiabat: quis quoque sit iste fons, & quid hunc fontem desiderans facere debeat, exemplo Susanna. quomodo etiam sicut Paulus & Lot fugerunt, nos fugere debeamus. quibus praeerea modis quis bene fugere possit.

CAP. IX.

Gen. 28.

Psal. 41. 111. 35. Psal. 41.

Dan. 13.

Ibid.

2. Cor. 11. Ecl. 4. 2. Cor. 12.

Gen. 19.

**FUGIAMVS** ergo hinc, sicut fugit de patria sanctus Iacob. Sciebat enim veram patriam esse superiorem. Fugiamus sicut cervi ad fontes aquarum, quos sitiabat David. Sitiat & anima nostra. Quis est ille fons? Audi dicentem, Quoniam apud te est fons vitae. Huic fonti dicat anima, Quando veniam & parebo ante faciem tuam? Fons enim Deus est. Sed qui hunc fontem desiderat, effundat super se animam suam, ut nihil passioni carnis relinquat, sed ubique anima superfluat. Pulchre eam effudit Susanna, ut evaporare in eam posset incedia corporis, mortis formidines, vitae cupiditates. Effusa super ipsam anima, omne restinxit carnale desiderium, saeculare studium. Quae etiam prodigiosorum senum & impudentium presbyterorum potuit flammam restituere, nisi in his libidinis profluvium redundasset. A quibus cum intenderetur calumnia, si assensus negaretur adulterio, ingenuit Susanna, & dixit, Angustiae mihi adfunt vadique. Si enim hoc fecero, morte aeterna peribo: si autem, non effugiam manus vestras. Melius tamen iudicavit crimen fugere potius quam periculum. Ploravit itaque cum crimen obijceretur, ploravit cum sibi de pudica & casta adulteri iudicium vendicarent: non mortem deplorans, sed castitatis calumniam. Religionis iniuriam ploravit, & effudit super se non corpus, sed animam. Effudit enim corpus, si carnalibus acquiesceret. Denique cum morte danaretur, exclamavit quasi iudex reorum, arbitra calumiantium: & innocentis conscientiae auctoritate divinam sibi in iudicium accersivit cognitionem: non timore mortis percita, sed arguentis censurae potestate praecelsa. Susanna ergo fugit saeculum, & se Deo credidit, ad illam arcem civitatis aeternae fugiens, quae totum mundum complectitur, quoniam intra Deum sunt omnia. Fugit & Paulus, ut euaderet per fenestram in sporta demissus, (Spartum enim triplex rumpi non posse nouerat) sed fugit, ut Euangelium Domini toto orbe praedicaret: & ideo in paradysum raptus est. Et nos fugiamus per fenestram, audientes praeccepta Domini, & visu sobrio, atque oculorum castitate seruantes. Fugiamus sicut Lot, Sodomitana crimina amplius quam supplicia formidans. Magis enim pius certa scelerum fugit

contagia, qui Sodomitanis domum claudit: nec cohabitans, nouerat eos, quorum flagitia nesciebat, & opprobria auerfabatur: nec fugies respexit eos quorum conuersationes non desiderabat. Fugit ergo sicut Lot, qui renuntiat vitis, abdicat se incolarum moribus, qui post se non respicit, qui superiorē illam ciuitatem ingreditur introitu cogitationum suarum, nec recedit ex ea donec moriatur princeps sacerdotum, qui tulit peccatum mundi. Mortuus quidem semel est, sed moritur vniciue qui baptizatur in morte Christi: ut conspeliatur cum eo, & resurgamus cum eo, & in nouitate vitae illius ambulamus. Bene fugis, si cor tuum non imitetur peccatorum consilia, & cogitationes eorum. Bene fugis, si oculus tuus fugiat calices & phialas, ne fiat liuidus dum moratur in vino: si oculus tuus aliena declinet, & lingua tua veritatem custodiat. Bene fugis si non respondeas imprudenti ad imprudentiam illius. Bene fugis, si auferas gressum pedum tuorum ex ore insipientium. Cito enim malis ducibus erratur. Sed si vis bene fugere, longè fac vias tuas ab eorum sermonibus. Mortuus est tibi princeps sacerdotum, tibi crucifixus est, ut clauis eius adhaereas. Te enim in illa carne & tua peccata suscepit: affixa sunt illius patibulo tuorum delictorum chirographa, ut iam mundo nihil debeas, cui semel renuntiasti. Et rectè nihil debes, cui suppetit dicere, Mihi enim mundus crucifixus est, & ego mundo: ut iam mortem non timeas, si geras Christum, in quo potes dicere, Vbi est mors victoria tua? ubi est mors aculeus tuus? Etenim cum verus ille homo noster affixus est cruci, destructum est peccatum, obtusus aculeus, vacuata culpa, ut vltterius seruire flagitiis declinamus. Abiit enim vetus homo. Nunc autem iam non vetus homo in nobis, sed noua est creatura, habens in se similitudinem Christi, cuius mortis similitudine conspulti, imaginem vitae eius assumpsimus, alas gratiae spiritalis accepimus. Sic igitur volate, ut dicatur de vobis, Qui sunt isti qui ut nubes volant, & sicut columbae cum pullis suis: ut nebulae vestrae rorēt iustitiam, & columbae pariant simplicitatem. Sic nauigate quasi transfretates mundum, non pererrates, quasi naues Tharsis, ut ad intelligibiles portus cursum dirigatis, & conuehatis diuitias maris. Sic festinate ut dicatur de vobis, Leues facti sunt super aquilas. Ab ira enim ventura fugiendum videtis, quam declinare poterunt qui per poenitentiam sibi spem locauerint euadendi, & reconciliationis futurae fidem hauserint, per Dominum nostrum Iesum Christum, cui regnum est a saeculis, & nunc, & semper, & in omnia saecula saeculorum, Amen.

Num. 35. Ioan. 1. Rom. 6.

Prover. 23.

Prou. 26.

Ibid.

Esa. 53. Coloss. 2.

Galat. 6. 1. Cor. 15. Rom. 6.

2. Cor. 5.

Esa. 60.

Esa. 45. psal. 103.

Thren. 4.

S. AMBROSII DE EVGA SAECVLI LIBRI FINIS.

Summarium Libri de Ioseph Patriarcha.

A cap. I. vsque ad cap. III. explicatur quod Ioseph praeceteris fratribus a patre magis erat dilectus: agitur de eius somnio, eiusque venditione per fratres, ut in cap. XXXVII. Gen. habetur.

A cap. III. vsque ad cap. V. quod Ioseph in Aegyptum ductus, eunucho coquorum praefecto venditur, tentatur, accusaturque a femina, ponitur in carcere, ut habetur Gen. cap. XXXIX.

In cap. VI. agitur de eunucho, & ipsorum somnia interpretantur, ut habetur Gen. cap. XL.

In cap.

In cap. VII. Ioseph interpretatur regis somnium, qua de re praeceteris illustrius honoratur, ut in Gen. cap. XLI.

In cap. VIII. mittit filios Iacob in Aegyptum ad emendum triticum, ut habetur Gen. cap. XLII.

In cap. IX. & X. agitur de iis quae habentur Gen. cap. XLIII.

In cap. XI. scyphus argenteus reperitur in sacco Benjamin, & quaedam exponuntur mystice, ut in Gen. cap. XLIII. habetur.

In cap. XII. & XIII. Ioseph se fratribus declarat: qui ad propria reuertentes nuntiant patri illius gloriam in Aegyptum, ut habetur Gen. cap. XLV.

In cap. XIII. Iacob cum vniuersa familia sua in Aegyptum descendenti Deus apparet, & confirmat promissa, ut legitur Gen. cap. XLVI.

Capita Libri.

Cur post tractatum de Abraham, Isaac, & Iacob, historiam de sancto Ioseph auctor prosequi curauerit: & qua ratione idem sanctus nobis tamquam speculum castitatis propositus esse debeat: unde etiam a parentibus plus quam ceteri filij fuerit dilectus; quodque ea res inuidiae causa fuerit. cur etiam inuidiam sanctorum discere debeamus. **Cap. I.**

Qualis esse debeat affectus parentum, filiorumque gratia: & qua ratione Iacob reprehendendus non fuerit, quia ceteris hunc puerum praeferebat, in quo & gratia diuina per visum somniorum resulsit. quid praeterea somnia ista, patrique obiurgatio, in quo pietas paterna non errabat, significant. **Cap. II.**

Quod tanto somnio non incredulus fuerit Iacob patriarcha, qui futurae incarnationis mysteria videns, filium mittebat ad fratres: & de praeuisione ipsius Ioseph a fratribus antequam ad illos appropinquaret, eorundemque ad occidendum ipsum consilio: eiusdem quoque liberatione ac venditione, & de istorum aliorumque circa haec concurrentium mysterio. **Cap. III.**

De venditione Ioseph ductione in Aegyptum, atque eius emptione a praeposito coquorum, quidque hoc significet, de seruitutis praeterea ipsius mystica atque morali interpretatione. **Cap. IIII.**

De singulari commendatione speciositatis & decoris, castitatis ac pudoris sancti Ioseph, eiusque impetratione a domina sua ad concubitum, & eiusdem adulterae telis: ipsius quoque Ioseph recusatione, fuga, vestis relictione, accusatione, incarceratione, atque visitatione diuina. **Cap. V.**

De spadonibus agit, quam fragilis vilitate eorum status: de eorum incarceratione, somniorum visione, & interpretatione: quod potentia & gloria huius saeculi nihil aliud sit quam somnium. **Cap. VI.**

Reprehenditur spado, quod sui interpretis memor non fuerit: ministrorum regalium fastus quam sit fragilis ostenditur. honoratur Ioseph ob somniorum regis interpretationem: eius praemia & ornamenta declarantur: coniugio copulatur, habet filios, congregat triticum pro tempore famis. **Cap. VII.**

De exhortatione Iacob ad filios ut descendant in Aegyptum, & emant escas: & de perfectione decem fratrum, iuniorum domi retento, ac de mysteriis praedictorum. **Cap. VIII.**

De reuersione filiorum Iacob in Aegyptum postquam famis inualecebat, cum deductione Benjamin, & sumptione munerum Ioseph deferendorum, eorumque ad ipsum peruentione: & de mystica ratione istorum & incidentium circa haec. **Cap. IX.**

De munerum paratione, & eorum illatione, instaurationeque conuiuij; cum morali atque mystica singulorum expositione. **Cap. X.**

Ponitur scyphus argenteus in saccum Benjamin, inquisitus reperitur; ducuntur fratres ad Ioseph; & mysteria quaedam explicantur. **Cap. XI.**

Quemadmodum sanctus Ioseph se manifestauerit ut a fratribus cognosceretur, & de aduocatione eorum ad se, accessuque ipsorum ad illum: quomodo etiam eos consolatus fuerit, cum mystica dictorum interpretatione. **Cap. XII.**

De gaudio Pharaonis, quod Ioseph agnouisset fratres suos, & de exhortatione eius ut Ioseph inuitet fratres ut veniant cum patre; illorumque executione, & peruentione ad Iacob, narrationeque singulorum, & quod Ioseph adhuc viueret: & de mysteriis circa haec. **Cap. XIII.**

De Israel patris eleuatione, ac profectione, & hostiarum circa puteum Iuramenti immolatione, eiusque per Dominum consolatione, ac descensu in Aegyptum cum animabus septuaginta; & de mysteriis praedictorum. de ipsius denique Iacob ad filios adhortatione ut congregentur ad audiendum ea quae occurrura sint eis in nouissimis diebus. **Cap. XIII.**

v iij

# SANCTI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS DE IOSEPH PATRIARCHA LIBER.

Genesis Cap. XXXVII.

**I**OSEPH decem & septem annorum erat, G  
pascens cum fratribus suis oues patris sui, e-  
xistens iuuenis cum filiis Ballæ, & cum filiis  
Zelphæ, vxorum patris sui. Attulit autē Ioseph  
vituperium malum ad Israel patrem suum. Ia-  
cob autem amabat Ioseph plusquam ceteros  
filios eius, quia filius senectutis erat ei. Fecit  
autem ei tunicam variam. Videntes autē fra-  
tres eius, quod eum amat pater ex omnibus fi-  
liis eius, oderunt eum fratres eius, & non po-  
terant loqui illi nihil pacificum. Somnians au-  
tem Ioseph somnium, nūciauit illud fratribus  
suis, & ait illis, Audite somnium hoc quod  
somniaui. Putabam nos ligare manipulos in  
medio agro, & surrexit meus manipulus, &  
stetit erectus: conuersi autem manipuli vestri  
adorauerunt meum manipulum. Dixerūt au-  
tem illi fratres eius, Numquid regnando re-  
gnaturus es super nos, aut dominando domi-  
naturus es nobis? Et addiderunt adhuc odio  
habere eum propter somnia eius, & propter  
verba eius. Vidit autem aliud somnium, &  
narravit illud patri suo & fratribus suis, & di-  
xit, Ecce somniaui somnium alterum, sicut sol  
& luna & vndecim stellæ adorabant me. Et  
obiurgauit eum pater eius, dicens, Quid erit  
hoc visum quod somniaui? Numquid veniē-  
tes veniemus ego & mater tua & fratres tui,  
& adorabimus te super terram? Inuiderūt au-  
tem ei fratres eius: at pater eius seruauit ver-  
bum. Abierunt autē fratres eius pascere oues  
patris sui in Sychem. Et dixit Israel ad Ioseph,  
Non fratres tui pascūt in Sychem? veni, mittā  
te ad eos. Dixit autem ei, Ecce ego. Ait autem  
illi Israel, Vadens vide, si sani sunt fratres tui,  
& oues, & nuntia mihi. Et misit eum ex valle  
Chebron, & venit in Syché: & inuenit eū ho-  
mo errātem in agro. Interrogauit autem eum  
homo, Quid quaris? Ille autem dixit, Fratres  
meos quero; nuntia mihi vbi pascunt. Dixit  
autem ei homo, Reccesserūt hinc. audiui enim  
eos dicentes, Eamus in Dothaim. Et abiit Io-  
seph post fratres suos, & inuenit eos in Do-  
thaim. Præuiderunt autem eum de longè, an-

tequā appropiaret ipse ad illos, & insauiebant  
vt occiderent eum. Dixit autem vnusquisque  
ad fratrem suum, Ecce somniator ille venit,  
nunc ergo venite & occidamus eum, & proi-  
ciamus eum in vnum lacum, & dicemus, Be-  
stia mala deuorauit eum: & videbimus quid  
proderunt somnia illius. Audiens autem Ru-  
ben, abstulit eum de manibus eorum, & ait,  
Non percutiamus eum in animam. Dixit au-  
tem eis Ruben, Ne effundatis sanguinem:  
H  
eiicite autem eum in vnum lacum qui in so-  
litudine, manus autem nolite inferre illi. vt eri-  
peret eum de manibus eorum, & redderet eū  
patri suo. Factum est autem quando venit Io-  
seph ad fratres suos, exuerunt Ioseph tunicam  
variā quæ circa eum: & accipiētes eum pro-  
iecerunt in lacum. Lacus autem siccus erat, &  
aquam non habebat. Sederunt autem mādu-  
care panem: & respicientes oculis, viderunt,  
& ecce viatores Ismaelita veniebant ex Ga-  
I  
laad, & cameli eorum pleni erant aromatibus,  
& resina, & stacte. Ibant autem deducere in  
Ægyptum. Dixit autem Iudas ad fratres suos:  
Quid vile, si occiderimus fratrem nostrū, &  
absconderimus sanguinem eius? Venite, ven-  
damus eū Ismaelitis istis: at manus nostræ nō  
sint iniectæ super eum, quia frater & caro no-  
stra est. Obedierunt autē fratres eius. Et præte-  
ribant homines Madianitæ mercatores: & ex-  
traxerunt, & ascendere fecerunt Ioseph ex la-  
cu, & vendiderūt Ioseph Ismaelitis viginti au-  
reis: & deduxerunt Ioseph in Ægyptum. Re-  
uersus est autem Ruben ad lacum, & non in-  
uenit Ioseph in lacu: & rupit vestimenta sua,  
& reuersus est ad fratres suos, & ait, Puer non est  
in lacu, ego autem quò ibo adhuc? Accipiētes  
autem tunicam Ioseph, iugulauerunt hædum  
caprarū, & resperferunt tunicam variam, &  
attulerunt patri suo, & dixerunt, Hanc inueni-  
mus: nosce si tunica filij tui est, annon. Et co-  
gnouit eā, & ait, Tunica filij mei est, bestia ma-  
la deuorauit eū, bestia rapuit Ioseph. Scidit au-  
tē Iacob vestimēta sua, & imposuit ciliciū su-  
per lumbum suum, & lugebat filiū suum dies  
multos.

multos: Congregati sunt autē omnes filij eius  
& filia, & venerunt consolari eum: & non vo-  
luit cōsolationem accipere, dicens, Quod de-  
scendam ad filiū meum lugēs in infernum. Et  
fleuit eum pater eius. At Madianitæ vendide-  
runt Ioseph in Ægyptum Peteptri eunucho  
Pharaonis præposito coquorum.

Cur post tractatum de Abraham, Isaac, & Iacob, historiam  
de sancto Ioseph auctor prosequi curauerit: & qua ratio-  
ne idem sanctus nobis tamquam speculum castitatis pro-  
positus esse debeat, vnde etiam a parentibus plus quam ce-  
teri filij fuerit dilectus, quòdque ea res inuidia causa fuerit,  
cur etiam inuidiam sanctorum discere debeamus.

CAPVT I.



**S**ANCTORVM vita ceteris norma vi-  
uendi est. Ideoque digestam plenius  
accepimus seriem scripturarum, vt dū  
Abraham, Isaac, & Iacob, ceterosq; iu-  
stos legendo cognoscimus, vel quē-  
dam nobis innocentia tramitem virtute eorum re-  
feratū imitantibus vestigiis persequamur. De qui-  
bus mihi cū frequens tractatus fuerit, hodie san-  
cti Ioseph historia occurrit. In quo cū plurima fue-  
rint genera virtutum, præcipue tamen insigne efful-  
sit castimonia. Iustum est igitur vt cū in Abrahā  
didiceritis impigram fidei deuotionem: in Isaac sin-  
ceræ mentis puritatē, in Iacob singularem animi la-  
borūque patiētia: ex illa generalitate virtutum in  
ipias species disciplinarum intendatis animum. Nā  
licet illa sint diffusiora, tamen ista expressiora sunt:  
& quæ eo facilius mentem penetrent, quo magis  
circumscrip̄ta ac determinata sunt. Sit igitur nobis  
propòsitus sanctus Ioseph tamquam speculum cas-  
titalis. In eius enim moribus, in eius actibus lucet  
pudicitia, & quidam splendet castimoniae comes, ni-  
tor gratia. Vnde etiam a parentibus plus quam cæ-  
teri filij diligebatur. Sed ea res inuidia fuit: quod si-  
lento prætereundum non fuit. Hinc enim argumē-  
tum totius historiae processit: simul vt cognoscamus  
perfectum virum non moueri vlciscendi doloris in-  
uidia, nec malorum rependere vicem. Vnde & Da-  
uid ait, Si reddidi retribuentibus mihi mala: Quid  
autē esset quòd præferri Ioseph mereretur cæteris, si  
aut lædentes læsisset, aut diligentes dilexisset? Hoc  
enim plerique faciunt. Sed illud mirabile, si diliges  
inimicū tuum: quod Saluator docet. Iure ergo mirā-  
dus, qui hoc fecit ante Euangelium, vt læsus parce-  
ret, appetitus ignosceret, venditus nō referret iniu-  
riam, sed gratiam pro contumelia solueret: quod  
post Euangelium omnes didicimus, & seruare non  
possumus. Discamus ergo & sanctorum inuidiā, vt  
imitemur patientiam; & cognoscamus illos non na-  
turæ præstantioris fuisse, sed obseruationis: nec vitia  
nescisse, sed emendasse. Quòd si inuidia etiam san-  
ctos aduulit, quanto magis cauendum est ne inflam-  
met peccatores?

Isal. 7.

Matth. 5.

Qualis esse debeat affectus parentum, filiorūque gratia: &  
qua ratione Iacob reprehendendus non fuerit, quia ceteris  
hunc puerum præferbat, in quo & gratia diuina per vi-

sum somniorum refultat. quid præterea somnia ista, patri-  
que obiurgatio, in quo pietas paterna non errabat, signi-  
ficent. CAP. II.

**I**nstruimur igitur qualis esse debeat affectus parē-  
tum, filiorūque gratia. Amare liberos dulce; &  
impensus amare, prædulce: sed frequēter amor ipse  
patrius, nisi moderationem teneat, nocet liberis: si  
aut nimia indulgentia dilectū resoluat, aut prælatio  
vnus ceteros ab affectu germanitatis auertat. Plus  
acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc  
præclarior munificentia patrum, hæc ditior heredi-  
tas filiorum. Iungat liberos æqualis gratia, quos iū-  
xit æqualis natura. Lucrum pietas nescit pecuniæ,  
in quo pietatis dispendiū est. Quid miraris si pro-  
pter fundū aut domum oriuntur inter fratres iurgia,  
quādo propter tunicam inter Iacob sancti filios ex-  
arsit inuidia? Quid ergo? Reprehēdendus Iacob quia  
præferbat vnum ceteris? Sed nec libertatem possu-  
mus auferre parentibus, ne eos plus diligant, quos  
plus credunt mereri, nec filiis refecare debemus stu-  
diū plus placēdi. Deniq; & Iacob illū plus amabat,  
in quo maiora virtutū insignia præuidebat: vt nō tā  
filium pater prætulisse videatur, quā propheta my-  
steriū: meritūq; variam tunicam fecit ei, quò signifi-  
caret eum diuersarum virtutū amictū fratribus præ-  
ferendum. Denique in puero adhuc refultat diuina  
gratia. Siquidem somniauit, quòd cū alligasset, vt  
sibi videbatur per visum, manipulos cum fratribus  
suis, surrexerit manipulus eius, & stererit erectus: cō-  
uersi autem fratrum manipuli, adorauerunt manipu-  
lum suum. In quo vtique futura resurrectio Domini  
Iesu reuelata est, quem & in Galilæam cū vidisset  
vndecim adorauere discipuli, & omnes sancti cū  
resurrexerint adorabunt, fructus bonorum operum  
proferentes, sicut scriptum est, Venientes autem ve-  
nient cum exultatione, portantes manipulos suos.  
Vnde fratres, licet somnio fidem per inuidiam dero-  
gant, interpretationem tamē eius propriis sermo-  
nibus exprimentes responderunt ei, Nūquid regnando  
regnaturus es super nos, aut dominādo dominaturus es nobis?  
Regem enim venturum visio illa signabat, quem om-  
nis caro generis humani flexo adoraret genu. Vi-  
dit autem aliud somniū, & narravit illud patri suo &  
fratribus suis, eo quòd sol & luna & vndecim stellæ  
adorarent eum. Vnde obiurgauit illum pater eius, dicens,  
Quid erit hoc visum quod somniaui? Numquid venientes ve-  
niemus ego & mater tua & fratres tui, & adorabimus te su-  
per terrā? Quis est ille quem parentes & fratres adora-  
uerūt super terrā, nisi Christus Iesus, quando eū Ma-  
ria & Ioseph cum discipulis adorauerūt, Deum verū  
esse in illo corpore consistētes, de quo sole dictū est,  
Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ  
& lumen? Obiurgatio autem patris quid significat,  
nisi duritiam populi Israel? Ex quibus Christus fe-  
cundum carnem, quem hodiēque Deum esse non  
credunt, nec volunt adorare quasi Dominum, quia  
ex se natum esse cognoscunt. Audiunt itaque respō-  
sa eius, sed non intelligunt: legunt ipsi quòd eum sol  
& luna laudent, sed nolunt credere de Christo Iesu  
dictum esse. Itaq; Iacob typo fallitur alieno, sed suo  
amore nō fallitur. Pietas in eo paterna non errat, sed  
erratur a plebis affectus exprimitur.

Matth. 28.

Isal. 17.

Isal. 148.

Matth. 10.

Rom. 9.



Quod tanto somnio non incredulus fuerit Iacob patriarcha, qui future incarnationis mysteria videns, filium mittebat ad fratres: & de praeuisione ipsius Ioseph a fratribus antequam ad illos appropinquaret, eorumdemque ad occidendum ipsum consilio, eiusdem quoque liberatione ac venditione: & de istorum, aliorumque circa haec concurrentium mysterio. C.A.P. III.

Non ergo tanto somnio patriarcha non credit, qui utrumque pariter gemino prophetabat oraculo: ut & personam iusti representaret, & populi, quod Dei filius venturus esset in terras, qui & diligeretur a iustis, & negaretur a perfidis. Videbat igitur futurae incarnationis mysteria, qui filium mittebat ad fratres ut videret si rectum est fratribus & ouibus. Quas oues iam tunc in illo patriarchae studio requirebat, nisi eas de quibus ipse Dominus in Euangelio dixit, Non veni nisi ad oues perditas domus Israel: Et venit (inquit) in sychem, quod interpretatione dicitur humerus siue dorsum, hoc est, ad eos qui non conuerterentur ad Dominum, sed fugientes, se a facie eius auerterent, quod est proprium peccatoris. Exiit enim Cain a facie Dei. Et propheta dicit, Ponas eos dorsum, Iustus autem non se auertit a Domino, sed occurrit, dicens, Oculi mei semper ad Dominum. Et Esaias, dicente Domino, Quem mittam? sponte se obtulit, dicens, Ecce ego. Et Symeon expectauit ut videret Christum Domini: & posteaquam vidit, quoniam remissorem peccatorum, & totius mundi videbat redemptorem, quasi leuiatus a peccato, populo scit vltu carnis huius absolui, dicens, Nunc Domine dimitte seruum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei salutem tuam. Et Zachaeus hinc primum suae praerogatiuae commendationis inuenit, quod in arbore ut Christum videret, ascendit. Ergo Ioseph a patre missus est ad fratres, ab illo magis patre, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: ab illo patre, de quo scriptum est, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati. Et inuenit eum homo errantem in agro. Errabat Ioseph, quia fratres suos inuenire non poterat. Non immerito errabat, qui querebat errantes. Eos enim agnoscit Dominus, qui sunt ipsius. Denique & Iesus fatigatus ex itinere, sedebat supra puteum. Fatigabatur, quia non inueniebat Dei populum, quem querebat: exierat enim a facie Domini. Qui enim culpam sequitur, exit a Christo. Peccator exit, iustus intrat. Denique Adam se peccator abscondit, iustus autem dicit, Intret oratio mea in conspectu tuo. Inuenit autem Ioseph fratres suos in Dothaim, quod significat defectionem. Vbi est enim nisi in defectione qui Deum deserit? Nec mirum si deficiebant, qui non audiebant dicentem, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Venit igitur Ioseph in Dothaim, & praeuiderunt eum de longè venientem, antequam appropinquaret ad illos, & insauebant ut occiderent eum. Merito longè erant, qui erant in defectione: & ideo insauebant, quia non appropinquaret his Christus. Nam si appropinquaret his typus Christi, fratrem utique dilexissent. Sed propè esse non poterant, qui parricidium cogitabant. Ecce (inquiunt) somniator ille venit: nunc ergo venite, & occidamus eum. Nonne haec

verba dicebant qui de parricidali sacrilegio cogitabant? Sicut de ipsis Salomō ait, Tollamus iustum, quia inutilis est nobis. Et addiderunt, Et videbimus quid proderunt somnia illius. Hoc scriptum est de Ioseph, completum est in Christo, quando Iudaei in eius passione dicebant, Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deum, liberet nunc eum, si vult. Numquid & ipsi fratres tam impij, ut fratrem occiderent? Et vnde tantorum merita patriarcharum, ut grex totius plebis eorum vocabulis designaretur? Quomodo conueniunt pietatis nomina, & sceleris insignia? Sed etiam isti typo populi, non animi sui vitio laborabant. Ideo omnis inuidia, ideo parricidij meditatio: inuidia per figuram, pietas per affectum. Denique Ruben & Iudas germanitatis pia iura seruantes, de manibus caeterorum eum liberare cupiebant: meritoque Iudas paterna benedictione praefertur, cum ei dicitur, Adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda, & ipse erit expectatio gentium. Quod utique soli conuenit Christo, cui repositum fuit ut adoraretur a fratribus, & expectaretur a gentibus, lauaret in vino stolam suam proprii corporis passione, quia carnem suam nulla peccati labe maculauit. Aser quoque non utique sibi conuenire credebat. Aser pinguis panis eius, & ipse dabit escam principibus. Quid verò ipse Ioseph, cui dictum est, Filius meus ampliatu Ioseph, filius ampliatu meus: zelatus filius meus adolescentior, ad me reuertere? In quem consilia conferentes maledicebant, in quo benedictio praeualuit super benedictiones montium manentium, & desideria collium aeternorum. Quem significari intelligebat in Ioseph, nisi illum qui omnium merita supereminens, supra omnium desideria sanctorum immensa teneret apicem potestatis, quem voto nullus aequaret? Compensatur ergo in patriarchis inuidia per gratiam, qui & excusantur a culpa, & reuelationis munere consecrantur. Non enim tam culpabile est dixisse quae plebis sunt, quam beatum vidisse quae Christi sunt. Subierrunt personam peccatoris populi, ut acciperent gratiam Domini redemptoris. Certè culpam aboleuit gratia, gratiam culpa non minuit. Et ut cognoscamus omne hoc de populo & Domino Iesu mysterium esse: Venite (inquit) vendamus eum Ismaelitis. Quid interpretationis habet nomen Ioseph, nisi quod diuinam gratiam significet, & expressionem Dei summi? Quis igitur venditur, nisi ille qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam serui accipiens? Neque enim nos eum emissemus, nisi vendidissent sui. Malè vendiderunt, peius emerunt. Vendiderunt negotiatoribus boni odoris, emerunt a proditoribus. Vendidit eum Iudas, emerunt Ismaelitae, qui significantur Latina interpretatione, odio habentes Deum suum. Ideo alibi viginti, alibi viginti & quinque aureis, alibi triginta inuenimus emptum Ioseph: quia non omnibus vnus aestimatione pretij valet Christus. Aliis minus, aliis amplius. Fides ementis, incrementum est mercis. Religiosiori pretiosior est Deus: peccatori pretiosior est redemptor. Pluris & illi valet qui plus habet gratiae: sed etiam cui multa donata sunt, plura valet: quia cui plus remissum est, plus diligit, sicut ipse Dominus in Euangelio

gelio pronuntiauit de illa muliere quae super eius pedes effudit vnguentum, & lacrymis lauit, & capillis suis effudit, & oculis siccauit, de qua ait ad Simonem, Propter quod dico tibi, Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Interdum diuersitates pretij, non solum quantitatis habent, sed etiam numeri expressionem, sicut habes de vnguento quod ad sepeliendum se Dominus effusus esse memorauit, dicente Iuda, Potuit hoc venundari denariis trecentis. Quo numero non quantitas, sed significatio crucis videtur expressa. Ita hinc quoque diuersitas vel viginti vel triginta aureorum vel argenteorum, habet vel geminatae vel triplicatae perfectionis indicium. Nam viginti quinque aurei, Iubilaei, qui est remissionis numerus, significant pretiosissimam portionem. Hinc quoque (ut dominicae passionis figuram aduertat) ait Iudas patriarcha: Vendamus Ioseph Ismaelitis: at manus nostrae non sunt iniectae super eum. Et bene superius Ruben dixerat: Manus autem nolite inferre illi. Quod Iudaei in Domini passione dixerunt: Nobis non licet interficere quemquam. ut sermo Iesu impletur, significans qua morte moriturus esset. Iam tunc ergo crucis praefigurabatur insigne: simul & quod exutus est tunicam, id est, carnem quam assumpsit, decoram diuersitate virtutis. Ergo tunica eius, id est caro, non diuinitas cruentata est, & indumentum ei carnis, non immortalitatem vitae auferre potuerunt. Hanc tunicam Iudaicae bestiae cruentauerunt, illae de quibus dicit, Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Quod autem lacus siccus erat, quid mirum si Iudaeorum lacus aqua non haberet, qui dereliquerunt fontem aquae viuae, fecerunt sibi lacus contritos? Et ut scias verum hoc esse mysterium, ipse de se Dominus ait, Posuerunt me in laeu inferiori, in tenebris, & in vmbra mortis. Illi igitur emunt Christum, qui boni odoris deserunt thymiam, quo adolent altaria pie mentis. Vnde & Dauid Graecè hoc modo ait: Κατευθυνθητι προσευχη μου ως θυμίαμα. ενωπιον σου. Resinam quoque, qua marmora contracta lociantur. Est resina spiritalis quae fracturas animae tuae solidet, & diuisa connectat, & soluta constringat. Haec enim spiritalis resina corroborat, & quaedam comminuta animae membra componit, ut sine offensione lociantur. Denique Hieremias hanc quarit resinam, ut Babylonem curet sanare, si possit, dicens, Accipite resinam corruptioni eius, si quo modo sanabitur. Curauimus Babylonem, & sanata non est. Non est sanata synagoga, quia resina ista migravit ad Ecclesiam. Ideo ex Galaad veniebant negotiatores, hoc est, de possessione vel incolatu testimonij, merces suas ad Ecclesiam transferentes, ut gentium peccata resina ista curaret. De quibus dicitur, Conualescite manus d. i. c. u. s. s. & genua dissoluta. Fides sincera resina est. Hanc habebat Petrus cum diceret claudio, In nomine Iesu Nazareni surge & ambula. Meritoque surrexit, & ambulauit. Hanc habebat cum diceret paralytico: Aenea, sanete Dominus Iesus, surge & sterne tibi. Et surrexit, & strauit sibi. Hanc habebat cum diceret mortuae, Surge in nomine Domini Iesu. Et defuncta surrexit. Huius resinæ temperamento lapides illi de quibus potens est Dominus resuscitare filios Abrahæ, com-

paginantur. Huius resinæ medicamento claudus erigitur, paralyticus reformatur, mortua resuscitatur. Illud quoque quod haedi sanguine resperferunt tunicam eius, videtur significare, quoniam falsis testimonij appetentes, in inuidiam deduxere peccati omnium peccata donantem. Nobis agnus est, illis haedus. Nobis agnus Dei occisus est, quibus abstulit peccatum mundi: illis haedus, quorum accrebant errores, delicta cumulauit. Ideoque ait, Implete mensuram patrum vestrorum. Meritoque Iacob posteritatis suae deplorans dispendia, quasi pater filium sebat amissum, quasi propheta sebat interitum Iudaeorum. Denique scidit Iacob vestimenta sua: quod in passione Domini factum legimus a principe sacerdotum, in quo esset non priuata persona, sed publici munus officij. Et velum templi scisum est, & profanata mysteria, ut esse nudatum populum salutaribus indumentis, diuisum regnum talibus manifestaretur insignibus destruendum: quia omne regnum diuisum, facile destruetur. Et verè diuisum, quando hoc quod erat Christi, cepit esse etiam diaboli. Neque enim poterant diuisi manere, qui a patre filium separabant.

Genesis Cap. XXXIX.

Ioseph autem deductus est in Aegyptum, & emittit eum Petephres eunuchus Pharaonis, prepositus coquorum, vir Aegyptius, de manu Ismaelitarum qui deduxerunt eum illuc. Et fuit Dominus cum Ioseph, & fuit vir fortunatus: & fuit in domo apud dominum suum Aegyptium. Sciebat autem dominus eius, quod Dominus erat cum eo, & quaecumque faceret, Dominus prosperaret in manibus eius: & inuenit gratiam Ioseph coram domino suo. Placuit autem ei, & constituit eum super domum suam, & omnia quaecumque illi erant, dedit in manus Ioseph. Factum est autem postquam constitutus est ipse super domum eius, & super omnia quaecumque erant ei: & benedixit Dominus domum Aegyptij propter Ioseph, & facta est benedictio Domini in existentiis ei in domo, & in agro eius. Et commisit omnia quaecumque erant ei, in manus Ioseph: & non sciebat eorum quae apud se nihil, praeter panem quo vescabatur ipse. Et erat Ioseph speciosus facie, & decorus aspectu valde. Et factum est post verba haec, immisit oculos vxor domini eius in Ioseph, & dixit, Dormi mecum. Ille autem non voluit. Et dixit vxori domini sui, Si dominus meus non fecit propter me in domo sua, & omnia quaecumque sunt ei, dedit in manus meas, & non est in domo hac, neque excipit a me nihil praeter te, eo quod tu vxor eius es: & quomodo faciam verbum malum hoc, & peccabo coram Deo? Quando autem loquebatur Ioseph diem ex die, & non

Matth. 15.

Gen. 4. Psal. 20. Psal. 24. Esai. 6. Luc. 2.

Ibid.

Luc. 19.

Rom. 8.

Ibid.

2. Tim. 2. Ioan. 4.

Gen. 3. Psal. 87.

Matth. 11.

Sap. 2.

Matth. 27.

Matth. 14.

Genes. 49.

Leuit. 25.

Ibid.

Luc. 10.

Hierem. 2.

Psal. 87.

Psal. 140.

Philipp. 2.

Hierem. 51.

Esai. 35. Act. 3.

Act. 9.

Ibid.

Luc. 7.

Matth. 3.

Ioan. 1.

Matth. 23.

Matth. 26.

Matth. 27.

Luc. 11.

obediuit ei dormire cum ea, vt coiret cum ea. Facta est autem talis quaedam dies, & intrauit Ioseph in domū facere opera sua, & nemo erat in domo intus: & apprehendit eum vestimentis, dicens, Dormi mecum. Et relinquens vestimenta sua in manibus eius, fugit, & exiit foras. Et factum est vt vidit quod relinquens vestimenta sua in manibus eius, fugit, & egressus est foras, vocauit existentes in domo, & ait illis, dicens, Videte, introduxit nobis seruum Hebraeum illudere nobis: intrauit ad me, dicens, Dormiam tecum. & clamaui voce magna. Cum autem audiret ipse quod exaltaui vocem meam, & clamaui, relinquens vestimenta sua apud me, fugit, & exiit foras. Et reliquit vestimenta apud se, donec venit dominus in domum suam: & loquuta est ei secundum verba hæc, dicens, Ingressus est ad me seruus Hebraeus, quē introduxisti ad nos, illudere mihi, & dixit, Dormiam tecum. Vt autem audiuit quod exaltaui vocem meā, & clamaui, relinquens vestimenta sua apud me, fugit, & egressus est. Factum est autem vt audiuit dominus eius verba vxoris suæ, quæcūque loquuta est ad eum, dicens, Sic fecit mihi seruus tuus iratus est ira: & accipiens dominus Ioseph, iniecit eum in carcerem, & in lacū, in quo vineti regis detinentur in munitione. Et fuit Dominus cū Ioseph, & effudit ei misericordiā: & dedit ei gratiā coram principe carceris. Et dedit princeps carceris carcerem per manum Ioseph, & omnes adductos in carcere: & omnia quæcūq; faciunt illic, ipse erat faciēs. Nō erat princeps carceris ex carcere sciēs propter ipsum nihil. Omnia enim erant per manū Ioseph, eo quod Dominus cū illo erat: & quæcūque ipse faciebat, Dominus prosperebat in manibus eius.

*De venditi Ioseph ductione in Ægyptum, atq; eius emptione à præposito cocorum, quidque hoc significet: de seruitutis præterea ipsius mystica atque morali interpretatione.*  
CAP. IIII.

**I**oseph autem deductus est in Ægyptum, & emit eum, &c. Venditus est ergo Ioseph, & ductus in Ægyptum, emptus à præposito coquorum. Non otiosa persona, quæ cruda ciborum coqueret, vt epularentur animi fidei suauitate. Nullus enim cibus scientiæ & doctrina dulcior. Erat autē in Ægypto cruda perfidia, quam nullus diuinæ cognitionis ardor, & veræ scientiæ cupiditas nulla molliuerat, non eloquia Domini ignita decoxerant. Venditus est Ioseph in Ægypto, quia Christus venturus erat ad eos

*Isal. 118. Esai. 50.*

quibus dictum est, Peccatis vestris venditi estis. Et ideo suo sanguine redemit, quos propria peccata vendiderant. Sed venditus Christus conditionis susceptione, non culpæ, peccatq; pretio tenetur, quia peccatum ipse non fecit. Pretio igitur nostro, non suo, æra contraxit: chirographum sustulit, sceleratorē remouit, exiit debitorē: vnus exoluit quod ab omnibus debebatur. Nō licebat nobis exire seruitio. Suscepit hoc ille pro nobis, vt seruitutem mundi repelleret, libertatem paradisi restitueret, gratiam novam, consortij sui honore donaret. Hoc de mysterio. Caterum quod ad moralem pertinet locum, quia omnes vult saluos fieri Dominus Deus noster, dedit per Ioseph etiam iis qui sunt in seruitute, solatium, attribuit magisterium, vt discerent etiam in vltima conditione posse mores esse superiores: nec vllum statum immunē esse virtutis, si animus vniuersi cuiusque cognoscat carnem seruituti subditam esse, non mentem: multosque seruos esse dominis liberiores, si in seruitute positi à seruilibus putent operibus abstinendum. Seruile est omne peccatum, libera est innocentia. Vnde & Dominus ait, Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Quomodo enim nō seruus omnis auar, qui pro exiguo pecunia lucello seipsum auctionatur? Timet enim ne cōgesta amittat, qui non vtenda congeffit: maiore periculo seruaturus, quo maiora quæsiuit. Quomodo non mendicus, cui sunt parua quæ possidet? Nam et si mihi diues videatur, sibi eget: nec testimoniis sua vota solatur, qui quod optat, nescit credere. Quomodo autem nō & ille seruus, qui subditus est libidini? Primum suis ardet incendiis, & peccati sui facibus exurit. Quibus rectē dicit Propheta, Ambulate in lumine ignis vestri, & in flamma quam accendistis. Suscipit omnes metus, insidiatur somnis singulorū: vt vnus cupiditate potiat, sit seruus omnium. Seruit igitur, ac miseram quidem seruitutem, qui ipse sibi dominos facit, ipse vult habere quos timeat. Nihil enim tam speciale seruitutis est, quàm semper timere. Ille verō in quauis conditione seruitij semper liber, qui mundi amore nō capitur, auaritiæ vinculis non tenetur, metu criminis non alligatur: qui securus spectat præsentia, quem futura non terrent. Nōne videtur tibi iste in seruitute dominari, ille autem in libertate seruire? Seruiebat Ioseph, regnabat Pharaō: beatius huius seruitus, quàm regnum illius. Deniq; tota Ægyptus collapsa esset fame, nisi regnū suum consilio seruuli subdidisset. Habent igitur vnde gloriantur originales seruuli: seruiuit & Ioseph. Habent vnde se consolentur qui ex libertate in seruitutem aliqua necessitate venerunt. Habent quod imitentur, vt discant conditionem se mutare posse, non mores: esse & in vernulis libertatem, & in seruitute constantiam. Habent quod etiam domini per seruulos bonos sperent. Abraham filio per vernaculum inuenit vxorem. Benedixit Dominus domū Ægyptij propter Ioseph, & facta est benedictio Domini in toto cēsu eius, & in domo, & in agris. Et conuertit (inquit) omnia quæcumque illi erāt, in manus Ioseph. Aduertim quod ea quæ domini gubernare nō poterāt, seruuli gubernarūt. Sed quid de priuata domo dispositionis eius seruuli adstruā, qui rexit imperium? Plus tamen est, quod ipse antē se rexit.

*De*

*De singulari commendatione speciositatis & decoris, castitatis ac pudoris sancti Ioseph, eiusque impetitione à domina sua ad concubitum, & eiusdem adulteræ telis: ipsius quoque Ioseph recusatione, fuga, vestis relictione, accusatione, incarceratione, atque uisitatione diuina.*  
CAPVT V.

**E**rat Ioseph speciosus facie, & decorus aspectu valde. Cum esset Ioseph speciosus facie, & decorus aspectu valde, venustatem sui vultus ad alienam non deriuauit iniuriam, sed ad suam seruauit gratiam: hoc se pulchriorem ratus, si non dispendio castitatis, sed cultu pudoris speciosior probaretur. Illum esse verum decorem, qui non alienos oculos caperet, nec fragiles mentes vulneraret, sed iudicia acquireret vniuersorum; fraudi nulli futurus, laudi sibi. Iam si qua petulantibus aspexit oculis, illius crimen solius est quæ malè vidit, non huius qui malè se nollet videri: nec in eo quod visus est, culpa est. Non erat in potestate seruuli vt non videretur, maritus debuit cauere oculos vxoris. Sed quod ille nihil timebat de coniuge, arbitrabatur iste testimonium esse castimoniæ, non remissionem curæ. Discant tamen viri cauere etiam oculos feminarum. Adamantur enim & qui nolunt adamari. Denique adamatus est Ioseph, qui amantem contempserat. Et bene excusauit eum scriptura, dicens, Immisit oculos vxor domini eius in Ioseph: hoc est, non ipse se ostentauit, nec cepit incautam, sed illa retia sua misit, & indagine sui capta est. Laqueos suos sparsit, & suis hæsit vinculis. Dixit autem illi, Dormi mecum. Prima adulteræ oculorum tela sunt, secunda verborū. Sed qui non capitur oculis, potest verbis resistere. Suppetit defensio, vbi adhuc liber affectus est. Ideo scriptum est quia ille non voluit. Primum igitur congressione mentis superauit, tamquam scuto animi irruentē repellens: deinde sermonem tamquā hastā vibrauit, vt se illa reuocaret. Et dixit vxori domini sui. Rectē vxor domini, non ipsa domina dicitur, quæ non potuit extorquere quod voluit imperare. Nam quomodo domina, quæ dominandi non habebat affectum, quæ disciplinam dominæ non tenebat, quæ seruulis libidinis incentiua præstabat? Ille dominus, qui amantis non excepit faces: qui lenocinantis vincla non sensit: quem nulla mortis formido perterruit: qui maluit liber criminis mori, quàm potentia criminosa eligere confortium. Ille liber, qui turpe credidit vicem gratiæ non referre. Denique non vt meticulous excusat, nec tamquam periculi timidus cauet, sed tamquam beneficij herilis & innocentia suæ debitor fugit crimen ingrati peccatque labem, & culpæ contagium quasi iustus horrescit. Tertium spiculum adultera interpellandi assidue vibrabat, sed Ioseph non audiebat eam. Habes post prima verba quid caueas. Non solum lubrica, sed etiam procax, importuna, petulans est libido, nec habet quod vereatur adultera. Quæ dispendia pudoris prima non doluit, insidiatur vt capiat. Denique officij sui & commissi muneris ingressum gratia, remotis arbitris ac domesticis, apprehendit cum vestimentis, dicens, Dormi mecum. Excusatur Ioseph scripturæ testimonio, quia commissum à domino nequibat deserere obsequium. Non enim

fatis est quod securus sui domus interiora quasi qui capi non posset, ingressus est: iustus debuit præuideri ne furenti copiam daret, & eius illa peccato periret. Sed qui aduersari sibi domini sui videbat vxorem, neglecti officij etiam à domino cauere debebat offensionem: simul adhuc sermonis, non comprehensionis putabat audaciā. Excusatur quod ingressus est, prædicatur quod elapsus est. Et relinquens vestimenta sua in manibus eius, fugit. Nō pluris fecit vestimenta corporis, quàm animi castimoniam. Reliquit tamquam non sua, quæ adultera suis manibus detinebat: & aliena iudicauit, quæ tactu impudicæ potuerant comprehendi. Magnus quippe vir, qui venditus, seruile tamen nesciuit ingeniu: adamatus non redamauit, rogatus non acquieuit, comprehensus aufugit. Qui cum ab vxore domini conueniretur, teneri veste potuit, animo capi nō potuit: ac ne ipsa quidem verba diu passus est. Contagium enim iudicauit si diutius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiua transirent. Itaque vestem exuiis, crimen excussit, & relictis quibus tenebatur exuiis, spoliatus quidem, sed non nudus aufugit, qui erat tectior indumento pudoris. Non est enim nudus, nisi quem culpa nudauerit. Denique in superioribus habemus quod Adam posteaquam Dei mandatum præuaricatione deseruit, & peccati grauis æra contraxit, nudus erat. Vnde & ipse ait, Vocem tuam audiui in paradiso, & timui, quia nudus sum, & abscondi me. Intellexit enim se esse nudum, qui infulas diuinæ protectionis amiserat. Et ideo latebat, quia vestem fidei non habebat, quam vtique præuaricando deposuit. Magnā rem vides. Ille nudus erat, qui tunicam non amisit: iste nudus non erat, qui vestimentis se exuit, quæ in manibus adulteræ dereliquit. Eadem scriptura illum nudum asseruit, hūc abnuit. Et ideo iste expoliavit se potius quàm nudauit, qui incorrupta virtutum vestimenta seruabat, expolians se veterem hominem cum actibus suis, vt indueret nouum, qui secundum imaginem creatoris in agnitione renouatur. Ille autem nudus remāsit, qui se iterum vestire non potuit, singulari spolio virtutis exutus. Vnde pelliceam accepit tunicam, quia peccator habere non poterat spiritalem. Reliquit igitur vestimenta Ioseph, & nudauit adulteræ inuerecundiam, quæ postea latere non potuit. Denique exiit foras, & ipsa adulterij sui tentamenta vulgauit, exaltans vocem suam, eo quod relictis vestibus Hebraeus aufugerat. Ipsa igitur quod celare debuerat, prodebat, vt composito crimine læderet innocentem. Iustus autem accusare non nouit, ideo impunè hoc impudica faciebat. Illā igitur verè exutam dixerim, etiam aliena vestimenta seruantem, quæ omnia amiserat velamina castitatis: illum fatis ornatum, satis defensum, cuius vox non audiebatur, & innocentia loquebatur. Sic Susanna postea dum tacet in iudicio, melius locuta est oraculo: & ideo prophetæ meruit defensionem, quæ propria vocis non quæsiuit auxiliū. Illum ergo beatiorem dixerim cum in carcerem mitteretur, quia subibat pro castitate martyrium. Bonum enim munus pudicitia, sed minoris meriti cum periculum abest: vbi verò etiam salutis periculo defenditur, ibi plenius coronatur. Factum est autem vt audiuit dominus eius verba vxoris

*Lil. de parad. cap. 13.*

*Genes. 3.*

*Coleff. 3.*

*Genes. 3.*

*Daniel. 13.*

*S. Ambros. tom. I.*

vis sua, &c. accipiens Ioseph iniecit eum in carcerem. Inaudita causa, inexplorata fide veri, tamquam reus criminis in carcerem Ioseph mittitur: sed eum Dominus nec in carcere deserebat. Non turbentur innocentes cum falsis criminibus appetuntur, cum oppressa iustitia traduntur in carcerem. Visitat Deus & in carcere suos: & ideo ibi est plus auxilij, vbi est plus periculi. Sed quid mirum si visitat Deus in carcere positos, qui seipsum in suis in carcere inclusum esse memoravit, sicut habes scriptum, In carcere eram, & non venistis ad me? Quo non penetrat diuina misericordia? Inuenit Ioseph huiusmodi gratiam, vt qui fuerat clausus in carcere, ipse potius carceris claustra seruaret, cederet munere clauicularius, inclusos omnes in potestatem eius committeret. Itaque Ioseph non solum carcerem non sentiebat, sed etiam alios quoque carceris leuabat ærumna. Huius tamen iniuriæ auctor mulier est: sed mulier Ægyptiorum, quæ procaces cum viris solita miscere sermones, laceffere verecundos, refugiētes insequi, pudentes perurgere, cum vitia sua nō posset defendere, innoxios criminabatur, perfidiam miscens perfidia, aliena tenens, & alios ipsa condemnans, modum nullum ponēs furori. Quæ enim causa crudelitatis, nisi quod cupiditatibus suis obsisti videbat, & desideria sua verita assensione fraudari? En propter quod aperiatur carcer, vt suscipiat innocentes: soluantur catenæ reis, vt imponantur fidelibus: dimittantur veritatis adulteri, vt includatur qui fidei adulterium recusauit.

Genesis Cap. XL.

**F**ACTVM est autem post verba hæc, peccauit præpositus pincernarum regis Ægypti, & præpositus pistorum domino suo regi Ægypti. Et iratus est Pharaon super duobus spadonibus suis, super præposito pincernarum, & super præposito pistorum: & posuit eos in custodiam in carcere, in locum vbi Ioseph iacebat ibi. Et commendauit princeps carceris Ioseph ipsos, & adstitit eis. Fuerat autem dies in carcere, & viderunt ambo somnium in vna nocte vnum: quorum visiones in somnij eorum pincerna & pistor erant regi Ægypti existentes in carcere. Intrauit autem ad eos Ioseph mane, & vidit eos, & erant turbati. Et interrogauit eunuchos Pharaonis, qui erant cum eo, dicens, Quare facies vestræ tristes hodie? Illi autem dixerunt: Somnium vidimus, & interpres illius non est. Dixit autem eis Ioseph, Nōne per Deū interpretatio somnij est? Narrate ergo mihi. Et narrauit præpositus pincernarum somnium suum Ioseph, & ait illi sic: In somnio meo erat vitis in conspectu meo, in vite autem tres radices: & ipsa florens ferebat germina, maturos botryones

vuarum: & calix Pharaonis in manu mea. Et sumpsi vuam, & expressi eam in calice, & dedi calicē in manu Pharaonis. Et dixit illi Ioseph, Hæc interpretatio eius: Tres radices, tres dies sunt. Adhuc triduum, & memorabitur Pharaon principatus tui, & restituet te ad officiū tuum pristinum, & dabis calicē in manu Pharaonis secundum principatum tuum priorem, sicut eras eras vinum fundens. Sed memor esto mei per temetipsum, cum bene tibi fuerit, & facies in me misericordiam: & memor eris mei ad Pharaonē, & educes me de carcere isto: quia furto surreptus sum de terra Hebræorum, & hinc nihil mali feci, & miserunt me in lacum carceris huius. Et vidit princeps pistorum quod recte coniecit, & ait Ioseph, Et ego vidi somniū. Putabam tria canistra farinarum tollere super caput meum: in canistro autem superiore ab omnibus generibus quæ comedit Pharaon opere pistoris, & aues cæli comederūt illa à canistro capitis mei. Respondens autem Ioseph, ait illi, Hæc interpretatio eius: Tria canistra, tres dies sunt. Adhuc tribus diebus, & auferet Pharaon caput tuum à te, & suspendet te in ligno, & comedēt aues cæli carnes tuas à te. Factum est autem in die tertia, natiuitatis dies erat Pharaonis, & faciebat cōuiuuium omnibus seruis suis: & recordatus est præpositi pincernarum, & præpositi pistorum in medio seruorum suorum. Et restituit præpositum pincernarum in principatum suum, & dedit calicem in manu Pharaonis: at præpositum pistorum suspendit, sicut coniecit eis Ioseph. Et non recordatus est præpositus pincernarū Ioseph, sed oblitus est eius.

*De spadonibus agit, quā fragilis vilisque sit eorum status; de eorum carceratione, somniorum visione, & interpretatione. quod potentia & gloria huius seculi nihil aliud sit quā somnium. CAP. VI.*

**I**ratu est Pharaon super duobus spadonibus suis, super præposito pincernarum, & super præposito pistorum: & posuit eos in custodiam in carcere. De istis duobus spadonibus quid dicam? qui exemplo debent esse spadonibus cæteris, quod status eorum fragilis ac tenuis, & in voluntate regia spes omnis, quibus leuis offensa summum periculum sit, secundæ autem res vile ministerium. Gloriabatur alter quod esset vini præpositus, alter quod esset pistorum. Vterque offendit, misistque in carcerem, & commendati sancto Ioseph ab ipso carceris clauiculario, cum essent illic dies complures, viderunt somnium: & cum reuiseret eos Ioseph, tristes turbatosque animi offendit: quia turbabantur somnio, cuius interpretem nō inuenirent.

Nōne

**N**ōne per Deum, inquit, interpretatio somnij est? Narrate ergo mihi. Et narrauit præpositus pincernarum somnium suum Ioseph. Et ait illi sic. In somnio meo erat vitis in conspectu meo, in vite autem tres radices: & ipsa florens ferebat germina, maturos botryones vuarum: & calix Pharaonis in manu mea. Et sumpsi vuam, & expressi eam in calice, & dedi calicem in manu Pharaonis. Et dixit illi Ioseph, Hæc interpretatio eius: Tres radices, tres dies sunt. Adhuc triduum, & memorabitur Pharaon principatus tui, & restituet te ad officiū tuum pristinum, & dabis calicem in manu Pharaonis, secundum principatum tuum priorem, sicut eras vinum fundens. Sed memor esto mei per temetipsum, cum bene tibi fuerit, & facies in me misericordiam: & memor eris mei ad Pharaonem, & educes me de carcere isto: quia furto surreptus sum de terra Hebræorum, & hinc nihil mali feci, & miserunt me in lacum carceris huius. Alterius somnium nō libet dicere. Meministis certè verborum meorum, quod etiam tunc refugerim eius interpretationem in eo, cuius exitum refugio, mortem perhorresco. De isto prius dicamus, qui sibi beatus videbatur, cum esset vini præpositus: & hunc summum credebat apicem omnium potentiarum, quod regi calicem dabat. Hæc gloria illius, hæc magnificentia in hoc sæculo: hac defraudatus dolebat, huic redditus gratulabatur. Sed hoc somnium est, & omnis potentia seculi, somniū, non veritas est. Denique per somnium videt reddi sibi principatum suum. Esaias ita esse huiusmodi homines, qui in hoc sæculo delectantur secundis rebus: Sicut qui in somniis manducat & bibit videtur sibi cibo & potu, dum dormit, repleri; sed cum euigilauerit, incipit esurire amplius, & tunc intelligit quā inanis ille cibus & potus fuerit somniantis: sic qui dormit in hoc sæculo, nec oculos aperit ad mysteria diuina, quamdiu somno grauatur corporis, putat alicuius momenti esse hanc sæcularem potentiam: quasi in somnis eam videt: vbi euigilauerit, deprehendit quā inanis huius sæculi voluptas sit. Considera nunc illum verum Hebræum, illum non somnij, sed veritatis & præclaræ visionis interpretem, qui de diuinitatis illa plenitudine ac vbertate cælestis gratiæ in hunc corporeum carcerem venerat, quem non potuit sæculi huius illecebra mutare, non vlla corruptela mundanæ voluptatis euertere: qui tentatus non decidit, appetitus non appetiuit, postremò adulterina quadam synagogæ manu veste corporis apprehensus, carnem exiit, liber mortis ascendit. Calumniata est meretrix vbi eum tenere non potuit, quem carcer nō tenuit, non inferna tenuerunt: quin etiam quod veluti puniendus descenderat, inde alios liberauit: vbi ipsi stringebatur mortis vinculis, ibi laxauit ipse vincula mortuorum. Considera ergo istum Hebræum dicentem illi præposito spadonum, qui contraxerat offensam regiam, quæ restituerat muneri suo: Memor esto mei per temetipsum, cum bene tibi fuerit, & facies in me misericordiam, & memor eris mei. Ideo secundò repetiuit, Memor eris mei, quia sciebat non recordaturum quod euassisset iniuriam, cum potentiam recepisset. Ideo secundò admonuit, quia secundò liberauit, vt si prioris beneficii eū memoria non teneret, vel posterioris subiret, nō despiceret auctorem salutis suæ, nō perfida præuaricatione violaret. Sed, quod peius est, citò beneficii irrepit obliuio secundis rebus. In-

quit enim, Et non recordatus est præpositus pincernarum Ioseph: sed oblitus est eius. Redditus officio suo, nō est memor factus interpretis, sed oblitus est eum. Sed et si ille obliuisceretur, Christus non obliuisceretur, sed loquebatur ei, & per seruulum loquebatur, dicēs ad eum, Memor esto mei per temetipsum; hoc est, vel officij tui contemplatione quid audieris, recordare. Sed et si nunc oblitus es, memor eris mei, vt euadas periculum, qui oblitus es beneficium. Tamen clatus potentia non recordabatur. Et quanta hæc potentia, vbi vini ministerium? En vnde omnis instantia, quia erat spadonum præpositus, qui vinum poculis regis ministrabant.

Genesis Cap. XLI.

**F**ACTVM est autem post biennium, Pharaon vidit somnium. Existimabat se stare super flumen, & ecce quasi ex flumine ascendebant septem vaccæ pulchræ facie, & electæ carnibus: & pascebantur in Achi. Aliæ autem vaccæ septem ascendebant post ipsas de flumine, turpes facie, & graciles carnibus: & pascebantur apud illas vaccas apud labium fluminis. Et deuorauerunt septem vaccæ turpes & graciles carnibus, septem vaccas pulchras facie & electas. Excitatus est autem Pharaon, & somniauit secundò. Et ecce septem spicæ ascendebant in propagine vna electæ & pulchræ: & ecce septem spicæ tenues, & à vento corruptæ oriebantur post eas: & deuorabant septem spicæ tenues & à vento corruptæ, septem spicæ electas & plenas. Excitatus est autem Pharaon, & erat somnium. Factum est autem mane, & conturbata est anima eius: & mittens vocauit omnes expositores Ægypti, & omnes sapiētes eius; & narrauit eis Pharaon somnium suum, & non erat indicans illud Pharaoni. Et loquutus est præpositus pincernarum ad Pharaonem, dicens, Peccatū meum recordor hodie. Pharaon iratus fuit seruis suis, & posuit nos in custodia in domo præpositi coquorum, meque & præpositum pistorum: & vidimus somnium in nocte vna ego & ipse, vnusquisque secundum suum somnium vidimus. Erat autem ibi nobiscum iuuenis Hebræus seruus præpositi coquorum, & narrauimus ei, & interpretatus est nobis. Factum est autem, sicut coniecit nobis, sic & accidit; meque restitui ad principatum meum, illum autem suspendi. Mittens autem Pharaon, vocauit Ioseph: & eduxerunt eum ex carcere, & totonderunt eum, & mutauerunt vestimentum eius; & venit ad Pharaonem. Dixit autem Pharaon Ioseph, Somnium vidi,



& interpretis non est illius: ego autem audiui de te dicentes, audientem te somnia, coniectare ea. Respondens autem Ioseph, dixit Pharaoni, Sine Deo non respondetur salutare Pharaoni. Loquutus est autem Pharao Ioseph, dicens, In somnio meo putabam stare iuxta labium fluminis, & quasi ex flumine ascendebant septem vacca electa carnibus, & pulchrae facie: & pascebantur in Achi. Et ecce septem vacca alia ascendebant post eas ex flumine, mala & deformes aspectu, & graciles carnibus, quales non vidi tales in omni terra Aegypti turpiores. Et deuorauerunt septem vaccae graciles & turpes, septem vaccae primas pulchras & electas: & ingressae sunt in ventres earum, & non manifeste fuerunt, quod ingressae sunt in ventres earum: & aspectus earum deformes, sicut & prius. Suscitatus autem dormiui, & vidi rursus in somno meo, & quasi septem spicae ascendebat in propagine una plene & pulchrae: aliae autem spicae tenues, & a vento corruptae pullulabant, vicinae earum. Et deuorauerunt septem spicae tenues, & a vento corruptae, septem spicas pulchras & plenas. Dixi ergo expositioribus, & non fuit indicans mihi illud. Et dixit Ioseph Pharaoni, Somnium Pharaonis vnum est, & interpretatio huiusmodi est: quae cumque Deus faciet, ostendit Pharaoni. Septem vaccae bonae, septem anni sunt: & septem spicae bonae, septem anni sunt. Somnium Pharaonis vnum est. Et septem vaccae macrae quae ascendebant post illas, septem anni sunt: & septem spicae macrae, & a vento corruptae, septem anni sunt. Erunt septem anni famis. Verbum autem quod dixi, Quaecumque Deus faciet ostendit Pharaoni: Ecce septem anni venient ubertatis magnae in tota terra Aegypti. Venient autem septem anni famis post haec, & obliuiscuntur ubertatem in tota Aegypto: & consumet fames totam terram, & non cognoscetur ubertas terrae a fame futura post haec. Valida enim erit nimium. Quod autem iterauit somnium Pharaonis bis: quia verum erit verbum a Deo, & festinabit Deus facere illud. Nunc ergo considera hominem prudentem & sapientem, & constitue eum super terram Aegypti: & faciat Pharao, & constituat praepositos super terram, & quintent omnes fruges terrae Aegypti septem annorum abundantiae, & congregent omnes escas septem annorum venientium bonorum horum, & con-

gregetur frumentum sub manu Pharaonis: escas in ciuitatibus custodiantur, & erunt escas custoditae terrae in septem annos famis, qui erunt in terra Aegypti, & non conteretur terra in fame. Placuerunt autem verba coram Pharaone, & coram omnibus seruis eius. Et ait Pharao seruis suis, Numquid inuenimus hominem talem, qui habet spiritum Dei in se ipso? Ait autem Pharao Ioseph, Quia ostendit tibi Deus omnia haec, non est homo prudentior & sapientior te. Tu eris super domum meam, & in ore tuo obediet omnis populus meus: verum tamen throno superabo te ego. Dixit autem Pharao Ioseph, Ecce constituo te hodie super omnem terram Aegypti. Et accipiens Pharao anulum de manu sua, inseruit eum super manum Ioseph: & induit eum stola byssina, & circumposuit torquem auream circum collum eius: & fecit ascendere eum super currum secundum eius, & praedicauit ante eum praeco. Et constituit eum super omnem terram Aegypti. Dixit autem Pharao Ioseph, Ego Pharao, sine te non extollet quisquam manum suam in omni terra Aegypti. Et vocauit Pharao nomen Ioseph Psonthonphanech. Et dedit ei Aseneth filiam Petephris sacerdotis Heliopoleos ipsi uxorem. Ioseph autem erat annorum triginta, quando stetit coram Pharaone rege Aegypti. Egressus est autem Ioseph a facie Pharaonis, & pertransiit omnem terram Aegypti. Et fecit terra in septem annis abundantiae manipulos: & congregauit omnes cibos septem annorum, in quibus erat abundantia in terra Aegypti. Et posuit escas in ciuitatibus, escas agrorum ciuitatis, qui in circuitu eius, posuit in ipsa. Et congregauit Ioseph triticum quasi arenam maris multam valde, donec non potuit numerare, neque enim erat numerus. At Ioseph fuerunt filij duo antequam venirent septem anni famis, quos peperit ei Aseneth, filia Petephris sacerdotis Heliopoleos. Vocauit autem Ioseph nomen primogeniti Manasses, quia obliuisci me fecit Deus omnium dolorum meorum, & omnium qui patris mei. At nomen secundi vocauit Ephraim, quia auxit me Deus in terra humilitatis meae. Transierunt autem septem anni abundantiae, qui fuerunt in terra Aegypti: & inceperunt septem anni famis venire, sicut dixit Ioseph. Et facta est fames in omni terra: in omni autem terra Aegypti erant panes. Et

Et esuriuit omnis terra Aegypti. Clamauit autem populus ad Pharaonem pro panibus. Dixit autem Pharao omnibus Aegyptiis: Ite ad Ioseph, & quod dixerit vobis facite. Et fames erat super faciem omnis terrae. Aperuit autem Ioseph omnia horrea, & vendebat omnibus Aegyptiis. Et omnes regiones venerunt in Aegyptum ad Ioseph, emere. inualuit enim fames in omni terra.

*Reprehenditur spado, quod sui interpretis memor non fuerit: ministrorum regaliu fastus quam sit fragilis ostenditur. honoratur Ioseph ob somniorum regis interpretationem: eius praemia & ornamenta declarantur: coniugio copulatur, habet filios, congregat triticum pro tempore famis.*

## CAPVT VII.

**F**actum est autem post biennium, Pharao vidit somnium, &c. Mentior, de hoc nostri spadonis tempore, nisi & dies conueniat: quia post biennium recepit officium, nec recordatus est, sed admonitus. Cognouit enim quod etiam regnum ipsum in hoc saeculo esset somnium, qui suo somnio non credidit: didicit etiam regna esse somnia, nec ipsorum potestates esse perpetuas. Sed cito hunc locum praetercat dolor, ne ipsa commemoratione crudescat: ne ipsius quidem sermonis mei meminisse delectat, quem tunc temporis vel effuderit dolor, vel extorserit Ecclesiae contumelia. Admonitus ergo sui per somnium regis, ait, Peccatum meum recordor hodie. Sera quidem ista est, sed vtinam vera confessio. Post peccatum fateris, quod ante peccatum cauere debueras. Quam cito oblitus fueras, Memor esto mei. Scis nempe tunc temporis hunc fuisse sermonem: sed obtulas aures habebas fastu potentiae, & vini ebrius non audiebas verba sobrietatis. Vel nunc memento mei, qui peccatum sero fateris. Qui rogas seruulum Christi, cur Dominum negas? Inebriare iam non vino, sed Spiritu sancto. Recordare quid passus sis, cum quo dormisti somnum tuum, & somniaisti somnium. Et ipse praepositus erat, & praepositus epularum regis, quae ad opus pistorium pertinebant. Sublimem se esse credebat, quia in potestate habebat panem regium, nesciebat multos anfractus esse huius potentiae. Minabatur aliis, ipse mox supplicio dedendus extremo, nec audiuit eum, qui licet seruulus Domini, tamen loquebatur oraculum, quod ipsius iussu regis, de quo sibi plurimum blandiebatur, caput amissurus esset, esca aibus derelinquendus. Vel hoc te exemplum reuocare debebat vt perfidiae non crederes. Sunt & alia exempla de fastu & fragilitate ministrorum regaliu, quae posterioris temporis historia habet. Et Doeck praepositus erat, & praepositus regis animalium, adde si placet, mulorum, hoc est, spadonum animalium. Hic quoque sacerdotem Domini detulit, & fraude regem commouit in sacerdotis periculum, & hic Syrus erat. Num metior, quando & patria & facta conueniunt? Nam quocumque a cubiculo regis, & ipse praepositus, dum inuadere Ecclesias Domini improba temeritate contendit, populumque fidelem spoliare ac persequi,

Ephes. 5.

Genes. 40.

1. Reg. 21. &amp; 22.

Ephes. 7.

grauibus sacrilegia supplicii expendit. Sed reuertamur ad istum vini praepositum, qui quasi multo ebrius merito beneficij auctorem oblitus est diu: aliquando tamen, vt regi prouideret interpretem, non quasi gratus, sed quasi callidus intimaui seriem rei gestae. Quo cognito, rex quoque eum iussit accersiri, eductumque de carcere interrogauit si posset interpretari sibi somnium. Cuius explanatione delectatus, remouit iniuriam, honorem detulit. Itaque videte si non presentibus & ista conueniunt. Iniuria illata est prius quam cognosceretur a rege, gratia relata vbi regi est cognitus. Itaque rex vacat culpa, quia & id quod excepit vir sanctus iniuriae, alienum fuit: & id quod recepit gratiae, regis est proprium. Et dixit Ioseph Pharaoni: Somnium Pharaonis vnum est, & interpretatio huiusmodi est: quaecumque Deus faciet, ostendit Pharaoni. Septem vaccae bonae, septem anni sunt: & septem spicae bonae, septem anni sunt. Somnium Pharaonis vnum est. Et septem vaccae macrae, quae ascendebant post illas, septem anni sunt: & septem spicae macrae, & a vento corruptae, septem anni sunt. Erunt septem anni famis. Verbum autem quod dixi, Quaecumque Deus faciet, ostendit Pharaoni: Ecce septem anni venient ubertatis magnae in tota terra Aegypti. Venient autem septem anni famis post haec, & obliuiscuntur ubertatem in tota Aegypto: & consumet fames totam terram, & non cognoscetur ubertas terrae a fame futura post haec. Valida enim erit nimium. Quod autem iterauit somnium Pharaonis bis: quia verum erit verbum a Deo, & festinabit Deus facere illud. Vetus somnium, res recentes. Posterioribus priora consumpta sunt: & vbi erat ante ubertatis copia, ibi rerum omnium facta est indigentia. Quod si quis huiusmodi regi consilium dedisset, vt aliquid de superioribus ubertate posteriori principatus sui seruaret aetati, reliquo quoque temporali larga donandi affluentia redundasset. Sed immodica aui superioris effusio etiam posteriora destituit, & homines diripientes vniuersa, aliquem Ioseph ei adhibere nolabant. Et si non ego Ioseph, (quis enim istud?) clamabam tamen, vacas illas pingues non solum lasciuam, sed etiam incuriam diuinae significare reuerentiae. De perfidis enim dictum est, Tauri pingues obfederunt me. Et de Iudaeorum populo scriptum est, Impinguatus & incrassatus & dilatatus est, & dereliquit Deum factorem suum. Et ideo somnium illud redundantiae saecularis perpetuum esse non posse, sed fore tempus quo his fames dura succederet. Nec tamen hoc somnium vni aut duobus demonstratum arbitror, sed omnibus propositum, eo quod septem anni istius mundi qui pingues sunt, & saeculari ubertate opimi, absorbeantur ab illis saeculis quae futura sunt, in quibus perpetua quies & legis obseruantia spiritalis, quam Ephraim illa tribus patrum Deo fructuosa custodit. Bona vacca, non illa corporeo distenta vbera, sed abundans spiritalis lactis & gratiae, super cuius decorem ceruicis Deus sedere se dicit, vt scriptum est, Ephraim vacca docta diligere victoriam. Ego enim transiui super decorem ceruicis eius. Non ergo impinguet caput nostrum oleum peccatoris, nec falsi fructus delectare nos debent, ne dicatur & de nobis: Seminaistis impietatem, & iniquitates eius vindemiaistis. Manducaistis fructum falsum, quia sperastis in curribus tuis. Nec me mouet quod habet spicas macras & vento corruptas: quia & Da-

Psal. 21.

Deut. 32.

Gen. 48.

Osee 10.

Psalm. 140. Osee 10.

Psal. 38.  
Psal. 50.

uid tunc melior erat, quando sicut aranea tabescebat: & spiritus contribulatus sacrificium Deo est: & illi præstantiores euadunt, quos in hoc sæculo grauius iniuriis spiritus malignus exercuit. Vnde magis mystica meruisse præmia Ioseph arbitror, quia de mysticis est locutus. *Et accipiens Pharaon anulum de manu sua, inseruit eum super manum Ioseph: & induit eum stola byssina, &c.* Quid enim sibi vult anulus digito eius insertus, nisi vt intelligamus pontificatum ei fidei esse delatum, vt alios ipse signaret? Quid stola, quæ amictus est sapientiæ, nisi tributum ei ab illo rege cælesti prudentiæ principatum? Torques aureus intellectum bonum videtur exprimere. Curru quoque significat fastigium subline meritorum. Quis autem est qui ex gentibus accepit vxorem, nisi qui Ecclesiam ex nationibus sibi congregauit, & suscepit ex ea filium Manassen, per quem oblitus est omnium dolorum suorum quos habuit de sacrilegiis Iudæorum? Suscepit alium quoque filium Ephraim, per cuius profectum claruit, quod suscepta in carne humilitas & diuinitatem non humiliavit, & gloriam cumulauit. Denique quicumque famem patiebantur, ad Ioseph mittebantur. Qui sunt isti, nisi de quibus dictum est, Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes? Erat autem famem non vnius loci, sed totius terræ, quia non erat qui faceret bonitatem. Ideo Dominus Iesus ieiunia mundana miseratus, aperuit horrea sua, & mysteriorum celestium thesauros scientiæ sapientiæ que patefecit absconditos, vt nulli alimenta deessent. Dixit enim Sapientia, Venite, edite panes meos. Et ideo ab illo solo dicitur, Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, qui saturatur à Christo. Aperuit ergo horrea sua Christus & vendebat, non aera pecuniæ, sed fidei pretium, & deuotionis stipendium quærens. Vendebat autem non paucis in Iudæa, sed vendebat omnibus, vt ab vniuersis nationibus crederetur. *Et omnes regiones venerunt in Ægyptum ad Ioseph emere.* Obtinuerat enim eos famem. Omnes enim esuriant, quos non pauerit Christus. Emamus ergo alimenta, quibus famem possimus repellere. Nemo paupertatis suæ contemplatione reuocetur, nemo vereatur qui argentum non habet. Non quæritur Christus argento, sed fide, quæ argento pretiosior est. Denique emit eam Petrus, qui non habebat argentum. Argentum, inquit, & aurum non habeo, sed quod habeo do tibi: In nomine Iesu Christi surge & ambula. Et propheta Elaias dicit: Qui sititis, ite ad aquam: & quicumque non habetis argentum, ite, emite, & bibite, & manducate: emite sine argento & pretio vinum & adipem. Neque enim pretiū quæsiuit à nobis, qui pro nobis sanguinis sui pretium soluit: quia non auro & argento, sed pretioso nos redemit sanguine. Ergo id pretium debes quo redemptus es: etsi ille non semper exigit, tu tamen debes. Eme igitur tibi Christum, non eo quod pauci habent, sed eo quod omnes habent. Omnes habent per naturam, pauci offerunt per timorē. Suum est quod à te Christus reposcit. Ipse vitam omnibus dedit, ipse pro omnibus mortem suam obtulit. Solue pro auctore quod soluturus es lege. Non mediocris iste contractus est. Non omnes eum facile emunt. Denique illæ virgines in Euangelio quas veniens sponsus ex-

Philip. 2.  
Psal. 58.

Psalm. 13.

Coloss. 2.  
Prouer. 9.  
Psal. 22.

Act. 3.

Esai. 55.

1. Pet. 1.

Act. 17.  
Ephes. 5.

Matth. 25.

clusit, ideo foris relicta sunt, quia venale oleum non emerunt. Vnde dicitur eis: Ite potius ad vendentes, & emite vobis. Et negotiator non immeritò prædicatur, quia vendidit omnia sua, & emit margaritam.

Ibidem.  
Matth. 13.

Genesis Cap. XLII.

VIDENS autem Iacob quia est venditio tritici in Ægypto, dixit ad filios suos, Vt quid pigri estis? Ecce audiui quia frumentum est in Ægypto. descendite illò, & emite nobis escas, vt viuamus, & non moriamur. Descenderunt autem fratres Ioseph decem emere triticum in Ægypto. At Benjamin fratrem Ioseph non misit cum fratribus suis. Dixit enim, Ne fortè contingat eum infirmitas. Venerunt autem filij Israel in Ægyptum emere triticum cum venientibus: erat enim fames in terra Chanaan. Ioseph autem erat princeps terræ: hic vendebat omni populo terræ. Venientes autem fratres Ioseph, adorauerunt eum in faciem super terram. Videns autem Ioseph fratres suos, cognouit eos, & alienatus est in eis, & loquutus est eis dura, & ait illis, Vnde venistis? Illi autem dixerunt, De terra Chanaan emere escas. Cognouit autem Ioseph fratres suos, ipsi autem non cognouerunt eum. Et recordatus est Ioseph somniorum quæ vidit ipse, & ait illis, Exploratores estis, considerare vestigia regionis venistis. Illi autem dixerunt, Non domine, serui tui venimus emere escas. Omnes sumus filij vnius hominis: pacifici sumus, non sunt serui tui exploratores. Ait autem illis, Non, sed vestigia terræ venistis videre. Illi autem dixerunt, Duodecim sumus serui tui fratres in terra Chanaan: & ecce iunior cum patre nostro hodie, at alter non est. Ait autem illis Ioseph, Hoc est quod dixi vobis, dicens quod exploratores estis: in hoc manifesti estis. Per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, si non frater vester iunior venerit huc. Mittite ex vobis vnum, & accipite fratrem vestrum. Vos autem abducimini, donec manifesta fiant verba vestra, si dicitis verum, an non: si autem non, per salutem Pharaonis profectò exploratores estis. Et posuit eos in carcere dies tres. Ait autem illis die tertia, Hoc facite, & viuētis. etenim Deum ego timeo. Si pacifici estis, frater vester vnus detineatur in carcere: ipsi autem ite, & adducite emptionē frumentationis vestræ: & fratrem vestrum iuniorē ducite ad me, & credentur verba vestra:

stra: si autem non, moriemini. Fecerunt autem sic. Et aiunt vnusquisque ad fratrem suum, Certè, in peccatis enim sumus pro fratre nostro, quia despeximus tribulationem animæ eius, quando deprecabatur nos, & non exaudiuimus eum: & propter hoc venit super nos tribulatio hæc. Respondens autem Ruben, ait illis, Non loquutus sum vobis, dicens, Ne iniuria afficiatis puerulum, & non exaudistis me? Ecce sanguis eius exquiritur. Ipsi autem non sciebant quod audit Ioseph: nam interpretes inter eos erat. Auersus autem ab eis fleuit Ioseph. Et rursus accessit ad eos, & loquutus est illis. Et accepit Symeon ab eis, & ligauit eum coram illis. Præcepit autem Ioseph implere vasa eorum frumento, & reddere argentum vnique in saccum, & dare illis commeatum in viam. Et factum est illis sic. Et imponentes triticum super asinos suos, abierunt inde. Soluens autem vnus saccum suum vt daret pabula asinis suis vbi manserunt, & vidit ligaturam argenti sui, & erat super os sacci: & ait fratribus suis, Redditum est mihi argentum, & ecce hoc in sacco meo. Et obstupefactum est cor eorum, & turbati sunt adinuicem, dicentes, Quid hoc fecit Deus nobis? Venerunt autem ad Iacob patrem suum in terram Chanaan, & nuntiauerunt ei omnia quæ acciderant eis, dicentes, Loquutus est homo dominus terræ ad nos dura, & posuit nos in carcerem, quasi explorantes terram. Diximus autem illi, Pacifici sumus, non sumus exploratores: duodecim fratres sumus, filij patris nostri: vnus non est, at iunior cum patre nostro hodie est in terra Chanaan. Dixit autem nobis homo dominus terræ: In hoc sciam quod pacifici estis: fratrem vestrum vnum relinquire hinc mecum, at emptionem frumentationis domus vestræ accipientes abite, & adducite ad me & fratrem vestrum iuniorē: & sciam quod non exploratores estis, sed quod pacifici estis, & fratrem vestrum reddam vobis, & in terra negotiamini. Factum est autem cum euacuarent ipsi saccos suos, & erat vniuscuiusque ligatura argenti in sacco ipsorum. Et viderunt ligaturas argenti sui ipsi & pater eorum, & timuerunt. Ait autem illis Iacob pater eorum: Me sine filiis fecistis, Ioseph non est, Symeon non est, & Benjamin accipietis: super me facta sunt ista omnia. Ait autem Ruben patri suo, dicens, Duos

filios meos interfice, si non adduxero illum ad te. Da illum in manum meam, & ego adducam illum ad te. Ille autem dixit, Non descendet filius meus vobiscum, quia frater eius mortuus est, & ipse solus relictus est: & contingeret illum ægrotare in via qua ibitis, & deducetis meam senectutem cum tristitia ad inferos.

De exhortatione Iacob ad filios vt descendant in Ægyptum, & emant escas: & de perfectione decem fratrum, iunior domi retento: ac de mysteriis prædictorū. CAP. VIII.

ET Iacob dixit ad filios suos, Vt quid pigri estis? Ecce audiui quia frumentum est in Ægypto: descendite illò, & emite nobis escas. Non semel hoc Iacob dixit, quotidie omnibus filiis suis dicit, qui serius veniunt ad gratiam Christi: Vt quid pigri estis? Ecce audiui quia frumentum est in Ægypto. Ex hoc frumento granum est quod resurgit. Qui igitur famem sustinet, suæ segnitiei debet adscribere. Ecce audiui (inquit) quia frumentum est in Ægypto. Citius vti que iuniores quam seniores cōsuerunt audire, dum foris positi multa circumeunt. Sed hanc negotiationem prius senex audit, sed ille senex in quo est fidei longæua canities. Prior senex intelligit, sed ille senex in quo est venerabilis senectus, & ætas senectutis vita immaculata. Nec omnes hanc negotiationem suscipiunt, nisi filij Iacob, & ipsi prouectoris ætatis. Ideo decem pergunt, non pergit iunior. Non misit eum pater, ne contingat (inquit) eum infirmitas. Adhuc obnoxius erat infirmitati Benjamin iunior. Patriarcha quidem legitur Benjamin, & ex tribu Benjamin ille Paulus præfigurabatur. Meritò Iacob de eius infirmitate dubitabat, quia infirmatus est, sed vt sanaretur: cæcitate passus est, sed hæc infirmitas ad salutem. Denique illa cæcitas lucem attulit. Accepimus historiam, cognoscamus mysteria. Sine Benjamin patriarchæ primò perreuerunt: sine Paulo Apostoli. Vterque non primus aduenit, sed accessit à primis vberiore mercem priorum suo fecit aduentu. Est (inquit) frumentum in Ægypto: hoc est, vbi maior fames, ibi maior vbertas est. Magnum frumentum in Ægypto. Denique & Deus pater dicit, Ex Ægypto vocaui filium meum. Ex isto grano illa fecunditas. Neque enim messis esse potuisset, nisi Ægyptij granum antè seuisset. Est ergo frumentum quod nemo antè esse credebatur. In hoc frumento negotiantur patriarchæ. Et illi quidem argētum detulerunt, sed bonus Ioseph frumentum dedit, argētum reddidit. Non enim pecunia emitur Christus, sed gratia. Pretium tuum fides est. Hac emūtur diuina mysteria. Portat autem frumentum hoc asinus ille antè immundus in lege, sed iam mundus per gratiam. Tenebatur Benjamin iunior domi, & patrio adhuc adhærebat affectu. Tenebant eum legis vincula, mos paternus.

Genesis Cap. XLIII.

AT fames inualuit super terram. Factum est autē quando cōsummauerunt comedere triticum quod attulerunt ex Ægypto &

ait illis pater eorum: Iterum euntes emite nobis paucas escas. Ait autem illi Iudas, dicens, Testimonio testatus est nobis homo, dicens, Non videbitis faciem meam, si non frater vester iunior vobiscum fuerit. Siquidem igitur miseris fratrem nostrum nobiscum, descendemus, & ememus tibi escas: si autem non miseris fratrem nostrum nobiscum, non ibimus: etenim homo ait nobis, dicens, Non videbitis faciem meam, si non frater vester iunior vobiscum fuerit. Ait autem Israel, Quid malè fecistis mihi, annuntiantes homini quòd est vobis frater? Illi autem dixerunt, Interrogans interrogavit nos homo & generationem nostram, dicens, Si adhuc pater vester vivit, & si est vobis frater. Et indicavimus ei secundum interrogationem hanc, Numquid sciebamus quòd diceret nobis, Adducite fratrem vestrum? Dixit autem Iudas ad Israel patrè suum, Mitte puerum mecum, & surgentes ibimus, ut vivamus, & non moriamur & nos & tu & substantia nostra. Ego suscipio eum, de manu mea require illum: si non adduxero illum ad te, & statuerò eum coram te, peccans ero in te omnibus diebus. Si non tardavissimus, iam reversi fuissimus bis. Ait autem illis Israel pater eorum: Si sic est, hoc facite: accipite de fructibus terræ in vasis vestris, & deducite homini dona resinæ & mellis, incensum & guttam, ilicem & nuces: & argentum duplex accipite in manibus vestris, & argentum quod reductum est in facis vestris, reducite vobiscum, ne fortè ignorantia est: & fratrem vestrum accipite, & surgentes descendite ad hominem. At Deus meus det vobis gratiam coram homine, & remittat fratrem vestrum vnum, & Benjamin. Ego quidem sicut liberis orbatus sum, liberis orbatus sum. Accipientes autem viri dona ista, & argentum duplex acceperunt in manibus eorum, & Benjamin: & surgentes, descenderunt in Ægyptum, & steterunt coram Ioseph. Vidit autem Ioseph eos, & Benjamin fratrem suum ex eadem matre: & dixit ei qui super domum suam: Introduc homines in domum, & occide victimas, & para. Mecum enim comedent homines panes meridie. Fecit autem homo sicut dixit Ioseph: & introduxit homines in domum Ioseph. Videntes autem viri quòd introducti sunt in domum Ioseph, dixerunt, Propter argentum quod redditum est in facis nostris prius, nos introducimus,

ut calumnietur nos, & imponat nobis, ut accipiat nos in seruos, & asinos nostros. Accedentes autem ad hominem qui super domo Ioseph, loquuti sunt ei in porta domus, dicentes, Oramus domine, descendimus prius emere escas: factum est autem quando venimus ad manendum, & aperuimus saccos nostros, & hoc argètum vniuscuiusque in sacco eius: argentum nostrum ad pondus retulimus nunc in manibus nostris, & argentum aliud attulimus nobiscum emere escas. Non scimus quis iniecit argentum in saccos nostros. Ait autem illis, Propitius sit vobis Deus: nolite timere. Deus enim vester & Deus patrum vestrorum dedit vobis thesauros in sacculis vestris: at argentum vestrum probatum habeo. Et eduxit ad eos Symeon: & attulit aquam lavare pedes eorum, & dedit pabula asinis eorum. Parauerunt autem dona, donec intraret Ioseph meridie. Audierunt enim quòd illic debet prandere. Ingressus est autem Ioseph in domum, & intulerunt ei munera quæ habebant in manibus suis in domum, & adorauerunt eum in faciem super terram. Interrogavit autem eos, Quomodo habetis? Et ait, Sanus est pater vester senior, quem dixistis? adhuc vivit: Illi autem dixerunt, Sanus est pater noster, puer tuus, & adhuc vivit. Et ait, Benedictus homo ille Deo. Et inclinantes adorauerunt eum. Respiciens autem oculis suis, vidit Benjamin fratrem suum ex eadem matre, & ait, Hic frater vester est iunior, quem dixistis ad me adducere? Et ait, Deus misereatur tui, fili. Turbatus est autem Ioseph, torquebatur autem viscera eius super fratre suo, & quæsiuit flere. Ingressus autem in promptuarium ploravit, & lauit faciem suam, & egressus continuit se: & ait, Apponite panes. Et apposuerunt ei soli, & ipsis per se ipsos, & Ægyptiis simul vescētibus cum eo per se ipsos. Non enim poterant Ægyptij simul comedere cum Hebræis panes. abominatio enim est Ægyptiis. Discubuerunt autem coram eo, primitivus secundum ætatem suam, & iunior secundum iuventutem suam. Stupefacti sunt autem homines, vniuscuiusque ad fratrem situm. Tulerunt autem partes ab eo ad illos. Magnificata est autem pars Benjamin præter partes omnium quintupliciter ad eas quæ illorum. Biberunt autem, & inebriati sunt cum eo.

De reversione filiorum Iacob in Ægyptum postquam famas inualefcebat, cum deductione Benjamin, & sumptione numerum Ioseph deferendorum, eorumque ad ipsum perventione: & de mystica ratione gestorum & incidentium circa hac. CAP. IX.

Gen. 42.  
Gen. 49.

**A**T famas inualuit super terram, &c. Famis inualefcebat, quia serò veniebat. Intercedit pro eo duo, Ruben & Iudas, hoc est, humilitas atque confessio. His vadibus apud patrem vitur, his committitur, quorū vnus primitivus, alius resuscitatus. Lex primitiva, Euangelium resuscitatum. His deducitur Benjamin iunior, & bonis odoribus comitatus advenit portans secum resinam, qualapides marmorum connectuntur: eo quòd prædicatione propria tamquam spiritali resina viuos lapides etiā ipse connecteret: portans etiam mel, quo noxia vulneris interiorius exeduntur sine aliqua acerbitate sectionis. Talis enim Pauli prædicatione, ut putrem aboleret affectum, corruptumque euacuaret humorem, disputationis suæ aculeo, vrere magis ægra mentis viscera cupiens quàm secare. Incensum orationis, & casiam & guttam, sepultura insignia esse David propheta nos docuit, dicens, Myrrha & gutta & casia à vestimentis. Venit enim Paulus crucem Domini prædicare, ilicem semper virètem, & nuces quarum testa durior, & fructus tenerior: meritoque virga sacerdotalis Aaron nucina, & Hieremiæ baculus huiusmodi. Argentum quoque duplex, non otiosa munera esse quis dubitet: cum & patriarchæ vita, & Apostoli sermo semper virescat in pectoribus singulorum, & eloquium sanctorum sicut argentum igne examinatum, præcepti salubris fulgore resplendat. Nec immerito duplex argètum referunt, in quibus Pauli præfigurabatur aduentus, qui laborantes presbyteros in verbo atque doctrina, duplici honore donabat. Vidit autem illos Ioseph, & Benjamin fratrem suum ex eadem matre. Iam videntur Hebræi, & videntur à Christo, qui verus Ioseph est, quando cum Pauli veniunt typo: & loquitur illis mitia atque mansucta, ut pariter cibum sumant. Suprà autem quia sine Benjamin venerunt, agnoscebat quidem eos, sed ab his se auertebat, ut scriptum est: & loquebatur his dura, quia ipsi non agnoscebant eum, à quo agnoscebantur. Pauli igitur merito profecerunt, quem Dominus Iesus tamquam iuniorem fratrem ex eadem matre generatum amplius cæteris fratribus diligebat. Aduertant Iudæi quem Dominum negauerunt, qui etiam crucifixus, ex synagoga tamen tamquam ex eadem ortos parente plus diligit, si vel serò cognoscant suæ salutis auctorem. Sed priorum consilij delictorum non credunt tantam Christi esse misericordiam, ut donet peccatum, remittat iniuriam. Ideoque præfigurabantur in patriarchis quales essent futuri. Inuitabantur ad gratiam, ad salutaris mensæ vocabantur conuiuium, & calumniam sibi parari, insidias fieri suspicabantur, & cœperunt ad hominem qui erat supra domum, in ianua domus causam suam agere velle. Adhuc dubitant introire, & ex operibus suis malunt iustificari, qui causam suam volunt adstruere, quàm gratiam accipere: & ideo in portis redarguuntur. Qui autem fructum vteri virginalis expectat, & hæredi-

Psal. 44.

Num. 17.  
Hier. 1.

Psalm. 11.

1. Tim. 5.

Gen. 42.

Ioan. 19.  
Rom. 11.

Rom. 10.  
Mich. 5.

tatem Domini filij mercem negotiatur, non erubescit in porta, sed in exitu vitæ huius repellit inimicum, ne ad altiora properanti conscia culpæ grauioris obsistat. Vnde mysticè illis respondit maior domus. Et is qui fit, intellige, cum legeris Moysen fidelè in tota domo eius. Maiores enim domus, Moyses, Petrus, & Paulus, & cæteri sancti sunt; Christus autem solus est Dominus, sicut scriptum est, Quia Moyses fidelis in tota domo eius tamquam le mulus, in testimonium eorum quæ dicenda essent: Christus autem tamquam filius in domo sua, quæ domus nos sumus, si libertatem & gloriam spæi tenuerimus. Hic ergo maior domus respondit illis: Propitius sit vobis Deus: nolite timere. Deus enim vester & Deus patrum vestrorum dedit vobis thesauros in sacculis vestris: at argentum vestrum probatum habeo. Illi enim dixerunt, Argentum vniuscuiusque in sacculis nostris inuenimus: ad pondus argentum nostrum retulimus. O magna mysteria, & euidenter expressa! Hoc est dicere: Cur inflamini? cur argentum vos habere vestrum in sacculis sapius vsurpatis? Quid enim habetis quod non accepistis? Si autem accepistis, quid gloriamini quasi non acceperitis? Iam saturati estis, diuites facti estis, quia argentum habere vos creditis, sed argentum vobis Deus patrum vestrorum dedit. Ille Deus vester, ille patrum vestrorum Deus est, quem negastis. Sed ignoscit, sed indulget, sed recipit si reuertamini. Ipse est qui vestrum non quærit argentum, suum donat. Ipse vobis dedit argètum in sacculis vestris. Iam sacculi vestri argentum habent, qui lutum habebant: & ideo vester est qui dicit, Concidisti saccum meum, & induisti me lætitia. Lætitia munus est Christus, ipse est argentum vestrum. ipse pretium vestrum. Non exigit à vobis Dominus Iesus frumenti sui pretium, non quærit vestri pòdus argenti. Argentum vestrum reprobum est, argentum sacculi non est bonum. Argentum vestrum probatum habeo: hoc est, non illud materiale argentum, sed spiritale. Argentum vestrum habeo probatum, hoc est, quod fida deuotione quasi Iacob filij detulistis, quod sine damno datur, & sine dispendio numeratur: quandoquidem tali pretio detrimentum mortis excluditur, lucrum vitæ acquiritur.

Psal. 126.

Heb. 3.

Ibidem.

1. Cor. 4.

Act. 3.

Psal. 29.

Esai. 1.

De munerum paratione, & eorum illatione, in staurationeque conuiuij, cum morali atq; mystica singulorū expositione. CAP. X.

**P**Arauerunt autem dona, donec intraret Ioseph meridie. Acceleravit meridiem fides Pauli. Antè cæcus erat, postea cœpit videre lumen iustitiæ: quoniam qui reuelat ad Dominum viam suam, & sperat in eum, Dominus quoque educit tamquam lumen iustitiam eius, & iudicium eius sicut meridiem. Et Abrahæ quando Deus apparuit ad illicem Mambre, meridiem erat, cui de præsentia Domini lux æterna fulgebat. Meridies est quando Ioseph verus in domum suam intrat ut prandeat. Tunc enim plus dies lucet, quando sacramenta celebramus. Et intulerunt, inquit, ei munera. Nos munera inferimus, ille instaurat conuiuium. Ille dicit, Apponite panes, quos soli Hebræi sumunt, Ægyptij manducare non possunt. Sed ante conuiuium quanta

Act. 9.

Psal. 36.

Genes. 18.



dignatio, qui vsus istius & sedulitatis & gratiæ? Morale mysterium. Adhuc de calumnia quam sibi à Ioseph fieri putabant, fratres suspecti erant, ille inuitabat ad prandium: horum nutabat affectus, illius perseuerat gratia. Primus appellat, primus interrogat, *Quomodo habetis?* Et iterum ait, *Sanus est pater vester senior?* Superioris est inferiorem ad colloquium prouocare, dare sermonis fiduciam, quærere non solum de ipsis, sed etiam de parentibus. Respondent illi, *Sanus est pater noster, puer tuus.* Ille seniores dixit vt honoraret, illi puerum nominauerunt vt deserrent humilitatis obsequium: quod senectus honoratæ sit dignitatis; pueritia autem subiecta videatur, & propior verecundiæ quàm superbiæ. *Respicens autem oculis suis, vidit Benjamin fratrem suum ex eadem matre.* Morale est, vt quos diligimus, eos videamus præ cæteris: & quos animi intentio tenet, priores eos obtutus offendat oculorum. Siquidem plerumque circa alia mentis occupatione districti, quos habemus ante oculos, non videmus: ita duce animo dirigitur noster aspectus. Vidit igitur Benjamin fratrem suum sanctus Ioseph, quem tenebat animo, quem oculis requirebat: quo absente fratres pene non viderat: nec solum vidisse contentus, quasi nesciret interrogauit, *Hic frater vester est iunior?* Consuetudo & gratia charitatis est vt dilectos nobis non solum oculis, sed etiam sermone teneamus. Agnouerat Ioseph dilectum suum, sed ideo interrogabat, vt quem tenebat animo, vox sonaret. Denique non expectauit vt responderetur, sed continuo benedixit eum, & turbatus est desiderij sui fructu. *Torquebantur autem viscera eius,* quia complectendi eius quem desiderabat, libertas differebatur. Denique, *ingressus in promptuarium plorauit, & lauit faciem suam, & egressus continuit se.* Grandis amoris aculei citò corda compungunt, nisi desiderij fræna laxentur. Vincebatur affectu Ioseph, differebatur consilio, ratio cum amore certabat. Fleuit, vt amoris pij ætuis lacrymis temperaret. Hæc moraliter. Mystice autem: Vidit Dominus Iesus Paulum (oculi enim Domini super iustos) & dixit, *Hic frater vester est iunior?* Adhuc iunior dicitur, qui nondum maturam canæ fidei gerbat ætatem, nondum in virum perfectum excreuerat, in illam (sicut ipse ait) mensuram ætatis plenitudinis Christi. Denique adolescens legitur tantum ibi, vbi lapidantium Stephanum vestimenta seruabat. Et ideo Philemonem non adolescentiæ suæ, sed senectutis similem effecit, vt scripsit, Magis obsecro, cum sis talis vt Paulus senex. Ideo adolescentiores viduas prædicat declinandas, non propter ætatem, sed propter quandam pubescentium delictorum lasciuiam, immaturitatemque virtutis. Cæterum maior in iuvene quàm in senelaus castitatis est. Puto etiam quod à vero non sit alienum illud si intelligamus, quia cum hic Paulus hæreret, & horrore correptus, quod cæcitas accidisset ei, inciperet tamen appropinquare dicendo, Domine, quid me vis facere? Ideo adolescentior dicebatur à Christo, vt qui vocabatur ad gratiam, excusaretur à culpa, quod ea lubricæ fuisset ætatis. Denique vidit eum Christus, vbi lux circumfulsit eum. Et quia adolescentes ma-

Act. 9. Psal. 33.

Ephes. 4. Act. 7.

Philem. 1. Tim. 5.

Act. 9.

gis metu quàm ratione reuocantur à vitio: adhibuit stimulum, & miseratus admonuit ne aduersus stimulum calcitraret. Turbatus est autem, sicut habes in Euangelio, quia turbauit se spiritu cum Lazarum resuscitaret, & ibi fleuit, vt prius lacrymis suis mortui delicta lauaret. Sed intrò fleuit, & lauit faciem suam. Cæcitas Pauli, fletus est Christi. Lauit faciem suam, vbi lumen ei reparatur amissum. Lauit faciem suam Christus, vbi baptizatus est Paulus, per quem à pluribus videretur. Ideo in conuiuio pars eius quintupliciter maior effecta est, quod haberet superioribus anteferi non solum mentis prudentia, sed etiam militia corporis, & gratia castitatis. *Biberunt autem, & inebriati sunt pariter cum eo.* A principio fidei maior Paulo prærogatiua defertur, de quo dictum est ad Ananiam: *Vade, quoniam vas electionis est mihi, ad sufferendum nomen meum coram gentibus.* A principio inebriatur ebrietate, sed sobria, vt & ipse cum sanctis diceret, *Et poculum tuum inebrians, quàm præclarum est.*

Ibidem. Ioan. 11.

Act. 9.

Ibidem.

Psal. 22.

Genesis Cap. XLIII.

ET præcepit Ioseph ei qui super domum suam, dicens, Implete saccos hominum escis, quæcumque potuerint tollere, & iniicite vniuscuiusque argentum in ore sacci: & scyphum meum argenteum iniicite in saccum iunioris, & pretium tritici eius. Factum est autem secundum verbum Ioseph, sicut dixit. Mane illuxit, & homines missi sunt ipsi & asini eorum. Exeuntibus autem ipsis ciuitatem, non aberant longè, & Ioseph dixit ei qui super domum suam: Surgens persequere post homines, & comprehendes eos, & dices illis, Quare reddidistis mala pro bonis? quare furati estis meum scyphum argenteum? non hic est in quo bibit dominus meus? ipse autem augurio auguratur in eo: mala perfectistis quæ fecistis. Inueniens autem illos, dixit eis secundum verba hæc. Illi autem dixerunt ei, Quare loquitur dominus secundum verba hæc? Absit seruis tuis facere secundum verbum hoc. Siquidem argentum quod inuenimus in saccis nostris, reduximus ad te de terra Chanaan: quomodo furaremur de domo domini tui argentum aut aurum? Apud quem inuentus fuerit scyphus seruorum tuorum, moriatur: & nos autem erimus domino nostro serui. Ille autem dixit, Et nunc sicut dicitis, sic erit. Apud quem inuentus fuerit scyphus, erit meus seruus: vos autem eritis mundi. Et festinauerunt, & deposuerunt vnusquisque saccum suum super terram:

terram: & aperuit vnusquisque saccum suum. Scrutatus est autem à seniore incipiens, donec venit ad iuniorem: & inuenit scyphum in sacco Benjamin. Et sciderunt vestimenta sua, & imposuerunt vnusquisque saccum suum super asinum suum, & reuersi sunt retrò in ciuitatem. Ingressus est autem Iudas & fratres eius ad Ioseph, adhuc illo existente illic: & ceciderunt coram illo super terram. Dixit autem illis Ioseph, Quid rem hanc fecistis: non scitis quod augurio augurabitur homo qualis ego? Dixit autem Iudas, Quid respondeamus domino? aut quid loquemur, aut quid iustificabimur? At Deus inuenit iniquitatem seruorum tuorum: ecce sumus serui domino nostro & nos, & apud quem inuentus est scyphus. Dixit autem Ioseph, Ne mihi sit facere verbum istud, homo apud quem inuentus est scyphus, ille erit meus seruus: vos autem ascendite cum salute ad patrem vestrum. Appropinquans autem ei Iudas, dixit, Oro domine, loquatur seruus tuus verba coram te, & ne irascaris seruo tuo, quia tu es post Pharaonem domine. Tu interrogasti seruos tuos, dicens, Si habetis patrem aut fratrem. Et diximus domino, Est nobis pater senior, & puer senectutis iunior illi: & frater eius mortuus est, ipse autem solus relictus est matri suæ. at pater eum dilexit. Dixisti autem seruis tuis, Adducite eum ad me, & curam habebò illius. Et diximus domino meo, Non poterit puer relinquere patrem suum: si autem reliquerit patrem, morietur. Tu autem dixisti seruis tuis, Si non descenderit frater vester iunior vobiscum, non adiiicietis videre faciem meam. Factum est autem quando ascendimus ad seruum tuum patrem nostrum, nuntiauimus ei verba domini nostri. Dixit autem pater noster, Ite rursus, emite nobis paucas escas. Nos autem diximus, Non poterimus descendere: sed si quidem frater noster iunior descenderit nobiscum, descendemus: non enim poterimus videre faciem hominis, fratre nostro non existente nobiscum. Dixit autem seruus tuus pater noster ad nos: Vos scitis quia duos peperit mihi vxor. Et egressus est vnus à me, & dixistis quod à bestia deuoratus est: & non vidi eum vsque nunc. Si ergo tuleritis & hunc ex facie mea, & acciderit ei languor in via, deducetis meam senectutem cum mærore ad inferos. Nunc

ergo si intrauero ad seruum tuum, patrem autem nostrum, & puer non fuerit nobiscum: anima illius pendet ex anima huius: & erit cum viderit ipse non existentem puerum nobiscum, morietur: & deducet serui tui senectutem serui tui, patris autem nostri, cum tristitia ad inferos. Etenim seruus tuus suscipit puerum à patre meo, dicens, Si non adduxero illum ad te, peccans ero erga patrem omnibus diebus. Nunc ergo manebò tibi seruus pro puero, domesticus domini mei: at puer ascendat cum fratribus suis. Quomodo enim ascendam ad patrem, puero non existente nobiscum? vt non videam mala quæ inuenient patrem meum.

Ponitur scyphus argenteus in saccum Benjamin, inquisitus reperitur, ducuntur fratres ad Ioseph, & mysteria quadam explicantur. CAP. XL

Implete saccos hominum escis, quæcumque potuerint tollere, & iniicite vniuscuiusque argentum in ore sacci: & scyphum meum argenteum iniicite in saccum iunioris. Scyphus argenteus folius sacco Benjamin inseritur. Nesciebat hoc Benjamin. Non fallebatur Paulus, sed vocabatur. Mittitur post eum mane. Nox enim præcesserat cæcitatibus, dies fidei appropinquabat. Per ordinem singulorum prius inspicuntur sacculi. Docet te moralitatem scriptura diuina. Per ordinem antè discubuerunt in conuiuio coram eo, primitiuis secundum ætatem. Vides quod seniori locus ille sit deferendus. Per ordinem iterum requiruntur sacculi singulorum, vt scias electum Paulum cælesti iudicio. Discussit cæteros, hunc prætulit. In nullius alterius sacco scyphus argenteus inuentus est, nisi istius. Quid sibi vult quod insertus est sacculo? Ioseph quidem inebriauit vt falleret: scyphum misit, vt fratrem quem diligebat, pia fraude reuocaret. Sed resurgunt mysteria diuina. Hoc inuenit in nobis Christus argentum, quod ipse donauerat. Habemus naturæ argentum, habemus & gratiæ. Natura opus est creatoris, gratia munus est redemptoris. Et si non possumus videre dona Christi, ille tamen donat & operatur occultè, & donat omnibus: sed seruare paucorum est, & non amittere. Non omnibus tamen donat omnia. Triticum multis datur, scyphus vni, qui prophético & sacerdotali donatur munere. Non enim omnes, sed Propheta dicit, Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. In corpore igitur Pauli iam doctrinæ cælestis eloquium resfulgebat, cum esset eruditus in lege. Sed quia adhuc iustitiæ Dei subiectus non erat, intra saccum erat scyphus, doctrina intra legem, lucerna intra modium. Missus tamen Ananias qui benedictionem daret, manum imponeret, saccum solueret, sacco soluto reluxit argentum, & decidentibus squamis velut quibusdam sacci vinculis statim vidit. Vinculum eius perfidia erat, absolutio eius fides facta est. Et ideo tamquam soluto sacco, hoc

Rom. 15.

Gen. 43.

Psal. 115. Act. 22.

Act. 9.

2. Cor. 3.  
Ibidem.  
Exod. 3.

est, deposita legis velamine, quod positum est supra cor Iudaeorum, conuersus ad Dominum, liber a nexu, adeptus gratiam libertatis, ait, Nos itaque reuelata facie gloriam Dei speculantes, ad eandem imaginem reformamur. Soluta enim calceamento legis, nudo vestigio liberi sermonis Euangelium praedicabat. Tenebant enim eum Iudaei, & impedire cupiebant: sed ubi in eius sacco argentum resplenduit, sciderunt vestimenta sua, & reuersi sunt retrò. Libera ergo pro Christo Pauli praedicatio nudauit populum Iudaeorum, & omnem eorum rescidit gratiam. Ideoque retrò regressi sunt, qui ante se videre non poterant. Retrò redeunt, qui Christum amittunt. Denique & in Euangelio cum corripere ad mortem Dominum Iesum, redeuntes retrò ceciderunt in terram. Merito retrò reuertebantur, qui in terrenam labem ab illa caelesti gratia recidebant. Nolebant igitur moraliter redire sine fratre, mysticè sine Paulo reuerti: quo amisso afferebant in merorem deducendam parentis populi senectutem. Et ideo Iudas apud Ioseph remanere cupiebat, ne videret mala quae inuenirent patrem suum: hoc est, iam prauidebat & cauere cupiebat mala quae ventura erant populo Iudaeorum. Sed cum adhuc haec ipsa non esset in typo illo principum populi Iudaeorum libera praedicatio, fleuit Ioseph, hoc est, in illo plorauit Iesus.

Genesis Cap. XLV.

Et non potuit Ioseph tolerare omnes adstantes ei, sed dixit, Emitte omnes a me. Et non adstitit nullus Ioseph, quando notus factus est fratribus suis. Et emisit vocem cum fletu. Audierunt autem omnes Aegyptij, & audibile fuit in domum Pharaonis. Dixit autem Ioseph ad fratres suos: Ego sum Ioseph, adhuc pater meus uiuit? Et non poterant fratres eius respondere ei: turbati sunt enim. Dixit autem Ioseph ad fratres suos: Accedite ad me. Et accesserunt ad illum, & ait, Ego sum Ioseph frater vester, quem vos vendidistis in Aegyptum. Nunc ergo nolite mœsti esse, neque vobis durum videatur quoniam huc me vendidistis. Ad vitam enim vestram misit me Deus ante vos. Hic enim secundus annus fames super terram, & adhuc reliqui quinque anni, in quibus non erit aratio, neque messis. Misit enim me Deus ante vos, ut relinquerentur vobis reliquiae super terram, & enutrire vobis reliquias magnas. Nunc ergo non vos me misistis huc, sed Deus: & fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum totius domus eius, & principem totius terrae Aegypti. Festinantes igitur ascendite ad patrem meum, & dicite illi: Haec dicit filius tuus Ioseph: Fecit me Deus domi-

num totius terrae Aegypti: descende ergo ad me, & non moreris, & habitabis in terra Gessen: & eris prope me tu & filij tui, & filij filiorum tuorum, oues tuae, & boues tuae, & quaecumque tibi sunt: & pascam te ibi (adhuc enim quinque anni famis) ut non delearis tu & filij tui, & omnis substantia tua. Ecce oculi vestri vident, & oculi Benjamin fratris mei, quia os meum loquens ad vos. Nuntiate ergo patri meo omnem gloriam meam in Aegypto, & quaecumque vidistis: & festinantes deducite patrem meum huc. Et cadens super collum Benjamin fratris sui, fleuit super eum: & Benjamin fleuit super collum eius. Et osculatus omnes fratres suos, fleuit super eos: & post haec loquuti sunt fratres eius ad eum. Et diuulgata est vox in domo Pharaonis, dicentes, Venerunt fratres Ioseph. Et gauisus est Pharaon, & familia eius. Dixit autem Pharaon Ioseph, Dic fratribus tuis, hoc facite: Implete uehicularum vestra tritico, & abite in terram Chanaan: & assumentes patrem vestrum, & substantias vestras, venite ad me: & dabo vobis ex omnibus bonis Aegypti, & comedetis medullam terrae. Tu autem praecipe haec, accipere ipsos currus ex terra Aegypti filiis vestris, & vxoribus: & assumentes patrem vestrum, aduenite. Et ne parcatis oculis supellectilibus vestris: nam omnia bona Aegypti vobis erunt. Fecerunt autem sic filij Israel. Dedit autem Ioseph eis currus secundum dicta a Pharaone rege: & dedit illis cibaria in viam, & omnibus dedit duplices stolas. At Benjamin dedit trecentos aureos, & quinque mutatorias stolas: & patri suo misit secundum ipsa, & decem asinos ferentes de omnibus bonis Aegypti, & decem mulas ferentes panes patri suo in viam. Dimisit autem fratres suos, & abierunt. Et dixit illis, Nolite irasci in via. Et ascenderunt de Aegypto, & venerunt in terram Chanaan ad Iacob patrem suum: & nuntiauerunt illi, dicentes, Quia filius tuus Ioseph uiuit, & ipse est princeps totius terrae Aegypti. Et expauit mente Iacob, non enim credidit illis. Loquuti sunt autem ei omnia quae dicta sunt a Ioseph, quaecumque dixit illis. Videns autem currus quos misit Ioseph ut assumerent illum, reuixit spiritus Iacob patris eorum. Dixit autem Israel, Magnum mihi est, si adhuc filius meus Ioseph uiuit: ibo, & videbo eum priusquam moriar.

Quemadmodum

Quemadmodum sanctus Ioseph se manifestauerit ut a fratribus cognosceretur, & de aduocatione eorum ad se, accessuque ipsorum ad illum: quomodo etiam eos consolatus fuerit: cum mystica dætorum interpretatione.

CAPVT XII.

Et non potuit Ioseph tolerare omnes adstantes ei, sed dixit, Emitte omnes a me. Iussit Ioseph omnes recedere, ut cognosceretur a fratribus. Non venerat enim, sicut ipse ait, nisi ad oues quae perierunt domus Israel. Et mittens vocem cum fletu: Ego sum, inquit, Ioseph, adhuc pater meus uiuit? Hoc est, expandit manus suas ad populum non credentem & contradicentem: non legatum neque nuntium quaerens, sed ipse Dominus saluum facere volens populum suum: Ego qui loquebar, ecce adsum, inquit: & palam factus non quaerentibus me, appareo iis qui me non interrogabant. Quid igitur aliud tunc clamauit, nisi, Ego sum Iesus, cum Pilato diceret, Tu dicis quia rex sum; ego in hoc natus sum: cum principi sacerdotum dicenti, Adiuro te per Deum viuum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei, referret, Tu dixisti. Amen dico vobis, amodò videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis Dei, & venientem cum nubibus caeli? Hoc est ergo quod ait, Ego sum Ioseph, ego sum diuinæ potentiae. Adhuc pater meus uiuit? Hoc est, ego patrem non nego, ego fratres agnosco, si aut vos fratrem, aut pater filium recognoscat. Adhuc ergo populus meus viuut, de cuius populi familia fratrem mihi elegi? Accedite ad me, quia ego ad vos appropinquauit, & eousque appropinquauit, ut per carnis susceptionem facerem me vestra consortem naturam. Nolite vel participem fugere vestrae societatis, si non agnoscat auctorem salutis. Et accesserunt (inquit) ad illum, & dixit, Ego sum Ioseph frater vester, quem vos vendidistis in Aegyptum. Nunc ergo nolite mœsti esse, neque vobis durum videatur quoniam huc me vendidistis. Ad vitam enim vestram misit me Deus ante vos. Quam pia fraternitas, quam dulcis germanitas, ut etiam parricidale excusetur admissum, dicens diuinæ illud prouidentiae fuisse, non imperitatis humanæ: quandoquidem non ab hominibus oblatum ad mortem, sed a Domino missus sit ad vitam. Quid aliud habet illa Domini nostri Iesu Christi, qui fratres omnes pietate superauit, in cruce positi intercessio pro plebe, dicentis, Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt: Quid aliud illa appellatio sanctitatis in medio discipulorum, dicentis, Pax vobis, ego sum, nolite timere? Et cum conturbati & conterriti existimarent se spiritum videre, iterum dixit ad illos, Quid turbati estis? & quare cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte, ecce manus meas, & pedes meos, quia ego sum ipse. Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Haec ergo iam tunc futura posterioribus temporibus mysteria reuelata sunt. Denique ipsis exprimitur sermonibus, ut ipsum esse intelligamus & qui ante in Ioseph, & postea in suo locutus est corpore, quandoquidem nec verba mutauit. Ait enim tunc, Nolite mœsti esse. Et infra, Ascendite ad patrem meum, & dicite illi, Haec dicit filius tuus Ioseph: Fecit me Deus dominum totius terrae Aegypti. Et in Euangelio ait, Nolite timere. Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilaeam, & ibi me videbunt. Et S. Ambr. tom. 1.

Math. 15.  
Esa. 65.  
Esa. 63.  
Esa. 52.  
Esa. 65.  
Luc. 18.  
Math. 26.  
Philip. 2.  
Luc. 23.  
Luc. 24.  
Ibid.  
Math. 28.  
Ibid.

infrà ait, Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra. hoc est dicere, Diuinæ hoc fuit dispensationis ut acciperem potestatem, non acerbitatis humanæ. Non obiicit scelus, qui enumerat peccatum. Quod autem sequitur, Ad vitam enim vestram misit me Deus ante vos, est quod docet in Euangelio, dicens, Docet omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Haec enim merces & vita sanctorum, quod etiam alios redemerunt. Illud quoque aduertere, non otiosè scriptum: Et eris prope me tu, & filij tui, & filij filiorum tuorum. Hoc est enim quod dixit in Euangelio: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Quam euidentem quoque illud mysterium, quod veluti completo omni mandato fratrem suum complectitur Benjamin, & cecidit super collum eius, sicut completo Euangelio Christus Paulum amplectitur quibusdam misericordiae suae brachiis, & interna opinione curuatum, velut a collo in caelum erigit. Vnde & ille erectus a Christo, ait, Nostra autem conuersatio in caelis est.

De gaudio Pharaonis quod Ioseph agnouisset fratres suos, & de exhortatione eius ut Ioseph inuiter fratres ut veniant cum patre, illorumque executione, & peruenitione ad Iacob, narrationeque singulorum, & quod Ioseph adhuc uiueret: & de mysteriis circa haec.

CAP. XIII.

Et gauisus est Pharaon quod Ioseph agnouisset fratres suos. Vnde & diuulgata est vox in domo Pharaonis. Et hortatus est sancti Ioseph ut fratres suos inuiter, ut veniant cum patre: & mandat impleri eorum sarcinas tritico, & uehicularum dari. Vnde haec humanitas barbaro, nisi ut illud ostenderetur magnum mysterium, quoniam non inuidet Ecclesia cum redimuntur Iudaei, & populus Christianus hac adiunctione laxatur, & quibus potest subsidij iuuat, & mittit euangelizantes regnum Dei, quod maturius euocentur? Quibus dantur binæ stolae. Et alligat Paulum, cum eius dicta depromit, cui trecenti aurei & quinque stolae diuersi coloris conferuntur a Christo. Trecentos aureos habet qui crucem praedicat Christi. Ideoque ait, Neque enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Et bene aureos accepit, quia non in sua foris humanæ sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus praedicabat. Quinq; autem stolas accepit, vel sapientie multiplices disciplinas, vel quod nullis sensuum corporalium captus illecebris, ubi alij periculum, ille teneret victoriam, qui omnes voluptates carnis singulari continentia & virtute superaret, cuius ingenium studiumque nulla corporis hebetaret infirmitas, qui cum esset in corpore, corpus se habere nesciret. Denique raptus in paradysum, siue in corpore siue extra corpus nesciens, audiuit verba ineffabilia, quae loqui homini non liceret, qui postremum nihil terrenum oleret in terris, sicut ipse docet, dicens, Quia Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salui sunt. Praecellit igitur Paulus, & eius exuberat portio, sed tamen habent & alij praedicatores gratiam suam, binas stolas accipiunt. Quas utique? Dubitare non debes, quia legisti de sapientia dictum, Binās vestes fecit viro suo. Vna est mystica, moralis altera. Sed non omnes Apostoli, non omnes prophetae, non omnes pastores, non omnes virtutes, non omnes habent

Ibid.  
Ibid.  
Ibid.  
Act. 9.  
Philip. 3.  
I. Cor. 2.  
Ibid.  
I. Cor. 2.  
I. Cor. 12.  
I. Cor. 12.  
I. Cor. 12.  
Ibid.

gratiam curationum, non omnes linguis loquuntur. Vbi diuersa merita, diuersa & præmia. Mittuntur & patri munera. Filius honorat patrem. Christus populum suum inuitat promissis, inuitat muneribus. Portant hæc munera afini illi inutiles & laboriosi antè, nunc vtilis: portant in typo Christi munera, portaturi in Euangelio munerum largitorem. *Dimisit autem fratres suos, & abierunt. Et dixit illis Ioseph, Nolite irasci in via. Quam bene docet ab iracundia præcauendum, quod ea posset etiam amantes sui separare germanos: & maxime in via fugiendam esse discordiam, vbi ipse viandi comitatus debet esse inuolabilis, & gratiæ habere consortium. Quid autem aliud ait Dominus Iesus ex hoc corpore recessurus, cum discipulos dimitteret suos, nisi ne irascerentur in via, dicens, Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis? Vbi enim pax est, iracundia locum non habet, ablegatur discordia, fugatur dissensio. Hoc est ergo quod ait, Pacem meam do vobis, id est, Nolite irasci in via. Et vide ne in hac via dicat, hoc est, in hoc cursu totius vitæ indignationem cauendam, quod ira sæpe etiam innocentes in crimen abducatur: quia dum iusto amplius irascimur, & volumus alienum coercere peccatum, grauiora peccata committimus. Ideo Apostolus ait, Nō vos ipsos vindicantes charissimi, sed date locum iræ, hoc est, declinemus eam, ne nos illa corripiat. Vnde Dominus Iesus dimittens ad euangelizandum discipulos, misit eos sine auro, sine argento, sine pecunia, sine virga, id est, vt & incentiua litis, & instrumenta eriperet vltionis. Et ascendunt (inquit) de Aegypto, & venerunt in terram Chanaan ad Iacob patrem suum, & nuntiauerunt illi dicentes, Quia Ioseph filius tuus vivit, & ipse est princeps totius terræ Aegypti. Quid est terra Chanaan? Quæ nuntabat. Quid igitur tam euidentem, quam Apostolorum tempora designari? Qui ingressi Iudæorum synagogas nutantes, Domini Iesu potentiam prædicabant, sicut habemus in Actis Apostolorum, dicente Petro, Hunc ergo Iesum resuscitauit Deus, cuius nos testes sumus? Dextera igitur Dei exaltatus, repromissione Spiritus sancti accepta à patre, effudit hoc donum quod vos videtis. Aduertimus certè quomodo & viuere eum, & terræ totius principè dicat, qui aperiens horrea sua spiritalis gratiæ donat omnibus vbertatè. Hæc dicebant Apostoli, sed Iudæi non credebant, sed iniiciebant manus in eos, sed tradebant in custodiã prædicatores salutis. Vnde & de Iacob scriptū est, *Expauit mente*. non enim credebatur eis. Expauit affectu plebis incredulæ, sed postea quã Christi gesta cognouit, tantis beneficiis & operibus delinitus resumpsit spiritum, dicens, *Magnum mihi est, si adhuc filius meus Ioseph vivit: ibo, & videbo eum priusquam moriar.* Primum & maximum fidei fundamentum, in resurrectionem Christi credere. Quicūque enim crediderit resuscitatum, festinus requirit, deuotus accedit, & intima Deum mente veneratur. Credit enim quod ipse non moriatur, si credat in resurrectionis auctorem.*

Genesis Cap. XLVI.

ET cleuans se Israel & omnia sua, venit ad puteum Iuramenti: immolauitq; hostiam

Matth. 21.  
Ioh. 14.  
11. q. 3. c. ira sepe.  
Rom. 12.  
Matth. 10.  
Act. 2.  
Act. 5.  
Ioh. 11.

Deo patris sui Isaac. Dixit autem Deus ad Israel in visu nocte, dicens, Iacob, Iacob. Ille autem dixit, Quid est? Et Dominus ait, Ego sum Deus patrum tuorum: noli timere descendere in Aegyptum: in gentem enim magnam faciam te ibi, & ego descendam tecum in Aegyptum, & ego reducam te in finem: & Ioseph mittet manus suas super oculos tuos. Surrexit autem Iacob à puteo Iuramenti: & tulerunt filij Israel Iacob patrem suum, & supellectilè, & vxores suas super currus quos misit Ioseph tollere ipsum, & tulerunt substantias eorum, & omnem possessionem quam possederunt in terra Chanaan: & ingressi sunt in Aegyptum, Iacob, & omne semen eius cum eo, filij, & filij filiorum suorum, cum eo filia, & filia filiarum suarum: & omne semen eius duxit in Aegyptum. Hæc autem nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Aegyptum cū Iacob patre eorum. Iacob & filij eius. Primo-genitus Iacob, Ruben. Filij autem Ruben, Enoch, & Phallu, Afron, & Charmi. Filij autem Symeon, Iemuel, & Iamin, & Aod, & Achin, & Saar, & Saul filius Chananitidis. Filij autem Leui, Gerson, & Caath, & Merari. Filij autem Iuda, Her, & Aunan, & Selō, & Phares, & Zaranā. Mortuus est autē Her & Aunā in terra Chanaan. Fuerunt autem filij Phares, Esron, & Iemul. Filij autē Issachar, Thola, & Phua, & Asum, & Sābram. Filij autem Zabulon, Sered, & Allon, & Achoel. hi filij Lia, quos peperit Iacob in Mesopotamia Syria: & Dinam filiam eius. Omnes animæ filij & filia, trigintatres. Filij autē Gad, Saphon, & Aggis, & Saunis, & Thasobā, & Aedis, & Aroedis, & Aroclis. Filij autē Aser, Iēna, & Essua, & Ieul, & Baria, & Sara soror eorū. Filij autē Baria, Chobor, & Melchiel. hi filij Zelphæ, quã dedit Labā Lia filia suæ, quæ peperit hos Iacob, decem & sex animas. Filij autem Rachel vxoris Iacob, Ioseph & Benjamin. Fuerunt autē filij Ioseph in terra Aegypti, quos peperit ei Afeneth filia Petephri sacerdotis Heliopoleos, Manasse, & Ephraim. Fuerunt autē filij Manasse, quos peperit ei concubina Syra, Machir. Machir autem genuit Galaad. Filij autē Ephraim fratris Manasse, Sutalaā, & Taam. Filij autē Sutalaā, Edē. Filij autem Bēiamin, Bala, Bohor, & Asbi, Gera, & Noemā, & Anchis, Ros, & Mamphin, & Ophimin. Gera autē genuit Arad. hi filij Rachel, quos peperit Iacob, omnes animæ decē

& octo. Filij autē Dā, Aso. Et filij Nephtholim, A Asiel, & Gunis, & Issaar, & Sellem. hi filij Balæ, quã dedit Laban Rachel filia suæ, quæ peperit hos Iacob, omnes animæ septem. Omnes autem animæ quæ ingressæ sunt cum Iacob in Aegyptum, quæ egressæ sunt de femoribus eius, absque vxoribus filiorum Iacob, omnes animæ sexaginta sex. Filij autem Ioseph qui fuerunt ei in Aegypto, animæ nouem. Omnes animæ domus Iacob quæ ingressæ sunt in Aegyptum, septuaginta quinque. At Iudam misit ante se ad Ioseph, vt occurreret illi ad Heroum ciuitatem, in terram Ramesse. Iungens autē Ioseph currus suos, ascendit in occursum Israel patri suo ad Heroum ciuitatem. Et visus ei, cecidit super collum eius, & fleuit fletu multo. Et ait Israel ad Ioseph, Moriar ex nunc, quia vidi faciem tuam. adhuc enim tu uiuis. Dixit autē Ioseph ad fratres suos, Ascēdens nuntiabo Pharaoni, & dicam illi, Fratres mei, & domus patris mei qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me: at viri sunt pastores (viri enim pecoris nutritores sunt) & pecora, & boues, & omnem substantiam suam adduxerunt. Si ergo vocauerit vos Pharaon, & dixerit, Quod opus vestrū est? dicetis, Viri pecorū nutritores sumus serui tui ab infantia vsque nunc, & nos, & patres nostri: vt habitetis in terra Gessen Arabia. Abominatio enim Aegyptiis omnis pastor ouium.

*De Israel patris eleuatione, ac profectioe, & hostiarum circa puteum Iuramenti immolatione, eiusque per Dominū consolatione, ac descensu in Aegyptum cū animabus septuaginta quinque, & de mysterijs predictorum, de ipsius denique Iacob ad filios adhortatione vt congregentur ad audiendum ea quæ occurrera sint eis in nouissimis diebus.*  
CAP. XIII.

ET cleuans se Israel & omnia sua, venit ad puteum Iuramenti, immolauitque hostiam Deo patris sui Isaac. Merito eleuatur qui festinat ad Christum. Fides præcedit deuotionē. Prius se eleuauit, postea immolauit. Ille enim bene immolat, qui cognitionem diuinitatis inuestigauerit. Dixit autem Deus ad Israel in visu nocte, dicens, Iacob, Iacob. Ille autem dixit, Quid est? Et Dominus ait, Ego sum Deus patrum tuorum. noli timere descendere in Aegyptum: in gentem enim magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum in Aegyptum, & ego reducam te in finem.

Quemadmodum quæ ipsi legunt, non intelligunt: & Moysen quem laudant abnegant, cum eius scripturis credere nolunt. Quid euidentius quàm quod hoc loco inuitantur vt ad Ecclesiam Dei transeant, & qui antè intra Iudææ terminos coartabantur. angustos, ad populum Dei migrent, qui ex toto orbe, ex omnibus nationibus congregatus in magnam factus est gentem? Denique in omnē terram exiuit Ionus eorum. Vocatur ergo à filiis suis Iacob, id est à Petro, Paulo, Ioanne, populus Iudæorum, inuitatur ad gratiam. Ipse quoque Deus noster proprio eum hortatur oraculo, spondet ei profectum fidei muneris sui fructum, dicens ei, *Ioseph immittet manus suas super oculos tuos.* Nō utique sanctus patriarcha sollicitus erat à quo ei oculi clauderentur, licet etiam intellectu simplici moralis exprimat affectus. Nam si eos quos diligimus, cupimus frequenter amplecti, quanto magis recessuri ex hoc corpore, ipso carorum pignorum tactu delectamur extremo, & hoc mulcemur viatico? Tamen mysticè licet nobis intelligere quod postea cogniturus Deum sit populus Iudæorum. Hoc est enim mysterium, quod verus Ioseph immittet manus super oculos eius, vt qui non videbat antè, iam videat. Veni ad Euangelium, lege quemadmodum cæcus ille sanatus sit, cui Iesus manum imposuit, & eius abstulit cecitatem. Non enim moriturus Christus manum imponit, sed victuris: aut si moriturus, rectè, quia prius morimur, vt reuiuiscamus. Nō enim possumus Deo viuere, nisi peccato antè moriamur. Descēdūt igitur in Aegyptū septuaginta quinque animæ, sicut scriptum est. Et hoc mysticæ numero remissionis, quia post tantam duritiã, post tanta peccata haberentur indigni, nisi donaretur his remissio peccatorum. Occurrit illi Iudas, hoc est, cōfessio erroris. Hunc sui venturus Iudæorum populus prænuntium mittit. Ideo & Ioseph verus, id est, arbiter & interpres diuinitatis occurrat, quia præcedit iam confessio, quos antea perfidia possidebat. Interpres enim diuinitatis est Christus, quia Deum nemo vidit vquam; sed vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarravit. Hic senilis iam ætatis, & fessum suscipiet vltimis tēporibus populum Iudæorum, non secundum illius merita, sed secundum electionem suæ gratiæ; & imponet manum super oculos eius, vt cæcitatem auferat. Cuius ideo distulit sanitatem, vt postremus crederet, qui antè non putauit esse credendum, & prærogatiuam superioris electionis amitteret. Vnde & Apostolus ait, Quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Gesta igitur patriarcharum, futurorū mysteria sunt. Denique ipse Iacob ait ad filios suos: Congregamini vt annuntiem vobis quæ occurrera sunt vobis in nouissimis diebus. Congregamini, & audite Israel patrem vestrum.

S. AMBROSII DE IOSEPH PATRIARCHA LIBRI FINIS:

Summarium Libri de Benedictionibus Patriarcharum.

In cap. I. agitur de benedictione Ephraim & Manasse filiorum Ioseph & nepotum Iacob, vt legitur Gen. cap. XLVIII.  
A cap. II. vsque ad finem libri agitur de benedictionibus filiorum Iacob, vt habetur Gen. cap. XLIX.  
y ij

1. sal. 18.  
rom. 11.  
10an. 9.  
1. Cor. 15.  
Ioh. 11.  
Rom. 11.  
2. Cor. 3.  
Rom. 11.  
Gen. 49.



*Quod filij discere debeant reuerentiam & honorem deferre patribus, ut benedictionibus eorum digni habeantur; & de commendatione paternæ benedictionis: quodque sanctus Ioseph benedictionem sumere festinauerit, & filios suos Manassê & Ephraim obtulerit, quos & Jacob benedixit: & de mystica huius benedictionis ratione.*

*De prophetica benedictione Ruben primogeniti, quæ magis propheta quàm benedictio est; & de errore Iudæorum, atque mysteriis circa eam.*

*De prophetia eorum quæ euentura erant filiis Symeon & Leui, quorum nominibus tribus designantur; & de confutatione opinionis Iudæorum circa mysticam istius benedictionis interpretationem.*

*De benedictione Iudæ, & mystica eiusdem significatione.*

*De benedictione Zabulon, & mysteriis illius.*

*De benedictione Issachar, & mystica eius expositione.*

*De prophetica benedictione Dan, ac mystico eiusdem intellectu.*

*De benedictione Gad, & mystica eius interpretatione.*

*De benedictione Aser, & de mysteriis eiusdem.*

*De benedictione Nephthalim, & mystica illius declaratione.*

*De benedictione Ioseph, & qua ratione super omnes filios eum pater uberius profecutus sit; ac de mystica illius benedictionis expositione.*

*De benedictione Benjamin, & mystica representatione eiusdem.*

## SANCTI AMBROSII EPISCOPI

### MEDIOLANENSIS DE BENEDICTIONIBVS

#### PATRIARCHARVM LIBER.

##### Genesis Cap. XLVIII.

**F**ACTVM est autem post verba hæc, nuntiatum est Ioseph quod pater suus turbatur: & assumens duos filios suos secum, Manassen & Ephraim, venit ad Iacob. Nuntiatum est autem Iacob, dicentes, Ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Et confortatus Israel fedit super lectum. Et ait Iacob ad Ioseph, Deus apparuit mihi in Luza, in terra Chanaan, & benedixit mihi, & dixit, Ecce ego augebo te, & multiplicabo te, & faciam te in congregationes gentium, & dabo tibi terram hanc, & semini tuo post te, in possessionem sempiternam. Nunc ergo duo filij tui qui nati sunt tibi in terra Ægypti, antequam ego venirem ad te in Ægyptum, mei sunt, Ephraim & Manasses, sicut Ruben & Symeon erunt mihi: at posteri quos genueris post hæc, tui erunt. In nomine fratrum suorum vocabuntur in illorum hæreditatibus. Ego autem quando veniebam de Mesopotamia Syriæ, mortua est Rachel mater tua in terra Chanaan, appropinquante me secundum hippodromum

Chabrata terræ, antequam venirem Ephrata: & sepeliui eam illic in via hippodromi. ipsa est Bethleem. Videns autem Israel filios Ioseph, dixit, Qui isti? Dixit autem Ioseph patri suo: Filij mei sunt, quos dedit mihi Deus hic. Et ait Iacob, Adduc mihi eos, ut benedicam eis. At oculi Israel grauati fuerant præ senectute, & non poterat videre. Et applicuit illos ad eum, & osculatus est eos, & circumplexus est eos. Et ait Israel ad Ioseph, Ecce facie tua non sum priuatus, & ecce ostendit mihi Deus & semen tuum. Et eduxit eos Ioseph à genibus eius, & adorauerunt eum in faciem super terram. Accipiens autem Ioseph duos filios suos, ipsum quidem Ephraim in dextera sua, à sinistris autem Israel; at Manassen in sinistra, à dextris autem Israel, & applicuit illos ei. Extendens autem Israel manum dexteram, imposuit super caput Ephraim (hic autem erat iunior) & sinistra super caput Manasse commutans manus: & benedixit eis, & ait, Deus, cui placuerunt patres mei in conspe-

ctu

ctu eius, Abraham & Isaac, Deus qui pascit me à iuuentute mea vsq; in diē hanc: angelus qui liberauit me ex omnib' malis, benedicat pueros istos. & inuocabitur super eos nomē meū & nomē patrum meorum Abraham & Isaac, & multiplicentur in multitudinem multā super terram. Videns autem Ioseph quia iniicit pater manum suam dexteram super caput Ephraim, graue illi visum est: & apprehedit Ioseph manū patris sui, ut auferret eam de capite Ephraim super caput Manasse. Dixit autē Ioseph patri suo, Non sic pater. hic enim primitiuus est: impone dexteram tuam super caput eius. Et non voluit, sed dixit, Scio fili, scio. Et hic erit in populū, & hic exaltabitur: sed frater eius iunior maior illo erit, & semen illius erit in multitudinem gentiū. Et benedixit eis in die illa, dicēs, In vobis benedicetur Israel, & dicetur, Faciat vobis Deus sicut Ephraim & sicut Manasse. Et posuit Ephraim ante Manassen. Dixit autē Israel ad Ioseph, Ecce ego morior, & erit Deus vobiscum, & reducet vos in terram patrum vestrorum. Ego do tibi Sichimam præcipuam super omnes fratres tuos, quam accepi de manibus Amorrhæorum in machæra mea & arcu.

*Quod filij discere debeant, reuerentiam & honorem deferre patribus, ut benedictionibus eorum digni habeantur; & de commendatione paternæ benedictionis: quodque sanctus Ioseph benedictionem sumere festinauerit, & filios suos Manassen & Ephraim obtulerit, quos & Jacob benedixit: & de mystica huius benedictionis ratione.*

#### CAPVT I.

**R**IMVM omnium discimus, quantam parentibus reuerentiam deferre debeamus, cum legimus, quoniam qui benedicebatur à patre, benedictus erat: & qui maledicebatur, maledictus erat. Ideo hanc parentibus gratiam donauit Deus, ut filiorum pietas prouocetur. Prærogatiua igitur parentū, disciplina est filiorum. Honora ergo patrem, ut benedicat te. Honoret pius patrem propter gratiam, ingratus propter timorem. Et si pauper est, & non habet diuitiarum copias quas relinquat filiis, habet tamen vltimæ benedictionis hæreditatem, qua sanctificationis opes successoribus largiatur. Et multo plus est beatum quàm diuitem fieri. Festinabat Ioseph sumere benedictionem. Denique & filios suos obtulit, Manassen & Ephraim, quos benedixit Iacob: ut quia duodecim habebat filios, & tertiusdecimus erat futurus Apostolus Paulus, quasi posterior electus, tertiusdecima tribus de Manasse & Ephraim nepotibus sanctificaretur in vtrumque diuisa, quod Paulus nō extra paternarum numerum tribuum inueniretur, qui veteris testamenti & noui egregius

prædicator, paternæ benedictionis hæreditatem sibi quoq; facile profecisse comprobaret. Quam præclara & in hoc mysteria, quod sumens Ioseph filios suos quos susceperat in Ægypto, Ephraim ad dexteram suam, ad sinistram autem Israel patris sui; Manassen autem ad sinistram suam, ad dexteram autē Israel, applicuit eos ante patrem. Extendens autem Israel manū dexterā, imposuit super caput Ephraim qui erat iunior, & stabat à sinistra aui: & sinistra in suā posuit super caput Manasse, qui erat ad dexteram, & ita immutatis manibus benedixit eos. In quo & Ioseph naturæ ordinem seruaui, ut seniori filio plus deferret, sicut Isaac quoque in Esau priorem filium benedictionem præferre cupiebat. Sed minorem filium in typo iunioris populi credidit præferendū, sicut erat ipse à matre prælatus. Denique Manasses ex obliuione Latina interpretatione signatur, eo quod populus Iudæorum oblitus est Deum suum qui fecit eum. Et quicumque ex ea plebe crediderit, tamquam ex obliuione reuocatur. Ephraim autem fecunditatem fidei interpretatione nominis pollicetur, qui auxit patrem, sicut ait ipse Ioseph, dicens, Quia auxit me Deus in terra humilitatis meæ. Quod proprium est populi iunioris, qui corpus est Christi, augens patrem, & Deum propriū nō relinquens. Denique spiritualiter de populis hoc esse mysterium senior declarauit. Nam cum filius putaret cum errasse vitio hebetioris aspectus, cōuertere voluit manus eius, dicens, Non sic pater. hic enim primitiuus est. impone dexteram tuam super caput eius. Et non voluit, sed dixit, Scio fili, scio. Et hic erit in populū, & hic exaltabitur: sed frater eius iunior maior illo erit, & semen illius erit in multitudinem gentium. Denique præferendū Ephraim seniori germano, etiam benedictionis serie prophetauit, dicens, In vobis benedicetur Israel, & dicetur, Faciat vobis Deus sicut Ephraim & Manasse. Et ideo cum essent nepotes, in locum filiorum sunt adoptati, ut non essent auitæ benedictionis expertes.

#### Genesis Cap. XLIX.

**V**OCAUIT autē Iacob filios suos, & ait, Congregamini, ut annuntiem vobis que occursum sunt vobis in nouissimis diebus. Congregamini, & audite filij Iacob, audite Israel patrem vestrū. Ruben primogenitus meus, tu virtus mea, & initium filiorum meorum, durus portari, durus & temerarius, affecisti me contumelia, sicut aqua non efferueas. Ascendisti enim in cubile patris tui, tūc polluisti torrū quo ascendisti. Symeon & Leui fratres cōsummauerunt iniquitatem propositi sui. In consilium eorum non veniat anima mea, & in congregationem illorum non contendat viscera mea: quoniam in ira sua occiderunt homines, & in cupiditate sua subneruauerunt taurū. Maledictus furor eorum, quia pertinax: & ira eorum, quia indurata est. Diuidam eos in Iacob, & dispergam illos in Israel. Iuda, te lau-

y iij

dabunt fratres tui: manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum: adorabunt te filij patris tui: Catulus leonis Iuda: ex germine filij a- scendisti, recumbens dormisti vt leo, & tam- quam catulus leonis, quis suscitabit eum? Nō deficiet princeps ex Iuda, & dux de femori- bus eius, donec veniat cui repositum est; & ipse erit expectatio gentium, alligans ad vi- tem asinam suam, & ad palmitem pullum asi- næ suæ. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine viti anaboladium suum. Hilares o- culi eius præ vino, & dentes candidiores quàm lac. Zabulon iuxta mare habitabit, & ipse se- cus accessus nauium, & pertendet vsque ad Si- donem. Issachar bonum concupiuit, requie- scens inter medias fortes. Et videns requiem quia bona est, & terram quia pinguis, suppo- suit humerum suum ad laborandum, & factus est vir agricola. Dan iudicabit populum suum tamquam & vna tribus in Israel: & factus est Dan ipsi serpens in via, sedens in semita, mor- dens calcaneum equi, & cadet eques retror- sum: salutem expectans à Domino. Gad, ten- tatio tentabit eum, & ipse tentabit eum secus pedes. Aser, pinguis eius panis, & ipse dabit e- scam principibus. Nephthalim vitis remissa, porrigens in germine decorem. Filius meus ampliatus, Ioseph filius ampliatus, zelo appetitus, filius meus adolescentior ad me reuerte- re: in quem cōsilia conferentes maledicebāt, & intendebant in eum domini arcum: & contriti sunt cum potentia arcus eorum, & dissoluti sunt nerui brachiorum manuum eo- rum per manum potentis Iacob, ille qui præ- ualuit à Deo Israel pater tuus. Adiuuit te Deus meus: & benedixit tibi benedictione cæli à summo, & benedictione terræ habentis om- nia. Propter benedictionem vberum & vuluæ benedictionem patris tui & matris tuæ, præ- ualuit super benedictiones montium manē- tium: & desideria collium æternorum erunt super caput Ioseph, & super caput eorum qui- bus præfuit fratrum. Benjamin lupus rapax, mane comedet adhuc, & ad vesperam diui- det escam. Omnes hi filij Iacob duodecim. Et hæc loquutus est illis pater eorū, & benedixit eis singulis secundum benedictionem eius. Benedixit eis, & ait illis, Ego apponor ad po- pulum meū: sepelite me cum patribus meis in spelunca quæ est in agro Ephron Chettæi, in spelunca duplici quæ est contra Måbre in terra

Gen. 23.

Chanaan, quam possedit Abraham speluncā ab Ephron Chettæo in possessione sepulcri. Il- lic sepelierunt Abraham, & Sarram vxorē eius: & illic sepelierunt Isaac, & Rebecam vxorem eius: & illic sepelierunt Liam in possessione a- gri, & speluncæ existentis in eo, quam à filiis Chet. Et cessauit Iacob præcipiens filiis suis, & colligens pedes super lectum defecit, & ap- positus est ad populum suum.

*De prophetica benedictione Ruben primogeniti, quæ magis prophetia quàm benedictio est: & de errore Iudæorum, atque mysterij circa eam. C.A.P. II.*

**V**ocauit autem Iacob filios suos, & ait, Congregamini, vt annuntiem vobis quæ occurrunt vobis in no- uissimis diebus. Duorum nepotum benedictione ce- lebrata, vocauit Iacob etiam filios suos. Et qui an- tē iuniorem seniori prætulerat, cœpit à primo, vt in illo mysterij præferret gratiam, in hoc ordinem ser- uaret ætatis: simul quia antē in duobus benedixe- rat vniuersos cum omni posteritate & progenie fu- turorum, ne aut superflua videretur plebis iterata benedictio, aut prior æstimaretur infirma. Meritō- que repetitam magis annuntiationem eorum quæ posterioribus essent ventura temporibus, quàm be- nedictionem conferre se dicit. Denique sic cœpit, Ruben primogenitus meus, tu virtus mea, & initium filio- rum meorum, durus portari, durus & temerarius, affecisti me contumelia, sicut aqua non effereus. Ascendisti enim in cu- bile patris tui, tunc polluisti torum quo ascendisti. Nōnne redargui magis quàm benedici videtur? Et ideo pro- phetia magis quàm benedictio est. Prophetia enim annuntiatio futurorum est, benedictio autem sancti- ficationis & gratiarum votiua collatio. Et Iudæi pu- tāt quod hæc senex ad Ruben filium dicat, quia cū Bala concubina patris cōcubuit, & torum patrium polluit, sed facile refelluntur. Hoc enim erat antē gestum: Iacob autem quæ ventura essent in nouissi- mis diebus, nō ea quæ gesta erant, spondet se esse di- cturum. Ergo patriarchæ sibi congruit & cōstat sen- tentia, qui videns persequentibus Iudæis futuram Domini passionem, execratur immanem primoge- nitæ plebis audaciam, quæ incredula, nec Dei legi subdita, & iugum Christi dura nesciens portare cer- uice, auctorem vitæ non solum scelere necis, sed et- iam sacrilegæ insultationis affecit iniuria. Non effereus (inquit) sicut aqua. ne in maiorem prorumpat amentiam, & seruator furoris atq; infaniæ non sinat respicere peccatores, sed agat pœnitentiam pecca- torum, quoniam durus ascendit populus cubile pa- tris, & torum polluit sanctum, hoc est, carnem Do- mini Iesu conditoris nostri patibulo affigēs crucis, in qua velut in quodam cubili & patrio toro sancti eius salutari refectione requiescunt. Quis igitur ab- nuat de populo dictum, cum populo hæc vniuersa cōueniant? Ipse enim dictus est primogenitus Israel, ipse duræ esse cervicis. De ipso dixit Moyses, Vos autem populus duræ cervicis estis. Et reuera quis tam durus & temerarius & cōtumeliosus, quàm po- pulus Iudæorum, qui Dominum Iesum, per quem viderant

Gen. 25. Gen. 32.

Gen. 48.

Gen. 35.

Mat. 3.

Exod. 32. & 33.

1047.10. 1047.18. & 19. 1047.11.

viderant mortuos suscitatos, cæcos illuminatos, A flagellis verberauerunt, clauis confixerunt, cum di- uina eius opera negare non possent? Quod Scribis & pontificibus autoribus, & principe sacerdotum Caipha pariter scruiente commissum, Euāgelij series declarauit. Et ideo sanctus propheta refugit tanti sceleris participatum, ne per secessionem generis au- derent tanti patriarchæ sibi arrogare confortium.

*De prophetia eorū quæ euentura erant filiis Symeon & Le- ui, quorum nominibus tribus designatur: & de confuta- tione opinionis Iudæorum circa mysticam istius benedi- ctionis interpretationem. C.A.P. III.*

**C**ontestatur iustus, & abdicat posteritatem quæ patrium non seruaret affectum: & quia præuidit flagitium, perhorrescit consilij contagium. In consi- lium (inquit) eorum non veniat anima mea, & in congrega- tionem illorum non contendat viscera mea: quoniam in ira sua occiderunt homines, & in cupiditate sua subneruaue- runt taurum. Quod quidem de filiis dicit Symeon & Leui, sed eorum nomine tribus signatur, quæ ap- pellatione simili vocabatur. Quam interpretatio- nem pulcherrimam deriuant Iudæi, vt arbitrantur, quia propterea arguit filios Iacob, quia propter stu- prum sororis, Sichimitas isti duo præ cæteris fratri- bus vltum ire cupientes, simulauerūt cum ipsis inire velle se gratiam, & ideo oportere circumcidi eos, suaferunt illis, vt religione concordie pax inter eos, & recipiendæ affinitatis societas firmaretur: sed cir- cumcisos adorfi, recentibus adhuc vulneribus, & in- ualidis viribus quas dolor soluerat fractos, die su- peruenientes tertio necauerunt. Ideo & fortasse isti duo vltiores præ cæteris, quia Scribarum & sacerdo- tum auctores sunt. Nulli enim magis quàm sapientes & sacerdotes debent castimoniam vindicare. Sed in hoc quoque errāt Iudæi. Isti enim causas do- loris sui præliterant patri, afferentes se in illa licet ætate iuuenili vindices lætæ fuisse pietatis, & viola- tæ castitatis vltiores. Quod vtique sanctus condem- nare non poterat, quia non passi sunt inultam foro- rem suam loco esse meretricis, quæ & virginitatem amiserat, & vindictæ solatium nō habebat: maximè cum ipse sic factum probauerit, vt Sichimam possi- deret in mortem vsque, donaretque eam filio suo dilectissimo Ioseph, dicens ad eum, Do tibi Sichi- mam præcipuā super omnes fratres tuos, quā accepi de manibus Amorrhæorum in machæra mea & arcu. Quod factum negari non potest. Interpretari tamē possumus per Sichimam humeros significari, per humeros opera. Hæredem ergo bonorum bene- dictionibus operum sanctum Ioseph præ cæteris elegit, cuius opera fratres æquare non poterant. Quis enim facta Christi poterit adæquare? Tū præ- terea immaculatus & castus de hoc terreno diuer- sorio, & impuritatis auctoribus manubias reporta- uit, locum stupris & flagitiis vacatam ad incolatum sanctorum verbis cælestibus & gladio capiens spiri- tali: vt vbi inhabitatores antē lasciuia & principes luxuria versabantur, vbi fuerant incontinua libi- dinis, & fomenta nequitia, ibi nunc sancti sacerdo- tes magisteria doceant castitatis, & plurima virginalis integritatis exempla velut quodam supernæ lu-

Coloss. 2. Ephes. 4.

cis fulgore resplendeant. Tribus igitur sunt quæ de- signantur nominibus patriarcharum, quia de tribu Symeon Scribae sunt, de tribu Leui principes sa- cerdotum, qui perfecerunt nequitiam suam in Do- mini passione, mensuram omnem paternæ impie- tatis implentes. Ipsi consilium cogitauerunt aduer- sus Dominum Iesum, vt occiderent eum, sicut Esa- ias dicit, Vx animæ ipsorum, quia cogitauerūt con- silium malum aduersum se dicentes, Alligemus iu- stum, quia inutilis est nobis. Ipsi occiderunt pro- phetas & Apostolos annuntiantes Domini saluato- ris aduentum, passionis eius & resurrectionis glo- riam prædicantes. Ipsi postea in sua cupiditate, qua terrena flagitia desiderabant, diuina consortia refu- gientes, corporis castimoniam, sobrietatem mētis, contemptum pecuniæ, lucrum gratiæ, subneruaue- runt taurum, illum videlicet cornua producentem & vngulas, quem videt pauperes & lætantur, quo- niam verbum Dei exaltauit cornu populi sui, quo & inimicos repulit, & præmium coronæ cælestis eme- ruit. Hic est taurus quo Ecclesia figuratur in luna, tunc plenior cum velut cornibus nixa taurinis, spa- tium totius orbis includit. Tamen prophetiæ huic videtur etiam gratiam benedictionis adiungere. Nam & ad primogenitum Ruben dicendo, Nō offer- ueas vt aqua; peccatum statuit, quia aqua mundare magis delicta, mentesque nostras ab omni solet vi- tiorum seruore reuocare. Et iterum dicendo de Sy- meon & Leui, Diuidam eos in Iacob, & dispergam illos in Israel, ostendit gentium congregatione dirimēdos. Percusso enim pastore grex ille dispersus est, qui fue- rat antē collectus, vt qui non erat, introiret, & sic omnis Israel saluus fieret. Et maximè propter tribū Leui debemus hoc credere, quia ex ea tribu Domi- nus Iesus videretur secundum corporis susceptionem genus ducere. Ex qua tribu sunt sacerdotes Leui & Nathan, quos sanctus Lucas in Euāgelij libro quem ipse scripsit, inter maiores Domini computauit. Sa- cerdos enim patris & princeps omniū sacerdotum, sicut scriptum est, Tu es sacerdos in æternum, sacer- dotalis originis successorem debuit vindicare. Vn- de Moyses benedixit hæc tribū, dicens, Date Leui sortem suffragij sui, & veritates eius viro sancto. Be- nedixit etiam Moyses tribum Ruben, sicut habes scriptum, Viuat Ruben, & non moriatur, & Symeon sit multus in numero. Neque enim benedixisset, si secundū patriarchæ sententiam benedictione scisset indignos. Certè quod scripsit ille præterit, iste compleuit.

Mat. 23.

1047.11. Esai. 3.

Sap. 2. Matth. 23.

Psal. 68. Psal. 148.

Zach. 13. Rom. 11.

Luc. 3.

Psal. 109. Deut. 33.

Ibid.

*De benedictione Iudæ; & mystica eiusdem significatione. C.A.P. IIII.*

**E**T quia per admixtionem generis Iuda & Leui- tribus iunctæ sunt, ideo Matthæus ex tribu Iu- da descripsit eius familiam. Et Apostolus ait, Quo- niam de Iuda ortus est Dominus noster. Vt ex tribu Leui sacerdotalis & plena sanctitatis annumerare- tur hæreditas: ex tribu autem Iuda, ex qua Dauid & Salomon & reliqui reges fuerunt, regalis successio- nis splendor refulgeat, vt idem rex & sacerdos scri- pturarum testimonio demonstratur. Meritōque se circa gratiam Iudæ Iacob sanctus effudit, dicens,

Mat. 3. Hebr. 7.

Mat. 1.

Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum: adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda: ex germine filii mi ascendisti, recumbens dormisti ut leo, & tamquam catulus leonis. quis suscitabit eum? Non deficiet princeps ex Iuda, & dux de femoribus eius, donec veniat cui repositum est; & ipse erit expectatio gentium, alligans ad vitem asinam suam, & ad palmitem pullum asinae suae. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vineæ anaboladium suum. Hilares oculi eius præ vino, & dentes candidiores quam lac. Ad Iudam quidem patriarcham dirigi videtur alloquium, sed Iudas ille posterior verus cõfessor exprimitur, qui ex ea tribu natus est, qui solus laudatur à fratribus, de quibus dicit, Narrabo nomẽ tuum fratribus meis. Dominus per naturam, frater per gratiam, cuius manus quas expandit ad populum non credentem, erunt super dorsum inimicorum suorum. Hisdem enim manibus atque eadem passione suos texit, & subiugavit aduersarias potestates, omnẽsque fidei & pietatis exortes subditos sibi fecit. De quibus ait pater ad filium, Et dominaberis inimicorum tuorum: quos inimicos sui malitia fecit, non Christi voluntas. In quo magna gratia Domini. Etenim spiritales nequitia, quæ antè ceruicem nostram iugo solebant captiuitatis inflectere, ita vt Dauid ipse manus quodammodo super se triumphantium sentite se scriberet, dicẽs, Super dorsum meum fabricauerunt peccatores: ipsæ nunc subditæ triumpho Christi, & quibusdam manibus eius, id est factis operibusque subiectæ, perpetue subeunt captiuitatis arumnam. Ipse vtiq; adoratur à nobis, quibus ipse permisit vt patrem vocemus, cuius seruum esse virtutis est. *Catulus leonis Iuda.* Nonne euidenter & patrem expressit, & filium declarauit? Quid tam euidentis quo vnus naturæ filius Dei cum patre esse doceatur? Leo ille, hic catulus leonis. Quia comparatione, eiusdem naturæ ac potentia vnitas intelligitur. Rex ex rege processit, fortis ex forte: quia futuros præuidebat qui filium assererent iunioris ætatis, occurrit his, subiiciens, *Ex germine filii mi ascendisti, recumbens dormisti ut leo, & tamquam catulus leonis.* Et alibi habes, Quia ipse est leo de tribu Iuda. Ergo quia catulum dixerat, bene statim leonem posuit. hoc est dicere, Non capiuntur aures vestrae quia catulum audierunt, filium expressi, non dixi minorem. Et ipse est leo sicut pater. Audiant quia & leonem, & catulum appellauit: leonem, quasi perfectæ plenæq; virtutis: catulum, quasi filium, ne quis cum audiret, æqualem patri non putaret filium. Non sic laudatur filius, vt separetur à patre. Ille probat æqualem, qui filium confitetur. Mirificè autem & incarnationem eius expressit, dicens, *Ex germine filii mi ascendisti;* eo quod tamquam frutex in aluo Virginis germinauit, & vt flos boni odoris ad redemptionem mundi totius maternis visceribus in splendore nouæ lucis emissus ascenderit, sicut Esaias dicit, Exiet virga de radice Iesse, & flos ex radice eius ascendet. Radix familia Iudæorum, virga Maria, flos Mariæ Christus. Rectè virga, quia regalis est generis de domo & patria Dauid, cuius flos Christus est qui fœtorẽ mūdanc colluionis aboleuit, & vitæ æternæ odorem infudit. Habes ergo incarnationem, accipe passionem. *Recumbens* (inquit) *dormisti ut leo:* quando iacuit in sepulcro, vt

lut quodam corporis sui somno quietus, sicut ipse ait, Ego dormiui, & requeiui, & surrexi, quoniã Dominus suscepit me. Vnde & Iacob ait, *Quis suscitabit eum?* hoc est, quem Dominus suscipiet. Quis est alius qui resuscitet, nisi ipse se sua patrisque resuscitet potestate? Video natum auctoritate propria, video mortuum propria voluntate, video dormientem potestate propria. Qui omnia suo fecit arbitrio, cuius alterius vt resurgat egebit auxiliis? Ipse igitur resurrectionis suæ auctor est, qui mortis esse arbiter, qui expectatur à gẽtibus. Et ideo, *donec ille veniat, non deficiet dux ex Iuda,* vt vsque ad eius ortũ regalis successiois fides incorrupta seruetur. Postea enim (vt docuimus tractatu habito in Euangelium) per Herodem adulterata successio prerogatiuam dignitatis amisit. Etenim quia verum regem negauerunt, falsos habere cœperunt. Ergo hoc dicit patriarcha, Seruabitur in iudicibus vel regibus Iudæorum intemeratæ successiois hæreditas, *donec veniat cui repositum est,* vt Ecclesiam Dei congreget ex conuentu nationum omnium, & gentilium deuotione populorum: hoc est, ipsum manet, ipsi debitum seruetur, ipsi tantæ gratiæ prerogatiua defertur. *Et ipse est expectatio gentium.* Plus dixit quàm si dixisset, Ipsum expectant gentes: eo quod omnis spes Ecclesiæ in ipso recumbat. Ideo dicitur Moyse, Solue calceamentum pedum tuorum, ne ipse sponsus Ecclesię crederetur, qui dux plebis eligebatur. Ideo soluit calceamentum suum Iesus Naue, vt venturo tanti muneris gratiam & ipse seruarer. Ideo dicit Ioannes, Post me venit vir, cuius nõ sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius. Et idem dicit, Qui habet sponfam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, & gaudio gaudet, hoc est, ipse solus vir est Ecclesiæ, hic est expectatio gentium, huic deferentes copulæ gratiam nuptialis, calceamentum suum soluerunt propheta. Hic sponsus est, ego amicus sponsi: gaudeo quia venit, quia vocem audio nuptialem, quia iam non dura peccatorum supplicia, dura legis tormenta, sed remissionem criminum, vocem lætitiæ, sonum iucunditatis, exultationem festi nuptialis audimus. Hic est ille alligans ad vitem asinam suam, & ad palmitem pullum asinae suae, vt feruorem Spiritus sancti habeat congregatio nationum antè remissa & negligens, sed iam deuota per Christum, & viti illi perpetuæ, hoc est Domino Iesu, qui ait, Ego sum vitis, & pater meus agricola: velut fructuosi palmites quibusdam inexolubilibus vinculis fidei alligemur. Hoc est illud mysterium, quod pullum asinae solui iussit in Euangelio, & ipse Dominus Iesus sedit super eum, vt alligatus ad vitem perpetua sanctorum suauitate requiesceret. *Lauabit* (inquit) *in vino stolam suam.* Bona stola est caro Christi, quæ omnium peccata operuit, omnium delicta suscepit, omnium errores texit. Bona stola, quæ vnuerfos induit veste iucunditatis. Lauit hanc stolam in vino, quando cum baptizaretur in Iordane, descendit Spiritus sanctus sicut columba, & mansit super eum. Quo, significatur quod plenitudo Spiritus sancti indiuidua in eo fuerit, nec recesserit. Vnde & Euangelista ait, Quia plenus Spiritu sancto Dominus Iesus, regressus est ab Iordane. Lauit ergo Iesus stolam suam, non vt suam quæ non erat,

Psal. 3.  
Lib. 3. in Luca  
Ioan. 19.  
Exod. 3.  
I. sue. 5.  
Ioan. 1.  
I. an. 3.  
Ioan. 15.  
Matth. 21.  
Act. 4.  
Esa. 53.  
Matth. 11.  
Luc. 4.

Feb. 7.  
I. sal. 21.  
I. Iob. 2.  
Esa. 65.  
Psal. 109.  
Psal. 128.  
I. an. 20.  
Apo. 5.  
Esa. 1.  
Esa. 126.  
Deut. 33.  
Esa. 8.  
Esa. 7.  
Matth. 17.  
Act. 10.  
Matth. 13.  
I. Petr. 2.  
Esa. 9.  
Esa. 53.

erat, sed vt nostram quæ erat, sordem ablueret. Denique ait, *Et in sanguine vineæ anaboladium suum;* hoc est, in passione corporis sui diluit gentes suo sanguine. Etenim verbi anaboladium gentes sunt, sicut scriptum est, Viuo ego, dicit Dominus, nisi omnes eos induam sicut vestimentum. Et alibi, Sicut amicum mutabis eos, & mutabuntur. Non ergo sanguine proprio sua peccata, quæ non erant, sed nostra quæ fecimus delicta mundauit. Et bene vnam dixit, quia sicut vna pependit in ligno. Ipse est vitis, ipse vna. Vitis, ligno adhærens: vna, quia lancea militis apertum latus emisit aqua & sanguinem. Sic enim dixit Ioannes, Quia exiuit de eo aqua & sanguis. Aqua ad lauacrum, sanguis ad pretium. A qua nos abluuit, sanguis redemit. Et ideo ait propheta, *Hilares oculi eius præ vino, & dentes candidiores quam lac;* significans prophetas & Apostolos. Alij enim sicut oculi Christi præuiderunt & annuntiauerunt eius aduentum, de quibus ipse dicit, Abraham diem meum vidit, & gauisus est. Et vnus de prophetis dicit, Vidi Dominũ Sabaoth oculis meis, quem videntes spiritali lætitia complebantur. Alij verò, hoc est Apostoli, quos Dominus à peccatorum labe mundauit, super lac candidiores facti sunt, quos macula nulla postea suscauit. Etenim lac temporale est, gratia autem Apostolorum perpetua manet, qui nobis spiritalia illa atque caelestia conficientes alimenta, mentis internæ viscera faginarunt. Sunt etiam qui mandata Domini lucida, quæ diuino ore deprompta sunt, sicut lac nobis facta arbitrentur, quibus nutriti ad panis caelestis peruenimus alimoniam. Vnde & Paulus ait, Lac vobis potum dedi, non escam: nondũ enim poteratis. Corinthios in principio fidei potu lactis imbuit. Sancti illi quorum fides annuntiat in vnico mundo, tamquam ablaetati circa solidiore firmantur.

*De benedictione Zabulon, & mysterijs illius. CAP. V.*

**Z**abulon iuxta mare habitabit, & ipse secus accessus nauium, & pertendet vsque ad Sidonem. Ipsa nominis interpretatio meliora promittit, eo quod Latina expressio liberationem significet à nocturnis, quod est vtiq; bonum, & eius qui sperat in pennis Domini, quem circumdat veritas eius, ne timeat à timore nocturno, & à negotio perambulante in tenebris. Hic ergo *Zabulon iuxta mare* (inquit) *habitabit,* vt videat aliorum naufragia, ipse immunis periculi, & spectet alios fluctuantes in freto istius mundi, qui circumferantur omni vento doctrinæ, ipse fidei radice immobilis perseverans, sicut est sacrosancta Ecclesia radicata atque fundata in fide, spectans hæreticorum procellas, & naufragia Iudæorum, quoniam gubernatorem quem habuerant, abnegarunt. Circa fluctus itaque habitat, non fluctibus commouetur, magisque ad subueniendum parata, quàm periculo obnoxia; vt si qui tẽpestatibus acti grauibus cõfugerẽ ad portum velint, præstò sit Ecclesia tamquam portus salutis, quæ expansis brachijs in gremium tranquillitatis suæ vocet periclitantes, locum fidæ stationis ostendens. Ecclesiæ igitur in hoc sæculo tamquam portus maritimi per litora diffusum occurrunt laborantibus, dicentes esse credentibus

A refugium præparatum, quod ventis quassata nauigia possint subducere. In his ecclesiis sunt principes Zabulon, & principes Nephtholim, sicut docet Psalms; quorum alij liberatores sunt à tempestate nocturna, clamantes, Abiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. alij sunt latitudinis apostolicæ, qui possunt dicere, Os nostrum patet ad vos o Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Ipsi sunt isti qui cum essent in tenebris, lucem viderunt magnã, sicut Propheta testatur, dicẽs, Regio Zabulõ & regio Nephtholim, via maris trans Iordanẽ, populus qui sedebat in tenebris, viderunt lucẽ magnã: qui sedebat in regione vmbrae mortis, lux orta est eis. Exploratores igitur secus accessus nauium posuit Dominus Deus noster patriarchæ huius heredes, cuius cura peruigil & spiritalis successio pertendit vsque ad Sidonem, hoc est, vsque ad gentes peruenit, vt Domini misericordia peccata abluat nationum. Sidon enim primitiuus est filius Chanaan, illius vtiq; qui propter irreuerentiam paternæ pietatis, maledictione damnatus est patris. Ergo liberatio nocturna, tamquam in excubijs posita propugnaculi spiritalis, ne quis scopulosa vitæ huius itinera possit incidere, pertendit vsque ad grauissimorum criminum peccatores, & Sidonios ipsos, qui antè superflitione vehementi venatores scelerum nuncupabantur (vt interpretatio docet) soluta hæreditate maledicti, donatæque hæreditate benedictionis absoluat, vt vbi maior reatus erat, ibi nunc vberior sit gratia.

*De benedictione Issachar, & mystica eius expositione. CAP. VI.*

**I**ssachar bonum concupiuit, requiescens inter medias sortes, & videns requiem quia bona est, & terram quia pinguis, supposuit humerum suum ad laborandum, & factus est vir agricola. Issachar merces dicitur, & ideo refertur ad Christũ, qui est merces nostra, quod eum nobis ad spem salutis æternæ non auro, non argento, sed fide & deuotione mercemur. Vnde & Dauid de ipso dicit, Ecce hæreditas Domini, filij; merces, fructus ventris. Et ideo dicit Moyses, Merces circa mare inhabitantium. Hic est qui bonum concupiuit ab initio, & quod malum est desiderare nesciuit. De quo Esaias ait, Priusquam sciat puer vocare patrem aut matrem, non credidit malitiæ, eligens quod bonum est. Requieuit inter medias sortes veteris vel noui testamenti, vel in medio prophetarum. Ideoque inter Moysen & Eliam medius apparuit, vt ostenderet nobis quod in eorum sermonibus requiem habeat, per quos plerique peccatis renuntiantes credunt in Deum viuum: vel quod ipsi sint testes resurrectionis eius, & beatæ quietis. Itaque vt ad resurrectionis suæ gratiam vocaret gentes (ipsa est enim pinguis & fertilis terra, quæ fructus generat æternos, fructus ceteros & sexagesimos) subiicit humerum suum ad laborandum, subiiciens se cruci, vt nostra peccata portaret. Ideoque dicit Propheta: Quis principiu super humerum eius; hoc est, super corporis passionem diuinitatis potestas, vel crux sepe remuens corpori. Supposuit ergo humerũ incumbens aratro omnibus subcundis contumeliis patiens, ita subiectus labori, vt vulneraretur propter iniquitates

Esa. 49.  
I. sal. 101.  
I. an. 15.  
I. an. 19.  
I. an. 8.  
Esa. 6.  
Esa. 118.  
I. Cor. 3.  
Rom. 1.  
Esa. 90.  
Ephes. 4.  
Ephes. 3.



nostras, vt infirmaretur propter peccata nostra. Et factus est vir agricola, sciens terram suam bono seminare frumento, & fructiferas arbores alta radice plantare.

De prophetica benedictione Dan, ac mystico eiusdem intellectu. CAP. VII.

Da iudicabit populum suum tamquam & vna tribus in semita, mordēs calcaneum equi, & cadet eques retrorsum: salutem expectans à Domino. Simplex quidem intellectus hoc habet, quod etiam Dan tribus iudicem dederit in Israel. Etenim post Iesum Naue iudices fuerunt plebis de diuersis tribubus. Fuit autem & Samson de tribu Dan, & iudicauit Israel viginti annis. Sed non hūc prophetia significat, sed antichristum qui futurus est ex tribu Dan: scilicet iudex, & tyrannus immanis, iudicabit populum suum. Tamquam serpens in via, sedens in semita, deiicere tentabit eos qui viam ambulant veritatis, supplantare cupiens veritatem. Hoc est enim mordere equi calcaneum, vt veneni suffusione equus saucius, & vulneratus dēte serpentis, leuet calcaneū suum: sicut Iudas proditor tētatus à diabolo super Dominū Iesum leauit calcaneum suum, vt deiiceret equitem, qui se deiiecit vt omnes leuaret. Cecidit igitur non prostratus in faciem, quasi dormitans, sed retrorsum, vt à superioribus ad priora se extendens, à Domino expectaret salutem. Sciebat enim se resuscitandum, & ideo iacentem Adam expectabat erigere. Vnde nos cum bene in via currimus, caueamus necubi serpens lateat in semita, & subruat vestigium equi, hoc est, corporis nostri, & deiiciat subito equitem dormientē. Nam si vigilamus, cauere debemus aliquatenus, & morsus declinare serpētis. Nō ergo nos opprimat somnus negligentiae, somnus saeculi, non opprimat diuitiarum somnus, ne & de nobis dicatur, Obdormierunt somnum suum, & nihil inuenerūt omnes viri diuitiarum. Sed sunt & equites dormientes, de quibus scriptum est, Dormierunt qui ascenderunt equos. Si auaritia peccus tuum vulneret, si libido inflammmet, dormis eques, & ideo corpus tuum, hoc est, equum tuum non potes refrānare. Vigila ergo, vt etiam si deiectus fueris, hoc est, mortuus fueris, non obdormias. Qui enim obdormiunt somnum suum, nihil inueniunt. Tu autem expecta salutem à Domino venturam, respice vt gratiam resurrectionis inuenias. Dormiebat Iudas, vnde verba Christi non audiebat. Dormiebat Iudas, & quidem somnum diuitiarum, qui mercedem de proditione quaerebat. Vidit eum dormientem diabolus, & oppressum auaritia somno graui: misit se in cor eius, vulnerauit equum, deiiecit equitem, quem separauit à Christo. Hanc tribum benedixit Moyses, dicens, Dā catulus leonis, & effugiet ex Basan, hoc est confusione. Vnde secundum Græcum magis intelligere debemus, ex quo Latinus transtulit, quod Dan ipsi factus sit serpens in via sedens. Dan iudicium interpretatur. Et ideo graue iudicij periculum tribus ista subiit, cui serpens illapsus antichristus est, qui currentem suis fauciatet venenis. Sed tamē ipsa tribus liberabitur à confusione, cum fuerit confessus

equitem resurgentem, qui ait, Qui me cōfessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui est in caelis: qui autem me confusus fuerit coram hominibus, confundam & ego eum coram patre meo qui in caelis est.

De benedictione Gad, & mystica eius interpretatione. CAP. VIII.

Ad tentatio tentabit eum, & ipse tentabit eum secus pedes. Tentatio est cōgregatio & astutia Scribarum & sacerdotum, qui Dominum de tributo Cæsaris, & de Ioannis baptisate (vt docui t scriptura) tentabant, quibus Dominus Iesus in sua iustitia tēamentum retorsit. Secus pedes, hoc est continuo sine vlla deliberatione referēs, quō tentātes magis ipse concluderet. Dicentibus enim, In qua potestate hęc facis? non ad quæstia respondit, sed etiam ipse proposuit, dicens, Interrogabo & ego vos vnum verbum: quod si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hęc facio. Iterum dicentibus, Licet tributum dare Cæsari, an non? ait, Quid me tentatis, hypocrita? Ostendite mihi numisma census. Et offerentes iterū interrogauit, Cuius est imago & superscriptio? Dicunt ei, Cæsaris. Vbi igitur eos ligauit ipforum sermonibus, ipforum obligatione cōstrinxit. tunc ait illis, Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo: vt contra verba sua venire non possent. Denique mirati abierunt ab eo. Sed non est mirum si secus pedes respondebat, qui ante pedes videbat. Exposuit Moyses euidenter hęc prophetiam Iacob sancti esse de Christo. Sic enim ait, Benedictus qui ampliauit Gad. Sicut leo requieuit confringēs brachia & principes, & vidit ab initio suo, quia ibi diuisa est terra principum collectorum simul cum principibus populorum: iustitiam fecit Dominus & iudicium cum Israel. Agnoscimus itaque quis requieuit sicut leo, quis cōfregit brachia potentium, quis ab initio diuisiones tentationum vidit. Ibi igitur hiatus est terræ, qui absorbeat calumniantes, vbi tentatio perfidorum est.

De benedictione Aser, & de mysterio eiusdem. CAP. IX.

Aser pinguis eius panis, & ipse dabit escam principibus. Aser interpretatione Latina significat diuitias. Quis igitur diues, nisi vbi altitudo diuitiarum est sapientiae & scientiae Dei? Quis diues nisi Dominus Iesus, qui abundat semper, & numquam deficit? Pauper venit in hunc mundum, & omnibus abundauit, vniuersos repleuit. Quantus est in diuitiis, qui paupertate sua omnes diuites fecit? Sed pauper propter nos, diues cum patre. Pauper ille, vt nos ab inopia vendicaret, sicut Apostolus docet, dicens, Quia propter vos pauper factus est cum diues esset, vt illius inopia vos ditaremini. Cuius inopia ditat, sanat fimbria, fames satiat, mors viuificat, sepultura resuscitat. Hic ergo diues est thesaurus, huius pinguis panis. Et bene pinguis, quem qui manducauerit, esurire non poterit. Hunc panem dedit Apostolis, vt diuiderent populo credentium, hodieque dat nobis eum, quem ipse quotidie sacerdos consecrat suis

luis verbis. hic ergo panis factus est esca sanctorum. Possumus & ipsum Dominum accipere, qui suam carnem nobis dedit, sicut ipse ait, Ego sum panis vitae. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt: hic est autem panis qui de caelo descendit, vt si quis ex eo māducauerit, non moriatur. Et ne quis putaret quia de hac morte dicit quæ per animæ & corporis secessionem venit, & iure dubitet, cum sciat sanctos Apostolos hac morte esse defunctos, addidit, Ego sum panis viuus, qui de caelo descendi. Si quis manducauerit ex hoc, viuet in æternum; hoc est, nō de temporali vita dixi suprā, nec de morte istius vitæ, qua etiam si quis mortuus fuerit, tamen si panem meum acceperit, viuet in æternum. Ille enim accipit, qui seipsum probat: qui autem accipit, non moritur peccatoris morte, quia panis hic remissio peccatorum est. Moyses quoque pulcherrimē prophetauit in benedictionibus suis, dicens, Benedictus à filiis Aser, & erit acceptus fratribus suis, & intinger in oleo pedem suum, ferrum & æs calcamentum eius erit. Et sicut dies tui, sic fortitudo tua. Non est quisquam sicut est Deus tuus in caelo, adiutor tuus, & magnus Dominus firmamenti: & proteget te Dei principatus, & per vires brachiorum potentium eiecit à facie tua inimicum, dicens, Percas. Et habitabit Israel solus confidenter super terram: Iacob in frumento & vino, & cælum ei cum nebula roris erit.

De benedictione Nephthalim, & mystica illius declaratione. CAP. X.

Nephthalim vitis remissa, porrigens in germine decorem. Sarmentum vitis aliud amputatur, quod videtur inutile, ne casta vitis sarmentorum exultatione luxuriet, & aliud paulisper reciditur ac remittitur, vt fructum afferat, cuius decus in generatione porrigitur: quia dum ad superna se subrigit, vitem amplectitur, & ad verticem ascendens iugi, quædam colla vitium pretiosi palmitis vestit monili. Est & ille decorus in generatione, quia plenis palmitibus multos fructus exundat. Decorum hoc, sed multo illud pulchrius, quod hærentem palmitem viti significat spiritali, cuius nos sarmentum fumus, & fructum afferre possumus, si maneamus in vite: sin autem, præcidimur. Sanctus patriarcha Nephthalim erat palmes abundans. Vnde & Moyses dicit, Nephthalim fatietas accipientium, replebitur benedictione à Domino, mare & Africum possidebit: exponens hoc quod Iacob dixerat, quid sit vitis remissa, hoc est, per fidei gratiam vinculis mortis exutus: in quo significatur populus Dei ad libertatem fidei, & vbertatem vocatus gratiæ toto orbe diffusus, qui iugum Christi bono fructu vestiat, & ligna veræ illius vitis, hoc est, mysteria dominicæ crucis ambiat, nec timeat confessionis eius periculum, sed magis etiam in persecutionibus postus Christi nomine gloriatur. Hic est verè remissus à vinculis, qui nullo nexu formidinis alligetur. Vnde Propheta dicit, Exibit, & tripudabit sicut vituli resoluti vinculis. Ideoque in germine suo decorem porrigit, quia in loco pacis collocatus, & super aquam refectiois educatus, per sacramenta regenerationis suæ germinat

bonum verbi decorem, & assumitur in illam pulcherrimam Christi gratiam qui potest venustatem tui decoris augere. Denique super omnes decorus quod habet, donat: quia nemo potest donare quod nō habet. Ideoque dictū est, Dominus regnauit, decorē induit. Induit enim decorē Ecclesiæ gratiā, quæ in illo lauacro deponens fœditatem omnium delictorum, splendore gratiæ cælestis enituit. Ideoque sponsus de ea dicit, Quæ nā est hæc prospiciens tamquam diluculum, electa sicut sol, speciosa sicut luna, mirabilis sicut ordinatio?

De benedictione Ioseph, & qua ratione super omnes filios cum pater vberius profecutus sit, ac de mystica illius benedictionis expositione. CAP. XI.

Nunc vt tamquam epilogo quodam concludamus historiam, sicut & scriptura diuina concludit, prophetiam sancti Iacob de sancti Ioseph nomine digeramus. Filius meus ampliatus, Ioseph filius ampliatus, æglo appetitus, filius meus adolescentior ad me reuertere. In quem consilia conferentes maledicebant, & intendebant in eum domini arcum, & contriti sunt cum potentia arcus eorum, & dissoluti sunt nervi brachiorum manuum eorum, & per manum potentis Iacob, ille qui preualuit à Deo Israel pater tuus. Adiuuit te Deus meus, & benedixit te benedictione cæli à summo, & benedictione terræ habentis omnia. Propter benedictionem vberum & vuluæ, benedictionem patris tui & matris tuæ, preualuit super benedictiones mortuum manentium: & desideria collium æternorum erunt super caput Ioseph, & super caput eorum quibus præfuit fratrum. Quæ causa est quod super omnes filios, Ioseph vberius profecutus est pater, nisi quia præfigurata in eam Christi videbat mysteria? Vnde benedicens illum magis qui expectabatur, quam illum qui videbatur, ait, Filius ampliatus meus Ioseph. Quis est ampliatus, nisi Christus, cuius gratia semper augetur, & finē processus sui non habet gloria? De quo & Ioannes dicit, Illum oportet crescere, me autem minorari: quia per illius illud salutare perfectumque nomen cumulata est in hoc mundo & abundauit gratia. Filius meus ampliatus. Et ideo quia videbant eum crescere fratres, & inuidere cœperunt. Intelligibilis autem Ioseph & zelum incidit ab iis quos magis fouebat. Denique dicebat, Non veni nisi ad oues perditas domus Israel. Et illi dicebant, Nescimus vnde sit. Ille curabat eos, & illi negabant eum. Filius (inquit) meus adolescentior. Reuera adolescentior, qui erat penultimus natu. Denique & scriptura dicit, Amabat eum Iacob, quia filius senectutis erat illi. Quod etiam ad Christum refertur. Senectenti enim mundo & iam occidenti illucescens Dei filius per Mariæ virginis partum, serus aduenit, quasi filius senectutis secundum sacramentum suscepti corporis, qui erat ante saecula semper apud patrem. Vnde dicit ad eum pater, Ad me reuertere, vocans eum ad cælum de terris, quem propter nostram salutem miserat. Itaque resuscitans filium suum vnigenitum, euacuauit consilium maledicentium. Vnde & Elias dicit, Vanum consilium spiritus vestri. Et conuitia quæ quasi iaculantes sagittas dirigebant, soluit omnia, contriuit eorum potentiam, qui in suis virtutibus, & non in Deo confidentes erant. Ille (inquit) qui preualuit à

Deo Israel pater tuus, adiunxit te Deus meus. Quis est qui cõ-  
 fortavit Israel, & adiunxit filiũ, nisi solus Deus pater?  
 qui dixit, Iacob puer meus, suscipiam eum: Israel e-  
 lectus meus, suscipiat eum anima mea. Et benedixit  
 eum benedictione celi à summo, & benedictione terræ ha-  
 bentis omnia. Omnia enim subiecit ei, cælestia sicut benedi-  
 ctionem celi, & terrena sicut benedi-  
 ctionem terræ, vt & hominibus & angelis domi-  
 naretur. Itaque in illo velut contemptibili corpo-  
 re præualuisti (inquit) propter benedictionem vberum  
 vuluæ, benedictionem patris tui & matris. Vbera, vel duo  
 testamenta dixit, quorum altero annuntiatus est, al-  
 tero demonstratus. Et bene vbera, quoniam velut  
 quodã nos spiritalitate nutritos educauit, & obtulit  
 Deo filios. Vel Mariæ dicit vbera, quæ verè benedi-  
 cta erãt, quibus facta virgo populo Domini potũ la-  
 ctis immulset. Vnde & illa mulier in Evangelio ait,  
 Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.  
 Quod autem ait, Et vuluæ benedictionem patris tui &  
 matris, si vuluam solam Mariæ velimus intelligere,  
 cur vtrũque benedictione coniunxerit, latebit cau-  
 sa. Potuit enim dicere de sola vulua matris. Sed pul-  
 chrius arbitror, vt secundum spiritale mysterium in-  
 telligamus vtramque generationem Domini Iesu,  
 & secundum diuinitatem, & secundum carnem: se-  
 cundum diuinitatem, qua ante sæcula est generatus  
 ex patre. Vnde & pater ait: Eructauit cor meum ver-  
 bum: eo quod ex illa intima & incomprehensibili  
 patris processit substantia, & in ipso est semper. Vn-  
 de & Euangelista ait, Deum nemo vidit vnquam,  
 vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit.  
 Sicut ergo sinus patris spiritalis intelligitur intum-  
 quoddam paternæ charitatis naturæq; se-  
 cretum, in quo semper est filius; ita etiam patris  
 spiritalis est vulua, interioris arcanum, de quo  
 tamquam ex genitali alio processit filius. Denique  
 diuersè legimus, nunc vuluam patris, nunc cor eius  
 quo verbum eructauit, nunc os eius ex quo iustitia  
 processit, ex quo prodiuit sapientia, sicut ipse ait, Ex  
 ore altissimi prodiui. Ita cum vnum non definitur,  
 & vnum omnia sonant, spiritale magis mysterium  
 generationis paternæ, quàm membrũ aliquod cor-  
 porale significat. Sed sicut illam ex patre generatio-  
 nem intelligimus, ita etiam ad consummationem  
 fidei generationem Mariæ intelligamus, quãdo be-  
 nedicitur vulua matris, illa vtique Mariæ virginalis,  
 quæ nobis edidit Dominum Iesum. De quo partu  
 dicit Dominus per Hieremiam prophetam: Prius-  
 quàm te formarem in vtero, noui te: & priusquàm  
 exire de vulua matris sanctificauit te. Geminam igitur  
 Prophetam in Christo substantiam declarauit, di-  
 uinitatis, & carnis: alteram ex patre, alteram ex vir-  
 gine, ita tamè vt non exors suæ esset diuinitatis cum  
 ex virgine nasceretur, & esset in corpore. Vnde &  
 præuoluit super omnes mōtes, et desideria collium æternorũ. Super  
 omnes enim illos sublimis meriti viros patriar-  
 chas, & prophetas, & Apostolos, sed etiam vltra so-  
 lem, lunam, archangelos tamquam celi lumẽ emi-  
 cuit, sicut ipse ait, Non est discipulus super magistrũ,  
 nec seruus super dominum. Quis enim illorum fuit,  
 cui subiecta essent omnia, quibus ipse donauit quod  
 erant? In quo benedicuntur omnes sancti eius, quia  
 ipse est super capita omnium caput. Caput enim mu-  
 lieris, vir: caput viri, Christus. Et super vertices montium,

quia ipse est supereminens vertex vniuersorum. Sed  
 iustorum est vertex altissimus, quos fratres vocauit,  
 acquisitos per gratiam, & quoddam regenerationis  
 confortium. Vnde ex fratribus Ioseph illos magis  
 fratres intelligimus, de quibus dicit in Psalmo: Nar-  
 rabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccle-  
 siæ cantabo tibi. Denique & Moyses completurus  
 vitæ istius cursum cum benediceret tribum Ioseph,  
 non illum vtique defunctum Ioseph, sed Chri-  
 stum benedicebat, sicut habes scriptum de Ioseph,  
 A benedictione Domini terra eius, à fructibus  
 celi, & rore, & ab abyssorum fontibus deorsum,  
 & secundum horam à fructibus solis cursum, & à con-  
 uenientibus mensum, & à vertice montium ab ini-  
 tio, & à vertice collium æternorum, & ad horam à  
 terræ plenitudine, & ab eo qui visus est in rubo, ve-  
 niat super caput Ioseph benedictio, & super verti-  
 cem honorificus sit inter fratres. Primogenitus tau-  
 ri decus eius, cornua vnicornui cornua eius. In ipsis  
 gentes ventilabit simul vsque ad extremum terræ:  
 ipsa myriades Ephraim, & ipsa chiliades Manasses.  
 Benedictio eadem est, quæ omnem habet & cæles-  
 tium & terrestrium plenitudinem, & specialè Chri-  
 sti gratiã, qui visus in rubo dixit ad ipsum Moysen,  
 Solue calceamentum pedum tuorum. quiescit super  
 omnia Deus, quia ipse est caput corporis Ecclesiæ:  
 qui est principium primogenitus ex mortuis, vt sit  
 in omnibus ipse primatum tenens: quoniam in ipso  
 complacuit omnem plenitudinem inhabitare. Et  
 ideo soli benedictionis huius prerogatiua defertur,  
 à summitate celi vsque ad extremum terræ. Ipse est  
 enim ante omnes, in quo constant omnia: qui etiam  
 per sanguinẽ crucis suæ pacificauit omnia, siue quæ  
 in cælo, siue quæ in terris sunt. Cuius typum præ-  
 ferens pulchrè benedicitur sanctus Ioseph, vt hon-  
 orificetur inter fratres. Primogenitus tauri decus  
 eius, habens cornua vnicornui, in quibus gentes  
 ventilabit. Et bene taurus, quasi hostia pro deli-  
 ctis, & totius mundi victima, vt pacificaret om-  
 nia. Cuius decus sanctum, omne enim sanctum  
 primogenitum, sicut alibi demonstrauimus. Vnde &  
 Leui non ætatis ordine, sed sacre successions præ-  
 rogatiua primogenitus meruit nuncupari. Et verè  
 sanctum decus eius, de quo scriptum est resurgente:  
 Speciosus forma præ filiis hominum: quia ipse est  
 primogenitus ex mortuis, habens cornua vnicornui.  
 Sed cum dixerit cornua, quomodo posuit vnicor-  
 nu, requirendum; cum ipse vnicornuus inter gene-  
 rationes ferarum, vt periti aiunt, non inueniatur. Et  
 ideo verbum vnicũ magis æstimare debemus, quia  
 substantiuum verbum Dei vnum est, nõ multa ver-  
 ba. Vnde & Anna ait, Dominus iudicat fines terræ,  
 & dabit virtutem regi, & exaltabit cornu Christi. Et  
 Esaias ait, Vineam factam est dilecto in cornu in loco  
 vberi, quoniam in Dei filio vnigenito floret Eccle-  
 sia, tenens vnicum Dei verbum, in quo est virtutis  
 atque sapietiæ plenitudo, cuius vbertate seges fidei  
 pullulauit. Quod verbum sequuntur sancti. Myria-  
 des, inquit, Ephraim, & chiliades Manasses; id est, &  
 Iudæorum & gentium dominetur, & ex vtroque  
 populo acquirat sibi Ecclesiæ plenitudinem. Ideoq;  
 dexteram super Ephraim posuit sanctus Iacob, eo  
 quod legis, dicente Ecclesia in Canticis canticorum:  
 Frater meus candidus & rubeus, electus ex decem  
 milibus

Esai. 42.

1. Petr. 3.

Luc. 11.

Psal. 44.

Ioan. 1.

Ecl. 24.

Hiere. 1.

Math. 10.

Psal. 21.

Deut. 33.

Exod. 3.

Rom. 9.

Coloss. 1.

Ibid.

Deut. 33.

Lib. 2. de A.

bel. & Cui.

cap. 2.

Num. 3.

Psal. 44.

Coloss. 1.

1. Reg. 2.

Esai. 5.

Deut. 33.

Gen. 48.

Cantic. 5.

1. Reg. 13.

millibus. Denique etiam Dauid iuenculæ, Mariæ A  
 auctorem, ex cuius successione Christus est natus  
 per Virginis partum, in decem millibus prædicabant,  
 Saul autem in millibus, cum reuerentiæ gratiã circa  
 regem magis præponere debuissent. Qui ergo cor-  
 nu Christi exaltauerit confessus eius gloriam, ipse  
 quoque accipiet cornua. Vnde etiam sancti vnicor-  
 nu dicti sunt in Psalmsi versiculo: Et dilectus quem-  
 admodum filius vnicornuorũ. Et enim sicut animal  
 huiusmodi cum ei oriuntur cornua, processum si-  
 gnificat plenioris ætatis: ita cum è capite quædam  
 nostræ animæ cornua pullulare cœperit, processum B  
 videntur perfectioris significare virtutis, & tandem  
 crescunt, quàm diu compleantur. Hoc cornu Do-  
 minus Iesus comminuit gentes, vt superstitionem  
 obtineret, salutẽ redderet, sicut ipse ait, Percutiam,  
 & sanabo. Ideoque tamquam imitator tauri huius  
 Propheta dicit: In te inimicos nostros vtilitabimus  
 cornu: id est, altitudinem omnem eleuantem se ad-  
 uersus Dei scientiam destruemus. Et ideo iuxta le-  
 gem animalia quæ habent cornua, dicuntur munda.  
 Lex enim spiritalis est. Qui enim possunt sæculi  
 huius illecebras verbo Dei & virtutis obseruantia C  
 propulsare, cornibus velut quibusdam capitis sui ar-  
 mis videntur esse muniti. Meritoque & tuba cor-  
 nea dicitur virtus sermonis mirabilis, quæ bonos  
 Christi milites accendit ad prælium, vt de hoste dia-  
 bolo manubias reportemus. In acie igitur sumus, &  
 plurimos ex nobis videmus in aduersarij castris esse  
 captiuos: hi nobis iugo grauissimo eruendi sunt.

De benedictione Benjamin, & mystica representatione eiusdem.  
 CAP. XII.

Plurimos lupos habet diabolus, quos ad Christi D  
 oues dirigit, & ideo intelligibilis Ioseph vt oues  
 seruaret suas, ipsum inimicum venientẽ ad diripien-  
 das oues rapuit lupum Paulum, faciens ex persecu-  
 tore doctorem. De quo dicit Iacob, sicut scriptum  
 est, Benjamin lupus rapax, mane comedit adhuc, & ad  
 vesperam diuidet escam. Lupus erat cum dispergeret &  
 deuoraret oues Ecclesiæ. Sed qui lupus venerat, pa-

stor est factus. Lupus erat cum Saulus erat, quando  
 intrabat in domos, & viros ac mulieres trahebat in  
 carcerem. Lupus erat quando spirans minas & ho-  
 micidia in discipulos Domini, petebat epistolas à  
 principe sacerdotum, vt inuaderet seruos Christi.  
 Quem tamquam lupum nocturnis tenebris ober-  
 rantem offusa Iesus luce cæcauit. Ideo Rachel cum  
 pareret Benjamin, vocauit nomen eius, Filius do-  
 loris mei: futurum prophetans ex ea tribu Paulum,  
 qui affligeret filios Ecclesiæ persecutionis suæ tem-  
 pore, & graui matrẽ dolore vexaret. Sed tamẽ idem  
 postea escam posteriore diuisit tempore, euangeli-  
 zans gentibus Dei verbum, & plurimos ad fidem  
 prouocans: quo disputante, sicut legimus, Paulus  
 proconsul, & Publius princeps, Domini gratiam re-  
 ceperunt. Pulchrè etiam Moyses cum benediceret  
 Benjamin tribum, dixit, Dilectus à Domino habi-  
 tabit confidenter, & Deus obumbrabit super eum  
 omnibus diebus, & inter humeros requiescet. dile-  
 ctus à Domino, quia etiam vas electionis est factus.  
 Neque enim aliter nisi Domini est miseratione &  
 amore cõuersus. Vnde & ipse nihil merito tribuens  
 suo, sed totum deferens Christo, ait, Ego enim sum  
 minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari  
 Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiã Dei.  
 Gratia autem Dei sum id quod sum, & gratia eius  
 egena in me non fuit. Habitabit confidenter in do-  
 mo quam antè vastabat, habitabit in tabernaculis  
 Christi, qui antè sicut lupus errabat in siluis. Et  
 Deus obumbravit super eum, quãdo visus est ei Chri-  
 stus. Qui licet apertis oculis videret nihil, tamen  
 Christum videbat. Et meritò videbat presentem,  
 quem etiam audiebat loquentem. Non cæcitas est  
 obumbratio ista, sed gratiæ. Denique Marię dicitur,  
 Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi  
 obumbrabit tibi. Et inter humeros requiescet, hoc  
 est inter bonos actus, & opera pretiosa. Nã & supra  
 habes quod Issachar supposituit humerum suum ad  
 laborandũ, & factus est vir agricola. Quẽ Paulus imi-  
 tatus, posuit fidei nouella plantaria, ideoque quasi bo-  
 nus agricola dixit, Ego plantaui, Apollo rigauit.

Psal. 28.

Deut. 32.

Psal. 43.

1. Cor. 10.

Luc. 11.

Rom. 7.

Psal. 97.

As. 9.

Ibid.

Gen. 35.

Act. 9.

Act. 13.

Deut. 33.

Act. 9.

1. Cor. 15.

Act. 9.

Luc. 11.

Supra cap. 6.

huius libri.

1. Cor. 3.

S. AMBROSII DE BENEDICTIONIB. PATRIARCHAR. LIBRI FINIS.

# SANCTI AMBROSII EPISCOPI

## MEDIOLANENSIS AD HORONTIANVM

### ENARRATIONES DVÆ.

#### In quibus loca duo cap. I. Genesis, examinantur.

#### ENARRATIO PRIMA.

Primus locus, Cur homo ceteris creaturis prælatus, ac earum moderator (Vnde dictum est ei, Potestatem habere super pisces maris, super volatilia celi, &c.) postremus omnium sit creatus.

AMBROSIVS HORONTIANO.



OVERI te insinuasti mihi lecto hexaeme-  
 ro quod ipse scripsi: quia cum tantum di-  
 uinæ scripturæ serie vel stylo sermonis mei  
 collatum aduerteres homini, quantum nulli in  
 S. Ambr. tom. 1.

hac terra animantium, prius omnia vel volatilia,  
 vel terrestria, vel quæ in aquis sunt, produxit ter-  
 ra vel aqua, quàm homo propter quem illa creata  
 sunt generaretur: cuiusque rei rationem de me requi-  
 z

Gen. 1.





ostendens ideo se nouissimum venisse, quia gubernator veniret, Vnde Apostolus ait, Factus est primus homo Adam in animam viuētem, nouissimus Adam in spiritum viuificātem. Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. Et addidit, Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Rectè ergo nouissimus quasi totius summa operis, quasi causa mundi, propter quem facta sunt omnia, quasi omnium habitator elementorum inter feras viuūt, cū piscibus natat, super aues volat, conuerſatur cum angelis, terram inhabitat, & cælo militat, sulcat mare, aere pascitur, cultor soli, viator profundū, piscator in fluctibus, in aere auceps, in cælo hæres, Christi cohæres. Hæc secundū industriā. Accipe etiam quod supra hominis substantiā. Moyses in imo ambulauit mari, in summo Apostoli; Habacuc sine pennis volauit, Elias in terris vicit, & in cælo triumphauit. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

ENARRATIO ALTERA.

Secundus locus: Quomodo inter auctorem & opificium posuerit Moyses distinctionem: & de ratione sex dierum, & de septenarij ac octonarij numeri mysterio differit.

AMBROSIVS HORONTIANO.

**D**IVISIONEM egregiè aduertisti propheticam, vel potius diuinam. Nō enim sua Moyses, sed infusa & reuelata sibi scripsit, ea præcipuè quæ sunt de constitutione mundi: quæ diuisio operatorem atque opera distinxit. Nam cū aliud impassibile esset, aliud passionis receptabile; quod erat impassibile, ad Deum operatorem retulit: quod autē passibile, sine anima, sine motu proprio: motum & animam & figuram à creatore accipiens suo, deputauit huic mundo. Quem factum non oportuit sine gubernatore & quodam patre indefensum relinqui. Et ideo inuisibilem Deum visibilis huius mundi restorem esse & quasi tutorem, apertissimè describit. Quod ergo inuisibile, sempiternum: quod autem videtur, temporale. Sex itaque diebus factum mundum exprimit, non quod Deus tempore indigerit ad constitutionem eius, cui intra momentum suppetit facere quæ velit (dixit enim, & facta sunt) sed quia ea quæ sunt, ordinem quarunt. Ordo autem & tempus & numerum plerumque exigit. Illud quoque præcipuè, quoniam nobis ad operandum formā daturus, numerum dierum seruauit & tempora. Nos enim tempore indigemus vt aliquid maturius agamus, ne præcipitemus cōsilia atque opera nostra, ne ordinè prætermittamus. Cū ergo Deum legimus, vt scriptura ostendit, cum sapientia & quodam consilio & dispositione omnia fecisse & ordine, consentaneum est rationi vt primò cælum faceret, quod est pulcherrimum: oportet vt eò primū oculos erigamus, illò nobis cōtendendum esse arbitremur, illam sedem terrenis omnibus præferendam putemus. Sex itaque diebus mundum creauit, septimo die requieuit ab operibus suis. bonus septimus numerus, quem non Pythagorico & cæterorum philosophorū more tractamus, sed secundum formam & diuisiones gratiæ spiritualis. Septem enim virtutes principales sancti spiritus propheta Eliaſ complexus est. Hæc hebdomas sicut ipsa patris & filij & spiritus sancti

venerabilis trinitas, sine tēpore, sine ordine, auctor numeri, non sub numeri lege deuincta. Itaque sicut ad æternam trinitatis gratiam, cælum, terram, maria formata, & sicut sol, luna & stellæ: etiam ad illum septenariū virtutum spiritaliū circuitū atque orbem operationis diuinæ vigore præstantem, septenarium quoddam ministerium planetarum creatum aduertimus, quo hic mundus illuminatur. Quarum concurrere fertur militia ad earum numerū quas inerrabiles ferunt stellas, & vt Græci dicūt, ἀπὸ τῶν ἑπτὰ. Septentrio quoque inde Latine nomen accepit, quod septem in eo fulgor stellarum irradiet, in quem maximè gubernatores quasi ducem feruntur intendere. Descendit hæc de cælo in terras prærogatiua. Nam vt tranſeam septiformem capitis nostri gratiam, in oculis duobus, auribus & naribus binis, ore quoque per quod magnam suauitatem percipimus: quātum istud miraculi, quod septimo mense in plerisque origo legitima formatur, & qui fuerit editus, vitalis generationis curricula sortitur? octauo autem mense interdicta naturali lege pariendi cernimus tēpora, ac si fortè lethalis necessitas partus claustra laxauerit, periculum pariter generantis properetur & pignoris. Sed tamen ille septimanus, etsi bene nascatur, ad labores nascitur: qui autem octaua die regenerationis sortitur mysteria, consecratur per gratiā, & ad hæreditatē regni cælestis vocatur. Magna in virtutibus spiritus sancti hebdomadis gratia, eadem tamen hebdomaden sonat, ogdoaden consecrat. In illa sonus, in ista fructus est: ideòq; octauo die soluta paradiso reddidit spiritus gratia, quos extorres sua fecerat culpa. Nouit ogdoaden istam, quam octauam Latine dicimus, vetus testamētum. Siquidem ait Ecclesiastes: Da partem illis septem, & illis quidem octo. Hebdomas veteris testamenti est, octaua noui, quādo Christus resurrexit, & dies omnibus nouæ salutis illuxit. Ille dies, de quo ait Propheta, Hic dies quem fecit Dominus, exultemus & lætemur in eo. quo die se fulgor plenæ atque perfectæ circumcisionis humanis peccatoribus infudit. Propterea & vetus testamētum dedit partem octauæ in circumcisionis solemnitate. Sed illa adhuc in umbra latebat. Venit sol iustitiæ, & consummatione passionis propriæ reuelauit sui luminis radios, quos rexit omnibus, & vitæ claritatem aperuit æternæ. Isti ergo sunt septem & octo, de quibus & Osee dicit quod eo numero conduxerit sibi, & acquisierit fidei plenitudinem. Sic enim habes, Et abij, & conduxi mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & semicoro hordei, & neuel vini. Conducendam autem ei meretricem Dominus præceperat. In superioribus itaque manifestum est quod cōduxit eam, qui etiam mercedis quantitatem expressit. Quindecim autem argentei ex septem & octo constant. hebdomadam itaque & octauam significant. Duorum igitur testamentorum, id est, plenæ fidei pretio prophetia consummationem accepit fidei, Ecclesia plenitudinē. Primo enim testamento Israel acquisitus est populus, secundo nationum & gentium. Fide ergo plena conducitur meretrix, vel ex gentibus copulam sui quærens, vel ex adultero Iudæorū populo, qui Dominum suum & auctorem virginalis fidei dereliquerat, conuentus suos totius orbis spatio diffundens. Quod autem dixit, in coro & in semicoro hordei:

Matth. 5.

Mich. 5.

Exod. 4.

Reg. 10.

Esai. 25.

1. Cor. 15.

Hebr. 4.

Gen. 2.

Psal. 94.

Hebr. 4.

Hebr. 13.

Eccles. 11.

Psal. 117.

Coloss. 2.

Luc. 23.

Apoc. 22.

Hier. 31.

Matth. 2.

Phil. in lib. de opificio mundi.

ro hordei: in coro mensuræ plenitudo est, in semicoro semiplena mensura. Plenitudo in Euāgelio, semipletio in lege; sicut legimus dicente Domino, Non veni legem soluere, sed implere. Et alibi habemus dicente Domino per Michæam prophetam: Quia tunc pax erit in terra Israel, cū venerit Assyrius in terrā eius, & insurrexerint in eum septem pastores, & octo morsus hominum. Tunc enim plena pax est fidei populo ab omnibus tentationibus & vanitatibus absoluto, cū mundi huius vanitatem excluderint de cordibus nostris pax & gratia. Pax veteris, gratia noui testamēti. Septem pastores, præcepta legis sunt, quibus grex adhuc quasi irrationalis in virga Moyſi per desertum ductus & gubernatus est. Octo morsus hominum, mandata Euāgelij & dominici oris alloquia. Corde enim creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem. Boni morsus, per quos vitæ æternæ munus gustauimus, peccatorum remissionem in Christi corpore deuorantes. In veteri testamento amarus morsus est mortis, propterea dictum est, Deuorauit mors præualens. In nouo testamēto suauis morsus est vitæ, quæ mortem absorbit. Propterea Apostolus ait, Deuorata est mors in victoria sua. Vbi est mors victoria tuæ? ubi est mors aculeus tuus? Atque vt apostolicis vtamur testimoniis, ubi hominem fecit Deus, requieuit ab omnibus operibus suis in die septima. Sed quia populus Iudæorum per contumaciā contēpsit mandata Dei sui, ait Dominus, Si introibunt in requiem meam. Et ideo aliam Deus præſtinauit diem, de qua dicit, Hodie si vocē meam audieritis. Duos enim dies comprehendit scriptura generales: heri, & hodie. de quibus dicit, Quorum imitamiſdem, Iesus Christus heri & hodie, ipse est in sæcula. In superiore die promissio est, in consequenti solutio. Sed quia hesternæ die neque Moyses neque Iesus Naue populum induxit in requiem; hodierna die Christus induxit, cui dixit pater: Ego hodie genui te. Per suam enim resurrectionem Iesus populo requiem comparauit. Requies enim in cælo, non in terra est. Requies nostra, Dominus est Iesus, qui ait, Hodie mecum eris in paradiso. Quid igitur opus est vt explorem ortus signorum atque obitus, quorum ad exortum duris inarata vomeribus findantur noualia, vel ad occasum lata messis recumbat? Vna mihi stella abundat pro omnibus, stella splēdida & matutina, cuius ad exortum seminata est non frugum, sed martyrum seges: quando Rachel plorauit filios suos, vt lacrymis ablutos suis pro Christo offerret infantulos: cuius stellæ obitus non cremiorum sensibilibium, sed spirantium defunctorum triumphales manipulos de tumulis resuscitauit. Celebretur itaq; hebdomas, eo quod per septem ætatum cursus vita hominum vsque ad senectutem transcurritur, sicut Hippocrates medicinæ magister scriptis explicuit suis, Prima ætas infantia est, secunda pueritia, tertia adolescentia, quarta iuuetus, quinta virilis ætas, sexta æui maturitas, septima senectus. Est ergo infans, puer, adolescēs, iuuenis, vir, veteranus, senex. Solon autem decem fecit ætatum ordines per annos septenos, ita vt prima ætas infantia vsque ad emissionem fit dentiū, quibus cōficiat cibum, sermonēmq; distinguat, vt possit effabilis videri. Pueritia quoque

vsque ad annos pubertatis procedit, & genitalia tēta. Adolescentia vsque ad barbæ lanuginem. Iuuenta vsque ad perfectę virtutis processum. Quinta ætas virilis est, apta copulis coniugalibus per totam hebdomadam: Sexta quoque hebdomas virili deputatur ætati, & ad prudentiæ processum habili, & ad agendum strenua. Septima quoque hebdomas & octaua æui maturum, & sensu vigentem, sermone, & nō insuauis alloquij gratia præditum prodūit. Nona hebdomas reliquias adhuc habet aliquas virium, lingua ac sapientia mollior. Decima verò hebdomas mensuram implet, ad quam is qui peruenire potuerit, non immaturo temporum cursu pulsabit mortis fera vestibula. Ergo Hippocrates & Solon velleptē ætates vel hebdomadas ætatū norūt, in illis se hebdomas præferat. Octaua autē vnā & perpetuā ætatē inuehit, qua excreſcimus in virū perfectū in agnitione Dei, fidei plenitudine, in qua legitima ætatis mēſura impletur. Est etiam in visceribus nostris hebdomadis explorata gratia. Ferunt enim septem quoque esse in nobis interiora viscera, stomachum, cor, pulmonem, lien, hepar, renes duos. Septem quoque exteriora, caput, posteriora, ventrem, binas manus, & binos pedes. Præstantissima hæc, sed obnoxia dolori. Quis autē dubitet maius esse octauę munus quæ totum renouauit hominem, vt iam nihil possit dolere? Itaque septima mundi ætas cōclusa est, octaua illuxit gratia, quæ fecit hominem iam non huius mundi esse, sed supra mundum. Iam enim non vitam nostram, sed Christum viuimus. Nobis enim viuere Christus, & mori Iudæorum. Et alibi, Itaque iam non in carne, sed in fide viuimus Christi; Apostolus dicit. Vnde colligimus, quia conclusus est mundi dies. Denique nouissima hora venit Dominus Iesus, & pro nobis mortuus est, & omnes in illo mortui sumus, vt viuamus Deo. Nō ergo nos qui eramus, viuimus, sed viuūt Christus in nobis. Abiit ergo hebdomas, venit octaua. Abiit heri, venit hodie, illud hodie quod promissū est, quo admoniti sumus vocem Dei audiendā & sequendā. Abiit ergo ille dies testamēti veteris, venit dies nouus, quo testamētum consummatum est nouum, de quo dicit, Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & cōsummabo domui Israel & domui Iuda testamētum nouum, non secundum testamētum quod feci patribus illorum in die qua apprehendi manus ipsorum vt educerem illos de terra Egypti. Et quæ ratione mutatur sit testamētum, adiicit, Quoniam ipsi non manserunt, inquit, in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus, Abierunt sacerdotes legis, legis tribunalia. Accedamus ad sacerdotē nouum, ad sedem gratiæ, visitatorem animarū nostrarum, sacerdotem non secundum legem mandati carnalis creatum, sed secundum virtutem insolubilem electum. Nō enim ipse sibi honorem præripuit, sed electus à patre est, sicut ipse pater ait, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Nouus ergo sacerdos videmus quid obtulerit. Alij sacerdotes, pro se offerrebāt, & pro populo suo: hic quia non habuit peccatum, vt pro se offerret, pro vniuerso mundo se obtulit, & per sanguinem suum intrauit in sancta. Hic est ergo sacerdos nouus, & noua hostia, non ex lege, sed supra legem: aduo-

1. Ioan.  
Mat. 5.

catus mundi, lux sæculi; qui dixit, Ecce venio, & non videmus oculis, sed affectu tenemus: cui est venit. Ad quem accedamus in abundantia fidei, omnis honor sæper & gloria. Vale fili, & nos dilige, adorantes & obsecrantes & sperantes in eum, quem quia nos te diligimus.

S. AMBROSII AD HORONTIANVM ENARRATIONVM FINIS.

# SANCTI AMBROSII EPISCOPI

## MEDIOLANENSIS AD SABINVM

### ENARRATIO.

In qua super cap. II. Genesis, de paradiso, de que eius loco mysticè agitur.

AMBROSIVS SABINO.

**E**CTO hexamero vtrū paradysum sub-  
textuerim, requirèdum putasti, & quam  
de eo haberem sententiam, significan-  
dum, idque velle te studiose cognosce-  
re. Ego autem iam dudum de eo scripsi,  
nondum veteranus sacerdos. Sententias autem de  
eo diuersas esse plurimorum cõperi. Nam Iosephus,  
vt pote historiographus, locum dicit refertum ar-  
boribus virgultisque plurimis, irrigari etiam flumi-  
ne qui diuidatur in quattuor fluuios. Collecta ete-  
nim in vnum congregatione aquarum, non se peni-  
tus exinaniuit terra, & fraudauit irriguis suis, sed ho-  
diè que in fontes prorumpit, & deducit meatus flu-  
minum, quibus pignora sua quasi pia mater plenis  
lactat vberibus. Alij alias, omnes tamen congruunt,  
in paradiso & lignum vitæ radicum, & lignum  
scienciæ quæ discernat bonum & malum, cætera  
quoque ligna plena vigoris, plena viuificationis,  
spirantia, & rationabilia. Ex quibus colligitur, pa-  
radysum in nostro principali, quod animatur & viuifi-  
catur animæ virtutibus, & infusione spiritus, posse  
videri. Denique Salomon in spiritu paradysum in  
homine esse euidenter declarauit. Et quia mysteria  
exprimit vel animæ & verbi, vel Christi & Ecclesiæ,  
ideo ait de virgine anima, vel Ecclesia quam vole-  
bat virginem castam assignare Christo: Paradysus  
conclusus, soror mea sponsa, paradysus conclusus,  
fons signatus. Paradysus Græcè, Latinè hortus dici-  
tur. Denique Susanna in paradiso erat, & sic legitur  
Latinè. Et Adam in paradiso erat, & sic legimus. Et  
ergo non te moueat quod alij codices Latini hortum  
habent, alij paradysum. Ibi ergo est casta vxor, vbi  
virgo. Licet virgo excepta habeat claustra & signa-  
cula sua, sed vtraque in paradiso, vt aduersum æstus  
corporis & carnis flagrantiam refrigeretur virtutum  
vmbraulis. Ergo paradysus in principali nostro est,  
siluescens plurimarum opinionum plantariis, in quo  
principaliter lignum vitæ cõstituit Deus, id est, pie-  
tatis radicem. Ea est enim vitæ nostræ substantia, si  
Domino & Deo nostro debitos cultus deferamus.  
Constituit etiam scienciæ boni & mali seminarium.  
Homo enim solus in cæteris animantibus terrenis  
habet scienciã boni & mali. Alia quoque, illic planta-  
ria diuersa, quorum fructus virtutes sunt. Sed quia  
scienciæ capax hominis affectus cognitus est Deo  
quod citius ad astutiam inclinaretur quam ad sum-  
mum prudentiæ (neque enim iudicem qui fines cer-

Ioseph. lib. 1.  
antiquit. cap.  
2.

Gen. 2.

2. Cor. II.

can. 4.

Dan. 13.  
Gen. 2.

Gen. 3.

Gen. 2.

Gen. 3.

Ibid.

Ecl. 37.

Gen. 2.

Gen. 3.

1. Cor. II.

Ecl. 7.

Es. 54.

Gen. 2.

Gen. 3.

philo in lib.  
de opificio  
mundi.

vt

vt plerisque experiri volentibus cum plures anulos ad  
ferreos ad eum lapidem admouerint, omnes pari te-  
neat modo: deinde si ei anulo cui adhæserit lapis,  
alium admoueat anulum, & rursus per ordinem  
singulis substituas, licet in omnes penetret per or-  
dinem ex illo lapide vis naturæ, tamen priores ne-  
xu vehementiore constringit, posteriores remissio-  
re: quanto magis humani generis conditio atque  
natura ex puriore statu in deteriore lapsa est, quã-  
do nequiores attigit? Nam si per eas species mi-  
nuitur natura quæ non sunt culpæ capaces, quanto  
magis per animos atque artus labe pollutos scele-  
rum virtus eius hebetatur? Vnde quia excreuerat  
malitia, abolita innocentia fuerat, non erat qui fa-  
ceret bonitatem, non erat vsque ad vnum: venit  
Dominus qui reformaret naturæ gratiam, immo  
augeret, vt vbi superabundauit peccatum, supera-  
bundaret gratia. Ergo liquet & quia auctor homi-  
nis Deus, & quod Deus vnus, non multi dij, sed  
vnus qui mundum operatus est, & vnum, non mul-  
tos mundos, vt dicunt philosophi. Primum igitur  
mundum creauit, deinde habitatorem mundi, cui  
totus mundus patria foret. Nam si hodie quocum-  
que accesserit sapiens, vbique ciuis est, vbique sua

Is. 13.

Rom. 5.

1. Cor. 8.

Gen. 2.

Gen. 3.

Ibid.

Ecl. 37.

Gen. 2.

Gen. 2.

Gen. 3.

1. Cor. II.

Ecl. 7.

Es. 54.

Gen. 2.

Gen. 3.

Ibid.

philo in lib.  
de opificio  
mundi.

vt

omnia intelligit, nusquam se peregrinum, nusquam  
hospitem iudicat: quanto magis ille primus homo  
totius erat mundi incolæ, & vt Græci dicunt, *κοσμο-  
πολίτης*, opus Dei recens, confabulator assiduus, ci-  
uis sanctorum, complantatus virtutibus, præpositus  
omnibus terrenis animantibus, marinis, volatilibus,  
totum mundum suam possessionem putabat, quem  
Dominus tuebatur vt opus suum, neque vt bonus  
parens atque auctor deserebat? Denique eò vsque crea-  
tum fouet, vt abdicatum redimeret, eliminatū reci-  
peret, mortuum passione filij sui vnigeniti resuscita-  
ret. Est ergo hominis auctor Deus, & diligit opus  
suum operator bonus, nec derelinquit bonus pater,  
quem etiã sicut diues paterfamilias censu propriæ  
hæreditatis redemit. Cauemus ergo ne hominẽ  
istum, id est, *youu*, mulier illa, id est, passio sensuum  
nostrorum, delectatione & ipsa decepta atque illu-  
sa effœminet, & circumscriptum in leges suas & sen-  
tentiam trahat. Fugiamus delectationem sicut ser-  
pentem, multas enim artes habet, & maximè in ho-  
minem. Nam alia animantia cibi auiditate capiuntur,  
homo quanto plures sensus oculorum auriumque  
habet, tanto maiora pericula. Vale, & nos dilige, vt  
facis, quia nos te diligimus.

De pœnis dij.  
2. c. primus  
homo.

Gen. 3.

Gen. 3.

Ibid.

Sap. 3.

Iacob. 1.

S. AMBROSII AD SABINVM ENARRATIONIS FINIS.

# SANCTI AMBROSII EPISCOPI

## MEDIOLANENSIS DE ARBORE INTER-

### DICTA ENARRATIO.

In qua agitur super cap. III. Genesis, de præcepto homini da-  
to super fructu arboris scienciæ boni & mali, & eius trans-  
gressione, & pœna inflicta. CAP. I.

**E**GIMVS in Genesi Deum Adæ dixisse,  
Ex omni ligno quod est in paradiso ad es-  
cam, edes: de ligno autem quod est scienciæ  
boni & mali, non edetis ex eo, quia die autè  
mãducaueritis ex eo, morte moriemini. Multos sci-  
mus de hac arbore quæstiones vanas mouisse, qui-  
bus dicunt Adam non volũtate sed necessitate pec-  
casse, quia in illa arbore scienciæ boni & mali erat  
mors. Qui dum hominis culpam exculare nituntur,  
Deo conditori damnabiliter iniuriam faciunt. Qui  
bus ratio idcirco reddenda est, ne diutius vanas  
huiusmodi moueant quæstiones: aut adhuc cum  
animarum periculo, & æternæ salutis dispendio in  
errore taliter sentiendo iaceant: sed si volunt veri-  
tatem nosse, taceant & audiant (audiens enim sa-  
piens, sapientior erit) ne stulta loquendo de Deo,  
eius bonitati conuiciam inferant. Vna arbor fuit  
in medio paradisi, explorans hominis volunta-  
tem: in ea vita pendeat per obedientiam, in ea  
& mors per transgressionem latebat: in ea appa-  
ruit hominis transgressio, in qua fuerat leuis præcep-  
tio. Deus dixit, Ex omni ligno quod est in pa-  
diso ad escam, edes: de illa verò arbore quæ est in  
medio paradisi, non manducabitis, ne forte moria-  
mini. In hoc verbo lex fuit à Deo posita homini, in

eo fuit pœna cum interminatione mortis cõstituta.  
Vnde mulier ad serpentem respondit, De fructu li-  
gni quod est in medio paradisi, dixit Deus, Non  
manducabitis ex eo, neque tangetis ex eo, vt nõ mo-  
riamini. Et diabolus dixit, Non morte moriemini.  
Stetit ergo homo inter Deum factorem, & diabo-  
lum deceptorem. Nam Deus mortem minatur, si  
arboris fructus tangatur: diabolus verò deos futu-  
ros eos esse promittit, si arbor illa violetur. Ideo  
inquit, Scit enim Deus quia quacumque die man-  
ducaueritis ex eo, adaperientur oculi vestri, & eritis  
sicut dij scientes bonum & malũ. Appetita est tan-  
dem venenosa dulcedo mortis, & contempta est fa-  
lubritas perpetuæ vitæ. Sed dicit calũniator, Vides  
quia in illa arbore fuit mors. Respondemus vanæ  
quæstioni: Non fuit planè in ea arbore mors, sed  
per hominem inuenta. Sapiens dicit, Deus mor-  
tem non fecit; sed impij manibus & verbis ac-  
censerunt eam. Lex in arbore, probatio fuit homi-  
nis, non deceptio saluatoris. Nam si Deus homi-  
nem non amasset, nec fecisset eum, nec præmonuis-  
set, si mortificare voluisset. Quod si homo antè non  
præmoneretur, nõ esset misericordia (dices) sed fax-  
uitia, nec iustitia, sed iniustitia. Verum opinandum  
non est quod Deus misericorditer fecisset homi-  
nem, & labefecisset iniuste. quod cum nec de ho-  
mine præsumatur, quanto minus de Deo credendũ  
est, qui fons pietatis & bonitatis est; & à quo omne  
datum optimum, sicut dicit Apostolus, descendit?

z. iiii

Denique quis hominum aliquando opus suum pe-  
 rire patitur, aut fabricam suam ruinæ tradit, aut  
 filium quem genuit, in foueam mortis impin-  
 git? Si etiam in homine vix hoc reperitur, quomo-  
 do in Deum fuisse credas, qui fabricam suam, id  
 est hominem, bene disposuit, & imminente eius  
 ruina, in præcipitium ne caderet, suffulit? Sed ad-  
 huc stare non potuit. Quare? Quia audire noluit.  
 Quid ergo imputamus Deo si Adam cecidit, qui vt  
 caderet, Dei præceptum contempsit? Dic mihi: Ar-  
 bor ipsa scientiæ boni & mali, bona fuit, an mala?  
 Dicitur es, Mala utique, de qua homo pomum rapi-  
 endo lapsus est in mortem. Ergo arbore fuit ma-  
 la, an transgressio mandati? Planè arbor, dices. Nam  
 si mala non fuisset, homini mortem non propina-  
 set. Hoc dicis non intendens virtutem scriptura-  
 rum: quoniam sicut scriptum est, in illa arbore fuit  
 dinoscencia boni & mali, non malum. Nam scri-  
 ptum est etiam, Et vidit Deus omnia quæ fecit, &  
 ecce bona valde. Illud credis quod te in errore  
 inducat, & hoc non credis quod te adducat ad sa-  
 lutem?

CAP. II.

Vis nosse qui calumniaris, quia arbor illa non  
 fuit mala, sed bona, nec in ea facta est à Deo mors,  
 sed homo serpentem audiendo, sibi mortem ac-  
 cessit, sicut sapiens testatur: Deus, inquit, crea-  
 uit hominem in integritate, & imaginem propria  
 similitudinis fecit eum: inuidia autem diaboli mors  
 introiit in mundum? Percussor item: Ferrum bo-  
 num est, an malum? Sine dubio dicitur es, Malum.  
 Quare malum, & non bonum, cum omnia quæ  
 Deus fecit, bona sint valde? Si dices, Bonum:  
 quare bonum dices esse ferrum, vnde homines pe-  
 rimuntur? Audi ergo non ferrum esse malum, sed  
 qui ad facinus utitur ferro, ipse malus est. Vis au-  
 tem nosse quia bonum est ferrum? Vnus eo utitur  
 ad putandam vineam, alius ad perpetrandum homi-  
 cidium: alius se nutrit ferro, & alius innocentem  
 perimit gladio: vnus ferro agrum colit, alius acie  
 ferri sanguinem fundit: vnus operatur ferro vt vi-  
 tam sustentet suam, alius autem vitam perimit alie-  
 nam. Nam iudex gladium portat, vt in reum ani-  
 maduertat, innocentem absoluat. Adhuc audi si va-  
 cat calumniator. Vinum bonum dicitur esse, an ma-  
 lum? Puto quod dicitur bonum esse, non malum. Et  
 hoc ad sobrietatis iudicium, non ad ebrietatis præ-  
 iudicium. Ergo bonum est vinum, bonum valde.  
 Bene quod in vino confessus es bonam Dei crea-  
 turam, & ego confiteor bonum esse. Quare ergo vnus  
 accipit ad sobrietatem, alius ad ebrietatem?  
 Numquid quia vnus inebriatur, & turpis videtur,  
 & aliquando inebriatus in foueam cadit, & mor-  
 tem incurrit; ideo dicenda est mala Dei creatura?  
 Non utique: quandoquidem alius sobriè bibit, &  
 Deum in ipsa sobrietate benedicit. Cibi item  
 quos nobis Dominus largitus est ad vtendum, non  
 sunt mali, sed boni: & tamen si amplius quam con-  
 uenit sumantur, perniciosi sunt. Ideo scriptum est:  
 In multis escis erit infirmitas. Numquid ideo ma-  
 la dicenda est Dei creatura, quia aliquibus nocet?  
 Nequaquam; sed sicut docet Apostolus, Omnis crea-  
 tura Dei bona est. Vertitur autem in perniciè bona  
 Dei creatura ex praua vtentis mensura. Vnde quod

Sap. 8.

Gen. 3.

Gen. 2.  
Gen. 1.

Sap. 2.

Gen. 1.

Rom. 13.

1. Tim. 4.

Ecli. 37.  
1. Tim. 4.

est sui natura bonum, sit vsu malum. Scimus ali-  
 quos nimio vino & cibo esse præfocatos, & morte  
 præuentos: numquid in vino aut cibus fuit mors?  
 Absit, sed intemperantia ciborum fecit eos in mor-  
 tem cadere, quia dictum est, Exultatio cordis, & læ-  
 titia animæ vinum epotum in tempore sufficiens. &  
 econtrà: Amaritudo animæ vinum poratum multū  
 in irritatione & ruina. Sic & ferrum non ideo malū,  
 quia cum eo latro perpetrat homicidium; sed ipse  
 malus est, qui eo utitur ad perimendum hominem:  
 ita & arbor illa non fuit mala, sed bona; hoc verò  
 planè malum, quod homo Dei præceptum trans-  
 gressus est. Homo ergo est qui facit malū. Ideo Sa-  
 piens ait, Deus ab initio fecit hominem, & reliquit  
 illum in manu consilij sui. Si volueris, conseruabis  
 mandata, & fidem facere beneplaciti. Apposuit tibi  
 ignem & aquam, & ad quodcumque volueris exten-  
 de manum tuam. Ante hominem vita & mors, &c.  
 Malum est ergo homini ex mala eius electione: bo-  
 num verò est quidquid Dominus ad hominis vsu  
 tribuere dignatus est.

Ecli. 31.  
Ibid.

Ecli. 15.

CAP. III.  
Act. 10.

1. Tim. 2.

Ibid.  
Gen. 3.

Gen. 2.  
Gen. 3.

Ibid. 2.

Ibid.

Ibid.

Ecli. 2.  
Gen. 3.

quæ explicanda forent. Sed quia hora præterit, &  
 singula dicere nequimus, ne longitudo sermonis fa-  
 stidium faciat auditoribus, soluere cogimur. Verum  
 dum debitor dilationem petit, rogo ne debitor  
 præcurrat, & creditor absentiam procuret. Debitū  
 ergo sermonem soluere procuro, sed creditores a-  
 bire vereor. Denique aliquos video, alios requiro.  
 O creditor piger, cum veneris vt debitum exigas,  
 quid tuam absentiam procuras? Debitor satisfacere  
 debito cupit, & creditor desidiosus absentem se fa-  
 cit: Nouam rem video. Instat debitor creditori vt  
 debitum accipiat, & creditor se excusat? Sed quid  
 interest? Si creditor venire noluit, reddat debitor  
 quod promisit.

CAP. III.

AD HVC calumniator ille, tot hæcenus probatio-  
 nibus conuictus non acquiescit, sed dicit, Sciebat  
 Deus hominem posse peccare, annon? Respondeamus  
 ei, ne sibi videatur dixisse aliquid noui, quoniã  
 scriptum est, Responde stulto ad eius stultitiam, ne  
 videatur sapiens apud seipsum. Dico ergo, Sciebat  
 planè. Tunc subinfert, Si ergo sciebat eum posse  
 peccare, quare non eum reuocauit à peccato? Re-  
 spondetur, Quia nõ victorem, nec eum quilegitimè  
 non certauerit, non decet coronari. Quis, inquam,  
 fratres, præmium non pugnanti dat? aut quæ coro-  
 na non dimicanti, aut quæ sine conflictu victoria?  
 Audi Apostolum diuino ore loquentem: Nemo co-  
 ronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Adam non  
 pugnavit, nec certamen cum diabolo iniit, sed ad v-  
 nam serpentis suggestionem præmium immortalita-  
 tis amisit: victus est, quia nõ pugnavit: succubuit vo-  
 luntate, non necessitate. Vis nosse calumniator,  
 quod tu nesciès Deum calumniaris, & quod Adam  
 voluntate peccauit? Tob nempe fuit homo similis  
 illi: quanta perpeffus est & tolerauit? Pugnavit  
 fortiter, & vicit: à Deo in potestate diaboli dat<sup>o</sup> est,  
 & filiorum amissionem, rerum omnium direptionem  
 fortiter sustinuit. Quem in diaboli potestate da-  
 re voluit Deus, nõ quia eum superari non posse pe-  
 nitus intelligeret, non utique: sed eum sic probare  
 voluit, vt nobis excusationis & calumniæ articu-  
 lum amputaret. Expoliatus diuitiis & censu vinci  
 non potuit, quia nec voluit: filios amisit, & Domi-  
 num benedixit. Parū fuit hoc: Postea vlceribus ple-  
 nus in stercore iacuit, in cinere sedit, testa saniem ra-  
 dens: & nihil mali aduersus Dominum, licet dolori-  
 bus vrgeretur, loqui potuit. Et licet aduersus vxor-  
 em excandescens & indignatus: Vt quid tamquã  
 vna stultarum mulierum locuta es, dixerit: verba  
 tamen non fuerunt improprij, sed correptionis:  
 quia vxor ei non iam adiutorium, sed deceptio erat.  
 adiutorium diaboli, & deceptio mariti. Mulier enim  
 à diabolo seducta talia persuadebat viro, dicès, Dic  
 verbum contra Dominum, & morere. quasi dicat,  
 vt indignetur tibi Dominus, & moriaris. O ini-  
 quus vxoris affectus! ò maligna societas coniugalis!  
 Quare non dixit, Consistere Deo vt propitiatur tibi,  
 & viuas: sed, Dic verbum contra Dominum? Quasi  
 diceret, Blasphema Deum, vt indignetur tibi, & mo-  
 riaris. O argumenta serpentis antiqui, qui etiam per  
 vxorem conatus est eum decipere, cuius animum  
 vlcere, sanie & cinere agitatum ad blasphemiam nõ  
 valuerat irritare! Adam verò nihil tale pertulit: cum

Præf. 26.

Ibid.

Ibid. 1.

Ibid. 2.

Ibid.

Ibid.

diabolo liberum certamè habuit. Sed dices, Quare  
 diabolo potius quam Deo obediuit, nisi sua electio-  
 ne? Sed adhuc calumniator dicit, Quare dixit Deus,  
 Morte moriemini, nisi quia ipse mortem fecit, id e-  
 que hominem ea præmonuit? Respondeatur tibi & in  
 hoc, stulte calumniator, Si tu cum sis homo, habens  
 filios, admones omnes, præcepto mandans vt te se-  
 quantur & imitentur in omnibus; & si vnus eorum  
 contemptor extiterit, & per malam conuersationem  
 mortem inciderit, numquid eius mors tibi imputa-  
 da est, & non potius ei qui tuam admonitionem cõ-  
 temnendo præcipitur in mortem? Sic nec Deo  
 mors Adæ adscribenda est, qui hominem ante trãf-  
 gressionem ne in mortem laberetur præmonuit.  
 Manifestum est autem Deum noluisse hominè pe-  
 rire, nec fecisse mortem. Adstipulatur huic sapien-  
 tissimus Salomon cum dicit, Deus mortem non fecit,  
 nec lætatur in perditione viuorum. Sed Adam Dei  
 præceptum neglexit, & damnationem sibi prome-  
 ruit. Reuera fratres, imperatoris sanctiones nemo  
 sine periculo sui sanguinis contemnit: sed omnes  
 suscipiunt cum tremore, & veneratione legunt vilif-  
 simam chartulam atramento scriptam, & velut di-  
 uinos adorant apices. Scripturæ diuinæ leguntur,  
 verba Dei sonant, ipse Dominus quodãmodo præ-  
 sens præsentibus loquitur. Aut fastidiosè homines  
 audiunt, aut (quod peius est) sedentes fabulis ope-  
 ram nauant. Imperator longè positus in charta lo-  
 quitur, & timetur, & quasi præfens in illa charta ado-  
 ratur: testimonium Domini cum recitatur, ab ali-  
 quibus contemnitur? Ipsum prophetæ clamant, A-  
 postoli prædicant, Euangelistæ loquuntur, per sei-  
 psum hominibus fabulatur, & nõ auditur? Audi præ-  
 sentem Dei loquentem: Vbi fuerint, inquit, duo vel  
 tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio  
 eorum.

Gen. 3.  
Ibid.

Sap. 2.

Matth. 18.

CAP. V.

Sed utique, inquiet calumniator, Deus non de-  
 buit hominè permittere vt peccaret. Sed stulti hoc  
 dicunt, non considerantes quia Deus statuam non  
 fecit lapideam aut ligneam, sed hominem perfectū  
 condidit, & suæ mētis arbitrum: vt intelligeret quid  
 boni appeteret, & quid mali contemneret: vt time-  
 ret quod minatus est Deus, & contemneret quod  
 peruaferat diabolus: & vt proposito sibi immortali-  
 tatis præmio aurè cordis pararet, creatorisq; sui ser-  
 uaret præceptum, non exterminatoris consilium.  
 Nõne iustus hominè qui Dei præceptum cõtem-  
 psit, diaboli deceptionem secutus culpamus, quam  
 Deum qui hominem bonum valde, & ad eius simi-  
 litudinem formauit? Homo ergo peccauit, Dei præ-  
 ceptum paruifaciendo, qui utiq; debuit mortem ti-  
 mere, & ad interdictam arborem non accedere. Si  
 quisquam hominum imperatoris sæculi, vel iudicis  
 præconem contempserit, non rapitur ad supplicium?  
 Dei præceptum contempserit Adam, & ab aliquibus  
 defenditur? Quare culpas Deum cum tuo pericu-  
 lo, & non hominem sine tuo præiudicio? Quare in-  
 culas artificem, qui eius opificium rite fundauit, sa-  
 pienterque suffulcit: & defendis hominem, qui ædi-  
 ficio suo adesse noluit, qui diuini præcepti imme-  
 mor in vulnus trãgressionis impexit? Vt qui Adam  
 defendis, & Deo iniuriam facis. Nunc te interro-  
 go, responde mihi: Adam fuit bonus, an malus?



Diēturus es, Bonus, vt plena sit tua defensio. Si ergo bonus fuit, quare vnum filium bonum, & alium parricidam genuit? Debit namque utpote bonus, bonos ambos creare. Dices forte, Deo faciente fuit malus. Ergo ambos malos debuit generare. Quare ergo vnum innocentem, & alium effundentem innocentis sanguinem procreauit? Vnum qui initiauit martyrium, & alium qui patrauit parricidium? Quod si Cain est qui occidendus erat, occidit: reus ipse non est, sed genitor qui talem genuit, suscipiet reatum, vt qui filium parricidam generauit. Si Adā inuitus peccauit, ergo Cain inuitus in iugulum fratris gladium fixit. Talem iustitiam tenent qui legi calumniantur, vt geniti sint mali, & eorum genitores ipsorum reatu teneantur obstricti. Ecce Adam qui genuit latronem, & ecce Cain qui interfecit fratrem: quis ex duobus est reus, pater qui genuit, aut filius qui germanum crudeli morte peremit? Cessauit calumniator, tacuit blasphemator, quāuis numquam aliquid veri dicat qui veritati calumniā facit. Vbi es calumniator? Responde mihi pro suscepto munere, defende quem vique modō defendebas. Quare cessasti? quid iam tacuisti? Ecce pro filij

S. AMBROSII DE ARBORE INTERDICTA ENARRATIONIS FINIS.

## SANCTI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS SVPER QVIBVSDAM CAPITIBVS LIBRI EXODI ANNOTATIONES.

Exod. Cap. VIII.

**D**IXIT autem Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum, Hęc dicit Dominus: Dimitte populum meū, vt mihi seruiant. Si autem non volueris tu dimittere, ecce ego percutio omnes terminos tuos ranis: & eructabit fluuius ranas, & ascendent in domos tuas, & in penetralia cubiculorum tuorum, & in lectos tuos, & in domos seruatorum tuorum, & populi tui, & in massis tuis, & in furnis tuis: & in te, & in populum tuum, & in seruos tuos ascendent ranæ. Dixit autem Dominus ad Moysen, Dic Aaron fratri tuo, Extende manu tua virgam super fluuios, & super riuos, & super paludes, & educ ranas. Et extendit Aaron manum super aquas Ægypti, & eduxit ranas. Et ascendit rana, & operuit totam terram Ægypti. Fecerunt autem similiter & incantatores Ægyptiorū incantationibus suis, & eduxerunt ranas super terram Ægypti. Et vocauit Pharaon Moysen & Aaron, & dixit, Orate ad Dominum vt auferat ranas à me, & à populo meo: & dimittam populum, & sacrificabunt Domino. Dixit autem Moyses ad Pharaonem: Constitue quando oraturus sim pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo ad delendum ranas à te, & à populo tuo, & à domibus vestris: verumtamen in fluuio remanebunt. Ille autem dixit, Cras. Respondit Moyses, Fiet vt dixisti: vt scias quod non est alius præter Dominum. & auferentur ranæ à te, & à domibus vestris, & à seruis tuis, & à populo tuo: verumtamen in fluuio relinquentur. Egressus est autem Moyses & Aaron à Pharaone, & exclamauit Moyses ad Dominum pro finitione ranarū, sicut respondit Pharaoni. Fecit autē Dominus sicut dixit Moyses: & mortuæ sunt ranæ ex domibus, & ex habitationibus, & ex agris. Et congregauerunt illas cumulos & cumulos, & computruit terra. Vidēs autem Pharaon quod facta est requies, aggrauatū est cor eius, & nō audiuit illos, sicut loquutus est Dominus. Dixit autem Dominus ad Moysen, Dic Aaron, Extende manu tua virgam, & percute

percute puluerem terræ, & erunt ciniphes in tota terra Ægypti. Extendit igitur Aaron manu virgam, & percussit puluerem terræ: & facti sunt ciniphes in hominibus, & in quadrupedibus, & in omni puluere terræ facti sunt ciniphes in tota terra Ægypti. Fecerunt autem similiter & incantatores incantationibus suis vt educerent ciniphem, & non potuerūt. Et facti sunt ciniphes in hominibus, & in quadrupedibus. Dixerunt igitur incantatores Pharaoni: Digitus Dei est hoc. Et induratum est cor Pharaonis, & non audiuit illos, sicut loquutus est Dominus. Dixit autem Dominus ad Moysen: Surge mane, & sta coram Pharaone, & ecce ipse egredietur ad aquam, & dices ad eum, Hęc dicit Dominus, Dimitte populum meum, vt mihi seruiant in deserto. Si autem non volueris dimittere populum meum, ecce ego mittam super te, & super seruos tuos, & super populum tuum, & super domos vestras muscam caninam: & implebuntur domus Ægyptiorum musca canina, & terræ quæ sunt in ipsa. Et glorificabo in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, in qua non erit vsquam musca canina: vt videas quod ego Dominus vniuersæ terræ. Et dabo diuisionem inter meum populum, & inter tuum populum: cras autem erit signum hoc in terra. Fecit verò Dominus sic. Et venit musca canina in multitudine in domos Pharaonis, & in domos seruatorum eius, & in omnem terram Ægypti: & destructa est terra à musca canina. Vocauit autem Pharaon Moysen & Aaron, dicens, Abeuntes sacrificate Deo vestro in terra. Et dixit Moyses: Non possibile fieri sic: nam abominationes Ægyptiorum sacrificabimus Domino Deo nostro. Si enim sacrificauerimus abominationes Ægyptiorum coram ipsis, lapidabimur. Viam trium dierum ambulabimus in deserto, & sacrificabimus Domino Deo nostro, sicut dixit nobis. Et dixit Pharaon, Ego dimittam vos, & sacrificate Domino Deo vestro in deserto: sed non longè procederis ire. orate igitur pro me ad Dominum. Dixit autem Moyses, Ecce ego egrediar à te, & orabo ad Deum: & recedet musca canina à te, & à seruis tuis, & à populo tuo cras. Non addas vltra Pharaon decipere, vt non dimittas populum sacrificare Domino. Egressus est autem Moyses à Pharaone, & orauit ad Deum. Fecit autem Domi-

nus sicut dixit Moyses: & abstulit muscā caninam à Pharaone, & à seruis eius, & populo eius, & non relicta est neq; vna. Et ingrauauit Pharaon cor suum etiam in tempore hoc, & nō voluit dimittere populum.

Quæ Ægyptiorum abominationes Domino Deo nostro sint immolanda: qua via perueniatur ad Christi Ecclesiam; quidve in ea sit agendum.

AMBROSIVS IRENÆO.

**M**OVERI te significasti mihi eo quod legeris, Nam abominationes Ægyptiorū sacrificabimus Domino Deo nostro. Sed habuisti quo studio solueres, quia in Genesi scriptū est quod Ægyptij pastores pecorū abominabatur, nō vtique propter hominē, sed propter pecora. Illi enim aratro terrā inuertebant: Abraham autē, & Iacob, & postea Moyses, & Dauid, pastores pecorū fuerunt, regalem quandā in hoc munere disciplinā inuenientes. Oderāt ergo Ægyptij immaculata sacrificia, id est, perfecta studia virtutū, & plena disciplinæ. Quod ergo vitiosi oderāt, hoc apud bonos sincerū ac piū est. Opus virtutis detestatur luxuriosus heluo, refugit Ægyptius: ita corpus quod illecebras diligit, auersatur animæ virtutes, abominatur imperiū, refugit virtutum disciplinas, & omnia opera quæ huiusmodi sunt. Quæ ergo Ægyptius refugit, Ægyptius ille & non homo, hæc tu amplectere, qui habes humanitatis scientiam. Illa autem declina quæ illi sequuntur atque eligunt, quoniam duo sibi ista congruere nō possunt, prudentia & insipientia. Itaq; sicut iis quæ in quodam censu imprudentiæ atque intemperantiæ sunt, abdicat se prudentia, abdicat continentia: ita eorum omnis exors insipiens est atque incontingens, quæ in bonis atque in hæreditate sapientis viri sunt & continentis. Deniq; sanctæ illæ tali coniugio Lia & Rachel, vna laboriosa, altera aspiratio fortis, refugientes non generis necessitudinē, sed motū discrepantiæ, cum Iacob exerciti viri sermone edoctæ essent quod vellent discere, vt Laban & filiorum eius inuidiam declinaret atque ignauiam, responderunt, Numquid est nobis portio aut hæreditas in domo patris nostri? nōne sicut alienæ æstimamur ei? Vendidit enim nos, & deuorauit pretium nostrum. Ecce primū, quia ignauus & inuidus laboriosam & disciplinā tenacem alienat à se ac refugit, sed eque cupit separare: quoniam eas oneri esse cernit sibi, & putat se lucrū fecisse quod alienauit eas, & hoc esse suum pretium iudicat, cumque fructum voluptatis suæ. Nunc audiamus quomodo quæ habet virtus, non habeat ignauia. Aiunt enim, Omnes diuitiæ & gloria, quam abstulit Deus patri nostro, nobis erit, & filiis nostris. Meritò Deo arbitro dicunt esse sublata, quia ipse est auctor bonorum, cuius gratia ignaui exuuntur, quia decorem hæreditatis diuinæ capere improbi atque infirmi non queunt; succedit autem intentus, & spiritum in se fortis habens. Quis autem fortis nisi solus Deus, qui omnia coercet & regit? His ergo debetur hæreditas Dei. Vnde & Esaias dicit, Est hæreditas

feruentibus Domino. Et pulchrè ait, Est hæreditas. Ipsa enim sola hæreditas est, alia non est. Neque enim cæcus thesaurus, hæreditas est, neque caduca omnia hæreditatis habent commodum. Sola est illa hæreditas, in quibus est portio Deus. Vnde David sanctus dicit, Portio mea Dominus. Et alibi, Hæres factus sum testimoniorum tuorum. Vides quæ possideat iustus, mandata Dei, oracula eius, præcepta eius. In his diues est, in his pascitur, in his delectatur, quasi in omnibus diuitiis. Hæc ergo possidentes Lia & Rachel, opes patrias non requirebant, in quibus erat pecunia adultera, irrationalis species, & spiritalis exers vigoris. Denique quasi diuites & liberæ non cum diuitem, sed egenam arbitrabantur. Omnis enim bonarum & liberalium consors disciplinarum neminem insipientium diuitem putat, sed inopem atque egenum, abiectum quoque, et si regalibus diuitiis affluat, & superbus auro suam iactet potentiam. Fugienda est igitur talium societas, etiamsi aliqua generis copulentur necessitudine. Noxiæ sunt enim conuersationes cum insipientibus, & insipientibus sobriam mentem ac decolorant: quia sicut adherens sancto, sanctus eris: ita cum peruerso peruersus eris, sicut scriptum est. Frequenter enim accidit vt quis contra propositum suum intemperantem audiens: cum velit ipse continentiam disciplinam tenere, fuso insipientiam coloretur, meritoque contrariæ sibi sunt & repugnantes, disciplina atque insolentia. Vnde cum vir exercitatus earum sententiam quæreretur, vocem emittunt probatæ iam diuturno exercitio virtutis: Numquid est nobis portio aut hæreditas in domo patris nostri? Id est, consulis nos vtrum velimus ab eo recedere? Quasi verò non cognoueris quòd nullam habeamus cupiditatem eius societatis, neque nos dulcis sæcularium diuitiarum cupiditas teneat, aut lætitia luxuriæ. Hæc sunt quæ nos misera & nobis aliena duximus: hæc sunt quæ plena inopiæ atque egestatis arbitramur. Adiciunt ergo causam secessionis, quia veram gloriam, & boni thesauri copias amisit Laban, in quibus maximus vigor datus est mentis, & bona moneta imaginis Dei & similitudinis, quia spiritalem monetam amisit, quia splendida magis sæculi elegit, quam vera & vtilia vitæ suæ: quorum decor expertem diuinorum bonorum præterit: quoniam ille quæ putat pulchra, in iis se fallit ipsum & decipit. Vnde audi eius verba, & iudica. Secutus sanctum Iacob & filias suas, ne fortè apud eas suorum vitiorum reperiret aliquid, & reuocandi ad se haberet auctoritatem, coarguens iustum, cum ratione esset redargutus, & nihil respondere ac referre posset, quo eum deberet tenere. Si annuntiaffes, inquit, mihi, emisiffem te cum lætitia & tympanis. In quo prodidit quid iustus fugerit, ne eum prosequeretur, ne deduceret, ne tali comitatu stipatus procederet. Primum quòd multorum dominorum mancipio se subiicere non debuit, vt ab eo tamquam seruulus dimitteretur. Deinde quia vir exercitio intentus, & quærens veram viam ad virtutem persequendam, non hominem deductorem, sed oracula quæsiuit cælestia: Quæ me quasi, inquit, hinc præceperunt abire, & nunc comitantur viantem, Sed quomodo

psal. 118. Ibid.

gen. 31.

psal. 17.

gen. 31.

ibid.

ibid.

ibid.

me dimisiffes? An cum lætitia tua, quæ plena est mœstitudinis, cum tympanis scilicet atque organis immodulata modulantibus, & fonis tibiarum suauibus, insuauia resultantibus fonis dissonis, crepitibus discrepantibus, vocibus mutis, cymbalis animam ferientibus? His me delectari posse credidisti? his reuocari? Hæc sunt quæ ego fugi: nec vereor verborum tuorum inuidiam. Fugi, ne me talia sequerentur, ne quid de tuis accipiēs abiré. Nō enim talibus deductoribus ad Ecclesiam Christi peruenitur, ad quam tendebat Iacob, vt eò deduceret populorum copias, inueheret nationum diuitias, postea ritatem infunderet, fugiens umbras inanum rerum, præferens insensibilibus simulacris virtutum spiritem decorem, plausibilibus præponens seria. Vides enim quemadmodum conuiuia gentiles adorant, festa annuntiant, sed ea piis n. etibus infestiora sunt: quia iis plerique decipiuntur, dulcibus capiuntur epulis, capiuntur saltantiū choris, dū ieiunia nostra fugiunt, dum ea sibi aspera putant, dum corpori noxia & molesta arbitrantur. An opinatus es quia aurum tuum desiderarem? Sed non habes aurū igne examinatum, quo iusti probantur. An quia argentum cuperem? Sed non habes argentum, quia splendorē alloquij cælestis abiecasti. Sed fortasse speravi quòd adiceres mihi ad obsequiū seruulos tuos? Ego verò liberos quæro, fugio seruos peccati. Sed fortè comites itineris & duces viarū necessarij fuerunt? Vtinam sequi possent, ego illis monstraré Domini vias. Sed qui Deum nescitis, vias eius quomodo nouistis? Vias eius ingrediuntur electi à Domino. Non quicumque intrant eas, sed tamen nemo excluditur. Sequatur qui paratus est, ingrediatur viā quæ ducit ad Mesopotamiam, vt qui eam petit, per aquas transeat, aquas Tigris atque Euphratis, fortitudinis atque iustitiæ, per lacrymas poenitentiæ, baptismum gratiæ. In ea est virtus exercitus Dei. Omnes enim qui sunt in Ecclesia, Deo militant. In ea est grex ille insignis diuersarum virtutum, quem Iacob sibi elegit. Omnis enim sine signo anima, indocta & inerudita est, disciplinarum nescia, quæ autem insignita, eadem diues opum, & gratiarum optima. Ad eam qui venit, iratum fratrem reconciliet prius. Ad eam qui venit, Sichimam pretiosam illam & aduolam inhabitet virtutum officinam, vbi lætæ castitatis grauis est vltio. Ad eam qui venit, luctetur cum Deo, vt ad imitationem eius se exerceat, ad humilitatē Christi & passiones eius congregiatur. Tolat crucem suam, & Christum sequatur. Deniq; bonus congregator non emulatur, non inflatur, immò etiam benedicit congregientem sibi tali munere. Sequamur ergo sanctum Iacob, & vias eius, vt perueniamus ad eas passiones, ad eas congressiones, perueniamus ad humerum, perueniamus ad patientiam matrem fidelium, & ad patrem Isaac, id est, iucunditatis capacem, lætitiæ redundantem. Vbi enim patientia, ibi lætitia: quia post tribulationes patientia, patientia autem probationem operatur, in qua est spes, de qua non confundimur: quoniam qui non fuerit confusus crucem Christi, nec Christus confundetur in eo. Vale fili, & non erubescas patre interrogare, qui non erubescis in passionibus Christi gloriosi.

psal. 11.

gen. 28.

gen. 31.

gen. 30.

gen. 33.

gen. 34.

gen. 31.

luc. 9.

1. cor. 13.

gen. 31.

rom. 5.

luc. 9.

Exod.

Exod. Cap. XVI.

PROFECTI sunt autem ex Elim, & venit omnis congregatio filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim, & inter Sina. At quinta & decima die, mense secūdo egressis ipsis ex terra Ægypti, murmurauit omnis congregatio filiorum Israel cōtra Moysen & Aaron. Et dixerunt ad eos filij Israel: Vtinam mortui essemus percussi à Domino in terra Ægypti, quando sedimus super ollas carniū, & comedebamus panes ad satietatem. quid eduxistis nos in desertum hoc, vt occideretis omnem congregationem hanc in fame? Dixit autē Dominus ad Moysen: Ecce ego pluam vobis panes ex cælo, & egredietur populus, & colligent quod diei in diem: vt tentem eos si ambulabunt in lege mea, vel non. Et erit die sexta, & præparabunt quod inferat: & erit duplum quod cōgregauerint quod per diem in diem. Dixit autem Moyses & Aaron ad omnem cœtum filiorum Israel: Vespere scietis, quòd Dominus eduxit vos de terra Ægypti, & mane videbitis gloriam Domini: quoniam audiuit murmur vestrum contra Deum. Nos autem quid sumus, quòd murmuratis contra nos? Et dixit Moyses, Dabit Dominus vobis vespere carnes comedere, & panes mane in saturitatem: quoniam audiuit murmur vestrum, quod vos murmuratis cōtra eum. Nos autē quid sumus? Non enim contra nos murmur vestrum est, sed contra Deum. Dixit autem Moyses ad Aaron: Dic omni cœtui filiorum Israel: Accedite corā Deo. audiuit enim vestrum murmur. Quando autem loquutus est Aaron omni cōgregationi filiorum Israel, conuersi sunt in desertum: & gloria Domini apparuit in nube. Et loquutus est Dominus ad Moysen, dicens, Audiui murmur filiorum Israel: loquere ad eos, dicēs, Ad vesperam comedetis carnes, & mane saturabimini panibus: & scietis quòd ego sum Dominus Deus vester. Factum est autem vespere, & ascendit coturnix, & cooperuit castra. Mane autem factum est, cum cessasset ros in circuitu castrorum: & ecce super superficiem deserti minutum vt coriandrum, album vt pruina super terram. Videntes autem filij Israel, dixerunt alter alteri. Quid est hoc? Non enim sciebant quid erat. Dixit autem Moyses ad eos: Hic est panis quem dedit vobis Dominus mandu-

care: hoc verbum quod ordinauit Deus: Congregate ex eo vnusquisque ad proximos gomor, secundum caput iuxta numerum animarum vestrarum, vnusquisque in tabernaculis vestris colligite. Fecerunt autem sic filij Israel, & collegerunt qui multum, & qui minus: & metientes gomor, non abundauit qui multum, & qui minus, non minus habuit: vnusquisque ad proximos apud se collegerunt. Dixit autem Moyses ad eos: Nullus relinquat ex eo in mane. Et non audiuerunt Moysen, sed reliquerunt quidam ex eo in mane. Et efferbuit vermes, & computruit, & indignatus est contra eos Moyses. Et collegerunt illud mane mane, vnusquisque sufficiens sibi. quando autem incalabat sol, liquefiebat. Factum est autem die sexta, collegerunt necessaria dupla, duo gomor vni. Ingressi sunt autem omnes principes congregationis, & narrauerunt Moysi. Dixit autem ad eos: Hoc verbum est quod loquutus est Dominus: Sabbata requies sancta Domino: cras quæcumque coxeritis, coquite: & quæcumque elixaueritis, elixate: & omne superfluum relinquate illud in repositionem in mane. Et reliquerunt ex eo in mane, sicut præcepit eis Moyses: & non computruit, neque vermifactus est in eo. Dixit autem Moyses, Comedite hodie illud. est enim sabbatum Domino: hodie non inuenietur in agro. Sex dies colligetis, at die septima sabbatum, quod non erit in eo. Factum est autem in die septima, egressi sunt quidam ex populo ad colligendum, & non inuenerunt. Dixit autem Dominus ad Moysen: Vsq; quòd non vultis audire mandata mea, & legem meam? Videte, etenim Dominus dedit vobis diem hanc sabbata, propter hoc ipse dedit vobis die sexto panes duorum dierum: sedete vnusquisque in domibus vestris apud semetipsum: nullus vestrum egredietur ex loco suo die septima. Et sabbatizauit populus die septima: & vocauerunt illud filij Israel nomen eius, Man. Erat autem quasi semen coriandræ album: at gustus eius vt similia in melle. Dixit autem Moyses, Hoc verbum quod præcepit Dominus: Implete gomor Man ad repositionem in generationes vestras, vt videant panem quem comedistis vos in deserto, quando eduxit vos Dominus de terra Ægypti. Et dixit Moyses ad Aaron, Accipe vas aureum vnum, & immitte

S. Ambros. tom. 1.

A

in illud plerum gomor Man: & repones illud G  
coram Deo in custodiam in generationes ve-  
stras, quemadmodum praecepit Dominus  
Moysi. Et reposuit illud Aaron coram testi-  
monio in custodiam. At filij Israel comederunt  
Man annos quadraginta, donec venerunt in  
terram habitabilem. Man comederunt donec  
venerunt in partem Phoeniciae. At gomor de-  
cima trium mensurarum erat.

*Dominus Deus manna car pluerit populo patrum, & non  
pluat nobis.*

AMBROSIVS IRENÆO.



**V**ERIS à me cur Dominus Deus mā-  
na pluerit populo patrum, & nunc non  
pluat. Si cognoscis, pluit, & quotidie  
pluit de caelo manna seruiantibus sibi.

Et corporeum quidem illud māna ho-  
die pleriq; in locis inuenitur, sed nunc non est tanti  
res miraculi, quia venit quod perfectum est. Perfe-  
ctum autem panis de caelo, corpus ex Virgine, de  
quo satis Euangelium te docet. Quanto praestantiora  
hac superioribus? Illud enim manna, hoc est, panem  
illum qui manducauerunt, mortui sunt: hunc autem  
panem qui manducauerit, viuet in aeternum. Sed  
est spiritale manna, hoc est, pluuia spiritualis sapien-  
tia, quae ingeniosis & quarentibus de caelo infun-  
ditur, & irrorat mentes piorum, & obdulcat fauces  
eorum. Qui igitur intellexerit infusionem diuinā  
sapientiae, delectatur, nec alium cibum quae rit, nec  
in solo pane viuit, sed in omni verbo Dei. Qui cu-  
riosior fuerit, quare quid sit istud quod melle dul-  
cius sit. Respondet illi minister Dei: *Hic est panis quem  
dedit vobis Dominus manducare.* Quid sit iste panis, au-  
di. Verbum (inquit) quod ordinauit Deus. Hac ergo or-  
dinatio Dei, hac alimonia alit animam sapientis, &  
illuminat atque obdulcat, resplendens veritatis co-  
rusco, & mulcens tamquam fauo quodam, diuersa-  
rum virtutum suauitate & sermone sapientiae. Fau-  
enim mellis sermones sunt boni, sicut scriptum est  
in Prouerbiis. *Eccē super superficiem deserti minutum ut  
coriandrum.* Cur autem minutum sit, causam accipe:  
quia & granum sinapis minutum est, cui compara-  
tur regnum caelorum: & fides quae sicut granum est  
sinapis, potest montes tollere, & iactare in mare. Et  
fermento simile est regnum caelorum, quod ab-  
scondit mulier in farinae mensuris tribus donec fer-  
mentetur totum. Et Moyses caput vituli aurei com-  
minuit sicut puluerem, & misit in aquam, & dedit  
populo bibere. Incrassatum enim erat cor eorum  
perfidiae immanitate, ut emollietur, & fidei sume-  
ret subtilitatem. Denique illa mulier quae bene e-  
moluerit, assumetur: ea autem quae male emoluerit,  
derelinquetur. Emole ergo & tu fidem tuam, vt sis  
sicut illa anima quae Christi in se charitatem exci-  
tat, quam mirantur ascendente virtutes caelorum,  
quod sine offensione ascendat, & ex hoc mundo a-  
scendat cum laetitia & iucunditate, sicut vitis pro-  
pago, & sicut fumus se ad superna subrigat, fragrans

*De deser. dist.  
2. c. corporeū.  
1. Cor. 13.  
Ioan. 6.  
Matt. 4.  
Prou. 16.  
Luc. 13.  
Luc. 17.  
Luc. 13.  
Exod. 32.  
Matt. 24.*

odorem resurrectionis pia, & suauitatem fidei, sicut  
habes scriptum: Quae est haec quae ascendit à deser-  
to sicut vitis propago, fumo incensa, odorificata  
myrrha & thure ab omnibus pulueribus vnguenti?  
Pulchre subtilitatem eius expressit pulueris compa-  
ratione & vnguenti commemoratione, quia in E-  
xodo legimus compositum subtile thymiama: illud  
verò est incensum propheticum, quod est sancto-  
rum oratio, vt dirigatur in conspectu Domini, sicut  
& Dauid dicit, Dirigatur oratio mea sicut incensum  
in conspectu tuo. Denique Graecus, Κατωψυθησα  
κατωψυθησα μου ος; θυμίαμα ενόπιόν ος, dixit. Et in Apoca-  
lypsi Ioannis legimus quia stetit angelus ante altare,  
habens thuribulum aureum, & data sunt ei thymiamata  
multa de orationibus sanctorum omnium. Et ascendit,  
inquit, fumus thymiamatum orationum sanctorum de  
manu angeli in conspectu Dei. Et vmbilicus animae ac  
venter subtilis est illius quae ascendit ad Christum.  
Ideoque laudatur voce sponsi dicentis, Vmbilicus  
tuus crater tornatilis, non deficiens mixto, venter  
tuus aceruus tritici muniti inter lilia. Est enim in  
omni doctrina tornatus, & potus spiritalis non  
deficiens plenitudine, & celestium secretorum  
cognitione. Venter quoque animae mysticus, sicut  
vmbilicus, quo ventre non solum cibum sumit, quo  
corda firmantur, sed etiam suauem ac florulentum  
quo delectantur. Et fortasse hoc docuit Moyses  
multis orationibus & piis illud mitigandum  
sacrilegium. In libro quoque Regnorum cum se  
Dominus sancto reuelaret Eliae, vox autem tenuis  
praecessit, & statim se ei Dominus reuelauit,  
vt cognoscamus ea quae corporea sunt, crassa  
esse & pingua: & quae spiritalia, mollia & subtilia,  
vt non possint comprehendi oculis. Denique & spiri-  
tus sapientiae subtilis & mobilis legitur in libro  
Sapientiae: quia est in illa spiritus intelligentiae,  
sanctus, vnicus, multiplex, subtilis, & mobilis,  
qui sermones suos molat prius, ne quid offendant  
vel in sensu, vel in alloquio. Denique Babylo-  
ni illi quae destruetur, dicitur, Et vox molae non  
audietur in te amplius. Hoc igitur manna subtile  
erat, & ad diem colligebatur, in diem alterum  
non seruabatur, eo quod inuenta sapientiae in  
tempore sint gratiora, nec tam miranda quae  
spatio temporis reperiuntur, quam illa quae  
praesentis funduntur ingenij viuacitate: siue  
quia futura reuelantur mysteria, eo quod ser-  
uatum manna vsque ad solis exortum, esui iam  
esse non posset, id est, vsque ad Christi aduentum  
habere gratiam. Oriente autem iustitiae sole, &  
splendidioribus Christi corporis & sanguinis  
sacramentis resurgentibus, cessarent inferiora,  
& perfecta illa sumenda populo forent. Vale,  
& nos dilige, quia nos quoque te diligimus.

Exod. Cap. XXIII.

**E**T Moysi dixit, Ascende ad Dominum tu  
& Aaron, & Nadab & Abiud, & septua-  
ginta seniores Israel, & adorabunt à longè  
Dominum: & appropinquabit Moyses solus  
ad Deum, ipsi autem non appropinquabunt:

*Cantic. 3.  
Exod. 30.  
Apo. 8.  
Psal. 140.  
Apo. 8.  
Cantic. 7.  
Psal. 103.  
Exod. 31.  
3. Reg. 19.  
Sap. 7.  
Apo. 8.  
Malach. 4.*

at populus non simul ascendet eū cis. Ingres-  
sus est autem Moyses, & narrauit populo om-  
nia verba Dei, & iudicia. Respondit autem om-  
nis populus voce vna, dicentes, Omnes ser-  
mones quos loquutus est Dominus, faciemus  
& audiemus. Et scripsit Moyses omnia verba.  
Surgens autem Moyses mane, aedificauit al-  
tare sub monte, & duodecim lapides in duo-  
decim tribus Israel. Et misit iuuenes filiorum  
Israel, & obtulerunt holocausta, & sacrifica-  
uerunt hostias salutaris Domino, vitulos. Ac-  
cipiens autem Moyses dimidium sanguinis,  
infudit in craterā: at dimidium sanguinis ef-  
fudit super altare. Et accipiens librum testa-  
menti, legit in aures populi, & dixit, Omnia  
quae loquutus est Dominus, faciemus, & au-  
diemus. Accipiens autem Moyses sanguinem,  
resperpsit populum, & dixit, Ecce sanguis testa-  
menti quod disposuit Dominus ad vos de om-  
nibus sermonibus his. Et ascendit Moyses &  
Aaron, & Nadab & Abiud, & septuaginta se-  
niores Israel, & viderunt locū vbi stetit Deus  
Israel, & quae sub pedes eius quasi opus lateris  
sapphiri, & sicut species firmamenti caeli puri-  
tate. Et electorum Israel non dissonuit neque  
vnus. Et apparuerunt in loco Dei, & comede-  
runt & biberunt. Et dixit Dominus ad Moysen,  
Ascende ad me in montem, & sta illic: & dabo  
tibi tabulas lapideas, legem & mandata quae  
scripsi vt darem legē eis. Et surgens Moyses, &  
Iosue qui adstabat ei, ascēderunt in montem  
Dei, & senioribus dixerunt, Manete hīc quo-  
uisque reuertamur ad vos. & ecce Aaron & Hur  
vobiscum: si alicui cōtigerit quaestio, accedat  
eis. Et ascendit Moyses in montē, & cooperuit  
nubes montē: & descendit gloria Dei in mō-  
tem Sinai, & cooperuit illū nubes sex dies. Et  
vocauit Dominus Moysen die septima de  
medio nubis. At species gloriae Domini quasi  
ignis ardens in vertice montis coram filiis I-  
srael. Et ingressus est Moyses in mediū nubis,  
& ascendit in montem: & fuit illic in monte  
quadraginta dies & quadraginta noctes.

*Examinat cur Moyses post oblatum sacrificium, postque im-  
molatas Domino salutaris hostias, miserit dimidiam san-  
guinis partem in crateram, dimidiam autem suderit super  
altare.*

AMBROSIVS SIMPLICIANO.

**M**OTVM te cū legeres significasti mihi, quid  
sibi velit quod Moyses post oblatum sacrifi-  
cium, & immolatas Domino salutaris hostias,  
dimidiam partem sanguinis in crateram miserit, di-

midiam autē ad altare effuderit. Sed quid est quod  
iple dubites, & à nobis requiras, cū fidei & acqui-  
rendae cognitionis diuinā gratia totum orbem per-  
agrueris, & quotidianae lectionis nocturnis ac diu-  
nis vicibus omne vitae huius tempus deputaueris,  
acri praesertim ingenio etiā inintelligibilia comple-  
ctens? Vt pote qui etiam philosophiae libros quā-  
mā vero sint deuij demonstrare soleas, & plerisque tam  
inanes esse, vt prius scribetium in suis scriptis sermo  
quā vita defecerit. Tamē quia collatio sermonis,  
vt pecuniae, magno est vsui, atque ea maximus in cō-  
mune emolumentum negotiationis profectus para-  
tur: quod mirabilis sit ista sanguinis diuisio, reticere  
non queo. Pars enim eius moralem sapientiae disci-  
plinam videtur significare, pars mysticam. Illa quae  
in crateras mittitur, moralis est: haec quae ad altare  
effunditur, mystica: eo quod diuino munere & aspi-  
ratione quadam humanis infundatur mentibus, vt  
conuenientia & fidei plena de Deo sentiant. Deni-  
que qui locuti sunt de eius maiestate, & de caelesti-  
bus, vel Apostoli, vel sancti Prophetae, non nisi ex  
reuelatione demonstrata sibi loqui ausi sunt. Vnde  
Paulus & raptum se in paradysum, & audisse se verba  
quae non licet homini loqui, in epistola sua testifica-  
tus est. Stephanus quoque vidit caelos apertos, & Ie-  
sum ad dexteram Dei stantem. Et Esaias propheta  
vidit sedentem. Nam de Moysē quid loquar, de quo  
dicit scriptura, quod non surrexit amplius propheta  
in Israel sicut Moyses, qui nouit Dominum facie ad  
faciem, in omnibus signis & prodigiis quae fecit in  
terra Aegypti? Mystica ergo Deo libatur, qui splen-  
dore diuinā sapientiae, cuius pater & genitor est, in-  
flammat animā vigorem, ac mentem illuminat. Sapi-  
entia autē Dei Christus, in cuius pectore recum-  
bebat Ioānes, vt de principali illo secretō, sapien-  
tiaē haussisse diuina proderetur mysteria. Denique ipse  
consciens muneris hoc scripsit, qui sibi quod acceperat  
vēdicare, & suo assignare ingenio reformidabat.  
Sed & ipse Dominus dicebat Apostolis, os suū aperi-  
ens: Accipite spiritum sanctum: quod declarauit se  
esse qui Moysi dixerat, Ego aperiam os tuum, & in-  
struam te quid debeas loqui. Ergo haec sapientia di-  
uina inenarrabilis, impermixta atque incorrupta  
sanctorum animis sui infundit gratiam, & cognitio-  
nem reuelat, vt speculentur eius gloriam. Illa autem  
moralis sapientiae disciplina est, quae mittitur in cra-  
teras, & ex illis percipitur atque hauritur. Craterae igitur  
sensuum receptacula. Craterae oculi sunt duo, aures  
sunt, nares sunt, os quoque: & aliae partes conue-  
nientes muneris. Oculi enim visum recipiunt & mi-  
nistrant, auditum aures, odorem nares, ora gustatum,  
& caetera. In istas crateras verbum illud in quo est  
principatus sacerdotij vel prophetiae, effundit san-  
guinis sui partes, vt viuificet atque animet irrationa-  
biles portiones, & faciat rationabiles. Denique vbi  
legis diuināe praeccepta enumerauit atque annuntiavit  
populo, theoria postea intelligibilis illius atque testi-  
monij vel candelabri vel thymiamaterij locuturus,  
immolauit hostias & libauit, sanguinis partē effun-  
dens altaribus sacris, partē autem infundēs crateris.  
Fit ergo diuisio mysticae illius, hoc est, diuinę mora-  
lisque sapientiae. λόγος enim diuisor est animarum at-  
que virtutum, λόγος autem verbum Dei validum &



Heb. 4.

Galat. 3.

Prover. 9.

Heb. 9.

Ioan. 1.

Ioan. 19.

acutum, quod pertransit ac penetrat vsque ad diuisionem animæ, virtutes quoque distinguit & diuidit, cuius minister Moyles diuisione sanguinis virtutum genera distinxit. Et quia nihil præ cæteris in lege, nisi Christi aduentus annuntiat, atque eius præfiguratur passio, vide ne ista sit hostia salutaris, quam verbum Deus in semetipso obtulit, atque in suo immolauit corpore, quod primò moralem in Euangelio, sed etiam in lege docuit disciplinam, & in sua patientia atque in ipso actu & opere monstrauit, tamquam in crateras ita in mores nostros sensusque transfundens velut substantiam quandam & vitalia ipsa sapientiæ, quibus mentes hominum viuificauit ad virtutis seminarium, & instituta pietatis, deinde accedens ad altare effudit hostiæ suæ sanguinem. Itaque siue ita hæc accipias, pius (vt arbitror) sensus est: siue secundum Salomonem velis, concurrat æque, vt quia sanguinem misit in crateras Moyles propheta, cognoscat ipsum esse sanguinem de quo scriptum est: Quia sapientiæ miscuit in cratera vinum suum, dicens vt relinquerent insipientiam, & quærerent sapientiam. Hauritur ergo de cratera sapientia, hauritur disciplina, hauritur intellectus, hauritur correctio, hauritur vitæ emendatio, hauritur morum & consiliorum temperatio, pietatis gratia, virtutis incrementum, fons vbertatis. Quod verò ad altare effundit sanguinem, intelligere licet ablutionem mundi, remissionem omnium peccatorum. Etenim sanguinem illum ad altare quasi hostiam effundit ad multorum exhaurienda peccata. Agnus enim hostia est, sed agnus non irrationabilis naturæ, sed diuinæ potestatis, de quo dictum est, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Non solum enim mundauit sanguine delicta vniuersorum, sed etiam diuina potestate donauit. An non tibi videtur effudisse sanguinem suum, de cuius latere supra ipsum passionis altare aqua cucurrit & sanguis? Vale, & nos parentis affectu dilige, vt facis.

Exod. Cap. XXX.

ET facies altare thymiamatis, ex lignis imputribilibus facies illud: cubiti longitudo, & cubiti latitudo, quadrangulum erit, & duorum cubitorum altitudo. ex ipso erunt cornua eius, & deaurabis illud auro puro, craticulam eius, & parietes eius in circuitu, & cornua eius: & facies ei vertibilem coronam auream in circuitu, & duos anulos aureos puros facies ei sub coronam vertibilem eius per singula latera. Et erunt ansulæ vestibus ad portandum illud in ipsis. Et facies vectes ex lignis imputribilibus, & deaurabis eos auro: & pones illud coram velo existente in arca testimonij, in quibus cognoscat tibi illic. Et adolebit in eo Aarō incensum compositum subtile mane mane. Quando componet lucernas, adolebit in eo: & quando accenderit Aaron lucernas serò, adolebit in eo incensum as-

fiduitatis, semper coram Domino in generationes vestras. Et non offeretis in eo incensum aliud, oblationem & sacrificium, & libationem non libabitis in eo. Et propitiabitur Aaron in cornibus eius semel in anno, à sanguine purgationis peccatorum propitiationis semel in anno purgabit illud in generationes vestras. Sanctum sanctorum est Domino. Et loquutus est Dominus ad Moysen, dicens, Cum acceperis computationem filiorum Israel in visitatione ipsorum, dabunt singuli pretium redemptionis animæ suæ Domino, & non erit in ipsis plaga in visitatione eorum. Et hoc est quod dabunt quotquot perambulant visitationem, dimidiam partem didrachmi, quod est iuxta didrachmum sanctum. Viginti oboli didrachmum, dimidia autem pars didrachmi oblatio Domino. Omnis qui intrauerit visitationem à viginti annis & supra, dabunt oblationem Domino. Qui diues est, non adiciet: & qui pauper est, non minorabit à dimidia parte didrachmi, cum coeperint dare oblationem Domino, exorare pro animabus suis. Et accipies pecuniam oblationis à filiis Israel, & dabis illam in opus tabernaculi testimonij: & erit filiis Israel memoriale in conspectu Domini ad propitiandum pro animabus vestris. Et loquutus est Dominus ad Moysen, dicens, Fac peluim æneam, & basim illi æneam ad lauandum: & pones eam inter tabernaculum testimonij, & inter altare. Et effundes in illam aquam, & lauabit Aarō & filij eius ex ea manus suas & pedes suos, quando ingredientur in tabernaculum testimonij, lauabunt aqua, & non morientur: vel quando accesserint ad altare ad ministrandum & offerendum holocausta Domino, lauabunt manus & pedes suos aqua, vt non moriantur. Et erit eis legitimum sempiternum ei, & generationibus eius post eum. Et loquutus est Dominus ad Moysen, dicens, Et tu cape aromata, florem myrrhæ electæ quingentos siclos, & cinamomi odoriferi, dimidiū huius ducetos & quinquaginta siclos, & calami odoriferi ducentos quinquaginta, & cassiæ quingentos siclos sanctuarij, & oleū ex oliuis vnum: & facies illud oleum chrisma sanctum, vnguentum vnguentarij arte vnguentarij. Oleum chrisma sanctum erit. Et vnges ex eo tabernaculum testimonij, & arcam testimonij, & omnia vasa eius, & lucernam & vasa eius, & altare thymiamatis, & altare

altare holocaustorum, & omnia vasa eius: & mensam, & omnia vasa eius; & peluim & basim eius: & sanctificabis ea, & erunt sancta sanctorum. Omnis tangens illa sanctificabitur. Et Aaron, & filios eius vnges, & sanctificabis eos vt sacerdotio fungantur mihi. Et filij Israel loqueris, dicens, Oleum vnguentum vntionis sanctum erit hoc vobis in generationes vestras: in carnem hominis non vngetur, & iuxta compositionem hæc non facietis vobis ipsis eodem modo: sanctum est, & sanctificatio erit vobis. Quicumque fecerit eodem modo, & qui dederit ex eo alienigenæ, exterminabitur ex populo suo. Et dixit Dominus ad Moysen: Accipe tibi ipsi aromata, stactem, onychem, & galbanum boni odoris, & thus lucidissimum: æquale æquali erit, & facient illud thymiamata vnguentarium opus vnguentarij, mixtum, purum, opus sanctum. Et conteres ex his subtile, & pones coram testimonio in tabernaculo testimonij, vnde cognoscat tibi illic. Sanctum sanctorum erit vobis thymiamata. Iuxta compositionem hanc non facietis vobis ipsis: sanctificatio erit vobis Domino. Quicumque fecerit eodem modo, vt olfaciat in eo, peribit de populo suo.

Exponit quid significet didrachmum, cuius dimidium Hebraeus præcipitur offerre pro redemptione animæ suæ, addens aliquid de statere & libertate.

AMBROSIVS IVSTO.

**R**VLCHRE admones, frater, vt epistolares fabulas, & sermonem absentium ad interpretationem conferamus oraculi caelestis, interrogans me quid significet illud didrachmum, cuius dimidiū Hebraeus præcipitur offerre pro redemptione animæ suæ. Quid enim tam cõsociabile, quàm de diuinis rebus sermonem cõtèxere? Est autem dimidiū didrachmi, drachma. Redemptio animæ, fides. Fides ergo drachma, quam illa mulier in Euangelio, vt legimus, amissam diligenter requirit, lucernam accendens, & mundans domū suam: & si inuenerit, conuocat amicas & vicinas, petens congratulari eas secum, quod inuenerit drachmam quam perdidit. Magnum enim damnum animæ, si quis fidem amiserit, vel gratiam quam fidei pretio acquisiuit sibi. Et tu ergo accende lucernam tuam. Lucerna tua oculus tuus est, ille scilicet interior oculus mentis. Istam lucernam accende, quæ accipit oleum spiritale, & lucet in tota domo tua. Quære drachmam, redemptionem animæ tuæ: quam qui amiserit, turbatur: qui inuenerit, exultat. Est & redemptio animæ misericordia. Redemptio enim animæ hominis, diuitiæ eius sunt, quibus vtique fit misericordia, quæ

Luca 15.

Matt. 6.

Prou. 13.

sumptu pauperes iuuat. Fides igitur gratia, gratia misericordia, misericordia redemptio est animæ, quæ drachma, hoc est, integro pretio summæ plenioris expenditur. Sic enim scriptum est, dicente Domino ad Moysen: Cum acceperis computationem filiorum Israel in visitatione ipsorum, dabunt singuli pretium redemptionis animæ suæ Domino, & non erit in ipsis plaga in visitatione eorum. Et hoc est quod dabunt quotquot perambulant visitationem, didrachmi dimidiam partem, quod est iuxta didrachmum sanctum. Viginti oboli didrachmum. Dimidia autem pars didrachmi oblatio Domino. Omnis qui intrauerit visitationem à viginti annis & supra, dabunt oblationem Domino. Qui diues est, non adiciet: & qui pauper est, non minorabit à dimidia parte didrachmi, cum coeperint dare oblationem Domino exorare pro animabus suis. Et accipies pecuniam oblationis à filiis Israel, & dabis illam in opus tabernaculi testimonij, & erit filiis Israel memoriale in conspectu Domini ad propitiandum pro animabus vestris. Ità ergo deerat vel diues qui plus offerret, vel pauper qui minus haberet, si in pecunia dimidium didrachmum istud, non in virtute esset. Vnde aduertendum quod non materialis ista, sed intelligibilis drachma sit quæ ex æquo ab omnibus conferenda æstimatur. Denique etiam de illa caelesti esca (esca autem & delectatio alimenti caelestis sapientia est, qua vescantur in paradiso locati, qui erat indeficiens animæ cibus, quem vocauit manna diuinus sermo) ita legimus, distributionem sumptam per singulas animas, vt æqualis fieret diuisio. Et collegerunt secundum dispositionem Moyse, is qui plurimum, & qui minimum, & mensuram fecerunt gomor: & non abundauit, neque superfluit ei qui multum, & ei qui minus, non defuit. Vnusquisque enim pro numero animarum quæ apud se erant in tabernaculis, collegerunt per singula capita gomor, id est mensuram seu consummationem, sicut habet interpretatio gratia.

Exod. 16.

Philo in lib. de congress. quæren. crud. gratia.

Eccles. 7. 1. Cor. 12.

Psal. 103. Prover. 9.

Exod. 12.

lentur suarum, neque plures, neque pauciores, neque aliis plus dari, aliis minus, sed secundum animas singulorum: ne aut fortiores amplius sumant, aut infirmiores minus. Gratia enim æqualis singulis diuiditur, redemptio diuiditur, donum diuiditur. Neque plures oportet esse, ne quis vacuus spei & redemptionis recedat. Plures sunt quando aliqui extra numerum sunt, sancti autem numerati sunt omnes, & capilli eorum. Cognouit enim Dominus qui sunt ipsius. Neque pauciores, ne magnitudine gratiæ sit ad recipiendum infirmior. Et ideo omnes æqualitatem deuotionis & fidei deferre præcepit ad pascha Domini, id est, ad transitum. Pascha autem est quando anima irrationabilem deponit passionem, sumit autem bonam compassionem, vt compatiatur Christo, & transitum eius in se suscipiat, vt inhabitet in ea, & deambulet, & fiat eius Deus. Gratia itaque æqualis per omnes, virtus autem diuersa in singulis. Vnusquisque ergo portionem competentē suis viribus sumat, ne aut fortior indigeat, aut oneretur infirmior. Habes hoc in Euangelio, quia merces æqualis omnibus soluitur in vinea laborantibus, sed pauci ad brauium, pauci ad coronam perueniunt, pauci dicunt, Reposita est mihi corona iustitiæ. Alia est enim merces liberalitatis & gratiæ, aliud virtutis stipendium, alia laboris remuneratio. Ergo didrachmum redemptio est, immo didrachmi didrachmi. Redemit autem nos Christus à morte, redemit à seruitute peccati, ne subiecti simus mundo, cui renuntiauius. Vnde Dominus in Euangelio dicit ad Petrum vt vadat ad mare, mirtat hamum, & in ore piscis inuentum staterem sumat, & det pro Domino & pro se, exigentibus didrachmū. Hoc est igitur didrachmum quod exigebatur secundum legem: sed non debebat illud filius regis, sed alienus. Quid enim se Christus redimeret ab hoc mundo, qui venerat vt tolleretur peccatū mundi? Quid se à peccato redimeret, qui descenderat vt omnibus peccatum dimitteret? Quid se redimeret à seruitute, qui se exinanierat, vt vnueris libertatē daret? Quid se redimeret à morte, qui carnem susceperat, vt morte sua omnibus resurrectionem acquireret? Nō utique opus habuit redemptione redemptor vnuerforum: sed sicut circumcisionem accepit vt legem impleret, & ad baptismum venit vt impleret omnem iustitiam: ita etiam didrachmum exigentibus, solutionem nō recusauit, sed statim staterem pro didrachmo iussit pro se & Petro dari. Maluit enim supra legem soluere, quā id quod erat legis negare. Ostendit autem contra legem Iudæos facere, qui ab vno didrachmo exigent, cum didrachmum didrachmi exigendum Moyses præscripsit. Et ideo & pro se & pro Petro tamquam singulas drachmas in statere solui mandauit. Bonus autem census Christi, qui statere soluitur, quia statera iustitia est, iustitia autem supra legem. Denique finis legis Christus est ad iustitiam omni credenti. Hic stater in ore piscis inuenitur: illius piscis quem capiunt piscatores hominum, illius piscis qui statera ponderat sermones suos, vt igne examinatos proferat. Hunc staterem nescierunt Iudæi, quem proditori dederunt. Lex autem didrachmi didrachmi pro redemptione animæ exigit, quam drachmā Deo de-

putat, quia totum didrachmum vendicare non poterat. Vix enim in Iudæo vel portio deuotionis poterat inuestigari. Qui autem verus est liber, verus Hebræus, totus est Dei: totum quod habet, libertatis est. Nihil habet illius qui libertatem recusat, dicens, Dilexi Dominum meum, & vxorem & infantes: non abibo liber. Quod nō solum ad dominum, sed etiam ad eius refertur infirmitatem qui se subiecerit mundo, quod diligit mundum, vel vobis, id est mentem suam, huius auctorem voluntatis. Nec solum ad vxorem, sed etiā ad delectationem refertur, quæ domesticam non illam æternam curam suscipit. Huic ergo ad limē & ostium suum dominus suus aurem pertudit vt meminerit sermonis sui quo seruitutem elegit. Et ideo tu Christiane istum ne imiteris, quia tibi scriptum est, non vt didrachmi didrachmi (si tamen vis perfectus esse) Deo offeras, sed vt omnia tua vendas, & des pauperibus. Nec vt portionem seruitutis mundo reserues, sed vt totum te abneges, & Domini crucem tollas, & sequaris eum. Cognouimus itaque ideo didrachmū didrachmi lege postulari, quia didrachmum generi huius, mūdū, id est, cōuersationi sæculari, & vsui domestico & posteritati reseruabatur, quibus necesse erat & fortē ex forte, id est, transmissionis deputari. Vnde & Dominus tentatibus se Phariseis subdola interrogatione vtrū suaderet celsum dari Cæsari, respondit, Quid me tentatis hypocritæ? ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium, in quo erat imago Cæsaris. Ait illis, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo: ostendens illos ita esse imperfectos, qui sibi perfecti viderentur, vt prius Cæsari quā Deo soluerent. Quibus enim prior esset cura mundi, ab iis prius soluendum foret quod erat mundi. Vnde & ait, Reddite, id est, vos reddite quæ sunt Cæsaris, apud quos figura & imago inuenitur Cæsaris. Illi ergo Hebræi pueri Ananias, Azarias, Misael, ille Daniel sapientior, qui nō adorauerunt imaginem regis, qui non receperunt eam, qui nihil de illa mensa regis accipiebant, non tenebantur ad solutionem tributi. Nihil enim eorum quæ sub rege terreno erant, possidebant. Ergo eorum imitatores non soluunt tributum, quibus portio Deus est. Ideo Dominus ait, Reddite, id est, vos reddite qui protulistis imaginem Cæsaris, apud quos inuenitur: ego autem nihil debeo Cæsari, quia nihil huius mundi habeo. Venit enim huius mundi princeps, & in me inuenit nihil. Nihil debet Petrus, nihil Apostoli mei, quia non sunt de hoc mundo. Et si in hoc mundo sunt, ego misi eos in hunc mūdum. Sed iam non sunt de hoc mundo, quia mecum sunt supra mūdū. Ergo quod diuine legis est, solui iubetur, non quod Cæsaris. Et tamen & ipsum perfectus, id est, prædicator Euangelij iam non debebat, qui plus prædicabat. Non debebat filius Dei, non debebat & Petrus in adoptionem à patre aditus per gratiam: sed ne scandalizentur, inquit, vade ad mare, & mitte hamum, & cum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ibi staterem, illum sumens da iis pro me & te. O magna mysteria, dat didrachmū didrachmi quod lex iubebat, & non negat quod legis est, quasi factus ex muliere, factus sub lege: secundum incarnationē locutus sum. Ex muliere secundum

Matth. 10. 2. Tim. 2.

1. Cor. 6.

Matth. 20.

1. Cor. 9. 2. Tim. 4.

Matth. 17.

Ibidem.

Ioan. 1.

Philip. 2.

Luca 2.

Matth. 3.

Matth. 17.

Ibidem.

Rom. 10.

Matth. 4.

Ecl. 21.

Psalm. 11.

Matth. 26.

Exod. 21.

Ibidem.

Matth. 19.

Mat. 16.

Leuit. 16.

Matth. 22.

Ibidem.

Dan. 2.

Dan. 3.

Dan. 1.

Deut. 18.

Matth. 22.

Ioan. 14.

Ioan. 17.

Matth. 17.

Galat. 4.

dum sexum, mulier sexus est, virgo species, sexus generis, virgo integritatis. In quo ergo venit sub lege, in eo factus est ex muliere, id est, in corpore. Et ideo didrachmum solui iubet pro se & Petro, quia vterque sub lege generati. Iubet ergo secundum legem solui, vt eos qui sub lege erant, redimeret. Et tamen staterem dari iubet, quod veteres imponerent ori suo, ne ex multiloquio peccatum admitterent. Et iubet dari in ore piscis repertum, vt agnoscerent verbum. Qui enim quod legis est, exigebant, cur quod legis est, nesciebant? Verbum enim Dei ignorare non debebant, quia scriptum est, Propē est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Totum igitur didrachmū Deo soluit, qui sæculo nihil reseruauit. Deo enim iustitia soluitur, quæ est mentis sobrietas. Deo soluitur sermonis custodia, quæ est sermonis sobrietas. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Potest autem & drachma pro veteri testamento accipi, didrachmum pro vtriusque testamenti pretio, quia secundum legem vnusquisque per legem redimebatur. Qui autem secundum Euangelium redimitur, soluit drachmam secundum legem, sanguine redimitur Christi secundum gratiam, geminam habens redemptionem, & deuotionis & sanguinis. Nec enim fides sola ad perfectionē satis est, nisi etiam baptismatis adipsatur gratiam, & sanguine Christi redemptus crucē accipiat. Bona ergo drachma quæ Deo soluitur. Non est drachma denarius, sed diuersum est. Denique in denario imago Cæsaris est, in drachma imago Dei, quia vnus est Dei, ad imitationem ipsius. Ab vno incipit, & in infinitum diffunditur: & iterum de infinito numero in vnum quasi in finē omnia reuertuntur: quia Deus & principium & finis omnium est. Vnde nec numerum monada, sed elementum numeri quibus ea cura est, appellauerunt. Et hoc propterea diximus, quia scriptum est, Ego sum & & ω: primus, & nouissimus. & Audi Israel: Dominus Deus tuus Deus vnus est. Et tu ergo ad similitudinem Domini vnus esto atque idem. Non hodie sobrius, cras ebriosus: hodie pacificus, crastina die litigiosus: hodie frugi, crastina die incontinens. Mutatur enim vnusquisque morum varietate, & fit alter, in quo non agnoscitur quod fuit, & incipit esse quod non fuit, sui degener. Graue est enim mutari in peius, sed esto sicut imago in drachma, immutabilis, eundem habitum seruans quotidie. Videns drachmam, attende imaginem: hoc est, videns legē, attende in lege imaginem Dei Christum. Quia ipse imago Dei inuisibilis & incorruptibilis, luceat tibi velut in speculo legis. Cōfite eum in lege, vt cum in Euangelio recognoscas. Si cognouisti in mandatis, recognosce in operibus. Vale, & si non inuictuosē didrachmum istud commissum mihi arbitraris, iterum si quid habes, committere ne dubitaueris.

Matth. 17.

Galat. 4. Eccl. 28. Proverb. 10.

Matth. 30.

Rom. 10.

Matth. 22.

Apo. 1.

Ibidem. Deut. 6.

Coloss. 1.

Exod. Cap. XXXII.

ET videns populus quod tardauit Moyses descendere de monte, cōgregatus est populus ad Aaron, & dicunt ei, Surge, & fac nobis deos, qui præcedant nos. Nam Moyses hic

homo, qui eduxit nos de terra Ægypti, non scimus quid factum est illi. Et dicit illis Aaron, Deponite in aures aureas, quæ sunt mulierum vestrarum & filiarum, & afferre ad me. Et abstulerunt omnis populus in aures aureas, quæ in auribus eorum, & attulerunt ad Aaron. Et accepit de manibus illorum, & formauit illud in stylo, & fecit illud vitulum cōflatilem. Et dixerunt, Isti dii tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti. Et videns Aaron, ædificauit altare coram eo, & prædicauit Aaron, dicens, Festum Domini cras. Et mane surgens in crastinum, deduci fecit holocausta, & obtulit sacrificium salutaris: & sedit populus ad comedendum & bibendum, & surrexerunt ludere. Et loquutus est Dominus ad Moysen, dicens, Vade, celeriter descende, peccauit enim populus tuus quos eduxisti de terra Ægypti: egressi sunt cito de via quam præcepi eis. Fecerunt sibi ipsis vitulum, & adorauerunt eum, & sacrificauerunt illi, & dixerunt, Isti dii tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti. Et nunc dimitte me, & iratus furore contra eos, delebo eos, & faciam te in gentem magnam. Et orauit Moyses coram Domino Deo, & dixit, Vt quid Domine irasceris furore in populum tuum, quos eduxisti de terra Ægypti in fortitudine magna, & in brachio excelso? Ne forte loquantur Ægyptij, dicentes, Cum malignitate eduxit illos ad interficiendum in montibus, & delendum eos de terra. Cessa ab ira furoris tui, & placabilis esto pro nequitia populi tui: memor Abraham & Isaac & Iacob tuorum seruatorum, quibus iurasti eis per te metipsum, & loquutus es ad eos, dicens, Multiplicabo semen vestrum, sicut stellas cæli multitudine: & omnem terram hanc, quam dixisti dare semini eorum, & possidebunt eam in sæculum. Et placatus est Dominus de malo quod dixit se facturum contra populum suum. Et reuersus Moyses, descendit de monte, & duæ tabule testimonij in manibus eius, tabule lapideæ scriptæ ex vtriusque partibus earum, hinc & hinc erant scriptæ: & tabule opus Dei erant, & scriptura, scriptura Dei fuit sculpta in tabulis. Et audiens Iosue vocem populi clamantium, dicit ad Moysen, Vox belli in castris. Et dicit, Non est vox præcinentium pugnam, neque vox præcinentium fugam: sed vocem præcinentium vinum ego audio. Et quando appropinquauit castris, vi-

dit vitulum, & choros: & iratus ira Moyses, proiecit de manibus suis duas tabulas, & confregit eas sub monte. Et accipiens vitulum quem fecerant, combussit illum igne, & contriuit illum minutum, & dispersit illum in aquam, & dedit bibere illa filiis Israel. Et dixit Moyses Aaron: Quid fecit tibi populus hic, quod induxisti super illos peccatum magnum? Et dixit Aaron ad Moysen: Ne irascaris domine: tu scis impetum populi huius, dicunt enim mihi, Fac nobis deos, qui precedant nos: nam Moyses hic homo, qui eduxit nos ex Aegypto, non scimus quid factum est illi. Et dixi eis, Cui est aurum, auferte. Et dederunt mihi, & conieci in ignem, & exiit vitulus hic. Et videns Moyses populum, quod dispersus erat (dispersit enim eos Aaron ludibrium aduersariis suis) stetit Moyses in porta castrorum, & dixit, Si quis a Domino, veniat ad me. Congregati sunt igitur ad eum omnes filij Leui, & dixit illis, Haec dicit Dominus Deus Israel: Imponite vnusquisque gladium suum in femore suo, & pertransite, & redite a porta in portam per castra, & occidite vnusquisque fratrem suum, & vnusquisque proximum suum, & vnusquisque amicum suum. Et fecerunt filij Leui secundum quod loquutus est eis Moyses: & ceciderunt ex populo in die illa tria millia virorum. Et dixit eis Moyses: Impleuistis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio & in fratre, vt daretur super vos benedictio. Et factum est post crastinum dixit Moyses ad populum, Vos peccastis peccatum magnum: & nunc ascendam ad Deum, vt deprecer pro peccato vestro. Reuersus est autem Moyses ad Dominum, & dixit, Rogo Domine, peccauit populus hic peccatum magnum, & fecerunt sibi ipsi deos aureos: & nunc siquidem dimittis eis peccatum eorum, dimitte: si autem non, dele me de libro tuo quem scripsisti. Et dixit Dominus ad Moysen: Si quis peccauit coram me, delebo eum de libro meo: nunc autem vade, & duc populum hunc in locum quem dixi tibi: ecce angelus meus praebit ante faciem tuam. Quae autem die visitauero, & inducam super eos peccatum eorum. Et percussit Dominus populum pro factura vituli quem fecit Aaron.

*Quid designet quod ex auro a populo deos sibi poscente Aaron collato, caput vituli sit figuratum: & cur Moyses tam*

*durè indignatus fuerit, vt vnunquemque in proximi necem insurgere iusserit.*

AMBROSIIVS ROMVLO.

**P**ISTOLARVM genus propterea re-  
pertum, vt quidam nobis cum absentibus sermo sit, in dubium non venit. Sed fit hoc vsu exemploque pulchrius, si inter parentem ac filios crebra & iucunda alloquia cadantur, vt verè inter disunctos tempore quaedam imago referatur praesentiae. His enim adolescit officiis amor, sicut tuis ad me, aut meis ad te augetur litteris. Sed hoc multo locupletius proximis tuè dilectionis experiri cepti affatibus, quibus me consulendum putasti quid tibi vellet quod Aaron aurum detraxerit populo posceti sibi fieri deos, & quod ex auro figuratum sit vituli caput, vel quod Moyses tam durè indignatus sit, vt iuberet proximum quemque insurgere gladiis in necem proximi sui. Magnum est enim, nullum pati absentibus damnum irreperere non solum suauitatis, sed etiam collationis & liberalis sciētiae. Quid igitur de eo sentiam, quoniam exposcis, conferendi magis quam exponendi studio loquar. Cum Moyses in monte Sina legem acciperet, populus erat cum Aaron sacerdote. Et quamuis frequenter ad culpam lubricus, tamen quamdiu lex dabatur, sacrilegio errasse non proditur. Verum vbi diuinum conticuit oraculum, peccatum irrepsit, vt peterent sibi fieri deos? Sic enim dicunt, *Surge, & fac nobis deos qui precedant nos.* Coactus ergo Aaron petit anulos eorum, & in aures mulierum: quae tradita in ignem misit, & conflatum est vituli caput. Neque excusare tantum sacerdotem possumus, neque condemnare audemus. Non imprudens tamen qui anulos Iudaeis & in aures abstulit. Etenim qui sacrilegium moliebantur, nec fidei signaculum habere poterant, nec ornamenta auri. Denique & patriarcha Iacob abscondit in aures cum simulacris gentium: quae in Sichimis abscondit, vt nullus audiret superstitiones gentilium. Pulchre autem dixit, *Deponite anulos & in aures aureas, quae sunt in auribus mulierum vestrarum.* Non quod virorum in aures relinqueret, sed quod viros non habere manifestaret. Congruè quoque in aures auferuntur mulieribus, ne iterum Eua vocem serpentis audiret. Et ideo quia sacrilegium audierant, conflatis earum in auribus conflata est imago sacrilegij. Qui enim male audit, constare sacrilegium solet. Cur autem caput vituli exierit, sequentia docent: quia significabatur futurum quod Hieroboam posteriore tempore hoc genus sacrilegij induceret, vt populus Hebraeorum adoraret vitulos aureos: siue quod omnis perfidia similis immanitatis atque insipientis bestialis sit. Cuius rei indignitate percitus fregit tabulas Moyses, & comminuit vituli caput, atque in puluerem redexit, vt omnia impietatis aboleret vestigia. Dicit enim: *Iratus ira Moyses proiecit de manibus suis duas tabulas, & confregit eas sub monte: & accipiens vitulum quem fecerant, combussit illum igne, & contriuit, &c.* Fractae sunt ergo primae tabulae, vt repararentur secundae, quibus per Euangelij praedicationem perfidia comminuta euauit. Sic Moyses typhum illum dissipauit

*1. Cor. 12. Psal. 28.*

*1. Cor. 15.*

*1. Cor. 15. Psal. 109. Iam. 19.*

*Luc. 14.*

*Nim. 18. 1. Cor. 5.*

dissipauit Aegyptium, & altitudinem extollentem A  
se compressit aeternae legis auctoritate. Vnde & Dauid ait: Et confringet Dominus cedros Libani, & comminuet eas tamquam vitulum Libani. Itaque absorbit populus omnem perfidiam ac superbiam, ne eum absorberet impietas & arrogantia. Melius est enim vt vnusquisque praeualeat carni & vitis eius, ne dicatur de eo quia deuorauit eum mors praeualens, sed dicatur magis: Deuorata est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors aculeus tuus? Et de Domino dictum: De torrente in via bibet. Qui acetum accepit, vt absorberet vniuersorum tentationes. Quod autem occidi fecit a proximis proximos, filios a parentibus, a fratribus fratres, praecipuum euidens, quia praefenda est religio necessitudini, pietas propinquitati. Ea est enim vera pietas quae praeponeat diuina humanis, perpetua temporalibus. Vnde & ipse Moyses dixit: *Si quis a Domino veniat ad me. Et congregati sunt ad eum omnes filij Leui, & dixit illis: Haec dicit Dominus Deus Israel: Imponite vnusquisque gladium suum in femore suo, & pertransite, & redite a porta in portam per castra, & occidite vnusquisque fratrem suum, & vnusquisque proximum suum, &c.* vt contemplatione atque amore reuerentiae diuinae perimeretur omnis affectus necessitudinis. Et occisa quidem scribuntur tria millia hominum. Nec numeri inuidia mouentur, quia melius est paucorum supplicio vniuersos exui, quam in omnes vindicari. Neque verò aliquid durum videtur pro vindicta iniuriae caelestis. Denique sanctiora ceteris ad hoc munus eliguntur ministeria Leuitarum, quorum portio Deus. Nesciunt enim

suis parcere, qui nihil suum norunt: quoniam sanctis omnia Deus est. Est enim ille Leuita verus vltor & vindex, qui carnem interimit, vt seruet spiritum, qualis erat ille qui ait: Castigo corpus meum, & seruituti redigo. Quid autem tam proximum, quam caro animae? Quid tam proximum, quam sunt passionēs corporis? Eas in se Leuita bonus interimit spiritali gladio, qui est verbum Dei, bis acutum & validum. Est & gladius spiritus, qui pertransit animam, sicut ad Mariam dictum est: Tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur multorum cordium cogitationes. Nonne caro animae fraterno quodam copulatur consortio? Nonne etiam menti nostrae affinis & propinquus sermo est? Cum igitur comprimimus sermonem ne multiloquio peccatum incidamus, ius germanitatis abrumpimus, & fraternae vinculum propinquitatis dissoluimus, irrationabile quoque suum anima tamquam cognatum rationabili vigore dissociat. Sic ergo Moyses docuit populum insurgere in proximos suos, per quos fides reuocaretur, virtus impediretur, vt defecaretur in nobis quidquid a virtute deuium foret, confusum erroribus, vitis innexum. Haec institutione populi meruit vt non solum deliniret indignationem diuinam, atque offensam auerteret, verum etiam conciliaret gratiam. Pro captu itaque nostro quid sentiremus, quoniam consulisti, expressimus. Ipse si quid melius habes, nobis comparticipato, vt ex te, & ex nobis discamus quid potius eligendum & sequendum sit. Vale, & vt filius nos dilige, quoniam & nos te diligimus.

S. AMBROSII IN EXODVM ANNOTATIONVM FINIS.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS, SVPER QVIBVSDAM CAPITIVS  
LIBRI LEVITICI ANNOTATIONES.

Leuitici Cap. X.

**E**T accipientes duo filij Aaron, Nadab & Abiud, vnusquisque thuribulum suum, imposuerunt in eis ignem, & iniecerunt super ea thymiam, & obtulerunt coram Domino ignem alienum, quod non praeeperat Dominus eis. Et egressus est ignis a Domino, & deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino. Et dixit Moyses ad Aaron: Hoc est quod loquutus est Dominus, dicens: In appropinquantibus mihi sanctificabor, & in omni congregatione glorificabor. Et cōpunctus est Aarō. Et vocauit Moyses Misael & Elisapha filios Oziel, fratris patris Aaron, & dixit eis: Accedite, & tollite fratres vestros de facie sanctuarij extra castra. Et accesserunt, & tulerunt eos in tu-

nics suis extra castra, quemadmodum loquutus est Moyses. Et dixit Moyses ad Aarō, & Eleazar & Ithamar filios eius relictos: Capita vestra cidara non denudabitis, & vestes vestras non scindetis, vt non moriamini, & super omnem coetum erit furor. Fratres vestri, & omnis domus Israel lugebunt incendium quod incendit Dominus: & ab ostio tabernaculi testimonij non egrediemini, vt non moriamini. oleum enim vnctionis, quod a Domino, in vobis est. Et fecerunt secundum verbum Moysi. Et loquutus est Dominus Aaron, dicens: Vinum & siceram non bibetis tu & filij tui tecum, quando ingressi fueritis in tabernaculum testimonij, vel accedentibus vobis ad altare, vt

*1. Cor. 9.*

*Eze. 4. Luca 2.*

*Proverb. 10.*



non pereatis. Legitimum sempiternum in generationes vestras, ad discernendum inter sancta & profana, & inter munda & immunda, & ad docendum filios Israel omnia legitima quae loquutus est Dominus ad eos per manum Moyfi. Et dixit Moyfes ad Aaron, & ad Eleazar & ad Ithamar filios eius relictos: Accipite sacrificium relictum oblationibus Domini, & comedite illud azyma iuxta altare, quonia sancta sanctorum est. Et comedite illud in loco sancto, legitimum enim tibi est, & legitimum filiis tuis hoc ab oblationibus Domini. Sic enim praecipit est mihi. Et pectusculum segregationis, & brachium separationis comedetis in loco sancto tu & filij tui, & domus tua tecum. Legitimum tibi, & legitimum filiis tuis datum est de sacrificiis salutaribus filiorum Israel: brachium separationis, & pectusculum segregationis in oblationibus adipum offerent segregare segregationem coram Domino: & erit tibi, & filiis tuis, & filiabus tuis tecum legitimum aeternum, quemadmodum praecipit Dominus Moyfi. Et hircum qui pro peccato, quaerens quaesivit Moyfes, & combustus fuerat: & iratus est Moyfes aduersus Eleazar & Ithamar filios Aaron, qui superfuerant, dicens: Quare non manducastis quod pro peccato immolatum est, in loco sancto? Quoniam quidem sancta sanctorum est: haec vobis dedit manducare, ut auferatis peccatum synagogae, & intus manducandum est in loco sancto, sicut mihi praecipit est, ait. Cum ergo iratum eum vidisset Aaron, placide respondit ei: Si hodie obtulerunt pro peccato suo holocausta sua coram Domino, & acciderunt mihi talia, manducabo quod pro peccato obtulerunt hodie: numquid placebit Domino? Et audiuit Moyfes, & placuit illi.

*Azit de responsione Moyfi data ab Aaron pro eius filijs superstitibus, & a Moyse probata: & cur ta difficile tamque rarum sit in hac vita hominem peccati poenitentiam gerere.*

#### AMBROSIVS SIMPLICIANO.

**V**ANTVS sit vnusquisque in suo munere, exemplo debet esse lectio, quae iure te mouit, quod Moyfes ille quo nemo praesentius Deum vidit, neque surrexit amplius in Israel propheta qui Deum facie ad faciem sicut Moyfes noisset, ille qui

quadraginta diebus & noctibus iugiter cum Domino fuit cum legem acciperet in monte; ille, inquam, cui Deus dabat quos loqueretur sermones, inuenitur magis Aaron fratris consilium quam suum probasse. Fuit ergo quisquam hominum Moyse prudentior & instructor? Atque ipsum Aaron postea cum Maria circa Aethiopiae personam legimus errasse. Sed hoc ipsum diligenter discute, vbi Moyfes scientia praeponderet, vbi Aaron consilio. Moyfes magnus propheta, qui de Christo dixit: Sicut me, ipsam audietis. Et de quo ipse Dominus ait: Si Moyfen & prophetas non audiunt, nec si quis ex mortuis ad illos abierit, credent. Ergo in causa prophetiae praefertur Moyfes sicut propheta: vbi autem causa & munus & officium sacerdotij est, praefertur Aaron sicut sacerdos. Tractemus ergo ipsum locum. Immolatus erat hircus pro peccato, & oblatum in holocaustum. Quaesivit eum postea Moyfes, & combustus fuerat. *Et iratus est Moyfes aduersus Eleazar & Ithamar filios Aaron, qui superfuerant, dicens: Quare non manducastis quod pro peccato immolatum est, in loco sancto? Quoniam quidem sancta sanctorum est: haec vobis dedit manducare, ut auferatis peccatum synagogae, & intus manducandum est in loco sancto, sicut mihi praecipit est, ait.* Cum ergo iratum eum vidisset Aaron, placide respondit ei: *Si hodie obtulerunt pro peccato suo holocausta sua coram Domino, & acciderunt mihi talia, manducabo quod pro peccato obtulerunt hodie: numquid placebit Domino? Et audiuit Moyfes, & placuit illi.* Quid ista significant, consideremus. Nihil peccare, solius est Dei: emendare autem, corrigere erratum, & poenitentiam gerere peccati, sapientis est. Id tamen est difficile in hac vita hominum. Quid enim tam rarum, quam ut inuenias virum qui se ipsum coarquat, & factum condemnet suum? Rara itaque confessio de peccato, rara poenitentia, rara in hominibus verbi eius assertio. Repugnat enim natura, repugnat verecundia. Natura, quia omnes sub peccato: & qui carnem gerit, culpae obnoxius est. Ergo repugnat natura carnis, & illecebra saeculi innocentiae integritaque. Repugnat etiam verecundia, quia erubescit vnusquisque propriam culpam fateri, dum praesentia magis quam futura cogitat. Studebat Moyfes peccati vacuum reperire animam, ut exuuiis erroris deponeret, & nuda culpae sine villo sui pudore discederet. Sed non inuenit, quia cito impetus irrationabilis praenit, & flamma quaedam celerrimi motus animam depascitur atque exurit eius innocentiam. Praeponderant enim futuris praesentia, & violenta moderatis, & plura paucioribus, & iucunda seriis, & asperis mollia, & tristibus laeta, & illecebrosa rigidioribus, & praepropera tardioribus. Velox enim est iniquitas, quae ad nocendum occasiones suggerit, quia veloces pedes eius ad effundendum sanguinem. Lenta autem virtus omnis & diuturna cunctatrix ante iudicat, & adorienda inspicit. Ita mens boni, speculatrix consiliorum suorum est, priusque examinat quid decorum atque honestum: iniquitas vero opere cogitationem antevertit. Pigra igitur & verecunda est poenitentia, quia premitur & reuocatur praesentium pudore. Solis enim intendit futuris, quorum spes sera, tardior fructus, & ideo petitio ipsa tardior. Inter haec spei & virtutis

virtutis inolimina praecurrit impudentia, & specie praefentium poenitentia excluditur, & tamquam exuritur affectus eius, & huiusmodi aboletur inuitus. Quare ea lex, & non inuenit. Ambusta est enim feruore & fumo iniquitatis, & indignatio quaedam legis mouetur. Dicit Moyfes deuoradam fuisse poenitentiam in sancta sanctorum, sacerdotes quali iegniores increpat. Respondit Aaron, prouidum debere esse iudicium sacerdotale, nec facile male sanae conscientiae committendum id muneris, ne fiat error priore deterior. Vase enim foetido vel oleum vel vinum facile corrumpitur ac deterioratur. Quomodo autem poterat vbi ignis alienus erat, peccatum exuri, & hoc sub conspectu Domini, cui & occulta sunt cognita? Numquid potest placere Domino si quis cum adhuc versetur in iniquitatibus, & iniustitiam corde inclusam teneat, dicat se agere poenitentiam? Simile est, ac si quis aeger se sanum simulet, magis aegrotabit, quia nihil ei prodesse potest simulatio sanitatis, cum verbo adumbretur, non vilo fulciatur virtutis subsidio. Ignis itaque alienus est libido. Ignis alienus est omne iniusta ardor auaritia. Hoc igni nemo mundatur, sed exuritur. Nam vbi iste ignis alienus est, si quis in conspectu se offerat Domino, ignis eum caelestis absomit, sicut Abiud & Nadab, quos exussit ignis caelestis pariter cum iis quae pro peccato sacris fuerat oblata altaribus. Qui ergo vult mundare peccatum suum, ignem a se remoueat alienum. Illi soli igni se offerat qui culpam non hominem exurit. Qui fit iste ignis, audi dicentem: Quia Iesus baptizat in Spiritu sancto & igni. Hic est ignis qui siccauit haemorrhoyiae per duodecim annos sanguinem profluentem. Hic est qui peccatum Zacchei abstulit dicentis quod dimidium bonorum suorum daret pauperibus, & si cui quidquam abstulit redderet quadruplum. Hic est ignis qui absterit culpam latronis. Ignis enim consumens est qui dixit ei: Hodie mecum eris in paradiso. Illos itaque sanauit, in quibus simplicem & puram reperit confessionem, nihil malignum, nihil fraudulendum. Denique Iudas ad remedium peruenire non potuit, cum diceret: Peccaui quod tradiderim sanguinem iustum: quia alienum ignem voluebat in pectore, qui eum inflamauit ad laqueum. Indignus enim remedio fuit, quia non inrimo mentis conuersus ingemuit, nec sedulo gessit poenitentiam. Tantae enim pietatis est Dominus Iesus, ut & ipsi donaret veniam, si Christi expectasset misericordiam. Hanc ergo culpam sacerdotes non auferunt, neque peccatum eius qui in dolo se offert, & adhuc in studio delinquendi est. Non enim possunt epulari in eo quod plenum fraudis, & serpentis interius cicatricis est. Cibus enim sacerdotis est in peccatorum remissione. Vnde ait princeps sacerdotum Christus: Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me. Quae est voluntas Dei, nisi ea, cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris? In illo ergo subdolo cibus nullus est. Denique nec ipse epulandi suauitatem capere potest in quo non sincera & pura conscientia est. Amaritudo enim fraudis epulandi suauitatem obducit: nec permittit mala conscientia ut reficiat & pascat obnoxium animum poenitentia. Ideo ergo talis affectus, talis petitio, talis poenitentia.

non est vsui aut voluptati sacerdotibus. Meritoque hircus ille qui pro peccato oblatum est in holocaustum, quia non fuit sincera hostia, exustus est, quia in eius sacrificio ignis alienus repertus est. Non est itaque complacitum & acceptum sacrificium Deo. Non est enim acceptum, nisi quod fuerit in diuitiis sinceritatis & veritatis probatum. Ideo & alibi legis duos hircos, vnum in quo fors Domini, alterum transmissio. Illum in quo fors Domini, offerri atque immolari pro peccato: illum vero in quo fors transmissio, dimitti in desertum, ut accipiat populi iniquitates, vel alicuius peccatoris. Sicut enim duo sunt in agro, & vnus eorum assumitur, alius derelinquitur: ita sunt duo hirci, vnus qui ad sacrificium est utilis, alius qui in desertum dimittitur. Hic nulli vsui, neque edendus, neque epulandus a sacerdotum filiis. Sicut enim ex iis quae alimentorum sunt, quod bonum est editur, quod inutile aut malum, proicitur: ita & bona opera epulatoria dicimus, quia sunt vsui. Non placebit ergo Domino si manducet sacerdos sacrificium in quo fraus sit oblationis, non sedulae confessionis sinceritas. Et ideo hircus iste in desertum dimittendus est, vbi errauerunt patres nostri, errauerunt in eo, & non potuerunt ad resurrectionis terram peruenire, sed interit a terra memoria eorum. Denique quae sint epulatoria opera, audi: Et erunt sabbata terrae vobis escae. Epulatoria enim & refectoria requies in Deo, quae facit animi tranquillitatem. Vnde & nos etiam in sermone requiescamus. Vale, & nos, ut diligis, diliges, quia nos te diligimus.

#### Leuitici Cap. XII.

**E**T loquutus est Dominus ad Moyfen, dicens: Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Mulier quae semen susceperit, & peperit masculum, immunda erit septem dies: iuxta dies separationis menstrui eius immunda erit. Et die octauo circumcidet carnem praeputij infantis eius, & triginta & tres dies sedebit in sanguine purificationis suae. Omne sanctum non tanger, & in sanctuarium non ingredietur, vsquequod impleantur dies purificationis eius. Si autem foemina pepererit, immunda erit bis septem dies, secundum menstruum eius: & sexaginta dies & sex manebit in sanguine immundo eius. Et quando impleti fuerint dies purificationis eius in filio vel in filia, offeret agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbae, vel turtorem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonij ad sacerdotem, qui offeret illum coram Domino: & propitiabit pro ea sacerdos, & purgabit eam a fonte sanguinis eius. Haec lex parientis masculum vel foemina. Si autem non inuenerit manus eius quod satis est ad agnum, accipiet duos turtures, vel duos pul-



los columbarum, vnam in holocaustum, & vnam pro peccato: & propitiabit pro ea sacerdos, & purgabitur.

Explicatur causa, cur circumcisio quae in veteri lege ut vtilis custodiebatur, & ut necessaria praecipiebatur, nunc in Evangelio ut inutilis & perniciofa repudietur: & solvantur quaedam dubia.

AMBROSIVS CONSTANTIO.



ON mediocri plerisque mouet quaestio, qua causa circumcisio & veteris testamenti auctoritate quasi vtilis impetretur, & noui testamenti magisterio quasi inutilis repudietur, cum praesertim Abraham primus oraculum circumcisionis celebranda acceperit, qui diem Domini Iesu vidit, & gauisus est. Quod vti que in euidenti est, quia non corporalibus, sed spiritualibus legis diuinae intenderit: & ideo veram dominici corporis passionem in arietis conspexerit immolatione. Quid ergo dicemus secutum patrem nostrum Abraham ut id primus institueret quod eius non sequeretur haereditas? Aut qua ratione circumciditur infantulorum corpora, & in ipso ortu subiiciuntur periculis, & hoc imperari oraculo, vt discrimen salutis fiat de mysterio religionis? Quid hoc significat? Latet enim causa veri, & oportuit aut aperto aliquid mysterio significari, aut non periculoso mysteriorum indicio mandari. Cur vero signum testamenti diuini in ea datur parte membrorum quae visu inhonestior aestimatur? Aut qua gratia ipse operator corporis nostri in ipso nostrae generationis exordio circumcidi opus voluit suum, & vulnerari, & cruentari, & abscindi partem quam velut necessariam (quia omnia disposuit ordinatè) cum ceteris membris faciendam putauit? Aut enim praeter naturam est haec portio corporis nostri, & non oportuit habere omnes homines quod esset praeter naturam: aut secundum naturam est, & non decuit amputari quod secundum naturam perfectionem creatum foret, cum praesertim alieni a portione Domini Dei nostri id praecipue irridere soliti sint. Deinde cum propositum sit Deo, vt frequenter ipse testificatus est, plures ad sacrae obseruantiam prouocare religionis; quanto magis inuitarentur si non aliqui circumcisionis ipsius aut periculo aut opprobrio reuocarentur? Ergo vt ad prima redeamus, & propositum persequamur ordinem, de ipsa circumcisionis qualitate dicendum videtur. Cuius gemina debet esse defensio, quia duplex est accusatio. Vna quae irrogatur a gentilibus, altera quae ab iis qui de populo Dei sunt, aestimatur. Vehementior autem gentilium, qui viros circumcissione signatos etiam opprobrio & illusione dignos arbitrantur. Sed etiam ipsorum sapientissimi quique ita circumcissionem approbant, vt electos suos erga cognoscenda & celebranda mysteria circumcidendos putent. Denique Aegyptij, qui & geometriae & colligendis siderum cursibus operam impediunt suam, impium iudicant sacerdotem qui nequaquam habeat circumcisionis insigne. Nam neque magici carminis sapientiam, nec geometriam, nec astronomiam iudicant vim suam obtinere sine circumcisionis signaculo. Et ideo vt impetrandi vim operationi adhibeant suae, purgationem quandam vatum suorum circumcisionis arcano celebrandam existimant. Reperimus autem in historia veterum, non solos Aegyptios, sed etiam Aethiopum & Arabum & Phoenicum aliquos circumcissione erga suos vfos. Et hanc putant se adhuc probanda viam seruare rationis, eo quod sui corporis primitiis & sanguinis initiati, insidias daemonum quas illi generi nostro moliantur, exiguae partis arbitrentur consecrationibus destruendas: vt qui totius hominis saluti nituntur nocere, insinuari operationem suam putent circumcisionis sacrae vel lege vel specie. Arbitror enim quod in praeteritum ipse daemonum princeps cessare suas artes erga noxiae operationis effectum aestimauerit, si ei nocere conaretur quem signaculo circumcisionis sacrae initiatum aduerteret, aut ei qui videretur in hoc saltem munere legi diuinae obtemperare. Iam qui singulorum membrorum officia diligenter expendit, non otiosam causam in hac membri huius portiuncula aestimare poterit, qua ratione non solum circumcidatur puer, verum etiam octauo circumcidatur die, quando incipit mater pignoris nati in sanguine esse puro, quae ante octauum diem fertur in sanguine immundo sedere. Haec aduersum eos dicta sint qui nulla nobis vnitate fidei sociantur, & ideo tamquam aduersum diffidentes difficilior disputandi locus. Responsum autem sibi huiusmodi habeant qui credunt in Dominum Iesum, quod nudare nolumus, cum aduersum opiniones gentilium disputarem. Nam si redempti sumus non corruptibilibus argento & auro, sed pretioso sanguine Domini nostri Iesu Christi (quo vti que vendente, nisi eo qui nostro iam peccatricis successione aere quaesitum seruitium possidebat? sine dubio ipse flagitabat pretium, vt seruitio exueret quos tenebat obstrictos. Pretium autem nostrae liberationis erat sanguis Domini Iesu, quod necessario soluendum erat ei cui peccatis nostris venditi eramus. Donec igitur hoc pretium pro omnibus soluereetur hominibus, quod dominici sanguinis effusione pro omnium fuit soluendum absolute, opus fuit singulorum sanguine, qui lege & consuetudinis ritu, sacrae praercepta sequeretur religionis. Sed quia pretium pro omnibus solutum est, posteaquam passus est Christus Dominus, iam non opus est vt viritim sanguis singulorum circumcissione fundatur, cum in sanguine Christi circumcisio vniuersorum celebrata sit, & in illius cruce omnes simul crucifixi sumus cum eo, & consepulti in eius sepulcro, complantati similitudini mortis eius, vt vltra non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est a peccato. Quod si quis, vt Marcion & Manichaeus, reprehendendum Dei putat esse iudicium, quia vel oraculum de circumcissione celebranda edendum putauit esse, vel legem qua sanguinis effusio mandatur; necesse est vt is etiam Dominum Iesum reprehendendum arbitretur, qui non exiguum, sed multum sanguinem pro huius mundi effudit redemptione, & hodieque nos funderi iubet sanguinem nostrum pro tanto religionis certamine, dicens: Qui vult me sequi tollat crucem suam, & sequatur me.

Act. 15. Genes. 17. Iou. 8.

Genes. 22. Rom. 4.

Genes. 17. Sapien. 8.

Herodotus lib. 2. histor. et Ioseph. lib. 1. Antiquit. cap. 10. et lib. 8. cap. 10.

Genes. 17.

1. Pet. 1.

Esa. 50.

Rom. 6.

Mat. 16.

me. Si autem nequaquam iusta est accusatio, cum aliquis totum se pro pietate offerat, & multi sanguinis se mundet effusione, quomodo legem possumus reprehendere exigui stillam exigentem sanguinis, cum praedicemus Dominum Iesum multi effusione sanguinis, & totius corporis mortem imperantem? Nec ipsum circumcisionis signaculum & species feriebatur, quo populus Dei velut quodam sigillo signatus corporis, discernebatur a ceteris nationibus. Nunc autem Christi donatus nomine signum corporis nequaquam requirit, qui praerogatum diuinum meruit nuncupationis. Quid autem absurdum si propter pietatem aliquid doloris vel laboris inferri videbatur, quo plus deuotio per haec certamina probaretur? Pulchrum etiam vt ab ipsis vite incunabulis insigne religionis adolesceret, & puderet vnumquemque aetatis profectionis vel labori vel dolori cedere, quorum vtrumque tenera infantia vicisset. Sed iam Iam cui circumcisionis dolore non opus est Christiano populo, qui mortem Domini circumferens, per momenta singula fronti propriae mortis contemptum inscribit, vt pote qui sciat sine cruce Domini salutem se habere non posse. Quis enim acu vtatur ad praeliandum, cum telis instructus sit validioribus? Iam illud quiuis facile refellendum aduertit, quia propositum est plerisque potuisse ad sacrae religionis prouocari obsequium, nisi essent doloris timore vel laboris contuitu reuocati. Et potuit hoc terrere maiorem, quod infantuli plerique sustinebant sine periculo? Est tamen aliquos infantulos Iudaeorum cum dolore circumcisi corporis plagaeque feruentis sustinere non potuerint, defunctos fuisse: sed hoc nec ceteros deterreat profectioni aetate robustos, & laudabiliorem faciebat eum qui praerceptis obedisset caelestibus. Quod si hoc in exiguo dolore arbitrantur confessionis fuisse obstaculum, quid de martyrio dicunt? Nam si reprehendunt circumcisionis dolorem, reprehendant & martyrii mortem, per quos cumulata non minuta religio est. In tantum autem abest nocuisse fidei circumcisionis dolorem, vt probabilior fidei faciat dolor. Maior enim fidei gratia, si quis pro religione contemnat dolorem. Et hic magis habet praemium quam ille, qui ideo dolorem voluit circumcissione subire, vt gloriaretur in lege, & laudem ex hominibus magis quam ex Deo quaereret. Oportuit igitur circumcissionem ex parte fieri ante eius aduentum, qui totum circumcideret hominem. Ex parte enim debuit assuescere humana conditio quemadmodum in id quod perfectum est crederetur. Si autem oportuit circumcidi, in qua magis parte membrorum oportuit circumcissionem fieri quam in ea quae quibusdam videretur inhonestior? vt iis quae putaretur ignobiliora esse membra corporis nostri, honestatem abundantior circumdarent: & quae inhonesta sunt nostra, honestatem abundantior habent. Vbi enim magis vir sanguinis sui admoneri debuit, quam in ea parte qua ministerium exhibetur errori? Nunc tempus est vt & illis respondeamus qui dicunt: Si ea pars corporis nostri secundum naturam est, nequaquam eam amputari oportuisse: si non est secundum naturam, non debuisset simul nasci. Qui quoniam tam arguti sunt, & ipsi S. Ambr. tom. 1.

1. Cor. 4.

2. Cor. 4.

Rom. 2.

1. Cor. 13.

1. Cor. 12.

mih i respondeant, vtrum secundum naturam successio humana sit quae generationibus adolescit, an contra naturam? Si enim secundum naturam, numquam igitur intermittenda est. Et quomodo integritas virorum, virginitas puellarum, abstinentia viduarum, continentia coniugum praedicatur? Nul lum ergo studium quaerenda successione feriari debuit. Sed ipse auctor naturae non vti que generationi obsecutus est, qui de se cum esset in corpore constitutus, praebuit magisterium, & hortatus est discipulos ad integritatem, dicens: Sunt spadones qui se castrauerunt propter regnum caelorum, qui potest capere, capiat. Cum sit autem homo compositus ex corpore & anima (satis est enim interim hoc dicere, & file re de spiritu) non est idem vtrique secundum naturam, sed quod est corpori secundum naturam, id contra naturam est animae: & quod secundum naturam est animae, id contra naturam est corpori. vt si dicam, quod secundum naturam est visibili, id contra naturam est ei quod non videtur: & quod secundum naturam est ei quod non videtur, id contra naturam est visibili. Nihil ergo incongruum in hominibus Dei si fiant aliqua contra naturam corpori quae sint animae secundum naturam. Qui autem dicunt quoniam plures credidissent, si circumcisio non fuisset, ij sibi responsum hoc habeant, quoniam plures crederent si martyria non essent: sed praestantior est fortitudo paucorum, quam remissio plurimorum. Sicut autem plurima baptismatum genera praemissa sunt, quia secutura erat verum illud vnum in spiritu & aqua sacramentum baptismatis, quo totus redimitur homo: ita plurimorum circumcisio praemittenda fuit, quia secutura erat circumcisio dominicae passionis, quam pertulit Iesus quasi agnus Dei, vt tolleret peccatum mundi. Haec ideo scripsimus, vt ostenderemus quia & debuit praemitti circumcisio quae foris est, vt & ea iam post aduentum Domini iure videatur exclusa. Nunc autem circumcisio est necessaria quae in occulto est, sicut Iudaeus praestantior qui in occulto in spiritu, non littera: quoniam cum sint in vno homine duo homines, de quibus dictum est: Et si is qui foris est homo noster corrumpitur secundum desideria erroris, sed qui intus est, renouatur de die in diem. Et alibi: Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Interior est homo noster qui est ad imaginem & similitudinem Dei factus, exterior qui figuratus est limo. Sic denique & in Genesi duas tibi creaturas hominis ostendit, secundum creatum hominem significans. Sicut ergo duo homines, ita & gemina conuersatio est: vna interioris hominis, altera exterioris. Et quidem plerique actus interioris hominis perueniunt ad exteriorem hominem, quemadmodum castimonia interioris hominis transit etiam ad castitatem corporis. Qui enim adulterium cordis ignorat, idem vti que nescit corporis adulterium. Non tamen etiam illud est consecutus, vt qui non adulterauit corpore, non adulterauerit etiam corde, secundum illud: Quonia qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam adulterauit eam in corde suo. Nam etsi adhuc non sit adulter corpore, tamen iam affectu adulter est. Ergo est interioris hominis circumcisio. Nam qui circumciditur, totius carnis illecebras tanquam

1. Cor. 7.

Matth. 19.

1. Cor. 3.

1. Cor. 1.

Rom. 2.

2. Cor. 4.

Rom. 7.

Gen. 1.

Gen. 2.

Matth. 5.

Rom. 2.

Rom. 4.

præputium exiit, ut sit in spiritu, non in carne, & spiritu mortificet corporis sui actus. Et hæc est quæ in occulto est circumcisio, sicut Abraham antè in præputio erat, postea factus est in circumcissione. Sic interior homo noster quando est in carne, tamquam in præputio est: quando autem iam non est in carne, sed in spiritu, incipit esse in circumcissione, non in præputio. Sicut autem qui circumciditur, non totam carnem exiit, sed solum præputium, vbi corruptela frequentior: ita qui in occulto circumciditur, carnem illam exiit de qua scriptum est: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius ut flos fœni. aruit fœnū, & flos eius decidit: verbum Domini manet in æternum. Et remanet caro, quæ videbit salutem Dei, sicut scriptum est: Et videbit omnis caro salutare Dei. Quæ sit ista caro, munda aures, ut intelligas. Talis ergo debet esse in occulto circumcisio, ut nullam habeat comparationem cum ea quæ foris est circumcissione. Et ideo qui in occulto Iudæus est, ipse præstat qui est à Iuda, cuius manus supra crucem inimicorum eius, qui recubans requieuit ut leo, & ut catulus leonis, quem laudant fratres eius. Ab hoc Iuda non deficit princeps, quia sermo eius principes facit, qui non subiiciantur illecebris secularibus, & captiuentur voluptatibus istius mundi. Et quia ipse Iudas in hanc generationem venit, ideo pluri qui postea generati sunt, præferunt ut virtutum principatu gaudeant. Habemus itaque circumcissionem in occulto, & in occulto Iudæum, qui est spiritalis. Spiritalis autem, utpote princeps, diiudicat omnia, ipse autem à nemine diiudicatur. Debit ergo legis mandato præscripta circumcisio quæ ex parte erat, cessare, posteaquam venit qui circumcissionem faceret totius hominis, & implet circumcissionem legis. Quis autem est iste nisi qui dixit: Non veni legem solvere, sed implere? Quamquam si diligenter intendas, & illa sit ratio qua iam cessare debuerit præputij circumcisio, quia plenitudo gentium venit. Non enim gentibus circumcisio mandata est, sed semini Abraham. Sic enim habes in primo oraculo: Et dixit Deus ad Abraham: Tu autem testamentum meum obseruabis, tu & semen tuum post te in progenies eorum. Et hoc est testamentum meum quod obseruabis inter me & vos, & semen tuum post te in progenies eorum: Circumcidetur vestrum omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri, & erit in signum testamenti inter me & vos. Infans octo dierum circumcidetur vobis, omne masculinum in progenies vestras. Vernaculus domus tuæ & pecunia emptus ab omni filio alterius qui non est ex femine tuo, circumcissione circumcidetur: & erit pactum meum in carne vestra in testamentum æternum. Et incircumcisus masculinus qui non circumcidet carnem præputij sui octava die, exterminabitur anima illa de generatione illa, quia testamentum meum transgressus est. Hebræus quidem negatur habere de octava die, sicut Aquila significat. Sed non in Aquila omnis auctoritas, qui quasi Iudæus in littera præterit, nec posuit octauum diem. Interim & octauum diem & in signo datam circumcissionem audisti. Signum autem rei maioris indicium est, indicium veritatis futuræ, & datum testamentum Abraham & semini eius, cui dictum est: In Isaac erit

Esa. 40.

Luc. 3.

Gen. 49.

Rom. 2.

1. Cor. 2.

Matth. 5.

Rom. 11.

Gen. 17.

Gen. 21.

semen tuum. Ergo circumcidit licuit Iudæum, vel domi eius natum, vel pecunia eius emptum. Non possumus deriuare hoc ad alienigenam aut profelytum, nisi fuerint in domo Abraham nati, aut pecunia eius empti, vel feminis eius. Denique nihil dixit de profelytis, de quibus quando voluit dicere, nominavit eos, sicut habes: Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad Aaron, & ad filios eius & ad omnes filios Israel, & dices ad eos: Homo homo à filiis Israel, & à profelytis qui sunt apposti vobis, quicumque fecerit holocaustum. Vbi ergo comprehendit eos, ibi lex eos tenet. Vbi oraculo non significantur, quomodo astringi videtur: Sic habes denique, Dic filii Aaron, quando de sacerdotibus dicit. Habes quando & de Leuitis dicit. Ergo omnifariam claret etiam secundum litteram legis, quamquam lex spiritalis sit, secundum ipsam tamen litteram ad circumcissionem teneri non potuisse nationum populos, sed ipsam circumcissionem in signo fuisse donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, circumcisus corde, non exigua membri vnus parte. Ergo satis & excusata à nobis, & exclusa est Iudæorum manens hodièque circumcisio. Quod autem reprehensioni eam dicunt fuisse vel esse gentilibus, primum non habent reprehendere ipsi vel irridere quod alij consortes faciunt sui. Esto tamen, fuerit quod irrideret. Quid hoc nos mouere debet, cum ipsa crux Domini Iudæis scandalum, Græcis stultitia, nobis autem virtus Dei sit atque sapientia? Et ipse Dominus dixerit: Qui me confusus fuerit coram hominibus, confundar & ego eum coram patre meo qui est in cælis, docens nos iis quæ ridentur ab hominibus, non commouendos, si qua pro religionis obsequio deferuntur.

Gen. 17.

Leuit. 17.

Rom. 7.

Rom. 11.

2. Cor. 1.

Luc. 9.

## Leuitici Cap. XXVI.

**E**GO Dominus Deus vester: non facietis vobis ipsis manufacta, neque sculptilia, neque statuam erigētis vobis, neque lapidem insignem erigētis in terra vestra ad adorandum eum. ego Dominus Deus vester. Sabbata mea seruabitis, & à sanctuario meo timebitis. ego Dominus. Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea obseruaueritis, & feceritis ea, dabo pluuiam vobis in tempore suo, & terra dabit germina sua, & ligna camporum reddēt fructum suum. Et apprehendet vobis tritura vindemiā, & vindemia apprehendet semetipsum: & comedetis panem vestrum ad saturitatem, & habitabitis cum securitate in terra vestra. Et dabo pacem in terra vestra, & dormietis, & non erit vos exterrens. Et perdat bestias malas ex terra vestra, & bellum non transibit per terram vestram. Et persequemini inimicos vestros, & cadent coram vobis in cede. Et persequentur ex vobis quinque centum, & centum ex vobis persequentur decem millia: & cadent inimici

mici vestri coram vobis gladio. Et respiciam super vos, & crescere faciam vos: & multiplicabo vos, & statuam pactum meum vobiscum. Et comedetis antiqua antiquorum, & antiqua ex conspectu nouorum efferetis. Et ponam tabernaculum meum in vobis, & non abominabitur anima mea vos. Et ambulabo inter vos, & ero vester Deus, & vos eritis mihi in populum. Ego sum Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, cum essetis vos ferui: & confregi vinculum iugi vestri, & duxi vos cum fiducia. Si autem non obedieritis mihi, neque feceritis præcepta mea hæc: sed inobedientes fueritis ipsis, & iudicia mea spreuerit anima vestra, ita ut vos non faciatis omnia mandata mea, ita ut dissipetis vos pactum meum: & ego faciam sic vobis: & obfirmabo super vos festinationem, & egestatem, & scabiem, & iterum, consumetes oculos vestros, & animam vestram liquefcentem. Et seminabitis in vanum semina vestra, & comedent ea aduersarij vestri. Et obfirmabo faciem meam contra vos, & cadetis coram inimicis vestris: & persequentur vos odientes vos, & fugietis nullo persequente vos. Et si usque ad hoc non obedieritis mihi, addam castigare vos plagis septies pro peccatis vestris, & confringam superbiam arrogantiam vestram. Et ponam vobis cælum sicut æneum, & terram vestram sicut ferream. Et erit in vanum vis vestra: & non dabit terra vestra semen suum, & lignum agri non dabit fructum suum. Et si post hæc ambulaueritis obliqui, & non volueritis obedire mihi, addam vobis plagas septem iuxta peccata vestra: & mittam super vos agrestes bestias terræ, & comedent vos, & consumēt iumenta vestra, & paucos facient vos, & solitaria erunt via vestra. Et si post hæc non correcti fueritis, sed ambulaueritis contra me obliqui, ambulabo & ego vobiscum furore obliquo, & percutiam vos & ego septies pro peccatis vestris: & inducam super vos gladium vlciscentem vltionem pacti. Et confugietis in vrbes vestras, & mittam mortem contra vos, & trademini in manus inimicorum, cum tribulauero vos penuria panum. Coquent decem mulieres panes vestros in clibano vno, & reddent panes vobis in pondere, & comedetis, & non saturabimini. Si autem post hæc non obedieritis mihi, sed ambulaueritis contra me obliqui, & ego ambulabo vobiscum

in furore obliquo, & corripiam vos ego septies iuxta peccata vestra: & comedetis carnes filiorum vestrorum, & carnes filiarum vestrarum comedetis: & desolabo statuas vestras, & destruam ligna simulachra vestra. Et ponam cadauera vestra super cadauera idolorum vestrorum, & grauis erit anima mea vobis. Et ponam vrbes vestras solitarias, & desolabo sancta vestra, & non olfaciam odorem sacrificiorum vestrorum. Et desolabo ego terram vestram, & admirabuntur super illam inimici vestri, habitantes in illa: & dispergam vos in gentes, & consumet vos penetrans gladius: & erit terra vestra deserta, & vrbes vestra erunt solitariae. Tunc complacebunt terræ sabbata sua omnibus diebus desolationis suæ, & vos eritis in terra inimicorum vestrorum. Tunc sabbatizabit terra, & complacebunt sabbata sua omnibus diebus desolationis suæ: sabbatizabit qui non sabbatizauit in sabbatis vestris, quando habitabatis ipsam. Et relictis ex vobis inducam pauorem in corde illorum in terra inimicorum suorum, & persequentur eos sonitus folij volantis, & fugient ut fugientes à bello, & cadent nullo persequente. Et contemnet frater fratrem suum sicut in bello, nullo incurrente. Et non poteritis resistere inimicis vestris, & peribitis in gentibus, & comedet vos terra inimicorum vestrorum. Et relictis ex vobis tabescent propter peccata sua in terra inimicorum suorum, propter peccata patrum suorum tabescent. Et confitebuntur peccata sua, & peccata patrum suorum, quoniam transgressi sunt & contempserunt me: & quoniam ambulauerunt coram me obliqui, & ego ambulauit cum illis in furore obliquo, & perdam illos in terra inimicorum suorum. Tunc erubescet cor illorum incircumcisum, & tunc complacebunt scelera sua. Et recordabor fœderis Iacob, & fœderis Isaac, & fœderis Abraham recordabor, & terræ recordabor, & derelinquetur terra ab eis. Tunc expectabit terra sabbata sua, cum deserta fuerit illa propter eos. Et ipsi expectabunt sua peccata, eo quod iudicia mea spreuerunt, & præcepta mea despexerunt anima sua. Et sic existentibus ipsis in terra inimicorum suorum, non contempsi eos, neque despexi eos, ita ut perderem illos, ut annihilarem pactum meum quod ad eos. Ego enim sum Dominus Deus illorum. Et recordabor pacti illorum prioris, quando eduxi illos



de terra Ægypti, de domo seruitutis coram gentibus, vt essem illorum Deus. ego Dominus. Hæc iudicia, & præcepta, & lex, quam dedit Dominus inter se, & inter filios Israel, in monte Sinai, in manu Moyfi.

Examinatur cur Deus Iudeis interminatus fuerit, dicens: Ponam vobis calum sicut æneum, & terram vestram sicut ferream.

AMBROSIVS ROMVLO.

VM fis in agro, miror qua ratione de me quærendum putaueris cur dixerit Deus: Ponam vobis calum sicut æneum, & terram vestram sicut ferream. Nam species ipsa agri & præfens fertilitas docere nos potest quanta clementia sit aëris, & cæli indulgentia, quando dignatur Deus vbertatem dare: quando autem sterilitas, quemadmodum clausa omnia, spissus aër, vt in rigorem aris solidatus putetur. Vnde alibi habes

Dmt. 28.

S. AMBROSII ANNOTATIONVM IN LEVITICVM FINIS.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS SVPER CAP. XXIII.

LIBRI NVMERI ANNOTATIO.

Numeri Cap. XXIII.

ET dixit Balaam Balac: Ædifica mihi hîc septem altaria, & para mihi hîc septem vitulos, & septem arietes. Et fecit Balac quemadmodum dixit ei Balaam, & obtulit vitulum & arietem super altare. Et dixit Balaam ad Balac: Sta super sacrificium tuum, & ibo: si apparuerit mihi Deus in occurfu, & verbum quodcunque mihi ostendet, annuntiabo tibi. Et abiit rectam, & apparuit Deus Balaam. Et dixit ad eum Balaam: Septem altaria paravi, & imposui vitulum & arietem super altare. Et immisit Deus verbum in os Balaam, & dixit: Conuersus ad Balac, sic loqueris. Et reuersus est ad eum, & ille steterat super holocaustis suis, & omnes principes Moab cum illo. Et assumens parabolam suam, dixit: Ex Mesopotamia accersiuit me Balac rex Moab, de motibus Oriētis, dicens: Veni, maledic mihi Iacob: & veni, maledic mihi Israel. Quid maledicam cui non maledicit Dominus: Quid maledicam cui non maledicit Deus: A summis montibus conspiciam eum, & de collibus considerabo eum. ecce

populus solus habitabit, & in gentibus non reputabitur. Quis dinumerauit semen Iacob? & quis numerabit populos Israel? Moriatur anima mea in animis iustorum, & fiat semen meum vt semen hoc. Et dixit Balac ad Balaam: Quid fecisti mihi? Ad maledictionem inimicorum meorum vocavi te, & ecce benedixisti benedictione. Et dixit Balaam ad Balac: Nonne quæcumque immiserit Deus in os meum, hoc custodiam ad loquendum? Et dixit ad eum Balac: Veni adhuc mecum in alium locum, ex quo non videbis eum inde: sed partem aliquam eius videbis, omnes autem non videbis, & maledices mihi ei inde. Et assumpsit eum in agri speculam super verticem excisi, & ædificauit ibi septem altaria, & imposuit vitulum & arietem super altare. Et dixit Balaam ad Balac: Sta super sacrificium tuum, ego autem ibo interrogare Deum. Et occurrit Deus Balaam, & immisit verbum in os eius, & dixit: Reuertere ad Balac, & hæc loqueris. Et reuersus est ad eum, & ille steterat super holocaustum suum,

Luc. 4.

Exod. 16.

suum, & principes Moab cum eo. Et dixit ei Balac: Quid loquutus est Dominus? Et assumens parabolam suam, dixit, Surge Balac, & audi auribus percipe testis filius Sepphor. Non vt homo Deus, vt mentiatur: neque vt filius hominis, vt mutetur. Ipse dixisti: Non faciet, loquetur, & non manebit. Ecce ad benedicendum assumptus sum: benedicam, & non conuertar. Non erit labor in Iacob, neque apparebit dolor in Israel. Dominus Deus eius cum eo, gloriosa principum in eo. Deus qui eduxit eum ex Ægypto, gloria eius sicut vnicornis. Non enim est augurium in Iacob, neque diuinatio in Israel: & secundum tempus dicitur Iacob & Israel quid perficiet Deus. Ecce populus sicut catulus leonis consurget, & sicut leo superbiat. Non dormiet quoad deuoret prædam, & sanguinem vulneratorum bibat. Et dixit Balac ad Balaam: Neque maledictionibus maledices ei, neque benedicens benedices ei. Et respondens Balaam dixit Balac: Non loquutus sum tibi, dicens: Verbum quodcumque loquutus fuerit Deus, hoc faciam? Et dixit Balac ad Balaam: Veni, assumam te in locum alium: si placuerit Deo, & maledic mihi illi inde. Et assumpsit Balac Balaam super verticem Phogor, qui spectat in desertum, & dixit Balaam ad Balac: Ædifica mihi hîc septem altaria, & para mihi hîc septem vitulos & septem arietes. Et fecit Balac sicut dixit ei Balaam: & imposuit vitulum & arietem super altare.

Super verbis Balaam, eiusque in Israel benedictione, excitantur quedam dubia, & explicantur.

AMBROSIVS CHROMATIO.

ICTVM est: Non vt homo Deus, vt mentiatur, neque vt filius hominis, vt mutetur. Numquidnam mentitur Deus? Sed non metitur, quia impossibile est metiri Deum. Impossibile autem istud, numquidnam infirmitatis est? Non utique. Nam quomodo omnia potest, si aliquid efficere non potest? Quid ergo ei impossibile? Illud utique, quod naturæ eius contrarium est, non quod virtuti arduum. Impossibile, inquit, est ei metiri: & impossibile istud non infirmitatis est, sed virtutis & maiestatis, quia veritas non recipit medicum, nec Dei virtus leuitatis errorum. Ideoque sit Deus verax, omnis autem homo mendax. Veritas itaque semper in eo est, fidelis manet, mutare se & negare non potest. Si enim verum se negat, mentitur: mentiri autem, non virtutis sed infirmitatis est. Nec mutare se potest, quia natura eius non recipit infirmitatem. Hoc igitur impossibile eius, plenitudinis est, quæ minuere se &

Tit. Hebr. 6.

Rom. 3. Tit. 1.

augere non potest, non infirmitatis, quæ in eo quod se auget, imbecilla est. Ex quo colligitur impossibile Dei potentissimum esse. Quid enim potentius quam nescire quidquid infirmitatis est? Est tamen & aliud infirmum Dei, quod fortius est hominibus: & stultum Dei, quod sapientius est hominibus: sed hoc crucis, illud diuinitatis. Si ergo quod infirmum eius, potentia est: quod potentia, quomodo infirmum est? Sit igitur nobis positum, quia non mentitur Deus. Sed nec augurator augurij in Israel, secudum legem Dei. Quomodo ergo Balaam prohibitum se oraculo Dei dicit ne vadat ad maledicendum populo Israel, & tamen iuit, & occurrit ei angelus Domini qui eum prohiberet pergere, ita vt obstitet asina eius quæ vehebat eum, & nihilominus & ipse dixit ei vt iret, sed hoc diceret quod sibi infunderetur? Si diuinatio non est in Israel, vnde isti oraculum Dei quod futura manifestauit, qui augur erat? Si oraculum Dei loquebatur, vnde meritum diuinæ aspirationis assumpserat? Sed non miretis infusum auguri à Domino quod loqueretur, quando infusum legis in Euangelio etiam principi sacerdotum, vni ex persecutibus Christum: Quia oportet vnum hominem mori pro populo. In quo non prophetia meritum, sed assertio veritatis est, vt aduersariorum testimonio manifestaretur, quo perfidia non creditum, vocibus suorum augurum redargueretur. Ideo Balaam ille Chaldaeus accitur ad fidem, vt Chaldaeorum superstitio conticesceret. Non igitur confidentis meritum, sed vocantis oraculum est reuelate Dei gratia. Quid igitur contraxit offensionis, nisi quia aliud loquebatur, aliud machinabatur? Deus enim vas mundum requirit, non immunditia inquinatum & sordibus. Tentabatur igitur Balaam, non probabatur. Erat enim plenus fallaciae ac doli. Denique cum primo consulisset vtrum ad illum varietatis populum deberet pergere, & prohibitus esset, excusauit: postea missis legatis honoratoribus, promissis vberioribus, muneribus cumulatoribus illectus, qui renuntiare debuerat, iterum consolandum putauit, quasi Deus aut pretio aut muneribus inflatetur. Respondit enim quasi auaro, non quasi ei qui verum quæreret: vt illuderetur potius, quam informaretur. Cœpit ire, occurrit ei angelus in angusto, demonstrauit se asinæ, non demonstrauit auguri. Illi se reuelauit, istum obtriuuit: tamen vt aliquando & ipse cognosceret, aperuit oculos eius: vidit, & adhuc tamen non credidit euidenti oraculo: & qui vel oculis credere debuisset, inuoluta & ambigua respondit. Tunc indignatus Dominus, per angelum dixit: Vade, & quæcumque tibi inspirauero, hæc dices: id est, non quæ vis, sed quæ cogèris loqui. Quasi organum inane sonum meis præbebis sermonibus. Ego sum qui loquar, non tu: qui ea quæ audieris resultabis, & quæ non intelliges. Nihil proficies eundo, quia sine mercede remeabis pecunia, & sine profectu gratia. Denique ea prima vox eius est: Quid maledicam cui non maledicit Dominus? Vt ostenderet non in sua voluntate esse benedictionem Hebræi populi, sed in Dei gratia. A summis (inquit) montibus conspiciam eum; quoniam non oculis comprehendere possum hunc populum qui habitabit solus fines suos, non locorum possessione distet.

1. cor. 1.

Tit. 1. Deut. 18. Num. 22.

1oth. 11.

Num. 22.

Sap. 1.

Num. 22.

Ibid.

Ibid.

minans, sed virtutis incolatu, & morum singulariū proprietate, in æterna diffundens sæcula. Quis enim annumerabitur ei de nationibus aliis, qui finitimorum populorum excedit consortia iustitiæ sublimitate? quis constitutionem generationis eius colliget? Corpora quidem eorum humanis feminibus concreta & figurata aduertimus, sed de superioribus & mirabilibus seminariis animæ eorum pullularunt. *Moriatur anima mea in animis iustorum*, moriatur hanc corporalem vitam, vt in animis iustorum illius æternæ vitæ adipiscatur gratiam. In quo iam tunc sacramenti huius cælestis & sacri baptismatis reuelata est magnificentia, per cuius operationem moriuntur homines culpæ veteri, & iniquorum operibus, vt nouitate vitæ in consortia iustorum transfigurati, in eorum mores resurgant. Et quid mirum de hominibus, cum moriantur peccato, vt Deo viuant? Hæc audiens Balac, indignatus est, dicens: *Quid fecisti mihi? Ad maledictionem inimicorum meorum vocasti me; & ecce benedixisti benedictione.* Respondit ille: Calumniam patior de eo quod nescio. Ego enim nihil meum loquor, sed quasi cymbalum tinniens sonum reddo. Iterum aliud atque aliud transductus, cum vellet maledicere, benedicebat: *Non erit labor in Iacob, neque dolor in Israel. Dominus Deus eius cum eo.* Et infra iubet parari aras septem & sacrificia. Vtique debuit discedere, sed per infirmitatem mentis, & mutabilitatem sententiæ putabat quod auertere posset Dei voluntatem. Ipse autem per excessum mētis aliud cupiebat, & aliud loquebatur. Quam speciosa, inquit, habitacula tua Iacob. Tabernacula tua Israel sicut nemora obumbrantia, sicut paradus super fluuium, & sicut cedrus secus aquas. Exhibit homo ex Iacob, & obtinebit multas gentes, & attolletur regnum eius in altum, in terris quoque extendet principatum suum in Ægyptum. Qui benedicent eum, benedicentur: & qui maledixerint ei, maledicti erunt. Quem igitur nisi Christi populum significat quem benedixit Deus? In cuius medullas verbum Dei descendit vsque ad diuisionem animæ, artuum quoque & medullarū: in quo habuisset Balaam gratiam Domini, si id ex sententiæ & affectus sui proposito fecisset. Sed quia reuincitur mala mētis consiliis suis, & occulta animi prodūtur exitu, ideo sequentibus insidiis animus eius aperitur. Vnde & dignam mercedem suæ inuenit malevolentia. Nā cum aduerteret quod non posset in excessu mentis positus maledicere, dat consilium regi, dicens: Illa sint oraculorum quæ Deus præcepit, accipe consilium aduersus oracula Dei. Populus iste iustus est, habet protectionem Dei, quia nō diuinationibus & auguriis sese dedit, sed soli eterno Deo: ideo

caeteris fide præstat. Interdum tamen & fideles mētes corporis labuntur illecebria, & formę lenocinio. Sunt tibi mulieres plurimæ, & pleræque non indecores pulchritudine. Virilis autem sexus nullo magis lubricus quàm muliebri decore: citò capitur, & maximè si ardor mentium alloquiis inflammetur frequentibus, & quasi facibus inardescat, si sponte hauriat, effectum differat. Iaciant igitur mulieres tuæ vocibus suis hamos, nec difficiles primos congressus suos præbeant, sed & visu faciles, & dictu affabiles circumferrent, & toto se circumfundāt exercitui, atque hos arte tractēt viros, vt concubitu non indulgeant, nisi amoris mutui fidem consortio sacrilegij comprobauerint. Sic enim poterunt cælesti protectione destitui, si ipsi à Domino Deo suo sacrilegiis deuiauerint. Non igitur iustus Balaam, vt pote consiliarius fornicationis & sacrilegij, sicut euidenter etiam in Apocalypsi scriptum est Ioannis Euangelistæ, dicente Domino Iesu ad angelum ecclesiæ Pergami: Habes illic tenētes doctrinā Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, manducare immolata, & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinā Nicolaitarum. Quo apparet inde Manichæorum sacrilegia manasse, qui miscent atque adiungunt sacrilegium turpitudini. Ergo nec Deus iniustus, nec mutabilis eius sententia. Deprehendit enim mentem eius, & occulta cordis, & ideo tentauit eum quasi diuinum, non elegit quasi prophetam. Et vti que vel tantorum oraculorum gratia, & reuelationum sublimitate conuerti debuit: sed animus nequitia plenus verba prompsit, non fidem detulit, consiliis infirmare cupiens quod annuntiabat futurum. Et quia oracula fraudare non poterat, consilia fraudulenta subministrabat, quibus leues populi Iudæorum tentati quidem sunt, sed non expugnati. Vnius enim viri sacerdotis iustitia solutum est omne facinorosi hominis consilium: multoque mirabilius, per vnum hominem potuisse liberari exercitum patrum, quam potuisse decipi. Hoc munusculum sanctæ menti tuæ transmisi, quia vis me aliquid de veterum scriptorum interpretationibus paginare. Ego autem assumpsi epistolas familiari sermone attexere, redolentes aliquid de patrum moribus: quarum gustum si probaueris, post hæc huiusmodi mittere non verecundabor. Malo enim senilibus verbis de supernis rebus hallucinari tecum, quod Græci dicunt *ἀδελφία*, vt Isaac veniente Rebecca futurę Ecclesiæ animo videns mysteria malo, inquam, hallucinari tecum verbis senilibus, ne videar artem desisse, quàm concitioribus desfare aliquid nec studiis nostris aptum nec viribus. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Rom. 6.

Ibid.

1. Cor. 13.

Num. 24.

Hebr. 4.

Apoc. 2.

Euid. 12.

Num. 25.

Genes. 24.

## SANCTI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS DE XLII. FILIORVM

ISRAEL MANSIONIBVS, SVPER CAP. XXXIII.

LIBRI NVMERI TRACTATVS,

Numeri Cap. XXXIII.

ET hæ mansiones filiorum Israel, vt exierunt de Ægypto cum exercitu suo in manu Moyfi & Aaron: & scripsit Moyfes protectiones eorum & mansiones eorum per verbum Domini. Et hæ mansiones itineris eorum. Profecti sunt ex Ramesse mēse primo, quinta & decima die mensis primi: postridie Paschæ egressi sunt filij Israel in manu excelsa coram omnibus Ægyptiis. Et Ægyptij sepelebant ex ipsis mortuos omnes quotquot percussit Dominus, omne primogenitum in terra Ægypti. Et in diis eorū fecit vltionem Dominus. Profecti autem filij Israel ex Ramesse, castrametati sunt in Socoth. Et profecti ex Socoth, castrametati sunt in Ethā, quæ est pars deserti. Et profecti ex Ethan, castrametati sunt ad Os eroth, quæ est cōtra Beelsephphon, & contra Magdalum. Et profecti ex Os eroth, transierunt per medium maris in desertum: & ambulauerunt viam triū dierum per desertum ipsi, & castrametati sunt in Marah. Et profecti ex Marah, venerunt in Elim. Erant in Elim duodecim fontes aquarum, & septuaginta arbores palmarum, & castrametati sunt illic apud aquas. Et profecti ex Elim, castrametati sunt super mare Rubrū. Et profecti à mari Rubro, castrametati sunt in desertum Sin. Et profecti de deserto Sin, castrametati sunt in Dephcha. Et profecti de Dephcha, castrametati sunt in Halus. Et profecti ex Halus, castrametati sunt in Raphidim: & non erat illic aqua ad bibendum. Et profecti ex Raphidim, castrametati sunt in deserto Sinai. Et profecti de deserto Sinai, castrametati sunt in Sepulcris concupiscentiæ. Et profecti ex Sepulcris concupiscentiæ, castrametati sunt in Aferoth. Et profecti ex Aferoth, castrametati sunt in Rethma. Et profecti ex Rethma, castrametati sunt in Remon phares. Et profecti ex Remon phares, castrametati sunt in Lebna. Et profecti de Lebna, castrametati sunt in Resfa. Et profecti de Resfa, castrametati sunt in Calatha. Et profe-

cti de Calatha, castrametati sunt in Arlaphar. Et profecti ex Arlaphar, castrametati sunt in Arada. Et profecti ex Arada, castrametati sunt in Maceloth. Et profecti de Maceloth, castrametati sunt in Thaath. Et profecti de Thaath, castrametati sunt in Thare. Et profecti de Thare, castrametati sunt in Metcha. Et profecti ex Metcha, castrametati sunt in Esmona. Et profecti ex Esmona, castrametati sunt in Moseroth. Et profecti de Moseroth, castrametati sunt in Baneiacham. Et profecti de Baneiacham, castrametati sunt in mōtem Gadgad. Et profecti de monte Gadgad, castrametati sunt in Iethebatha. Et profecti de Iethebatha, castrametati sunt in Ebrona. Et profecti de Ebrona, castrametati sunt in Afiongaber. Et profecti de Afiongaber, castrametati sunt in deserto Sin. Et profecti de deserto Sin (hæc est Cades) castrametati sunt in Hor monte prope terram Edom: Et ascendit Aaron sacerdos in montem propter iussum Domini, & mortuus est illic in quadagesimo anno exitus filiorum Israel de terra Ægypti, mēse quinto, vna mensis. Et Aaron erat trimum & viginti & centum annorum quando mortuus fuit in Hor monte. Et audiuit Chanaan rex Arad, & hic habitabat in terra Chanaan, quando ingrediebantur filij Israel. Et profecti ex Hor monte, castrametati sunt in Salmona. Et profecti de Salmona, castrametati sunt in Phinon. Et profecti de Phinon, castrametati sunt in Oboth. Et profecti ex Oboth, castrametati sunt in Ieabarim, in eo quod vltra in finibus Moab. Et profecti ex Ieabarim, castrametati sunt in Dibon gad. Et profecti ex Dibon gad, castrametati sunt in Elmon deblathaim. Et profecti de Elmon deblathaim, castrametati sunt super montes Abarim contra Nabo. Et profecti de finibus Abarim, castrametati sunt in Occidete Moab, supra Iordanem, iuxta Hiericho: ibique castrametati sunt inter Bethsimō, vsque ad Bel-

B iij

sathim in Occidente Moab. Et loquutus est Dominus ad Moysen in Occidente Moab apud Iordanem contra Hiericho, dicens: Loquere filiis Israel, & dices ad illos: Vos transite Iordanem in terram Chanaan, & perdetis omnes habitantes in terra ante faciem vestram, & auferetis speculas eorum, & omnia idola confata eorum perdetis, & omnes statuas eorum auferetis, & perdetis habitantes terram, & habitabit in ea. Vobis enim dedi terram eorum in sorte, & possidebitis terram in sorte per tribus vestras. Pluribus multiplicabitis possessionem eorum, & paucioribus minuetis possessionem eorum. In quod exierit nomen eius, illic eius erit. per tribus familiarum vestrarum possidebitis. Si verò non perdideritis habitantes in terra de facie vestra, & erit quoscūque reliqueritis ex eis, aculei in oculis vestris, & iacula in lateribus vestris, & aduersabuntur vobis in terra, in quam vos habitabit. Et erit, quemadmodum decreueram facere eis, faciam vobis.



**M**ERORVM liber, de quo nunc nobis est sermo, vnus est ex quinque Moyse libris. Eo verò nomine legimus appellari, quoniam Israeliticæ plebis ex Ægypto egressæ virorum perfectorum numerum & computationem Dei præcepto continet. Sic enim Moyse loquutus est Deus: Accipe summam vniuersæ congregationis filiorum Israel à viginti annis & supra, per domos familiarum ipsorum, omnis egrediens ad præliandum in Israel. Itaque Dominus cum homines à viginti annis & supra & ad præliandum idoneos numerari præceperit, manifestum quod viros perfectos intellexerit. A qua summa mulieres fœminæ infirmitatis obstaculo, serui, utpote vita moribusque degeneres, Ægyptij, & alienigenæ & barbari excluduntur. Solum numerantur Israelitæ; nec ij omnes, sed robore tantum & virtute præstantes. Sic enim scriptum est: Numeratio filiorum Israel cum exercitu eorum à viginti annis & supra, omnis egrediens ad præliandum in Israel, &c. Nec id mysterio vacat. Nam dum puerilis & lubricus sensus, vel fœminæ & resoluta segnitie nobis inest, vel dum Ægyptios barbarosque gerimus mores, sancto Dei calculo numerari non mere-mur. In eodem deinde libro filiorum Israel itinera, profectioes, mansionesque à finibus Ægypti vsque ad tempus & locum quo Moyse defunctus est, mandato Dei recensentur. Inquit enim: *Et scripsit Moyse profectioes eorum, & mansiones eorum, per verbum Domini.* Nec verò sine causa Moyse hoc scribere à Domino præceptum est, quia propter instructionem nostram: (Inquit enim Apostolus: Omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem hæc ad correctionem nostram) vt legentes & probantes quæ a nobis in hac ad terram viuentium profectio-

ne immincant discrimina, quantæ hostium insidia, bellorum cõsultationes spiritalium, marium & fluminum mudi & voluptatū pericula; iter nostrum nõ segniter neque remissè carparamus, quò labente die in medio deficiamus itinere, noctis tenebris obruti. Nocte enim Ægypti primogenita ab exterminatore percutiuntur: nocte auari anima diuitis à demonibus repositur. Sed prudenter itineri nos accingentes, fortiterque ad bella præparati, de virtute ad virtutem transcamus, & Dominus Deus noster præcedat nos ante faciem nostram, debellans inimicos nostros, portansque nos vt mater filium suum, ac ducens nos die per nubem, & nocte per ignem; vt tandem superatis quibusque itineris difficultatibus, aduersariarumque incursibus potestatum, profectioem nostram gloriosè perficiamus. Mansiones verò filiorum Israel quadraginta & duæ numero computantur. Quæ denarij, quaternarij, & binarij ratione numeri quem continent, multa nos mysteria docent. Volentes autem id vobis, fratres, explicare, inuementini obsecro, & figite memoriæ, ne verbi contemptores inueniamini, nec fiat anima vestra via, vbi grana iactata non germinent: & veniant, inquit, volatilia cæli, & rapiant ea. Percipite ergo hæc, & recondite in cordibus vestris. Denarius numerus mysticus est, & nõ mediocriter à Moyse commendatus. Ad eum namque primitias oblationisque & vota refert. Inquit enim: Omnis decima terræ, & à fructu ligneo, Domino est: & omnis decima bouum & ouium, & omne quod venerit in numero sub virga, decima erit sancta Domino. Denique Iacob, Deo sibi dum ad Laban auunculum suum in Mesopotamiam proficisceretur, in itinere apparenti pollicitus est, dicens: Omnium quæ mihi dederis decimam decimabo tibi. Hæc ob causam Noe ille qui primus in veteri scriptura iustus pronuntiatus est, decimus à protoplasto inducitur, non ad ostendendam viuentium tunc ætatem, vel ad præscribendum numerum hominum: sed vt aperte doceretur, quòd sicut denarius, numerorum qui vnitatem sequuntur, perfectissimus est; ita tranquillitas in anima, finis est reuera actionum vitæ. Ternio enim per se ipsum multiplicatus nouenariū complet, & lites, disidia, bellaque diuinis indicat oraculis: vt patet in quattuor & quinque regibus disidētibus, seque mutuò impugnantibus. Vnitas verò nouenatio superueniens, denarium perficit, & pacē amicitiamque designat. Nouem enim certantibus regibus, sapiens Abraham quasi decimus superueniens pro tempestate tranquillitatem, pro bello pacē, pro morte victoriam, Deo fauente, attulit. Vnde & Melchisedec summi Dei sacerdoti decimas exoluit. Denarius ergo numerus perfectus est, & vnitatem designat. Quaternarius quoque & ipse mysticus est, & in scriptura cõmendatur. Nam speciosam illam lucem quæ se ipsam & cætera manifestat, luminisque genitores solem & lunam, ac præfulgidum stellarum chorum, quæ noctem diemque, menses annosque oriendo & occidendo terminant, die quarto creata esse sermo propheticus declarat. Mundi radices quattuor numerantur, terra, aqua, ignis & aer. Et annuarum temporum vices sunt totidem, hyems, æstas, ver, & autumnus. Denique de terræ fructibus Deo oblationes ante

ante annum quartum fieri prohibetur. Sic enim scriptum est: Fructus terræ tres annos erit vobis immundus, non comedetis ex eo: at anno quarto erit omnis fructus eius sanctus & laudabilis Domino. Nec immeritò. quaternioni enim insunt omnia, punctum, liena, superficies, & soliditas, mensuræ vniuersorum. Insunt etiam potissimæ symphoniæ musicæ. Deinde quadranguli latera oportet esse æqualia. Æqualitas verò mater est iustitiæ, quæ cæterarum virtutum dux est & magistra. Iustitiæ ergo quaternarius insinuat. Binarius demum nec ipse expers est mysterij. Legimus enim viduam illam insigni laude à Domino commendari, quæ æra duo in gazophylacium misit. Samaritanus pro curatione lauciati binos erogauit nummos. Apud Samaritanos biduum transiit Saluator Christus. Bipartitam namque significat charitatem; Dei nempe, & proximi: In his duobus (dicit Dominus) vniuersa lex pendet, & prophetæ. Mansiones igitur filiorum Israel ab Ægypti finibus vsque ad repromissionis terram, quadraginta duæ à Moyse recensentur. Sic & sanctus Matthæus Christi generationem describens, quadraginta duas enumerat. Inquit enim: Ab Abraham vsque ad Dauid, generationes quattuordecim: à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, generationes quattuordecim; & à transmigatione Babylonis vsque ad Christum, generationes quattuordecim: vt ostenderet quòd verus Israelita qui de sæculi huius Ægypto ad cælum, veram viuentium terram, per tot rerum discrimina & inimicorum tentamenta peruenire festinat, pace per denarium, iustitiæ per quaternarium, charitate per binarium, armari oportet. Pace, quia scriptum est: In pace vocauit nos Deus. Iustitiæ, quia dicit idem Apostolus: State induti lorice iustitiæ. Charitate, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Christus ergo ad Virginem, Israel ad Iordanem, Christus ad cælum pari mansionum numero deueniunt. Sed iam ipsas Israelis profectioes sigillatim consideremus.

Prima mansio Rameffes.

Profectioes ordo, mansionumque distinctio filiorum Israel ex Ægypto exeuntium ad terram vsque patribus repromissionem, iis qui post Deum ambulare contendunt, ad virtutumque profectus aspirant, propter mysteria quæ includuntur in illis, scitu valde necessaria sunt. Ea enim quæ in populo patrum corporaliter gesta sunt, nedum historiam, rerumque gestarum seriem nobis ostendunt, sed instructioni nostræ spiritaliter intellecta maximè proficiunt. Huc spectabat Apostolus, dum in epistola ad Romanos dicebat: Quæcūque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Et ad Timotheum: Omnis scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & ad erudiendum in iustitiis: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Legimus ergo quòd filij Israel, postquam Ægyptus vniuersa tantis plagis percussa est, tempore cælesti oraculo designato, vt ad immolandum Domino Deo in solitudinem proficiscerentur, terram Gessen, quam ad incolendum acceperat, descrites, in Rameffem urbem primò conuenerunt; ibi substitute-

runt, ibique primam fixerunt mansionem. Rameffes Ægypti ciuitas est, ab Hebræis munita, quando seruiente in eos Pharaone, luto, latere & palcis opprimebantur. Sic enim scriptum est: Et ædificauerunt ciuitates munitas Pharaoni, Phiton, Rameffem, & On. Est denique in extremis illius regni finibus sita, vt habetur in libro Exodi. In hac mansione populus patrum, mactato agno, eiusque sanguine domorum liminibus, ac vtriusque postibus illitis, exterminatoris euaserunt plagam: in hac Ægyptus primogenita sua vidit extincta: in hac farinam nõ fermentatam, vasque argentea & aurea ab Ægyptiis mutuo accepta, verbo Dei sibi populus congregarunt. Horum quæ dicta sunt, fratres, singula mysterijs refferata sunt, & nostræ proficiunt disciplinæ. In primis quia Rameffes secundum aliquos interpretatur commotio turbulenta, quæ significat penitentiam. Per ipsam enim turbulenta fit in peccatore commotio, vt aboleatur vetustas peccati, & inducatur nouitas gratiæ: vt homo vetus affigatur cruci, & nouus homo resurgat: vt veteri tandem deposita conuersatione carnis, nouitas inducatur spiritus. Penitentia ergo magnam commotionem turbationemque gignit. Ideo propheta: Postquam cognoui, ego ingemui. Qui ergo ad repromissionem æternæ hereditatis patriæ proficisci desiderat, ac Domino Deo se ipsum vt hostiam viuentem, sanctam, Patri placentem immolaturus accedit, debet primò adire Rameffem, hoc est cõmotionem, quæ fit per penitentiam, ibique suam figere mansionem. Ibi suam mansionem fixit Achab, quando scissa veste sua, induto cilicio icinauit, dormiuit in sacco, & demisso ambulauit capite. Ibi Ninie rex fixit mansionem, quado surgens de throno suo, abstulit stolam propriam, & sacco indutus sedit in cinere. Ibi Corinthij mansionem fixerunt, quando contristati sunt secundum Deum: quæ tristitia, vt scribit Apostolus, penitentiam in salutem stabilem operatur. Deinde agni mactatio quid aliud est quàm passio Christi; qui, vt Propheta dicit, sicquam agnus innocens adductus est vt sacrificetur? Cuius sanguine super domorum postes effuso liberamur ab exterminatore: quia Christi passione per sacramenta nobis participata liberamur ab eo qui habebat mortis imperium, id est diabolū, vt ad Hebræos scribit Apostolus. Ideo in alio loco dicit: Christus vt per suum sanguinem sanctificaret populum, extra portam passus est. In hac etiã mansione Ægypti primogenita extinguuntur, hoc est, prauis carnis affectus, & desideria mala quæ militat aduersus animam. Extinguuntur verò Ægyptij, dum non agis opera tenebrarum: extinguuntur Ægyptij, dum non carnaliter sed spiritaliter viuus: extinguuntur Ægyptij, dum impuras sordidasque cogitationes vel depellis è corde, vel omnino non recipis. Ideo quærenti: Quis me liberabit de corpore mortis eius? respondit Apostolus: Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. In hac mansione farina, argentum & aurum cumulantur. Farina, ex qua panis conficitur, doctrina Christi est: quia panis Christus est, dicente Ioanne: Ego sum panis viuus. Argentum, diuinum designat eloquium. Eloquia enim Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum, septuplum. Aurum, mens bona

Num. 26.

Num. 1.

Exod. 12.

Deut. 34.

1. Cor. 10.

Ephes. 6.

Exod. 12.

Luc. 12.

Deut. 1.

Luc. 21.

Luc. 10.

Luc. 4.

Matth. 22.

Luc. 8.

Leuit. 27.

Gen. 28.

Gen. 6.

Gen. 5.

Gen. 14.

Ibid.

Gen. 1.

Luc. 21.

Luc. 10.

Luc. 4.

Matth. 22.

Matth. 1.

Mal. 26.

1. Cor. 7.

Ephes. 6.

1. Petr. 4.

Rom. 15.

2. Tim. 3.

Exod. 5.

Gen. 47.

Exod. 1.

Exod. 12.

Orig. lib. 27. in Num.

2. Cor. 4.

Rom. 7.

Rom. 6.

Hier. 31.

Rom. 12.

3. Reg. 21.

1. Cor. 3.

2. Cor. 7.

Ibid.

Hier. 11.

Hebr. 2.

Hebr. 13.

Exod. 12.

1. Petr. 2.

Rom. 13.

Rom. 8.

Matth. 9.

Rom. 7.

Exod. 12.

1. Cor. 6.

Mal. 11.



est, quæ non immeritò comparatur auro. Nam sicut aurum cæteris præstat metallis, ita mēs bona in homine cæteris potior est humanæ substantiæ portio-  
*Exod. 12.*  
*Exod. 1.*  
*Matth. 3.*  
*Luc. 13.*  
*Isai. 17.*  
*Prover. 10.*  
*Esai. 9.*  
*Rom. 7.*  
*1. Cor. 4.*  
*Exod. 12.*  
*Hebr. 13.*

Secunda mansio Socoth.

Secunda filiorum Israel profectio fuit in Socoth: ibique tentoria Ægypto relicta figentes, secundam mansionem habuerunt. Ideo dicit: *Profecti autem filij Israel ex Rameffe, castrametati sunt in Socoth.* Intentio sancti propheta: Moyfi, qui Dei mādato populi processum ex Ægypto vsque ad Iordanem descripsit, non fuit singula notare loca, ad quæ ei in vniuerso itinere diuertere contigerit, sed illa tantum in quibus aliqua mysteria facta sunt. Socoth vrbs est in montanis, extra terram Ægypti; ei tamen finitima, vt legitur in libro Iesu Naue. Denique Socoth interpretatur tabernacula. Vnde Iacob quando ab Esau, qui ei à Mesopotamia reuertenti occurrit, se diuisit: Reuersus est, inquit scriptura, in tabernacula. Vbi alia translatio habet: Reuersus est in Socoth. & subiungit ibi: Et fecit Iacob sibi domos, & pecoribus suis fecit tabernacula: propter hoc vocauit nomen loci illius Tabernacula. Et ibi alia translatio dicit: Appellauit nomen loci illius Socoth, id est, tabernacula. In hac quoque mansione coxerunt farinam. Dicitur enim in libro Exodi: Et fecerunt ex farina subcinericios azymos. non enim fermentata fuit: eiecerunt namque eos Ægyptij. In hac fit insuper annorum cōputatio quibus Israel fuit in Ægypto. Inquit enim: At habitatio filiorum Israel, quā habitauerunt ipsi & patres eorū in terra Ægypti, &c. In hac tandem præcipitur vt huius ex Ægypto liberationis perpetuum extet apud eos memoriale. Inquit enim: Dixit Moyfes ad populum: Recordamini diei huius, in qua egressi estis ex Ægypto, ex domo seruitutis: in manu enim forti eduxit vos hinc Dominus. In hac demū solemnitas azymorum, ritūque azyma comedendi præscribitur. Nā inquit: Sex dies comedetis azyma, at die septima festum Domino: non apparebit tibi fermentatum. Hæc quo ad litteram. Quo ad mysteria verò, dicimus quòd profectus filiorum Israel in Socoth, quod interpretatur tabernacula, designat quòd qui mansionem habuit

*Exod. 12.*  
*ibid.*  
*Exod. 13.*  
*ibid.*

in Rameffe, hoc est in commotione poenitentiae, debet proficisci in Socoth, hoc est, in tabernacula quasi per considerationem ambulare. Quod sicut ille qui aliò tendit, nec firmam habet domum, moratur in tabernaculis (vnde quid aliud est in tabernaculis habitare, quàm peregrinari? sicut Apostolus ad Hebræos de patribus loquēs testatur. Inquit enim: Confitētes quòd peregrini & hospites essent super terram: & videns se peregrinum in terra, dicat cum Propheta: Aduena ego sum in terra. Cōsideret item Apostoli dictū: Non habemus hīc manentem ciuitatem. Cognoscat denique quòd quamdiu est in corpore, peregrinatur à Domino, vnde reiciat ea quæ in mūdo sūt: quia cōcupiscentia carnis est, quia cōcupiscentia oculorū, & quia superbia vitæ. Sequatur Apostoli consiliū: Ne tetigeritis, ne gustaueritis, neq; attaminaueritis, quæ sunt omnia in interitū ipso vsu. Sed ingemiscat habitationē quæ de cælo est, scēper contendens placere Deo. Subcinericioꝝ coctio azymorū docet, quòd expurgato eis veteri philosophorum nequitia & Iudæorū malitiæ fermento, epuletur in azymis sinceritatis & veritatis. Memoria iugiter vnusquisq; nostrū teneat illud Domini præceptum dicentis: Intuemini & caute à fermēto Pharisaorum, & Apostoli ne obliuiscatur cautionem: Videte ne quis vos deprædetur per philosophiam & inanem fallaciam. Deinde in Socoth indicitur computatio annorum quibus populus fuit in Ægypto: quia poenitentia dicitur quòd debeat sicut hirundo clamare, & sicut columba meditari annos eius in amaritudine animæ suæ: nec de propitiatione peccati esse sine timore; sed dolere, & cum Propheta dicere: Et peccatum meum contra me est semper. Quòd non retrò aspiciat, pristinas appetendo vanitates, vt vxor Lot, & vt canis reuertens ad vomitum. Quin potius sicut semetipsum immunditiæ & iniquitati prostituit, ita exhibeat membra sua seruire iustitiæ in sanctificationem. vt quantum se glorificauerit & in deliciis fuerit, tantum errata sua corrigens & in se vindicans, sentiat tormentum & luctum. Demum festum & perpetua azymorum solemnitas præscribitur, hoc est, meditationis & operum perseverantia indicitur: quia qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Vnde Apostolus: In disciplina perseuerate filij. Profectio igitur ex Rameffe ad Socoth est ad meliora.

Tertia mansio Ethan.

Tertia mansio est Ethan. Nam à Socoth recedentes filij Israel, peruenerunt in Ethan: ibique tentoria figentes, tertiam stationem peregerūt. Inquit enim: *Et profecti è Socoth, castrametati sunt in Ethan.* Ethan regio est inter Ægyptum & solitudinem: in qua est Petra oppidum, in cuius spelunca habitauit Samson cum ab allophylis infestaretur: Et sedit, inquit, in spelunca Petra: Ethan. qui locus erat valde munitus, vt testatur Iosephus. Erat autem hæc regio in principio solitudinis. Ideo dicit: *Et est pars deserti.* Regionis huius meminit Dauid propheta, dicens: Tu siccasti fluuios Ethan. In hac mansione primū apparuit Dominus nocte in columna ignis, & die in columna nubis, ostendens iter populo ad terram vsque successione eorum: Et non defecit inquit, columna

columna nubis in die, & columna ignis in nocte co-  
*1. Paral. 11.*  
*Isai. 67.*  
*Isai. 4.*  
*Isai. 26.*  
*1. Petr. 5.*

Quarta mansio os Eroth.

Quarta mansio dicitur os Eroth. Vnde sequitur, *Et profecti ex Ethan, castrametati sunt ad os Eroth, quæ est contra Beelsepphon, & contra Magdalum.* os Eroth alia translatione dicitur, Phairoth: vicus est & suburbii Magdali versus mare Rubrum, vt habetur in libro Exodi. In hac mansione indignatus Pharaos quòd Israel Ægyptum desereret, comparato exercitu grandi eos insequitur, dicens: Quid fecimus, vt dimitteremus filios Israel vt non seruirent nobis? Et subiungit: Iunxit ergo Pharaos currus suos, &c. Quo verò ad morale: Per os Eroth, quod os nobilium interpretatur, ostenditur quòd assumpta fortitudine in Ethan, ascendimus in os Eroth, quia nobilitamur in Domino. Quòd verò os Eroth sit vicus, non caret mysterio: vt primò parua quæque capiantur. est enim ordo vt à paruis ad magna veniatur. Periculosa namque semper fuit in initiis immoderata prosperitas: quæ ac aduersitas. Sicut ergo per suburbii ad urbē progredimur, ita per ima ad summa ascendimus. Denique Beelsepphon, quod est interpretatum, Dominus Aquilonis, diabolum designat: quia dixit, vt testatur Esaias propheta: Sedebo in monte sublimi super mōtes excelsos ad aquilonem. Est igitur os Eroth contra Beelsepphon, id est, contra diabolum, qui stat semper vt aduersetur euntibus in Hierusalē, quæ in cælo est. Ideo dicitur Apostolus: Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Idem quoque designatur per Pharaonem populum insequentem.

Quinta mansio Marah.

Marah quinta est mansio. Sic enim dicit: *Et profecti contra os Eroth, transferunt per medium maris in desertum: & ambulauerunt viam trium dierum per desertum ipsi, & castrametati sunt in Marah.* Marah locus est in deserto Sur, tali vocatus nomine ob aquarum amaritudinem. Sic enim scribitur in libro Exodi: Venerunt autem in Marah, & nō potuerūt bibere aquam de Marah. amara enim erat. propter hoc vocatum est nomen loci illius, Amaritudo. Circa hanc mansionem tria sunt consideranda: profectio, mansio, & operatio. Profectio; quia in huius itinere filij Israel Rubrum mare sicco vestigio transferunt. Nam dicit scriptura: At filij Israel perrexerunt per siccum in medio maris: & aqua erat eis murus à dextris, &

*Exod. 14.*

murus à sinistris. Pharaos verò cum suo exercitu submersus est in aquis vehementibus. Sic enim de eo scribitur: Et reuersa aqua cooperuit currus & ascensores, & omnem exercitum Pharaonis, qui ingressi fuerunt post eos in mare, & non relictus est ex eis vnus. Mansio; quia inuenerunt aquas amaras, quarum amaritudinem sentientes, bibere nequiverunt, licet magna vexarentur siti. Operatio; quia mandato Domini Moyfes ligno tetigit aquas: & quæ prius erant amaræ, in dulcedinem versæ, potabiles effectæ sunt, vnde sitim extinguere potuerunt. Per quæ primò significatur nobis, quòd ad gratiam proferantibus occurrit Pharaos cum exercitu suo, hoc est, diabolus cum potestate tam forti, vt, sicut scriptum est, non sit quidquam in terra simile factum illi. Sed tandem vt Pharaos cum exercitu submergitur in aquis vehementibus, ita & diabolus mittitur in stagnum ignis & sulphuris. Vnde nec ideo terrecur, vt desertionem faciamus. Deinde in mansione aquæ gustantur amaræ, quoniam adhuc existentes in gratia multiplices manent tribulationum amaritudines. Vnde Ioannes Apostolus dicebat: Ego Ioānes frater vester & particeps in tribulatione. Immo Apostolus Paulus dicebat: Si extra disciplinam estis, adulterini & non filij estis. Denique in operatione, sicut verbo suo adest Dominus vt dulcescant aquæ, ita præstat in tribulationibus suam nobis præsentiam, dicente Propheta: Cum ipso sum in tribulatione; vt afflictiones mitescant. Hinc Esaias proclamat propheta: Si transferis per aquam, tecum sum, & flumina non cooperient te: & si transferis per ignem, nō comburēris. Ideo Stephano in dulcedinem fuerunt torrentis lapides: & Laurentio in refrigerium prunæ. Meritò igitur dicit Apostolus: Gloriamur in tribulationibus.

Sexta mansio Elim.

Mansio sexta vocatur Elim. A Marah enim recedentes filij Israel, venerunt in Elim: ibi substituerunt, & ibi tabernacula crexerunt. Vnde dicit: *Et profecti ex Marah, venerunt in Elim. In Elim verò erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta arbores palmarum: & castrametati sunt illic apud aquas.* Idem legitur in libro Exodi. Sed pulcher ordo, felixq; virtutis progressus, qui semper tendit ad optima: ex tenebris ad lucem, ex arumnis ad felicitatem. Ecce filij Israel, post Pharaonis & Ægyptiorum sæuitias, post maris desertique discrimina, post triduana sitis ardorem, & Marah amaritudines, venerunt tandem ad palmas, venerunt ad fontes. Per quod instruimur, quòd qui asperitatibus prægrauātur, eos tādē læta & amœna loca suscipiunt: quoniam ad requiem non nisi per laborem, & ad gaudia nō nisi per tristitia peruenitur. Venit populus ad palmas, sed prius Ægyptiorum plurimas sustinuit angustias. Venit ad fontes, sed prius trium dierum sitim, & aquarum amaritudines passus est. Nec tamen in his adhuc finis est itineris, nec vltima laborum requies, quia & grauiora manent. Sed cunctorum dispensator Deus, qui omnia suauiter disponit, interserit in ipso etiam itinere refrigeria quædam, vt iis refota, vsque reparata anima promptior ad reliquos redeat labores. Denique obseruandum est, quòd Elim interpretatur Arietes.

*Orig. hom. 27 in lib. Num.*

Arietes verò duces sunt ouium. Ideo duodecim fontes, & septuaginta palmae designant Christiani gregis ductores: nempe duodecim Apostolos, de quibus ita scribit Lucas: Elegit duodecim ex ipsis, quos Apostolos nominauit. & septuaginta discipulos quos sanctus Lucas alibi meminit, dicens: Designauit Dominus & alios septuaginta, & misit illos binos ante faciem suam. Quorum distinctionem ponit Apostolus, agens de Domini post eius resurrectionem apparitionibus. Inquit enim ad Corinthios: Visus est Cephae, & post hoc undecim. & Deinde visus est Apostolis omnibus. Qui tamen omnes duces & magistri sunt gregis Domini. Quare de eis scriptum est: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Hauiamus igitur nos de vberibus huiusmodi fontibus, & bibamus: carpamus quoque de solidis harum victoriae palmarum fructibus, & manducemus alacriter, ut talibus cibo potuque refectionis validiores ad reliquas mansiones peragendas inueniamur.

Septima mansio mare Rubrum.

Septima mansio est iuxta mare Rubrum. Nam transito mari Rubro, & Marah & Elim mansionibus peragratis, occurrit iterum filiis Israel sinus quidam ipsius maris. Et quia ibi applicuerunt, tentoriaeque crexerunt, ideo nunc ad mare castrametari dicuntur. Dicit enim: *Et profecti ex Elim, castrametati sunt super mare rubrum.* Sed obserua quod videt mare, non tamen illud intrant (nam sufficit semel tantum intrasse & pertransisse): quoniam illud mare baptismi nostri figura fuit, ut Apostolus ad Corinthios scribit, dicens: Quia patres nostri omnes baptizati sunt in nube & in mari. Sed baptismus eorum in figura fuit, nostrum autem in veritate. Et quia baptismus iterandus non est: (cum scriptum sit: Vnus Deus, vna fides, vnus baptisma): sicut semel baptizari oportuit, ita & semel mare intrasse satis fuit. Nunc igitur pergenti ad promissam hereditatem populo iterum mare occurrit; ut illud videns, illiusque vndas aspiciens, cautius incedat, ne deterius aliquid eicoringat.

Octaua mansio desertum Sin.

Octaua mansio est desertum Sin. Ideo dicit: *Et profecti a mari Rubro, castrametati sunt in desertum Sin.* Sed obseruandum quod tota haec solitudo a mari Rubro vsque ad montem Sinai appellatur Sin. In qua filij Israel quinque habuerunt mansiones: nempe mare Rubrum, ut supra, hanc de qua agimus, & tres sequentes. Haec autem specialis est, licet communi nomine appelletur desertum Sin, ex nomine totius deserti: sicut & Moab nomen est ciuitatis & prouinciae. Verum quia Sin interpretatur Rubus, significat nobis quod sicut octaua mansio venimus ad Sin, hoc est ad rubum, in quo actum est de liberatione filiorum Israel a seruitute Aegypti: ita in resurrectione, quae per octauam intelligitur, veniemus ad rubum, in quo agetur de liberatione nostra a seruitute corruptionis; quam expectamus, ut Apostolus dicit: Et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis nostri. Et alibi: Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae

configuratum corpori claritudinis suae. Et tunc videbimus rubum ardere & non comburi; quia corpus humanitatis nostrae morietur, sed non consumetur: immo resurget ad maiorem claritatem. Dicit Apostolus: Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute. Oremus igitur Deum ut ad octauam mansionem venire valeamus, vel potius ipsa ad nos cito veniat.

Nona mansio Dephcha.

Nona mansio dicitur Dephcha: quae in mansionibus deserti Sin tertia computatur. Recedentes enim filij Israel a mansione quae a communi nomine Desertum appellatur, venerunt ad hanc. Quare subiungitur: *Et profecti de deserto Sin, castrametati sunt in Dephcha.* Haec mansio in Exodo non habetur: sed a Deserto ad Raphidim tantum profectio scribitur. Sub silentio igitur praeteritur haec & sequens mansio; quia non ille erat locus in quo per verbum Dei profectioes seriatim Moyses recenseret. Denique Dephcha sanitas interpretatur. Perfecta autem anima sanitas est qua non potest peccare, sicut perfecta corporis sanitas est qua non contingit aegrotare: quod non nisi in resurrectione succedit. Tunc enim, sicut dicit Esaias propheta: In capite eorum laus & laetitia apprehendet eos: fugiet dolor, moeror & gemitus. Vides igitur ordinem profectuum. Filij Israel de octaua mansione assequuntur Dephcha: & nos a resurrectione perfectam animam & corporis adipiscimur sanitatem, ut Ioannes Apostolus in Apocalypsi testatur, dicens: Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra. Sed quia animae languor peccatum est (vnde dixit Propheta: Sana animam meam, quia peccaui tibi) languor animae nostrae superbia est, auaritia est: ideo vnusquisque nostrum cordis & corporis genua flecens oret Dominum nostrum Iesum Christum, qui sanat omnes infirmitates nostras: & cum Propheta dicat: Sana me Domine, & sanabor: salua me, & saluabor. Dicat & cum Dauid: Sana me Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea.

Decima mansio Halus.

Decima mansio Halus est: ad quam a Dephcha profecti sunt filij Israel. Ideo dicit: *Et profecti de Dephcha, castrametati sunt in Halus.* In Exodo nec ista mansio distincte nominatur, sed comprehenditur sub mansionibus a deserto Sin vsque ad Raphidim. Dum enim dicit: Et profecta est omnis congregatio filiorum Israel ex deserto Sin per castra sua secundum verbum Domini: innuit quod plures fuerint castrametationes & hospitia. Tria in hac mansio geruntur. Primum populus Dei gloriam intuetur, nam scriptum est in Exodo: Et gloria Domini apparuit in nube. Deinde pascitur carnibus: Factum est vespere (ut ibi legitur) & ascendit coturnix, & cooperuit castra. Tertio cibatur manna de caelo. Sic enim Moyses populum alloquitur: Hic est panis quem dedit vobis Dominus ad manducandum: hoc est verbum, quod constituit Dominus. Per quae monemur quod qui in decima quiescit mansio, id est in obseruatione legis (per denarium enim numerum lex significatur, quae

quae in decem verbis consistit, ut scriptum est: Et scripsit Moyses verba haec decem in tabulis foederis) Dei gloriam conspicit. Quare seiscitanti Propheta, quis habitaturus in Dei tabernaculo, & quis in monte sancto eius requieturus esset; respondetur, quod sedulus obseruator legis, dum dicitur: Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: qui loquitur veritatem in corde suo, &c. Et idem carne & manna caelesti pascitur; hoc est, pretioso Domini nostri Iesu Christi corpore. Cuius corpus est vera caro, dicens Ioanne Apostolo: Caro mea verè est cibus: & verum est manna, non in typo, sed in veritate: Ego sum, inquit, panis vitus qui de caelo descendit. Est vera caro propter veram humanitatem: est panis vitus propter diuinitatem. Cum igitur Christi corpus manducamus, diuinitatem & humanitatem participamus, ut Apostolus ad Corinthios scribit. Merito autem beneficia haec potiora in hoc loco praestantur. Nam Halus interpretatur labor. Laboranti autem congruum est vt Domini appareat gloria, quod praemij visione alacrius labores sustineat. Congruum est etiam vt subministretur cibus, quo refectionis inchoatum fortius prosequatur iter.

Undecima mansio Raphidim.

Undecima mansio peragitur in Raphidim. Ibi enim populus duro fatigatus itinere refrigerium sumpsit. Ideo sequitur: *Et profecti ex Halus, castrametati sunt in Raphidim: & non erat illic aqua ad bibendum.* Eadem mansio scribitur etiam in Exodo: Et castrametati sunt, inquit, in Raphidim: non erat autem aqua populo ad bibendum. Haec mansio trium admirabilium operum praerogatiua maxime decoratur. Primum, mirabili educatione aquae a petra. Nam populus motum asperitatem & longitudine viae fessus, magno sitis ardore flagrabat. Veniens autem Raphidim, visoque loco arido, aquisque carente, aduersus Moysen iratus tumultuari coepit. Vnde locus iurgij in scriptura nuncupatus est. At ille accepta virga petram Domini mandato percussit: illa verò percussa tam largam aquarum effudit copiam, ut populus aciumeta omnem sitim extinguere possent. Quod admirans Dauid propheta, in hac prorupit verba: Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquae, & torrentes inundauerunt. Secundo, memoranda contra Amalechitas victoria. Nam populo suam hinc stationem agente, Amalechitarum gentes ei obsistere, eum vexare, eumque valido comparato exercitu oppugnare coeperunt. At Moyses, consideratis populi viribus longi itineris defatigatione iam fractis, & ad repellendam hostium audaciam non satis aptis, ad diuinum confugere decreuit auxilium. Vnde & resistendi hosti, & belli gerendi toto negotio penes Iosue relicto, ipse Deum oraturus in collem secessit. Sed (o mira orationis potentia) dum Moyses palmas tendebat ad caelum, praualcebat Israel: dum verò remittebat, succumbebat. Aaron autem & Hur manus eius vsque ad folis occasum sustentantibus, adeptus est Iosue victoriam, ut scriptura dicit. Fugauit Amalech & omnem populum eius in occisione gladij. Tertio, prudenti consilio in moderandis rebus publicis Iethro. Nam cernens Iethro Moysen eius generum in audacis vulgi causis diutius quam par esset occupari,

& a diluculo vsque ad vespertinam in his tempore omne consumi: consuluit ut iudices, tribunos, & alios belli pacisque praefectos institueret, qui populum iudicarent, causas audirent, lites dirimerent, & breuiter leuia cuncta absoluerent, rebus tantum grauius eius iudicio referuatis. Cui Moyses assensit. ideo scriptum est: Audiuit autem Moyses vocem sonantem a petra, & fecit quaecumque dixit ei. Et quia Raphidim laus iudicij interpretatur, merito in eius mansione petra exhibet aquam: quia petra Christus custodiendi iudicium suae aquae gratia exhibet. Nam scriptum est: Beati qui custodiunt iudicium, vincitur Amalech, quia iudicio damnatur diabolus: docetur recta populi administratio, quia scriptum est: Iudex sapiens docet populum suum. hic est qui iudicat omnia, & ipse a nemine iudicatur.

Duodecima mansio desertum Sinai.

Duodecima mansio habita est in deserto Sinai. Ideo subiungit: *Et profecti ex Raphidim, castrametati sunt in deserto Sinai.* Celebratissima est mansio haec: vbi Deus descendit in igne in montem, & Moyses purificato populo, Dei mandato in verticem montis ascendit, & cum eo loquutus est, & accepit praecipua decalogi. Ibi ostenditur exemplar fabricae tabernaculi, ibi praecipitur victimarum multiplicatis, valorum distinctio, indumenta Pontificis, Sacerdotum & Leuitarum ceremoniae. Ibi numerus populorum Leuitarumque, & per singulas tribus populi distributio: oblationes quoque principum in hac mansione descriptae sunt. Duae quoque argenteae tubae ad promouenda castra ibidem fieri iubentur: ibique praecipitur immundis super anima hominis, qui primo mense Paschae interesse non potuissent, ut mense secundo conuenirent: & qui longius habitabant, vel immundi fuerant, in secundo mense Paschae iussi sunt facere. Quod nimirum in typum intelligitur populi gentium, quae cum daemoniis fornicatae fuerint, immundae videbatur in anima, salubri verò fidei confessione in secunda natiuitate, quasi in secundo mense purificari praecipuntur. Iubetur quoque in hac mansio Nazaraeis, ut vinum & siccam non bibant, nec acetum quidem de vino vel ficera: nec vnam recentem comedat, nec vnam quidem passam; quod & in Prouerbijs praecipitur: Principes qui iracundi sunt, vinum non bibant; ne cum biberint, obliuiscantur sapientiae. Quid ergo Nazaraeorum nomine nisi abstinentium continentiumque vita significatur; quibus in vino luxuria prohibetur, in ficera omnis voluptas terrena? Sicera enim ex diuerso conficitur genere, sicut voluptas ex diuersa vitiorum oritur colluue. Vnde illi vinum bibere dicuntur, qui ad decipiendos homines vmbrae quaedam & imagines se simulant habere virtutum. Vna passiva illi vescuntur, qui propter humanos oculos abstinentiae pallore inficiuntur, ut gloriam capiunt ab hominibus. Acetum autem hi bibunt, qui post vitae sanctitatem in praeteritis relabuntur vitis, & corruptione veteris nequitiae delectantur. Praecipit itaque Deus, ut qui sanctitatis induerint titulum, cunctis careant vitis, nullamque huiusmodi perturbationem, quae statum mentis euertat, appetant. In hac mansio separatur de castris leprosi, seminisui, & immundi: leprosi do-

Luc. 6. Luc. 10.

1. Cor. 15. Ibid.

Math. 10.

Exod. 14. Exod. 15.

1. Cor. 10.

Ephes. 4.

1. Cor. 5.

Exod. 3.

1. Tim. 3. Phil. 3.

Exod. 3. 1. Cor. 15.

Exod. 34.

Psal. 14.

Ibid.

1. Tim. 6.

Ibid.

1. Cor. 11.

Esai. 51.

Apoc. 21.

Exod. 17.

Psal. 40.

Psal. 101.

1. Tim. 17.

Psal. 6.

Ibid.

Psal. 77.

Exod. 17.

Exod. 16.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Exod. 18.

Ibid.

1. Cor. 10.

Psal. 105.

1. Tim. 12.

Ecl. 10.

1. Cor. 2.

Exod. 19.

Exod. 20.

Exod. 26.

Exod. 28.

29. & 39.

Num. 10.

Num. 9.

Num. 6.

Prou. 31.

2. Tim. 3.

Math. 6.

1. Cor. 5.

Num. 5.

Num. 1.

Num. 8.

Leuit. 25.

Num. 8.

Rom. 7.

2. Cor. 12.

Num. 8.

Num. 10.

Ibid.

Ibid.

Num. 11.

strina, semini sui cogitatione, immundi opere: id est, haretici, schismatici, & luxuriosi: hi tamquam contagiosi & morbidi à castris eiiciuntur, ne contagione perfidia vel morum suorum, vitam polluat innocentium. Denique anno vigesimo & supra annueratur populi qui ad praelium apti inueniuntur. Sed cur ab anno vigesimo, nisi quia hac ætate contra vnumquemque vitiorum bella nascuntur? Ideoque ad pugnam eliguntur, ut habeant contra libidinem conflictum, nec luxuria superentur. Hic etiam ab anno vigesimo & quinto Leuitis in tabernaculo seruire mandatur, & à quinquagenario custodes valorum constituuntur. Quid enim per annum quintum ac vigesimum in quo flos iuuentutis oboritur, nisi ipsa contra vnumquemque vitiorum bella significantur? Et quid per quinquagenarium, in quo Iubilæi ratione etiam terra quiescit, nisi æterna requies edomita bello metis exprimitur? Quid per vala tabernaculi, nisi fidelium animæ figurantur? Leuitæ ergo ab anno vigesimo & quinto tabernaculo seruiunt, & à quinquagenario custodes valorum fiunt: ut videlicet qui adhuc impugnantium vitiorum certamina per consensum delectationis admittunt, aliorum curam suscipere non præsumant. Cum autem tentantium bella subegerint, cum apud se iam de intima tranquillitate securi probabiliter æstimantur, tunc animarum custodiæ deputari poterunt. Sed quis hæc prælia sibi perfectè superare potest, cum Paulus dicat: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi metis meæ? Sed aliud est bella fortiter perpeti, aliud bellis eneruiter expugnari. In illis exercitatur virtus, ne quis extolli debeat; in his omnino extinguitur, ne subsistat. Præcepit dehinc lex Leuitas omnes pilos carnis radere: quia hi qui obsequiis diuinis affluuntur, debent ante Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundi apparere, ne illicitas cogitationes menses proferat, & pulchram animæ speciem quasi pilis excrescentibus deformem reddant. Post hæc iubetur etiam fieri duæ tubæ, quarum clangore populi moueretur ad praelium. Sic enim scriptum est de his ad Moysem: Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, & paulo post: Et cum concisus clangor increpauerit, mouebuntur castra. Per duas enim tubas exercitus ducitur: quia per duo testamenta, siue per duo præcepta charitatis ad praelium fidei populus vocatur: quæ idcirco argenteæ fieri præcipiuntur, ut prædicatorum verba eloquij nitore resurgant, & auditorum mentes nulla sui obscuracione confundant. Idcirco autem ductiles, quia necesse est ut hi qui venturam vitam prædicant, tribulationum præsentium tuncione crescant. Bene autem dicitur: Cum concisus clangor increpauerit, mouebuntur castra: quia nimirum cum subtilior ac minutior prædicationis sermo tractatur, auditorum mentes contra tentationum certamina ardentius excitantur. Iam ab hinc promouentur filij Israel de monte Sina, & transeunt in Sepulcra concupiscentiæ.

Decimatertia mansio Sepulcra concupiscentiæ.

Decimatertia mansio habetur in Sepulcra concupiscentiæ. Ideo inquit: *Et profecti de deserto Sinai, castrametati sunt in Sepulcra concupiscentiæ.* Hæc mansio ab euentu nomē accepit. Nam populus manna per-

tasus, carnes, pisces, pepones, & alia quæ apud Ægyptios erant gulæ incitamenta concupiuit, & aduersus Moysem tumultum excitauit. Quare iratus Dominus, misit coturnicum prope terram volantium innumerabilem copiam, quibus eorum gulam possent explere. Sed dicit scriptura: Carnes adhuc erant in dentibus eorum: hoc est, antequam digereretur, percussit Dominus populum plaga magna valde: Et hinc, inquit, vocatum est nomē loci illius, Sepulcra concupiscentiæ: quia ibi sepelierunt populum desideratorem. Ex quibus docemur, ut qui cōuersationem reliquimus sæculi, & Ægyptias ollas, id est, carnalium desideriorum feruore contempsimus, non debere murmurare contra cælestē panē, nec virulenta Ægyptiorum appetere, quæ sunt magnarū carnium, sed simplicem mannae cibum, id est, puram & cælestem vitam quærere. Alioquin si post præcepta, angelicam escam, mannaque cælestis vitæ, siue doctrinæ, rursus carnes Ægyptias, quæ sunt carnales huius sæculi voluptates, & vetustorum concupiscentiarum vitiorum appetere voluerimus, statim ira Domini percussit torquebimur, desideria nostra vertentur in tumulos, ut simus sepulcra dealbata, quæ foris apparēt hominibus speciosa, intus verò plena sūt omni spurcicia. In hac mansione Moyse mandato Dei septuaginta viros seniores ex populo delegit, qui ad regendam plebē ei adiutores forent: Et sustinebūt, inquit, tecum impetum populi, & non feres illos tu solus. Super quos postea spiritus descendit, & prophetauerūt. Quod in typo factū est: quoniam Spiritus sanctus in die Pentecostes Apostolis se infudit, ut & ad fundandam Ecclesiā sapientes essent, & ad regendam fortēs. Attēditē (inquit, ut in Actibus Apostolorū legitur) vobis & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus episcopos regere Ecclesiam Dei. Donū itaque virtutis cælestis quod olim in Moyse & in prophetis extitit, super Apostolos visibiliter apparuit.

Decimaquarta mansio Aseroth.

Decimaquarta mansio in Aseroth consummatur. Nam subiungit: *Et profecti ex Sepulcra concupiscentiæ, castrametati sunt in Aseroth.* De eadem mansione alibi sic quoque legitur: A Sepulcra concupiscentiæ profectus est populus in Aseroth. Hic Aaron & Maria soror, eo quod Moyse Æthiopiā alienigenam duxerat vxorē, satis ei procaciter obtrectarunt. Vnde illa cōtagione lepræ illico perfusa ab aliorū confortio ad sanitatis vsque tempus eiecta fuit. Quod noui figuram mysterij prætulit euidentem: nempe quod sacerdotalis illa plebs patrum, zelo Christi saluatoris nostri, aduersus Ecclesiam ex gentibus congregatam insurrectura foret. Quod perfidiæ impura liuore in Dei tabernacula non admittēda veniret, donec præfinitum claruerit tempus, quo plenitudo gentium consummaretur, ut ad Romanos scripsit Apostolus. Nam tunc tantum pristinam poterit recuperare sanitatem, cum septiformis ei spiritus gratia ad veniam fuerit suffragata. Verum quia Aseroth beatitudo interpretatur: meritō à Sepulcra concupiscentiæ in hanc stationē venit: quoniam nisi carnis concupiscentias quis sepelierit, ad æternam beatitudinem peruenire non poterit. Idcirco inquit Apostolus: Caro & sanguis regnū Dei possidere

dere non possunt.

Decimaquinta mansio Rethma.

Decimaquinta mansio dicitur Rethma. Ideo sequitur: *Et profecti ex Aseroth, castrametati sunt in Rethma.* Verum quia alibi legitur: Et post hæc profectus est populus de Aseroth, & castrametatus est in deserto Pharan: ne scripturæ loca cōtrariari videantur, attendendum est quod hinc vsque ad Asiongaber, mansiones omnes, quæ decem & octo enumerantur, omnes, inquam, sequentes ad trigessimā vsque secundam, sub deserto Pharan nomine continentur. Appellatur ergo mansio hæc alibi Pharan, cōmuni nomine solitudinis cum cæteris multis, sed Rethma voce propria. Scriptura in alio loco Pharan commendat, dicens: Deus ab austro veniet, & sanctus de mote vmbroso Pharan. Sub hoc deserto viros duodecim ad terram explorandā mandato Dei Moyse destinauit, qui botrum vna, mala punica, & ficus terræ retulerunt. Sub hoc deserto Dathan, Abiron & Core filij cum eorum familiis hiati terræ ob seditionem forbentur. Sub hoc deserto Aaron sacerdos inter viuētes mortuosque; medius constitutus, incensi oblatione Deum indignatē placauit, plagam cohibuit. Sub hoc deserto Aarō virga in tabernaculo arens posita, miraculo & germinauit & floruit: & alia plurima, prout in libro Numerorum legitur, gesta sunt; non tamen per singulas distributa mansiones. Per quæ mysticè docemur, quod viri ad explorandam vberem terram missi, & qui populum à promissa Domini hereditate desperarunt, Scribarum & Phariseorum prætulerunt imaginem. Sicut enim illi à Moyse missi sunt ut fecunditatem soli consideratione sollicita tractantes, populum ad eius adaptionem animarent: ita & isti per legem & prophetas, ut scripturarum inuestigatione Dominicum specularerent aduentum, in quo vitam æternam consequi possent, constituti sunt. Sed sicut illi à spē possidendæ hereditatis retraxerunt, vel ipse populus eorum relatione à Dei promissione se alienauit: ita & isti ne in Christum Dominum crederēt plebi fallaciis dissuaserunt. Ideo in eos dicitur: Væ vobis qui tulistis clauem scientiæ: ipsi nō introiistis, & eos qui introibant, prohibuistis. Botrum verò quem retulerunt, Christus est. Ideo in Canticis canticorū dicit Ecclesia de Christo: Botrus cyprī fraternus meus mihi in vineis Engaddi. Malum punicum ob eius ruborem sanguis Christi est. Vnde Esaias: Vnde fuluor vestium de Bosra? Ficus ob eius suauitatē lex euangelica: ideo iugū meum suaue est. Per Dathā & Abiron, quid aliud quàm qui hæreses & schismata in Ecclesiam introducunt, significatur? Ij sacerdotis auctoritate contēpta, ab eo & Dei Ecclesia se segregantes, alias ecclesias, aliud altare, alios mores, ut Apollinaris, Nouatianus, & similes, somniāt: & Dei ordinatione reiecta, proprias conatur statuere vanitates. Hæreticis tādē schismaticisque terræ deglutitis voragine, Aarō sacerdos, id est, Christus Dominus sacerdos in æternū secundū ordinem Melchisedec, constituitur medius ad placandum Deū: quia ipse sempiternum habet sacerdotiū, semper viuēs ad interpellandum pro nobis. Arida virga Aarō quæ postea miraculo germinauit, Christi caro est, quæ

A virga dicitur à Propheta: Egredietur virga de radice Iesse. Hæc arida floruit, quia mortua resurrexit. *Esai. 11. Matth. 28.*

Decimasexta mansio Remon phares.

Decimasexta mansio Remon phares appellatur. Sequitur enim: *Et profecti ex Rethma, castrametati sunt in Remon phares.* Hæc est mansio secūda in deserto Pharan, quæ in nostra lingua diuisio sublimis interpretatur: quia vbi quis in Rethma, quod est os videntis, cōmoratus est; hoc est, perfectā rerum adeptus est intelligentiā; venit ad Remon phares, hoc est, ad sublimē diuisionē, qua à terrenis cælestia, & ab infimis sublimia separare potest. Nec immeritō: nam vigorato intellectu, crescentēque rerū notitia, infunditur iudicium; quō à temporalibus æterna, & à caducis perpetua discernuntur. Ideo per prophetam dicitur, Si eduxeris pretiosum à vili, quasi os meum eris. *Hiere. 15.*

Decimasextima mansio Lebna.

Mansio decimasextima in Lebna agitur. quare subiungit: *Et profecti ex Remon phares, castrametati sunt in Lebna.* Hac mansione mysticè docemur, quod in itinere huius vitæ abluti corpore & mundi corde esse debemus, ut Apostolus ad Hebræos scribit, dicens: Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à cōscientia mala, & abluti corpus aqua munda. Id ipsum namque Lebna vocis interpretatio indicat. Sonat enim Latinē Lebna idem quod dealbatio. Non est autem dealbatio, qua culpabiliter dicitur & paries dealbatus, & sepulcra dealbata: sed quam Propheta precatur, dicens: Lauabis me, & super niuem dealabor. quam Dominus per Prophetam pollicetur, dicens: Si fuerint peccata vestra sicut scenicium, quasi niuem dealbabo: & si fuerint sicut coëcinum, velut lanam candidam efficiam. Hæc dealbatio ex candore iudicij de Remon phares, & claritate visionum de Rethma, vbi verus Israelita suas peragit mansiones, potenter exurgit.

Decima octaua mansio Resfa.

Mansio decima octaua in Resfa peragitur. Vnde subiungit: *Et profecti ex Lebna, castrametati sunt in Resfa.* Mysticè hac mansione docemur quod quauis profecisse quis plurimum videatur, grandæque profectus fuerit consequutus, eum tamen tētationes non deserunt. Tātū enim iam profecerat Paulus Apostolus, ut & vsque ad tertium cæli raptus fuerit, audieritque arcana ineffabilia; nihilominus prodigijs adhuc tētationibus vrgeri se sentiebat. Vnde querebatur: Datus est mihi stimulus carnis, angelus satanæ, ut me colaphizet. Tētationes tamen huiusmodi laudabiles esse, Iacobus Apostolus testatur, dicens: Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tētationes incidieritis. hæc namque velut custodia quædam homini adhibentur. Sicut enim caro quauis præcipua sit, nisi sale aspergatur, corrumpitur: ita & anima quantumuis perfectæ, nisi assiduis saliatu tētationibus, relaxatur. Hoc autem, quia Resfa laudabilis tētatio interpretatur.

Decimanona mansio Calatha.

Decimanona mansio Calatha dicitur: ad quam filij Israel Resfa abeuntes peruenierunt. Vnde sequitur: *C ij*



Hebr. 1.

Et profecti de Refsa, castrametati sunt in Calatha. Calatha sonat Latine virga, & dominium significat. Iuxta illud: Virga æquitatis, virga regni tui. Merito autem post Refsa sequitur Calatha: quoniam ubi anima in Refsa tentationes superauit, ita fortis euadit vt ascēdat Calatha; hoc est, vt dominium acquirat nedum inferiorum suarum virtutum, sed & totius mundi. Huc ascendit Apostolus, quādo dixit: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Castrametatur igitur & nos in hanc mansionem, vt carnem cum vitis & concupiscentiis crucifigentes, & facta eius mortificantes, dicamus cum Apostolo: Quod autem viuio in carne, in fide viuio filij Dei.

Vigesima mansio Arsaphar.

Mansio vigesima est in Arsaphar. Ideo dicit: Et profecti de Calatha, castrametati sunt in Arsaphar. Animo-fa statio ista est, ad ardua quippe nos inuitat, nempe ad bella, & bella asperrima, & contra fortissimos & fauissimos hostes. De quibus dicebat Apostolus: Non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates huius mundi, aduersus tenebrarum harum rectores, &c. A quibus vrgeri, vimque sibi inferri idē Apostolus sentiebat. Vnde dixit: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Hoc autē, quia Arsaphar tubę clāgor, siue tubicinatio est, quod est belli signū. Nec immerito: quoniam anima superioribus mansionibus tot tantisque virtutibus se cernens armatam, contineri non potest quin procedat in medium, & se ad certamina nedum offerat, sed paratam se præferat: quin & tubarū clangore reliquos etiam cum Propheta prouocet, dicens: Assumite arma, scuta adducite in prælium, sternite equos, ascendite equites, proiicite lanceas. Immō cum alio Propheta dicat: Prædicate hoc in gentibus, sanctificate bellum, suscite pugnatōres, accedite viri bellatores. Hoc bellum tractarunt & vicerunt patres, vt refert Apostolus ad Hebræos: Obtulerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, fortes facti sunt in bello. Plena igitur roboris ac spiritus hæc mansio est.

Vigesima prima mansio Arada.

Vigesima prima mansio Arada est. Ideo dicit: Et profecti ex Arsaphar, castrametati sunt in Arada. Hæc quoque māsis longis est præconiis recolenda. Arada namq; idoneum effectum indicat. Adest pulcher ordo, sed obseruādi sūt proficientiū gradus, & series profectuū inspicienda est. Nam ubi anima tentationes superauit, vires inferiores premere audet: & ubi super eis imperiū habere se conspicit, aduersariis potestatis insultat, earūmq; potentias nedum non timet, sed ad certamē prouocat. Nūc autē de victoria secura ascendit in Arada, id est, gloriatur in Domino se idoneam effectam, & dicit cum Apostolo: Sufficiētia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamēti. Oremus igitur Deum, vt & nos ad Arada peruenire, & ibi stationem habere valeamus.

Vigesima secunda mansio Maceloth.

Mansio vigesima secunda dicitur Maceloth, Idcirco subiungit: Et profecti de Arada, castrametati sunt in

Maceloth. Maceloth interpretatur ab initio: per quod innuitur, quod qui tendit ad perfectionem, vel eam aliquo modo assequutū se sentit, ad rerum initium, a quo vniuersa dependent, respicere, ad ipsūque cuncta referre debet; nec ab eo vniquam recedere. Deus est principium & finis, vt in Apocalypsi scribitur: Ego sum principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotēs. Ideo ad eum reducenda sunt omnia. Hunc vt principium recognoscebat Propheta, dum dixit: Nonne tu a principio Domine Deus meus sanctus? Hunc recognoscebat Apostolus, dicens: Fleto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis familia in cælis & in terra nominatur.

Vigesima tertia mansio Thaath.

Mansio vigesima tertia est Thaath. Ideo sequitur: Et profecti de Maceloth, castrametati sunt in Thaath. Verum quia Thaath longanimitatem seu tolerantiam Latine significat, per ipsam indicatur nobis, quod qui in via Dei proficere, aliique prodesse cōtendit, multa pati, multa æquanimiter perferre necesse est. Idcirco Apostolis dicitur: in patientia vestra possidebitis animas vestras. Ad tolerantiam nos inuitat Apostolus, præcedentium patrum, Christi que exemplum proponens. Inquit enim: Ideoq; & nos tātam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus & circumstantans peccatum, per patientiam curramus ad propositū nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum Christū. Dominus enim noster Iesus Christus multa erga homines mansuetudinis, tolerantia malorum, prout dilucidē recēsentur in Euāgeliis, exempla, quō eius sequeremur vestigia, vt Petrus Apostolus dicit, nobis exhibuit.

Vigesima quarta mansio Thare.

Mansio vigesima quarta dicitur Thare. Sequitur namque: Et profecti de Thaath, castrametati sunt in Thare. Thare Latine interpretatur stupor, Græcē ἐνστασις, quæ est vehementis cuiusdam admirationis species, ex arduarum & insolitarum rerum visione proueniens. Nam cum aliqua insolita, naturæ verō impossibilia, humano se offerunt obtutu, quia in inuestigatione huiusmodi causæ sensus deficiunt, & ratio succumbit, mens stupet. Quod Daniel clarius expressit, dicens: Stupebam visionem, & non erat intelligens. Vnde cum paralyticum qui portabatur a quattuor, ad solam Domini vocē surrexisse, lectum in quo iacebat tulisse, & in domum suam abiisse, intuitus esset populus; quia hoc supra facultatem erat hominis, obstupuit. Ideo dicit sanctus Lucas: Et stupor apprehēdit omnes. De hoc agēs hieremias propheta, ait: Stupor & horribilia facta sunt in terra. Et quia in iis mansionibus multa præclara & admirabilia edita sunt opera, quorū causas nō potest humana mēs ratione cōprehendere, ideo tandem venit in Thare, hoc est in stupore: sic enim interpretatur. Vnde scriptum est: Stupebant autem omnes super magnalia Dei.

Vigesima quinta mansio Metcha.

Mansio vigesima quinta agitur in Metcha. Ideo dicit: Et profecti de Thare, castrametati sunt in Metcha.

Metcha Latine dicitur noua mors. Vt autem intelligatur quæ sit noua mors, est obseruandum quod triplicē mortem legimus in scripturis. Vna est mors corporis, qua terrestris domus nostra huius habitationis, vt Apostoli vtar verbis, dissoluitur, & a corporis tabernaculo anima recedit. De hac scribit Apostolus: Statutum est hominibus semel mori. Hac Abraham & prophetæ mortui sunt. hac morte omnes moriemur, & sicut aqua effusa super terram nō congregabimur. Alia mors est animæ, qua peccati contagio anima confecta moritur, non quidem in sui substantia, quæ mori nescit, sed in Dei viuificatione gratia. Nam merito peccati, Deo recedente, spiritalis anima vitam amittit. Vnde dicit Apostolus: Quæ viuens mortua est. Mori autem tunc per peccatum dicitur; quia anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Morietur autem Domino non naturæ infirmitate, sed demerito culpe, quæ nō est ab hac vita recessus, sed lapsus erroris. Tertia est culpæ, qua carnis concupiscentia moritur, vt mens Deo viuat, de qua Apostolus: Vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruat corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato. Nec id immerito. nam sicut mortuus vita non est amplius obnoxius culpæ; sic renatus per gratiam non debet vterius seruire peccato. De qua morte loquitur Apostolus, dicens: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Huiusmodi mortuos redarguens idem Apostolus, dicit: Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid tamquam viuentes in mundo decernimini? Vna igitur mors est naturalis, alia pœnalis, tertia spiritalis. Hanc postremam designat Metcha, quæ noua mors dicitur, quia veterem innouat hominem, & nouam facit creaturam, dicitur Apostolo: Vetera transferunt, ecce facta sunt omnia noua. Itaque & nos hinc mansionem faciamus, vt peccatis mortui, iustitiæ perpetuō viuamus.

Vigesima sexta mansio Esmona.

Mansio vigesima sexta Esmona nuncupatur. Nam dicit: Et profecti ex Metcha, castrametati sunt in Esmona. Esmona Latine dicitur acceleratio: quod congruē huic mansioni aptatur. Nam ubi anima morte peccati per superiorem stationem in nouam euasit creaturam, sistere animo non potest, non otio torpere: sed vterius progredi, & accelerare iter cōtendit. Viatoribus autem celeritas aptissima est: ea propter populo patrum manducare pascha præcipitur, & festinanter. Hinc Apostolis mandatum est: Neminem per viam salutaueritis. Sic Elisæum in Regnorum libro Giezi iniunxisse legitur: Accinge, inquit, lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade: & si inueneris aliquem, non benedicas ei: & si benedixerit tibi quispiam, non respondeas ei. Nam opus Dei præproperam etiam festinationem exigit. Maledictus, inquit Propheta, qui facit opus Dei negligēt. Ideo discipulus ille qui citius Petro ad monumentum præcurrit, immodicē cōmendatur. In via Dei vel festinam oportet progressionem esse, vt diabolo; qui stat semper a dextris quō sanctis aduersetur, ceptū iter impediēdi spatium non relinquatur. Nos igitur qui peccatis mortui, iustitiæ per Metcha viuimus; non sequamur modō ad pal-

mam supernæ vocationis, sed in Esmona curramus festinantes ad propositū nobis certamen. Festinātes nāque pastores venerunt, & inuenerūt puerū Iesum.

Vigesima septima mansio Moseroth.

Mansio vigesima septima appellatur Moseroth. Dicit enim: Et profecti ex Esmona, castrametati sunt in Moseroth. Congruē nunc Moseroth succedit. Significat enim disciplinas. Vt qui festinationem in Esmona sibi adsciuit, eam modō ad comparandas disciplinas sapienter accerlat. Et fit, quod Iacobus Apostolus docet, omnis homo velox quidem ad audiendum. Deus disciplina huius auctor est. Dicitur enim per Prophetam: Quis ascendit in cælum, & accepit eā, & eduxit eā è nubibus? Quis trāstulit trās mare, & inuenit eā, & affret eā auro electo? Nō est cognoscens viam eius, neque qui consideret semitas eius: sed sciens omnia cognoscit eam, & adiuuenit eam prudentia sua. Ideo ab ipso expetēda est, dicente Iacobo Apostolo: Siquis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter. Hæc Deum eiusque opera reuelat. Doctrix, inquit Salomon, est Dei disciplina, & electrix operū illius, eius custodia, virga coercionis est. Scriptum est enim: Plagæ & correptiones dant sapientiam. Legitur in Numeris hominem quendam in die sabbati ligna colligentē comprehendit fuisse, coram Moysē & senioribus sisti mandatū, & tandem iussu Dei morte puniunt, lapidibus obrutum: Morte, inquit, moriatur homo, lapidabitur eum lapidibus omnis congregatio extra castra. Quod in hac mansionem aliqui factū putant. Hinc Apostolus quoq; dicebat: Peccantem corā omnibus argue, vt cæteri timorē habeant. Habeamus igitur stationem in Moseroth: id est, corruptionū mortificatione in disciplina dei cōtineamur.

Vigesima octaua mansio Baneiacham.

Vigesima octaua mansio in Baneiachā peragitur. Inquit enim: Et profecti de Moseroth, castrametati sunt in Baneiacham. Qui in Dei disciplina stationem habet, studiū omne omnemq; operam, vt ne minimū quidem ex ipsa Dei lege violatū intercidat, sedulo impendere debet: & vt Saluator ait, ne iota vnum aut vnus apex à lege prætereat. Debet enim illud Euāgelij mente perpetuō retinere, quo dicitur: Dico tibi: Non exies inde, donec etiā minimū quadrantem reddas. nā sicut nō prius fœnoris debitū euacuatur, quàm totius fortis ad minimū vsque nūmū quocūq; solutionis genere quantitas vniuersa soluatur: sic nec peccati pœna nisi charitatis reliquarūq; compēsatione virtutum vel stricta satisfactione dissoluitur. Non eluitur peccatum, fratres, nisi pœnis tantidū noxius exerceatur, vt commissi supplicia erroris expendat. Dicebat Iacobus Apostolus: Qui totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Ponderanda est quoque illa Dei sententia, quæ in lege scripta est: Ego sum Dominus Deus tuus, Deus zelotes. Lex igitur Dei exactissima quaque censura examinanda, & omni qua potest maiori sedulitate seruāda, ne ab ea fortē excidamus. Hoc nos præfens mansio docet. Baneiacham enim excolationem designat. Qui autem legem Dei percolat, ne minima quidem vel syllaba vel apex negli-

genter labatur, diligenter obseruat.

Vigefimanona mansio Gadgad.

Vigefimanona mansio habetur in monte Gadgad. Dicit namque: Et profecti de Banciacham, castrametati sunt in montem Gadgad. Tentatio animæ fideli, custodia, fortitudo & virtutis augmentum est. Nam anima iusti nisi tentationibus interdum se vrgeri sentiret, necdum in custodia non maneret, quin potius, tamquam gratiarum copia diffuens relaxaretur. A Moyse sancto documentum hoc clarè habetur. Dum populus lampades & montem fumigantem cerneret, vocèsq; audiret, & territus à Domino fugeret, dixit Moyses: Confidite, causa enim tentandi vos, venit Deus ad vos, vt sit timor eius in vobis, & nō peccetis. Dicitur quoque fortitudo, nam anima à multiplicibus se tentantis septem agnoscens, cautiùs incedit, & maiorem à Domino virtutem postulat, dicens cum Propheta: Miserere mei Deus, quoniam multi bellantes aduersum me. Virtutis verò augmentum, quatenus anima tentationibus exercita purior egreditur. Ideo Salomon in Proverbiis dicit: Sicut probatur in camino argentum & aurum, sic electa corda apud Dominum. Tentationibus animam proficere sanctus quoque Iacobus Apostolus testatur, dicens: Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Sunt igitur non fugiendæ sed expetendæ tērationes. Vnde Dauid propheta dicit: Proba me domine, & tenta me. Progredientibus ergo in via Domini tentamenta frequentius ingeruntur, vt cautiùs fructuosiusque incedant. Hoc nobis mansio hæc insinuat: nam Gadgad tentamentum interpretatur. Ne igitur tantarum copia virtutum superiorum mansionum viator difflueret vel laboretur, superiori ista mansio succedit.

Trigesima mansio Iethebatha.

Mansio trigesima celebratur in Iethebatha. Vnde sequitur: Et profecti de monte Gadgad, castrametati sunt in Iethebatha. Tentationum experimento virtus iusti, vt in superiori mansione dictum est, magis conspicua clariorque elucescit. Hinc etiam Petrus Apostolus: Exultabitis nunc, inquit, si oportet contristari variis tentationibus, vt probatio vestræ fidei multo pretiosior auro quod per ignem probatur, inueniatur. Maiorem etiam per illud acquirit gratiam: ideo in libro Sapientiæ scriptum est: Probata autem virtus corripit insipientes. Per illud in medio etiam nationis prauæ latens exerit se virtus & lucet. Ideo Apostolus Paulus ad Corinthios inquit: Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Sincerior bonitas è tentationibus prodit: sicut purius argentum è camino ignis. Inquit enim scriptura: Quoniam in igne probatur argentum, & homines receptibiles in camino humilitatis. Cum igitur purior è tentamento bonitas veluti è camino exeat, meritò nunc Iethebatha, quæ bonitas interpretatur, succedit.

Trigesimalprima mansio Ebrona.

Mansio trigesimalprima agitur in Ebrona. Ideo dicit: Et profecti de Iethebatha, castrametati sunt in Ebro-

Gna. Iustus quamuis in hac vita ad bonitatem etiam perfectam deuenerit, haud tamen animo sistit, nec presenti contentatur (statu: quin potius cuncta pertransiens, flagranti etiam desiderio ad meliora contendit. Hinc Dauid propheta dixit: Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsq; ad domum Dei. Ibi verò quiescet, ibi implebitur omne eius desiderium. Ideo alio in loco idem Propheta dixit: Satiabor Domine cum apparuerit mihi gloria tua. In hac vita non quies, sed perennis est transitus. Quare sponsus in Canticis canticorum ob cursus perniciositatem capre hinnuloque ceruorum assimilatur: vnde & salit super montes, & transilit super colles. Hoc nos docet mansio ista, quoniam Ebrona transitus est: vt quamuis ad bonitatem per superiorem mansionem perueneris, omnia tamen sunt prætereunda; oportet te ad meliora transire, quousque venias ad illud bonum, quod est summum, & quod omne satiat desiderium, & in quo perpetuo permanere debeas.

Trigesimalsecunda mansio Afiongaber.

Mansio trigesimalsecunda dicitur Afiongaber: quod filij Israel applicuerunt. Vnde sequitur: Et profecti de Ebrona, castrametati sunt in Afiongaber. Postrema filiorum Israel in deserto Pharan statio hæc est. Nam vt in superioribus diximus, plurimas ambiens mansiones illa solitudo hucusque protendit: interpretatur verò consilia viri. Et rectè intentioni quadrat: quoniam qui tatas peregit mansiones, tot virtutum penetrauit sinus, tot charismatum spiramina sensit, tot se studiis perfectionum exercuit, iam desit esse puer sensibus, iam ad mensuram ætatis plenitudinis Christi peruenit, iam creuit in virum perfectum, & ideo viri consilia adeptus est; vt cū Apostolo dicat: Cum autem factus sum vir, quæ paruuli erant deposui. Quin potius altum adeptus est consilium, quia Salomon in Proverbiis dicit: Aqua profunda consilium in corde viri. De consilio isto sapiens dicebat: Sine consilio nihil facias, & in faciendo ne te pœniteat. Quod non est illud, de quo queritur Dominus per Prophetam, dicens: Væ filij apostata hæc dicit Dominus: Fecistis consilium nō per me, & pactum non per spiritum meum. Sed illud, de quo sapiens: Cognitione sapiētis tamquam inundatio abundabit, & consilium illius sicut fons purus vitæ; quod custodit à malo: quia consilium bonum custodiet te, cogitatio autem sancta seruabit te. Huc ergo incunctanter pergamus, & nostra hic alacres te toria erigamus, vt Deo in toto corde nostro, sicut Dauid in consilio iustorum & congregatione, confiteri valeamus.

Trigesimaltertia mansio Sin.

Mansio trigesimaltertia est in deserto Sin. Quare subiungit: Et profecti de Afiongaber, castrametati sunt in deserto Sin. Octaua mansio supra eodem quoque nomine nuncupatur. Inquit enim: Et profecti à mari Rubro, castrametati sunt in deserto Sin. Sed attendendum quod hic locus alius ab illo est. Ideo infra subiungitur: De deserto Sin, hæc est Cades. Et alibi, dum populus in hac moraretur mansione, mittens nuntios Moyses ad regem Edom: Et nunc fumus, inquit, in Cades

Cades ciuitate, ex parte finium tuorum. Hanc meminuit Dauid propheta, dicens: Et commouebit Dominus desertum Cades. Hic Maria Moyfi soror diæ suum obiuit, mortua & sepulta est, vt supra legitur. Quod Iosephus quoque describit, dicens: Tunc itaque sororem eius Mariam finis vitæ accepit, cum quadagesimum compleisset annum ex quo Ægyptum dereliquit: sepelieruntque eam publicè nimis splendide. Hic denique penuria aquæ laborat populus. Quare iratus tumultuatur in Moysem: à quo petra iussu Dei mirabili virga percussa, aqua manauit copiosa. Vnde bibentibus cunctis cupiditas sitis ablata est.

Trigesimalquarta mansio Hor.

Mansio trigesimalquarta est in monte Hor. Dicit enim: Et profecti de deserto Sin (hæc est Cades) castrametati sunt in Hor monte prope terram Edom. Stationem apud Cades in deserto Sin filiis Israel agentibus, Moyses ad Idumæorum regem, vt per illius fines viam sibi vnâ cum suo populo concederet, legatos misit: certiores tamen eum facturos, vt nec aquam sine pretio sibi exhiberi posceret. Ille verò petitioni non consentiens, nec transitum cedens, respondit: Non transibis per me, alioquin bello incursum tibi exhibo. Quare populus mandato Dei, vt in Deuteronomio habetur, ab eo declinauit: & de Cades egressus, ad Hor montem peruenit, & hanc quam legimus, habuit mansionem. Vbi iuxta Domini præceptum Aaron cum Moyse fratre & Eleazar filio in Hor montem ascendit: vbi Moyses verbo Dei pontificalibus Aaron indumentis nudato, Eleazar filium cui propter ætatem pōtificatus obueniebat, vniuerso vel mirante populo qui ex aduerso stabat, protinus vestiuit. Ibi quoque Aaron vita functo, ad suumque populum apposito, Eleazar filius sacerdos pro Aaron patre suo declaratus est. Memorabilis est igitur ista mansio.

Trigesimalquinta mansio Salmona.

Mansio trigesimalquinta habetur in Salmona. Nam sequitur: Et profecti ex Hor monte, castrametati sunt in Salmona. Egressus ex Hor monte populus, non rectam quam cœperat, prosecutus est viam, sed Edom terram circumiens, mare Rubrum versus iter arripuit: vt iuxta verbum Domini, fratres suos bello nō incesseret, nec prorsus læderet. Inquit enim: Ne moueatis contra ipsos bellum. Tot igitur viarum fatigatus anfractibus, manna pertesus, locutus est, inquit, contra Deum & Moysem. Quare iratus Dominus virulentos letiferosque serpentes qui morsu internecabant in populum immisit: vnde perit populus multus nimis. De quibus meminit etiã Apostolus, dicens: Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Tunc oranti Moyfi pro serpentum extinctione, respondit Deus: Fac tibi serpentem aneum, & pone illum pro signo: & omnis morsus videns illum, viuet. Fecit Moyses iuxta mandatum Domini, & populus à plaga liberatus est. Verum quia Salmona interpretatur umbra, factum istud mansioni rectè aptatur. Serpens namque ligno suspensus, typus & umbra Christi fuit pro salute nostra in cruce pendens, si-

cut ipse exponit in Euangelio, dicens: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Frequentem igitur nos stationem istam, vt aspiciamus Christum pro mundi salute in cruce pendentem: quoniam salutaris est.

Trigesimal sexta mansio Phinon.

Mansio trigesimal sexta Phinon nuncupatur. Dicit namque: Et profecti de Salmona, castrametati sunt in Phinon. Linguae moderationem inter ea quæ homini non minus necessaria quam difficilia sunt, sanctus Iacobus Apostolus suo enumerat sermone, dicens: Siquis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, potens fræno circumducere etiam totum corpus. Ecce equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus. Ecce & naues cum tam magnæ sint, & à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo quocūque impetus dirigentis voluerit. Ita & lingua modicum membrum est, & magna iactat. Ecce paruus ignis quàm magnam siluam incendit. Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis: & cætera quæ ibi sanctus Apostolus differit ad propositum facientia. Si tot mala homini è lingua immincant, quis illam moderatione non indigere, dicere audebit? Ideo sapiens id præcipit, dum dicit: Circumualla possessionem tuam spinis, & ori tuo fac ianuas & seras: argentum tuum & aurum tuum conla, & sermonis tui fac stateram, & ori tuo fac portam & seram. Verum cum statera, porta & sera pro lingua nō facile ei occurreret, dicebat idem sapiens: Quis dabit mihi super os meum custodiã, & super labia mea signaculum? Dauid verò propheta à Domino hæc dona præstari agnoscens, Dominum his precabatur verbis: Pone Domine custodiam ori meo, & os meum circumstantiæ circum labia mea. Linguae moderatio in hac mansione suam habet sedem. Nã Phinon oris parsimonia interpretatur. Curemus igitur & nos nostram hic stationem habere, vt quæ, quãdo, quomodo & quib' loqui deceat, scire valeamus, & os nostrum meditetur sapiētiam, & lingua nostra iudicium loquatur.

Trigesimal septima mansio Oboth.

Mansio trigesimal septima dicitur Oboth, quod demum filij Israel applicuerunt. Sequitur ergo: Et profecti de Phinon, castrametati sunt in Oboth. De hac mansione alibi legitur: Et profecti filij Israel, castrametati sunt in Oboth. Verum attendendum quod maiora perniciosioraque tentamenta quibus anima in hac vita impugnatur, dæmonum illusiones, magorumq; ac Pythonum præstigia omnium consensu æstimantur. Ij nãque maleficis magicisq; artibus, vt diuinitatis culturã ab hominũ cordibus eliminent, ea efficere protestantur quæ diuina tantum naturæ sunt possibilia. Vnde eius potestati perpetuo resistere audent. Sed tãdem vanitatibus eorum detectis, artibusque profligatis, virtus semper diuina supereminet. Magi coram Pharaone Moyfi resistere audebãt: suãque virgas fieri dracones cõtendebant. Sed tandem Moyfi virga Dei prouidentia

genter labatur, diligenter obseruat.

Vigesima nona mansio Gadgad.

Vigesima nona mansio habetur in monte Gadgad. Dicit namque: Et profecti de Banciacham, castrametati sunt in montem Gadgad. Tentatio animæ fideli, custodia, fortitudo & virtutis augmentum est. Nam anima iusti nisi tentationibus interdum se vigeri sentiret, necdum in custodia non maneret, quin potius, tamquam gratiarum copia diffuens relaxaretur. A Moyse sancto documentum hoc clarè habetur. Dum populus lampades & montem fumigantem cerneret, vocésque audiret, & territus à Domino fugeret, dixit Moyses: Confidite, causa enim tentandi vos, venit Deus ad vos, vt sit timor eius in vobis, & nō peccetis. Dicitur quoque fortitudo, nam anima à multiplicibus se tentantis septem agnoscens, cautius incedit, & maiorem à Domino virtutem postulat, dicens cum Propheta: Misere mei Deus, quoniam multi bellantes aduersum me. Virtutis verò augmentum, quatenus anima tentationibus exercita purior egreditur. Ideo Salomon in Proverbiis dicit: Sicut probatur in camino argentum & aurum, sic electa corda apud Dominum. Tentationibus animam proficere sanctus quoque Iacobus Apostolus testatur, dicens: Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Sunt igitur non fugienda sed expetenda tētationes. Vnde David propheta dicit: Proba me domine, & tenta me. Progredientibus ergo in via Domini tentamenta frequentius ingeruntur, vt cautius fructuosiusque incedant. Hoc nobis mansio hæc insinuat: nam Gadgad tentamentum interpretatur. Ne igitur tantarum copia virtutum superiorum mansionum viator difflueret vel laberetur, superiori ista mansio succedit.

Trigesima mansio Iethebatha.

Mansio trigesima celebratur in Iethebatha. Vnde sequitur: Et profecti de monte Gadgad, castrametati sunt in Iethebatha. Tentationum experimento virtus iusti, vt in superiori mansione dictum est, magis conspicua clariorque elucescit. Hinc etiam Petrus Apostolus: Exultabitis nunc, inquit, si oportet contristari variis tentationibus, vt probatio vestræ fidei multo pretiosior auro quod per ignem probatur, inueniatur. Maiorem etiam per illud acquirit gratiam: ideo in libro Sapientie scriptum est: Probata autem virtus corripit insipientes. Per illud in medio etiam nationis prauæ latens exerit se virtus & lucet. Ideo Apostolus Paulus ad Corinthios inquit: Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Sincerior bonitas è tentationibus prodit: sicut purius argentum è camino ignis. Inquit enim scriptura: Quoniam in igne probatur argentum, & homines receptibiles in camino humilitatis. Cum igitur purior è tentamento bonitas veluti è camino exeat, merito nunc Iethebatha, quæ bonitas interpretatur, succedit.

Trigesima prima mansio Ebrona.

Mansio trigesima prima agitur in Ebrona. Ideo dicit: Et profecti de Iethebatha, castrametati sunt in Ebrona.

Gna. Iustus quamuis in hac vita ad bonitatem etiam perfectam deuenerit, haud tamen animo sistit, nec presenti contentatur statu: quin potius cuncta pertransiens, flagranti etiam desiderio ad meliora contendit. Hinc David propheta dicit: Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsq; ad domum Dei. Ibi verò quiescet, ibi implebitur omne eius desiderium. Ideo alio in loco idem Propheta dicit: Satiabor Domine cum apparuerit mihi gloria tua. In hac vita non quies, sed perennis est transitus. Quare sponsus in Canticis canticorum ob cursus perniciositatem capre hinnuloque ceruorum assimilatur: vnde & salit super montes, & transiit super colles. Hoc nos docet mansio ista, quoniam Ebrona transitus est: vt quamuis ad bonitatem per superiorem mansionem perueneris, omnia tamen sunt prætereunda; oportet te ad meliora transire, quousque venias ad illud bonum, quod est summum, & quod omne satiat desiderium, & in quo perpetuo permanere debeas.

Trigesima secunda mansio Afiongaber.

Mansio trigesima secunda dicitur Afiongaber: quod filij Israel applicuerunt. Vnde sequitur: Et profecti de Ebrona, castrametati sunt in Afiongaber. Postrema filiorum Israel in deserto Pharan statio hæc est. Nam vt in superioribus diximus, plurimas ambiens mansiones illa solitudo hucusque protendit: interpretatur verò consilia viri. Et rectè intentioni quadrat: quoniam qui tatas peregit mansiones, tot virtutum penetrauit sinus, tot charismatum spiramina sensit, tot se studiis perfectionum exercuit, iam desit esse puer sensibus, iam ad mensuram ætatis plenitudinis Christi peruenit, iam creuit in virum perfectum, & ideo viri consilia adeptus est, vt cū Apostolo dicat: Cum autem factus sum vir, quæ paruuli erant deposui. Quin potius altum adeptus est consilium, quia Salomon in Proverbiis dicit: Aqua profunda consilium in corde viri. De consilio isto sapiens dicebat: Sine consilio nihil facias, & in faciendo ne te poeniteat. Quod non est illud, de quo queritur Dominus per Prophetam, dicens: Væ filij apostatæ hæc dicit Dominus: Fecistis consilium nō per me, & pactum non per spiritum meum. Sed illud, de quo sapiens: Cognitione sapientis tamquam inundatio abundabit, & consilium illius sicut fons purus vitæ; quod custodit à malo: quia consilium bonum custodiet te, cogitatio autem sancta seruabit te. Huc ergo incunctanter pergamus, & nostra hinc alacres tentoria erigamus, vt Deo in toto corde nostro, sicut David in consilio iustorum & congregatione, confiteri valeamus.

Trigesima tertia mansio Sin.

Mansio trigesima tertia est in deserto Sin. Quare subiungit: Et profecti de Afiongaber, castrametati sunt in deserto Sin. Octaua mansio supra eodem quoque nomine nuncupatur. Inquit enim: Et profecti à mari Rubro, castrametati sunt in deserto Sin. Sed attendendum quod hic locus alius ab illo est. Ideo infra subiungitur: De deserto Sin, hæc est Cades. Et alibi, dum populus in hac moraretur mansione, mittens nuntios Moyses ad regem Edom: Et nunc sumus, inquit, in Cades.

Cades ciuitate, ex parte finium tuorum. Hanc meminuit David propheta, dicens: Et commouebit Dominus desertum Cades. Hic Maria Moyfi soror diæ suam obiuit, mortua & sepulta est, vt supra legitur. Quod Iosephus quoque describit, dicens: Tunc itaque sororem eius Mariam finis vitæ accepit, cum quadragesimum compleffet annum ex quo Ægyptum dereliquit: sepelieruntque eam publicè nimis splendide. Hic denique penuria aquæ laborat populus. Quare iratus tumultuatur in Moysen: à quo petra iussu Dei mirabili virga percussa, aqua manauit copiosa. Vnde bibentibus cunctis cupiditas fitis ablata est.

Trigesima quarta mansio Hor.

Mansio trigesima quarta est in monte Hor. Dicit enim: Et profecti de deserto Sin (hæc est Cades) castrametati sunt in Hor monte prope terram Edom. Stationem apud Cades in deserto Sin filij Israel agentibus, Moyses ad Idumæorum regem, vt per illius fines viam sibi vnà cum suo populo concederet, legatos misit: certiores tamen eum facturos, vt nec aquam sine pretio sibi exhiberi posceret. Ille verò petitioni non consentiens, nec transitum cedens, respondit: Non transibis per me, alioquin bello in occursum tibi exibo. Quare populus mandato Dei, vt in Deuteronomio habetur, ab eo declinauit: & de Cades egressus, ad Hor montem peruenit, & hanc quam legimus, habuit mansionem. Vbi iuxta Domini præceptum Aaron cum Moyse fratre & Eleazar filio in Hor montem ascendit: vbi Moyses verbo Dei pontificalibus Aaron indumentis nudato, Eleazar filium cui propter ætatem pōtificatus obueniebat, vniuerso vel mirante populo qui ex aduerso stabat, protinus vestiuit. Ibi quoque Aaron vita functo, ad suumque populum appositus, Eleazar filius sacerdos pro Aaron patre suo declaratus est. Memorabilis est igitur ista mansio.

Trigesima quinta mansio Salmona.

Mansio trigesima quinta habetur in Salmona. Nam sequitur: Et profecti ex Hor monte, castrametati sunt in Salmona. Egressus ex Hor monte populus, non rectam quam cœperat, profecutus est viam, sed Edom terram circumiens, mare Rubrum versus iter arripuit: vt iuxta verbum Domini, fratres suos bello nō inceseret, nec prorsus læderet. Inquit enim: Ne moueatis contra ipsos bellum. Tot igitur viarum fatigatus anfractibus, manna pertesus, locutus est, inquit, contra Deum & Moysen. Quare iratus Dominus virulentos letiferosque serpentes qui morsu internecabant in populum immisit: vnde perit populus multis nimis. De quibus meminit etiã Apostolus, dicens: Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Tunc oranti Moyfi pro serpentium extinctione, respondit Deus: Fac tibi serpentem æneum, & pone illum pro signo: & omnis morsus videns illum, viuet. Fecit Moyses iuxta mandatum Domini, & populus à plaga liberatus est. Verum quia Salmona interpretatur umbra, factum istud mansioni rectè aptatur. Serpens namque ligno suspensus, typus & umbra Christi fuit pro salute nostra in cruce pendentis, si-

cut ipse exponit in Euangelio, dicens: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Frequentem igitur nos stationem istam, vt aspiciamus Christum pro mundi salute in cruce pendentem: quoniam salutaris est.

Trigesima sexta mansio Phinon.

Mansio trigesima sexta Phinon nuncupatur. Dicit namque: Et profecti de Salmona, castrametati sunt in Phinon. Linguae moderationem inter ea quæ homini non minus necessaria quam difficilia sunt, sanctus Iacobus Apostolus suo enumerat sermone, dicens: Siquis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, potens freno circumducere etiam totum corpus. Ecce equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus. Ecce & naues cum tam magnæ sint, & à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo quocūque imperus dirigentis voluerit. Ita & lingua modicum membrum est, & magna iactat. Ecce paruis ignis quàm magnam flammam incedit. Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis: & cætera quæ ibi sanctus Apostolus disserit ad propositum facientia. Si tot mala homini è lingua immincant, quis illam moderatione non indigere, dicere audebit? Ideo sapiens id præcipit, dum dicit: Circumuailla possessionem tuam spinis, & ori tuo fac ianuas & seras: argentum tuum & aurum tuum conla, & sermonis tui fac stateram, & ori tuo fac portam & seram. Verum cum statera, porta & sera pro lingua nō facile ei occurreret, dicebat idem sapiens: Quis dabit mihi super os meum custodiã, & super labia mea signaculum? David verò propheta à Domino hæc dona præstari agnoscens, Dominum his precabatur verbis: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ circum labia mea. Lingua moderatio in hac mansione suam habet sedem. Nā Phinon oris parsimonia interpretatur. Curemus igitur & nos nostram hinc stationem habere, vt quæ, quando, quomodo & quibus loqui deceat, scire valeamus, & os nostrum meditetur sapietiam, & lingua nostra iudicium loquatur.

Trigesima septima mansio Oboth.

Mansio trigesima septima dicitur Oboth, quod demum filij Israel applicuerunt. Sequitur ergo: Et profecti de Phinon, castrametati sunt in Oboth. De hac mansione alibi legitur: Et profecti filij Israel, castrametati sunt in Oboth. Verum attendendum quod maiora perniciosioraque tentamenta quibus anima in hac vita impugnatur, dæmonum illusiones, magorumque ac Pythonum præstigia omnium consensu æstimantur. Ij namque maleficiis magicisque artibus, vt diuinitatis culturam ab hominum cordibus eliminant, ea efficere protestantur quæ diuinæ tantum naturæ sunt possibilia. Vnde eius potestati perpetuo resistere audent. Sed tãdem vanitatibus eorum detectis, artibusque profligatis, virtus semper diuina supereminet. Magi coram Pharaone Moyfi resistere audebāt: suãque virgas fieri dracones cõtendebant. Sed tandem Moyfi virga Dei prouidentia



& virtute in colubrum versa, in magorum dracones insiliens, eos illic deoravit. Nam à Moysè non errore, non præsitiis, sed veritate ista fiebant, ideo mirabili potentia subsistebant. Legitur etiã in Actibus Apostolorum, quòd dum prædicaret Paulus Apostolus coram Sergio Proconsule, qui verbum Dei audire cupiebat, resistebat, inquit, Elymas magus, quærens auertere Proconsulem à fide. Denique dum ab Apostolo argueretur, cæcus effectus est, ita vt circumiens, inquit, quæreret qui ei daret manus. Ideo in lege eorum commercium caueri præcipuè iubetur. Inquit enim: Anima quæ secuta fuerit ventriloquos, vel incantatores vt fornicetur post eos, obfirmabo faciem meam contra animam illã, & perdam illam de populo suo. Hæc statio ad magos perdendos colitur. Nam Oboth in magos interpretatur. Adeamus igitur & nos ad Oboth, erigamus ibi tabernacula nostra, vt in protectione Dei cæli commorantes, non timeamus à timore nocturno, non à sagitta volante in die, non à negotio perambulante in tenebris, nec ab incurfu & dæmonio meridiano.

Trigesima octaua mansio Icabarim.

Mansio trigesima octaua vocatur Icabarim. Sic enim habetur: *Et profecti ex Oboth, castrametati sunt in Icabarim, in eo quod ultra, in finibus Moab.* De hac mansione in alio loco clarius legitur: Et discedentes (inquit) ex Oboth, castrametati sunt in Icabarim, in deserto quod est in conspectu Moab ad orientem solis. Propter quod meminisse oportet, quod Idumæi, vt in superioribus diximus, per eorum terras transitum filius Israel præstare hostiliter recusarunt. Vnde diuertentes ab eis, Moabitarum fines circumire coacti fuerunt. Hinc dicitur quòd in finibus Moab ad orientem venerunt. Icabarim verò acruum lapidum transeuntium sonat: quod est Ecclesia iustorum. Lapidem enim transeuntis iusti sunt. Ij namque propter eorum firmitatem lapides appellantur: de quibus Petrus Apostolus scribit, dicens: Et ipsi tãquam lapides viuì superædificamini domus spiritalis. Iustis verò firmitas rectè adscribitur, eo quòd ipsi nec fluctuent, nec circumferantur omni vento doctrinæ: vnde in Euangelio domui supra firmam petram fundatæ, in quam descendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, & non cecidit, comparantur. Transeuntis etiam dicuntur: quia secundum Apostolum, consentent quòd hospites & aduenæ sunt super terram. Denique meritò Ecclesia dicitur acruus lapidum: quia ipsa est columna & firmamentum veritatis. Habeamus igitur & nos stationem in Icabarim, vt secundum Apostolum Paulum, teneamus propositam spem, sicut anchoram animæ rutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis. vt iuxta Apostolum quoque Petrum, præsciètes caueamus, ne errore nefariorum abducti excidamus à propria firmitate.

Trigesimanona mansio Dibongad.

Mansio trigesimanona habetur in Dibongad. Sic enim legitur: *Et profecti ex Icabarim, castrametati sunt in Dibongad.* Verum de hac mansione longè diuersum in alio loco legi videtur. Nam scriptum est: Et

discedentes ex Oboth, castrametati sunt in Icabarim, in deserto quod est in conspectu Moab ad Orientem solis. Inde discesserunt, & castrametati sunt in vallem Zared. hæc ibi. Si ergo in valle Zared castrametati sunt, dices, Quomodo in Dibongad? Verum ibi locus cõmunis, hic verò proprius exprimitur. Est enim Dibongad circa vallem Zared, quæ est inter fines Amorrhæorum & Moabitarum. Mysticè verò Dibongad apiarium tentationum significat. Quo docemur, quòd quamuis iustus perfectioni vel summæ proximis existat, haud tamen ei tentationes desunt. Quod est diuinæ cautela prouidentia, ne à recto desectendi bonis successibus aniam arripiamus. Hinc Iob dicebat: Beatus homo quem corripuit Dominus: increpationem omnipotentis ne renuas. Quòd et si dū in carne sumus, tentationes nobis amaræ videntur, mirificè nihilominus ad futuram nobis vitam proficiunt; dicente Apostolo: Omnis quidem disciplina in præsentem videtur non esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ. Accedamus ergo nos, & in hanc mansionem ingredi festinemus: scientes quòd à Domino interdum corripimur, ne cum hoc mūdo damnemur. Certã quoque spem habeamus, quòd non parietur nos Deus supra id quod possumus tentari, sed faciet cū tentatione prouentum, vt possimus sustinere.

Quadragesima mansio Elmon deblathaim.

Mansio quadragesima in Elmon deblathaim à filiis Israel peragitur. Sic enim scribitur: *Et profecti ex Dibongad, castrametati sunt in Elmon deblathaim.* Vox hæc Elmon deblathaim sicut est duplex, ita & duo indicat, nempe contemptum sicut, hoc est, contemptum terrenæ dulcedinis. Ficus namque dulcedinẽ ostendunt. Vnde Hieremias propheta vidit ficus bonas, bonas valde. Et Saluator noster esuriens, Scribarum Phariseorumque amaritudines deserens, accessit ad arborẽ fici, vt saltẽ in plebe aliquã inueniret dulcedinẽ, & cum nõ inuenisset nisi folia tantum, maledixit ei, dicens: Numquã ex te fructus nascatur. Contemptus ergo terrenarum delectationum ad cælum properanti apprime necessarius est. Nam nisi voluptatum illecebras, & ea quæ in terris delectare videntur, neglexerimus, ad cælestia nos ipsos erigere non possumus. Ideo Apostolus admonet, dicens: Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Immo sapere terrena, cõfusio est. Ita scribit Apostolus: Gloria in pudendis ipsoꝝ in cælis est, qui cum Christo surreximus, omni cordis alacritate, calcatis mundi illecebris, in huius mansionis tabernacula ingrediamur, quæ sursum sunt querentes, vbi Christus est in dextera Dei sedens: contẽdamusq; siue absentes siue præsentis placere Domino Deo nostro.

Quadragesimaprima mansio Abarim.

Mansio quadragesimaprima fit à filiis Israel in montibus Abarim. Nam sequitur: *Et profecti ex Elmon deblathaim, castrametati sunt super montes Abarim contra Nebo.* Verum longè alienum videtur huic, quòd alio in loco de hac mansionem legitur. Nam inquit: Castrametati sũt in valle Zared: inde discedentes,

tes, castrametati sunt trans Arnon in deserto quod eminet à finibus Amorrhæorum. Ex quibus verbis videtur quòd filij Israel non in montibus Abarim, sed in deserto trans Arnon mansionem post Elmon habuerint. Sed nulla est diuersitas: quoniam Abarim in deserto est trans Arnon. Quod ergo alibi sub communi, hic sub proprio nomine scriptura expressit. Vnde subiungit: Est enim Arnon fines Moab inter Amorrhæos: & ibi habetur mons Abarim, ad cuius radices iuxta Amorrhæos Arnon labitur amnis. Dicitur verò mons Abarim trans Arnon non ad transitum Hebræorum, sed ad situm terræ sanctæ, sicut mos est Moysi in hac descriptione. Nã in libro Deuteronomij legitur: Hæc verba quæ locutus est Moyses omni Israel trans Iordanem in deserto ad occidentem. Moyses tamen Iordanẽ nullatenus transiit: erat ergo citra ad Hebræorum viam, trans verò ad terræ sanctæ situm. Sub hac mansione ad Seon Amorrhæorum regẽ legatos Moyses destinavit, vt ei cum populo per suas terras commeatum præberet, absq; omni suorum profus læsione: Trãsimus, inquit, per terrã tuã, non declinabimus neque ad agrũ, neq; ad vineã, neque bibemus aquã de puteo; via regia transibimus. Seon verò id omnino recusans, dura respondit: immò valido exercitu armato, ad fluuium Arnon, quã Israel transurus erat, vt viam impediret, oppugnantique resisteret, protinus descendit. Sed diuina factum est virtute, vt rege in prælio extincto, Hebræi Amorrhæorum populum in occisione gladij percusserint, eorũq; terras vastantes depopularint. Interim Og rex Basan vt auxilium Amorrhæo præberet amico, ingentes copias armat, quibus Israel hostiliter impugnatũ aggreditur. Sed Israel superna dimicans ope, & ipsum in bello regem peremit, exercitum omnem extinxit, vniuersam denique terram eorum subegit: vnde cum insigni victoria grandes diuitiarum copias reportauit. Quæ omnia Ioseph suo sermone perscripsit.

Quadragesimasecunda mansio apud Iordanẽ.

Mansio quadragesimasecunda habetur in campibus Moab apud Iordanem. Ideo dicit: *Et profecti de finibus Abarim, venerunt ad occidentem Moab, supra Iordanem, iuxta Hiericho: ibique castrametati sunt apud Iordanem inter Bethsimon, vsq; Bethathim in occidentem Moab.* Alio in loco mansione eandẽ meminit scriptura, dicens: Et discedetes filij Israel, castrametati sunt ad occidentẽ Moab, apud Iordanem, iuxta Hiericho. Deniq; postrema huius laboriosi diuturniq; filioꝝ Israel itineris à Moysè per verbũ Dei descripta mansio hæc est. In qua licet plurima dicta gesta que sint memorata digna, pauca tamẽ hæc enarrabimus. Primum Balac Moabitarum rex cernens filios Israel tanto proficere incrementõ, tamque secũdis eorum res prosperrari successibus, magnam rerum suarum formidinem concepit, vt in iis quæ ad populum Madian prælocutus est, apparet. Inquit enim: Nunc linget congregatio hæc omnes qui in circuitu nostro sunt, sicut lingit vitulus virentiã ex campo. Quare armis haud eos palam inuadere ausus, deliberauit, ne saltem potentiores efficerentur, ad occultas artes confugere. Vnde Balaam magum ad se accersi-

tum rogauit, vt imprecationibus maleficisque eius artibus populum malediceret, perderetque. Quod ab illo nec suasionibus nec muneribus, diuina obistente prouidentia, obtinere vmquã potuit: quin immò ipse magus Domino os eius aperiente, bona precatus est populo, felicisque prædixit successus: Quàm pulchrã, inquit, tuã domus Iacob? tabernacula tua Israel tamquam valles obumbrantes, tamquam horti super fluuium, & velut tabernacula quæ fixit Dominus. & infra: Benedicentes te, benedicti sint, & maledicentes te, maledicti sunt. Item: Orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel. Deinde quia Madianitarum amore mulierum populus deserto vero Deo ad idola diuerterat, Phinees Eleazar filius, Aaronque nepos zelo zelatus pro Domino exercituũ, antequam per licentiam fortius grassaretur iniquitas, Hebræum & Madianitem sceminam in fornicatione comprehensos, & coram Moysè adductos, publicè euaginato pugione peremit: cuius exemplo prouocati plerique, arreptis in fornicarios armis insurrexerunt, & ad internecionem cæsa sunt die illa vigintiquattuor hominum millia. Quare peremptis fornicariis, reconciliatus est cum populo Deus: Et cessauit, inquit, plaga à filiis Israel. Insuper quia Chananæorum terra, ad quam filij Israel possidendam per verbum Dei tendebant, è vicino iam prominebat, ipsiq; terræ sanctæ per quadraginta & plures annos fugientis ferè iam oras predebant: & quia non nisi armata manu, viribusque infraactis illã capere ipsis præstabatur: idcirco Eleazar sacerdos nouam populi ad bellum apti computationem facere Dei mādato decreuit, in qua præter tribum Leui, ad specialem Dei cultum destinatam, & mulieres, sexcenta millia & mille septingenti triginta viri, à viginti annis & supra, ad bella parati, vt scriptura inquit, enumerati sunt. Alia verò quam plurima ad religionẽ Deiq; cultum, necnon ad rem publicam bello pacẽq; moderandã spectantia, Moyses Eleazarque sacerdos in hac mansione in ordinẽ redegerunt, quæ ne in nimis longum nostram protraherent lectionem, vel quia sæpius aliis in locis ea digessimus, nunc omittenda censemus. Silentio tamen prætereundum non duximus, quòd Moyses extremum sibi tandem per verbum Dei instare diẽ agnosces, declarato sibi successore populiq; duce, mandato Dei, Iesu Naue, præscriptis que benedictionibus ac maledictionibus, quibus obseruatores præuaricatorẽsve diuinæ legis incurrerent, necnõ prænuntiatũ singulis tribubus quæ in illos singillatim superuentura forent, super montem Nebo cõscendit, indeq; amplã optimãq; Chananæorum regionem, terram vtiq; lacte & melle manantem, patribus repetitis etiam oraculis repromissam, monti Nebo ex aduerso positam, & oculis perlustrauit, & animo considerauit, & vt Apostoli verbis vtatur, è Iõgè saluauit. Quo deniq; peracto, dixit illi Dominus: Ostendi terram hanc oculis tuis, sed illuc non ingredieris. Et cõfestim per verbũ Dei mortuus est, & sepultus in valle. Et sepulcrũ eius nemo nouit vsque in hodiernũ diẽ. Hic finis Moysi, mansionumque populi iussu Dei in ordinem recensitarum. Ceterum nonnulla mystica nunc explicanda forent, nisi horum pleraque per tractatũ præsentẽ sparsissemus.

alia verò in aliis locis explicaffemus. Illud denique G  
obferuandū operæpretium iudicauimus, quòd vni-  
uerfus hic tranfitus ideo cōmemoratur, propterea q;  
omnis hic curfus conſummandus proponitur, vt ad  
Jordanē Dei fluuiū demum perueniētes, diuinę vn-  
dis ſapientiæ irrigemur, vt per omnia purificati, pro-  
miſſionis terrā Deo tandē miſerante intrare, & cum  
Apoſtolo dicere valeamus: Bonum certamen certa- 2.7. m. 4.  
ui, curſum conſummaui, fidem ſeruauī: & iuſtitie co-  
rona quam Dominus iuſtus iudex reddet in illa die  
iis qui diligunt aduentum eius, reponatur nobis: per  
Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, cui cum patre  
& Spiritu ſancto omnis eſt honor, gloria, & perpe-  
tuitas in ſæcula ſæculorum. Amen.

S. AMBROSII DE XLII. FILIORVM ISRAEL MANSIONIBVS  
TRACTATVS FINIS.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS SVPER CAP. XXII.  
DEUTERONOMII, ANNOTATIO.

Deut. Cap. XXII.

**N**E videns vitulum fratris tui, aut ouē eius H  
Nerrantia in via, contemnas ea: reductio-  
ne reduces ea fratri tuo, & reddes ea. Si autem  
nō appropinquat ad te frater tuus, neq; noſti-  
cum, duces ea intrò in domum tuam, & erunt  
tecum quoad quærat ea frater tuus, & reddes  
ea illi. Sic facies aſino eius, & ſic facies veſti-  
mento eius, & ſic facies in omni amiſſa re fra-  
tris tui: quæcūque perierint ab eo, & inuenies  
ea, nō poteris negligere. Si videbis aſinū fra-  
tris tui, aut vitulum eius, qui ceciderit in via,  
non deſpicias ea, ſubleuans ſubleuabis cū eo.  
Non erit veſtitus viri ſuper mulierem, neque  
induetur vir ſtola muliebri: quoniam immū-  
dus eſt Domino Deo tuo omnis qui fecerit  
hæc. Si autem obuiaueris nido auium ante fa-  
ciem tuam in via, vel in omni arbore, vel in  
terra pullis, vel ouis, & mater incubat ſuper  
pultos aut ſuper oua, non capies matrem cū  
filiiſ, dimiſſione dimittes matrem, at filios te-  
nebis tibi: vt bene tibi ſit, & longæuus eris.  
Si ædificaueris domum nouam, facies coro-  
nam domui tuæ, ne facias cædem, ſi ceciderit  
cadens ab ea. Non feminabis vineam tuam  
diuerſo ſemine, ne ſanctificetur fructus & ſe-  
men quod ſeminaueris cum vinea tua. Non  
arabis in boue & aſino in idipſum. Non in-  
dueris adulterata veſte, lana & lino in idipſū.  
Funiculos facies tibi in quattuor ſimbriis ve-  
ſtium tuarum, quibus operiris in ipſis. Si au-  
tem quis duxerit vxorem, & cohabitauerit cū  
ea, & odio habuerit eam, & impoſuerit illi oc-  
caſionarios ſermones, & obiecerit ei nomen  
malum, & dixerit: Vxorem hanc accepi, &  
ingreſſus ad eam non inueni eius virginitatē:  
& tollens pater puellæ & mater, ferent virgi-  
nitate[m] puellæ ad ſenatum ad portam, & di-  
cet pater puellæ ſenatui: Filiam meā hanc de-  
di homini huic vxorem, & odio habens eam,  
ipſe nūc imponit ei occaſionarios ſermones,  
dicens: Non inueni filiæ tuæ virginitatem. en  
hæc virginitas filiæ meæ. Et expandent veſtē  
coram ſenatu ciuitatis: & apprehēdet ſenatus  
vr̄bis illius hominem illum, & corripient il-  
lum, & condemnabunt illum centum ſiclis,  
& dabunt patri puellæ, quoniam diffamauit  
nomen malum ſuper virginem Iſraeliticam:  
& illius erit vxor, nec poterit dimittere eam  
omni tempore. Si autem in veritate fuerit ſer-  
mo hic, & non inuenta ſit virginitas puellæ,  
eiicient puellam ad fores domus patris eius,  
& lapidabunt eam viri ciuitatis illius in lapi-  
dibus, & morietur: quoniam fecit nefas in fi-  
liis Iſrael, vt fornicariam faceret domum pa-  
tris ſui: & auferetis malum ex vobis ipſis. Si  
autem inuentus fuerit homo dormiens cum  
muliere maritata viro, occidetis vtrumque:  
virum dormientem cum vxore, & vxorem: &  
auferetis malum ex Iſrael. Si autem fuerit  
puella virgo deſponſata viro, & inueniens  
eam homo in ciuitate, dormierit cum ea, e-  
duceris vtrumque ad portam ciuitatis corū,  
& lapidabuntur in lapidibus, & morientur:  
puellam, quia non clamauit in ciuitate; &  
hominē, quia humiliavit vxorē proximi ſui,  
& auferetis malum ex vobis ipſis. Si autem in  
agro repererit homo puellam deſponſatam,  
& vim inferens dormierit cum ea, occide-  
tis

tis hominem dormientem cum ea ſolūm, at A  
puellæ facietis nihil: non eſt puellæ peccatum  
mortis. quoniā ſicut ſiquis inſurgat homo cō-  
tra proximū ſuum, & occiderit eius animā, ſic  
res hæc, quoniā in agro inuenit eam: clamauit  
puella deſponſata, & qui auxiliaretur nō erat  
illi. Si autē quis inuenit puellam virginem  
quæ non deſponſata eſt, & vim faciens illi  
dormierit cum ea, & inuētus fuerit: dabit ho-  
mo qui dormiuit cū ea, patri puellæ quinqu-  
aginta ſiclos argenti, & eius erit vxor, quia hu-  
miliauit eam: non poterit dimittere eā omni  
tempore. Nō accipiet homo vxorē patris ſui,  
& non reuelabit operimentum patris ſui.

Examinatur cauſa, cur lex prohibuerit mulieres vti veſte vi-  
rili, atque viros muliebri indui ſtola.

AMBROSIVS IRENÆO.

**P**ERTVLISTI ad me quaſi filius, qua-  
ſuiſſe aliquos à te, quid ſibi velit, quòd  
tam ſeuere lex immundos eos dixerit  
qui alieni ſexus vterentur veſtibus, vel  
viros ſcilicet vel mulieres. Sic enim ſcri-  
ptum eſt: Non erit veſtitus viri ſuper mulierem, neque in-  
duetur vir ſtola muliebri: quoniam immundus eſt Domino  
Deo tuo omnis qui fecerit hæc. Et ſi verè diſcutias, incon-  
gruum eſt quòd ipſa etiā abhorret natura. Cur enim  
homo nō vis videri eſſe quod natus eſt? Cur alienā tibi  
aſſumis ſpeciem? Cur mentiris ſceminā, vel tu ſcemi-  
na virū? Suis vnūquemq; ſexū induit natura indu-  
mentis. Denique diuerſus vſus, diuerſa vox eſt in viro &  
ſceminā. Sed etiā in reliqui generis animantibus alia  
ſpecies leonis, alia leonæ, alia vis, alius ſonus: alia  
tauri, alia vitulæ. In ceruis quoq; quātū diſtat ſexus,  
tantum diſcrepat ſpecies, vt eos etiam eminus poſ-  
ſis diſcernere. In auibus verò etiā propria ad ve-  
ſtitum eſt inter eos & homines comparatio. In illis  
enim ſexum naturalia ipſa indumenta diſcernunt.

**P**auis mares ſpecioſi, ſceminæ non item pennarū va-  
rio pinguntur decore. Faſianis quoque diuerſus co-  
lor, qui diſtinguat ſexus diſcretionē. Quid in pullis?  
Quam canora vox galli, nocturniſque vicibus ſolē-  
ne munus ad excitandū & canendum? Numquid il-  
la mutant ſpeciem ſuam? Cur nos mutare deſidera-  
mus? Et quidem Græco more inſluxit vt ſceminæ  
virilibus quaſi ſuccinctioribus tunicis vtantur. Eſto  
tamen vt illæ imitari videantur melioris ſexus na-  
turam: quid viri qui inferioris ſexus mentiri ſpecie  
volunt? Mendacium & in verbo turpe eſt, nedum  
in habitu. Denique in templis, vbi mendacium fi-  
dei, ibi mendacium naturæ. Illic aſſumere viros  
muliebrem veſtem, geſtūmque ſceminum, ſacrum  
putatur. Vnde lex dicit: Quoniam immundus eſt Do-  
mino Deo tuo omnis qui fecerit hæc: hoc eſt, vir qui ſtola  
muliebrem induerit. Arbitror autem quòd non  
tam de veſte, quam de moribus dixerit, vel de vſi-  
bus noſtris atque actibus, quòd alius virum, alius  
ſceminam deceat actus. Vnde & Apoſtolus ait, qua-  
ſi interpres legis: Mulieres veſtræ in eccleſia taceāt.  
Non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe,  
ſicut lex dicit. Si quid autem volunt diſcere, domi-  
viros ſuos interrogent. Et ad Timotheum: Mulier  
in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione. Docere au-  
tem mulieri non permitto, neque dominari in virū.  
Quam deforme autem virum facere opera mulie-  
bria? Ergo & pariant, ergo parturiant qui criſpant  
comam ſicut ſceminæ. Et tamen illæ velantur, iſti  
bellantur. Verūm habeāt excuſationem qui patrios  
vſus ſequuntur, ſed tamen barbaros, vt Perſæ, vt Go-  
thi, vt Armenij. Maior quidem eſt natura quam pa-  
tria. Quid de aliis dicimus, qui hoc ad luxuriam de-  
riandum putant, vt calamitatos & torquatos ha-  
beant in miniſterio, ipſi promiſſa barba, illos remiſſa  
coma? Meritò illic non ſeruatur caſtimonia, vbi nō  
tenetur ſexus diſtinctio. In quo euidentia naturæ  
magiſteria ſunt, dicente Apoſtolo: Decet mulierem  
non velatam orare Deum? Nec ipſa natura docet  
vos. Quod vir quidē ſi comā habeat, ignominia eſt  
illi: mulier verò ſi capillos habeat, gloria eſt illi, quo-  
niam quidem capilli pro velamine ei ſunt. Hæc ſunt  
quæ referas requirentibus. Vale, & nos vt filius dili-  
ge, quia nos te vt parentes diligimus.

S. AMBROSII IN DEUTERONOMIUM ANNOTATIONIS FINIS.

Summarium prioris Apologiæ David.

In Cap. I. examinatur apparatus adulterij & homicidij à David perpetrati, vt habetur lib. II. Regum  
cap. X I. circa quæ nonnulla diſcutiuntur dubia.  
A cap. II. vſque ad cap. VII. agitur de lapſu ipſo, & pœnitentia David, vt habetur lib. II. Reg. cap. XII.

Capita prioris Apologiæ David.

Qua ratione propheta David apologiam arripuerit auctor ſtylo ſcribere, cum recitatione hiftoriæ de adul-  
terio & homicidio per eum commiſſis, excuſatione quoque ipſius ex eo quòd iudicari non debeat quem  
Deus iuſtificauit. Cap. I.  
De confeſſione peccati ipſius David, & de excuſatione eiufdem. quemadmodum etiam lapſus in pec-

*catum sepius proficit: & qua ratione diuina prouidentia curatum sit, ut sancti aliquando laborentur.*  
Cap. II.

*Qua ratione Deus suos athletas in variis certaminum generibus exercitet & experiatur: & quomodo talia nobis facta sint in figuram; cum multarum allego-riarum adductione.* Cap. III.

*Quale fuerit peccatum Dauid, & qualis penitentia: quemadmodum etiam multi fortissimi viri in errore prolapsi sint.* Cap. IIII.

*Quomodo Dauid lapsus proprium peccatum deplorans, Domini misericordiam non desperauerit: & de re-quisitione ouis abducta.* Cap. V.

*Quibus operibus Dauid potuerit regere peccatum: & quomodo iustos peccata sequantur, malos autem praecedant.* Cap. VI.

*De pugna Dauid contra progeniem gigantum; & quemadmodum aquam sitiuerit ex lacu Bethleem, quã tamen non biberit.* Cap. VII.

## SANCTI AMBROSII EPISCOPI

### MEDIOLANENSIS PRIORIS APOLOGIÆ

DAVID LIBER.

#### II. Reg. Cap. XI.

ET factum est, vertente anno, in tempore G egressus regum, misit Dauid Ioab & seruos suos cum eo, & vniuersum Israel, & vastauit filios Ammon, & obsederunt contra Rabbath: & Dauid habitabat in Hierusalem. Factum est autem in tempore post meridiem, & surrexit Dauid à lecto suo, & deambulabat in solario domus regis: & vidit à solario mulierem lauante[m] se, & mulier pulchra aspectu valde. Et misit Dauid, & requisit[m] mulierem, & dixerunt: Nonne hæc est Bethsabee H filia Eliam, vxor Vriæ Chettæi? Et misit Dauid nuntios, & tulit eam: & ingressus est ad eam, & dormiuit cum ea. & hæc erat sanctificata ab immunditia sua. Et reuersa est in domum suam, & concepit mulier: & misit & nuntiauit Dauid, & dixit: Concepi ego. Et misit Dauid ad Ioab, & dixit: Mitte mihi Vriam Chettæum. Et misit Ioab Vriam ad eum. Et venit Vrias ad Dauid. Et interrogauit eum Dauid, si valeret Ioab, & si valeret populus, & si valeret bellum. Et dixit Dauid Vriæ: Descende in domum tuam, & laua pedes tuos. Et egressus est Vrias à facie regis, & egressa est post eum portio regis. Et dormiuit Vrias in vestibulo domus regis cum omnibus seruis domini sui: & non descendit ad domum suam. Et nuntiauerunt Dauid, dicentes quod non descendit Vrias in domum suam. Et ait Dauid ad Vriam: Nonne de via venisti tu? quare non descendisti in domum tuam? Et ait Vrias ad Dauid: Arca & Israel & Iudas habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab & serui domini mei super faciem campi castrametati: & quomodo ego ingrediar in domum meam, ut comedam & bibam, & dormiam cum vxore mea? Per vitam tuam, & per vitam animæ tuæ non faciam rem hæc. Et dixit Dauid ad Vriam: Mane hinc & hodie, & cras te dimittam. Et mansit Vrias in Hierusalem in die illa, & crastina: vocauit autem cum Dauid, & comedit coram se & bibit, & inebriatus est: & egressus est vespere, & dormiuit Vrias in cubili cum seruis domini sui, in domum autem suam non descendit. Et factum est mane, & scripsit Dauid epistolam ad Ioab, & misit in manu Vriæ. Scripsit autem in epistola, dicens: Trade Vriam in prelium forte, & reuertimini à tergo eius, & percutietur & morietur. Et factum est cum obsideret Ioab in urbem, & dedit Vriam in locum vbi sciebat quoniam viri fortitudinis erant ibi. Et egressi sunt viri ciuitatis, & bellabant aduersum Ioab: & ceciderunt de populo de seruis Dauid, & mortuus est Vrias Chettæus. Et misit Ioab, & nuntiauit Dauid omnia verba prelij. Et præcepit Ioab nuntio, dicens: Cum compleueris tu vniuersos sermones belli loquens ad regem, & erit si ascenderit ira regis, & dixerit tibi: Quare accessistis ad urbem ut præliaremini? nonne sciebatis quod percutiemini de muro? Quis percussit Abi-

Abimelech filium Hieroboal? nonne mulier A proiecit super eum fragmen mole de muro, & mortuus est in Thabes? quare accessistis ad murum? & dices: Et seruus tuus Vrias Chettæus mortuus est. Et venit nuntius Ioab ad regem in Hierusalem, & nuntiauit Dauid omnia quæ loquutus est Ioab. Et dixit nuntius ad Dauid, quod præualuerunt viri aduersum nos, & egressi sunt viri ad nos in agrum, & venimus contra eos vsque ad portas vestibuli: & sagittauerunt sagittarij ad seruos tuos ex muro, & mortui sunt de seruis regis, & seruus tuus Vrias Chettæus mortuus est. Et dixit Dauid ad nuntium: Hæc dices ad Ioab: Non malum sit in oculis tuis de verbo hoc, quoniam quandoque quidem sic, quandoque autem sic consumet gladius: conforta bellum tuum aduersum urbem, & destruas eam, & fortifica eam. Et audiuit vxor Vriæ quod mortuus esset vir suus Vrias, & planxit super virum suum. Et transiit luctus, & misit Dauid & accepit Bethsabee in domum suam, & facta est ei in vxorem, & peperit ei filium.

*Qua ratione propheta Dauid apologiam arripuerit auctor stylo scribere, cū recitatione historis de adulterio & homicidio per eum commissis, excusatione quoque ipsius, ex eo quod iudicari non debeat quem Deus iustificauit.*

CAPVT I.



APOLOGIAM propheta Dauid præsentia arripimus stylo scribere, non quod ille indigeat hoc munere, qui tantis meritis enituit, virtutibusque effloruit, sed quia plerique gestorum eius lecta serie, non introspectantes vim scripturarum, vel occulta mysteriorum, mirantur quomodo tantus propheta adulterij primò, deinde homicidij contagia non declinauerit. Ideo nobis studio fuit ipsam recensere historiam, qua patuisse peccato videtur. Namque legimus, ut audistis, quod deambulans Dauid in solario domus suæ regis, prospexit lauante[m] se mulierem, (nomen illi Bethsabee) formæ gratia, & vultus decore præstanti admodum; quibus illecebris delinitum, potiendæ eius sumpsisse affectum. Erat autem mulier viro nupta, Vriæ nomine, cui mandatis regiis composita est scena necis. Nam etsi nihil ad impedimentum cupiditatis, plurimum tamen ad verecundiam adulterij obstare vita eius æstimabatur. Itaque ut à planioribus exordiamur, quem Deus iustificauit, tu diiudicas? Pro minimo mihi est, inquit Paulus, ut à vobis diiudicer; aut ab humano die: sed neque me ipsum diiudico. Et adhuc erat in corpore situs, adhuc tentationi obnoxius. Sed ideo se non diiudicabat, quia spiritualis à nemine diiudicatur, nisi à solo Deo. Denique subdidit: S. Ambros. tom. I.

Qui diiudicat me, Dominus est. Itaque nolite antepus iudicare. Sed Dauid iam tempus impleuit, & gratiam meruit, & iustificatus à Christo est, quandoquidem Dauid se dici filium ipse Dominus gratulabatur, & qui eum ita confitebantur, illuminabantur. Cur hominem Dei à præmio in iudicium vocas? Iudicauit iam de eo Dominus, de quo dixit ad Salomonem: Si ambulaueris in conspectu meo, sicut ambulauit pater tuus in sanctitate cordis & iustitia, ut faceret secundum omnia quæ mandauit ei. Hic ergo iudicio Dei dignus an præmio est, qui fecit secundum omnia mandata caelestia, ambulans in iustitia & sanctitate cordis? Vbi aliorum vitia & peccata delitescunt, ibi Dauid virtutis & gloriæ suæ diuinum accepit testimonium. Et de eius peccato disputamus otiosi, pro cuius merito & gratia aliorum peccata releuata sunt? Nam cum offendisset Salomon quod non custodisset mandata Domini, & regnum eius disposuisset Deus scindere in plurimas partes, ait ad eum: Verumtamen in diebus tuis non faciam hoc propter Dauid patrem tuum. De manu filij tui accipiam illud. Verumtamen non totum regnum accipiam, sceptrum vnum dabo filio tuo propter Dauid seruum meum. Iustificante igitur Domino, quis est qui tantum diiudicet virum? Quod Deus, inquit, mundauit, tu commune ne dixeris. Saluo tamen iudicio caelesti, quo etiam ipse tantum honorificat prophetam, in eius actus moralesque ingredi. Non miraris hominem, & angelis adæquandum iudicas, plurimum vitæ suæ, immò à pueritia in diuitiis, honoribus, imperiis demorantem, in multis tentationibus positum, semel tantum locum errori dedisse, & ei errori quo etiam angeli caelorum, ut scriptura commemorat, de sua virtute & gratia deiectioni sunt?

#### II. Reg. Cap. XII.

ET visa est mala res quam fecit Dauid coram domino: & misit Dominus Nathan prophetam ad Dauid, & ingressus est Nathan ad Dauid, & dixit ei: Indica iam mihi iudicium hoc: Duo viri erant in vna ciuitate, vnus diues, & alter pauper: & erant diuiti greges ouium, & armenta bouum multa valde; & pauper non erat quidpiam aliud quam ouis vna parua, quam possedit & fouit, & nutriuit eam, & nutrita fuit cum eo, & cum filiis eius pariter, de pane eius manducabat, & de calice eius bibebat, & in sinu eius dormiebat, & erat ei sicut filia sua. Venit autem viator ad virum diuitem, & pepercit ut sumeret de grege ouium suo, & de armento bouum suo, ut faceret viro pauperis, & immolauit eam, & fecit epulas viro qui venerat ad se. Et iratus est Dauid nimis indignatione aduersum virum, & dixit ad Nathan: Viuit Dominus, quoniam filius mortis

D

Rem. 8.  
1. Cor. 4.

1. Cor. 2.

1. Cor. 4.  
Matth. 20.

3. Reg. 5.

3. Reg. 11.

Rom. 8.  
Matth. 10.

2. Pet. 2.



est vir qui fecit hoc: & ouem restituet in quadruplum, eo quod fecit rem hanc, & quia non peperit. Et dixit Nathan ad David: Tu es vir qui fecisti hoc. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego vnxi te in regem super Israel, & ego elegi te de manu Saul, & dedi tibi domum domini tui, & vxores eius in sinu tuo; & dedi tibi domum Israel & Iuda: & si pauca tibi sunt, addam tibi sicut hæc. Et quare contempsisti verbum Domini, vt faceres malum coram eo? Vriam Chettau percussisti in gladio, & vxorem illius accepisti tibi ipsi in vxorem, & eum interfecisti in gladio filiorum Ammon. Et nunc non auferetur gladius de domo tua in sempiternum, causa huius, quia contempsisti me, & accepisti vxorem Vriæ Chettau tibi ipsi vxorẽ. Hæc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super te mala de domo tua, & tollam vxores tuas corã te, & dabo eas proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis coram sole hoc: quoniam tu hoc fecisti in occulto, & ego faciam hoc verbum coram omni Israel, & in conspectu solis huius. Et dixit David ad Nathan: Peccaui Domino. Et dixit Nathan ad David: Et Dominus abstulit peccatum tuum, & tu non morieris: verum tamen quia irritans irritasti in inimicis Dominum in verbo hoc, & filius tuus qui natus est tibi, morte morietur. Et reuersus est Nathã in domum suam. Et percussit Deus puerum quem peperit vxor Vriæ David, & ægrotabat. Et deprecatus est David Dominum pro puero, & ieiunauit David ieiunio, & ingressus est & mansit super terram. Et surrexerunt seniores domus eius ad eum, vt eleuarẽt eum de terra, & non voluit, neque cenauit panem cum eis. Factum est autem in die septima, & mortuus est puer: & timuerunt serui David nuntiare ei quod mortuus esset puer, dicentes: Quod adhuc puero viuente loquebamur ad eum, & non audiebat vocem nostram: & quomodo dicemus ad eum quod mortuus est puer? & faciet mala. Et vidit David seruos suos quod mussitant: & sensit David quod mortuus esset puer. Et dixit David ad seruos suos: Si mortuus est puer? Et dixerunt: Mortuus est. Et surrexit David de terra, & lauit se & vnxit se, & mutauit vestem suam: & ingressus est in domum Dei, & adorauit eum: & ingressus est in domum suam, & petiuit panem vt comederet. Et dixerunt ei serui sui: Quis sermo iste quem fecisti? Adhuc enim infante viuente ieiunasti & flebas, & vt mortuus est puer, surrexisti & comedisti panem, & bibisti vinum? Et dixit David: Adhuc puero viuente ieiunavi & fleui, quia dixi: Quis nouit si miserebitur mei Dominus, & viuet infans? Nunc autem mortuus est infans: quare igitur ieiunabo ego? Nūquid poterò vt reducam eum? Ego vadam ad eum, ipse autem non reuertetur ad me. Et consolatus est David vxorem suam Bethsabæ, & ingressus ad eam, & dormiuit cum ea: & concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Salomon. Et Dominus dilexit eum, & misit in manu Nathan prophetæ, & vocauit nomen eius Iedidia in verbo Domini. Et expugnauit Ioab Rabbath filiorum Ammon, & cepit vrbem regni. Et misit Ioab nuntios ad David, dicens: Expugnaui Rabbath, & cepi vrbem aquarum: & nunc congrega reliquam partem populi, & castrametare contra ciuitatem, & cape eam tu, ne preoccupem eam ego vrbem, & vocetur nomen meum super eam. Et congregauit David omnem populum, & profectus est aduersum Rabbath: & expugnauit eam, & cepit eã. Et tulit diadema regis eorum de capite eius, & pondus eius talentum auri, & lapidis pretiosi, & erat super caput David. Et spolia ciuitatis asportauit multa valde. Et populum qui in ea eduxit, & posuit in ferra, & in tribulis ferreis, & ascis ferreis, & circumegit eos per aciem: & sic faciebat vniuersis ciuitatibus filiorum Ammon. Et reuersus est David & omnis populus in Hierusalem.

*De confessione peccati ipsius David, & de excusatione eiusdem: quemadmodum etiam lapsus in peccatum sepius proficit: & qua ratione diuina providentia curatum sit, vt sancti aliquando laberentur. CAP. II.*

**V**NUSQUISQUE nostrum per singulas horas quam multa delinquit, nec tamen vnusquisque de plebe peccatum suum confitendum putat. Ille rex tantus ac potes nec exiguò quidem momento manere penes se delicti passus est cõscientiam, sed præmatura confessione atque immenso dolore reddidit peccatũ suum Domino. Quem mihi nunc faciliè reperias honoratum ac diuitem, qui si arguatur alicuius culpæ reus, non molestè ferat: At ille regio clarus imperio, tot diuinis probatus oraculis, cum à priuato homine corripere quod grauiter deliquisset, non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit culpæ dolore. Denique Dominum dolor intimi mouit affectus, vt Nathan diceret: Quoniam penituit te, & Dominus abstulit peccatum tuum. Maturitas itaque veniæ, profundam regis fuisse pœnitentiam declarauit,

declarauit, quæ tanti erroris offensam traduxerit. Alij homines cum à sacerdotibus corripiuntur, peccatum suum ingrauant dum negare cupiunt aut defendere, ibique eorum lapsus est maior, vbi speratur correctio. Sancti autem Domini qui consummare primum certamen gestiunt, & currere cursum salutis, sicubi fortè vt homines corruerint naturæ magis fragilitate quam peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo maiora reparantes certamina, vt non solum nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiua cumulasse. Ergo si currentium non soluitur cursus, cum fortè aliqui ceciderint, non luctantium contentio, sed inoffensa manent certamina; quinetiam plerique post vnum aut alterum lapsum, gratia maiore vicerunt: quanto magis agonem pietatis ingressi, non debent vnus prolapsionis offensione censei, cum beatus sit qui se potuerit reparare post lapsum? quoniam post mortem quoque resurgere, munus beatorum est. Alias quoque prodesse peccatum possumus comprehendere, & prouidentia Domini sanctis obrepisse delicta. Propositi enim ad imitandum nobis sunt, & ideo curatum est vt & ipsi aliquando laberentur. Nam si inoffensum à vitis inter tot lubrica huius sæculi curriculum peregissent, dedissent nobis occasionem infirmioribus æstimandi, cuiusdam superioris eos naturæ ac diuinæ fuisse, vt delictum recipere, & culpæ consortium habere non possent. Quæ opinio vtique, vt exortes nos illius substantiæ, ad impossibili imitatione reuocaret. Præterit igitur paulisper illos Dei gratia, vt nobis ad imitationem vita eorum fieret disciplina, & sicut innocentia, ita & pœnitentiæ magisterium de eorum actibus sumeremus. Ergo dum lapsus eorum lego, cõsortes etiam illos infirmitatis agnosco: dum credo cõsortes, imitandos esse præsumo. Admonet etiam Apostolus Paulus prospexisse Dominum Deum nostrum, ne vel reuelationum sublimitate, vel secundo operum continuante processu, humanus etiam in sanctis extolleretur affectus; nec sibi deputarent, virtutisque attribuerent suæ, quod diuina sibi operatione foret collatum. Ergo ne in tantum iudicium ruerent, atque in perfidie foueam deciderent, passus est Dominus illis subintrare culpam, vt & ipsi aduerterent diuinis se auxiliis indigere, ducemque salutis suæ quærendum esse cognoscerent. Denique Paulus infirmitatem sibi profuisse testatur, dicente Domino roganti sibi, vt à se stimulus carnis suæ discederet: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate consummat. Merito quoque gloriatur in infirmitatibus. sciebat enim virtutis abundantia plurimos etiam sanctos sine remedio corruisse. Quanto igitur commodius vni aut duabus reprehensionibus locum dedisse, quam traxisse in perpetuum diuinitatis offensam?

*Qua ratione Deus suos athletas in variis certaminum generibus exercitet & experiatur: & quomodo talia nobis facta sint in figuram, cum multarum allegoriarum adductione. CAP. III.*

**Q**uid etiam illa adiciam quæ ex ipso vsu conuicere possumus, quia plerisque cum probaue-

rimus in aliquo officio, eisdem quasi industrios atque impigros in alio munere volumus experiri? Quam multi athletæ cum in isto certandi genere præualuerint, ad aliud genus vocantur certaminis? Quid si & te Dominus Deus tuus cum aliquod specimen virtutis dederis tuæ, in alio virtutum genere vult probare? Iob sanctum currẽtem inoffensẽ, tentari, cum filiorum etiam interitu, & corporis totius vlceribus passus est, vt in hoc quoque eius virtutem probaret, si nec iniuriis nec acerbitatibus coactus deuotionẽ sui minueret affectus. Num liquet quod etiam sanctum David fide nobilẽ, præstantissimum mansuetudine, manu fortè probare voluerit, quem admodum vitium tegetet, lapsum emẽdaret, vt nos doceret quemadmodum admissum possumus operire peccatum? Nisi fortè vilis causa alicui videtur, vt propter nostram correctionem tantus erraret propheta, cum propter omnium redemptionem infirmitates nostras Christus susceperit, qui peccatum pro nobis factus est, cum peccatum non cognouerit. Et indignum æstimatur, nec verisimile creditur, quod David propter posteritatis profectum vnus lapsus opprobrium inciderit, cum ipse Dominus sit pro nobis factus opprobrium, sicut ipse ait: Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. & alibi: Et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me? Ergo futuræ dispensationis mysterium in suis antè præmisit. Et seruuli quidem conditionis suæ peccata portarunt, ideo non potuerunt etiam & ipsi exortes esse peccati. Dominus autem onus suscepit alienum, ideo solus fuit sine consortio delictorum. Ad summam Apostolo quoque docente, cognouimus in figura gesta esse complura quæ temporibus gesta superioribus sunt. Nam cum dixisset in deserto patres serpentibus vulneratos non aliter potuisse sanari, nisi Moyses serpentem suspendisset aeneum, quo viso letales illi morsus infusionẽque veneni noxiæ curabantur, subiecit: Hæc autem in figura facta sunt illis ad nostram correctionem. In figura æneus serpens tamquam confixus cruci, quia verus serpens crucifigendus generi annuntiabatur humano, qui serpentis diaboli venena vacuaret, in figura maledictus, in veritate autem qui totius mundi maledicta deleret. Alibi quoque idẽ ad Galatas ait: Quia duos filios habuit Abraham, vnum de ancilla, & vnum de libera. Et subdidit: Sed is quidem qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per reprobationem: quæ sunt per allegoriam dicta. Quid sit per allegoriam, sequentibus exposuit euidenter, dicens duas illas generationes, vnam de ancilla, alteram de libera, duo esse testamenta. Vnum quidem à monte Sina in seruitutem generans, in quo monte legem Moyses accepit à Domino. Alterum autem ab Hierusalem, quæ est libera, quæ in Isaac filios, hoc est, in libertate gratiæ, non in litteræ seruitute generauit. Seruis enim pœna decernitur, liberis confertur gratia. Nonne in typo geminæ plebis Iacob duas accepit vxores, ex quibus diuersam sobolem procreauit? Cur patriarcha Iudas propriæ nurus post filij sui mortem legitur expetisse concubitum, quo geminorum partus est editus, nisi vt figura Domini Iesù

vtroque præcederet testamento: quorum alterum in typo futuræ mortis eius est conditum; alterum in Euangelij veritate, duos populos esse generandos, quorum posterior in crucis signo sepem omnem ac munitionem populi superioris incideret? Hic est populus manu prior, ortu posterior. Vel quia ipse Dominus Iesus natus ex tribu Iuda opera sua antè præmisit, quàm nobis ex Virgine nasceretur. Quid de Ioseph loquar, qui à fratribus appetitus, exutus patrio vestimento, in lacum missus, in seruitutem venditus, euidens Dominicæ incarnationis expressit indicium, eo quòd ille dilectus patri cùm esset in Dei forma, non rapinam arbitraretur esse se æqualem Deo, sed ipse se exinaniret, & formam serui accipiens veniret, & se vsque ad mortem crucis humiliaret: cuius pretio & emptus & venditus à suis fratribus, genus redemit humanum? In cuius typo Dauid minor electus ex fratribus, vnctus in regnum, solus belli grauis periculo, singulari certamine vnuersum populum liberavit, triumphauit in decem milibus, ita vt puellæ cum tympanis psallerent: Saul triumphauit in milibus, Dauid in decem milibus. Quæ figura in illis iuenculis, nisi animarum quæ triumphalem Psalmum concinunt Christo? Genuit etiam ex se duos filios, vnum incestum, alium parricidam, eo quòd incestus & parricidalis populus affixam patibulo crucis carnem proprii iugulaturus esset auctoris. Denique in tertio Psalmo Absalon titulus prænotatur, & passio Domini prophetatur. Quid de Salomone sancto loquar, cuius posteriora cùm graui errore non careret, vulgus tamen Iudæicum ipsum existimat venisse pro Christo? Et quàm multos grauis erroris offensâ reuocauit? Maior itaque culpa plus profuit ne supra hominem crederetur qui vitio caruisset humano. Fuit igitur in eo inuidiosa sapientia, & culpæ suasoria, quæ hominem comprobaret. Quid igitur obstat quò minus Bethsabæ sancto Dauid in figura sociata fuisse credatur, vt significaretur congregatio nationum, quæ non erat Christo legitimo quodam fidei copulata coniugio, quòd transuersariis quibusdam foret vestibulis in eius gratiam præter legis ingressura præscriptum, in qua nuda mentis sinceritas, & aperta simplicitas, lauari iustificante mysterio, veri Dauid & regis æterni mentem traduceret, lacefferet charitatem? Meritò venit occultus, & qui falleret principem mundi tamquam Vriam illum, qui interpretatione dicitur lumen meum, transfigurantem se in angelum lucis. Venit, inquam, in hunc mundum, & venit occultus, tamquam adulter intrauit, vt ius legitimum vindicaret.

*Quale fuerit peccatum Dauid, & qualis poenitentia: quem admodum etiam multi fortissimi viri in errorem lapsi sint. Cap. IIII.*

**D**istinxiimus allegorias validas, vt arbitramur, & in figura fuisse textum huius historie comprobauimus; nunc superiora repetamus, & tamquam exutum spiritualibus indumentis introspicimus errorem. Peccauit Dauid, quod solent reges: sed poenitentiam gessit, fleuit, ingemuit, quod non solent reges. Confessus est culpam, obsecrauit indulgentiam, humi stratus deplorauit ærumnam, ieiunauit,

orauit, confessionis suæ testimonium in perpetua secula vulgato dolore transmisit. Quod erubescit facere priuati, rex non erubuit cõfiteri. Qui tenentur legibus, audent suum negare peccatum, dedignantur rogare indulgentiam, quam petebat qui nullis legibus tenebatur humanis. Quod peccauit, conditionis est: quod supplicauit, correctionis. Lapsus cõmunis, sed specialis confessio. Culpam itaque incidisse, naturæ est: diluisse, virtutis. Quis gloriatur, inquit, castum se habere cor? Nec vnus diei infans mūdus esse? scripturæ testimonio declarat. Da mihi aliquem sine prolapsione delicti. Validissimum omnium Samson legitur, qui leonem etiam suis manibus stragulauit, sed vtinam amorem suum suffocare potuisset. Messes incēdit allophyllorum, & ipse mulieris vnus arsit igniculo. Iephte victor ab hoste remeauit, sed vexilla referens triumphalia, suo victus est sacramento, vt pietatem occurrentis filia parricidio remunerandam putaret. Primū omnium quid opus fuit tam facile iurare, & incerta vouere pro certis, quorum nesciret euentū? Deinde ad quid sacramenta tristia Domino Deo reddidit, vt cruentis soluat sua vota funeribus? Nec de sacerdotibus silendum arbitror, ne nostra videar dissimulare delicta. Aaron ipse summus sacerdos quo ducē pariter ac Moysē Rubrum pede mārē trāsīuit populus Hebræorum) rogatus à plebe vt deos sibi faceret quos adorarent, aurum poposcit, in ignem misit, & caput vituli figuratum est, cui sunt oblata sacrificia. Quo indicio claruit auri cupiditatem materiam esse perfidiae, & auaritiæ studio sacrilegia solere generari. Iterum tantus sacerdos locū incidit offensionis cum sorore sua Maria. Nā dum fratri vterque obtrectat quòd alienigenam duxisset vxorē, illico Maria contagio maculosa carnis effloruit. Quo loci, euidens fuit figura mysterij, quòd sacerdotalis ille populus patrum fraterno populo posterioribus temporibus derogaret, Æthiopiis illius nesciis sacramentum. Nam si cognouisset, non reprehendisset, quod cum veteri mysterio conueniret. Itaque cùm Iudæus eū qui ex gentibus credidit, dicit esse communem, & vult à lege secernere, lepram habet, quam non poterit euadere, nisi spiritalis ei legis agnitio ad veniā fuerit suffragata.

*Quomodo Dauid lapsus proprium peccatum deplorans, Domini misericordiam non desperauerit: & de requisitione ouis abductæ. CAP. V.*

**E**Rgo & Dauid qui sciebat hominem se esse, natum lapsi, veniam postulauit, Domini autem non desperauit misericordiam. Nec parabola à mysterio videtur discrepare. Quis enim diues, nisi Dominus noster Iesus, qui de se ait, vt hodie lectum est, quòd homo quidam cūm diues esset, abiit in regionem longinquam accipere regnum, & reuertit? Et verè diues erat maiestatis suæ opibus, & diuinitatis propriæ plenitudine, cui angeli & archangeli, virtutes & potestates & principatus, throni & dominationes, Cherubim & Seraphim indefesso obsequio seruiebant. Sed tamen cūm diues esset, reliquit nonaginta & nouem in mōtibus oues, & vnā ouem quæ lassa remanserat, requisituit. Hanc princeps istius

istius mundi, contemplatione illius diuinitatis egenus & pauper, quasi filiam alimentis propriis nutrebat. Meritò itaque defecerat, cui substantia erat cibus sæculi. Errauit hæc ouis in Adam, insidiis sollicitata serpentis. Et non mala ouis, quæ erat verbi plena, vt pote rationabilis hebdomadis filia, & sancti munus auctoris; tamen non pretiosis aliquibus, sed vilibus pauperis diu opibus alebatur. Denique de pane eius (inquit) manducabat, & de calice eius bibebat, & in sinu eius dormiebat. Nō bona clæ Æthiopum, noxius calix aureus Babylonis, qui gentes inebriat. Non vtilis somnus est dormientibus, malo vigilare. Denique turbati sunt omnes insipientes corde, obdormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt. Hospitij igitur gratia, quia susceperat hospitem, vt ei epulas exhiberet, illam pauperis ouem abstulit. De suis enim vel gregibus vel armentis si quod animal immolaret, nobis prodesse non poterat; quod, nisi immolasset, non redemisset. Infirmitates igitur nostræ fragilitatis in sua carne hospitali quodam suscepit affectu, cuius leuandæ causâ vel potius resciciendæ, carnem suâ saluari illi obtulit passioni, vt & cibum nobis vitæ præberet æternæ. Et bene ouem dixit scriptura, qui erat Virginis partus. Bene dignus morte pronuntiatur diues iste iudicio prophético, quia & Caiphias prophetauit, dicens: Expedit vnum hominem mori pro populo. Solus autem Dominus Iesus tali dignus electus est morte, qui tolleret peccatum mundi. Pulchrè quoque addidit: *Omnes restituet*; quia carnem propriam resuscitauit, carnem illam virginalis integritatis reddidit. Nec illud otiosum quod ait: *In quadruplum*. Quadruplum enim resurrectio mortuorum, sicut docet Apostolus, dicens: *Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surgit in gloria; seminatur in infirmitate, surgit in virtute; seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale. Restituet planè in quadruplum ouem etiam illo modo quo potest homo dicere: Si cui aliquid abstuli, reddo quadruplū. Conuenienter etiam illud adiecit: *Quia non pepercit*. Non enim pepercit sibi Christus, vt omnibus subueniret. Idcoque dictum est à Domino Iesu Christo ad seruum suum Dauid, vt mysterium declararet: *Quoniam tu hoc fecisti in occulto, & ego faciam hoc verbum coram omni Israhel, & in conspectu solis huius*. Et primò E quidem nesciens sacramentum, commotus est Dauid indignatione, sed non errauit affectu. Postea verò vbi cognouit mysterium magnū (magnum enim sacramentum Christi & Ecclesiæ) videns remissionem futuram omnium peccatorum, præuidens fulgorem gratiæ per lauacrum regenerationis, & infusionem Spiritus sancti, ait securus veniæ: *Peccati Domini*; vt & ipse in eorum veniret cõsortium, quibus culpæ remissio perueniret.*

*Quibus operibus Dauid potuerit tegere peccatum: & quomodo iustos peccata sequantur, malos autem præcedant. CAPVT VI.*

**A**duertis quemadmodū peccatum proprium deplorauerit? Quis igitur miretur ei esse dimissum? Nunc consideremus opera eius quibus potuit tegere peccatum. Etenim quia non potest sine pec-

cato esse humana fragilitas, cauendum ne plura peccata sint quàm opera virtutum. Quod magnâ vi sapientiæ suæ sanctus Paulus expressit, dicens: *Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, quorundam autē & subsequuntur. Hoc est, non inuenitur quisquam illibatus à culpa, habet quis bona merita, habet & vitia atque peccata. Omnia itaque nostra quasi in trutina ponderantur. Si bonis igitur factis peccata præponderant, præcedunt ad iudicium. Vergūt enim peccata quasi in profundum, vergunt quia & manifesta sunt vel pondere atque acerbitate, vel multitudine. Quorundam autem, inquit, & subsequuntur, hoc est, eorum qui se egerint sobriè, sed fragilitate conditionis dederint aliquando etiam errori locum, bona facta præcedunt, mala sequuntur. Hi honestiores, sed tamen vt homines lapsi sunt leuioribus vitis & erratis. Ergo iustos sequuntur peccata, non præeunt: iniustos præcedunt, & præponderant peccata quæ vergunt, sequuntur autem si qua rectè facta sunt, quasi quodam præiudicio peccatorum præcuntium pragrauaata. Similiter & facta bona manifesta sunt: lucet enim opere virtutum, & splendore meritorum: & quæ aliter se habent, abscondi non possunt. Ergo talia non teguntur, non obumbrat ea charitas, quæ operit multitudinem peccatorum, non operit bonorum operum gratia, non abscondit virtutum multitudo, quia nuda & intacta produntur. Nō enim est in iis qui dicat: *Sub vmbra alarum tuarum protege me. Crux enim Domini omnes a- bolet atque abscondit errores. Quis igitur magis operuit & texit quàm sanctus Dauid, qui & alibi ait: Et in vmbra alarum tuarum speraui, donec transeat iniquitas? Et sic dilexit Dominum, vt nimia charitate peccatum omne tegeret atque absconderet. Etenim si Apostolus Petrus lapsum suum confessione charitatis aboleuit, Domino dicente ei tertio: *Simon Ioannis amas me? (vt quem tertio negauerat, tertio fateretur, atque ita trino quodam dilectionis velamine lapsum trinæ negationis absconderet:)* si quia semel Petrus fleuit, veniam reportauit; quanto magis Dauid, qui lauabat per singulas noctes lectū suum, & lacrymis stratum suum rigabat: cui erant lacrymæ suæ panes die ac nocte: qui cinerem tamquàm panem manducabat, & potum suum cum fletu miscebat? Etenim si eius qui cõuersus ingemuerit, miseretur Iesus: si Petrum aspexit, & ille fleuit; quanto magis qui diu fleuit, à conspectu Domini non recessit? Negauit Petrus, & non fleuit: quia non respexerat Iesus. Negauit secundo, & non fleuit: quia non respexerat Dominus. Negauit tertio, respexit Iesus, & statim fleuit, & fleuit amarè. Ideo Dauid qui semper fleuit, dicebat: *Oculi mei semper ad Dominum. Quia semper videbatur à Christo, dicebat: Per exitus aquarum descenderunt oculi mei. Sed iam etiam facta eius consideremus. Quis non tantarum latide virtutum vnus criminis obumbraret inuidiâ? Diuino electus examine, statim probauit indignum se tanto nō esse iudicio. Proceffit in prælium, & trepidantibus ceteris solus allophylum Goliath verborum iactantia, & immanis corporis mole terribilem, concurrenti simul fide ac virtute profstrauit. Vnius fortitudo facta est vnuerforum victoria. Con-***

feratur, si placet, priuatum crimen, & triumphus omnium: mors vnus, & tantorum quos liberari à morte, vita populorum. Veniamus ad alia. Insidias patiebatur à rege, vitam eius quærebat extinguere, sed dispositione diuina in eius rex potestatem traditus, cum totus pateret ad vulnus, ferituris sociis Dauid sanctus occurrit, & à corpore perituri vulnus letale retorfit, dicens: Nolite tangere Christum Domini. Quinetiam inimici illius vltus est mortem; deplorauit interitum, & debitum sibi imperium diu distulit, quod sciebat Deo auctore deberi. Quo solo docuit omnes homines non præripiendum regnum, etiam si debeatur, sed expectandum vt suo tempore deferatur. Vtinam hunc virum imitati essent posterit: non tantas bellorum pertulissimus acerbitates. Arguis quod vnum occiderit, non consideras quot docuerit quemadmodum pax orbi Romano perpetua seruarietur. Quam graui adhuc luimus vastitate, quã publico quodam totius orbis funere appetiti, necè regis exoluimus? Hei dira supplicia! Inde adhuc nobis barbarus hostis insultat, dum parata aduersum se in nos arma vertuntur. Sic vires ceciderunt publicæ, sic Romana virtus suis motibus fracta conuenit, dum publico rapitur parricidio, quod paternæ sollicitudinis religione suscipitur. Ideoque eò vsque præcauit, vt cum Adoniam filium regnum sibi usurpare comperisset, & ferere conuentus; non eum qui præripere gestiebat, sed eum qui expectaret eligeret. Saltabat ante arcam potentissimus regum, & cum à propria reprehenderetur vxore quod denudatus esset ante faciem puellarum, respondit: Coram Domino nudabor adhuc, & ero nugax ante oculos tuos, vt honorificetur, inquit, Dominus qui me pro patre tuo adsciuit in regnum. docens contuitum regalis potentie non habendum, vbi religioni exhibetur obsequium. Specta aliud memorabile. Parricida filius regnum patrium violenter inuaserat, cedebar primò pater eius furori, & locum prelij declinabat, vt vel sic impius à furore respiceret. Bello quoque interesse noluit, rogauit ad prælium profecturos vt parcerent. Nec pietatis alienus, qui perire debere etiam impium filium non putabat. Fleuit, & magno luctu deplorauit exitum parricidæ, dicens: Filius meus Abessalon, quis dabit mihi mortem pro te, filius meus Abessalon? Vindicandù putabat eum qui pro paternæ vindicta pietatis occiderat. Quam verò iniuriæ patiens & doloris? Cedebar, vt dixi, filij sui Abessalon furori, vallatus dextera leuãque validis bellatoribus. Maledicebat ei vir cui nomen Semel, cruentum appellans, & virum sanguinis, dignoque iudicio Domini deiectum esse de regno. Sed ne talibus quidem mouebatur conuiciis, mouebantur autem comites eius. Denique vnus ex sociis (Abessa nomen viro) minatus est quod iniuriæ pretium caput eius auferret, sed rex conuersus ad Abessa: Quid mihi, ait, & tibi est fili Saruiz? Ideo maledicit mihi, quoniam Dominus dixit illi vt maledicat. Quam moraliter docuit quod iniuriarum vel periculorum nostrorum tempora, tentationum certamina, & examina probationum sint, & ideo nõ sine diuino ea irrogari solere iudicio? Exercetur bonus athleta conuiciis, exercetur laboribus & periculis,

vt dignus sit cui deferatur corona iustitiæ: & ideo ferenda patienter sunt quæ putantur aduersa. Denique & alibi te docet scriptura diuina, dicente iusto: Si bona accepimus de manu Domini, quæ mala sunt cur non sustineamus? Et addidit sanctus propheta, dicens: Ecce filius meus qui exiuit de ventre meo, querit animam meam. Si autem Iemineus maledicit mihi, dimitte illum vt maledicat, quoniam dixit illi Dominus, vt videat humilitatem meam, & retribuatur mihi Dominus pro maledicto hoc. O altitudo prudentiæ! ò insigne patientiæ! ò deuoranda contumeliæ grande inuentum! Moueris, inquit, Abessa, quod mihi maledicat extraneus, quem parricidio petit filius? Dominus dixit ei vt maledicat mihi. Sed non est maledicus Dominus, nec delectatur contumeliis. Vide quam singula diligenter custodiat. Non accusat Dominum quasi auctorem iniuriæ, sed magis laudat quod patiat nos minora perpeti, vt maiorum veniam peccatorum adipiscamur. Ecce verborum contumelia parricidij leuauit ærumnam, absoluit procacem, cuius maledicta plus profint, quæ diuina remuneratione donantur. Quis secum talem nõ compenset iniuriam, vt quem homo læsit, cum Deus meliorum retributione soletur?

*De pugna Dauid contra progeniem gigantum, & quemadmodum aquam sitiuerit ex lacu Bethleem, quam tamen non biberit. C. A. P. VII.*

Lia quoque eius gesta consideremus. Pugnauit aduersus progeniem gigantum, quando vnus ex illis versantem in prælio regem penè percussit, quos ausus tamen aduersarius exceptæ pretio mortis exoluit. Hoc quoque percepto gentis victæ ferocis triumpho, iterum in valle Titanum bellum immane suscepit, nõ minus aduersus hostem, quam aduersus naturam. Sitiens enim cum versaretur in bello, quod biberet nõ habebat. Quis mihi potum, inquit, dabit de lacu qui est in Bethleem ad portas? Erat autem inter lacum & sanctum Dauid interfectus hostis, & media hostilium septa castrorum. Præciderunt tres viri multitudinem aduersariorum, & impleuerunt aquam de lacu qui erat in Bethleem, & obtulerunt regi bibendam: sed rex noluit bibere, & libauit illam Domino. Dignum etenim tanto munere fuit, vt quæ erat viuidæ virtutis insigne, fieret pietatis sacrificium. Dixitque dignam prophetico spiritu sententiam: Non contingat mihi hoc facere à Domino, ne sanguinem virorum qui abierunt, ex animis illorum bibam. Vicit ergo naturam, vt sitiens non biberet, & exemplum de se præbuit, quo omnis exercitus tolerare sitim disceret. Exercuit etiam subditos ad virtutis officium, vt etiam per pericula regali imperio voluntarij milites obtemperarent. Quod autem noluit bibere, declarauit probandorum militum se imperasse gratia, non sitis victum necessitate, prospexisse etiam ne cui regum bibendi vsus alienis periculis quæreretur. Postremò piæ vulneris conscientie deprecatur, eo quod aqua tot virorum quæsitâ sanguine, suauitatem bibendi habere non posset, quæ propositæ mortis horrore constaret. Quod si altius velis spectare, & introspicere mysterium; sitiebat Dauid non aquam de lacu qui est

est in Bethleem, sed oriundum ex Virgine Christum spiritu præuidebat. Volebat ergo bibere non aquam fluminis, sed potum gratiæ spiritalis: hoc est, non aquarum sitiebat elementum, sed sanguinem Christi. Denique non bibit oblatam aquam, sed Domino libauit, significans sitire se Christi sacrificium, non naturæ fluentum: illud sacrificium in quo esset remissio peccatorum, illum sitire se fontem æternum, non qui periculis quæreretur alienis, sed pericula aliena depelleret. Tot igitur operibus, tam mirandis, vnus sanguinem rectum non credimus. Meritò vox sanguinis Abel iusti clamauit ad Dominum, quia nullis Cain impius bonis operibus tegebatur, quia parricidalis erat, quia non confitebatur flagitium, sed negabat. Dauid verò occiderat quidem virum minimè reum, sed occiderat non studio crudelitatis impulsus, sed vt obumbraret pudorem, tegeret verecundiam conscientie. Non audeo dicere quod vi criminis fuerit oppressus (neque enim oppressus est, qui sciuit quemadmodum à ruina illa peccati se possit leuare) dico tamen quod vi tentationis inflexus sit. Dixerat enim supra: Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos & cor meum. Et alibi: Ego autem dixi in mea abundantia, non mouebor in æternum. & Igne me examinasti, & nõ est inuenta in me iniquitas. Voluit enim cum subiacere Dominus tentationi, ne supra hominem sibi aliquid arrogaret: Nam virtus in infirmitate consumatur. Neque enim cruento fecit affectu: nihil minus sancto prophetæ adscribi potest, qui etiam vita decedens, suprema voce conuenit Salomonem filium, vt innocentem sanguinem à se tolleret, quem fuderat dux eius exercitus Ioab, quãdo Abner, cum de ineunda societate tractaret, dux licet aduersarij agminis, insidias appetitus occubuit, quem fleuit, & post luctum eius ambulans, depositis insulis potestatis, exequiarum iusta curauit. Quo factò, docuit etiam aduersarij fidem promissam esse seruandam, honorandam quoque & in hoste virtutem. Nonne tam miti suæ hereditate pietatis, etiam huius natiuum deterisit erroris? Quam præclarum autè, quod tribus oblatis sibi conditionibus quam vellet eligeret, quando numerato populo contraxit offensam,

cum propositum esset vtrum triennio famem super terram fieri vellet, aut tribus mensibus fugere à facie inimicorum suorum persequentium se, aut tri-duo fieri mortem in terra; tertium elegit, quod Domini se mallet quam hominum committere potestati. Dominus enim citò miseratus ignosceret. Itaque sic ait: Angustiæ sunt mihi valde in his tribus, sed magis incidam in manus Domini (quoniam misericordia Domini magna est valde) quam in manus hominum incidam. Hac humilitate, prudentia, mansuetudine fecit (vt verbis scripturæ vtar) habere Dominum propriæ commotionis poenitentiam. Denique sic scriptum est: Quia poenitentiam habuit Dominus super malitiam. Quam verò illud etiam admirabile, quod angelo ferenti plebem, se obrulit dicens: Grex iste quid fecit? Fiat manus tua in me, & in domum patris mei. Quo factò statim dignus sacrificio iudicatus est, qui absolute æstimabatur indignus. Nec mirum si tali sua oblatione pro populo, peccati sui adeptus est veniam, cum Moyses offerendo se Domino pro plebis errore, etiam plebis peccata deleuerit. Texit igitur peccata sua, an non? Sed quis hoc neget, cum hic ipse docuerit propheta, quod remittantur iniquitates, tegantur peccata, non imputentur à Domino? Peccatum remissum sibi esse docuit, sicut scriptum est: Delictum meum agnosco, & iniustitiam meam non operui. Dixi, pronuntiabo aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Si dixit, Pronuntiabo, & veniam meruit antequam pronuntiaret: quanto magis vbi de se pronuntiauit, dicens: Iniquitatem meam ego agnosco, remissum est ei omne peccatum? Licet specialiter de hoc & Nathan responderit: Et Dominus absulit peccatum tuum. Ergo remissionem meruit iniquitatis, & texit charitate: operuit peccata sua, & texit operibus bonis. Nec imputatum est ei peccatum, quia non fuit in eo dolus malitiæ, sed lapsus erroris. Deinde quia non fuit improbitatis æstus, sed vmbra mysterij. Et tamen confessus est delictum suum, agnouit iniquitatem, vidit lauerum, & vidit, & credidit. Dilexit multum, vt nimia charitate tegere quemuis posset errorem.

#### S. AMBROSII PRIORIS APOLOGIÆ DAVID FINIS.

#### Summarium posterioris Apologiæ Dauid.

*A cap. I. vsque ad cap. III. excusat sanctus Doctor ipsum Dauid apud gentiles, & eos hortatur vt respiciant & conuertantur.*

*In cap. IIII. redarguit Iudeos & hereticos sacram scripturam de filio Dei perperam interpretantes.*

*A cap. V. vsque ad finem libri docet Christianos mysteria quæ sub Dauid peccato latent: & partè Psalmi quinquagesimi mysticè exponit.*

#### Capita posterioris Apologiæ Dauid.

*Dicendorum occasionem proponit, & ad ea rectè intelligenda præparat auditorem.*

Cap. I.

*Quo ordine, & apud quos homines Dauid erratis causam sanctus Doctor sit defensorus explicat.*

Cap. II.

D. iiii



Gentiles monet, ne tam errantem, quam paenitentem David respiciant; quia sicut illud est hominibus peculiare, ita hoc rarum in regibus. Cap. III.

Iudeos perperam credentes, David qui obnoxius fuit peccato, esse filium Dei, redarguit: & prauam quorundam haereticorum de filio Dei interpretationem explodit. Cap. IIII.

Corroborat rationes aduersus Iudeos adductas, & sermonem ad Ecclesiam conuertit. Cap. V.

Ecclesiam docet, cur David, ac plerique alij Dominici generis auctores in errorem labi permisi sint: & ut inde facilius mysteria eruatur, historiam homicidij & adulterij ipsius David recenset. Cap. VI.

Diuino inuocato spiritu incipit detegere mysteria, quae sub David & Bethsabee adulterio, & ipsius partu latent. Cap. VII.

Quid domus regia, in qua deambulat David; quid nudatio & lauatio Bethsabee; quidve quod statim nuda visa amata sit significet declarat. Cap. VIII.

Quod melius est detegi ac nudari cum Ecclesia, quam vestiri & velari cum Synagoga. Cap. IX.

Captata rursus attentione, altius mysterium in adulterio Dauidico latens, nimirum incarnationis uerbi diuini scrutatur. Cap. X.

Ex parabola Nathan de oue, diuite & paupere, elicit allegoriam. Cap. XI.

Rex David ante tribunal diuinae maiestatis confidenter peccatum fatetur, & diuinam implorat misericordiam ob beneficium incarnationis, ac merita passionis Christi. Cap. XII.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, POSTERIORIS APOLOGIAE DAVID LIBER.

Titulus Psalmi quinquagesimi.

Cum ingrederetur Nathan propheta ad David, quando ipse intrauit ad Bethsabee vxorem Vria.

Dicendorum occasionem proponit, & ad ea recte intelligenda praeuat auditorem. CAP. I.

LE ROSQUE Psalmi titulus, quem audistis legi, fortasse offendit: quod uenerit ad David Nathan propheta, cum intrauit ad Bethsabee: simulque non mediocrem scrupulum mouere etiam potuit Euangelij lectio quae decursa est, in quo aduertistis adulteram Christo oblatam, eandemque sine damnatione dimissam. Nam profecto si quis ea auribus accipiat otiosis, in centium erroris incurrit, cum legit sancti viri adulterium, & adulterij abolutionem: humano propemodum diuinoque lapsus exemplo, quod & homo putauerit adulterium esse faciendum, & Deus censuerit adulterium non esse damnandum. Lubrica igitur ad lapsum via vel ueniae, vel concupiscentiae. Accedit illud, quod ipsas faces iuuenilis lasciuiae uidetur accendere; quia adulterium suum non erubuerit, non celauerit, sed quadam diuini carminis praedicatione uulgarit. Quid ergo? tam impudens, tam improuidus sanctus David fuit, ut ipse suum cantaret opprobrium: maxime cum ipse in alio quoque qui hodie decursus est Psalmus, dixerit: Usquequod peccatores Domine, usquequod peccatores gloriabuntur? Alios de peccato gloriari prohibet, & ipse etiam sacro carmine gloriatur? Quomodo ista distinguimus? Esto tamen,

David petulanter errauit, numquid & Christus errauit, ut putemus eum non rectum habuisse iudicium? Bene ergo quasi ad eos David hodie prophetauit, dicens: Intelligite insipientes, & stulti aliquando sapite. Quomodo enim Christus potuit errare? Fas non est, ut hoc ueniat in sensus nostros. Qui plantauit aurem, non audit? aut qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem scientiam? Christus ergo interrogare culpam, & accusationem iustam audire nesciuit? Christus petulantiam potuit approbare? Christus qui corripit gentes, arguendam adulteram non putauit? Christus qui nouit uniuscuiusque cordis interna, & scientiam docet legis; aut falli potuit errato, aut contra legis seriem iudicare? Et quomodo ipse dixit: Non ueni legem soluere, sed adimplere? Christus qui condemnat occulta, potuit dissimulare uulgata? Christus qui fecit tempora, potest nescire tempora? Qui nouit cogitationes hominum uanas, non nouit etiam criminosa? Et ideo satis illis responsum sit, qui cum creatorem negare non possint, negant tamen potentiam creatoris: qui cum sapientiam fateantur, insipientiam asserunt, obiciendo ei imprudentiam futurorum. De quo possemus latius dicere, sed alius propositus nobis uidetur esse tractatus. Et licet diuersarum series decursa sit lectionum, in eandem tamen assertionem proficiunt, & maxime Psalmi titulus & euangelica lectio. Sed quamuis

quamuis conueniat una assertio, tamen iuxta ordinem lectionum fit ordo tractatus: & ideo de titulo Psalmi prius tractandum uidetur.

Quo ordine, & apud quos homines David errantis causam sanctus Doctor sit defensor explicat. CAP. II.

Proposita est historia, quae adulterium habeat & homicidium. Nam ita reperimus in libro scriptum esse Regnorum, quia David rex, cum deambularet in domo sua, lauantiem se Vria uidit uxorem, amauitque illico, & iussit accersiri. Deinde uirum eius innocentem (ut scriptura inducit) bellatoribus obici iussit acerrimis, ut vi opprimeretur hostili. Haec facta sunt, nec negantur, quomodo igitur defenduntur? Bene admonet euangelica lectio, etiam cum peccatum appareat, sobrius tamen debere esse iudicium: ac memor se vnum quemque esse oportere suae conditionis & meriti. Saep enim etiam & in iudicando maius peccatum iudicij est, quam peccati ipsius de quo fuerit iudicatum. Nam si praescriptum est a quibusdam sapientibus mundi, ut in iudicando caueatur ne maior poena quam culpa sit, idque scrutatur: quanto magis id seruandum uidetur, ut unusquisque de alio iudicaturus, de se ipse prius iudicet, ne minora in alio errata condemnet, cum ipse grauiora commiserit? Quis es igitur tu, qui David sanctum uirum iudicas? Gentili dico, Iudaeo dico, Christiano dico: & ideo tripertito mihi distinguendus esse uidetur tractatus, vnus aduersus gentiles, alius aduersus Iudaeos, tertius apud Christianos.

Gentiles monet, ne tam errantem, quam paenitentem David respiciant, quia sicut illud est hominibus peculiare, ita hoc rarum in regibus. CAP. III.

Primus ergo aduersus gentiles mihi sermo est, qui plerumque obiectione consuerit: Ecce quomodo Christiani innocentiam sequuntur, fidem praeferrunt, religionem uenerantur, castitatem docent, quorum principes & homicidia & adulteria fecisse produntur. Ipse David, de cuius semine, dicitis, nati Christi elegit, homicidia sua & adulteria decantauit. Et quales possunt esse discipuli, quorum tales magistri sunt? Quid igitur? Negamus factum, an repudiamus magistrum? Nihil horum. Sed qui speciem obicit, communitatem consideret. Species facti est, communitas naturae. Nihil ergo mirum si intra generalitatem species est. Agnosco enim hominem fuisse David, & nihil mirum: agnosco commune, ut homo peccet. Nec enim noua infirmitas conditionis humana; immo magis mirum uidetur si homo peccato carcat, quam si in peccatum incidat. Fecit igitur peccatum sanctus David, nullo ambiguo uos tenebo, fecit adulterium, commentus est homicidium, & commentus est & peregit. Peccauit, quod solent reges: sed poenitentiam gessit & fleuit, quod non solent reges. Rogauit ueniam, non arrogans potestatis, sed infirmitatis suae conscius: prostratus in terram cilicio se operuit, oblitus imperij, memor culpa. Quem mihi tu huiusmodi reperias uirum, qui in potestate constitutus non magis peccata sua diligat, culpam

praedicet, crimina defendat: qui putet sibi quod non deceat non licere, qui se legibus obstringat suis: & quod per iustitiam non licet, nec per potestatem licere agnoscat? Non enim soluit potestas iustitiam, sed iustitia potestatem. Nec legibus rex solutus est: sed si peccat, leges suo soluit exemplo. An fieri potest, ut qui de aliis iudicat, suo ipse sit liber iudicio: & in se suscipiat, in quo & alios adstringat? Bonus ergo David: & multo admirabilior qui potestatem uicit, quam qui amorem. Castitas enim corpori nonnumquam deserit, frequenter errori potestas Deo subditur: & facilius reperias qui se in amore cohibeat, quam in potestate moderetur. Non ergo ignoscis quod minus est, in quo maiora miraris: Lubrica in omnibus hominibus & proma natura peccandi: lubrica etiam in bonis moribus licentia potestatis, & oblatio facultatis. Non enim distat ira regis ab ira leonis: & qui stimulat illum & admiscetur, peccat in animam suam. Caue ergo ne stimulet aliquis potestatem, ne castibus anima irretita corporeis, uitio se non possit exuere. Non ergo mirum, si etiam David specie lapsus est potestatis: sed multo amplius admirandum, quod fidei contemplatione reuocatur. Videtis igitur quod potestas haec secularis frequenter nihil proficit, & plerumque obstat. Saep enim culpa exitus, in auctoritate est potestatis. Noli igitur tu quicumque es rex, de potentia & facultate praesumere. Cor enim regis in manu Domini. Noli tibi de populorum subiectione blandiri; quia non saluabitur rex per multam uirtutem, nec gigas saluus erit in multitudine uirtutis suae. Non enim in altis tabernaculorum fastigijs, pretiosaque tectorum culmine, sed super timentibus eum benedictum est Domino, & in eis qui sperant super misericordia eius. Lubricam igitur uideamus ad uitia potestatem, nec tamen semper inflexam dixerim: quoniam regali potestate sublimem & David legitimum cultus auxisse diuinos, & Salomonem templum Deo consecrasset. Nunc illud quod perstrinximus afferamus; facultatem imperandi, in centium esse peccandi: & secundum historiae seriem profequamur. Non adulterasset David alieni ius tori, & foederati pacta coniugij, nisi nudam & lauantiem mulierem de domus suae interioribus uidisset. Et ideo bene scriptum est: Non intendas in mulieris speciem: & non concupiscas mulierem. Et alibi: Ad omnes irreuerentes oculos caue: nihil de continentia tua & uirtute praesumas. Etenim fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnosceretur: & ideo causam primo peccati fuge. Nemo enim diu fortis est. Neque fragili tantum, sed omni homini dicitur: Non te vincat concupiscentia formae: si non vis uinci, non congregiare peccatis, ne de te uicia coronentur: neque capiaris oculis, neque abripiaris palpebris. Vilis tibi mulier uideatur ad pretium, sed fortis ad uitium; quia uirorum pretiosas animas capit. Difficile est itaque, ut quisquam libidinis irretitus illecebris, immunis euadat. Nec mea tantum hoc sententia difficile iudicatur, sed etiam sancti Salomonis Prouerbijs impossibile iudicatum est, qui suo ductus exemplo ait: Ligabit quis ignem in sinu, uerimenta non comburet: uel ambulabit quis super carbones ignis, pe-

Ioan. 8.

Psal. 93.

1 Reg. 11.

Deut. 25.

Rom. 2.

Mat. 7.

Ibidem.

1 Cor. 4.

Mat. 5.

Rom. 2.

Iob 24.

Psal. 93.

Rom. 1.

1 Paral. 6.

2 Reg. 11.

2 Reg. 12.

Rom. 2.

Genes. 8.

Prouer. 19.

Prouer. 20.

Prou. 21.

Psal. 32.

Ibidem.

1 Paral. 27.

2 Paral. 6.

2 Reg. 11.

Eccles. 25.

Eccles. 26.

Ibidem.

Prouer. 6.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

des autem non comburet? Caue ergo & tu, ne intra finum tuæ mentis ignem libidinis & amorem accendas: ne corporeum vestimentum illo animi consumatur incendio, ac perpetuitatem resurrectionis amittas: vel certè vestigium tuæ mentis vratur, si per libidinum faces tibi putaueris esse gradiendū. Nam qui vitur corde, cõburitur corpore. Omnibus igitur modis lasciuæ mulieris vitandus occurfus est. Et ideo prudentiam, inquit, adquire tibi amicam, vt te custodiat ab vxore aliena & fornicatiã: ne te laqueis labiorum fuorum teneat obligatum, & crinicalis erroris inuoluat. Itaque vnde debeas cauere meretricem, Propheta te docuit: vt à fenestra caueas eius ingressus. A fenestra enim domus suæ intrat. Fenestra eius, est oculus: & ideo ad omnes irreuerentes oculos caue, ne per fenestram introcat amor, libido penetret. Etenim mulier fornicariã inlicitu visu amatorem: & nisi petulantem obrutum mentis animique compescas, mors ingreditur per fenestram. Nõ est desidiõsa petulantia meretricis, non otiosa lasciuia: quæ facit iuuenem volare corda, vt propriæ mentis nequeant tenere constantiam, & huc atque illuc feruido amore rapiantur. Caue ergo huiuscemodi mulierem, quæ pedibus non quiescit, foris errat, insidiatur per angulos, oculis ligat, verbis inlicit, inlicitis lectum intexit suum, & tapetis ab Ægypto stratis. Neque enim de cogitatione diuina, sed de sæculari illecebra assumit ornatum: quæ merito virum suum dicit absentem, quoniam non potest ad altera omnis Christum habere præsentem. Vides igitur quantis retribus etiam sanctorum corda capiuntur? & ideo ne mireris, si etiam sanctus Dauid captus est. Vir quidem magnus, & qui allophylum immanem corpore, armis quoque bellicis inhorrentem, fide vicerit: sed vtinã se ipse vicisset, vtinã sic illum aduersarium strauit, sic interiorẽ aduersarium suum sternere ac superare potuisset. Grauior est pugna eius qui intus, quàm illius qui foris dimicat. Sed quid de solo Dauid loquor? Accersamus etiam alios ad tractatum huiusmodi, ne imbecillitatem Dauid magis, vnus scilicet hominis putemus, quàm naturæ conditionis fuisse infirmitatem. Samson validus & fortis leonem suffocauit: sed amore suum suffocare non potuit. Vincula soluit hostium: sed suarum nõ soluit nexus cupiditatum. Messes incendit alienas: & vnus ipse mulieris accensus igniculo, messem suæ virtutis amisit. Salomon templum Deo cõdidit: sed vtinã corporis sui templum ipse seruasset. Verum ad ipsum à quo discessit, reuertatur oratio. Triumphauit Dauid in decem milibus, sed errauit in viginti & amplius milibus: & quia errauit, hominem se esse cognouit, confessus est culpam, veniam deprecatus est, dicens ad Dominum: Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripas me. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Si Dauid infirmus, tu fortis? Si Salomon lapsus est, tu immobilis? Si Paulus primus peccatorum, tu potes primus esse sanctorum? Ergo si errauerunt iusti, errauerunt tamquam homines: sed peccatum suum tanquam iusti agnouerunt. Si iusti pœnæ atrocioris exceperunt sententiam, tu quemadmodum tibi spẽ impunitatis proponis, cum scriptura dicat: Si iustus vix saluus fit, peccator & impius vbi pare-

bit: Aduertitis ergo, quàm plerumque etiã bonum propositum subruat causa peccandi: & ideo causas ipsas primò fugere & vitare debetis. Non vis amore capi? noli in speciem mulieris intendere: quia oculi tui cum viderint alienam, os tuum loquetur peruersa, & iacebis tamquam in corde maris, & sicut gubernator in magno turbine. Magnam enim faciunt tempestatem multitudines cupiditatum: quæ velut in quodam freto corporis nauigantem hinc atque inde perturbant, vt gubernator sui animus esse non possit, die ac nocte caliginem amoris ignorans. Oculis igitur excitatur libido, sed ebrietate succenditur. Omnis enim ebriosus & fornicator, pauper fiet. Nec tibi de potentia blandiaris potandi. Noe ebrius est, & qui non inebriatus est diluuiio, inebriatus est vino. Sed ille naturam vini ignorabat (non enim antè potauerat) tu in illo didicisti cauere quid debeas. Lot per somnum deceptus est: & tu si non vis decipi, somnum mentis tuæ discute, ne ebrio illudat filius aut filia dormienti. Non pietas illic, sed ebrietas ridetur: nec pater illic, sed dormiens circumscribitur. Vis non aduri? noli ad ignè accedere. Vis non præcipitari? nutantia fuge, prærupta euita, caue caduca, declina labantia. Vides igitur in illis qui iusti esse meruerunt, non alteram fuisse naturam, sed alteram disciplinam. Post primi namque hominis lapsus, iustamque sententiã, cum in vnò carnis damnatus sit appetitus, vitium traxit conditio, infecit culpa naturam, sed naturæ ipsius vitium fides temperauit, & deuotionis intentio mitigauit offensam. Conuertimini igitur ad Dominum gentes, scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos. Scitote quoniam caro sumus & puluis. Relinquamus ergo quæ fecimus: & ipsum nostri veneremur auctorem, qui vitam dedit, peccata donauit, qui solus potest dicere: Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates vestras, & memor nõ ero. Magnus planè & misericors Deus, qui beneficium confert, nec beneficij munus exprobrat. Miramini quòd Dauid regem fecit, victoremque multarum gentium? Sic seruos suos consuevit euehere. Non avarus munerum, nec beneficij parcus, nec gratiæ angustus & frugi: sed opulens largitatis, quos redemit à peccato, auget in præmio. Hæc aduersum gentiles.

*Iudæos perperam credentes Dauid qui obnoxius fuit peccato, esse filium Dei, redarguit: & prauã quorundam hæreticorum de filio Dei interpretationẽ explodit. CAP. IIII.*

**E**T quoniam tripertitam diuisionem tractatus huius polliciti sumus, vnã aduersus gentiles, aliam aduersus Iudæos, tertiam apud Ecclesiã: nunc contra Iudæos videtur esse tractandũ. Quid igitur nobis propositum sit recensamus. Titulus, *In finem Psalms Dauid, cum ingrederetur ad eum Nathan propheta, quando intravit ad Bethsabee.* Nempe historia hæc & adulterum Dauid inducit & homicidam, & huc vos Iudæi dicitis esse Dei filium? Sed Deus, Deus virtutum est, non criminum. Et de hoc dicit Deus pater: Thronus eius sicut dies cæli. Qui dolum fecerit, peccata non vicerit, quomodo dicitur filius Dei, quia scriptũ est: Nemo sine peccato, nisi vnus Deus? Si igitur non potest non esse Deus qui Dei filius est, vtique

vtique Dei filius, arbiter iustitiæ, non est obnoxius culpæ. Qua autè opinione vel Dauid Dei filium iudicatis, vel Salomonem putatis? An quia scriptum est: Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis? & quia titulus Psalms septuagesimiprimi in Salomonem dicitur esse compositus? Sed quem Salomonem dicat aduertite. Salomon enim pacificus est: hoc habet interpretatio. Psalmus in eum dicitur, quem verè scimus esse pacis auctorem. Quomodo autem Salomõ pacificus? Non hoc Ioab sanguis ostēdit, quem inter altaria templi iussit occidi: non Adoniã pœna, quem affectatæ affinitatis regiã reũ percussit, nec matris obsecratione ab indignatione reuocatus. Quomodo autem in Salomonem Dauid filium existimatis conuenire quod scriptum est: Quia permanebit cum sole & ante lunam in sæcula sæculorum, cum ille breuis vitæ adeptus vsuram, angustis terminis viuendi spatium transegerit? Quomodo autè de eo dicitur: Dominabitur à mari vsque ad mare, cum ille intra Syriam constitutus, hoc est, intra vnus regionis prouinciã, circumscriptos fines habuerit imperij: solus autem Christus vsque in orbis totius terminos suũ propagarit imperium? Solus enim iste est, de quo bene Psalms series prophetauit, quia reges Arabum & Saba dona adducunt: & adorabunt eam omnes reges terræ, omnes gentes seruiet ei. Hunc enim nouimus gentibus vnuerfis & nationibus imperantem: in circumscripto imperio, intermina potestate. Non ergo Salomon Dei filius. Sed qua ratione cum Dei filium putauistis? An quia sapiens fuit? Sed hic sapientiam postulauit, vt quam non habebat, acciperet: Christus ipse sapientia est, naturaliter in vnuerfum habens quod in rebus humanis Salomon accepit per gratiam. Denique quod accipitur ex tẽpore, in tẽpore possidetur. Salomon enim sapiẽtiã nec principio sui habuit, nec in fine possedit. Neque enim habere se credidit quod poposcit: & postea auersus à Dei cultu, non quasi sapiens, sed quasi insipiens lapsus est, vt offenderet. Offendit in tantum, vt etiam quod meruerat amitteret. Cur igitur huc Dei filium credidistis? An quia templum Deo condidit? Sed hinc Dominum & Deum non esse credere debuistis, quia scriptum est: Nisi Dominus ædificauerit sibi domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. In vanum laborauit, qui ædificauit id templum, quod subiectus ignis exussit. An quia Dauid patri ipsius dictum est: Non tu ædificabis mihi domum: sed cum tu dormieris, excitabo semen tuum post te? Verum ibi quoque templum nõ corporale, non materiale promittitur (neque enim Deus in manufactis habitat) sed templum est sancta Ecclesia, quæ vtique nõ humana sed cælesti virtute fundatur. Nam si præstantior licet, sed humanæ tamen virtutis opera miremur, multos huiuscemodi reperiemus, quos cū Dauid & Salomone cõparare possumus. Et ideo vbi operis æqualitas est, non est excellẽtia potestatis. Nec plures possumus dicere Dei filios, cum vnus Dei filium legerimus, sed non ex beneficiis suis quæ in parentes nostros contulit, faciendã est iniuria Dei filio. Multi enim præclari viri: sed per vnus Iesum Naue stetit sol contra Gabaon. Videtis eum vltra Dauid regis processisse virtutem. Terre-

nis enim Dauid, non sideribus imperauit. Videtis etiam solem ministrum esse, nõ dominum, qui etiam voci seruerit humanæ. Stetit tamen: quia in Iesu & typum futuri agnoscebat, & nomen. Neque enim in sua virtute Iesu Naue, sed in Christi mysterio cælestibus luminibus imperabat. Designabatur enim Dei filium in hoc sæculum esse venturum, qui mundani luminis concidentis & iam vergentis in tenebras, virtute diuina differret occasum, lucem redderet, inueheret claritatem. Enoch quoque raptus est ad cælum: sed tamen ille raptus est, hic regressus. Raptus est ille, ne malitia mutaret cor eius: ipsam malitiam sæculi hic aboleuit. Elias currũ atque equis ascendit ad cælum, Christus autem descendit è cælo: nec currũ & equis, vt ille, conscendit: quia ille aliter nequiuit, hic autem propria virtute remeauit. Elias factus in Iordane leprosum lauare præcepit, vt ab omni contagio mūdaretur: hic in Iordane totum diluit mūdum. Moyses ipse cui crediti sunt populi Iudæorũ, aquam diuisit: & ille quidem diuisit elementa, quia non diuisit potentiam Trinitatis. Separauit moles aquarum, quia patrem non separauit à filio. Videtis quanti viri, & qualium documenta operum dereliquerint. Quemadmodum igitur quos pares Dauid regi vel Salomoni virtute cognoscitis, conditione impares iudicatis, vt Salomonem Dauid filium putetis ad Dei sedere dexterã? præsertim cum ipse Dauid euidenter de quo dictum esset, expresserit. Neque enim de filio suo diceret: Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam. Quomodo enim filium suum dominum nominaret? Lex prohibet, repugnat religio, abhorret fides: vt ad dexterã Dei omnipotentis mortalem hominem loces. Alius est ille qui sedet ad dexteram, qui corpus suscepit, non qui cõpõit à corpore: qui ante luciferum genitus est, id est, ante omnium luminum claritatem: quoniam ipse creauit variorum luminum dignitates. Nam Salomon vtique post luciferum est, Salomon sacerdos non fuit: & ideo dici ei à Domino omnipotente non potuit: Ex vtero ante luciferum genui te. Dicit ei non potuit: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec: maxime cum illo tempore quo Salomon fuit, secundum ordinem Aaron, non secundum ordinem Melchisedec, fuerint sacerdotes. Adhuc enim sacerdotes sanguinem hircorum atque taurorum pro peccatis plebis & erroribus offerebant. Postea verò quàm Christus aduenit, qui semetipsum pro salute obtulit mundi (vt quos taurorum sanguis lauare non poterat, Christi sanguis ablueret) semetipsum offerre pro hostiis sacerdotes. Itaque vna quæstione Dominus noster Iesus Christus omnium hæreticorum ora sepsit, sacrilegia conclusit. Non solum enim Iudæos, sed etiam Photinianos, & Arianos, & Sabellianos hac redarguit quæstione: & ideo nobis (quoniam Iudæos defecisse iam cernimus, & illã execrabilem perfidiam imminutã) iam de Arianis, qui non multum à Iudæis differunt, Photiniansque & Sabellianis, aliqua in istius quæstionis tractatũ perstringenda sunt. Taceat ergo Photinus, qui Christum Dauid filium, non Dei dicit: & taceat, damnatus voce cælesti. Quomodo enim dicit Christũ filium Dauid esse, cū ipse Dauid dixerit in libro Psalms: &

*Prouer. 7.*

*Hiere. 9.*

*Prout. 26. Hier. 9. Prout. 7. Ibidem.*

*1. Cor. 7.*

*Eccli. 4.7.*

*Iudic. 14.*

*Iudic. 16. Iudic. 15.*

*3. Reg. 8.*

*1. Reg. 18.*

*Psal. 6.*

*3. Reg. 11. 1. Tim. 1.*

*1. Petr. 4.*

*Prouer. 5. Prouer. 23.*

*Ibidem. Genes. 9.*

*Genes. 19.*

*Genes. 3. Psal. 99.*

*Genes. 3.*

*Esai. 43.*

*3. Reg. 11. 3. Reg. 8.*

*Psal. 126.*

*1. Reg. 25. 2. Paral. 36. 2. Reg. 7.*

*Mat. 17.*

*Psal. 50.*

*Psal. 79.*

*Psal. 88.*

*Luci. 18.*

*Iosue 10. Eccli. 46. Deut. 4. Iosue 10.*

*Genes. 5. Eccli. 44. Sap. 4.*

*4. Reg. 2. Eccli. 44. 4. Reg. 5.*

*Exod. 14.*

*Psal. 109. Math. 22.*

*Ibidem.*

*Heb. 7. Leuit. 16.*

*Heb. 5.*

*Psal.* 109. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: Si David, inquit, Dominum illum vocat, quomodo filius est? Non ergo David filius, sed Dei filius Christus. Taceat etià Sabellianus; & cum legit Dominum Domino dixisse, intelligat non eundem & ipsum esse, qui dicit, & cui dicitur. Nec enim sibi pater dixit: Sede à dextris meis; nec sibi dixit: Ponam inimicos tuos. & aliquando intelligat omnes, filiū esse qui à dextris sedet: & hanc distinctionem inter patrem filiūque custodiant, vt sit distinctio patris & filij; quòd alius pater, alius filius: quia vna in sede, vna maiestate potiuntur: & sedent, non pro discerniculo dignitatis, nec pro ordine potestatis, sed pro copula charitatis: in quo vnam patris & filij intelligent potestatem, in quo & Arius conticecat, qui contraria Sabellio erroris vrget vestigia. Audiat Dominum Domino dicere, audiat ad dexteram patris filium sedere: & desinat de sermone atque ordine hominum diuinitati facere quæstionem. Nec argumetur hic, quia pater dicit, Sede: legimus enim & alibi, etiam sine patris dicto, sedere filium, sicut scriptum est: Et sedet à dextris Dei. Et alibi: Amodo videbitis filium hominis sedentē ad dexteram Dei. Ipse est enim cui dicitur, Sede. Qui filius hominis nominatur, audit quasi homo, Sede: sedet verò quasi Dei filius. Quid hac potest dici præcellentius potestate, quæ etiam carnem hominis ad dexteram Dei collocauit? & infirmum illud conditionis humanæ (postquam tamen verbum caro factum est) diuinitati copulauit æternæ? Sed quid hoc est? Postquam Photinus obmutuit, Arius conticuit, Sabellius vocē perdidit, adhuc tamen hæreses diuersa contra Ecclesiam exerentes ora conspicio. Nam ecce Manichæus, & Valentinianus, & omnis deriuatio Manichæorum eo telo nititur, quo alij sunt perempti: & fidei prejudicium, fidei testificatione molitur. Ait enim detestanda hæresis: Ecce negauit Christus filium se esse David: & ideo, inquit, credendum est quòd non suscepit carnem. Quibus apertissimè, in ipso principio Euangelij, scriptura respondet, cum dicit: Liber generationis Iesu Christi filij David. Cur igitur aut alibi David filius dicitur, aut alibi David filius negatur: nisi vt intelligas aliud esse, secundum substantiam diuinam, fidei esse filium, aliud secundum carnis susceptionem? Nam secundum substantiam diuinam, Dei filius est: secundum carnem, filius David. Itaque vbi generatio secundum carnem describitur Saluatoris, David filius nominatur: vbi verò plenitudo confessionis exigitur (cum designatur generatio Saluatoris) non vult se David filium, sed Dei nominari. Designatio enim maiestatis, eius naturam interpretatur. Sed iam redargutis scæuis interpretationibus, ad Ecclesiam sermo vertendus est.

*Corroborat rationes aduersus Iudeos adductas, & sermonem ad Ecclesiam conuertit. CAP. V.*

**V**erum quòd sæpe titulum quinquagesimi Psalmi repetimus, non præsumptionis, sed infirmitatis exemplum est. Vno enim die vel per angustias ingenij, vel per fragilitatem vocis omnē seriem non possum explere tractatus. Et ideo die superiori ad-

uersus Iudeos noster sermo directus est, quos quidē eousque documenta fidei subegerūt, vt Christus in caelesti solio locaretur: quod vtique in hominem nō potest conuenire. Neque enim alium nisi Dei filium ad dexteram Dei sedere, credendū est. Non alius vtique nobis sedere ad dexteram patris nisi Dei filius (remotis omnibus ambiguis) æstimādus est. Rursus quoniam scriptura habet: Ex fructu ventris tui ponā super sedem tuam: idem vtique Dei filius carnē ex Maria suscepisse credēdus est, in qua prophetici fructus est ventris: vt verē successionem originis recognoscas, illumque Dei filium (factū postea filium hominis per susceptionē carnis) in patris throno caelestis sedere non dubites. Neque enim Christus sedē aliquam regalē hoc habuit in sæculo: vt putares aliā sedem David semini esse promissam, cum ipse maxime dixerit Dominus: Regnū meum non est de hoc mundo. Conclusi itaque vndique, eò perfidia suæ tentamenta deriuant, vt incredibile esse asserant, quòd Deus suscepit carnem. Qua ratione autem non potuerit suscipere, explicare nō possunt. Quæro enim, vtrum impossibilitatis an iniuriæ causa existiment, carnem à Deo suscipi nequiuisse. Si impossibilitatis, aliquid ergo impossibile Deo. Nihil verò est quod facere voluerit, & facere nequiuert. Superest ergo vt aut voluisse aut noluisse doceatur. Quod autem maius indicium voluntatis, quam quod ipse dixit: Palam apparui non quærentibus me, expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentē? Si ergo voluit & potuit, an putamus eum causā iniuriæ noluisse? Et quam diuinitas suisentit iniuriam? Expers enim est contumeliæ, neque subiecta nostris est passionibus. Neque enim caro vel detrimentum diuinitati afferre potuit vel augmentum. Qui tamē hoc obiciunt, quòd Dei filius carnē suscipere non potuerit? Si gentiles, cur deos suos humana specie visos esse testantur? An rex eorum, quē illi suis diis omnibus anteponunt, prodigiales formas potuit pro amore suscipere: Christus carnem hominis, quem ad imaginem sui fecit, atque illud præstantissimum opus suum suscipere pro mundi salute non potuit? & pulchrius illis videtur, propter adulterium alieni tori, quam propter redemptionem omnium speciem carnis assumpit? Quòd si Iudæus hoc obicit, quomodo legit: Ecce Virgo accipiet in vtero, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: quod est interpretatum, Nobiscum Deus? Quomodo legit: Ecce qui loquebar adsum? Quomodo autem lectum asserit: Ecce sicut panthera & sicut vrsus aporiatu occurram eis? Dei ergo filius carnem suscipere non potuit pro redemptione omnium, cum ipsi negare non possint, quòd pro nostrorum supplicio peccatorum, affectum quandam Deus ferinæ crudelitatis induerit: vt qui natura pius est & misericors, nostrorum tamen scelorum atrocitate commotus, assumat etiam quandam feruitiam bestiarum? Sed iam quia & superiore die & hodie Iudæis satis responsum arbitror: apud vos mihi fratres dilectissimi, prophetici facti ratio præstantanda est. Etenim cum primum legeretur hic Psalmi titulus, quòd venerit Nathan ad David, cum intrauit ad Bethabec, diximus plurimos serie historiarum huius offendi, & ideo tractatum eius adsumpsimus tripertitum.

*S. Aug. lib. 6. Confess. cap. 3. Ephes. 1. Heb. 1. Psal. 131. Rom. 1. Ephes. 1. Ioh. 18. Psal. 134. Esai. 67. Rom. 10. Num. 23. Genes. 1. Esai. 7. Matth. 23. Esai. 57. Osai. 13. Rom. 5.*

tripertitum. Diuisionemque tractatus ita putauimus esse faciendam, vt apud gentiles lapsus conditionis nō negaretur, correctio erroris adstrueretur: apud Iudæos autē ideo lapsus esse sanctum David doceremus, ne amplius perfidia claudicaret, eumque vel Dei filiū desinere credere, quem viderent cōmuni conditione obnoxium fuisse peccato: Christiani verò, surgentis Ecclesiarum mysteria possint aduertere. Tripertita ergo diuisio facta est: vna secundum naturam, alia secundum fidem, tertia secundum gratiā: nec infirmitas excludit à venia, & fides excusat à culpa: gratiam quoque promissam iam dudum sacramenta conciliant.

*Ecclesiam docet, cur David ac plerique alij Dominici generis auctores in errorem labi permisi sint: & vt inde facilius mysteria eruatur, historiam homicidij & adulterij ipsius David recenset. CAP. VI.*

**P**eccauit David, ne totus mundus erraret: peccauit sibi, vt nobis omnibus emendaret: postremò peccauit in corpus suum ( qui enim fornicatur, in corpus suum peccat) peccauit in corpus suum, vt in Christi corpore redimeretur. Ecce quem vix defendendum putabamus, iam cernimus prædicandum. Quis enim est qui nolit diuinam in se magis munera, quam humana opera prædicari? Arbitramur enim secundum Apostolum, iustificari hominem per fidē sine operibus legis. Iustificetur ergo ex fide David, qui per legem peccatum agnouit, sed peccati veniam ex fide credidit. Iustificetur David, quia in peccato eius surrectura Ecclesiarum mysteria refulerunt. Dicit aliquis, qua ratione & adulteriū & parricidij commiserit, Dominici generis auctor electus à Deo? At ego aliud dico: Talis auctor Dominici fuit corporis eligendus. Quid est enim corporatio, nisi remissio peccatorum? Et ideo exors peccati esse non potuit, vt diuinam gratiam & exemplo præferret & nuntio. Denique ea dispositione Bethabec & Thamar inter auctores Dominici generis cōputantur: quarum altera adulterium fecit, altera commisit incestum. Ea dispositione & Achab & Iechonias (sicut Matthæus Euangelista descripsit) adnumeratur maioribus Christi: vt omnes homines redēpturus, beneficium à suis maioribus inchoaret: simul ne qui se subiecit vsque ad corporis passionem, nobilitatem captasse immaculatæ originis videretur. Hominum enim ista iactantia est, nō alienam gloriam sed suam quærere: & tamē inter ipsos homines maior virtutis quam nobilitatis est gratia. Simul edendum exemplum fuit, vt intelligeret omnes, maiorū probra non posse posteris esse dedecori: quòdque vnusquisque successionis maculam propria merito posset abolere virtutis. Vides quantos & quàm grauius criminosos Dominicæ generationis series cōprehendat: de quorum origine propter te nasci Christus non erubuit? Et hæc si credas, diuinæ misericordiarum munera sunt: & hoc caelestis insigne est potestatis. Superabundauit enim peccatis, vt superabundaret gratia. Non fuit igitur David exceptus à culpa, vt esset electus ad gratiam. Sed iam mysteria ipsius recenseamus historia, & ex ipsis scripturarum fontibus hauriamus: atque vt omnem seriem mysteriorum introspicere possimus, textum ipsius repetamus. S. Ambr. tom. I.

mus historia: Sic nempe in libro Regnorum meminimus expressum, quòd David cum lauantiem vidisset Bethabec Vriam vxorem, adamauerit: deinde domum venire præceperit, cum absens esset vir mulieris. Non multo post maritum eius regressum esse, nuntiantem euentum belli, religiosum sanē & deuotum virum, qui belli tempore non putauerit sibi ingrediendam domum, cum socios bello videret intentos, nec domesticis in tabernaculis, sed in præliaribus tentoriis excubantes. Postea iussu David in bella reuocatum, sub ea præceptione, vt obiceretur aduersariis bellatoribus, quòd morte viri liberam copiam potendiæ mulieris rex haberet. Et hic nonnulla est peccati verecundia, & pudor culpæ, quòd latebram quæ fuit erroris: & iniustæ necis nec auctōritatem sibi iure regiarum potestatis assumpsit, sed inuidiam declinauit. Culpam fateor: sed tolerabilior est quæ premitur verecundia, quam quæ infolentia prædicatur. Mortuus est igitur Vriam, bellatoribus obiectus, sed postea iidem qui eum peremerant, iussu David (expugnata vrbe) sunt interempti. Hæc est historia series, in qua profunda licet spectare mysteria.

*Diuino inuocato spiritu incipit detegere mysteria, quæ sub David & Bethabec adulterio, & ipsius partu latent. CAP. VII.*

**E**T quoniam David non defendendū (neque enim meo eget auxilio) sed excusandum receperimus, vel potius prædicandum; ne in tanto mysteriorum profundo vacille, iustum est vt eius ore vtatur, cuius vtor historia. Vtor ergo responsorio prophetico, dicens: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Nemo enim sine Spiritu sancti infusione, tanta diuini recessus potest spectare mysteria. Etenim si ille rātus propheta, Spiritus sancti perit sibi munus infundi, quid facere infirmus debeo, quum præsertim Apostolus sanctus populi quoque se putet precibus adiuuari, vt aperiat ei ostium ad loquendum mysterium verbis? O si mihi ostium illud Christus dignetur aperire! Pulsemus tamen. Solet enim exaudire pulsantes, quia ipse dixit: Pulsate, & aperiet vobis. O si mihi ipse referet, quia Christus est ianua: ipse intus, ipse extra, ipse via quæ ducit, ipse vita ad quā contēdimus peruenire! Veni ergo Domine Iesu, & aperi nobis fontes tuos, vt bibamus de aqua, quam qui bibit, non sitiet in æternum. Vel si de fonte adhuc tuo haurire non possumus, dignare concedere vt de puteo saltem haurire possimus, vnde potum Samaritanæ illi adhuc dubitanti polliceris. Et tu quidem de fonte omnibus polliceris, sed dubitantibus, vt illi Samaritanæ, fons tuus adhuc altus est puteus. Bibamus & nos aquam caelestium secretorum. Et quoniam ad fontem tuum meruimus peruenire, liceat nobis imaginem saltem mysteriorum videre caelestium. Itaque nisi fallor, per prophetam Spiritum sanctum intelligimus: per adulteram autem, licet synagogæ fornicationes varias æstimare. Et ideo multo antecernimus reuelatum ex Spiritu sancto, ex familia Iudæorum (quorum patres, & ex quibus Christus secūdū carnem) Dominum Iesum esse generandum, qui quidē quasi Iudæus ex adultera familia natus est, sed

*Lib. 1. de sacrament. cap. vii.*

*Gen. 49. Rom. 9.*



Rem. 7.

2. Reg. 11.  
2. Reg. 12.

Ibid.

2. Reg. 11.

Ephes. 4.

1. Paral. 22.

Philip. 2.

Ibid.

Ioan. 15.

Matth. 11.

Psal. 88.  
Ibid.

2. Reg. 11.

Ioan. 14.

quasi immaculatus ex Virgine. Erat sub lege, erat quasi sub viro familia Iudæorum. Abolenda fuit legis obseruantia, vt veritas substitueretur & gratia. Habemus vñ mysteriū, accipite & aliud: ita tamē, vt memineritis ex prima conceptione Bethsabæ natum esse paruulum qui mortuus est, postea natum esse Salomonem. Illum paruulum, ex conceptione furtiuā: istum verò Salomonem, iam ex professione coniugij. Liqueat igitur per Dauid intelligi prophetam; per prophetam populum propheticū, ex quo & synagoga. Primus ille qui natus est (quoniam degenērauerat à maioribus suis per flagitia formatus, & per vitia concretus populus Iudæorū) ad resurrectionis eternitatem peruenire nō potuit, nec in virum perfectum crescere, sed in exigua sensuum paruitate, & quadam virtutis defecit infantia. At verò ille qui postea ex legitima cōceptus est copula, populus Christianus, ille sapiens atq; pacificus (hoc enim Salomonis interpretatione referatur) ad incanam longæuæ resurrectionis ætatem, atque ad regnum illud cæleste peruenit. Per illum autem populum lex soluta, per istum gratia reformata est. Accipite etiā tertium mysterium. Quod Dauid Hebræi dicunt, Latini humiliatum interpretantur. Quis est autem verè humiliatus, nisi ille qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed formā serui accipiens humiliavit semetipsum, factus obediens vsque ad mortē? Hic igitur est qui significatur Dauid, excelsus per naturam, sed humiliatus per misericordiam: sublimis in diuinitate, sed mitis in corpore. Itaque vbi humiliatus, ibi obediens. Ex eo enim nascitur obedientia, ex quo humilitas, & in eo definit. Quum enim obediens dicitur factus vsque ad mortem (mors autem nō diuinitatis, sed corporis fuit) nō vtique obediētia diuinitatis fuit illa, sed corporis: nec humilitas maiestatis illa, sed carnis. Itaque quantum ad susceptionem corporis spectat, apostolica lectio, in quo Christi fuerit humilitas declarauit: quod verò ad naturam spectat diuinitatis, euangelica lectio referauit: quam pio prosequuti estis assensu, cum audiretis legi, dicente Dei filio: Ego & pater vnum sumus. Vnum enim diuinitate sunt filius & pater: sed non vnum sunt, corporis sacramentum, & diuinitatis eternitas. Nec solus tamen Apostolus humiliarum dixit esse Dominū, sed ipse quoque se humilem esse memorauit, dicens: Quoniā mitis sum & humilis corde. Et tamen non sola interpretatione, sed etiā manifesta appellatione signatum est, quia scriptū est: Inueni Dauid seruum meū, in oleo sancto meo vñxi eum. Et infra dicit: Pater meus es tu. & Ego primogenitū ponā illū, excelsum præ regibus terræ. Ergo Dauid quē quærebamus inuenimus: seruum quidem specie, sed dominum in veritate.

*Quid domus regia, in qua deambulabat Dauid, quid nudatio & lauatio Bethsabæ, quidve quod statim nuda visa amata sit significet, declarat. CAP. VIII.*

**H**ic ergo Dauid intra domum deambulauit suā. Quæ vtique domus est Christi, nisi illa de qua dicit: Quia apud patrem mansiones multe sunt? In illa ergo regia situs, humanā conditionem nudam vidit, & miseratus adamauit. Erat enim adhuc nuda

virtutum, quia per insidias serpētis, genitalibus erat naturæ suæ exuuiis destituta. Vidit ergo Dauid mulierem nudam lauantē se. Quæramus quæ sit ista nuda: est videlicet humana conditio, omnibus vestimētis exuta, naturæ carens amictu, immortalitatis & innocentie spoliata velamine. Nudus est enim qui peccato nudatur & culpa. Denique ille primus nostri generis peccator (atq; vtinam solus) antequā peccaret, nudum se esse non sensit, posteaquā peccauit, nudum se esse vidit: & ideo regendum foliis putauit, quia nudum se esse cognouit. Factus est igitur sibi nudus, posteaquam factus est reus culpa. In illo nudata est omnis humana conditio, per successionem naturæ, non solum culpæ, sed etiam ærumnæ obnoxia. Ergo ille se nudum sensit & vidit. Vnde ita est omnis nostra conditio, vt qui se nudum putauerit, nudum se videat & sentiat. Deniq; qui diuitias concupiscit, nudus est: qui contemnit, opulentus est. Adeo quod suus cuique sensus ærumna est, & sua cuique virtus expertus iniuriæ est. Ergo humanam conditionem primò per legem sibi Christus in coniugium vendicauit, quam repudiavit postea. Vnde & ait: Quis liber repudij matris vestræ, quod dimisi eam? Hoc igitur genere Christus familiam suam nudam vidit, & amauit. Amat enim sanctam Christus animam. Denique amabat Iesus Lazarum & Mariā. Amabat Christus Ecclesiam suam, quamuis nudam, quamuis nullo adhuc virtutum decore vestitam. Denique vt sciamus propositæ disputationi scripturarum seriem conuenire, discamus Ecclesiam nudam, discamus quærentem, festinantem, & lauantem se ante doinum Christi, quando baptizabat Ioānes in Iordane, dicens: Ego quidem baptizo vos aqua, in pœnitentiā; qui autē venit post me, fortior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare: ipse vos baptizabit Spiritu sancto. Ergo quando baptizabatur plebs in pœnitentiam, Christum vtique domui eius iam vicina quærebat, vt perueniret ad gratiam. Quærebat ergo in Ioanne Christū Ecclesia, dicens: Annuntia mihi quem dilexit anima mea: ipsum causam desiderij, ipsum causam lauacri sibi esse commemorans, sicut habes: Fusca sum & decora, filia Hierusalem, vt tabernaculum Cedar, vt pellis Salomonis. Habes causam qua ratione se laua re gestiat, quæ fuscam se esse commemorat. Nam quasi interroganti Ioanni, qua ratione plebs multa concurrens gestiret lauari, respondit: Fusca sum & decora filia Hierusalem. Quia fusca est, lauare desiderat: quia decora est, videri nuda nō metuit. Nolite, inquit, aspiciere me, quia offuscata sum, quia non est intuitus me sol. Ergo fuscatur quando non videtur à Christo: sed quando videtur, albescimus. Vidit ergo eam ille cui nuda sunt omnia, & interna pectoris occulta esse non possunt, quia scrutator est renum & cordis. Nihil huic tectum, nihil est inuolutum. Vidit Ecclesiam suam nudam, & vt vidit, adamauit. Vidit nudam dilectam, & quasi filius charitatis adamauit. Videte quemadmodū inuitet, videte quemadmodū vocet. Non hic adulterij opprobria, sed mysteria castitatis sunt. Tota es, inquit, formosa amica mea, proxima mea, & reprehensio non est in te. Ades huc à Libano sponsa, ades huc à Libano, transibis & pertransibis à principio fidei. Et bene

Gen. 3.  
2. Reg. 11.  
Sap. 7.  
Gen. 2.  
Gen. 3.  
Rom. 5.  
Esa. 50.  
Ioan. 11.  
Ephes. 5.  
Matth. 3.  
Cant. 1.  
Ibid.  
Lib. de Iust. & animi cap. 4.  
Hebr. 4.  
Psal. 7.  
Cant. 4.

Cantic. 2.

Esa. 67.  
Matth. 3.

Cantic. 2.

Matth. 24.

Luc. 24.

Cantic. 2.  
Esa. 11.

Cant. 3.

Cant. 5.

Ibid.  
Prou. 27.

2. Cor. 3.

bene à principio fidei. Ergo vbi fidem habes, adulterium timere non debes. Fides enim coniugij est, fraus adulterij. Sed vt adesse possit à Libano, antè præmisit, dicens: Exurge, veni proxima mea, formosa mea, columba mea, perfecta mea. Proxima, vtique fidei desiderio: formosa, decore virtutis: columba, gratia spiritali. Pennæ enim columbæ de argentata, æternam illam significant potestatem: & columbæ volatus, sancti Spiritus præsentiam declarauit. Vocat igitur ad se eam Christus vt veniat, quoniam spiritalibus iam pretijs dotata veniebat. Quia ecce, inquit, hyems præterit, imber abiit, discessit sibi, flores viti sunt in terra. Videte quemadmodum sancta inuitetur Ecclesia. Hyems, inquit, discessit sibi, ne hyemem nuda formidet: hyemem, non temporis sed infirmitatis, quæ agrum animæ fecundum omni flore dispoliat. Est enim hyems non terreni solis, est hyems mentis, quando animo frigus inlabitur, quando vapor animi euanescit, quando soluitur vigor sensus, quando nimius humor exundat & mentem grauat, quando interior caligat aspectus. Et ideo ait Dominus: Videte ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato. Bonum enim vt tunc dies iudicij vel mortis adueniat, quum viget animi blanda temperies, quum cæleste mysterium serena luce resplendet, quum cor nostrum ardet in nobis. Tunc enim Christus est præsens, sicut testatur in Euangelio Ammaon & Cleophas, dicentes: Nōne cor nostrum ardens erat in nobis, quum in via aperiret nobis scripturas? Viget autem animus, quando etiā flos videtur in terris. Quis est iste flos boni odoris, nisi ille qui dixit: Ego flos campi, & liliū conuallium? De quo & in Esaia scriptum est, Exiet virga de radice Jesse, & flos de radice eius ascendet. Radix vtique familia Iudæorum est, virga Mariā, flos Mariā, Christus. Qui quando nostra resplendet in terra, & in agro animæ redolet, vel in Ecclesia sua vernat, nec frigus possumus timere, nec pluuiam vereri, sed expectare iudicij diem. Et ideo Ecclesia vt hunc florem videret, omni studio festinabat, sicut ipsa testatur, dicens: In cubili, in noctibus quæsiui quem dilexit anima mea: quæsiui eum, & non inueni: vocaui eum, & non exaudiuit me. Exurgam itaque & circumibo in ciuitatem, in forum & plateas, & quæram quem dilexit anima mea. Quæsiui, & non inueni eum. Inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatem, & me percusserunt, tulerunt pallium meū. Videtis quemadmodum quærat quæ desiderat inuenire, vt nō timeat vulnerari. Sed hæc vulnera non metuenda sunt, sed optanda: quia vulnera charitatis sunt, sicut ipsa dicit: Vulnerata charitatis ego sum. Bona charitatis vulnera. Deniq; vtiliora vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici.

*Quod melius est detegi ac nudari cum Ecclesia, quàm vestiri & velari cum synagoga. CAP. XI.*

**M**erito ergo nuda, quia pallium perdidit: aut fortassis ideo nuda, quia nonnumquā virtutis est, opertum non habere pectus, cor nō habere velatum. Deniq; velatā illā, hoc est synagogam, quæ habebat velamē in lectiōne veteris testamēti, quod modò reuelatur, quoniam in Christo euacuat: velatam, inquam, synagogam Christus despexit &

spereuit: vnde hodieque velamen super cor Iudæorū est positum. At verò ea quæ tota ad Dominum mēte conuertitur, nuda est atque perspicua. Cū enim quis conuersus fuerit ad Dominum, velamen auferretur, vt gloriam Dei specularantes videre possimus. Denique etiā alibi nudam esse, virtutis indicium est, quia scriptum est: Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Quam igitur tunicam exuerit, & non inuenit quemadmodum induat eam, de scripturis si possumus, reuelemus. Est enim quædā tunica corporalis, sunt cupiditatum quædā intexta velamina: & ideo interdum melius est nudum esse corpore, quàm corde velatum: Vnde etiam Paulus nos admonet, expoliari multo esse melius quàm superuestiri, dicens alibi: Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induite nouum qui renouatur in agnitione, secundum imaginem eius qui creauit eum. Ergo quæ expoliata est, & pedes lotos habet, nescit quemadmodum inquinari possit. Obliviscitur enim per gratiam, quod hauserat per naturam. Magnus igitur hic & iustus amor mulieris, ante Dauid regiam se lauantis. Verum non solum lauit, sed etiam vocauit, vt in eodem accepimus libro, dicente sancta Ecclesia: Veni frater meus, exeamus in agrū, requiescamus in castellis, diluculo surgamus in vineas, videamus si floruit vitis. Non solum igitur lauat, sed etiam Christum ad se venire prouocat & inuitat, dicens: Tibi dabo vbera mea. Nec sua tantum, sed etiam noua ac vetera pollicetur, sicut habes: Noua & vetera frater meus seruauit tibi. Et quasi amoris impatiens quærit adminiculum alicuius, à quo Christus rogetur vt veniat. Videte æffuantē, videte desiderantem. Quis dabit, inquit, te frater mihi lactentē vbera matris meæ? Et qua ratione quærat, & qua gratia inuitet, & quæadmodum possit tenere demonstrat, quemadmodum foris morantem expectet ostendit, & vt domum suam ingredietur, implorat dicens: Inueniens te foris, osculabor te, assumam te, & adducam te in domum matris meæ, & in secretum eius quæ concepit me. Vides quemadmodum nuda sit, quæ non potest tectum habere secretum intemeratæ vtique naturæ, secretum intimæ conscientie, non resignatum aliqua temeritate vitiorum. Hortus enim clausus, est Ecclesia sancta, & immaculata virginitas, quæ ideo hanc gratiam meretur à Christo, quia verbum Dei quæsiuit, desiderauit, inuenit, aduigilans ante ostia sapientie, sicut ipsa dicit: Beatus vir qui audit me, & homo qui vias meas custodierit, aduigilans meis ostiis quotidie, custodiens postes mei introitus. Exitus mei, exitus sunt vitæ. Sic Ecclesie suæ Christus præciem concupiuit, & parauit sibi eā vxorē adsciscere. Sed quia erat sub lege (sub lege enim Petrus, Ioannes, ceterique apostolici viri) prius nos obseruatiā corporalibus vinculis relaxandos putauit. Quamuis enim lex religioſa, lex iusta, sicut Vriæ persona inducitur (qui tam religioſus & castus fuit, vt regressus è bello vxorem non recognosceret, nec intraret ad eam) tamen quia Vriæ in Dauid, hoc est viro humili, copulam cognouit Ecclesie, à synagoga coniunctione discedēs, locū futuris nuptiis præparauit. Vnde & Ioānes tyrum accepit legis, qui quauis esset ex pa-

Ibid.  
Ibid.  
Cantic. 5.  
2. Cor. 5.  
Coloss. 3.  
Cant. 5.  
Cantic. 7.  
Ibid.  
Ibid.  
Cantic. 8.  
Ibid.  
Cantic. 4.  
Prouer. 8.  
Sap. 8.  
Rem. 7.  
2. Reg. 11.  
Matth. 23.  
E ij

tribus, parati vias Domini nuntiavit, & Ecclesia copulam prophetabat: & ideo occisus inducitur, vt defectum legitimæ obseruationis ostenderet. Lex enim & propheta vsq; ad Ioannem. Ergo iam Vrias occisus est in typo legis, vt synagoga legis laeque solueretur: quoniam quæ sub viro est mulier, viuente viro ligata est legi: si autem mortuus fuerit vir, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera, si iuncta fuerit alteri viro. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, ita vt non sit adultera si fuerit cum alio viro. Ergo non adultera humana conditio, quæ licet sub lege fuerit, tamen abolita quodammodo obseruantia legis, in gratiam vèdicata est. Legis autem obseruantiam non Christus aboleuit: vnde & Vria non Dauid occidit, sed occidit à bellatoribus passus est: hoc est, profanari ritum obseruantia ex lege venientis, per incursionem barbarorum & captiuitatem Iudæorum passus est Christus. Denique Vrias, lux mea dicitur. Quæ autem Christi lux, nisi lex & Euangelium? Si enim crederetis Moysi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit. Quia lux Christi in lege præcessit, cuius postea in Euangelij gratia quasi in heptamyxo spiritu vniuersa mundi huius impleuit. Huic ergo legi carnè sustulit, Ecclesiam sibi iunxit: cuius legis lumē populus hostilis imminuit, quando legis sancta violauit. Imminuta ergo lux Dei est in populo Iudæorū, quia cæcitas ex parte in Israel cōtigat, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret.

*Captiua versus attentione, altius mysterium in adulterio Dauidico latet, vniuersum incarnationis verbi diuini, scrutatur.*  
CAP. X.

**S**uperest adhuc & quartum mysteriū, quod quæstio placidis accipiatis auribus, & mentem nostrā non verba pendatis. non enim in verbo est regnum Dei, sed in virtute. Adulterium factum est, & homicidium factum. Hoc est quod dictum est ad Prophetam: Sume tibi baculū nucinum. Et alibi virgam nucinam legimus, per quam intelligimus ius quoddā & summam prophetia, quæ more nucis foris amara, dura in medio, tenera intus est & fructuosa. Et si igitur in historia amara auditis, in typo dura cognoscitis, sperate tamen in mysterio fructuosa. Adulterium, inquam, in typo salutis est factum: non enim adulterium omne damnandum est. Denique ad Prophetam dictum est: Vade, accipe tibi vxorē fornicariam. Dominus iubet cum ea quæ fornicaria fuerit esse coniugium: cuius coniugij (vt supra diximus) fructus est Christus. Namq; filio qui ex fornicatione est natus, à Domino nomen impositum est Iezrahel, quod est diuina generatio. Si ergo pia illa copula fornicaria, etiam ista vtique pia societas adulteræ copula est. Sed illa de Iudæis. De diuinis autē non audeo, licet pium, adulterium nominare, ne quē vel sonus sermonis offendat, licet sensus veneratior in promptu sit: quod potest tamen cautius dici, et si non expressius, ex disparibus copulis contubernium pium factum est, quando scilicet verbum caro factum est. Non sunt legitima consortia diuinitatis & carnis: nec vt quodam fœdere conueniente naturæ, caro animæ & anima carni, ita etiam diuinitas & caro iusti seruant quodammodo tori legem.

**S**uscipit carnem Deus, assumpsit animam, per inuitatam nec legitimam incarnationem cōfortium fecit esse legitimum, vt sit Deus omnia in omnibus. Denique vt scias esse mysterium, interpretare vocabula. Dauid enim accipis in typo Christi, Bethsabee filia sabbati, aut filia plena, vel puteus dicitur iuramenti. Quid igitur expressius, quàm quod filia sabbati caro Christi est? quia misit Deus filium suum factū ex muliere, factū sub lege. Eadem plena, quia in passione eius legis est plenitudo, vel quia plena Spiritus sancti. Iesus enim plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane. Eadem etiam puteus iuramenti, hoc est, religionis & fidei. Et bene puteus, quia flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hanc ergo assumens sibi Deus verbū, copulam fecit esse legitimam: quod mysterium etiā illæ nuptiæ declararūt, quæ sunt in Canticis canticorū, quibus Christo Ecclesia, & spiritui caro nubet. Et ideo circumcubabat & quærebat vbique Dei verbū, quia vulnerata, quia nuda, quia adultera in omnibus (et si immaculata in Christo) quærebat caro misera redemptorem. Hæc sibi Christus iunxit, vt immaculatam redderet: hæc sociavit, vt auferret adulterium. Et quia sub lege erat, moriendum fuit vt liberaretur à lege, vt per illā mortem velut quoddam legis & carnis matrimonium solueretur. Mortua est igitur in Christo caro, vt nos mortificati legi per corpus Christi (sicut Apostolus dixit) essemus alterius qui ex mortuis resurrexit, & passiones cupiditatēq; carnis, & cogitationes peccatorum, quæ per legem erant in membris nostris, in illa morte morerētur: nos autē soluti à lege mortis, quasi noua Christi copula, in nouitate spiritus resurgeremus. Et tamen qui legem in Christi carne soluerunt, eamq; putauerunt esse violandā, omnes iussu Dauid à bellatoribus interempti sunt. Quo indicio ostenditur, id quod posteriora docuerunt, esse signatum, quod eorum qui Christū interfecerunt nullus euaserit: idq; euidentissimè reuelatur, eos quos ante mortem assumpserat Iesus, sicut Iudæos, perisse paruulos & infirmos: eos verò quos post mortem adsciuit in numerum filiorum, regno esse seruatos. Vnde iuxta hoc mysterium conuenit, quod primus in Iudæis fuerit partus infirmus vt postea in Christianis fieret fructus æternus. Sed iam ad nuntium transeamus.

*Ex parabola Nathan de oue, diuite & paupere, elicit allegoriam.*  
CAP. XI.

**I**n superioribus tractatus nobis de illo inuidioso adulterio & homicidio Dauid prophetæ fuit: decursūque mysteriis non solum nihil quod condemnaretur, sed etiam quod laudaretur inuenimus. Nūc tractatus incipit esse de nuntio: quem decursū Psalmi titulus iam sæpe repetitus ostendit. Sic enim est: *Psalmus Dauid in finem, cum venisset ad eum Nathan propheta, cum intrasset ad Bethsabee.* Itaque & hæc pars historiae retexenda est, quæ huiusmodi est. Diues, inquit, & pauper intra vnae erant ciuitatem. Diuiti multa armēta, multæ oues: pauperi vna ouis, quæ de pane & vino pauperis alebatur, & in sinu eius dormiebat. Venit hospes ad diuitem, diues neque de armēto suo, nec de gregibus suis aliquid abstulit, sed vnā ouē pauperis occidit. Hoc vbi cognouit Dauid: Morietur, inquit, vir ille, & restituet in quadruplum.

Morietur, inquit, vir ille, & restituet in quadruplum. Respondit Nathan: Tu es. Deinde aperuit ei cæleste mandatum dicens mandasse Dominū, quod multa illi bona sublato de pastorum numero contulisset, quodq; in eū suam misericordiā profudisset, & ideo quoniam peccato exasperasset Dominum, abducēda eius omnia, rapienda ab hostibus, depopulandā domū. Tunc ait ille: Peccaui. Et respondit Nathā: Quoniam peccasse te confiteris, remittet tibi Dominus peccatum, sed filius tuus qui natus est ex Bethsabee, morietur. Hoc filio ægrotante, Dauid fleuit, humi iacuit, cilicio se operuit, ieiunauit: vbi mortuum cognouit, surrexit, lauit, cœnauit, alios consolatus est. Videte quā multa. Primò omnium, quod Deus pius & misericors est, & quæ nobis aduersa contingunt, pro pretio nostri erroris excipimus. Didicimus igitur captiuitatem pretium esse peccati: hæc enim decernitur pœna pro crimine. Deinde illud aduertimus, quod regum lapsus, pœna populorum sit. Sicut enim eorum virtute seruamur, ita etiam errore periclitamur. Vnde optandum est nobis, vt regem gloriosum atque perfectum habere possimus. Nos ergo qui regem volumus habere perfectum, Deum nolimus habere perfectum? An verò illi posunt velle hominem esse perfectum, qui Deum nolunt esse perfectum? Illud etiam breuiter textus operatur historia, vt aduertamus quā citò veniā spes sequuta sit. Non mediocre autem, quod Nathā denuntiavit ei: hoc est, inferior propheta. Grauis enim verecundia pudorq; delicti, ab inferiore reprehēdi. Videtis quod culpa gratiā minuatur? Sciebat Nathan, quod Dauid nesciebat: adeo caligat animus, obumbratur quadam nube vitiorum. Deinde hic est Nathan, qui in superioribus Dauid acceptum Domino prophetauit, vt doleret eodem redargutum esse peccatum, quo prophetante meritum fuerat prædicatum. Sed iam mysterium requiramus. Duo, inquit, viri erant in vna ciuitate, vnus diues, & alter pauper. Quis est hic diues aut pauper, nisi fortè vnus populus Iudæorū, & alter populus Christianus? Ille diues in lege, diues eloquiis Dei sibi creditis; diues prophetiis, diues oraculis: hic verò pauper. Sed nolite hanc refugere paupertatem, quam sequitur regnum cælorum. Scriptum est enim: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Bona paupertas, quæ quod habuerit, non amittit. Bona paupertas, quæ si thesaurum non habet pecuniæ, habet tamen thesauros scientiæ atque sapientiæ. Nolite filij quasi vilem despiciere paupertatem. Ille pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum. Nolite quasi magnis inuidere diuitiis. Diuites eguerunt & esurierunt. Sed si vultis habere bona, Dominum quærite. Inquirentes enim Dominum, non deficient omni bono. Ergo nolite recusare omnem paupertatem. Pauper erat Petrus, & quem donaret nummulum non habebat: sed pretiosorem omni pecunia donabat salutē. Pauper ille erat Lazarus in Euangelio: sed ille qui ante in ostro diues iacebat & purpura, optabat post exitum vitæ stillante digito pauperis refrigerari. Quamuis ille ostro superbus regio & purpuratis vestibus, vulnera pauperis diues fastidiosus horruerit, tamen in inferis locatus optabat eo loci fuisse quo Lazarus. Quo loco lectio non

videtur pecuniarum diuitem pauperemque describere, sed cum pauperem, qui pro fide & deuotione vulnera corporis nō horruerit, famem ieiuniumque tolerauerit. Dū igitur haberet populus Iudæorum in suis gregibus plurimas copias hostiarum; tamen vnā ouiculam quam populus ille pauper habebat eripuit, gloriose illi subiiciens passioni. Vis scire quā ouem? Sicut ouis ad victimam ductus est. Qui pane pauperis alebatur, & potu pauperis utebatur, & in sinu pauperis dormiebat. Nostris enim alebatur alimentis, in nostri pectoris gremio quiescebat. Nam in Iudæorum sinu quiescere se non posse memorauit, dicens: Filius hominis non habet vbi caput reclinet. Et venit hospes, inquit, ad virum illum diuitem. Quis est iste hospes, nisi miserabile peccatū? Et enim culpa in hūc mūdum tamquā hospes intrauit, aliena nostræ & peregrina natura. Itaq; non de suis gregibus hostiā obtulit, sed accepit ouiculā pauperis, & occidit. Cuius quidē passio licet ad sacrificiū salutare profecerit, tamen videtur ille sui fuisse furoris augmentum, & culpe, incētiūmq; peccati. Deniq; Iudas panē accepit à Christo, & tunc magis repletus est diabolo: quia non accepit ex fide, qui tam hospitali Domino prodicionem parabat. Et iratus est Dauid ad virum illū. Diximus quod per prophetam Iudæorum populus declaratur, & ideo sub hac figura se ipse condemnat. Dignus est morte vir ille qui fecit hoc, & ouiculā restituet in quadruplū, hoc est, periturum populum Iudæorum, sed cumulatoribus bonis fructurum populum Christianum: quia præstabilius est presentibus, status qui ex resurrectione debetur. Propositum mihi fuit ( vt meminisse dignamini) aduersus eos qui homicidium aduertiūque sancti Dauid arguendum putant, qualicumque meo respondere sermone: & ita fauore vestræ vnanimitatis tractatus nostri cursus euasit, vt prædicandæ ore omnium videretur, quem putabamus non posse defendi. Sed quoniam nostro vir sanctus auxilio non indiget, iam ipse vobis pro se loquatur, & factum suum ipsius oratio defendat.

*Rex Dauid ante tribunal diuine maiestatis confidenter peccatum fatetur, & diuinam implorat misericordiam ob beneficum incarnationis, ac merita passionis Christi.*

CAP. XII.

**M**iserere (inquit) mei Domine, secundum magnam misericordiam tuam. Noua, nisi fallor, coniunctio ista sermonis, vt magna misericordia diceretur, & nō facile alibi lectū memini, & ideo quæ sit magna misericordia debemus aduertere. Nam etsi magnā misericordiam non facile legerimus, legimus tamen magnam Dei virtutem. Et ideo considerantes quæ magna sit virtus, conicere poterimus, quam misericordiam magnam voluerit designare. Legimus enim in sancto Hieremia: Quis es Domine? Tu fecisti cælum & terram, in magna virtute tua, & brachio excelso. Virtus ergo magna cælum fecit. Quæ est virtus magna? Patris, an filij? Magna vtique patris virtus est: ipse enim per filium cælum fecit & terrā, sicut habes: In principio fecit Deus cælum & terrā. Sed tamen & filius magna virtus est. Nam cum virtutem patris filium legeris, sicut habes Christum Dei sapientiam atque virtutem, vtique cum virtus

patris filius sit, magna virtus est filius. Quemadmodum igitur omnipotens denegatur, quem fatemur magnam Dei esse virtutem? Hæc igitur magna virtus cælum fecit, quia cælum fecit & filius, sicut habes: Omnia per ipsum facta sunt. Ergo si & pater fecit & filius, utique facti unitas, operationis indicat unitatem. Nō ergo operatio patris & filij discrepat. Si autē vna opera, vna utique operationis potestas, & maiestas vna factorū est. Hæc de patre & filio. Quid ergo filemus de spiritu, præsertim cū scriptura nos diuina nō pariat ut scire? Dat enim locus opportunissimū testimonij, ad sancti Spiritus unitatē cū patre & filio comprobandam, ut eius quoque operationem ab opere patris & filij dissociare nequeamus. Legimus enim magnam virtutem patris esse, quod cælum fecit magnam virtutem etiam filium esse, quoniam cælum fecit, nec solum fecit, sed etiam firmavit. Verbo enim Domini cæli firmati sunt. Ergo si & fecisse & firmasse cælum, magnæ virtutis est, etiam Spiritum sanctū à maiestate magnæ virtutis separare nō possumus, quia scriptū est: Et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Namque cū cælum fieret & terra, superferrebat spiritus. De quo alibi ait propheta David: Emitte spiritum tuum & creabuntur. De quo etiam alibi dixit: Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum. Non enim corporalibus digitis Deus cælum fecit, sed spiritu gratia septiformis: illo videlicet digito, de quo habes in Euangelio: Quod si in digito Dei eiicio dæmonia. Hunc enim digitum alibi spiritū dixit, sicut habes: Quod si spiritu Dei dæmonia eiicio. Si igitur digitus Dei spiritus est, quoniam brachiū Dei filius est, utique spiritus cooperatus patri & filio, per unitatem operationis cælū fecit & terram. Ideo enim digitum filius nuncupavit, ut tamquam vnus corporis, ita diuinitatis exprimeret unitatem. Itaque si magna virtus cælū cōdidit, utique magna sapiētia cælum condidit, quia scriptum est: Omnia in sapientia fecisti. Didicimus igitur quæ magna sit virtus, colligamus nunc quæ magna sit misericordia. Si magna virtus cælos fecit, & magna misericordia debet esse de cælo, & magna iustitia debet esse de cælo. Iustitia enim de cælo prospexit, & misericordia venit de cælo. Magna ergo facta misericordia, quia verbū caro factū est, & habitavit in nobis. Ergo magna virtus cælos fecit, magna virtus cælos inclinavit, sicut legimus: Et inclinavit cælos, & descendit. Quo ostēditur nunquam diuinitatis suæ exors fuisse Dei filius, nec cū inter homines versaretur: quoniam etsi suscepit quod non erat, non destitit tamen esse quod erat. Itaque cū dicitur: Et inclinavit cælos, & descendit: non tā videtur cælos inclinasse, quā ipse de cælo descendisse. Nam cū pater filium alloqueretur in terris situm, angeli ministrarent, non tam mutasse videretur sedem Dei filius, quā transulisset. Ergo didicimus magnam esse misericordiam. Itaque si magna misericordia est descendisse de cælo, quæ sit multitudo miserationum distinguere atque intelligere debemus. Sequitur enim: Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Non enim idē significat vterque; vericulus: sed illud ad incarnationē refertur, hoc verò quod sequitur, ad eas referendū videtur quas Deus in carne suscepit iniurias,

Ioan. 1.  
Ipsa. 32.  
Ibid.  
Gen. 1.  
Psal. 103.  
Psal. 8.  
Luc. 11.  
Matth. 12.  
Psal. 103.  
Psal. 84.  
Ioan. 1.  
Psal. 17.  
Ibid.  
Matth. 3.  
Matth. 4.

quia ieiunavit, quia esuriuit, quia fleuit, quia vapulavit, quia crucifixus est, quia mortuus, quia sepultus est. Hæc enim carnis, nō diuinitatis insignia sunt. Et necessariū fuit, ut arūnarū multitudinē miserationū multitudo depelleret, profuturo nobis Dominicæ certamine passionis. Nō enim sua peccata debebat, qui peccatū nullū fecerat: sed quia peccatū factū est, nostra erāt delēda peccata, sicut David dixit: Dele iniquitatē meā. Quid est dele? Videamus hoc verbū: nō enim otiosum est. Denique & alibi ait: Ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero. Sūt profectō altē impressa quædam conscientia nostræ vlcera delictorum, & quædam mentium nostrarum animorumque vibices, quæ errorum nostrorum obducuntur vlcibus. Habet ergo culpa characteres suos & apices, quibus proditur: quod nō ingenio nostro affingimus, sed prophetica auctoritate signamus. Scripta est ergo, & vbi scripta sit vide. In tabulis, inquit, cordis tui. Hoc est, ibi scripta est culpa: series, vbi etiā forma virtutis: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Sed quæ bona sunt, nō atramento scribuntur, sed spiritu Dei viuū: quæ autem vitiosa, graphio ferreo & vngue adamantino. Talis propemodum scriptura, qualis est pœna peccati. Scribitur illa graphio ferreo, hoc virga ferrea coercetur, sicut scriptū est: Reges eos in virga ferrea. Alia est illa virga recta, virga regni tui: hæc supplicio coercet noxios, illa innoxios gubernat imperio. Ergo scripta est culpa, videamus vbi. Non foris, sed intus in corde tuo & in pectore tuo. Sicut enim prope est verbum in ore tuo & in corde tuo, sic infidelibus in ipso corde exprimitur figura peccati, & erroris effigies. Intus igitur est culpa, intus & virtus. Et ideo Dominus: Sentio, inquit, de me virtutem exisse: ut ostenderet quæ bona sunt de interiore procedere, & contrā, quæ mala sunt de interiore prodire. Nō enim quod intrat, inquit, in os coinquinat hominem, sed quod exit de ore. De corde enim tuo cogitationes procedunt, & ideo caue ne de corde tuo mala cogitationes prodeant, quæ te posteriore tempore arguant & accusent. Non enim Deus testimonij ad reuincendum te argumētū quæ indiget, tua te ipsa culpa accusat & prodit. Deinde bene in hoc Psalmo David dicit: *In multum laua me ab iniustitia mea, & à delicto meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & delictum meum contra me est semper.* Væ enim mihi quod latere cupio, & latere nō possum. Quomodo enim latebo, qui inscripta in pectore meo gero meorum indicia delictorum? Nudabitur in illo iudicij die vnus cuiusque pectus, testimonium reddente omnibus conscientia sua, & inuicem accusantibus cogitationibus, aut etiā defendentibus, in die qua iudicabit Dominus occulta hominum. Quis pudor ille, cū prodi omnibus ceperit quod putabamus occultum? cū aperire se ceperit vnus cuiusque imago delicti, ut vnusquisque sui criminis serie reuincatur? Quis pudor, cū illum quem despicabilem in hoc seculo iudicabas, videris esse prælatum? illum seruum tuum, illum quem iuxta saculi huius astutias ineptum & inhabilem arbitrabaris, simplicitatis suæ diuitiis cognoueris honoratū? Ergo dū viuimus, confugiamus ad eum qui potest delere peccatum. Nec vereare quod graphio ferreo

1. Cor. 15.  
1. Petr. 2.  
2. Cor. 5.  
Epsal. 43.  
1. Cor. 3.  
Hier. 17.  
Psal. 2.  
Psal. 44.  
Deut. 30.  
Luc. 5.  
Matth. 15.  
Rom. 2.  
Rom. 5.  
Nahum. 1.  
Rom. 2.  
1. Petr. 4.  
Hierem. 17.

ferreo scriptum est, & vngue adamantino: hic enim A portas ferreas adamantinasque confregit. Nec timeas culpam fateri. Confessus est David, agnouit iniquitatem suam, agnouit errorem, & ideo ait: *Quoniam iniquitatem meam ego agnosco.* David agnoscit, & tu non agnoscis? David fatetur, & tu negas? Paulus se nocentem clamat, & tu te innocentē asseris? Non est igitur maximus erubescendi locus, quando cum plurimis peccati mixta consortia sunt. Sequamur tamen studium corrigendi. Neque rursus pauas, ne culpæ confessio teneatur ad pœnam. Bonus enim & misericors Deus non solum culpam ignoscere contentibus, sed etiam præmia corrigētibz impertire consuevit: si tamen vnusquisque sibi donari petat, quod intelligit nō latere. Dic ergo iniquitates tuas, ut iustificeris. Dei vox ista est volentis ignoscere: Dei vox ista est, promittentis quod tuum velit delere peccatum. *Tibi peccavi* (David dicit) *& malum coram te feci.* Hoc est, etsi homines non vident, tu vides: etsi homines me diiudicare non possunt, qui participes delictorū sunt; tu tamen iudex es singulorum qui expers es delictorum. Quamlibet in corde intimo cogitationes noxiæ lateant, coram te tamen sunt, qui potes dicere: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Nempe Christus hoc dicit. Qui ergo nouit quid in corde sit scriptū, potest delere quidquid in corde conscriptum est. Cui se fatetur noster David non solum in seipso, sed etiam in primo homine peccasse, dum præcepta diuina temerantur. Quo licet aduerrere quemadmodum omnes hærefes, dum se impugnant, in se recurrāt. Itaque Ariani dum patris & filij separant potestatem, in eum furiosè exitū disputationis incurunt, ut cum Manichæis eorum concurrat assertio. Illi enim dicunt, alterum Deum esse veteris, alterum noui testamenti. Quam profanam assertionem Ecclesia sancta condemnat, quæ vnus Deum legit, quia vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in ipsum: & vnus Dominus Iesus, per quem omnia, & nos per ipsum. Vtique omnipotens potestas & vna patris & filij declaratur, ut nec patrem à noui testamenti gratia secernamus, nec rursus ab instauratione mundi filium separemus. Denique consideremus vtrum idem Deus vtriusque sit conditor testamenti. Nempe omnes in primo homine peccauimus, & per naturæ successionem, culpæ quoque ab vno in omnes transfusa successio est. In quem ergo peccauit? In patrem, an in filium? Vtique

Epsal. 45.  
1. Cor. 15.  
Epsal. 43.  
1. Cor. 4.  
Matth. 9.  
1. Cor. 8.  
Rom. 5.

in eum qui mihi credidit, quod non seruando peccauit. Mandatum est homini, ut ab omnibus gustaret quæ erant in paradiso, sed lignum scientiæ boni & mali non tangeret. Adam ergo in singulis nobis est. In illo enim conditio humana deliquit, quia per vnus in omnes pertransiuit peccatum. Video summam mihi creditam, video quæ præuaricationis æra cōtraxerim, dum vetita & interdicia degulsi. Hinc debeo commissæ fortis vsuram, quia creditū mandatorum cælestium scenus, intemeratā fides seruare non potuit. Agnouimus creditum, agnoscamus etiā creditorem. Creditoris nempe ius est ut exigat & relaxet: & ideo idem relaxat, qui ius habet exigēdi. Cū igitur in Euangelio Christus dixerit mihi: Remissa sunt tibi peccata tua: nōne eundem intelligo dominum fortis, quem arbitriū veniæ recognosco? Aut si pater credidit, & filius relaxauit, non per unitatem, ut nos dicimus, sed ut Ariani asserunt, per distantiam potestatis, alius Deus credidit, alius relaxauit? Vnde incurunt, ut Manichæorum perfidiam non euadāt. Deinde vnus dicendo bonum Deum aduertant quos laqueos dementiæ suæ incidant. Si bonus est qui credidit, quomodo nō est bonus qui relaxauit? Ergo cum illis partem habeat Ariani, cum quorum assertione cōueniunt. Nec mirum si is qui semel deuiare cœpit à vero, nexibus se alieni erroris inuoluat. Et ideo vna est sententiā, quæ hæreticorum omnium machinas destruat, ut vnus potestatis, maiestatis, atque virtutis Trinitatem esse credamus, & ideo quod filius fecit, non separemus à patre, nec ab eo quod pater mandauit, filiū separemus. Ita enim fiet, ut non alterum Deum veteris, alterum noui testamenti inducamus: sed per unitatem potestatis & filius in patre, & pater intelligatur in filio: & filius sceneretur in patre, & pater relaxet in filio. Nam & pater dimittit peccatum, filiūque dimisisse iam diximus. Accipite quia dimittit & pater. Dimittit, inquit, nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vtique ex persona nostra hoc filius patri dicit. Nec ideo dicit, quasi dimittere ipse non possit: sed ideo dicit, ut tu unitatem potestatis intelligas. Denique si auctoritatem quæris in filio: Iam vos: inquit, mūdi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis. Dimittit sermone, dimittit imperio: sed cum ratione dimittit, dicens: Vade, & post hac vide ne pecces. Habes auctoritatē, quia vetera donauit: habes iudicium, quia futura præscripti sunt.

Gen. 2.  
Rom. 5.  
Luc. 5.  
Ioan. 14.  
Matth. 6.  
Ioan. 15.  
Ioan. 5.

S. AMBROSII POSTERIORIS APOLOGIÆ DAVID FINIS.

Summarium libri de Elia & ieiunio.

A cap. I. vsque ad cap. XI. agit de essentia & virtute, origine & utilitate ieiunij; Elia & aliorum patrum exempla inferendo.  
A cap. XII. vsque ad cap. XIX. de ebrietate & eius malignitate, & de vini potatoribus, & eorum prauitatis detestatione.  
A cap. XX. vsque ad finem libri, de sobrietate & abstinentia, & earum virtute: & quomodo illæ ut curatur ad brauium, & ut festinetur ad gratiam, sint necessaria.

Capita Libri.



- Qua ratione diuinum ad patres resultauerit oraculum, ut egredientes ad bellum tuba canerent: & cur nos etiam tuba canere debeamus. Cap. I.
- Quam magna virtus sit ieiunij, quamque speciosa ac valida eius militia; exemplo Christi, atque sancti Eliae comprobata. Cap. II.
- Quid sit ieiunium: & de ieiunio sancti Ioannis, & qualis esca à nobis quaerenda sit. Cap. III.
- De origine & antiquitate ieiunij, à quo primus usus mundi cepit, quod in paradiso pro prima lege constitutum fuit: quodque ieiunium operiat id quod gula denudauerit. Cap. IIII.
- Quod ebrietas Noe obdormire fecerit, & per ignorantiam nudauerit: quodque ebrietas seruitutem & incestum induxerit: & quomodo Abraham non ministrauerit vinum in suo conuiuio, neque Ioannes eo usus fuerit, neque Moyses amaritudines aquarum vino temperauerit. Cap. V.
- De lege ieiunij à Moysè data, & de ieiunio eiusdem: & quod sterilitatem matrum Samson & Samuelis abstinentia vini fecundauerit: quibusque cibus Elifaeus filios prophetarum aluerit. Cap. VI.
- Quod tres pueri Hebraeorum ieiuni in caminum ignis intrantes, non solum non laesi, sed & illic refrigerati fuerint: & quod Danielis ieiunium etiam leones ieiunare docuerit. Cap. VII.
- De utilitatibus ieiunij, & de escarum laqueis, & inquietudine & periculis conuiuiorum. Cap. VIII.
- Qua ratione potentes prohibeantur vina bibere, & de ieiunio Iudith: quodque Hester pulcior facta sit ieiunio, Aman autem suae ebrietatis poenam exsoluerit: ac de multis excellentibusque ieiunij praeconiis. Cap. IX.
- Quemadmodum mystica mensa ieiunio comparetur: & quae fames faciat acceptabile ieiunium, quidque sit quod dicitur: cum ieiunatis, ungitè capita vestra. & de duplici capite, ac de unguento sobrietatis, & oleo letitiae. Cap. X.
- Quod amara optabiliora sint dulcioribus: & quomodo esca ad horam dulcis, in posterum exemplo Esau amarior efficiatur: & quod nihil proficit ieiunium ad iactantiam factum. Cap. XI.
- Quemadmodum ebrietas in omne facinus praecipitet: & de conuiujs lubricorum hominum. Cap. XII.
- De conuiujs praelatorum & fortissimorum adolescentum; & de potu ad aequales calices: & de furoris poculo. Cap. XIII.
- De reprehensione eorum qui conuiuia illicita praeparant: & quod maior sit vis vini, quam veneni. Cap. XIII.
- Quid de ebrietate Esaias loquatur: & quod non solum vinum, sed etiam sicera inebriet: & quid significet, calix aureus Babylon in manu Domini: & quomodo vas Apostolorum fictile sit. Cap. XV.
- De magna ebrietatis detestatione. Cap. XVI.
- De obreftationibus & sacramentis potantium, quae violare nefas arbitrantur: & quomodo saepe vino secretiora hominis extorqueantur: quodque frequens ingurgitatio interiora hominis absumat. Cap. XVII.
- Quomodo etiam femina usque ad ebrietatem bibant, & inde in plateis inuerecundos sub conspectu adolescentulorum intemperantium ducant choros: & quid boni sit sobrietas, quid mali intemperantia. Cap. XVIII.
- Quid sibi sperare debeant bene pasti & luxuriosi: & de visione Tyri: quodque mare nulla necessitate, sed sola humana intemperantia inquietatum fuerit: & quomodo luxuriosi nauibus assimilentur. Cap. XIX.
- Quis dicatur cantus meretricis, de quo in Esaià; Eritque post annos septuaginta Tyrus ut canticum meretricis: & de misericordia medici, & saluatoris gratia, & quibus modis quaerenda sit. Cap. XX.
- Quomodo intelligendum sit illud prophetae: Ecce venit Dominus disperdere orbem terrarum: & quomodo athletæ simus, quibus multis certaminibus in stadio currendum est pro brauiò: & ideo sobrietate & abstinentiae exercitio nobis opus sit. Cap. XXI.
- Qua ratione corpus nostrum ieiunijs castigandum sit, comestionesque indecorae fugiendae, ne succumbentes in stadio, exortes veniae, multis fautoribus merorem afferamus: & de ablutione aquae baptismatis: quodque festinandum sit ad gratiam. Cap. XXII.

SANCTI

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS DE ELIA ET IEIUNIO  
LIBER.

## III. Reg. Cap. XVII

ET dixit Elias Thesbites, qui de habitatoribus Galaad ad Achab: Viuit Dominus Deus Israel, cui adstisti coram eo, si erit annis his ros & pluuia, nisi per verbum oris mei. Et factum est verbum Domini ad Eliam: Vade hinc contra orientem, & abscondere in torrente Cherith, qui est contra faciem Iordanis. Et erit, de torrente bibes aquam, & coruis praecipiam ut pascant te ibi. Et abiit & fecit Elias iuxta verbu Domini, & sedit in torrente Cherith, qui est contra faciem Iordanis. Et corui deferebant ei panes & carnem mane, & panes & carne vesperi, & de torrente bibebat aquam. Et factum est post dies & siccatu est torrens, quia non facta est pluuia super terram. Et factus est fermo Domini ad Eliam, dicens: Surge: & vade in Sareptam Sidonis, & habitabis ibi: ecce praecipi ibi mulieri viduae ut pascat te. Et surrexit Elias, & abiit in Sareptam Sidonis in portam ciuitatis: & ecce mulier ibi vidua colligebat ligna, & clamauit post eam Elias, & dixit ei: Accipe iam mihi paululum aquae in vase, & bibam. Et perrexit ut acciperet: & clamauit post ipsam Elias, & dixit ei: Accipies iam mihi & buccellam panis in manu tua, & comedam. Et dixit mulier: Viuit Dominus Deus tuus, si est mihi subcinericius, nisi quantum pugillus farinae in hydria, & parum olei in lecytho: & ecce ego colligo duo ligna, & ingrediar, & faciam illud mihi & filiis meis, & comedemus & moriemur. Et dixit ei Elias: Confide, ingredere & fac secundum verbum tuum: sed fac mihi inde subcinericium paruum in primis, & afferes mihi: tibi autem facies & filiis tuis in ultimo. Quia haec dicit Dominus Deus Israel: Hydria farinae non deficiet, & lecythus olei non minuetur usque in diem qua dabit Dominus pluuiam super terram. Et abiit mulier, & fecit iuxta verbum Eliae: & dedit ei, & comedit ipse, & ipsa, & filij eius. Et hydria farinae non defecit, & lecythus olei non imminutus est, iuxta verbum Domini quod loquutus est in manu Eliae. Et factum est post haec, & aegrotauit filius mulieris dominae domus, & erat laetior eius fortis valde, donec non relictus est in eo anhelitus vitae. Et dixit mulier ad Eliam: Quid mihi & tibi homo Dei? Ingressus es ad me ut rememorares iniquitates meas, & interficeres filium meum? Et ait Elias ad mulierem: Da mihi filium tuum. Et accepit eum de sinu eius, & portauit eum in cenaculum in quo ipse sedebat ibi, & collocauit eum super lectu suum. Et exclamauit Elias ad Dominum, & dixit: Domine Deus meus etiamne viduam cum qua ego habito cum ea, tu afflixisti ut interficeres filium eius? Et inflauit puero ter, & inuocauit Dominum, & dixit: Domine Deus meus reuertatur iam anima pueri huius in eu. Et factum est sic: & reuersa est anima pueri in eum. Et exclamauit puer, & tulit eum de cenaculo in domum, & dedit eum matri suae. Et ait Elias: Vide viuit filius tuus. Et dixit mulier ad Eliam: Ecce cognoui quoniam homo Dei es tu, & verbu Domini in ore tuo verum.

## III. Reg. Cap. XVIII.

ET factum est post dies multos, & verbum Domini factum est ad Eliam in anno tertio, dicens: Vade, & ostende te Achab, & dabo pluuiam super faciem terrae. Et iuit Elias ut appareret Achab: & erat fames vehemens in Samaria. Et vocauit Achab Abdiam dispensatorem domus: & Abdias erat timens Dominum valde. Et factum est cum percuteret Iezabel prophetas Domini, & tulit Abdias centum prophetas, & abscondit eos per quinquagenos in duabus speluncis, & aluit eos in pane & aqua. Et dixit Achab ad Abdiam: Age & transeamus in terra ad fontes aquarum, & in cunctos torrentes; si forte inueniamus herbam, & sustentabimus equos & mulos, & non interibunt à nobis iumenta. Et diuiserunt sibi viam ut irent in ea: Achab iuit in via vna, & Abdias iuit in via altera solus. Et erat Abdias in via solus: & ecce Elias in occursum ei. Et festinauit Abdias, & cecidit super faciem

suam, & ait: Si tu es domine mi Elia? Et dixit Elias ad Abdiam: Ego sum, vade, dic domino tuo: Ecce Elias. Et dixit Abdias: Quid peccavi quod tu tradis seruum tuum in manus Achab, vt interficiat me? Viuit Dominus Deus tuus, si est gens aut regnum, quod non misit me dominus meus ad quærendum te. & dixerunt: Non est. Et adiurauit regnum & regiones eius, & non inuenit te, & nunc tu dicis: Vade, & nuntia domino tuo: Ecce Elias. Et erit si ego recessero à te, & spiritus Domini asportabit te in terram quam non noui, & recedam vt nuntiem Achab, & non inueniet te, & interficiet me: & seruus tuus timens Dominum ab infantia sua. Numquid non nuntiatum est tibi quæ feci domine mi, cum interficeret Iezabel prophetas Domini; & accepi de prophetis Domini ceterum viros, & abscondi eos per quinquagenos in speluncis, & alui eos in panibus & aquis? Et nunc tu dicis: Vade, & dic domino tuo: Ecce Elias: & interficiet me. Et dixit Elias: Viuit Dominus exercituum, cui adfui in conspectu eius, quia hodie apparebo ei. Et abiit Abdias in occursum Achab, & nuntiauit ei. Et cucurrit Achab, & abiit in occursum Eliæ. Et factum est vt vidit Achab Eliam, & ait Achab ad Eliam: Si tu es ipse peruertens Israel? Et dixit Elias: Non peruerto ego Israel, sed tu & domus patris tui, cum dereliquistis vos Dominum Deum vestrum, & abiistis post Baalim. Et nunc mitte & cõgrega ad me vniuersum Israel in monte Carmeli, & prophetas Baal quadringentos quinquaginta, & prophetas lucorũ quadringentos, qui comedunt mensam Iezabel. Et misit Achab ad omnem Israel, & cõgregauit omnes prophetas in monte Carmeli. Et accessit Elias ad omnẽ populũ, & ait ad eos: Vsq; quod vos claudicabitis in ambobus poplitibus vestris? Si est Dominus Deus, ite post eum: si autem Baal est, ite post eum. Et non respondit populus verbũ. Et ait Elias ad populum: Ego remansi propheta Domini solus, & prophetæ Baal quadringenti & quinquaginta viri. Dent igitur nobis duos boues, & eligant sibi vnum, & in frustra cædant, & imponant super ligna, & ignem non apponant: & ego faciam bouem alium, & ignem nõ apponam: & clamate in nomine deorum vestrorum, & ego inuocabo in nomine Domini Dei mei. Et erit Deus qui exaudierit in igne, iste est

Deus. Et respondit omnis populus, & ait: Bonus sermo quẽ loquutus es. Et dixit Elias prophetis Baal: Eligite vobis bouem vnum, & facite primi, quia vos multi: & inuocate in nomine deorum vestrorum, & ignem non supponatis. Et acceperunt bouem, & fecerunt: & inuocabant in nomine Baal de mane vsque ad meridiem, & dixerunt: Audi nos Baal, audi nos. Et non erat vox, & non erat auditus: & transiliebat in altare quod fecerunt. Et facta est meridies, & subsannauit eos Elias Thefbites, & dixit: Inuocate in voce magna, ne fortè exercitium aliquod est ei, & simul ne fortè dat responsum ipse, vel ne fortè dormit, & excitabitur. Et inuocabant in voce magna, & incidebant se iuxta ritum suum in cultris & in lanceis vsque ad effusionem sanguinis super eos, & prophetauerunt vsque quod tránsiit meridies. Et factum est vt tempus meridiei, vt ascenderet sacrificium, & non erat vox, & non erat auscultatio; & dixit Elias ad populum: Accedite ad me. Et accessit omnis populus ad eum; & curauit altare destructum. Et accepit Elias duodecim lapides iuxta numerum tribuum Israel, sicut loquutus est Dominus ad eum, dicens: Israel erit nomen tuum. Et ædificauit lapides in nomine Domini, & curauit altare Domini dirutum. Et fecit aquæductum qui capiebat duas metretas seminis in circuitu altaris, & posuit ligna super altare quod fecit: & diuisit in membra holocaustum, & posuit super ligna, & cõstruxit super altare. Et dixit Elias: Accipite mihi quattuor hydrias aquæ, & fundite super holocaustum, & super ligna. Et dixit secundò: Facite, & secundò fecerunt. Et dixit tertio: Facite, & tertio fecerunt. Et ibat aqua in circuitu altaris, & aquæductum impleuit aqua. Et cum esset tempus vt offerretur sacrificium, & accessit Elias propheta, & dixit: Domine Deus Abraham & Isaac & Israel, hodie cognoscat omnis populus iste quia tu solus Dominus Deus Israel, & ego seruus tuus, & propter te feci hæc omnia. Exaudi me Domine, exaudi me, & cognoscat populus iste quia tu Dominus Deus, & tu conuertisti cor populi post te. Et cecidit ignis à Domino de celo, & deuorauit holocaustum, & ligna & aquam quæ erat super ipsum, & aquam quæ erat in aquæductu, & lapides & puluerẽ linxit ignis. Et vidit omnis populus, & cecidit super faciem

ciem suam, & dixerunt: Verè Dominus est Deus, Dominus ipse est Deus. Et dixit Elias ad populum: Apprehendite prophetas Baal, nullus saluetur ex eis. Et apprehenderunt eos, & duxit eos Elias in torrentem Cison, & interfecit eos ibi. Et ait Elias Achab: Surge, & comede & bibe, quia vox soni pluuiæ. Et surrexit Achab vt comederet & biberet. Et Elias ascendit in Carmelum, & inclinauit se super terram, & posuit faciẽ suam inter genua sua, & dixit puero suo: Ascende, & prospice viam maris. Et ascendit, & contemplatus est puer, & ait: Non est quidquam. Et ait Elias: Reuertere, & aspice septem vicibus. Et factum est in septima, & ecce nubes parua quasi vestigium viri, adducens aquam de mari. Et dixit Ascende, & dic Achab: Iunge currum tuum, & descende, ne occupet te pluuia. Et factum est vsque hinc, & hinc, & cælum contenebratum est in nubibus & vento, & facta est pluuia grandis. Et equitauit Achab, & abiit in Iezrahel: & manus Domini facta est super Eliã, & adstrinxit lumbum suum, & currebat ante Achab vsque ad Iezrahel.

### III. Reg. Cap. XIX.

ET nuntiauit Achab Iezabel omnia quæ fecerat Elias, & quomodo occidit prophetas in gladio. Et misit Iezabel ad Eliam, & dixit: Hæc faciant mihi dei, & hæc addant, quod hac hora cras ponam animam tuam sicut animam vniũs ex illis. Et timuit Elias, & surrexit & abiit iuxta animam suam, & venit in Bersabee quæ est Iuda. Et dimisit puerum suum ibi, & ipse perrexit in deserto viam diei, & venit & sedit subter iuniperum, & petiuit animæ suæ vt moreretur, & ait: Sufficiat nunc Domine, tolle iam animam meam à me, quia nõ melior sum ego super patres meos. Et dormiuit, & obdormiuit sub planta ibi: & ecce quidam angelus tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede. Et respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis siligineus, & lecythus aqua. Et surrexit Elias, & comedit & bibit, & reuersus dormiuit. Et reuersus est angelus Domini secundò, & tetigit eum, & dixit ei: Surge, & comede, quia multa à te via. Et surrexit, & comedit & bibit: & abiit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus vsque ad montem Cho-

reb. Et ingressus est illuc in speluncam, & mansit ibi. Et ecce verbum Domini ad eum, & dixit: Quid tibi hinc Elia? Et dixit Elias: Zelans zelatus sum Domino omnipotenti, quia dereliquerunt te filij Israel: altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt in gladio: & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam vt auferant eam. Et ait: Egredieris, & stabis coram Domino in monte: & ecce Dominus transibit, & spiritus grandis fortis dissoluens montes, & conterens petras coram Domino: non in spiritu Dominus. & post spiritum commotio: non in commotione Dominus. & post commotionem, ignis: non in igne Dominus. & post ignem vox auræ tenuis, & ibi Dominus. Et factum est vt audiuit Elias, operuit vultum suum in pallio suo, & egressus est & stetit iuxta speluncam: & ecce ad eũ vox, & dixit: Quid tibi hinc Elia? Et dixit Elias: Zelans zelatus sum Domino Deo omnipotenti, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel: altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt in gladio: & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam vt auferant eam. Et ait Dominus ad eum: Vade & reuertere in viam tuam, & venies in viam deserti Damasci: & unges Azael in regem super Syriam, & Iehu filium Nameffi unges in regem super Israel, & Elisæum filium Saphat de Abelmeula unges in prophetam pro te. Et erit qui saluatus fuerit de gladio Azael, occidet Iehu: & qui saluatus fuerit de gladio Iehu, interficiet Elisæus. Et derelinquam de Israel septem milia virorũ, omnia genua quæ nõ incuruauerunt genu Baal, & omne os quod nõ adorauit eum. Et profectus est Elias inde, & reperit ibi Elisæum filium Saphat, & ipse erat arans in bobus. Duodecim iuga bouum erant coram eo, & ipse in duodecim. Et abiit ad Elisæum Elias, & proiecit super eum pallium suum: & reliquit Elisæus boues, & cucurrit post Eliam, & ait: Deosculabor patrem meum & matrem meam, & sequar te post te. Et dixit ei: Vade, reuertere: quid feci tibi? Et reuersus est à tergo eius, & tulit iuga bouum, & mactauit & coxit ea in instrumentis bouum, & dedit populo, & comederunt. Et surrexit & abiit post Eliam, & ministrabat ei.

*Qua ratione diuinum ad patres resultauerit oraculum, vt egredientes ad bellum tuba canerent: & cur nos etiam tuba canere debeamus.*





non fumigās Sina perterrit. Neque verò introisset in nubem, & vocem Dei loquentis de medio ignis sine periculo salutis audisset, nisi munitus armis ieiunij fuisset. Quadraginta enim diebus ieiunauit in mote cum legem acciperet à Domino Deo nostro. Et in superioribus quidē montis lex dabatur Moyfi ieiunanti, in inferioribus populo manducati prauaricatio sacrilega luxu accendebatur epulantium. Quo spectaculo motus fregit tabulas Moyses, indignum iudicans vt ebrio populo lex daretur. Itaque tabulas legis, quas accepit abstinētia, conteri fecit ebrietas. Quid verò alia dicam? Nōne sterilitatem matris Samson, vini abstinētia fecundauit, & parientem fecit ex sterili? Quoniam iuxta præceptum Domini vinum non bibit. Nōne Annam nō manducantem exaudiuit Dominus, & infecunditatem eius soluere ieiunia? Ex quibus duo generati, vnus fortissimus, alius obseruantissimus, dignos se præbuerūt qui ieiunio gremio diu foti, & quodā abstinēti effusi vtero viderentur. Idem itaque Samson, qui matris sobrietate generatus est, allophylorum insultantium sibi ebrietate perit. Elifæus vates à magistro quidem dixerat parsimoniam, cum filios aleret prophetarum, vitis agrestis grumulis mensas onerabat & inēptis siluestribus oleribus, hospitalis humanitatis implebat officiū. Quorū offēsi amaritudine, cum manducare non possent, leuis farina aspersione omnē illam amaritudinē temperauit, abstinētiæ prophetiæ munere veneni vires euacuans.

Quod tres pueri Hebræorum ieiuni in caminum ignis intrantes, non solum non lesi, sed & illic refrigerati fuerint: & quod Danielis ieiunium etiam leones ieiunare docuerit.

CAP. VII.

Evocant, nullo facilis igni consumi: quæ imposita focus ignescit, illico sublata de flama tamquam aquarum infusione mundata respundet. Talia erant Hebræorū corpora puerorū, quæ ieiunio in amianti transformata naturam, vapore ignis non ad dispendium sui, sed ad gratiam vtebantur. Denique cum furenter fornacis incendia, vt ultra quadraginta cubitos flamma per circuitum funderetur, consumens plurimos quos repererat Chaldæorū, qui naphtha, pice & stuppa atque sarmento alimenta ignibus ministrabant: vbi, quia ieiuni ingressi sunt, discussio ardore flammarum in medio fornacis flatum roris refrigerantis spiritum hausere, ita vt eorum nullus capillus capitis exureretur, quia illā quoque ieiunia comam pauerant. Daniel vir desideriorum, trium hebdomadarū ieiunio leones quoque docuit ieiunare, missus in lacum, & in adamantis rigorem abstinentiæ soliditate mēbra duratus non patuit vulnere. Sic cum constrinxerant ieiunia, vt in eius corpore ferarum morsibus locus esse non posset. Clauā tenebant feri leones ora, quæ abstinētia prophetæ sancti comprimebat, vt ea aperire non possent, meriti quibusdam vinculis alligata. Ieiunium itaque virtutum ignis extinxit, ieiunium ora obstruxit leonum, ieiunium maris fluentia solidauit, ieiunium petram soluit in fontes aquarum, virtute ieiunij cōtra suam mutata naturam & fluctus obriguit, & petra inundauit.

De utilitatibus ieiunij: & de escarum laqueis, & inquietudine & periculis conuiuitorum. CAP. VIII.

Sed quid vetustis vtar exemplis, cum abundet ieiunium etiam præsentium muneribus gratiarum? Quis deteriorauit domum suam ieiunio? Quis imminuit facultates? Cui non suspecta luxuries? Cui non venerabilis abstinentia? Cuius torum appetiuit parsimonia? Cuius pudorem non læsit ebrietas? Ieiunium continentiae magisterium est, pudicitiae disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, purificatio animæ, miserationis expensā, lenitatis institutio, charitatis illecebra, senilis gratia, custodia iuuentutis. Ieiunium est infirmitatis leuamen, alimentum salutis. Nemo crudelitatem ieiunando incidit, nullus per continentiam ictum sanguinis sensit, immo nullus nō refertit & repulit. Bonum itineris viaticum, bonum totius vitæ. In mari sedat naufragia, cibum seruat. Qui graue dicunt ieiunium esse, respondeant quis ieiunio defecerit. Multi in prandio, plerique dum vomunt epulum, fudere animam. Quod postremò animal ieiunium sibi causam fuisse mortis ingemuit? Per escam laqueus non cauetur, in esca hamus latet, & cibus inducit in retia, cibus visco etiam aues illigat, cibus volantes deponit ad mortem. Quæ non propter ventrem pericula? Muta animalia crimen nesciunt, & in hoc solo tamquam pro crimine puniuntur. Ieiunium sobrietas mentis est, hoc vigent sensus, in hoc iudicia tractantur, in conuiuio pocula. Ieiunium custodit disciplinam, luxuriam sequitur inopia. Luxuria mater est famis, secundum propheticum dictum. Ieiunium quietem diligit, luxuria inquietudinem. Ieiunium otia quærit, luxus seclatur negotia. Obsonator antequam luceat, fores pulsat alienas, & tamquam bellū aliquod immincat, excitat dormientes. Turbatum vides, anhelantem aduertis, interrogas quæ causa perturbationis sit. Pōscit, inquit, dominus meus, vbi vinum melius vaneat, quærit vbi durior vulua curetur, vbi iecur mollius, vbi phasianus pinguior, vbi piscis recentior. Cur sitat per diuersa: & cum inuenerit, summo cursu properat. Inquietat dominum somnolentum, auertitur pretia. si pretium mouerit piscis, nusquam meliorem afferit inueniri, immo deesse. Heri, inquit, tempestas, hodie procella, vix istum potui latentem deprehendere. Multi concurrant in macellum: si tu reddideris, alter plus dabit, & quid exhibebis in prandio? Istius vini ille natalis est, hæc ex illo lacu lecta ostrea: talis fit de singulis licitatio. Hasta quædam agitur inter obsonatore & pastorem. Turbatus addicit patrimonium, rogat adhuc per quos suorum bonorum iura minuantur. Curritur ad coquinam, fit ingens strepitus, fit tumultus. Tota exagitur familia, maledicunt omnes, quod nulla his requies detur. Tandem aliquando da requiē coquo. Instar statuæ pincernæ dextera summo gelu riget. Ille in frigida exercet manus, illi marmora lauant, Mundant pauimenta vino madida, & spinis cooperata piscium: & quanti dum ambulant vulnerantur? In ipso conuiuio clamor epulatum, gemitus vapulantium. Si quis fortē displicuit amicis, illi rident, tu indignaris. Sileat aliquando domus à multis perturbacionibus

Exod. 32.

Iudic. 13.

1. Reg. 1.

Iudic. 16.

4. Reg. 4.

Plinius lib. 36. ca. 19. & Dioscorides li. 5. cap. 93.

Dan. 3.

Ibid.

Dan. 9.

Dan. 14.

Exod. 15.

bacionibus huc atque illuc discurrentium, à sono animalium, vacet fumo, & semiuolutorum nidore. Non coquinam, sed carnificinam putes: prælium geri, non prandium curari: ita sanguine omnia natant. Malè domini seruitur gula, quæ semper expetit, numquam expletur. Quid enim insatiabilis ventre? Hodie suscipit, & cras exigit. Cum impletus fuerit, disputat de continentia: cum digesserit, vale virtutibus dicit, quærit luxuriam. Inter pocula philosophia prædicatur, inter philosophos vina laudantur. Vigilia inquit, & cholera, & torturā homini insatiabili: manducat, & paulo post penitet: non illum diutius sua intemperantia delectauit. Attende diuitem qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide, cuius ad ianuas mendicus ille Lazarus iacebat plenus vlceribus, cupiens saturari ex his quæ de mensa cadebant diuitis. Paulo post cum esset mortuus, cœpit rogare postus in inferno, vt extremum digiti sui pauper ille in aquam intingeret, & refrigeraret linguam eius, quæ ardebat in cœdio. Vbi illa copiet vbi illa ebrietates: Sicut, qui inebriabatur abundat, qui mendicabat. In ipso conuiuio dum bibunt, sitiunt: & cum inebriati fuerint, amplius bibunt. Quasi aperto gurgite vinum iam non bibitur, sed infunditur: poculum non libatur, sed exinanitur.

Qua ratione potentes prohibeantur vina bibere, & de ieiunio Iudith: quodque Hester pulchrior facta sit ieiunio, Aman autem suæ ebrietatis poenam exsoluerit: ac de multis excellentibusque ieiunij præconis. CAP. IX.

Spinæ, inquit, nascuntur in manibus ebriosi, & ipse sic vulnerat, & vlcera sibi in pectus adigit. His spinis scidit vestimentum fidei quod accepit, & thesaurum suum seruare non poterit. Omnis enim ebrius & fornicator egebit, & induet se scissa vestimenta insipientiæ. Et ideo potentes vinum prohibentur bibere: ne cum biberint, obliuiscantur sapientiam. Denique bibebant vinum in ebrietate potētes, qui Holoferni principi militiæ regis Assyriorum se tradere gestiebant: sed non bibebat scemina Iudith, ieiunans omnibus diebus viduitatis suæ, præter festorum dierum solemnitates. His armis munita processit, & omnem Assyriorū circumuenit exercitum. Sobrii vigore consilij abstulit Holofernis caput, seruauit pudicitiam, victoriam reportauit. Hæc enim succincta ieiunio, in castris prætebat alienis: ille vino sepultus iacebat, vt ictum vulneris sentire non posset. Itaque vnus mulieris ieiunium innumeros strauit exercitus Assyriorū. Hester quoque pulchrior facta est ieiunio. Dominus enim gratiā sobriæ mentis augebat. Omne genus suum, id est, totum populum Iudæorum à persecutionis acerbitate liberauit, ita vt regem sibi faceret esse subiectum, nō libidinis ardore flammatum, sed cælesti miseratione conuersum, ita vt & poena retorqueretur in impium, & honor sacris redderetur altaribus. Itaque illa quæ tri-duo ieiunauit continuo, & corpus suum aqua lauit, plus placuit, & vindictam retulit. Aman autem dum se regali iactat conuiuio, inter ipsa vina poenam suæ ebrietatis exsoluit. Est ergo ieiunium reconciliacionis sacrificium, virtutis incrementum, quod fecit etiam forminas fortiores augmento gratiæ. Ieiunij

nescit sceneratorum, non fortem sceneratoris nouit: non redolet vsuras mensa ieiunantium; non stragulant filium continentis viri paternæ centesimam: non vexant viduam oppignorata sobrii viri defuncti: non defœnerata excludit hæredem aula ieiunij. Etiam ipsis ieiunium conuiuus dat gratiam. Dulciores post famem epulæ sunt, quæ assiduitate fastidio sunt, & diuturna continuatione vilescunt. Condidementum cibi ieiunium est. Quanto auidior appetentia, tanto esca iucundior. Commendat sitis poculum, nescit vinum quærere. Ieiunus quidquid hauserit, transmittit ad satietatem, non ad iudicium nari suspendit. Vtu etiam pretiosa degenerant: quorum autem difficilis possessio, eorum grata perfunctio. Ipse sol post noctem gratior, ipsa lux post tenebras splendidiore: & post vigilias sopor dulcior: ipsa salus post agritudinis tentamenta iucundior. Ab ipso mundi conditore didicimus sæpe diuersitatibus cumulati gratiam. Patrocinator ergo & conuiuio famas, vt gratior fiat mensa ieiunij.

Quemadmodum mystica mensa ieiunio comparatur: & quæ famas faciat acceptabile ieiunij: quidque sit quod dicitur: Cum ieiunatis, ungitur capita vestra: & de duplici capite, ac de unguento sobrietatis, & oleo leuitiæ. CAP. X.

Mystica quoque mensa ieiunio comparatur. Illa mensa, de qua dicit Dauid: Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Mensa ista famis acquiritur pretio: & poculum illud inebrians sobrietate cælestium sacramentorum, siti quæritur. Dixit enim Dominus: Qui sititis, ite ad aquam: & quicumque non habetis argentum, ite & emite, & bibite & manducate. Et alibi ait: Ecce qui seruiunt mihi, manducabunt, vos verò esurietis. Ecce qui seruiunt mihi, bibent, vos autem sitietis. Qui vos, nisi qui antè potastis? De quibus supra dixit: Parastis dæmoniis mēsam, & impletis Fortunæ poculum. Ergo si ad mensam illam venerabilem ieiunia sancta nos perducit, si hac fame illa quæ sunt æterna mercamur, quid de iis dubitamus quæ in vtu humano sunt, quod etiam suauiora hæc nobis faciat ieiunium? Non autem omnis famas acceptabile ieiunium facit, sed famas quæ Dei timore suscipitur. Considera: Quadagesima totis præter sabbatum & Dominicam ieiunatur diebus. Hoc ieiunium Domini Pascha concludit. Venit iam dies Resurrexionis, baptizantur electi, veniunt ad altare, accipiunt sacramenta, sitientes totis hauriunt venis. Merito dicunt singuli refecti spiritali cibo, & spiritali potu: Parasti in conspectu meo mēsam: & poculum tuum inebrians quàm præclarum est. Non sola autem famas quæritur, sed planè disciplina ieiunij. Denique aliis dicitur: In diebus ieiuniorum vestrorū inuenitis voluntates vestras, & omnes subditos vestros stimulat. Ad iudicia & rixas ieiunatis, & pulsatis pugnis. Vt quid mihi tale ieiunium, ita vt audiat in clamore vox vestra? Non hoc ieiunium ego elegi, & diem ad humiliandum animam suam hominem: nec si scētās vt circulum collum tuum, cinerē etiam & cilicium susternas, nec sic vocabitis ieiunium acceptum. Non tale ieiunium ego elegi, dicit Dominus. Quod ieiunium improberet, audiuimus: nūc audiamus quod sit probabile. Sed solve omnem

Ecdi. 31.

Luc. 16.

Aff. 27.

numer. 26.

Isai. 23.

Isai. 31.

Iudith. 8.

Iudith. 13.

Hester. 4.

Hester. 5.

Hester. 7.

Esai. 22.

Esai. 55.

Esai. 63.

Ibid.

Psal. 22.

Esai. 58.

colligationem iniustitiarum, dissolue obligationes violentarum commutationum, dimitte contractos in remissionem, & omnem conscriptionem iniquam dirumpe: Frange esurienti panem tuum, & egenos non habentes tectum induc in domum tuam: & si videris nudum, cooperi cum: & domesticos feminis tui non despicias. Vides quæ species sit & forma ieiunij, quis mentis habitus? vt orationi vaces, & in lege Dei die ac nocte mediteris. Ipsa figura corporis plena iustitiæ grauitate, nullus rubor ebrietatis circumfusus genas intuentium offendat aspectus, sed vultus casto micet pallore reuerendus, sermo grauior, oculus verecundior, gressus stabilior atq; moderatior. Plerumque enim in turbatiore incessu proditur motus animorum. Vultus intentior, & quidam cogitationis suæ arbiter, & tacitus cordis interpret, vt neque tristitiam prætexat, neq; soluatur risu incontinenti. Non enim superfluum hoc putes nostræ cōmonitionis, cum sapiētia dicat in Euangelio: Cū autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Ideo dixit hypocritas, eo quod simulatione alienam personam induāt, sicut in scena qui tragœdias canunt, pro eorum dictis quorum personas gerunt, motus suos excitant, vt aut irascantur, aut mereant, vel exultent. Affectant enim isti, vt ieiunare videantur hominibus magis quàm Deo, cupientes probari, quod faciebant Iudæi. Ideo nobis dicitur: Vos autem cū ieiunatis, vngite capita vestra, & faciem vestrā lauate, ne pareatis hominibus quia ieiunatis, sed patri vestro qui est in abscondito: & pater vester qui videt in abscondito, reddet vobis. Quid est, Vngite caput vestrum? Sed & luxuriosi dicunt: Vno & vnguentis nos repleamus. Vnguento enim se vngunt, qui corpori odoris gratiam quarunt. Sed & illa vnguenta libidinis illecebras mouere consueverunt. Aliud est sobrietatis vnguentum, de quo dicit Ecclesia ad spōsum suum: Vnguentum exinanitum nomen tuum: aliud oleum quo artus animæ & quædam membra pinguescunt. Vnde & David dicit: Impinguasti in oleo caput meum. Et hoc est oleum lætitiæ, quo vnctus est Christus à Deo patre, vt præ omnibus suis emineret confortibus. Hoc iubet vngere caput nostrum, vt oleo lætitiæ obducatur omnis simulata tristitia, ne videaris ieiunium tuum vendere hominibus, ne videaris contristari in animæ tuæ salute. Nemo enim tristis coronatur, nemo mœstus triumphat. Vnge ergo caput tuum, vbi sensus sapientis sunt. Oculi enim sapientis in capite eius. Ad mysteria vocaris, & nescis: discis cum veneris. Et reminiscere illud: Sicut vnguentū in capite, quod descendit in barbam Aaron. tūc cognosces quid sit: Vngite caput vestrum, quando placueris Deo, vt tibi sua patefaciat sacramenta, & det gratiam spiritalem. Est & aliud caput mysticum. Quod est illud? Audi: Caput mulieris vir, caput autem viri Christus. Mitte in Christum, mitte etiam in caput eius vnguentum. Caput eius Deus est. Illa mulier Ecclesiæ typum gerēs, quæ in caput eius misit vnguentum, confessā est eius diuinitatem: & quæ in pedes eius misit, confessā est eius passionē. Vtraque laudatur. Et tu fac quo lauderis, quo remissionem accipias peccatorum. Laua faciem tuam, emunda animam tuam peccatricem, laua illam, &

omnem conscientiam tuam. Index enim facies plerumque est conscientię, & quidam tacitus sermo mentis, cum aut peccato compungimur, aut integritate lætamur. Noli hęc exterminare faciem, laua illam, & omnem formidinem conscientię tuæ dilue. Exterminat faciem suam qui aliud corde gerit, aliud foris præterdit. Nō nos velut quodā peripetasma te operiamus: quod intus est, foris luceat: quod foris est, intus operetur. Nemo in ieiunio culpam includat, præferat innocentiam. Ieiunium etenim culpæ interfectorium est.

*Quod amara optabiliora sint dulcioribus: & quomodo esca ad horam dulcis, in posterum exemplo Esau amarior efficiatur: & quod nihil prosit ieiunium ad iactantiam factum.* CAP. XI.

**N**emo amarioribus præoptet dulciora. Dulcis voluptas videtur, amarū ieiunium. Hoc amaro illud dulce tollatur. Solent amara etiam ipsis plus prodesse corporibus. Sicut enim cū in intimis puerorum visceribus vermes ex cibi indigestione nascuntur, extingui non queunt nisi cū amarior potus infunditur, aut medicamentorum vis inolefcit asperior, quorum odore moriantur: ita profundum animæ virtus ingressa ieiunij, culpam latentem interficit. Quid Esau seruum fratri suo fecit? Nōne esca ad horam dulcis, amara in posterum? Quid Iacob dominum fratri dedit? Nōne cōtemptus cibi, ad tempus amarior, sed salubris in reliquum? Ipsa corpora dulcibus frequenter instantur, & melle iecur tenditur, idem tamen esca amaritudine temperatur. Ideo non mediocris, sed laudata quæstio: De manducante exiuit esca, & de forti dulcedo. Alij habent: Et de tristi dulce: Græci codices maximè. Sed & fortè laboriosum est. Exit enim dulce de tristitia vel labore. Noli ergo te iactare cū ieiunas, noli gloriari, nihil tibi prodest ieiunium. Quæ enim ad ostentationem sunt, non in futurum fructum extendunt suum, sed præsentium mercede consumuntur. Elias in deserto erat, ne quis eum ieiunantem videret, nisi soli corui qui eum pascerēt. Elifæus in deserto erat, vbi non inueniretur esca, nisi amara. Ioannes in deserto erat, vbi sola locustas & mel siluestre inueniret. Ieiunantibus epulæ pio angelorum ministerio deferbantur. Prandebat Daniel inter ieiunantes leones. Ille prandebat alienum prandium, feræ non tangebant suum. Ieiunantibus epulæ volāt, prandentibus pedes vacillant. Ieiunantibus manna de cælo descendit, epulantibus culpa præuarcationis ascendit.

**Q**uemadmodum ebrietas in omne facinus præcipitet: & de conuiujs lubricorum hominum. CAP. XII.

**S**ed quid est hoc? Dū de ieiunio disputo, strepitus audio conuiuiorum. Nisi fallor, in sermone meo redoluit prandium. Sonus ergo litterarum inuitat, impatientiæ exempla non terrent. Etenim qui ieiunantem, & ea quæ legis sunt ferentem, expectare non passus est populus, vtique sedit manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Videmus sacrilegium ebrietati fuisse coniunctum. Nam sicut mater fidei, continentia,

*Quemadmodum ebrietas in omne facinus præcipitet: & de conuiujs lubricorum hominum.* CAP. XII.

**S**ed quid est hoc? Dū de ieiunio disputo, strepitus audio conuiuiorum. Nisi fallor, in sermone meo redoluit prandium. Sonus ergo litterarum inuitat, impatientiæ exempla non terrent. Etenim qui ieiunantem, & ea quæ legis sunt ferentem, expectare non passus est populus, vtique sedit manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Videmus sacrilegium ebrietati fuisse coniunctum. Nam sicut mater fidei, continentia,

Psal. 1.

Matth. 6.

Ibid.

Sapient. 2.

Cantic. 1.

Psal. 22.

Psal. 44. & Hebr. 1.

Ecol. 2.

Psal. 132.

Matth. 6.

1. Cor. 11.

Ibid.

Ad. 1. 2. 6.

Luc. 7.

Gen. 25.

Iudic. 14.

3. Reg. 17.

4. Reg. 4.

Matth. 3.

Dan. 14.

Exod. 16.

Exod. 31.

Ibid.

continentia: ita perfidiæ mater, ebrietas est. In quod facinus non ista præcipitat? Sedentes in foribus tabernarum homines tunicam nō habentes, nec sumptum sequentis diei, de imperatoribus & potestatibus iudicant, immò regnare sibi videntur, & exercitiis imperare. Fiunt ebrietate diuites, qui sunt in veritate inopes. Aurū donant, dispendant pecunias populis, ciuitates ædificant, qui non habent vnde cauponi potus sui pretium soluant. Feruet enim vinum in his, & nesciunt quid loquātur. Diuites sunt dum inebriantur: mox vbi vinum digesserint, cernunt se esse mendicos. Vno die bibunt multorum dierum labores. De ebrietate ad arma consurgunt, calicibus tela succedunt. Pro vino sanguis effunditur, & ipsum sanguinem vina fuderunt. Quam fortes sibi homines videntur in vinō, quàm sapientes, quàm disertī, quàm etiā pulchri ac decori, cum stare nō possint? Mēs titubat, lingua balbutit, pallor exāguis ora suffūdīt, foetor ebrietatis horrore fit. barbari in ferrū ruunt, vulgus in rixas. Si quis eorum pugno fuerit percussus, videas ora sauciorum vini lacrymas fundere, miserabiles epilogos decātare. Habet enim hoc temulentia, vt & molliat & resoluat corda temulentorum. Sicut enim ignis emollit ferrum durum, ita & vini incendio etiam superborum hominum cor liquefcit. Omnes sibi in vino æquales videntur, nullus inferior. Non pauper diuiti cedit, vt pote qui pauperem se esse nescit. Non infirmus valido, cui omnis in bibendo est fortitudo. Non mendicus locupletiori, non ignobilis honorato: sed cū bibunt, illum regem habent qui bibendo superauerit ceteros. Meritōque scriptum est: Æqualis vita hominibus, vinum in ebrietate. Sed vtinam & quod sequitur audires: sibas illud moderatè, vt sis sobrius. Non habes quod accuses vinum, in incunditatem creatum est, non in ebrietatem ab initio. Exultatio animæ & cordis est, si moderatè sibas: immoderatio autem potus in iracundiam concitat, & ruinas multas efficit. Sed fortè dicant has esse potationes vulgariū & leuissimorum hominum. Veniamus ergo ad potentium & fortissimorum conuiuia. Non ego hęc vnguentatos adolescentulos aut coronatos rosis proferam, qualem ferunt illum fuisse qui delibutus vnguentis, redimitus floribus, subnixus meretricibus, antelucano potu ebruius, & diurno cercorum comitatus lumine, philosophi auditorium disputantis ingressus sit. Quo audito, coronas, vt aiunt, sensum detraxerit, vnguenta deterferit, scortis vale dixerit: philosophus postea tantus euaserit, vt esset sobrietatis exemplum, qui fuerat antè ebrietatis ludibrium. Non emendatum illis inuideo, doceam tamen genus eorum luxuriæ à me non esse simulatum. Certe ille si respicit à vino, fuit tamen semper temulentus sacrilegio.

*De conuiujs præliatorum & fortissimorum adolescentum; & de potu ad æquales calices: & de furoris poculo.* CAP. XIII.

**I**gitur hinc ad conuiuia præliatorum veniamus. Inter arma prandendum est. Stipatores hi sunt bellici, qui ministrant, succincti auro, & Babilonicis lumbos suffulti baltheis: aureis torquibus nitēt col-

la, infantium aureis bullis zonam tegunt; aureis thecis cultros includunt suos, quibus dimicent cum epulis diuidendis. Assunt pueri coma nitentes, ex gente barbarica ad hos vsus electi, per singularum distincti atatum vices. Cernas poculorum diuersorum ordines, aciem ordinatam putes, vasa exposita aurea & argentea, pompam arbitreris, cornu in medio vini plenum, non epularis sed præliaris instrumentum buccinæ, quod discumbentes in certamen accendat. Primò minoribus poculis velut velitari pugna præluditur. Verum hæc non sobrietatis est species, sed bibendi est disciplina. Etenim vt tragœdiarum actores primò sensim vocem excitant, donec viua vocis aperiant iter, vt postea magnis possint clamoribus personare: ita isti quoq; in principio prælusorii se exercent poculis, vt irritēt sitim, ne fortè restinguāt eam, & fatiati postea bibere non possint. Ergo vbi res calere cœperit, poscunt maioribus poculis: feruor inardescit. Aridus cibus siti exæstuat, & vbi imminui vasa cœperint, potu meracior reparantur. Certant pocula cum ferculis, & inter moras sæpe geminantur. Deinde procedente potu longius, contentiones diuersæ, & magna certamina quis bibendo præcellat. Nota grauis, si quis se excuset, si quis temperandum fortè vinum putet. Et hæc donec ad mensas perueniatur secundas. At vbi consummata fuerint epulæ, & putes iam esse surgendum, tunc de integro potum instaurāt suum: & cū consummauerint, tunc inchoare se dicunt, tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres quasi instrumenta bellorum. Ac ne immoderatū hoc arbitreris, mēsurā proponitur, certatur sub iudice, sub lege decernitur. Agonothetes illic furor est, stipendiū debilitas, victoriæ præmium culpa, pendet anceps diu & dubius belli euentus. Furor enim illic est præliaris. Cedunt pincernarum manus vina fundētium, & coquorum labores calida ministrantium, cedunt qui mensuras ipsas bonas superfluentes diligentī librant examine ne quid effundāt: non cedunt bibentes. Sola illa sunt sine excusatione certamina. In bello si quis se inferiorem viderit, arma conuertit, & meretur veniam: hic si quis calicem conuertat, vrgetur ad potum. In scammate si quis te manuleuat, exors quidem palmæ, sed immunis iniuriæ es: in conuiujs etsi manum reuocet à vino, ori eius infunditur. Omnes inebriantur, victores victique omnes ebrij iacent, plerique sopiti. Nec portari eos ad sepulcrum licet, priusquam qui pascit, de omnibus vindictam viderit, vt vleiscatur dispendum. Qui autem damna non sentit, hanc mensæ suæ gloriam putat, si ex ea vulnerati omnes ac saucij tamquam de arena exeant. Spectaculum triste Christianorum oculis, & miserabilis species. Cernas iuvenes terribiles visu hostibus de conuiuio portari foras, & inde ad conuiuium reportari: repleti vt exhauriant: & exhauriri, vt bibant. Si quis verecundior fuerit, vt erubescat surgere, cū iam immoderatos potus tenere non possit, anhelare vehementius, sudare, gemere, signis prodere quod pudet confiteri. Ibi vnusquisque pugnas enarrat suas, ibi fortia facta prædicat, narrat trophæa. Vno madidi & somnolenti nesciunt mente quid lingua proferat. Vnusquisque stertit & potat, dormit & dimicat: & si quando

confurrectum fuerit, viri præliatores stare non possunt, gressu vacillant. Rident seruuli dominorum opprobria, manibus suis portant militem bellatorem, imponunt equo. Itaque hæc atque illæ tamquam nauigia sine gubernatore fluctuât, & tâquam vulnere icæi in terram desluunt, nisi excipiantur à seruulis. Alij referuntur in scutis, sit pompa ludibrij. Quos manè insignes armis spectaueras, vultu minaces, eosdem vesperi cernas etiam à puculis rideri: sine ferro vulneratos, sine pugna interfectos, sine hoste turbatos, sine senectute tremulos, in ipso iuuentutis flore marcentes.

*De reprehensione eorum qui conuiuia illicita præparant: & quòd maior sit vis vini, quàm veneni. CAP. XIII.*

**Q**uis tale miscuit furoris poculum? Quis tantum infudit mentibus venenum? Periclitatur homo vltimum ille de corpore, & ipse sibi reus est insanix voluataria, corruptelæ spontaneæ: & tamen nec vos excusamini qui vocatis vt amicos, & emititis vt inimicos. Quanto melius in terram tua vina fudisses? Sed & terra inebriat, & asperiores etiam ipsas feras reddit si vini contigerit odor. Denique vindemiæ tempore si vineam intrare voluerint, solent ebrietate succendi. Quid te delectant damna sine gratia? Rogas ad iucunditatē, cogis ad mortem: inuitas ad prandium, & offerre vis ad sepulcrum. Cibos promittis, tormenta irrogas: vina præ tendis, venena suffundis. Omne enim quidquid nocet, venenum est. Tollit sensus, viscera exurit, somnum infestat, caput vexat. Etiam maior vis vini quàm veneni est. Denique venenum vino excluditur, non vinum veneno. Meritò Deus per Moysen non solum veneno, sed etiam draconum veneno viam comparauit, dicēs: Furor draconum vinum eorum, & ira aspidum insanabilis. Et pulchrè additur, Insanabilis. Multi enim reliquorum serpentium veneno curantur, nemo ebrietate. Certè veneno caro vulneratur, vino mens. Noxia est ebrietas ad corporis sanitatem, menti etiam crimen adiungit. Aduerte etiam & perfidiæ venenum, vini declaratū nomine. Ait enim supra de alienigenis, qui nescirent Deum: De vinea enim Sodomorum vinum eorum, & vitis eorum vitis Gomorrhæ: vna eorum vna fellis, botrus amaritudinis in ipsis.

*Quid de ebrietate Esaias loquatur: & quòd non solum vinum, sed etiam sicera inebriat: & quid significet, Calix aureus Babylon in manu Domini: & quomodo vas Apostolorum fictile sit. CAP. XV.*

**P**vtatis me tamquam vino crapulatum, intemperantius iciniij prædicatione hunc miscuisse sermonem? Et adhuc secundum prophetas fortissimos viros quæta præterij, quæto minora dixi, quàm Dominus locutus est? Audistis quid per Moysen dixerit, audite quid in libro sermonum Esaiæ scriptum sit. Inuenitur enim Dominus huiusmodi verbis vsus, & ait: Væ iis qui consurgunt mane, & sectantur sicera, qui ebrij sunt vespertina, vinum eos cõburet. Cum cithara enim & psalterio & tympanis vinum bibunt: opera autem Domini non respiciunt, & opera manuum eius non considerant. Cui vax, inquit, cui iudicia, cui tumultus? Diuersa singulis, temulentis omnia. Væ enim iis qui ebrij sunt vesperi. Quid ergo illis qui & ante vesperam, & frequenter in luce madent? Ergo vax sibi debitum. Habent concertationes, conferunt lites, in eadem profiliunt, & veniunt ad iudicia, vel vocantur. Habent ergo & iudicia tamquam rei. Fit nonnumquam grauior tumultus, quia vino mens peruertitur ebriosis, & nõ meminit regis, nec magistratus, vt scriptum est: Et omnia aperta facit loqui, & nõ meminerunt cum biberent, amicitix, nec fraternæ necessitudinis. Sed non post multum sumunt gladios: & cum à vino merfi fuerint, & surrexerint, non meminerunt ipsi quæ gesserint. Habent ergo etiam dignam mercedem tumultus. Præteream certè ego citharam, psalteria, tympana, quæ cognouimus conuiujs huiusmodi frequentèr adhiberi, vt vino & cantu excitentur libidines. Plerique etiam Persico more mulieres dignas temulentorum consortio induci iubent, & ab his phialas accipiunt, atque illis substernunt sedentibus. Et hunc ritum sacratæ habent obseruationes in ebrietatis ministerium. Habent ergo vinum & Barbari: libenter his Romanus indulget, vt & ipsi soluuntur in potus, & eneruati ebrietate vincantur. Nec solum vinum ebrietatem facit, sed sicera. Denique Hebræi omnem potum qui inebriat, sicera nomine vocant. Non immeritò ergo vax illis qui mane ebrietatis potum requirunt, quos conueniebat Deo laudes referre, præuenire lucem, & vacare orationi, occurrere Soli iustitiæ, qui nos visitat, & exurgit nobis, si nos Christo non vino & sicera surgamus. Hymni dicuntur, & tu citharam tenes? Psalmi canuntur, & tu psalterium sonas aut tympanum? Meritò vax, qui salutem relinquis, mortem eligis. Vix diluculum, & iam cursatur per tabernas, vinum quaritur, excutuntur tapetes, accubitum festinant sternere, lagenas argentæas, aureos calices exponunt. Vax, inquit, ista quærentibus. Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram. A vino eius biberunt omnes gentes, ideo commotæ sunt. Et subito cecidit Babylon, & contrita est. Calix ergo aureus contritus est; quia Babylò cõtrita est, quæ est calix aureus. Sed quamuis auro se iactet & pretio, in Domini & ipsa est potestate. Denique diuina indignatione conteritur. Qua ratione calix aureus? Quoniam qui à veritate deficit, quærit illecebram, vt specie saltem pretiosa ad bibendum aliquos possit illicere. Constitue ante oculos tuos pompam huius sæculi, vide speciosam illecebram, sed inanem gratiam. Non seducant te aurea vasa & argentea. Habemus & nos thesaurum in vasis fictilibus. Vas Apostolorum fictile est, sed in eo thesaurus est Christi. Vax sicera manè sectantibus. Aureum est hoc vas, poculum est, & in eo poculo venenum mortis, venenum libidinis, venenum ebrietatis. Hoc qui biberit, commouetur & cadit. Commouetur non solum corpore, sed etiam corde turbatur. Commoueri enim peccati est.

*Prout. 27.*  
*Esa. 5.*  
*3. Esdr. 3.*  
*1. Reg. 1.*  
*Sapient. 16.*  
*Hier. 51.*  
*Hier. 48. ibid.*  
*Ephes. 5.*  
*Gen. 2.*  
*1. Cor. 4. Esai. 5.*

*De magna ebrietatis detestatione. CAP. XVI.*

**D**eniq; Cain exiens à cõspectu Dei, habitauit in terra Naid, quod per interpretationē significat

cat cõmotionem. Ergo qui calice aureo inebriatur, peccato mouetur. Quid te sub maledicto constituis Cain illius parricidæ, vt tremens atq; profugus mouearis? Sed & persecutores Domini transeuntes mouebant capita sua. Exagitabat enim eos spiritus nequam, qui repleta à se corpora mouere consuevit. Et ille cum defuerit, tremor desinit: ebrietas autem perpetuum dat tremorem. Sudant vino corpora temulentorum: si leuius ea tetigeris, exprimis vinum. Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentiuum insanix, ebrietas venenum sapientiæ. Hæc sensus hominum mutat & formas, per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes. Siquidem naturali vapore corporis calidi, & præter naturam vini calore flammati, cohibere se non queunt, & in bestiales libidines excitantur, vt nullum tempus præscriptum habeant quod doceat indulgere concubitu. Vocem amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excidunt. Hinc phrenesis periculosa, hinc calculi grauis pœna, hinc exitialis cruditas, hinc vomitus frequens semelcæ epulas cum internorum viscerum cruore fundentium. Mentior nisi eadem Dominus per Hieremiam locutus est, dicens: Bibite & inebriamini, & vomite, & cadetis, & non consurgetis. Hinc etiam vanæ imagines, incerti visus, instabilis gressus, vmbra sæpe transiliunt sicut foueas. Nutat his cum facie terra, subito erigi & inclinari videtur, & quasi vertatur, timentes in faciem ruunt, & solum manibus apprehendunt, aut concurrentibus montibus sibi videntur includi. Murmur in auribus tamquam maris fluctuantis fragor, & resonantia fluctu litora. Canes si viderint, leones arbitrantur, & fugiunt. Alij risu soluuntur in conditò, alij inconsolabili mœrore deplorant, alij cernunt irrationabiles pauores. Vigilantes somniant, dormientes litigant. Vita his somnium est, somnus his mors est: excitari nullis vocibus possunt quæto libet stimulantem impulsu petas, nisi respuerint, cui-gilare non possunt. Vnde bene Hieremias huiusmodi hominem tamquam superfluam creaturam desedum putat. Quid est homo ebrius, nisi superflua creatura? Itaque sic ait: Sicut stertum Iazer desleo te vinea Sabama: deserta est ciuitas Iazer. Et infra: Vinum in torcularibus tuis manè non calcauerunt, neque vesperè fecerunt celeuma. Iazer, Moab, Sabama & Segor, factura superflua est. Moderatio enim naturalis est: supra mësura quidquid est, superfluum habetur. ita est ebrietas, quæ stertu prophético deploratur. Vnde ait Apostolus: Nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed inebriamini spiritu. Est ergo ebrietas culpa, est & gratia. Et fortè hæc naturæ, quæ gratiæ, qui ad imaginem & similitudinem Dei facti, spiritu sancto repleti esse debemus.

*De obestationibus & sacramentis potantium, quæ violare nefas arbitrantur: & quomodo sepe vino secretiora hominis extorqueantur: quòdque frequens ingurgitatio interiora hominis absumat. CAP. XVII.*

**Q**uid autem obestationes potantium loquar? Quid memorè sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro salute imperatorum, & qui non biberit, sit reus indeuotio-

nis. Videtur enim nõ amare imperatorē, qui pro eius salute non biberit. O pia deuotionis obsequium! Bibamus pro salute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum sanitate. Et hæc vota ad Deum peruenire iudicāt, sicut illi qui calices ad sepulcra martyrum deferunt, atque illic in vesperam bibunt, & aliter se exaudiri posse non credunt. O stultitiam hominum, qui ebrietatem, sacrificium putat: qui aestimant illos ebrietate placari, qui ieiunio passiones sustinere didicerunt! Quot de intemperantia conuiuij nouimus ad tormenta venisse? Dum per ebrietatem de imperio suo certant, & sibi regna promittunt, aliis honores pollicentur, infelices ad pœnam ducti sunt, qui quid dicerēt, nesciebāt. Vnde pleriq; boni iudices ea quæ per ebrietatem dicta sunt, esse tenenda ad crimen non putauerunt. Plerique etiam vino vtuntur vt equuleo: & quibus tormenta non eliciunt vocem proditiōis, eos tentant bibendo, vt patriæ statum, salutem ciuium, defensionis suæ prodant consilia. Virtus enim plerumque vincit dolorem, fidem autem potus excludit. Cognoui pleròsq; fiducialis exulceratos nomen suū negasse. Quis inter cyathos texit, quod laterè cupiebat? Quid retexta audita? Mihi nõ poculi, sed profuuij genus esse videtur, quòd in ora hominum tâquam per fistulas aut canales vina funduntur. Hos homines an vtres verius aestimauerim? Et tamen ipsi vtres, si immoderata transfusio fit, sæpe rumpuntur. Per cornu etiã fluentia in fauces hominum vina decurrunt, & si quis respirauerit, commissum flagitium, soluta acies loco motus habetur. Aqua decurrens à Libano cautes rumpit & soluit, quomodo mollibus putant nequaquam nocere visceribus vinolentorum impetus fluentorum? Elephantos quoque ferunt promulcide haurire aquæ plurimum, eosdem tamè ad sedandam sitim moderato potu esse contentos. Sed si fortè ab aliquo caupone fuerint mercede fraudati, indignantes, replere concauum promulcidis, nõ vt bibant, sed effundant, atque ita momentariis inundationibus irrigare eius tabernam, de quo se putarint vindicandos. Siccando ad potum subito lacus, ac repente funduntur, natant omnia. Cui non mirum, tam immania beluarum corpora superfluum nil tenere?

*Quomodo etiam fœmine vsque ad ebrietatem bibant, & inde in plateis inuerecundos sub conspectu adolescentulorū intemperantium ducant choros: & quid boni sit sobrietas; quid mali intemperantia. CAP. XVII.*

**S**ed quid de viris loquamur, quando etiam fœminæ, quas oportet sollicitiorem castitatis sobrietatisque adhibere custodiã, vsque ad ebrietatē bibunt? Deinde surgentes, quas etiam inter secreta domus vel audiri ab alienis non conuenit vel videri, prodire audent in publicum non velato capite, vultu procaci. Apostolus mulieres tacere etiam in ecclesia iubet, domi viros suos præcipit interrogare. Illæ in plateis inuerecundos sub conspectu adolescentulorum intemperantium choros ducunt, iactantes comã, trahentes tunicas, scissæ amictus, nude lacertos, plaudentes manibus, saltantes pedibus, personantes vocibus, irritantes in se iuuenem libidines motu histrionico, petulanti oculo, dedecoroso ludibrio.



Speccat corona adolescentum, & fit miserabile theatrum. Inter saltantium ruinas & spectantium lapsus, caelum impuro contaminatur aspectu, terra turpi saltatione polluitur, quæ obscenis cantibus verberatur. Quomodo patienter loquar, piè præteream, conuenienter desicam? Vinum nobis tantarum animarum damna intulit. Etenim si vinum & mulieres discedere à Deo faciunt, quòd vel ebrietas vel libido præuaricationis illecebræ sint; si singula ac separata hæc faciunt, quid facient vnita? Vnde non immeritò ait Sapiens ante nos: Mulier ebriosa, ira magna, turpitudinem suam non celabit. Quid autem mirum si vino decipiuntur animæ fœminarum, cum omnes illæ tribus patrum cum de petra biberent aquam, manna manducarent, gentes validissimas vincerent, & non erat in his vllus infirmus: vbi verò carnes desiderare cœperunt, & desiderijs in Ægyptum conuertebantur, nequaquam ex tot milibus hominum in terram promissionis præter duos peruenire potuerunt? Itaque quid boni sit sobrietas, quid mali intemperantia, hinc colligi datur, quando qui murmurabant, requirentes Ægypti delicias, à serpentibus mordebantur: quando per maris Rubri transibant semitam, aquam bibebant. Nos ergo vereamur exemplum, nos fugiamus delicias, ne nos futurorum bonorum adeptione defraudent.

*Quid sibi sperare debeant bene pasti & luxuriosi: & de visione Tyri: quòdque mare nulla necessitate, sed sola humana intemperantia inquietatum fuerit: & quomodo luxuriosi nauibus assimilentur.* C.A.P. XIX.

**E**T quid aliorum vtar exemplis? Ipsi bene pasti ac luxuriosi quid sibi sperant, audiamus. Inducit enim eos Esaias propheta dicentes: Mâducemus & bibamus, cras enim moriemur. Meritòq; exclamat: Vlulate naues Carthaginis, quia perierunt, & non amplius erunt. Quod est dictum de visione Tyri, quam luxuriosam urbem cognouimus. Ideoque nona visio est, non septima aut octaua, quòd ea neq; legem custodiat, neque Euangelij gratiam: cum & sabbato legitimo ignes libidinis adolere sit veritum, & Euangelij seric octauus dies resurrectionis illuceat. Idem autem dies primus atque octauus, quia Dominica dies in se recurrit. Luxuria ergo nec finè habet, nec obseruantiam disciplinæ, luxuria feminarium & origo vitiorum est. Nec arbitremini me aduersus Apostolum dixisse, quia ille ait auaritiâ radicem esse vitiorum omnium: quoniam luxuria ipseus est mater auaritiæ. Etenim cum exhauserit quis luxuriando proprias facultates, quærit postea auara cõpendia. Audistis hodie quid lectum sit: Mercatores, inquit, Phœnicum transmeant mare in aqua multa: semè mercatorum sicut messis quæ defertur. Vicinæ sunt istæ ciuitates, Tyrus, Phœnice, Sidon: vicina vt locis, ita & vitijs. Mercaturis ac negotiationibus periculosa transfretatio maris. Luce cella quærens sollicita vita hominû, inquieta cõuersatio, & quodam semper in turbine, ventis ipsis mobilior quibus voluitur, huc atq; illuc sæpe iactatur. Et vtiq; accusatis crebra naufragia. quis vos nauigare compellit? Quasi non inuidia opum & terras faciatis intras, & ad latrocinium plurimos excitetis. Mare non ad nauigandum fecit Deus, sed propter

Ecl. 19.

Ecl. 26. Psal. 104.

Dent. 1.

Num. 27. Exod. 15.

Esai. 22. Esai. 23.

1. Tim. 6.

Esai. 23.

Glemeti pulchritudinē. Latus pelagi fudit æquora, certè vt freto includeret terras, ne longius tu vagus & exul errares. Sed tempestate iactatur mare. Temere ergo non vsurpare debetis. Elementum innocens nihil deliquit, temeritas humana sibi est ipsa discrimini. Denique qui non nauigat, nescit timere naufragiû. Dominus dixit: Dominamini pisciû maris, non dixit: Nauigate in fluctibus. Denique & propheta Ionas, qui missus est in Ninuem vt pœnitentiam prædicaret, quia voluit nauigare vt fugeret à facie Dei, tempestate turbatur, & sorte ductus & iactatus in mare & exceptus à ceto est. Propheta quoque Dauid ait, cum Dei circa hominem commemoraret gratiam: Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi: volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Piscibus dedit, non hominibus, perambulare semitas maris. Ad escam tibi mare datum est, non ad periculum: ad cibum non ad mercatû vtire. Cur tibi periculum generas de voluptate? Cur separationis elementi profunda rimaris? Cur inquietas mundi altiora secreta? Cur postremò sæpius fulcare atq; exarare fluctus impatiens nauta contendis? Cur têtas frequenter innoxia æquora, irritas procellas? O inexplēbilis auaritia mercatorum! Cedit tibi pelagus, & mare inquietudinem tuam ferre nõ potest toties recurrētibus mercatoribus exaratum. Erubescere Sidon, dixit mare. Tãquam fatigati elementi vox ista dicentis est: Erubescere Sidon, hoc est, meos fluctus negotiator arguis, cum sis ipse fluctibus inquietior: & erubescere vel pudore, quoniam periculo non moueris. Verècundiores venti sunt, quàm vestra cupiditates. Illi habent otia sua, numquam vestra quatredid studia feriantur. Et cum otiosa tēpestas est, numquam vestra otiosa sunt nauigia. Versatur vnda sub remige, quæ quandoque quiescit à flamine. Non parturiri, inquit, nec peperit, nec enutriui iuuenes; quid me inquietant quos nescio, quos nõ agnosco? Ite in Carthaginem, vlulate qui inhabitatis insulas. Suprà dixit: Vlulate naues Carthaginis. Carthaginē etenim Tyrij condiderunt, & ideo Carthaginenses sequuntur luxuriâ conditorum, transfusa in se decolora successione nequitia, pessimorum vitiorum deteriores hæredes. Et bene luxuriosos naues dixit. Sicut enim illæ vento, ita hi cibo iactantur & vino. In insulas repleta potu nauigat corpora, naufragijs circumsonant, tunduntur fluctibus ebrietatis, nec per diem nec per noctem quiescunt. Horum igitur mercatorum semen in aqua, messis in fluctibus est. In aqua enim labores suos seminant, vt pericula metât. In aqua eis seges pullulat, in aqua messis exuberat. Fructus ipsis in aqua est, numquam tutus & solidus. Vnde rectè ait, Qui seminabat in terra, nõ introiuit in negotiationem: immò qui seminabat in cælo. Sed est & bona terra, in qua quicumque seminauerit, fructus ei caelestis oriatur.

*Quis dicatur cantus meretricis, de quo in Esaiâ: Eritque post annos septuaginta Tyrus vt canticum meretricis: & de misericordia medici, & saluatoris gratia, & quibus modis querenda sit.* C.A.P. XX.

**V**Lulate, inquit, iterum naues Carthaginis, quoniam perijt munitio vestra: & erit in illa die, relin-

Gen. 1. Ion. 1.

Ion. 2.

Psal. 8.

Esai. 23.

Ibid.

Ibid.

Esai. 14.

Ezech. 23.

Esai. 23.

linquetur Tyrus. Et infra: Eritque post septuaginta annos Tyrus vt canticum meretricis. Videte quibus verbis vtatur propheta, nec refugiat verborum istiusmodi vilitatem. Nos interdum refugimus, non quòd nobis quàm illis lingua sit castior, sed auctoritas inferior. Maior enim vis rerum in talium expressione sermonum est: vt qui delicta non erubescunt, erubescant vel nomina delictorum. Eritque Tyrus, inquit, vt canticum meretricis. Videte ne cum aliquis illos choros viderit pia verba cātare, dicat: Ecce Tyrus facta est vt canticum meretricis. Oraçulum propheticae annuntiationis impletum est. Et subiicit: Accipe citharam, vagare ciuitatem meretricis oblita, bene cithariza, plurimum canta, vt fiat memoria tui. Et post septuaginta annos visitationem faciet Deus Tyri. Vnde possumus & in bonum canticum Rahab illius meretricis accipere, quæ exploratores Iesu fidei mente suscepit. Nam & Dominus ait: Cantauimus vobis, & non saltastis. Et Dauid ait: Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra. Hoc est canticum meretricis, quod antè illa meretrix in Adam & Eva terra cantauit, meretrix in populo nationum. Hæc meretrix bonas plurimas fecit meretrices: de quibus dictum est à Domino Iesu ad illum electum & seniore populum Dei: Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei. Ergo quoniam tam misericordem habemus Dominum, qui etiam graui ignoscet errori, conuertamur nos à vitijs, nõ recedamus à lege, præceptum Domini quasi serui sedulis studijs exequamur. Quid nobis cum impuritatibus & impudicitijs? Quid cum operibus diaboli? Audistis hodie in lectione decursa quid legio dixerit: Quid mihi & tibi est Iesu fili Dauid? Et tu dicit, si fortè vides pugnare aduersum te diaboli tentamenta: Quid mihi & tibi est Belial? Ego Christi seruus sum, illius redemptus sanguine, illi me totum mancipaui. Quid mihi & tibi est? Non noui opera tua: nihil tuum quero, nihil tuum possideo, nihil tuum desidero. Quanto magis nos oportet separare à diabolo, si se ille discernit à Christo? Et si fuimus ei aliquando obnoxij, iam non sumus: confugiamus ad medicum qui vulnera superiora curauit. Et si quid superest acerbitatis, medela non deerit. Et si quid iniuriæ fecimus, memor non crit qui semel donauit. Et si grauia deliquimus, magnam medicum inuenimus, magnam medicinam gratia eius accepimus. Magna enim medicina tollit peccata magna. Habemus etiam plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus. Pecuniã habes, redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es. Peccatis tuis venundatus es, redime te operibus tuis, redime te pecunia tua. Viliis pecunia, sed pretiosa est misericordia. Eleemosyna, inquit, à peccato liberat. Et alibi dicit: Redemptio vitij, diuitia eius. Et in Euangelio Dominus dicit: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Et veneno frequenter antidotum temperatur, hoc est, venenum veneno excluditur. Veneno mors repellitur, vita seruat. Fac & tu quasi bonus dispensator de instrumento auaritiæ subsidium misericordia, sinceritatis gratiam de corruptionis illecebra.

Ibid.

Ibid.

Ps. 2. Luc. 7. Jhd. 95.

Matth. 21.

Luc. 8.

De penit. dist. 1. c. mediana.

Ecl. 10. Esai. 50.

Tob. 12. Prover. 13. Luc. 16.

*Quomodo intelligendum sit illud propheta: Ecce venit Dominus disperdere orbem terrarum: & quomodo athleta simus, quibus multis certaminibus in stadio curvendum est pro brauiio: & ideo sobrietate & abstinentia exercitio nobis opus sit.* C.A.P. XXI.

**A**udisti quid lectum sit hodie: Ecce dies venit, & disperdet Dominus orbem terrarum. Quasi manu sanctus propheta demonstret, quasi oculis aduenientem videat iudicij diē, ita dicit: Ecce dies venit, & disperdet Dominus orbem terrarum. Immo quia in spiritu prophetis etiam quæ futura sunt tamquam presentia reuelantur, ideo quæ videbant, nobis quoque demonstrare cupiebant, vt nos ad conuersionem ab errore reuocarēt. Nec tamē quisquã frangi debet cum audit, quia disperdet Dominus orbem terrarum. Ne fortè dicat, Esto, nos graua peccata commisimus: quid orbis deliquit, quid cælum, quid terra, vt & illam disperdat? cur perit tam pulcher ornatus? Sed angusti est animi, istiusmodi opinio. Carterum si altius spectes, inuenies hoc esse pro nobis, quod putas esse cõtra nos: iudicabis hoc esse pro mudo, quod aduersum mundum arbitraris. Non semper stadium plenum repertum est spectatoribus, non semper certaminibus inquietum, non semper concretum puluere: sed quando certamina, tunc populus in spectaculo, luctator in scamate, puluis in stadio. Vbi decursa certamina, cõuentus soluitur, discendit vnusquisq; aut victor ad gratia, aut victus ad opprobriū: euehit corona victorē, victū premit verecundia, angit iniuria. Si quis ergo postea ingrediatur stadium, videat vacuū celebritatis, dicat agonotheatæ, Cur vacat stadiū? cur silent certamina? cur solēna feriantur? Respondebit qui agoni præest: Oportet ferri athletas, oportet spectatores requiescere. Qui enim laboris est fructus, nisi requies post laborem? Similiter & orbis terrarum aliquando soluendus est, vt sit requies fatigatis. Athletæ sumus, in quodam stadio decertamus spiritali. Denique bonus athleta dicebat: Facti sumus spectaculum huius mundi. Et alibi: Sic curro, non vt in incertum: sic enitor, non vt aërem cadens, sed castigo corpus meū. Et alibi: Superiora obliuiscens, & quæ sunt priora appetens, ad destinatum sequor brauiū. Athletæ ergo sumus, legitime certandum est. Multa certamina sunt: & qui hodie victus est, cras se reparat. Anp̄ ad brauiū contenditur, postea ad coronam. Numquid athleta otio vacat, cum semel dederit certamini nomen suum? Exercetur quotidie, vngitur quotidie. Ipse cibus ei agonisticus datur, disciplina exigitur, castimonia custoditur. Et tu dedisti nomen tuum ad agone, Christi, subscripsisti ad competitionē coronæ, meditare, exercere, vngere oleo iustitiæ, vngueto exinanito. Cibus tuus, cibus sobrietatis sit, nihil habeat intemperantiæ, nihil luxuriæ. Potus tuus parcior, ne quid ebrietatis obrepat: custodi corporis castimoniam, vt possis esse habilis ad coronam, ne existimatio tua offendar spectatoris affectum, ne te fautores tui negligentem videant & deserant. Spectant te archangeli, & potestates, & dominationes, & illa angelorum multa milia. Sub tantis spectatoribus erubescere considera quàm dedecorosum sit. Ingressus stadium puluere rigorem animæ tuæ excita, laceratos excute. Progressus in scama, necesse est vt exci-

Esai. 13.

1. Cor. 4. 1. Cor. 9. Phil. 3.

Psal. 44. Cant. 1.

Hebr. 12.

pias pulcrè, subeas æstiu solis flagrantiam. Grauis estus, sed dulcis victoria. Molesta caligo pulueris, sed speciosa tolerantia. Nemo stadium puluerulentus ingreditur, sed puluerulentum reddunt certamina. Ibi colligitur puluis, vbi palma proponitur. Nemo iterum nitidus coronatur: puluerulentum decet victoria. Veni ergo Domine Iesu, exeat corona tua, admittite victores in requiè, victos ad compunctionem. Et si disperdideris orbem terrarum, plura sunt inuisibilia opera tua, quàm quæ vidimus. Qui angustior est animi, illa nõ cernit, dolet quòd disperdas orbem terrarum. Sed qui nouit spectare quæ inuisibilia sunt, gaudet vt venias, & omnes liberes. Gaudent athletæ qui possunt dicere: Veniat regnum tuũ, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Gaudebit creatura mundi, vt à vanitate mundi istius liberetur, quæ nunc congemiscit & parturit, quia vanitati etiã illa creatura subiecta est, donec multiplicetur adoptio filiorum, & totius corporis redemptio cõpleatur. In bono ergo disperdet orbem terrarum. Erit etenim cælum nouum, & nox nõ erit amplius. Denique reuelabit, inquit, faciem eius; vt reuelata facie spectemus gloriam Christi.

Math. 6.  
Rom. 8.

Apo. 21.  
Apo. 22.  
1. Cor. 3.

*Qua ratione corpus nostrum ieiuniis castigandum sit, comeffationeque indecora fugienda, ne succumbentes in stadio, exors veniæ, multis fauoribus mororem afferamus: & de ablutione aquæ baptismatis: quòdque festinandum sit ad gratiam.* C. AP. XXII.

**A**Duertamus ergo in stadio constituti, quantis aut delectationi aut dolori erimus, qui nunc fautores nobis sunt, ne pro nobis incipiãt erubescere. Sicut enim erit gaudiũ in cælo super vno peccatore penitentiam agẽte, ita erit mœstitia super vno peccatore, si exors veniæ, cursum huius vitæ confecerit. Castigemus ergo corpus nostrum ieiuniis, fugiamus indecoras comeffationes. Cauemus ne nobis dicatur: Vlulate à vino. Ne veniat Moyses, & Leuitas aduocet: & quicũque paratus ad Dominũ armatam dexteram gerat, separet se ab his qui māduducando & bibendo grauiã contraxere peccata. Et hodie Moyses venit, cum lex recensetur: Moyses vocat, cum lex præcipit. Apostolus docet vt separemus nos ab omni fratre inquietè agente. Percutiamus eum gladio spiritali, qui est verbũ Dei. Non fratris, non propinqui accipiamus personam, sed omnem immundũ à Christi secernamus altaribus, vt emũdet & corrigat lapsus suos, quò ad sacramenta Christi redire mereatur. Si quis autem non est baptizatus, securior conuertatur, & remissionem accipiat

Luc. 15.

Ofec. 1.  
Exod. 32.

2. Thess. 3.  
Ephes. 6.

S. AMBROSII DE ELIA ET IEIUNIO LIBRI FINIS.

SANCTI

*In quo quadragenarius ieiunij numerus commendatur ex Elia ieiunio, & tanguntur aliqua ex cap. XVII. XVIII. & XIX. lib. III. Regum.*

**R**OPITIA diuinitate, fratres, ecce iam penè transegimus quagragimã indicta ieiunia, & præcepta Christi Domini abstinentiæ deuotione compleuimus. Superest nunc, vt quemadmodum famulus eius Elias hunc sacratissimum numerum obseruando, gratiam meruit: ita & nos hoc ipsum tempus custodiendo mereamur, sitque similis remuneratio in perceptione præmij, quorum similis labor est in obseruatione ieiunij. Elias enim cum esset clausum humanis iniquitatibus cælũ, & nulla mundanis rebus desuper pluuiarum stillaret vbertas, atque omnia longæ siccitatis squalore languerent, & esset fames magna vniuerso generi humano ( quoniam enim cælum pluuiam non dabat, nec terra pabulum germinabat ) tunc Elias sanctus referauit ieiuniis suis cælum, terram orationibus fecundauit. Illius enim siccitatem conuertit in pluuiam, huius sterilitatem resoluit in partum. Tanta enim eius precibus orbem terrarum imbrium largitas irrigauit, vt arida reuiuiscerent, mortua resurgerent, languentia sanarentur. Et ita rebus cunctis fontium quidam meatus infusus est, vt purificatione facta per pluuiam, omnia creaturarum vitia lauarentur, atque inundationis illius beneficio totius mundi species innouata conurgeret. Igitur & nos eadem quæ Elias obseruantes ieiunia, adhibitis precibus clausum cælum nostris cõpetetibus referemus, quatenus illos lauacri salutaris imber illuminet, clausum enim illis est cælum, quamdiu nondum de cælo Spiritus sanctus adueniens eorum corda viuificat: siccitatem quodammodo patiuntur, quia nondum gratia baptismatis irrigantur. Laborant etiam fame magna, quoniam velut esurientes cælestia sacramenta desiderant. Referemus ergo illis cælum, vt adueniente desuper spiritali pluuiã, eorum terra lauacri irriguo satietur, & delictorum sterilitate deposita incipiãt fructus germinare virtutum. Etenim cælestis imber vitia peccatorum diluit, iustitiæ incrementa producit, discutit aridum concupiscentiæ puluerem, latificat vilem castimoniam puritatem, obruit auaritiæ sordidam fecem, nutrit æternam misericordiæ largitatem. Sicut enim superueniente Eliæ pluuiã omne pabulum terra produxit, ita & superueniente Christi lauacro omnem iustitiam anima germinauit. Et sicut illic pluuiarum fontes irrigauerunt orbem, vt viuificarentur

1. Reg. 17.

3. Reg. 18.

3. Reg. 19.

1. Reg. 18.

tur herbarum mortificata iam semina: ita & fons baptismatis irrigat genus hominum, vt animarũ mortificata corda viuificet. Hoc ergo obseruantium ista ieiunia est meritum, vt orationibus eorum aut innouetur mundus, aut fratres denuò renascantur. Referandum igitur competentibus nostris est cælum, quoniam adhuc clausum est apud illos. Clausum est enim cælum illis, quoniam mysterium nõdum peruenit Trinitatis. Clauso enim sibi cælo, super cælũ quid agatur ignorant: nec scire possunt quæ sit filij patrisque substantia, nisi prius mundi elementa trãscenderint. Tunc enim poterit quis Trinitatis aspicere diuina mysteria, cum cælos sua virtute habuerit apertos, sicut beatus Stephanus martyr referauit sibi martyrio suo cælos, & stãtem vidit ad patris dexteram Saluatorem, secundum quod ipse ait: Ecce video cælos apertos, & stãtem Iesum ad dexteram Dei. Ergo cui clausi sunt cæli, agendum est vt aperiantur illi, quatenus super cælos Christum possit aspicere. Nam quamdiu clausi sunt homini, Christũ nõ potest videre regnantem. Quemadmodum autè clausi cæli aperiendi sunt, inquirere nos oportet. Piti to autem aliter eos aperiiri non posse, nisi clauis Petri Apostoli sumplerimus, quas Domino largiente suscepit, sicut ipse dixit: Tibi dabo clauis regni cælorum. Immo rogemus Petrum vt ipse nobis tamquam bonus ianitor regiæ cælestis aperiat. Quæ autem ista clauis sit, diligentius requiramus. Clauem Petri, fidem esse dixerim Petri, per quam cælos aperuit, penetrauit in ferna securus, maria calcavit in trepidus. Tanta enim apostolicæ fidei virtus est, vt cuncta illi elementa pateant, hoc est, non illi angelicæ claudantur ianuæ, non portæ præualeant tartari, non aquarum fluenta subsidant. Ista autem ipsa clauis quam fidem dicimus, videamus quemadmodũ constet, quemadmodum solida sit. Arbitror illam duodecim artificum operatione constatam. Duodecim enim Apostolorum Symbolo fides sancta concepta est, qui velut periti artifices in vnum conuenientes, clauem suo consilio conflauerunt. Clauem enim quãdã ipsum symbolũ dixerim, per quod referantur diaboli tenebræ, vt lux Christi adueniat: aperitũtur conscientiæ clausa peccata, vt iustitiæ fulgeant opera manifesta. Igitur hæc clauis ostendẽda est fratribus nostris, vt & ipsi tamquam discipuli Petri inferna sibi referare, cælos aperire consuecant.

Act. 7.

Math. 16.

S. AMBROSII DE IEIUNIO ELIÆ SERMONIS FINIS.

## Summarium libri de Nabuthe Iezraelita.

*A cap. I. vsque ad cap. VI. ostendit quòd pauperes diues opprimit: quantum autem malum hoc sit, ostenditur, & diuites redarguuntur.*

*A cap. VII. vsque ad cap. XIII. ostendit quòd diuites bona cumulare debent ut pauperibus erogent; & explicantur quedam verba textus.*

*A cap. XIII. vsque in finem libri, quòd diuites diuitiarum custodes sunt, & exponuntur quedam scripturæ loca ad rem ipsam facientia.*

## Capita Libri de Nabuthe.

*Quomodo exemplo Nabuthe & Achab regis Israel pauperes quotidie à diuitibus opprimantur, cum tamè natura omnes æquales produxerit.* Cap. I.

*Quòd homines quanto ditiores censu, tanto pauperiores affectu: & quos insatiabilis auaritia gradus habeat: & quid hæc vox, Da mihi, præ se ferat.* Cap. II.

*Quòd omnia animantia socialia sint, & commercium viuendi querant: solus autem homo consortem excludat, solusque omnia possidere contendat: & quàm turpe sit, agrum paternum pro vili vsu alienare.* Cap. III.

*De reprehensione diuitum, qui magis alienum quàm suum panem manducant; & quòd ideo misere luant paupertatis ærumnas.* Cap. IIII.

*Quòd mensa diuitum, multorum pauperum instruitur sanguine: & de patre qui cogebatur à diuite, cuius mensa vinum defuit, ut filium venderet: & quomodo sæpe mulieres incitamenta sint extorsionis à pauperibus.* Cap. V.

*Quòd nulla diuitie aliquid conferre possint contra imminentem fati necessitatem: & unde diuites appellentur: quòdque diues dormire non possit, nec ipse se quietum esse patiatur.* Cap. VI.

*Quòd diuites qui humanitatis prædicatione imitari deberent sanctum Ioseph, potius de bonis faciant mala, quàm de malis bona acquirant: & in qua horrea diuites frumenta condere debeant.* Cap. VII.

*De admonitione diuitis ut timeat, & spe vana non fallatur; ac reprehensione eorum qui dicunt nihil dandum pauperibus, quia Deus eos maledixerit ut egerent.* Cap. VIII.

*Quomodo Iezabel, quæ est auaritia, promittat diuitibus contra iustitiam possessionem quam desiderant.* Cap. IX.

*De consuetudine diuitum qui contristantur si aliena rapere non possunt: & quid facere debeant ut Deus vel eorum preces exaudiat, vel eorum ieiunium respiciat.* Cap. X.

*Quid est quòd duo falsi testes attestati sunt Nabuthe Deum benedixisse & regem: & quomodo diuites cum calumniati nocuerint, simulent se dolere: & quid sibi velit quòd meretrices lauerunt se in sanguine Achab.* Cap. XI.

*Quòd omnis auarus pauperiorem se iudicet, eo quòd sibi deesse arbitretur quidquid ab aliis possidetur: & quomodo Elias Achab inuenisse dicatur: quomodo etiam diues puteum suum exundantem vsu aliquo exercere, non otio corrumpi sinere debeat.* Cap. XII.

*Quàm stulta sit superbia diuitum gloriantium de nobilitatis prosapia: & quòd meritum hæredum non in auro, sed in virtute consistat.* Cap. XIII.

*Quomodo diuites custodes sint & serui diuitiarum: & ideo illas potius pauperibus erogare debeant pro melioribus rebus acquirendis: & de pauperibus abundantibus, & diuitibus egentibus.* Cap. XIII.

*Quòd omnes viri diuitiarum insipientes dicantur, & corde turbati, & quomodo dormiant somnū suum: quomodo etiam dormitarint qui ascenderunt equos.* Cap. XV.

*Quomodo diuites quiescere & feriari debeant à flagitiis, & confiteri Domino in fide, humilitate, & deuota oratione: & quòd multi diuites propter perfidiam perierint.* Cap. XVI.

*Quemadmodum Achab dicatur commotus ante faciem Dei, ut in diebus eius non inducerentur super eum mala: & quòd Dominus etiam circa indignos promissa sua seruet.* Cap. XVII.

SANCTI

## SANCTI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS, DE NABUTHE

IEZRAELITA LIBER.

III. Reg. Cap. XXI.

ET factum est post verba hæc, erat vinea Nabuthe coram populo, dicentes: Benedixit Deum & regem. Et eduxerunt eum extra ciuitatem, & lapidauerunt eum in lapidibus, & mortuus est. Et miserunt ad Iezabel, dicentes: Lapidatus est Nabuthe, & mortuus est. Et factum est, ut audiuit Iezabel dicentes: Lapidatus est Nabuthe, & mortuus est: dixit Iezabel ad Achab: Surge, & posside vineam Nabuthe Iezraelitæ, quia non dedit tibi argento, quia non est Nabuthe viuens, sed mortuus est. Et factum est, cum audisset Achab quia mortuus est Nabuthe, concidit vestimenta sua: & post hæc surrexit Achab, & descendit ad vineam Nabuthe Iezraelitæ, ut possideret eam. Et dixit Dominus ad Eliam Thesbitem, dicens: Surge, & descende in occursum Achab regis Israel, qui est in Samaria: ecce ipse in vinea Nabuthe, quia descendit ibi ut possideat eam; & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Occidisti, & possedisti? Propter hoc hæc dicit Dominus: In loco in quo linxerunt canes sanguinem Nabuthe, in eo lingent canes sanguinem tuum: & meretrices lauabunt se in sanguine tuo. Et abiit Elias ad Achab. Et dixit Achab ad Eliam: Si inuenisti me, inimice mi? Et dixit Elias: Inueni, quia venundatus es frustra, ut faceres malum in conspectu Domini, ut irritares eum. Hæc dicit Dominus: Ecce ego induco super te mala: & accendam post te, & destruem Achab mingentem ad parietem, & clausum, & relictum in Israel: & dabo domum tuam sicut domum Hieroboam filij Nabat, & sicut domum Baasa filij Achia, pro irritationibus quibus irritasti & peccare fecisti Israel. Et Iezabel loquutus est Dominus, dicens: Canes comedent eam in antemurali Israel. Mortuum Achab in ciuitate comedent canes, & mortuum eius in agro comedent volucres cæli. Verumtamen non fuit sicut Achab, qui venundatus est ut faceret malum coram Domino, quemadmodum mutauit Iezabel vxor sua, & abominabilis factus est valde, ut ambularet post abominationes secundum omnia quæ fecit

S. Ambros. tom. I.



Amorrhæus, quem destruxit Dominus à facie filiorum Israel. Et factum est, ut audiuit Achab sermones istos, conscidit vestimenta sua, & operuit se cilicio, & ieiunavit, & dormiuit in sacco, & ambulabat demisso capite. Et factus est sermo Domini ad eliam Thebitem, & dixit: Vidisti quemadmodum commotus est Achab à facie mea? Eo quod compunctus est à facie mea, non inducam in diebus eius mala, sed in diebus filij sui inducam mala super domum eius.

Quomodo exemplo Nabuthe & Achab regis Israel pauperes quotidie à diuitibus opprimantur, cum tamen natura omnino æquales produxerit. CAP. I.



**N**ABUTHE historia tempore vetus est, vsu quotidiana. Quis enim diuitum nõ quotidie concupiscit aliena? Quis opulentissimorum non exturbare contendit agellulo suo pauperem, atque inopem auiti ruris eliminare finibus? Quis contentus est suo? Cuius non inflammat diuitis animum vicini possessio? Non igitur vnus Achab natus est, sed, quod peius est, quotidie Achab nascitur, & numquam huic sæculo moritur. Si vnus occidat, affurgunt plurimi: plures qui rapiant, quàm qui amittant. Non vnus Nabuthe pauper occisus est: quotidie Nabuthe sternitur, quotidie pauper occiditur. Hoc metu percitum humanum genus cedit iam suis terris, migrat cum paruulis pauper onustus pignore suo, sequitur vxor illacrymans, tamquam ad bustum profequatur maritum. Minus tamen deplorat illa, quæ desinet suorum funera: quia etsi amisit coniugis præsidium, sepulcrum habet: etsi filios non tenet, tamen exules non dolet; non ingemit grauiora funeribus teneræ prolis ieiunia. Quousque extenditis diuites insanas cupiditates? Numquid soli habitabit super terram? Cur eiicitis consortem naturæ, & vendicatis possessionem? In commune omnibus diuitibus atque pauperibus terra fundata est, cur vobis ius proprium soli diuites arrogatis? Nescit natura diuites, quæ omnes pauperes generat. Neque enim cum vestimentis nascimur, nec cum auro argentoque generamur. Nudos fudit in lucem, egenes cibo, amictu, poculo: nudos recipit terra quos edidit, nescit fines possessionum sepulcro includere. Cespes angustus æquæ & pauperi abundat & diuiti: & terra quæ viuētis non cepit affectum, totum iam diuitē capit. Nescit ergo natura discernere quando nascimur, nescit quando deficimus. Omnes similes creat, omnes simili claudit gremio sepulcri. Quis discernat species mortuorū? Redoperi terram, & si potes, diuitē deprehende. Eruderato tumulū, & si cognoscis egentē, argue: nisi fortè hoc solum, quod cū diuite plura perēit. Serice vestes, & auro intexta velamina, quibus diuitis corpus ambitur, dāna viuētū, non subsidia defunctorū sunt. Vnguentū accipis diues mortuus, & foetidus es: perdis alienā gratiam, nec acquiris tuam. Hæredes relinquis qui litigent

cum hæredibus, relinquis depositum magis hereditarium quàm commodum voluntarium, qui quod relictum est minuere ac violare formident. Si frugi hæredes sunt, custodiunt: si luxuriosi, exhauriunt. Itaque aut bonos hæredes perpetua condemnas sollicitudine, aut malos dimittis, quod tua facta condemnent.

Quod homines quanto ditiorensu, tanto pauperiores affectu: & quos insatiabilis auaritia gradus habeat: & quid hæc vox, Da mihi, præ se ferat. CAP. II.

**S**ED quid, arbitraris quod dum viuis abundas omnibus? O diues, nescis quàm pauper sis, quàm inops tibi ipsi videaris, qui te diuitem dicis? Quanto plus habueris, plus requiris: & quamquam acquisieris, tamen tibi adhuc indiges. Inflammaturo lucro auaritia, non restinguitur. Quasi gradus quosdam cupiditas habet: quo plures ascenderit, eo ad altiora festinat, vnde fit grauior ruina lapsuro. Tolerabilius tamen iste cum minus haberet, census contemplatione mediocria requirebat: accessione patrimonij accessit cupiditatis augmentum. Non vult esse de gener votis, pauper in desiderijs. Ita duo intolerabilia simul iungit, vt ambitiosam spem diuitis augeat, & non deponat mendicitatis affectum. Denique docet nos scriptura diuina quàm miserè egeat, mēdicet abiectē. Rex Achab in Israel erat, & pauper Nabuthe. Ille regni opibus affluebat, iste angusti solij cespitem possidebat. Nihil pauper de possessionibus diuitis concupiuit, rex sibi egere visus est, quia vineam habebat pauper vicinus. Quis igitur tibi pauper videtur: qui contentus est suo, an qui concupiscit alienum? Alter certè pauper censu videtur, alter est pauper affectu. Affectus diues egere non nouit, census abundans nequit avari peccus explere. Ideoque diues cupidus in inuidia possessionis, & paupertatis querela est. Sed iam scripturæ verba considere mus: *Et factum est, (inquit) post hæc verba, erat vinea Nabuthe Iezraelite iuxta domum Achab regis Samariæ. Et locutus est Achab ad Nabuthe, dicens: Da mihi vineam tuam, & erit mihi in hortum oleorum, quoniam propinquat domus mea: & dabo tibi pro ea aliam vineam bonam: si verò placuerit tibi, dabo pecuniam pretium pro vinea ista. Et dixit Nabuthe ad Achab: Non mihi fiat hoc à Domino, vt dem tibi hereditatem patrum meorum. Et turbatus est spiritus Achab, & dormiuit super lectum suum, & velauit faciem suam, & non manducauit panem.* Expofuerat supra scriptura diuina quia Elifæus cum esset pauper, reliquit boues suos, & cucurrit ad Eliam, & occidit eos, & erogauit populo, & adhæsit prophetæ. Ad condensationem igitur præmissa sunt diuitis, qui in isto rege describitur, eo quod habens beneficia Dei, sicut iste Achab, cui Dominus & regnum donauit, & pluuiā Eliæ vatis oratione concessit, diuina mandata violauerit. Audiamus ergo quid dicat: *Da mihi, inquit. Quæ alia vox egentis est: Quæ vox alia stipē publicè postulantis, nisi, Da mihi: hoc est: Da mihi, quia ego. Da mihi, quia aliud viuendi subsidium habere non possum. Da mihi, quia nõ est mihi panis ad victum, nummus ad potum, sumptus ad alimentum, ad indumentum substantia. Da mihi, quia tibi Dominus dedit vnde largiri debeas, mihi nõ dedit. Da mihi: nisi*

Esa. 5.

Job 1.

3. Reg. 16.

3. Reg. 18.

3. Reg. 19.

3. Reg. 18.

nisi tu dederis, habere nõ potero. Da mihi, quia scriptum est: Date elemosynam. Hæc quàm abiecta, quàm vilia? Non habent enim humilitatis affectum, sed cupiditatis incendium. In ipsa autem diectione quanta impudentia? *Da mihi (inquit) vineam tuam.* Confiteatur alienam, vt poscat indebitam. *Et dabo (inquit) tibi pro ea aliam vineam.* Diues quod suum est quasi vile fastidit: quod alienum est quasi pretiosissimum concupiscit. *Si verò placuerit tibi dabo pecuniam.* Citò reprehendit errorem suum, pecuniam offerendo pro vinea. Nihil enim vult alienum possidere, qui totum desiderat suis possessionibus occupare.

Quod omnia animantia socialia sint, & commercium viuendi querant: solus autem homo consortem excludat, solisque omnia possidere contendat: & quàm turpe sit agrum paternum pro vili vsu alienare. CAP. III.

**E**rit mihi (inquit) in hortum oleorum. Hæc erat igitur omnis infania, hic omnis furor, vt spatium vilibus oleis quaeretur. Non tam ergo ipsi cupidus quasi vtile possidere, sed alios vultis excludere. Maior vobis cura de pauperum spolijs, quàm de vestris emolumentis est. Iniuriam vestram putatis, si quid pauper habeat quod dignum possessione diuitis æstimetur. Damnum vestrum creditis, quidquid alienum est. Quid vos delectant naturæ dispendia? Vniuersis creatus est mundus, quem pauci diuites vobis defendere conamini. Non enim terrena tantum possessio, sed cælum ipsum, aer, mare, in vsum paucorum diuitum vendicatur. Hic ager, quem tu diffusis includis possessionibus, quantos alere populos potest? Numquid angeli diuisa cæli spatia habent, vt tu terram positus distinguas terminis? Clamat Propheta: *Væ iis qui iungunt domum ad domum, & villam ad villam.* Arguit eos inefficacis auaritiæ. Fugiunt enim cohabitare hominibus, & ideo excludunt vicinos. Sed fugere non possunt: quia cum hos excluderint, alios rursum inueniunt: & cum illos propulauerint, ad aliorum necesse est eos viciniam peruenire. Solum enim super terram habitare non possunt. Aus auibis se associat: denique ingentis plerumque agminis volatu cælum obtexitur: pecus pecori adiungitur, piscis piscibus: nec dānum ducunt, sed commercium viuendi, cum plurimum comitatum capeffunt, & quoddam munimentum solatio frequentioris societatis affectant. Solus tu homo consortem excludis: includis feras, struis habitacula bestiarum, destruis hominum. Inducis mare intra prædia tua, ne desint beluæ: producis fines terræ, ne possis habere finitimum. Audiuimus vocem diuitis aliena quærentis: audiamus vocem pauperis propria vindicantis. *Non fiat (inquit) hoc mihi à Domino, vt dem tibi hereditatem patrum meorum.* Quasi quandam contagionem sui, pecuniam esse diuitis arbitretur, quasi dicat: Pecunia tua tecum sit in conditionem, ego autem hereditatem patrum meorum non possum vendere. Habes quod sequaris diues si sapias, vt non vendas agrum tuum pro nocte meretricis, non transfundas ius tuum pro sumptu comestationis, deliciarumque impensis, nõ ad iudices domum tuam ad ludum aleæ, ne ius hereditariæ pietatis

amittas. His auditis turbatus est spiritus avari regis: & dormiuit super lectum suum, & velauit faciem suam, & non manducauit panem. Lugent diuites, si non potuerint aliena diripere: si suis pauper non cesserit facultatibus, vim mæroris tegere non possunt. Dormire desiderant, velant faciem suam, ne quidquam in orbe terrarum alienum videant, ne quidquam in hoc mundo non esse suum nouerint, ne audiant vicinum iuxta se aliquid possidere, ne audiant pauperem sibi contradicentem. Horum animæ sunt, quibus dicit Propheta: *Mulieres diuites exurgite.*

Esaia 32.

De reprehensione diuitum, qui magis alienum quàm suum panem manducant, & quod ideo misere luant paupertatis ærumnas. CAP. IIII.

**E**T non manducauit (inquit) panem suum: quoniam quærebat alienum. Etenim diuites magis alienum panem quàm suum manducant, qui raptu viuunt, & rapinis sumptum exercent suum. Aut certè non manducauit panem suum, volēs se morte multare, quod ei aliquid negaretur. Comparo nunc affectum pauperis. Nihil habet, & ieiunare voluntarius nisi Deo nescit, ieiunare nisi ex necessitate non nouit. Diuites eripitis quidem pauperibus vniuersa, aufertis omnia, nihil relinquitis: pœnam tamē pauperum vos potius diuites sustinetis. Illi ieiunant, cum non habeant, vos cum habeatis. A vobis igitur prius pœnam exigitis, quàm pauperibus erogetis. Vos igitur vestro affectu luitis miseræ paupertatis ærumnas: & pauperes quidem non habent quo vtantur, vos autem nec ipsi vtimini, nec alios vti finitis. Eruitis aurum de metalli venis, sed rursus absconditis. Quantorum vitas in illo infoditis auro? Cur illa seruantur, cum legeritis de auro diuite: *Thefauros condit, & ignorat cui congregat eos?* Hæres otiosus expectat, hæres fastidiosus increpat, quod serò moriamini. Odit incrementa hereditatis suæ, ad damna festinat. Quid igitur miserius, quando nec apud illum cui laboratis, gratias derelinquitis? Propter illum totis mœstam diebus toleratis famem, cotidiana mensæ vestræ damna metuentes: propter illum diurna aggeratis ieiunia. Noui ego diuitem in agrum proficicentem, panes breuiore vrbe delatos numerare solere, vt pro numero panis æstimaretur quot dies in agro futurus esset. Nolebat obsignatum aperite horreum, ne quid de condito minueretur. Panis vnus singulis diebus deputabatur, qui tenacem vix satiare posset. Comperi etiam viri fidem, si quando ei ouum esset appositum, queri quod pullus esset occisus. Hoc ideo scribo, vt cognoscatis vindicem esse Dei iustitiam, quæ lacrymas pauperum vestro vlciscatur ieiunio.

Psal. 38.

Quod mensa diuitum, multorum pauperum instruit sanguine: & de patre qui cogebatur à diuite, cuius mensæ panem defuit, vt filium venderet: & quomodo sepe mulieres incitamenta sint extorsionis à pauperibus.

CAP. V.

Quàm religiosum esset ieiuniū, si sumptum conuiuij tui deputares pauperibus? Tolerabilior ieiunio.

Lucia 16.

diues ille, cuius de mensa ea quæ cadebant, pauper Lazarus colligebat, saturari cupiens: sed etiam ipsius mensam multorum pauperum constabat sanguine, & ipsius pocula multorum quos ad laqueum coegerat, roabant cruore. Quanti necatur ut vobis quod delectat paretur: Funesta fames vestra, funesta luxuries. Ille de summis culminibus ruit, ut frumentis ampla vestris receptacula prepararet. Ille de sublimi arboris cacumine decidit, dum genera vuarum explorat quæ deferat, quibus digna cõuiuio tuo vina fundantur. Ille mari iersus, dum veretur ne piscis mensæ tuæ desit aut ostrea. Ille brumali frigore dum lepores inuestigare, aut laqueis studet aues captare, dirigit. Ille ante oculos tuos, si quid fortè displicuit, verberatur ad mortem, atque ipsas epulas suo respersit cruore. Denique diues erat qui sibi ad mensam caput prophetæ pauperis iussit afferri, & aliud vnde saltatrici præmium solueret non inuenerat, nisi ut pauperem iuberet occidi. Vidi ego pauperem duci dum cogere solueret quod non habebat, trahi ad carcerem quia vinum deesset ad mensam potentis, deducere in auctiõnem filios suos, ut ad tempus pœnam differre posset, inuentum fortè aliquem qui in illa necessitate subueniret. Redit ad hospitium cum suis pauper direpta spectans omnia, nihil sibi ad cibum relictum, ingemiscens filiorum famem, dolens quod eos non potius ei qui possit pascere, vendidisset. Redit ad consilium, vendendi sumit arbitrium. Compugnabant tamen inopiæ iniuria, & paternæ pietatis gratia, fames vrgebat ad pretium, natura ad officium: commori filiis paratus, quàm à filiis separari. sæpe gradum protulit, sæpe reuocauit. Vicit tamen in eo necessitas, non voluntas, & ipsa concessit pietas necessitati. Consideremus nunc patriæ mentis procellas exastuantis quem de liberis prius traderet. Quem, inquit, vendam priorum? Scio enim quod non satis est vnus pretium ad partum reliquorum. Hoc solo diues fecunditas ad ærumnam. Quem offeram? Quem frumenti auctiõnator libenter aspiciat? Primogenitum offeram? Sed primus me patrem vocauit. Hic est maior ex filiis, quem congruè honoro seniore. Sed iuniorem dabo? At istum teneriore amore complector. Illum erubescio, huius misereor. Illius gradum suspiro, huius ætatem. Ille iam sentit ærumnã, iste ignorat. Fleat me illius dolor, huius inciticia. Ad alia me conferam. Ille mihi plus blanditur, iste plus verecundatur. Ille parenti similiior, hic vtilior. In illo imaginem meam vendo, in isto spem meam prodo. Me miserum, non inuenio quid faciam, non habeo quid eligam. Circumvallant me facies calamitatum, ærumnarum chorus. Ferina hæc rabies est, eligere quem tradas. Feræ ipsæ cum pericula imminere proli ac sibi sentiunt, solèt eligere quos liberent, nõ quos offerant. Quomodo igitur discernam affectum nature? Quomodo obliuiscar, quomodo exuam patris mentem? Quomodo filij auctiõnem constituam? Quo sermone paciscar pretium? Quibus tradã manibus in seruitutem filium? Quibus oculis aspiciam seruientem? Quibus labiis discedeti vale dicam? Quibus factum excusum sermonibus? Fili, ego te pro meo cibo vendidi. Funestior ergo iam pauperis mensa quàm diuitis. Ille addidit alienos, ego meum vendo. Ille ne-

Marc. 6.

cessitatem imponit, ego afferro volutatatem. Ut sit excusabilior causa, adiciam: Fili, pro fratribus tuis seruiues, ut illis quærantur alimenta. Et Ioseph à fratribus suis in seruitutem venundatus est, postea & ipsos & patrem paut. Respondet & ille: Sed non cum vendidit pater, sed fleuit amissum. Sed postea etiam ipsi in potestatem diuitis venerunt, & vix potuerunt liberari. Postea genus eius diuitiis Ægypti multa astate seruiuit. Vende me postremò pater ea cõditione, ne diuites emant. Hæsi, fateor: verum quid faciam? Nullum vendam. Sed dum vnum considero, omnes videbo fame pereuntes. Si vnum tradam, quibus oculis videbo ceteros de mea impietate suspictos, ne alios quoque vendam? Quo pudore regrediar domum? Quomodo intrabo? Quo habitabo affectu, qui mihi ablegauit filium, quem nõ morbus absumpsit, non mors abstulit: Qua conscientia considerabo mensam meam, quam sicut nouellæ oliuarum in circuitu tot filij vestiebant? Hæc pauper te præsentate deplorat, & tibi auaritia aurè obstruit, nec mens tua facti miserabilis horrore mollitur. Totus populus ingemiscit, & solus diues non fleeris, nec audis scripturam dicentem: Perde pecuniam propter fratrem & amicum, & non abscondas eam sub lapide in perditionem. Et quia non audis, ideo exclamat Ecclesiastes, dicēs: Est languor malus, quem vidi sub sole, diuitias custodiri in malum possidētis eas. Sed fortasse redcas domum, cum vxore conferras: illa te hortetur ut redimas venundatum? Immo magis hortabitur ut mūdum muliebrem conferas, vnde potes vel paruo tempore pauperem liberare. Illa tibi imponit sumptuum necessitatem, ut gemma bibat, in ostro dormiat, in argentea sponda recumbat, auro oneret manus, ceruicem monilibus. Delectantur & compedibus mulieres, dum modo auro ligentur. Non putant onera esse, si pretiosa sint: non putant vincula esse, si in his thesauri coruscant. Delectant & vulnera, ut aurū auribus inferatur, & margaritæ dependant. Habēt & gemmæ pondera sua, habent & vestimenta frigora sua. Sudatur in gemmis, algetur in fericis: tamen pretia iuuāt: & quæ natura auerfatur, commendat auaritia. Smaragdos, & hyacinthos, beryllum, achaten, topazion, amethystum, iaspin, sardion, summo quærunt furore: vel si dimidium patrimoniij petatur, non parcunt dispendio, dum indulgent cupiditati. Non abnuo gratiam quãdam lapidum istorum esse fulgorem, sed tamen lapidum. Et ipsi admonēt, contra naturam expoliti, ut laxorum deponerēt asperitatem, rigorem magis mentis esse expoliendum quàm lapidum.

*Quod nulla diuitie aliquid conferre possint contra imminentem fati necessitatem: & vnde diuites appellantur: quodque diues dormire non possit, nec ipse se quietum esse patiat.* CAP. VI.

Quis artifex vnum diem vitæ hominis potuit adiungere: Quem diuitiæ eius ab inferis redemerunt? Cuius ægritudinem pecunia mitigauit? Non in abundantia diuitiarum, inquit, vita eius. Et alibi: Nihil profunt thesauri iniustis, iustitia autem liberat à morte. Meritò clamat Propheta: Diuitiæ si affluat, nolite cor apponere. Quid enim mihi profunt, si

Luca 12. Prover. 10.

psal. 61.

me

me à morte liberare nõ possunt? Quid mihi profunt, si mecum post mortem esse non possunt? Hic acquiruntur, hic relinquuntur. Somniū igitur loquimur, non patrimonium. Vnde bene ait idem Propheta de diuitibus: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Hoc est dicere: Nihil inuenerunt in operibus suis diuites, qui nihil pauperibus contulerunt. Nullius iuuerunt inopiam, nihil ad vtilitatem suam proficientes reperire potuerunt. Ipsum nomē considera. Ditem dicunt gentiles inferorum præfulem, arbitrum mortis. Ditem appellant & diuitem, quod nisi mortem diues inferre non nouerit, cui regnum de mortuis, cui sedes inferi sint. Quid est enim diues, nisi quidam inexplebilis gurgis diuitiarum, inexplebilis auri fames? Quo plus hauserit, plus inardescit. Sic Propheta admonet: Qui diligit argentum, non satiabitur argento. Et infra idem: Et quid est hic pessimus languor. Sicut enim fuit, ita & abiit, & abundantia eius laborat in ventum. Et quidem omnes dies eius in tenebris & luctu, & iracundia multa, & languore & ira. Tolcrabilior conditio seruulorū. Illi enim hominibus seruiūt, iste peccato. Sic inquit Apostolus: Qui enim facit peccatum, seruus est peccati. Semper in laqueis, semper in vinculis est: numquam liber à compedibus, quia semper in criminibus. Quàm misera seruitus, seruire peccatis. Naturæ ipsius nescit munia, nec somni ipsius nouit vices, aut cibi fungitur suauitate, cuius nullū est immune seruitium. Dulcis enim somnus serui, et si modicum vel multum edat: at satiatio diuitiis, non est qui eum finar dormire. Excitat eum cupiditas, exagitat cura peruigil aliena rapiendi, torquet inuidia, mora vexat, sterilitas prouentuum infœcunda perturbat, sollicitat abundantia. Vnde illi diuiti, cuius possessio vberes fructus attulit, qui cogitauit intra se dicens: Quid faciam quod non habeo quod congregem fructus meos? & dixit: Hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam: illò congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona in annos multos posita: requiesce, manduca, bibe, epulare. Respondit Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetet à te: quæ autem parasti, cuius eruat? Ne ipse quidem Deus eum dormire permittit. Interpellat cogitatem, excitat dormientem. Sed nec ipse se quietum esse patitur, qui de abundantia diuitiarum suarum sollicitatur, & in vbertate fructus vocem egentis emittit. Quid faciam, inquit? Nõne hæc pauperis vox est, non habentis subsidia viuendi? Egenis omnium huc atque illuc respicit, scrutatur hospitium, nihil inuenit ad vsum alimenti, considerat nihil miserius quàm fame confici, & cibi indigentia mori. Quærit mortis compendia, & tolerabiliora abeundi supplicia rimatur. Arripit gladium, suspendit laqueum, ignem adolet, explorat venenum: & inter hæc quid eligat, dubius dicit: Quid faciam? Deinde vitæ huius suauitate reuocatus, cupit reuocare sententiam, si possit viuendi substantiam reperire. Aspicit nuda omnia, vacua omnia, & ait: Quid faciam? Vnde mihi alimenta? vnde vestitus? Volo viuere, si habeam quomodo possim vitam hanc sustinere. Sed quibus cibis? quibus subsidiis? Quid faciam, inquit, quod non habeo?

Tim. 6. psal. 75.

Ecl. 5. huius.

Rom. 6. huius.

Ecl. 5.

Luca 12.

Clamat se diues non habere. Paupertatis hic sermo est, de inopia queritur abundans fructibus. Non habeo, inquit, quò congregem fructus meos. Putares illum dicere: Non habeo fructus, vnde viuendum est mihi? Beatus qui in abundantia sua periclitatur: immò miserior iste fecunditatibus suis, quàm pauper, cui periculum de egestate est. Habet ille vnde excuset ærumnam, habet certè iniuriam, non habet culpam: iste non habet quem præter se arguat. Et dixit: Hoc faciam, horrea mea destruam. Putes adhuc dicere illum: Aperiam horrea mea, ingrediantur qui tolerare famem non queunt, veniant inopes, intrent pauperes, replent sinus suos. Extruant parietes, qui excludunt esurientes. Ut quid ego abscondam, cui Deus facit abundare quod largiar? Ut quid repagulis portarum claudam frumēta, quibus Deus totum repleuit camporum ambitum, quæ sine custode nascuntur & abundant?

ibidem.

*Quod diuites qui humanitatis predicatione imitari deberent sanctum Ioseph, potius de bonis faciant mala, quàm de malis bona acquirant: & in quæ horrea diuites frumenta condere debeant.* CAP. VII.

Victa est spes avari. Rumpuntur vetusta horrea messibus nouis. Minus, inquit, habui, & frustra seruaui: plus natum est, cui cõgregabo? Dum incrementa pretiorum auapor, amissi vsum beneficiorū. Quantas anni superioris frumento animas pauperum referuare possem? Hæc me magis delectarent pretia, quæ non nummo estimantur, sed gratia. Imitabor sanctum Ioseph humanitatis predicatione, clamabo voce magna: Venite pauperes, edite panes meos, expandite gremium, suscipite frumentum. Fecunditas diuitis, totius orbis abundantia, omnium debet esse fertilitas. Tu verò non hoc dicis, sed ais: Destruam horrea mea. Rectè destrues ea, quibus nullus pauper onustus reuertitur. Horrea iniquitatis sunt receptacula, non pietatis subsidia. Rectè destruet, qui sapienter ædificare nõ nouit. Destruet sua diues, qui nescit æterna. Destruet horrea, qui nõ nouit sua frumenta diuidere, sed claudere. Et maiora, inquit, faciam. Infelix, vel id dispensatio pauperibus, quod pro sumptu ædificationis impendis, Dum liberalitatis gratiam refugis, damna ædificationis resoluus. Et addidit: Illò congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona. Confitetur auarus semper vbertatem prouentuum, dum vtilitatem alimoniarum calumniatur. Fecunditas enim vniuersorum est, sterilitas soli auaro est quæstiuosa. Delectatur magis enormitate pretiorum, quàm abundantia copiarum: & mauult habere quod solus, quàm quod cum omnibus vendat. Vide timentem ne superfluat cumulus frumentorū, ne super horrea redundans transfundatur in pauperes, & boni alacrius occasio indigētibus acquiratur. Soli sibi partus terrarū vcdicat diues, non quod uti ipse velit, sed aliis denegare. Habes, inquit, multa bona. Nescit auarus bona, nisi ea quæ quæstiuosa sunt, nominare. Sed acquiesco ei, ut bona dicatur quæ sunt pecuniaria. Cur ergo de bonis factis mala, cū de malis bona facere debeatis? Scriptū est enim: Facite vobis amicos de māmone iniquitatis.

ibidem.

ibidem.

ibidem.

ibidem.

Luca 16.

Psal. 111.

Iob. 29.

Luce 12.

Matth. 6.

Psal. 8.

Osee 10.

Luce 12.

Ibidem.

Prover. 13.

Luce 23.

Ecl. 27.

Matth. 13.

Psal. 22.

Luce 12.

Ei ergo qui uti sciat, multa bona sunt: ei qui uti nesciat, recte mala. Disperdit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Quid hoc melius bono, si pauperibus largiaris, in quo tibi debitorem Deum quadam pietatis fœneratione constituas? Bona sunt si aperia horrea iustitiæ tuæ, ut sis panis pauperum, vita egentium, oculus cæcorum, oratorum infantium pater. Habes unde facias, quid vereris? Tua te voce conuenio. Habes multa bona in annos multos posita, potes & tibi & aliis abundare. Habes fecunditatem publicam, quid destruis horrea tua? Ostendo tibi ubi melius tua frumenta custodias, ubi bene sepias, ubi fures ea tibi auferre non possint. Include ea in corde pauperum, ubi nulla tinea, nullus gurgulio ea consumat, nulla corrumpat vetustas. Habes apothecas, in opum sinus; habes apothecas, viduarum domos; habes apothecas, ora infantium orphanorum, ut dicatur tibi: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Istæ sint tibi apothecæ, quæ maneat in æternum: ista sint tua horrea, quæ fœcunditas futura non destruat. Nam quid iterum facias, si tibi plus natum fuerit anno sequenti? Iterum ergo & illa destrues, quæ nunc facere paras, & maiora facies. Dat enim tibi fecunditatem Deus, ut aut vincat aut condemnet auaritiam tuam, quod excusationem habere non possis. Tu verò quod per te multis nasci voluit, tibi soli reseruas, immò & tibi ipsi admis. Magis enim seruare tibi, si disperires aliis. Bonorum enim fructus munerum in eos ipsos qui cõtrulerint, reuertuntur, & gratia liberalitatis in auctorem boni operis redit. Denique scriptum est: Seminate vobis ad iustitiam. Esto spiritalis agricola, sere quod tibi proficit. Bona satio in corde viduarum. Si terra tibi reddit fructus vberiores quàm acceperit, quanto magis misericordiæ remuneratio reddit multipliciora quæ dederis?

*De admonitione diuitis ut timeat, & spe vana non fallatur, ac reprehensione eorum qui dicunt nihil dandū pauperibus, quia Deus eos maledixerit ut egerent. CAP. VIII.*

Deinde homo nescis quia terræ partum præuenit dies mortis, misericordia autem incursum mortis excludit? Assistent iam qui reposcāt animam tuam, & tu adhuc differis operum fructus tuorum? Adhuc tū tibi tempora viuendi longa promittis? Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te. Bene ait nocte: nocte enim anima auari reposcitur, quæ à tenebris incipit, & in tenebris perscuerat. Auaro semper nox est, dies iusto, cui dicitur: Amen amen dico tibi, hodie tecum eris in paradiso. Stultus sicut luna maturat: iusti autem fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Recte arguitur stultitia, qui in manducando & bibendo locarit spem suam. Et ideo ei tempus mortis vrgetur, secundum quod dictum est ab ipsis qui gulæ seruiunt: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Recte stultus, quia animæ suæ corporalia subministrat: quia recondit quæ cui seruet ignorat. Et ideo ei dicitur: Quæ autem parasti, cuius erunt? Quid quotidie metiris, & numeras, & obsignas? Quid aurum trutinās, argentum ponderas? Quanto melius est liberalem esse dispensatorem, quàm sollicitum custodem? Quantum tibi

prodesset ad gratiam, multorum pupillorum patrē nominari, quàm innumeros stateres in sacco ob-signatos habere? Pecunia enim hic relinquitur: gratia autem operum bonorum nobiscum ad iudicem meriti defertur. Sed fortasse dicas, quod vulgò soletis dicere: Nō debemus ei donare, cui Deus ita maledixit, ut eum egere vellet. Sed non pauperes spiritu maledicti, cum dictum sit à Deo: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Nō de paupere, sed de diuite scriptura dicit: Captans pretia frumenti, maledictus erit. Deinde non requiras quid vnusquisque mereatur. Misericordia nō de meritis iudicare consuevit, sed necessitatibus subuenire: iuuare pauperem, non examinare iustitiā. Scriptum est enim: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Quis est qui intelligit? Qui compatitur ei, qui aduertit confortem esse naturæ, qui cognoscit quod & diuitem & pauperem fecit Dominus, qui scit quod sanctificet fructus suos, si de his delibet aliquam pauperibus portionem. Ergo cum habeas unde largiaris, vide ne differas, dicens: Cras dabo; ne largiēdi amittas copiam. Periculosa est de alterius salute dilatio. Potest fieri ut dum tu differis illum, ille moriatur. Magis autem mortem præcurre, ne fortè auaritia te & cras impediāt, & promissa fraudentur.

*Quomodo Iezabel, quæ est auaritia, promittat diuitibus contra iustitiam possessionem quæ desiderant. CAP. IX.*

Sed quid dico, ne differas liberalitatem? Vtinam non approperes rapinam, utinam quod cupieris, non extorqueas, utinam alienum non petas, negatum prætermittas, excusatum patienter feras, non audias illam Iezabel, quæ est quoddam profluuium vanitatis, dicentem: Ego tibi dabo vineam quam desideras. Tu tristis es, quia vis mensuram considerare iustitiæ, ut alienum non eripias; ego habeo mea iura, meas leges, calumniabor ut spoliem: & vt possessio pauperi eripiat, vita pulsabitur. Quid enim aliud in illa historia, nisi diuitem auaritia describitur, quæ est vanum profluuiū, quod omnia fluuij more rapit, & nulli vni profutura traducit? Hæc est Iezabel illa, nō vna, sed multiplex: non vnus temporis, sed temporum plurimorum: hæc omnibus dicit, sicut illa dixit viro suo Achab: Surge, & manduca panem, & redi ad te: ego dabo tibi vineam Nabuthe Iezraelitæ. Et scripsit litteras nomine Achab, & signauit anulo illius, & misit illas ad seniores, & ad liberos eos qui morabantur cum Nabuthe. Et erat scriptum in litteris, dicens: Ieiunate ieiunium, & constituite Nabuthe in principio populi, & constituite duos viros filios iniquitatis ex aduerso eius, ut falsum testimonium perhibeat aduersus eum, dicentes: Benedixit Deum & regem, & educite illum, & lapidate.

*De consuetudine diuitum, qui contristantur si aliena rapere non possunt: & quid facere debeant ut Deus vel eorum preces exaudiat, vel eorum ieiunium respiciat. CAP. X.*

Quam euidenter expressa est diuitem consuetudo! Contristantur si aliena non rapiant, renuntiant cibo, ieiunant, non vt peccatum minuant, sed vt crimen admittant. Videas illos tunc conuenientes

Esai. 58.

Matth. 5.

Prover. 11.

Psal. 40.

Prover. 3.

Ibidem.

1. Cor. 3.

Rom. 2.

Luce 12.

Ibidem.

Esai. 58.

Ibidem.

Quid est quod duo falsi testes attestati sunt Nabuthe Deum benedixisse & regem: & quomodo diuites cum calumniati nocuerint, simul se dolere: & quid sibi velit quod meretrices lauerunt se in sanguine Achab. CAP. XI.

Daniel. 13.

Matth. 26.

nientes ad ecclesiam, officiosos, humiles, assiduos, vt effectum sceleris impetrare mereantur. Sed dicit illis Deus: Non hoc ieiunium elegi, nec si fleat vt circulum collum tuum, cinerem etiam & cilicium substernas, nec sic vocabitis ieiunium acceptum. Non tale ieiunium elegi, dicit Dominus: sed solue omnem colligationem iniustitiæ, dissolue obligationes violentarum commutationum, dimitte contractos in remissionem, & omnem cõscriptionem iniquam dirumpe: frange panem tuum esurienti, egenos non habentes teetum induc in domum tuam: si videris nudum, cooperi, & domesticos feminis tui non despicias. tunc orietur tibi matutinum lumen tuum, & sanitas tua matura orietur, & præcedet ante te iustitia, & maiestas Dei circundabit te. tunc clamabis, & Deus exaudiet te: adhuc te loquente dicit: Ecce adsum. Audis diues quid Dominus Deus dicat? & tu ad Ecclesiam venis, non vt conuiuij aliquid pauperibus largiaris, sed vt auferas: ieiunas, non vt conuiuij tui sumptus proficiat egenis, sed vt spoliū de egentibus adipiscaris. Quid tibi vis cū libro, & charta, & signaculo, & cõscriptione, & vinculo iuris? Non audisti: Solue omnem colligationem iniustitiæ, dissolue obligationem violentarum commutationum, dimitte contractos in remissionem, & omnem cõscriptionem iniquam dirumpe? Tu mihi tabulas offers, ego tibi recito Dei legem. Tu atramento scribis, ego spiritu Dei inscripta repeto oracula prophetarum: Tu testimonia falsa componis, ego testimonium conscientiæ tuæ posco, quia iudicem tuum effugere & declinare non poteris, cuius testimonium non poteris reculare in die qua reuelabit Dominus occulta hominū. Tu dicis: Destruam horrea mea; & Dominus dicit: Sine magis, quid quid intra horreum est, pauperibus deputari, sine cellas istas pauperibus prodesse. Tu dicis: Maiora faciam, & illò congregabo omnia quæ nata sunt mihi: Dominus dicit: Fræge esurienti panem tuum. Tu dicis: Tollam pauperi domum suam: Dominus autem dicit: Egenos & non habentes teetum induc in domum tuam. Quomodo vis diues vt Deus te exaudiat, cum tu Deum non putes audiendum? Si non acquiescatur arbitrio diuitis, scena cõponitur: Dei æstimatur iniuria, si diuitis petitio refutetur.

*Quid est quod duo falsi testes attestati sunt Nabuthe Deum benedixisse & regem: & quomodo diuites cum calumniati nocuerint, simul se dolere: & quid sibi velit quod meretrices lauerunt se in sanguine Achab. CAP. XI.*

Deum (inquit) benedixit & regem. Aequalis videlicet persona, vt sit aequalis contumelia. Benedixit (inquit) Deum & Regem. Ne diuitem maledicti nomen offendat, & sermonis ipso lædatur sono, benedictum pro maledicto vocatur. Quaruntur duo testes iniquitatis. Duobus enim testibus & Susanna est appetita: duos testes & synagoga inuenit, qui aduersum Christū falsa iactarent: duobus testibus pauperi occiditur. Eduxerunt igitur Nabuthe foras, & lapidauerunt eum. Vtinam vel in suis ei liceret mori. Pauperi ipsam diues inuidet sepulturam. Et factum est (inquit) cum audisset Achab quia mortuus est Nabuthe, cõscidit vestimenta sua; & post hæc surrexit, & descendit A-

chab ad vineam Nabuthe Iezraelitæ vt possideret eam. Irascuntur diuites, & calūniantur vt nocent, si non obtineat quod desiderauerint. Cū autē calūniati nocuerint, dolere se simulant: tristes tamen, & tamquam mœsti, non corde, sed vultu, in possessionis direptæ locum prodeunt, & impressionis suæ iniquitate potiuntur. Hinc diuina mouetur iustitia, & auarum digna seueritate condemnat, dicens: Occidisti, & possidisti? Propter hoc, hæc dicit Dominus: in loco in quo linxerunt canes sanguinem Nabuthe, in eo lingent canes sanguinem tuum: & meretrices lauant se in sanguine tuo. Quam iusta, quam seuera sententia, vt quam intulit alteri mortis acerbiter, eam ipse mortis suæ horrore dissoluere proderetur. Inhumatum pauperem Deus aspicit, & ideo insepultum diuitem iacere decernit: vt & mortuus luat suę iniquitatis ærumnam, qui nec mortuo putauit esse parcendum. Itaque vulneris sui cruore perfusum cadauer, specie funeris vitæ suæ prodidit crudelitatem. Hęc cum pertulit pauper, diues arguebatur: cum diues excepit pœnam, pauper vindicabatur. Quid sibi autem vult quod meretrices lauerunt se in sanguine eius, nisi fortè vt meretricia quædam in illa feritate fuisse regis perfidia proderetur, vel cruenta luxuries, qui sic fuit luxuriosus, vt olus desideraret: sic cruentus, vt propter olus hominem occideret? Digna auarum, digna auaritiæ pœna consumit. Denique & Iezabel ipsam comederunt canes, & volucres cæli: vt ostēderetur quod spiritalis nequitie fiat præda diuitis sepultura. Fuge ergo diues huiusmodi exitum. Sed fugies huiusmodi exitum, si fugeris huiusmodi flagitium. Noli esse Achab, vt possessionem finitimam cõcupiscas. Non tibi cohabitent Iezabel illa feralis auaritia, quæ tibi cruenta persuadeat, quæ cupiditates tuas non reuocet, sed impellat: quæ te faciat tristitorem etiam cum desiderata possederis: quæ te faciat nudum, cum diues fueris.

*Quod omnis auarus pauperiorem se iudicat, eo quod sibi deesse arbitretur quicquid ab aliis possidetur: & quomodo Elias Achab inuenisse dicatur: quomodo etiam diues puteum suum exudantem vsu aliquo exercere, non otio corrumpi sinere debeat. CAP. XII.*

Pauperiorem enim se iudicat omnis abundans, quia sibi deesse arbitrat quicquid ab aliis possidetur. Toto mundo eget, cuius non capit mundus cupiditates: eius autem qui fidelis est, totus mundus diuitiarum est. Toto mundo fugit, qui considerans conscientiam suam, metuit deprehendi. Et ideo Achab ad Eliam secundum historiam ait, secundum ænigmata autem diues ad pauperem: Inuenisti me inimicus meus. Quam misera conscientia, quæ se proditā doluit. Et dixit Elias ad eum: Inueni, quoniam fecisti malum in conspectu Domini. Rex erat ille, & rex Samariæ Achab: Elias pauper, & indigens pane, cui victus defecisset substantia, nisi corui alimoniam ministrassent. Adeo deiccta erat conscientia peccatoris, vt nec regalis potentie fastu attolleretur. Itaque quasi vilis & degener (inquit) inimicus meus, deprehendisti in me quæ latere putabam. Nulla mentis meæ occulta te fallunt. Inuenisti me, patent tibi vulnera mea, captiuitas præstō est. Inuenitur pec-



Pfal. 16.  
Genes. 3.

Deut. 34.  
4. Reg. 2.  
Prouer. 1.  
Ioan. 8.

1. Reg. 23.  
2. Reg. 26.

Ecdi. 3.

Luc. 16.

Prou. 19.

Prou. 3.

Ecdes. 4.

cator, cum iniquitas eius proditur. Iustus autem dicit: Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Adam cum lateret, inuētus est: Moyſi autem nequaquam inuenta est ſepultura. Inuentus eſt Achab, non eſt inuentus Elias. Et ſapientia Dei dixit: Quærent me mali, & non inuenient. Vnde & in Euangelio Dominus noſter Ieſus quærebatur, & non inueniebatur. Culpa igitur auctorem ſuum prodit. Vnde & Theſbites ait: *Inueni, quoniam feciſti malum in conſpectu Domini.* quia culpæ reos tradit Dominus, innocentes autem non tradit in poteſtatem inimicorum ſuorum. Denique Saul quærebat ſanctū Dauid, & inuenire non poterat: Dauid verò ſanctus regem Saul, quem non quærebat, inuenit, quoniam tradidit eum Dominus in poteſtatem ipſius. Captiua eſt igitur opulencia, paupertas libera. Seruitis diuites, ac miſeram quidem ſeruitutem, qui ſeruitis errori, ſeruitis cupiditati, ſeruitis auaritiæ, quæ expleri non poteſt, gurges quidam infatiabilis: rapidior eſt cum illata demergit, & purci modo cum exundat, cœno inquinatur, terram rodit, nihil ſibi profuturam. Vel hoc exemplo vos admoneri conuenit. Puteus enim, ſi nihil haurias, inerti otio & degeneri ſitu facile corrumpitur: Exercitatus autem niſeſcit ad ſpeciem, dulceſcit ad potum. Ita & aceruus diuitiarum, cumulo arenofus, ſpecioſus eſt uſu, otio autem inuilitis habetur. Deriuato igitur aliquid de hoc pureo. Ignem enim ardentem reſtinguet aqua, & elemoſyna reſiſtit peccatis. Aqua autem ſtatua citò vermes facit. Non ſtet theſaurus tuus, ne ignis tuus ſtet. Stabit in te, niſi eum operibus tuæ miſerationis auerteris. in quantis verò ſis diues incendiis, conſidera. Tua vox eſt iſta dicentis: Pater Abraham, dic Lazaro vt extremum digiti ſui intingat in aqua, & refrigeret linguam meam. Tibi igitur proficit quidquid inopi contuleris: tibi creſcit quidquid in pauperes erogaueris. Scriptum eſt: *Qui miſeretur pauperi, ſcenerat Deo.* Te illo quem pauperi dederis cibo paſcis, & fructus iam in his eſt miſericordiæ. Seminatur in terra, germinat in cælo. Plâtatur in pauperes, apud Deum pullulat. Ne dixeris, inquit, redi, cras dabo. *Qui non patitur te dicere, Cras dabo: quomodo patitur dicere, Non dabo? Non de tuo largiris pauperi, ſed de ſuo reddis.* Quod enim commune eſt in omnium uſum datum, tu ſolus uſurpas? Omnium eſt terra, non diuitum: ſed pauciores qui non vtuntur ſuo, quàm qui vtuntur. Debitum igitur reddis, non largiris indebitum. Ideoque tibi dicit ſcriptura: *Declina pauperi animam tuam, & redde debitum tuum, & reſponde pacifica in manu eudine.*

*Quam ſtulta ſit ſuperbia diuitum gloriantium de nobilitatis proſapia: & quod meritum hæredum non in auro, ſed in uirtute conſiſtat.* C.A.P. XIII.

**Q**uid enim ſuperbis diues? Quid dicis pauperi: Noli me tangere? Nonne ſic conceptus & natus eſt ex uero, quem admodum & pauper eſt natus? Quid te iactas de nobilitatis proſapia? Soletis & canum veſtrorum origines ſicut diuitum recenſere, ſoleris & equorum veſtrorum nobilitatē ſicut conſulum prædicare. Ille ex illo patre generatus eſt, & illa matre editus: ille auo illo gaudet, illis ſe proauis

attollit. Sed nihil iſtud currentem iuuat. Non datur nobilitati palma, ſed curſui. Deformior eſt victus, in quo & nobilitas generis periclitatur. Caue igitur diues ne in te erubeſcat tuorū merita maiorū, ne forte & illis dicatur: *Cur talem inſtituiſtis? cur talē elegiſtis hæredē? Non inauratis laquearibus, nec in porphyreticis orbibus hæredis eſt meritum.* Laus iſta non hominum, ſed metallorum eſt, in quibus homines depinguntur. Per egentes aurum quæritur & egentibus denegatur. Laborant vt quærant, laborant vt inueniant quod habere nõ norunt. Miror tamen cur eo vos diuites iactandos putetis, cum aurū materia magis offenſionis quàm commédationis gratia ſit. Lignum enim offenſionis eſt aurum, & vāiis qui ſectantur illud. Denique benedicuntur diues qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in pecunia & theſauris. Sed quaſi ſi cognitus eſſe non poſſit, eum ſibi deſiderās demonſtrari: *Quis eſt hic? inquit, & laudabimus eum.* fecit enim quod mirari magis quaſi nouum, quàm quod quaſi uſitatum recognoscere debeamus. Itaque qui in diuitiis potuerit comprobari, iſ verè perfectus & dignus eſt gloria. *Qui potuit, inquit, transgredi, & non eſt transgreſſus: & facere mala, & non fecit.* Aurum ergo vobis, in quo tanta illecebra erroris eſt, non tam ſua gratia, quàm hominū pœna commendat. An vos ampla extollunt atria? Quæ magis debent compungere, quia cum populos capiant, vocem excludūt pauperis: quamquam nihil proſit auidi eam, quæ etiam audita nihil proſicit. Deinde non ipſa vos pudoris aula admonet, quia ædificando veſtras uultis ſuperare diuitias, nec tamen vincitis. *Parietes veſtitis auro, homines veſte nudatis.* Clamat ante domum tuam nudus, & negligis: clamat homo nudus, & tu ſollicitus eſ quibus inarmoribus pauimenta veſtias. Pecuniam pauper quærit, & non habet: panem poſtulat homo, & equus tuus aurum ſub dentibus mandit. Sed delectant te ornamenta pretioſa, cum alij frumenta non habeant. *Quantum ô diues ſumis tibi iudicium!* Populus eſurit, & tu horrea tua claudis: populus deplorat, & tu gemmam tuam verſas. Infelix, cuius in poteſtate eſt tantorum animas à morte defendere, & non eſt uoluntas. Totius vitæ populū poterat anuli tui gemma ſeruare. Audi planè qualis diuitem deceat prædicari? *Liberavi, inquit, pauperem de manu potentis: & orphanum, cui nõ erat adiutor, adiuui.* Benedictio pereuntis ſuper me venit, os autem viduæ me benedixit. Iuſtitiam inducebat, oculus erā cæcorum, pes autem claudorum, ego erā pater orphanorum. Et infra: *Extra fores meas non habitauit hoſpes,* oſtium autem meum omni uenienti patuit. Si autem peccaui imprudens, non clauſi culpā meam, neque reueritus ſum multitudinem plebis, vt non a nuntiarum præſentibus eis: ſi paſſus ſum infirmum exire oſtium meum vacuo ſinu. Cautionem quoque ſi quam habui debitoris, ſciſſam ſine debiti recuperatione reddidi ſine mora. Nam quid etiam illud repetam, quod in omni infirmo fleuiſſe ſe dixit, & ingemuiſſe ſe cum uideret uirum in neceſſitate, ſe autem in bonis? Sed & tunc ſibi magis fuiſſe dies maiorū, cum ſe habere cerneret, alios indigere. Si hoc ille dicit, qui numquam viduæ oculum fecit tabeſcere,

ſcere, qui numquam panem ſuum ſolus mâducauit, & non orphano nõ tradidit, quem à iuuentute ſua nutriuit, aluit, inſtituit parentis affectu: qui nõquam nudum deſpexit, qui morientem operuit, qui uelleribus ouium ſuarum infirmorū calefecit humeros, non oppreſſit pupillum, numquam diuitiis oblectatus eſt, numquam gratulatus eſt lapſu inimicorum ſuorum: ſi qui fecit hæc, de ſummis cœpit egere diuitiis: ſi nihil ex patrimonio tanto, niſi ſolū fructum miſericordiæ reportauit: quid de te futurum eſt, qui tuo neſcis uti patrimonio, qui in ſummis diuitiis dies ſuſtines mendicitatis, quia nulli largiris, nulli ſubuenis?

*Quomodo diuites cuſtodes ſint & ſerui diuitiarum: & ideo illas potius pauperibus erogare debeant pro melioribus rebus acquirendis: & de pauperibus abundantibus, & diuitibus egentibus.* C.A.P. XIII.

**C**uſtos ergo eſ tuarum, non dominus facultatum, qui aurum terræ infodis: miniſter utique eſ, non arbiter. Sed ubi theſaurus tuus, ibi & cor tuum. Ergo in illo auro cor tuum infodiſti terræ. *Vende potius aurum, & eme ſalutem: uide lapidem, & eme regnum Dei: uide agrum, & eme tibi vitam æternam.* Vera allego, quia uerba adſtruo ueritatis. Si vis perfectus eſſe, inquit, omnia quæcumque habes uende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo. Et noli contriſtari cum hæc audis, ne dicatur & tibi, ſicut & illi adoleſcenti diuiti dictum eſt: *Quàm difficile qui poſſeſſiones habent, in regnum Dei intrabunt!* Magis cum hæc legis, conſidera quia iſta tibi poteſt mors eripere, poteſtas ſuperioris tollerere. Deinde quia poteris parua pro magnis, cadauca pro æternis, theſaurus pecuniæ pro theſauris gratiæ uendere. Iſti corrumpuntur, illi permanent. Conſidera quia hoſ ſolus non poſſides: poſſidet tecum tinea, poſſidet ærugo, quæ conſumit pecuniam. Has tibi conforſes auaritia dedit. Vide autem quos tibi det gratia debitorum. Splendidum in panibus benedicent labia iuſtorum, & teſtimonium bonitatis illius fiet. Facit tibi patrem debitorem Deum, qui pro munere, quo pauper adiuuus eſt, fœnus exoluet, quaſi boni debitor creditoris. Facit tibi debitorem filium Dei, qui ait: *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & operuiſtis me.* Quod enim uicuique minimorum collatum fuerit, ſibi dicit eſſe collatum. Neſcis ô homo ſtruere diuitias. Si vis diues eſſe, eſto pauper ſæculo, ut ſis diues Deo. Diues fidei, diues eſt Deo. *Qui diues eſt in miſericordia, hic eſt diues Deo.* Diues in ſimplicitate, diues Deo eſt. Diues ſapientiæ & ſcientiæ, diues eſt Deo. Sunt qui in paupertate abundant, & qui in diuitiis egent. Abundant pauperes, quorum profunda paupertas abundauit in diuitiis ſimplicitatis ſue, diuites autem eguerunt & eſurierunt. Neque enim otioſe ſcriptum eſt: *Diuitum pauperes præpoſiti erunt, & propriis ſerui dominis ſcenerabunt, quia diuites & domini ſuperuacua & mala ſeminant, ex quibus non fructum colligant, ſed ſpinas metant.* Ideo pauperibus diuites erunt ſubditi, & ſerui dominis ſpiritualiæ ſcenerabunt, quem admodum diues rogabat ut ſibi

ſtillam aquæ pauper Lazarus ſceneraret. Potes & tu diues iſtam implere ſententiam, ſi largiaris pauperi. *Qui enim largitur pauperi, Domino ſcenerat.* Pulchre autem ſanctus Dauid in Pſalmo 75. hymnum Deo concinens ad Aſſyrium ſcriptum, hoc eſt, aduerſus nequitiæ ſpiritaſ (Aſſyrius enim inanem ac vanum principem iſtius mûdi ſonat) ita cœpit: *Notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius: hoc eſt, non in diuitibus, nõ in nobilibus, ſed in pœnitentibus, & in anima conſtitente Deo: non in principibus & conſulibus, ſed in eo qui Deum uidet.* Ipſe eſt enim Iſrael, in quo profunda fides ad cognitionem Dei potuit peruenire. Et factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion, ubi quietus aſſeſtus nullis diuerſarum cupiditatū exagitatione fluctibus, nullis auaritiæ turbatur procellis, nullis querendarum diuitiarum igneſcit incendiis. Ipſe eſt qui ſpeculatur æterna, & habitat in Sion, confringens omnia ſpiritualium inſtrumenta bellorum, conterens arcus quibus diabolus ignita dirigens iacula, graues pectoribus hominum ſolet inurere paſſiones. Sed illa iacula iuſto nocere nõ poſſunt, cui Deus lux eſt, tantumque abeſt à caligantiū horrore tenebrarum, ut aduerſarius in eo locum habere non poſſit, qui etiam principibus ſe conſueuit in fundere, ſicut inſudit Iudæa proditori, concidens tamquam in ſilua lignorum fidei ianuas, ut in cor eius haberet ingreſſum, & æterni nominis tabernaculum poſſideret. Ergo princeps huius mundi quaſi improbus uſurpator concidit ianuas, ut uolētus introcat: Dominus autem quaſi pius illuſtrat ſeruulos, & eorum fulgentibus meritis, & claritate uirtutum tenebras mundi huius illuminat. Hanc pacifici atque manuſueti habent apud Deum gratiam, ſobria mentis ſuæ tranquillitate fundati: inſipientes autem corde turbantur, & ipſi ſibi ſunt propria exagitationis auctores, quia deſideriorum ſuorum æſtu uoluntur, & quodam ſalo fluctuant. Qui autem ſunt iſti, Propheta ſignificauit dicendo: *Omnēs uiri diuitiarum. Omnes dixit, nullum excepit. Et bene uiros diuitiarum appellauit, non diuitias uirorum, ut oſtenderet eos non poſſeſſores diuitiarum eſſe, ſed à ſuis diuitiis poſſideri. Poſſeſſio enim poſſeſſoris debet eſſe, non poſſeſſor poſſeſſionis.*

*Quod omnes uiri diuitiarum inſipientes dicantur, & corde turbati, & quomodo dormiant ſomnum ſuum: quomodo etiam dormitarint qui aſcenderunt equos.* C.A.P. XV.

**Q**uicumque igitur patrimonio ſuo tamquam poſſeſſione non utitur, qui largiri pauperi & diſpenſare non nouit; iſ ſuarum ſeruulus eſt, nõ dominus facultatum: quia aliena cuſtodit ut famulus, non tamquã dominus ſuis utitur. In huiusmodi ergo affectu dicimus quod uir diuitiarum ſit, non diuitiæ uiri. Intellectus enim bonus uentibus eo, qui autem non intelligit, iſ utiq; intellectus ſibi gratiam non poteſt uendicare: & ideo ſomno temulentitiæ conſopitus obdormit. Huiusmodi igitur uiri ſomnum ſuum dormiunt, non Chriſti dormiunt ſomnum. Et qui ſomnum Chriſti nõ dormiunt non habent Chriſti quietem, non ſurgunt Chriſti reſurrectione, quia ipſe ait: *Ego dormiui, & quieui, & ſur-*

Matth. 6.

Matth. 19.

Matth. 25.

1. Cor. 5.  
Ecdi. 31.

Prou. 19.

Matth. 25.

1. Cor. 5.  
Ecdi. 31.

1. Cor. 5.  
Ecdi. 31.

2. Cor. 8.  
Pfal. 33.

Prouer. 22.

Luc. 16.

Prouer. 19.

Pfal. 75.

Genes. 35.  
Pfal. 75.

1. Ioan. 33.

Pfal. 75.

Pfal. 110.

Prou. 1.

Pfal. 3.

*Pfal.* 75. rexi, quoniam Dominus suscepit me. In hoc qui sa-  
culo dormitant, digni habiti increpatione caelesti,  
qui ascenderunt equos, quos refranare non poterant.  
*Cantic.* 6. Legimus alibi dicentem Ecclesiam siue animam:  
Posuit me currus Aminadab. Si ergo anima currus  
est, vide ne equus caro sit: agitator autem vigor men-  
tis, qui regit carnem, & motus eius velut quosdam  
*Pfal.* 75. equos prudentiae habenis coerctet. Dormitauerunt  
ergo qui ascenderunt equos, corporis voluptates,  
nullo eas moderamine gubernantes. Vnde & ascen-  
sores eos quam equites vel agitatores maluit nuncupare.  
Agitator enim cum disciplina & arte pro arbitrio suo  
equos agit, vel currentes incitat, vel refectit indomitos,  
vel reuocat fatigatos, vel mansuetos pro sua voluntate  
conuertit. Vnde cum recipe-  
retur Elias, & curru quasi ad caelum ferretur, clama-  
uit ad eum Elisaeus: Pater pater agitator Israel, & e-  
ques eius, hoc est, qui populum Domini bono ductu  
regebas, constantiae merito hos accepisti currus,  
hos equos ad diuina currentes, quia moderatorem  
te humanarum mentium Dominus comprobauit,  
ideo tamquam boni auriga certaminis victor aeterno  
praemio coronaris. In Habacuc quoque propheta  
lectum est, ad ipsum Dominum dictum: Ascende super  
equos tuos, & equitatus tuus salus. Agitauit enim  
Apostolos suos, quos per diuersa mundi direxit,  
vt toti orbi Euangelium praedicarent. Ascende, ait,  
quasi rector equorum, non quasi ascensor. Ascendit  
enim eques non tantummodo vt sedeat, sed vt regat:  
eo quod desidiosus, piger & somnolentus perferre  
non possit mentis incessum. De equite autem lectum  
est: Et eques cadet retrorsum, expectans salutem a  
Domino. Etenim quia nemo sine lapsu est: etiam si  
quis ceciderit, & terrenis aliquibus vitiis fuerit im-  
plexus, si tamen non abiiciat spem resurgendi, fre-  
tus miseratione diuina perueniet ad salutem. De ascen-  
sore vero manifestum est iudicium, quod reprehensibilis  
habeatur, quando Moyses ipse ait in cantico Exodi:  
Equum & ascensorem proiecit in mare. Et in Zacharia  
locutus est Dominus, dicens: Percutiam omnem equum  
in insipientia, & ascensorem eius in insipientia. Non  
dixit solum equum sed & ascensorem, quomodo & in  
Exodo habes: Equum & ascensorem. Vbi est enim  
ascensor, qui non potest equum proprium gubernare,  
equus fertur in praecipitium, & indomito furore in  
praecepta & periculosa raptatur. Quid igitur vobis  
in equis confiditis diuites? Mendax est equus ad  
salutem. Quid in curribus vobis plauditis? Hi in  
curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei  
magnificabimur. Ipsi obligati sunt, & cecidere:  
nos autem surreximus & erecti sumus. Nolite amare  
adhinnientes, nolite fremitu libidinis excitari.  
Terribilis est Dominus, & cui nemo possit potens  
& diues resistere, iudicium caeleste iaculatur.

*Quomodo diuites quiescere & feriari debeant a flagitiis, & consistere Domino in fide, humilitate, & deuota oratione: & quod multi diuites propter perfidiam perierint.*  
CAP. XVI.

**B**onum est vt iam quiescatis, & a flagitiis feriantur reuereamini Domini potestatem. Ideo dictum est parricidae Cain: Peccasti, quiesce, vt modum

peccato suo poneret. Cogitationes vestrae confiteantur Domino. Non dicatis: Non peccauimus. Dixit sanctus Paulus: Etsi nihil mihi conficius sum, addidit tamen: Sed non in hoc iustificatus sum. Et vos etiam nihil estis conficij, confiteamini tamen Domino, ne quid sit quod vos praetercat. Qui enim confitetur Domino, etsi reliquias cogitationis adhauerit ad confessionem, diem festum mentis celebrabit arcano, & epulabitur non in fermento malitiae & nequitiae, sed in azymis sinceritatis & veritatis. Itaque in conclusione conuersus ad vos Propheta dicit: Orate, & reddite Domino Deo vestro. id est, Nolite dissimulare, diuites, dies inflat, orate pro peccatis vestris, reddite pro beneficiis quae habetis munera. Ab ipso accepistis quod offeratis: ipse est quod ei soluitis. Dona, inquit, mea & data mea: hoc est, quae offertis mihi dona, data sunt mea: ego ea dedi vobis atque donauit. Denique Propheta ait: Quoniam bonorum meorum non eges, tua tibi offero, quoniam non habeo quod non dedisti. Fides est quae dona conciliat, humilitas est quae oblata commendat. Fide Abel plurimam hostiam obtulit Deo. Ideo super Cain fratris munera placuit munus Abel, quia fide vicit. Nam vnde pauperis hostia magis quam diuitis placet? quia pauper fide ditior est, sobrietate locupletior: & cum sit pauper, ex illis est de quibus dicitur: Tibi offeret reges munera. Non enim purpuratis offerentibus, sed motus proprios regentibus Dominus Iesus delectatur, qui corporali lasciuiae mentis dominantur imperio. Orate ergo diuites, non enim habetis in operibus quod placeat. Orate pro peccatis vestris atque flagitiis, & reddite Domino Deo vestro munera. Reddite in paupere, in egeno soluite, in inope scenarate. Quem vitorem timetis, facite vobis debitorum. Non accipiam, inquit, de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, quoniam mea sunt omnes ferae siluarum. Quidquid obtuleritis, meum est, quia totus orbis meus est. Non exigo quod meum est, est quod de vestro mihi possitis offerre. Studio deuotionis & fidei, non sacrificiorum ambitione delector. Tantummodo o homo, immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Aut certe, si placet, sic accipiamus. Quoniam dixit obdormisse somnum suum diuites, increpationes praemisit Domini in eos, terrorem subtexit, potestiam praedicauit, cui nec diuites resistent: & conuersus ad vniuersos, ait: Diuites dormitent, diuites increpentur. Vos orate, & reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu eius affertis munera, id est, gratias agite pauperes, quia non est personarum acceptor Deus. Illi diuitias struant, condant pecuniam, auri aggerent & argenti thesauros: vos orate, qui aliud non habetis: vos orate, qui hoc solum habetis, quod est auro pretiosius & argenteo. Vos reddite munera, qui a Domino non receditis, qui estis in circuitu: quoniam qui cratis longae facti estis prope. Qui autem prope sibi videntur esse per diuitias ac potentiam, longae facti sunt propter auaritiam. Nemo enim foris est, nisi quae culpa excludit, sicut eiecit Adam de paradiso, & Euam excludit. Nemo longae, nisi quem flagitia propria relegauerint. Ergo vos prope positi orate & reddite munera terribili Deo, & ei qui aufert principum spiritum, terribili apud reges terrae, eo quod nullo redimatur

dimatur diuitis pretio, nullo inflectatur potentium supercilio, qui culpae pretia discriminat, qui quous plus alicui contulerit, eo plus exigit ab eo. Saul contulit regnum: sed quia mandatum non custodiuit, & regnum amisit & spiritum. Multos reges gentium propter perfidiam populo patrum Dominus fecit esse captiuos. Et vt iam de proposita loquamur historia, Achab regem celestibus ingratum beneficiis ita iussit occidi, vt canes eius vulnera lamberent. Etenim quia pauperis vineam concupierat, nequaquam tantis opibus expletus imperij, infra omnem inopiam redactus a Domino, non qui vulnera eius lauaret, inuentus est, non qui corpus operiret. Defecit circa eum hominum humanitas, canum successit asperitas. Dignos plane sui ministros funeris auarus inuenit.

*Quemadmodum Achab dicatur commotus ante faciem Dei, vt in diebus eius non inducerentur super eum mala: & quod Dominus etiam circa indignos promissa sua seruet.*  
CAP. XVII.

**H**oc loco oritur illud quaestionis, quomodo legimus dixisse Dominum ad Eliam: *Vidisti quemadmodum commotus est Achab a facie mea? Non inducam in diebus eius mala, sed in diebus filij eius inducam mala super domum eius.* Aut quomodo dicimus quia valet apud Dominum poenitentia? Ecce rex commotus est a facie Dei, & ibat plorans, & conscidit vestimenta sua, & operuit se cilicio, & erat indutus sacco ex illo die quo interfecit Nabuthae Iezraelita, ita vt Deum misericordia commoueret, & mutaret sententiam. Ergo aut poenitentia non valuit nec inflexit Domi-

num misericordem, aut oraculum falsum est. Nam Achab & victus est & occisus. Sed considera quia Iezabel habuit uxorem, cuius ducebatur arbitrio, quae auertit cor eius, & nimis sacrilegijs execrabilem fecit, & hunc eius poenitentiae reuocauit affectum. Dominus autem non potest mutabilis aestimari, si confessionis immemori non putabat esse seruandum, quod promiserat contenti. Accipe & aliud: Dominus etiam indigno seruauit tenorem sententiae suae, sed beneficia circa se diuina ipse non tenuit. Intulerat ei bellum rex Syriae, qui & ab eo victus est, captiuus quoque libertati donatus, & remissus ad regnum est. Nam primo congressu Achab vicit & fugauit hostem: secundo vicit, & captum imperio suo reddidit. Quod Achab non solum euaserit, sed triumphauerit, diuinae fuit sententiae, dicente Propheta: Ecce ego trado omnem hanc turbam hodie in manus tuas. Quod autem postea vinceretur, suae fuit culpae, dicente vno ex filiis prophetarum ad proximum suum: Occide me. Et noluit homo occidere eum. Et dixit: Eo quod non obedisti verbo Domini, ecce tu recedes a me, & interficiet te leo. Et recessit ab eo, & inuenit eum leo, & interfecit eum. Et post hoc alius propheta adstetit ante regem Israel, & dixit ad eum: Haec dicit Dominus, quoniam dimisisti tu virum exterminationis de manu tua, ecce anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo illius. Liquet igitur his oraculis quod Dominus etiam circa indignos promissa sua seruet: sed impios aut stultitia sua opprimi, aut alia praeruaricatione damnari, etiam si primae praeruaricationis laqueos euaserint.

S. AMBROSII DE NABVTHE IEZRAELITA LIBRI FINIS.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS SVPER CAP. VI. LIBRI  
III. REGVM SERMONES.

III. Reg. Cap. VI.

**E**T dixerunt filij prophetarum ad Elisaeum: Ecce iam locus in quo nos habitamus coram te, angustus a nobis. Eamus iam vsque ad Iordanem, & tollamus inde virum trabem vnam, & faciamus nobis tegmen vt habitemus ibi. Et dixit Elisaeus: Ite. Et dixit vnus mansuetus: Veni cum seruis tuis. Et dixit Elisaeus: Ego ibo vobiscum. Et abiit cum eis: & veniunt ad Iordanem, & caedunt ligna. Et factum est, cum vnus succideret trabem, cecidit ex manubrio ferrum in aquam: & clamauit vir, & dixit: Heu iam domine, & ipsum mutuo acceptum. Et dixit homo Dei: Vbi cecidit? Et indicauit ei locum. Et fregit Elisaeus lignum, & misit illuc:

& supernatauit ferrum. & dixit Elisaeus: Attolle, & accipe tibi. Et extendit manum suam, & accepit illud. Et rex Syriae erat pugnans contra Israel, & consuluit seruis suis, dicens: In loco illo & illo faciemus insidias. Et misit homo Dei ad regem Israel, dicens: Attende vt non transeamus locum illum, quia ibi Syri insidiantur. Et misit rex Israel in locum quem dixit ei homo Dei, & obseruauit inde non semel neque bis. Et obstupuit cor regis Syriae de verbo hoc, & vocauit seruos suos, & dixit ad eos: Non nuntiatis mihi quis tradidit me regi Israel? Et dixit vnus de seruis eius: Nequaquam domine mi rex, sed Elisaeus propheta qui in

Israel, indicat regi Israel omnia quaecumque loquutus fueris in cōclau cubilis tui. Et dixit rex: Ite, & videte vbi est iste, & mittēs capiam eum. Et annuntiauerunt ei, dicentes: Ecce in Dorthaim. Et misit equos & currus, & exercitum grauem: & venerunt nocte, & circumdederunt ciuitatem. Et consurrexit minister hominis Dei vt surgeret manē, & egressus est: & ecce exercitus circumiēs ciuitatem, & equi & currus. Et dixit puer eius ad eum: O domine, quid faciemus? Et dixit Elisæus: Non timeas, quia qui nobiscum, plures sunt super eos qui sunt cum eis. Et orauit Elisæus, & dixit: Domine aperi oculos eius, & videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons totus plenus equorum, & currus ignis in circuitu Elisæi: & descenderunt ad eum. Et orauit Elisæus ad Dominū, & dixit: Percute iam gentem hanc cecitate. Et percussit eos Dominus cecitate, iuxta verbum Elisæi. Et dixit Elisæus ad eos: Non hęc via, & non ista ciuitas: venire post me, & ducam vos ad virum quem quaritis. Et duxit eos in Samariam. Et factum est, vt ingressi sunt in Samariam, dixit Elisæus: Domine aperi oculos istorum, & videant. Et aperuit Dominus oculos eorum, & viderunt, & ecce ipsi in medio Samarię. Et dixit rex Israel ad Elisæū vt vidit eos: Si percuciens percuciam pater? Et dixit Elisæus: Non percucies: quos captiuos cepisti in gladio tuo & arcu tuo, tu percucies. Appone eis panes & aquam, & comedant & bibant, & vadāt ad dominum suum. Et apposuit eis præparationem magnā, & comederunt & biberunt, & misit eos, & abierunt ad dominum suum: & non addiderunt vltra accincti Syrię venire in terram Israel. Et factum est post hęc, & congregauit filius Ader rex Syrię vniuersa castra sua, & ascendit, & obsederunt contra Samariam. Et facta est fames magna in Samaria. Et ecce obsidebat contra eam, donec fieret caput asini octoginta siclis argenti, & quarta pars cabi stercoreis columbarum quinque siclis argenti. Et erat rex Israel transiens per murum: & mulier clamauit ad eum, dicens: Salua me domine rex. Et dixit ei rex: Non, saluet te Dominus: vnde te saluabo? de area, vel de torculari? Et dixit ei Rex: Quid est tibi? Et dixit ei mulier: Mulier hęc dixit mihi: Da filium tuum, & comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. Et coximus filium meū, &

comedimus eū: & dixi ei in die alia: Da filium tuum, & comedamus eum: & abscōdit filium suum. Et factum est, vt audiuit rex verba mulieris, scidit vestimenta sua, & ipse transibat per murum. Et vidit populus, & ecce faccus in carne eius intrinsecus, & ait: Hęc faciat mihi Deus & hęc addat, si stabit caput Elisæi filij Saphat super ipsum hodie. Et Elisæus sedebat in domo sua, & seniores sedebant cum eo. Et misit rex virum de facie sua ad eum, & antequam veniret nuntius ad eum, Elisæus dixit ad seniores: Vidistis quōd misit filius homicidę iste vt auferat caput meum? Videte vt venerit nuntius, claudite ostium, & illidite eū in ostio: nōnne vox pedum domini eius post eum? Adhuc ipso loquente cum eis, & ecce angelus descendit ad eum, & ait: Ecce hoc malum à Domino, quid deprecabor Dominum amplius?

*De sancto Elisæo propheta sermo primus.*

**S**EPE me dixisse meministi, quōd hostium tumultus bellicosos timere minime debeamus, nec quamlibet copiosam hostium multitudinem formidare: quoniam, sicut ait Apostolus, maior est qui in nobis est, quā qui in mundo. hoc est, potentior est ad protegēdos famulos suos Christus, quā diabolus ad instigandos inimicos. Quamuis enim idem diabolus colligat sibi turbas, & crudelias armet infania, tamen facile destruantur, quia melioribus populū suū Saluator circumdat auxiliis. Ait enim Propheta: Immitteret angelum Dominus in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Quōd si angelus Domini timentes eum de periculis eripit, non potest timere barbarum qui timuerit Saluatorem; nec potest metuere hostis impetum qui Christi præcepta seruauerit. Præcepta enim Christi, arma sunt Christianis, & diuinus timor terrorem à nobis expellit hostilem. Arma autem hęc nostra sunt quibus nos Saluator instruxit, oratio, misericordia, atque ieiunium. Ieiunium enim melius quā murus tuetur, misericordia facilius liberat quā rapina, oratio longius vulnerat quā sagitta. Sagitta enim non nisi proximē conspectum perecutit aduersarium, oratio autem etiam longius positum vulnerat inimicum. Sic namque Elisæus propheta cum eum vellet rex Syrię captiuare, ac suę subdere ditioni, multisque eū armatorum cinxisset agminibus, non est territus, non turbatus, sed annuntians puero ait: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quā cum illis.* O fides sancti prophetę: nō timet aduersarios quos prospicit, quoniā scit angelos secum esse quos credit. Nō metuit terrenas insidias, quia cęlestia adesse sibi nouit auxilia. *Plures (inquit) nobiscum sunt quā cū illis.* Mira res, plures è cęlo defensores meretur sanctitas, quā in terris oppugnatores adduxit improbitas. *Plures nobiscum sunt, quā cū illis.* Videte

Videte beatitudinis meritum: propheta nuntiat etiā de multitudine, cum puer adhuc incertus sit de salute. Spiritales oculi carnalibus quanto plus cernūt: Hic perspicit armatorum numerum, & ille non cernit defensionis indicium. Quāta est diuina misericordia? Defertur hominibus beneficium, nec videtur auxilium: periclitantem consequuntur, & nesciunt. Hęc est enim pietas Saluatoris, vt interueniat salutis, ac non se prodatur aspectu: sentiat beneficium, & non cernatur obtutibus. Vnde errat qui putat cum prosperē aliquid gesserit, propria se fortitudine superasse. Scire enim debet quōd aduersarij meritis magis quā virtute vincuntur, & non tam virtute quā sanctitate superantur, sicut sanctus Elisæus hostes suos non armis superabat, sed oratione vincebat. Nam cum idem ministro suo ad depellendum eius timorem plures adesse diceret defensores, nec metus ab illo posset auferri, tūc orauit ad Dominū, dicens: *Domine aperi oculos eius vt videat: & aperti sunt oculi eius, & vidit, & ecce mons totus plenus equitatu; & reliqua.* Oratio ergo prophetę aperuit oculos pueri. Nō mirum si oratio aperuit oculos, vt videret exercitus, non mirum inquam, si nouos inserit oculos, qui noua promereret auxilia. Aut cur nō acies producat obtutum, qui acies instruxerat angelorum? Cur, inquam, non oratione sua hebetudinem pupillarum detergeret, qui meritis suis caliginē nubium penetravit? Necessario ergo sanctus Elisæus hoc facti ministro formidoloso præstitit securitatem, cui iam refuderat claritatem: dispulit formidinem cordis à quo remouerat visionis cecitatem, geminōque eum remunerans beneficio, absoluit eius metum, absoluit obtutū, minus timere cepit post quā plus videre promeruit, nam & pacem pariter promeruit, & visum. In montibus ergo cernuntur armati, apparet eos verē descendisse de cęlo, quorum aduentus primū in montibus reperitur. Ipsa enim locorum proximitas hoc demonstrat, quōd descendentes de cęlo non nisi iuga collū sibi vicina calcauerint. Tunc igitur orauit Elisæus, & omnem hostilem exercitum cecitate percussit. Non mirum si aduersariis cecitatem intulit, qui famulo largitus est claritatem: & si hostibus aufert visum, qui ministro præstat aspectum. Vbi sunt qui dicunt, plus quā preces sanctorum hominum arma posse? Ecce vna oratio Elisæi totum exercitum vulnerauit, & vnus prophetę meritis omnis est hostium numerus captiuatus. Quę cateruę regum, quę turba militū talem victoriam perpetrarunt, vt ita hostes prosternerent, vt de illis nullus occumberet? Hęc est vera, hęc incruenta victoria, vbi sic aduersarius vincitur, vt de vincentibus nemo lædatur.

*De eodem sermo alter.*

**M**IRVM forsitan videtur, quōd ante dies aliquot sancti Elisæi gratiam describētes diximus in defensionem ipsius de cęlis auxilia descendisse, & armatos equites siue quadrigas ei diuinitis affuisse, adstitisse etiam circa ipsum quadrigam igneā. Magna quidem res, sed in viro sancto miranda non est. Quid enim mirum si is auxilia meretur è cęlo, S. Ambr. tom. I.

cuius animus semper in cęlo est: sicut ait Apostolus: *Philip. 3.* Nostra autem cōuersatio in cęlis est. Ergo si nostra cōuersatio in cęlis est, & cęlestiū cōuersatio potest esse nobiscum: hoc est, vt qui vita viuimus, angelorum rectē consortium mereamur. Est ergo sancti viuētibz quædam inter se cognatio, coniunctio atque societas: nec interest vtrum in cęlis maneant, an in terris: angelici sint habitus, vel humani, dummodo in iis sit eadem vita vel sanctitas. Cōuersatio enim connectit quos separat elementum, & diuersis licet corporibus diuidantur, iisdem tamen actibus coniunguntur. Atque ideo fit vt sancti sibi quodam consortio cohærentes, à se inuicē nō discedāt: & modò angeli ad terras veniant, modò homines ad cęlestia transferantur; ac profectū meliore quibus vita communis est, incipiunt illis viuēdi etiā elementa esse communia. Sed dicit aliquis: Frequenter audiuius angelos ad homines descendisse, audire etiam cupimus quando homines ad cęlestia transmigrarint. Manifesta res est, & in promptu posita. Elias magister Elisæi nōnne angelis ducentibus raptus ad cęlum est, & quadriga ignea impositus quasi in quodam triumpho victor ascendit? Victor enim extiterat non gentium barbararum, sed sæcularium voluptatum. Siquidem grauiores inimici sunt prauis moribus, quā hostes infesti: vt facilius intelligamus hoc tempore malignitatem hostium vinci posse quā morum. Ergo Eliam angeli ad cęlum perferunt, Elisæum angeli in terris custodiunt. Sed quid mirum, si angeli qui magistrum portauerant, discipulum tuebantur, & noua quædam obsequia quæ patri exhibuerant, etiam filio deferebant? Ipse enim Elię spiritalis est filius, ipse eius hæres est sanctitatis. Rectē autem Elisæus Elię spiritalis filius dicitur, qui ascendens ad cęlum, spiritum duplicem ei suę gratiæ dereliquit. Cum enim data esset facultas Elisæo vt peteret quid vellet prius quā ab eo reciperetur Elias, petiuit vt duplex spiritus Elię fieret in ipso. Tunc dixit Elias: Durē petisti, sed fiet tibi. O hæreditas pretiosa, in qua plus hæredi relinquatur quā habetur: plus consequitur qui accipit, quā possidet qui largitur. Pretiosa planē hæreditas, quæ dum à patre transfertur ad filium, meritorum quodā scēnore duplicatur. Igitur Elias cum simplicem sanctitatis ipse haberet spiritum, Elisæo duplicem dereliquit. Mirum ergo in modum plus Elię gratiæ dimisit in terris, quā secum portauit ad cęlos: & licet ipse ad altiora totus trāsferretur corpore, apud filium tamē maiore manet sanctitate. De Elisæi autem meritis quid dicamus, cuius hęc prima laus est quōd patrem voluit gratia superare, dū dari sibi amplius postulat, quā scit apud eum esse qui possidet: Auarus quidem est in petēdo, sed idoneus in promerēdo. Dum enim à patre plus exigit quā habebat, facit cum meritis suis plus præstare quā poterat. Nam cum idem Elisæus post ascensum sui magistri venisset Hiericho, & rogaretur à ciuibz vt in eadem consisteret ciuitate, dixerunt: Commoratio oppidi bona est, sed aquę malę & steriles sunt. Tunc præcepit sibi dari vas fictile, & recōdito in cofale veniēs ad exitus aquarum proiecit in aquas, dicens: Hęc dicit Dominus: Sanauit aquas istas, non erit ex eis moriēs neque sterilis, & sanatę sunt aquę



vsque in hunc diem. Videte ergo Elisei quanta sint merita, cuius prima in ciuitate hospitalitas, filiorum est magna fecunditas. Dū enim sterilitatem auerit aquarum, successione largitur hæredum. Nō enim hoc factō vnus Eliseus sanauit hominē, aut vnus domus præstitit medicinam, sed totius ciuitatis populum reparauit. Si enim tardius hoc fecisset, interueniente sterilitate senescentibus cunctis ciuitas sine habitatore remansisset. Igitur Eliseus dum curauit aquam, curauit & plebem, & dum fontem benedixit vndarum, fontem quendam indulsit animarum. Nam sicut sanctificatione eius de occultis terræ venis aqua sana prodiiit, ita de occultis vultur visceribus soboles sana processit. Non enim sola tantum fluenta benedixit Eliseus, quæ fontium iam gremio tenebantur, sed & illa quæ humido terræ solo adhuc indiscreta paulatim erant in posterum defluxura. Vnde ait scriptura, ad exitus aquarum benedixit Eliseus, vt stillantem aquam prius sanctificatio susciperet, quam sinus fontis includeret. Igitur quoniam dicit Apostolus Paulus: Hæc in figura contingebat illis: videamus ergo ipsa figura quam habebat veritatem, hoc est, requiramus quæ sit ista ciuitas quæ sterilitate laborabat, vel quid sibi velit

vas fictile, quid etiam vt aspersi sales afferant suauitatem. Legimus in eodem Apostolo dictum esse de Ecclesia: Lætare sterilis quæ non parit, erumpe & exclama quæ non parturis. Ergo Ecclesia est illa sterilis ciuitas, quæ ante aduentum Christi aquarum vitio, hoc est, sacrilegio gentilium populorum sterilitatem sustinens, Deo filios procreare non potuit: at vbi venit Christus, velut vas fictile assumens corpus humanum, sanauit aquarum vitia, hoc est, rescavit sacrilegia populorum: & statim Ecclesia quæ erat sterilis, cœpit esse fecunda. Vnde & Apostolus dicit: Lætare sterilis quæ nō parit, erumpe & clama quæ non parturis: quia multi filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum. Plures enim filios ex ea Ecclesia quæ erat sterilis, procreauit, quàm synagoga quæ erat fecunda, suscepit. Aspersi autem sales qui sint qui attulerunt medicinam, faciliè cognoscemus, dicit Dominus ad Apostolos suos: Vos estis sal terræ. Ergo si Apostoli salibus comparati sunt, rectè figura completur. Sicut tunc effusi de vasculo sales condierunt aquas, ita & nunc missi à Salvatore Apostoli populos cōdiunt vniuersos, vt ablata sterilitate vitiorum, prolem incipiant germinare virtutum.

ibid.

1. Cor. 10.

OPERVM SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS  
EPISCOPI TOMI PRIMI FINIS.

Summarium libri de Tobia.


*Pietas, patientia, & cetera beati Tobie virtutes describuntur: usuria prauitas multis reprobatur argumentis: feneratorum fraudes, & eorum poena & mala explicantur.*

Capita libri de Tobia.

- Quod humiliter ac patienter vir iste iustus, misericors & hospitalis toleret captiuitatis erumnam, quam ob virtutes quibus præditus fuerat subiit, communem magis iniuriam quàm priuatam dolens: quodque nullum humanitatis officium illo sit præstantius quod defunctis corporibus confertur.* Cap. I.
- De commendatione sancti viri, qui dum cecitatem incidit, non ingemuit, nec conquestus fuerit: & quod diligenter cauebat ne quid furcivum damnum suam intiret: quod etiam pecuniam quam proximo suo commodaauerat, in tanta indigentia non poposcerit: quod præterea in hoc, quod pecuniam commodaui, & non feneratori, iusti seruauerit officium: & de duplici feneratoris, cum detestatione execrabili ac mali feneratoris, & commendatione boni.* Cap. II.
- De detestatione duritiæ & auaritiæ feneratorum.* Cap. III.
- De ratione feneratores Iudæ & diabolo comparantur: & quid significetur nominibus creditoris, debitoris, feneratoris & sortis.* Cap. IIII.
- Quomodo pecunia feneratorum numquam quiescat: quomodo etiam imprudenter recipientes sub usuris mutui, statim multos acquirant amicos, cum quibus opiparè & splendide conuiuentur, qui tamen exhausta pecunia soli feneratori dilacerandi relinquuntur: & de illorum serâ penitentia.* Cap. V.
- De nequitia feneratorum, qui aliena damna arbitrantur sua lucra, et quomodo sibi fingant rectoriorum suæ iniustitiæ.* Cap. VI.
- De nequitia adolescentium, qui sub usuris pecuniam mutuo recipiunt, & de vulnere remedium quarunt: & quàm tristis his sit facies creditoris occurrentis: & de induciis per eos postulatis, parum tamen profuturis.* Cap. VII.
- Quod pro paterno debito nonnunquam liberi in auctionem deducantur, & publice sub hasta vendantur: & quomodo obligatus feneratori venditus dicatur.* Cap. VIII.
- Quod fenerator peccati nostri diabolus sit, & de comparatione ipsius ad usurarium: & quod idem sit exactor qui se creditorem appellat.* Cap. IX.

- Quod à feneratoribus defunctorum cadauera aliquando teneantur pro pignore, & eis simul denegentur. & quod nihil interest inter finem & finem, inter mortem & sortem.* Cap. X.
- De usura ab aleatoribus exorta: & de inuisibili lege alicui subiciuntur etiam ferocissimi homines.* Cap. XI.
- De odibili feneratorum exactione, & de variis vocabulis ab eis sub honestatis specie excogitatis: & quod feneratoris pecunia sit echidna, & imitetur naturam serpentum.* Cap. XII.
- Vnde dicatur usura: & quemadmodum simul nascatur & enutritur, & iam nata parturiat, semperque inexplebilis atque insatiabilis sit.* Cap. XIII.
- De usura diuina lege prohibita: & quod secundum Catonem fenerator sit hominem occidere: quodque omne quod præter sortem accipitur sit usura, quocumque vocabulo appelletur.* Cap. XIII.
- Quomodo intelligatur illud Deuteronomij: Ab alienigena usuram exiges, non autem à fratre: & de maledictione usurarij secundum Ezechielem.* Cap. XV.
- Quibus Dominus in Euangelio docet feneratorum: & quod feneratores à Deo peccatores appellantur: & quis possit esse bonus fenerator, & quare bonas usuras.* Cap. XVI.
- An liceat mutuum danti recipere pignora.* Cap. XVII.
- Quid feneratorum, & quibus secundum legis statuta, & quod etiam iustus & pauper hoc facere valeant.* Cap. XVIII.
- Quomodo patres nostri gentibus feneratorum: & quomodo hodie sacerdotes feneratorum debeant.* Cap. XIX.
- Quod sit illud pignus quod lex reddi iubet ante solis occasum: & de triplici pignore.* Cap. XX.
- De reprehensione debitorum mutuum recipientium, & postmodum commodantibus ingratorum in redditione faciendis: & de obligatione mole & lapidis supermolaris prohibita.* Cap. XXI.
- Quem feneratorum imitari debeamus.* Cap. XXII.
- An feneratores excuset quod etiam superiores nostri id fecerint, & quod antiquum sit usurarum exercitium: & quomodo Tobias neque pignus neque fideiussores receperit: quo pacto etiam quis pro alieno debito fideiubere debeat.* Cap. XXIII.
- De aliis virtutibus Tobie: & quomodo mercenario merces sit soluenda.* Cap. XXIIII.

SAN-



SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS DE TOBIA  
LIBER.

TOBIAS.

Cap. I.



IBER sermonū Tobie, filij Tobiel, filij Ananiel, filij Adui, filij Gabael, de femine Afael, ex tribu Nephtholim, qui captus est in diebus Ene-

femine familiae nostræ, & genui ex ea Tobiam. Et quando captiuus ductus fui in Niniuen, omnes fratres mei, & qui de genere meo, edebant de panibus gentilium: ego verò custodiui animam meam ne māducarem, quia memor fui Dei in tota anima mea: & dedit altissimus gratiam & formam in conspectu Enemessari, & fui eius emptor. Et profectus sum in Madian: & tradidi Gabelo fratri Gabrie in Rages Mediae argenti talenta decem. Et cum mortuus esset Enemessar, regnauit Sennacherib filius eius pro eo: & viæ eius cessauerunt, & non amplius potui ire in Madian. Et in diebus Enemessari elemosynas multas faciebam fratribus meis. Panes meos dabam esurientibus, & vestimenta mea nudis. Et si quempiam de genere meo videbam mortuum & proiectum in muro in Niniue, sepeliebam eum: & si quempiam occidit Sennacherib rex quando venit fugiens de Iudæa, sepeliui eum furatus. multos enim perdidit in furore suo, & quæ sita sunt à rege corpora, & non sunt inuenta. Pergens autem vnus Niniuitarum, manifestauit regi de me quod sepeliebam eos, & absconditus sum. Cognoscens autem quod quæror vt moriar, timens secessi. Et direptæ sunt omnes substantiæ meæ, & non est relictum mihi quidquam, præter Annam vxorem meam & Tobiam filium meum. Et non transierunt dies quinquagintaquinque, vsque quod occiderunt eū duo filij eius, & fugerunt in montes Ararath. Et regnauit Afsaradan filius eius pro eo. Et constituit Achiacharū Anacl filium fratris mei factus essem vir, accepi Annam vxorem de S. Ambr. tom. 2.

H ii.

Deut. 16.

2. Paral. 32.

4. Reg. 19. Esa. 37.

omnem gubernationem. Et orauit Achiacharus pro me, & veni in Niniuen. Achiacharus autem erat pincerna, & ab anulo, & gubernator, & computator. Et constituit eum Afardan secundo: erat autem patruelis meus. Cum autem redij in domum meam, & restituta est mihi Anna vxor mea, & Tobias filius meus.

Cap. II.

**I**N quinquagesimo festo, quod est sanctum septem hebdomadarum, factum est pradiu bonum mihi: & accubui vt manducarem. Et vidi cibaria multa, & dixi filio meo: Vade, adue quemcunque inueneris de fratribus nostris indigentem, qui memor est Domini: & ecce expecto te. Et veniens dixit: Pater, vnus de genere nostro strangulatus proiectus est in platea. Et ego antequam gustarem, ego exiliens tuli eum in quandam domum, quousque occideret sol. Et reuersus lotus sum, & manducaui panem meum in tristitia: & memor fui prophetiae Amos, sicut dixit: Couertentur festiuitates vestrae in luctum, & omnes laetitiae vestrae in lamentationem. Et fleui, & cum occidit sol, abij, & effodiens sepeliui eum. Et propinqui deridebant, dicentes: Non adhuc timet hic interfici pro negotio isto, & fugit, & ecce iterum sepelit mortuos. Et in eadem nocte dormiui foedatus iuxta parietem aulae: & facies mea discooperta erat, & non sciebam quod passeruli in pariete erant. Et oculis meis apertis, immiserunt sterces passeruli calidum in oculos meos: & factae sunt albugines in oculis meis. Et abij ad medicos, & non profuerunt mihi. Achiacharus autem nutriebat me, quousque profectus sum in Elymada. Et vxor mea Anna seruebat in muliebribus, & mittebat dominis: & retribuerunt ei & ipsi mercedem, addentes etiam haedum. Cum autem venisset ad me, coepit balare. Et dixi ei: Vnde haedulus? numquid furtiuus est? Redde illum dominis, non enim licitum est maducare furtiuum. Ipsa autem dixit: Dono datus est mihi supra mercedem. Et non credebam illi, & dicebam: Redde illum dominis, & erubescbam ad eam. Illa autem respondens mihi dixit: Vbi sunt eleemosynae tuae & iustitiae tuae? ecce cognita omnia tecum.

Cap. III.

**E**T tristatus fleui, & orauit cum dolore, dicens: Iustus es Domine, & omnia opera tua, & omnes viae tuae misericordia & veritas: & iudicium verum & iustum tu iudicas in aeternum. Memor esto mei, & respice in me. Ne me vlciscaris ob peccata mea & ignorantias meas, & patrum meorum qui peccauerunt coram te. Non obediuerunt enim preceptis tuis: & dedisti nos in direptionem & captiuitatem & mortem & parabolam improperij omnibus in quibus dispersi sumus. Et nunc multa iudicia tua sunt & vera. De me fac pro peccatis meis & patrum meorum, quoniam non fecimus precepta tua. Non enim ambulauimus in veritate coram te: & nunc secundum placitum coram te fac mecum. Precipe recipere spiritum meum, vt peream & fiam terra: quoniam vtile mihi mori, quam viuere, quia opprobria mendosa audiui, & tristitia est multa in me. Precipe absolui me de necessitate iam in aeternum locum, ne auertas faciem tuam a me. In eadem die contigit filiae Raguelis Sarrae in Ecbaranis Mediae, & hac opprobriari ab ancillis patris sui, quonia erat tradita viris septem, & Asmodæus nequam demonium occidit eos, antequam essent ipsi cum ea vt in mulieribus. & dixerunt ei: Non intelligis quod suffocaueris viros tuos? iam septem viros habuisti, & vnus eorum non es nominata. Quare nos verberas pro eis? Si mortui sunt, vade cum illis, ne videamus ex te filium aut filiam in aeternum. Hac cum audisset, tristata est valde, vt suffocaretur, & dixit: Vna quidem sum patri meo, si fecero hoc, improperium ipsi est, & senectam eius deducam cum dolore in infernum. Et deprecata est ad fenestram, & dixit: Benedictus es Domine Deus meus, & benedictum nomen gloriae tuae sanctum & honorabile in saecula. Benedicat te omnia opera tua in saeculum, & nunc Domine oculos meos & faciem meam in te dedi. Dixi vt absoluas me de terra, & vt non audiam ego amplius improperium. Tu cognoscis Domine quod munda sum ab omni peccato viri, & non coinquinavi nomen meum, neque nomen patris mei in terra captiuitatis meae. Vnigenita sum patri meo, & non est ei filius qui sit heres ei, neque frater propinquus, neque existens ei filius, vt serue me ei vxorem. Iam perierunt mihi septem, ad quid mihi reliquum viuere? Et nisi videtur tibi interficere me, precipe respicere in me & misereri mei, & non audire me amplius improperium. Et audita est oratio

tio amborum in conspectu gloriae summi Dei: & missus est Raphael vt curaret duos, Tobias vt decorticaret albugines, & Sarra filiam Raguel vt daret Tobias filio Tobias vxorem, & ligaret Asmodæum nequam demonium, quonia ad Tobiam attinet hereditare eam. In eodem tempore reuersus Tobias, introiuit in domum suam, & Sarra filia Raguelis descendit de superiori cubiculo suo.

Cap. IIII.

**I**N die illa recordatus est Tobias de argento quod tradidit Gabelo in Rages Mediae, & dixit intra se: Ego petij mortem: cur non voco Tobiam filium meum, vt ei ostendam antequam moriar ego? Et vocans eum dixit: Fili, si mortuus fuero, sepeli me, & ne despexeris matrem tuam. honora eam omnibus diebus vitae tuae: & fac quod placitum est ei, & ne tristitia afficias eam. Memento fili quod multa pericula vidit propter te in utero. Cum mortua fuerit, sepeli eam apud me in vno sepulcro. Omnibus diebus filii, Domini Dei nostri memor esto: & ne velis peccare & transgredi precepta eius: & iustitiam fac omnibus diebus vitae tuae. Et ne ambules in viis iniquitatis, quia faciente te veritatem, prosperitates erunt in operibus tuis, & omnibus facientibus iustitiam. De facultatibus tuis fac eleemosynam, & ne inuideat tuus oculus in faciendo eleemosynam. Ne auertas faciem tuam ab omni paupere, & a te non auertetur facies Dei. Quemadmodum tibi fuerit secundum multitudinem, fac ex eis eleemosynam: si paucum tibi fuerit, iuxta paucum ne timeas facere eleemosynam. Praemium enim bonum thesaurizas tibi in diem necessitatis, quoniam eleemosyna a morte liberat, & non sinit intrare in tenebras. Donum enim bonum est eleemosyna omnibus facientibus eam coram altissimo. Attende tibi fili ab omni fornicatione: & vxorem primum accipe de femine patrum tuorum, & ne accipias vxorem extraneam, quae non est de tribu patris tui, quoniam filij prophetarum sumus: Noe, Abraham, Isaac, & Iacob, patres nostri ab aeterno. Memor esto fili quod omnes isti acceperunt vxores de fratribus suis, & benedicti sunt in filiis suis, & semine eorum hereditabit terram. Et nunc fili diliges fratres tuos; & non superbias in corde tuo de fratribus tuis & filiis & filiabus populi tui accipere tibi ex eis vxorem,

quonia in superbia perditio & non stabilitas multa, & in inutilitate diminutio & indigentia magna. nam inutilitas mater est famis. Merces omnis hominis, quicumque operatus fuerit tibi, apud te non remaneat, sed redde ei statim. Et si seruieris Deo, reddetur tibi. Attende tibi fili in omnibus operibus tuis, & esto eruditus in omni conuersatione tua, & quod oderis, nemini facias. Vinum ad ebrietatem nebibas, & ne ambulet tecum ebrietas in via tua. De pane tuo da esurienti, & de vestimentis tuis, nudis. De omni quod superfuerit tibi, fac eleemosynam: & ne inuideat tuus oculus dum feceris eleemosynam. Effunde panes tuos super sepulturam iustorum, & ne des peccatoribus. Consilium ab omni sapiente require, & ne despicias omnino consilium vtile, & in omni tempore benedic Dominum, & ab eo pete vt viae tuae rectae fiant, & omnes semitae tuae & consilia tua prosperentur: quoniam omnis gens non habet consilium, sed ipse Dominus dat omnia bona: & quem vult humiliat, sicut vult. Et nunc fili, memor esto preceptorum meorum, & ne deleantur de corde tuo. Et nunc indico tibi decem talenta argenti, quae dedi Gabelo fratri Gabriae in Rages Mediae. Et ne timeas fili, quod mendici facti sumus. Sunt tibi multa, si timueris Deum, & recesseris ab omni peccato, & feceris quod placitum est coram eo.

Cap. V.

**E**T respondens Tobias dixit: Pater, faciam omnia quaecumque precepisti mihi: sed quomodo potero accipere pecuniam, non cognoscens eum? Et dedit ei chirographum, & dixit ei: Inquire tibi hominem qui eat tecum, & dabo ei mercedem dum viuo, & recipe vadens pecuniam. Et iuit ad quaerendum hominem: & inuenit Raphael qui erat angelus, & non cognouit, & dixit ei: Si potes ire mecum in Rages Mediae, & si expertus es locorum? Et dixit ei angelus: Ibo tecum, & apud Gabelum fratrem nostrum moratus sum. Et dixit ei Tobias: Sustine me, & dicam patri meo. Et dixit ei: Vade, & ne moreris. Et ingressus dixit patri: Ecce inueni qui ibit mecum. Ille autem dixit: Voca eum ad me, vt cognoscam cuius tribus est, & si fidelis est ad eundem tecum. Et vocauit eum, & ingressus est, & salutauerunt se inuicem. Et dixit ei

Tobias: Frater, de qua tribu & de qua familia tu es: ostende mihi. Et dixit ei: Tribu & familia tu requiris, an mercenarium qui eat cum filio tuo? Et dixit ei Tobias: Volo frater cognoscere genus tuum & nomen. Ille autem dixit: Ego de genere Azariae & Ananiae magni & fratris tui. Et dixit Tobias: Sanus venias frater, & ne mihi irascaris, quia quaesivi tribum tuae & familiam tuae cognoscere: & tu es frater meus de honesta & bona generatione. cognosco enim Anania & Ionathan filios Samiae magni: quoniam iuimus simul in Hierusalem ad adorandum, offerentes primitiua & decimas fructuum, & non errauerunt errore fratrum nostrorum. Radice magna es frater. Sed dic, quam tibi ero mercedem daturus: drachmam in die, & necessaria sicut & filio meo? Et in super addam tibi supra mercedem, si sani reuersi fueritis. Et complacuit eis sic. & dixit ad Tobiam: Paratus sis in viam, & prosperemini. Et parauit filius eius quae ad viam. Et dixit ei pater eius: Vade cum homine hoc, & in caelo habitans Deus prosperet viam vestram, & angelus Dei eat vobiscum. Et exierunt ambo ut proficiscerentur, & canis pueri cum eis. Fleuit autem Anna mater eius, & dixit ad Tobiam: Quid misisti puerulum nostrum? nonne baculus manus nostrae est dum ingreditur ipse & egreditur coram nobis? Argentum argenteum utinam non precessisset, sed reliquiae filij nostri fiat. Sicut enim datum est nobis viuere a Domino, hoc sufficiens nobis est. Et dixit ei Tobias: Ne curam habeas soror: saluus perueniet, & oculi tui videbunt eum. Angelus enim bonus ibit cum eo: & prosperabitur via eius, & reuertetur saluus. Et cessauit flere.

Cap. VI.

Ille autem euntes viam, venerunt vesperem ad Tigridum fluuium, & manserunt ibi. At puer descendit ut lauaretur, & saltauit piscis de fluuio, & voluit deuorare puerum. At angelus dixit ei: Apprehende piscem. Et tenuit piscem puer, & proiecit eum in terram. Et dixit ei angelus: Incide piscem, & accipiens cor & iecur & fel, repones securum. Et fecit puer sicut dixit ei angelus: piscem autem affantes comederunt. Et pergebant ambo quousque appropinquauerunt Ecbatanis. Et dixit puer angelo: Azaria frater, quid est cor & iecur &

fel piscis? Et dixit ei: Cor & iecur, si aliquem perturbat daemoneum aut spiritus nequam, fac fumigare haec coram viro aut muliere, & non perturbabitur amplius. Felle vngue hominem qui habet albugines in oculis, & sanabitur. Cum autem appropinquassent Rages, dixit angelus puero: Frater, hodie manebimus apud Raguel, & ipse cognatus tuus est: & est ei filia vnigenita nomine Sarra. loquar pro ea vt detur tibi ipsa in vxorem: quia ad te attinet haereditas eius, & tu solus es de genere eius: & puella formosa & prudens est. Et nunc audi me, & loquar patri eius. Et quando reuersi fuerimus de Rages, faciemus nuptias: quia scio Raguelem, quod non dabit eam viro alteri secundum legem Moyse, vel reus erit mortis; quia haereditatem te oportet accipere, aut omnem hominem. Tunc dixit puer angelo: Azaria frater, audiui ego puellam datam fuisse septem viris, & omnes in cubiculo mortuos esse: & nunc ego solus sum patri, & timeo ne ingressus moriar, sicut & qui prius, quoniam daemoneum amat ipsam, quod non iniuria afficit quemquam praeter accedentes ad eam. Et nunc ego timeo ne moriar, & deducam vitam patris mei & matris meae cum dolore super me in sepulcrum eorum: & filius alius non est eis, qui sepeliat eos. Dixit autem ei angelus: Non es memor sermonum quos praecipit tibi pater tuus super accipienda tibi vxore de genere tuo? Et nunc audi me frater, quia tibi erit in vxorem. & daemoneij nullam rationem habe, quia nocte hac dabitur tibi ipsa in vxorem: & si ingressus fueris ad cubiculum, fumes cineres incensuum, & impones de corde piscis & iecore, & facies fumigare: & odorabit daemoneum, & fugiet, & non amplius redibit in saeculum saeculi. Quum autem accesseris ad eam, surgite ambo & clamate ad misericordem Deum, & saluabit vos & miserabitur. Ne timeas, quoniam tibi haec parata erat a saeculo: & tu eam saluabis, & ibit tecum, & existimo quod tibi erunt ex ea filij. Et vt audiuit Tobias haec, dilexit eam, & anima eius adhaesit ei valde. Et venerunt in Ecbatana.

Cap. VII.

Et venerunt in domum Raguelis: Sarra vero obuiam exiit eis, & salutauit eos, & ipsi illam. Et introduxit eos in domum, & dixit

xit

xit Raguel Ednae vxori suae: Quam similis iuuenis Tobiae consobrino meo! Et interrogauit eos Raguel: vnde estis fratres? Et dixerunt ei, Ex filiis Nephthalim captiuis in Niniue. Et dixit eis: Nostis Tobiam fratrem nostrum? Illi autem dixerunt: Nouimus. Et dixit eis: Sanus est? Illi vero dixerunt: Et viuit, & sanus est. Et dixit Tobias: Pater meus est. Et exiit Raguel, & osculatus est eum, & fleuit: & benedixit eum, & dixit ei: Honesti mei & boni hominis filius. Et audiens quod Tobias perdidit oculos suos, contristatus est, & fleuit. Et Edna vxor eius, & Sarra filia eius lacrymatae sunt. Et susceperunt eos alacriter, & occiderunt arietem ouium, & parauerunt cibaria multa. Dixit autem Tobias Raphaeli: Azaria frater, loquere de iis quae dicebas in via, & perficiatur negotium. Et communicauit sermonem Ragueli. & dixit Raguel ad Tobiam: Manduca & bibe, & hilaris sis: te oportet filiam meam accipere: verumtamen ostendam tibi veritatem. Dedi filiam meam septem viris, & quum ingressi sunt ad eam, mortui sunt in nocte: sed in praesenti hilaris sis. Et dixit Tobias: Non gustabo quidquam hinc, quousque steteris & statuatis ante me. Et dixit Raguel: Curam habe eius ex nunc secundum iudicium tu frater es ipsius, & ipsa tui. at misericors Deus prosperet vobis bona. Et vocauit Sarram filiam suam: & venit ad patrem suum. & accipiens manum eius, tradidit eam Tobiae vxorem, & dixit: ecce secundum legem Moyse curam habe illius, & duc ad patrem tuum. Et benedixit eos, & vocauit Ednam vxorem suam, & accipiens libellum scripsit conscriptionem, & signauit, & coeperunt manducare. Et vocauit Raguel Ednae vxorem suam, & dixit ei: Soror, prepara alterum cubiculum, & introduce eam. Et fecit sicut dixit, & introduxit eam illuc, & lacrymata est. Et suscepit lacrymas filiae suae, & dixit ei: Forti animo esto filia: Dominus caeli & terrae det tibi gaudium pro tristitia tua hac, forti animo esto filia.

Cap. VIII.

Postquam vero perfecerunt coenare, introduxerunt Tobiam ad eam. Ille autem vadens recordatus est sermonum Raphaelis: & accepit cinerem incensuum, & imposuit

cor piscis & iecur, & fecit fumigare. Quando autem olfecit daemoneum odorem, fugit in superiora Aegypti, & ligauit illud angelus. Vt autem conclusi fuerunt ambo, ascendit Tobias super lectum, & dixit: Surge soror, & orabimus vt misereatur nostri Dominus. Et cepit Tobias dicere: Benedictus es Dominus Deus patrum nostrorum, & benedictum nomen tuum sanctum & gloriosum in saecula. Benedicant te caeli & omnes creaturae tuae. Tu fecisti Adam, & dedisti ei adiutorium eam firmamentum vxorem eius. Ex istis factum est hominum semen. Tu dixisti, non bonum esse hominem solum, faciamus ei adiutorium simile ei. Et nunc Domine, non propter fornicationem ego accipio sororem meam hanc, sed in veritate. Praeceptum misere mei, & cum hac senescere. Et dixit secum: Amen. Et dormierunt ambo nocte. Et surgens Raguel, abiit & effodit sepulcrum, dicens: Num & hic morietur? Et venit Raguel in domum suam, & dixit Ednae vxori suae: Mitte vnam ancillarum, & videat si viuit: si autem non, vt sepeliam eum, & nemo sciat. Et introiuit ancilla aperiens ianuam, & inuenit duos dormientes: & egressa nuntiavit eis quod viueret. Et benedixit Raguel Deum, dicens: Benedictus es Deus in omni benedictione munda & sancta: & benedicant te sancti tui, & omnes creaturae tuae, & omnes angeli tui & electi tui benedicant te in omnia saecula. Benedictus es quod laetificasti me, & non est factum mihi quemadmodum putabam, sed secundum magnam misericordiam tuam fecisti vobiscum. Benedictus quoniam misertus es duobus vnigenitis, fac eis Domine misericordiam: perfice vitam eorum in sanitate cum laetitia & misericordia. Iussit autem seruis replere terra sepulcrum. Et fecit eis nuptias dierum quattuordecim: & dixit ei Raguel, antequam complerentur dies nuptiarum cum iureiurando ne exiret ipse, vsquequod implerentur quattuordecim dies nuptiarum. Et nunc accipies medietatem substantiae suae, vt iret cum salute ad patrem, & reliqua, quando moriar & vxor mea.

Cap. IX.

Et vocauit Tobias Raphaelem, & dixit ei: Azaria frater, accipe tecum puerum, & duos



camelos & vade in Rages Mediæ ad Gabelû, & porta mihi argentum, & cum adduc ad nuptias, quoniam iurauit Raguel non exiturum me. Et pater meus numerat dies, & si tardauero multum, tristabitur valdè. Et abiit raphael, & mansit apud Gabelum, & dedit ei chirographum. Ille autem obtulit theculas in sigillis, & dedit ei. Et manè surrexerunt simul & venerunt ad nuptias. Et benedixit Tobias vxorem suam.

Cap. X.

ET pater eius Tobias computabat vnumquemque diem. Et vt impleti sunt dies via, & non veniebant, dixit Tobias: Numquid confusi sunt, numquid mortuus est Gabelus, & nemo ei dat pecuniam? Et tristabatur valdè. Dixit autem ei vxor: Periit puer, quoniam moratus est. Et cœpit flere cum, & dixit: Non curæ est mihi fili, quoniam dimisi te lumen oculorum meorum. Et Tobias dicit ei: Tace, ne verbum habeas, sanus est. Et dixit ei: Tace, ne seducas me, periit puer meus. Et ibat quotidie in viam extra, quæ profecti sunt. Per dies autem panem nō manducabat, at noctes omnes non cessabat flere Tobias filium suum, quousque completi sunt quatuordecim dies nuptiarum, quas iurauit Raguel facere eum ibi. Dixit autem Tobias Ragueli: Dimitte me, quoniam pater meus & mater mea iam non sperant videre me. Dixit autem ei focer eius: Mane apud me, & ego mittam ad patrem tuum, & manifestabunt ei quæ de te. Et Tobias dicit: Non, sed mitte me ad patrem meum. Surgens autem Raguel, dedit ei Sarram vxorem eius, & dimidium bonorum, corpora & iumenta, & argentum, & benedicens eos misit, Dicens: Prosperet vos Deus filij, Deus cæli antequam ego moriar. Et dixit filia suæ: Honora soceros tuos: ipsi nunc parentes tui sunt. vtinam audiam tuam famam bonam. Et osculatus est eam. Et Edna dixit ad Tobias: Frater dilecte, restituat te Dominus cæli: & det mihi videre tuos filios è Sarra filia mea, vt lætificer coram Domino. Et ecce trado tibi filiam meam in depositum, & ne tristitiam inferas ei. Post hæc proficiscabatur & Tobias benedicens Deum. Et prosperam fecit viam eius: & benedicebat Raguel & Ednam vxorem eius.

Cap. XI.

ET profectus est, quousque appropinquarent ipsi in Niniuen. Et dixit Raphael ad Tobias: Cognosce frater, quomodo reliquisti patrem tuum: præcurramus ante vxorem tuam, & præparemus domum: accipe iam ad manum fel piscis. Et abierunt, & iuit canis post ipsos. Et Anna sedebat circumspiciens filium suum in via, & præcognouit eum venientem. & dixit patri suo: Ecce filius tuus venit, & homo qui iuit cum illo. Et Raphael dixit: Scio ego Tobia, quod aperiet oculos pater tuus. Tu igitur lini fel in oculos eius, & compunctus deteret & abiiciet albugines, & videbit te. Et currens Anna cecidit super collum filij sui, & dixit ei: Vidi te fili, abhinc moriar. & fleuerunt ambo. Et Tobias exiit ad ianuam, & offendit. At filius eius currit ad eum, & apprehendit patrem suum, & sparsit fel super oculos patris sui, dicens: Confide pater. Vt autem compuncti sunt, attriuit oculos suos, & decorticatae sunt ab angulis oculorum eius albugines, & videns filium suum cecidit super collum eius, & fleuit, & dixit: Benedictus Deus, & benedictum nomen tuum in sæcula: & benedicti omnes sancti tui angeli, quia flagellasti, & misertus es: & ecce video Tobias filium meum. Et introiit filius eius gaudens, & annuntiauit patri suo magnalia quæ facta fuerant in Media. Et exiit Tobias in occursum nurus suæ, gaudens & benedicens Deum ad portam Niniues. Et mirabantur videntes ipsum ambulantem, quia vidit. Et Tobias cōfitebatur coram eis, quod misertus fuisset eius Deus. Et vt appropinquauit Tobias ad Sarram nurû suam, benedixit eam dicens: Venias sana filia. Benedictus Deus qui duxit te ad nos, & pater tuus & mater tua. Et factum est gaudium omnibus iis qui in Niniue fratribus suis. Et venit Achiacharus, & Nasbas consobrinus eius: & factæ sunt nuptiæ Tobia cum lætitia per dies septem.

Cap. XII.

ET vocauit Tobias Tobias filium suum, & dixit ei: Vide fili, vt des mercedem homini qui venit tecum, & addere ei oportet. Et dixit ei Tobias: Pater, non lædor dans ei dimidium eorum quæ attuli, quo-

quoniam me adduxit tibi sanum, & vxorem meam curauit, & argentum meum attulit, & te similiter curauit. Et dixit senex: Iustè fit ei. Et vocauit angelum, & dixit ei: Accipe dimidium omnium quæ attulisti, & abduc saluus. Tunc vocans ambos occultè, dixit eis: Benedicite Deum, & ipsi confitemini, & magnificentiam date ei, & confitemini coram omnibus viuentibus pro iis quæ fecit vobiscum. Bonum benedicere Deum, & exaltare nomen eius, sermones Dei honorificè ostendentes, & ne cunctemini confiteri ei. Mysteriû enim regis, bonum abscondere, at opera Dei reuelare, honorificum. Bonum facite, & malum non inueniet vos. Bonum oratio cum ieiunio & eleemosyna, & iustitia. Bonum parû cû iustitia, quàm multû cum iniustitia. Bonû facere eleemosynâ, quâ thesaurizare aurû. Eleemosyna enim à morte liberat, & ipsa emûdat omne peccatum. Facientes eleemosynas & iustitias, replebuntur vita: at peccantes, hostes sunt suæ vitæ. Non abscondam à vobis omne verbum. Dixi autem mysterium regis abscondere, bonum: at opera Dei reuelare, honorificum. Et nunc, quando orasti tu & nurus tua Sarra, ego induxi memoriam orationis vestræ coram Sancto. Et quâdo sepeliebas mortuos, similiter aderam tibi. Et quando non cunctatus fuisti surgere & relinquere prandium tuum, vt abiens cooperires mortuum, non latuisti me benefaciens, sed tecum eram. Et nunc misit me Deus ad sanandum te, & nurum tuam Sarram. Ego sum Raphael, vnus de septem angelis sanctis, qui offerunt orationes sanctorum, & ambulât ante maiestatem Sancti. Et turbati sunt duo, & ceciderunt in faciem, quia timuerunt. Et dixit eis: Ne timeatis, quia pax vobis erit. At Deum benedicite, quia nō mea gratia, sed voluntate Dei nostri veni. vnde benedicite eum in sæcula. Omnibus diebus apparebam vobis, & non manducaui neque bibi: sed visionem vos videtis. Et nunc confitemini Deo, quoniam ascendo ad eum qui misit me: & scribite omnia quæ consummata sunt in libro. Et surrexerunt, & non amplius viderunt eum: & confitebantur opera magna & mirabilia Dei.

Cap. XIII.

ET vt apparuit eis angelus Domini, & To-

bias scripsit orationem in exultationem, & dixit: Benedictus Deus viuens in sæcula, & regnum eius: quia ipse flagellat & misertur, deducit ad inferos & reducit: & non est qui effugiat manum eius. Confitemini ei Israel in conspectu gentium, quoniam ipse dispersit nos inter eos. Ibi ostendite magnificentiam eius, & exaltate eum in cōspectu omnis viuentis: quoniam ipse Dominus noster, & Deus ipse pater noster in omnia sæcula. Et flagellabit nos in iniquitatibus nostris, & iterum miserebitur. Et congregabit nos ex omnibus gentibus, vbi dispersit nos inter eas. Si conuersi fueritis ad eum in toto corde vestro, & in tota anima vestra, vt faciatis ante eum veritatem, tunc cōuertetur ad vos: & non abscondet faciem suam à vobis, & videbitis quæ faciet vobiscum. Et confitemini ei in toto ore vestro, & benedicite Dominum potestatis, & exaltate regem sæculorum. Ego in terra captiuitatis meæ cōfiteor illi, & ostendo fortitudinem & magnificentiam eius genti peccatrici. Quis cognoscit si volet vos, & faciet misericordiam vobis? Deum meum exalto, & anima mea regē cæli, & exaltabit magnificentiam eius. Dicant omnes, & confiteantur ei in iustitia. Hierusalem ciuitas sancta flagellabit te in operibus filiorum tuorum, & rursum miserebitur filios iustorum. Confiteri Domino, quoniam bonus: & benedicere regem sæculorum, vt iterum tabernaculum eius ædificetur in te cum gaudio, & lætificet in te captiuos tuos, & diligat in te miseros in omnes generationes sæculi. Gentes multæ à longè veniēt ad nomen Domini Dei, munera in manibus habentes, munera regi cæli. Generationes generationum laudabunt te, & dabunt exultationem. Maledicti omnes qui oderunt te: benedicti erunt omnes qui diligunt te in sæculum. Lætare & exulta in filiis iustorum, quoniam cōgregabuntur & benedicent Dominum iustorum. O beati qui diligunt te, gaudebunt super pace tua! Beati qui tristi fuerunt in omnibus flagellis tuis, quoniam in te gaudebunt videntes omnem gloriam tuam, & lætabuntur in æternum! Anima mea benedicat Deum regem magnum, quia ædificabitur Hierusalem sapphiro & smaragdo, & lapide pretioso. muri tui & turres & propugnacula in auro mûdo: & plateæ Hierusalẽ beryllo & carbunculo & lapidè Suphir ster-

nentur. Et dicent omnes vici eius, Alleluiah, & laudabunt dicentes: Benedictus Deus qui exaltauit omnia secula.

Cap. XIII.

ET cessauit confiteri Tobias. Et erat annorum quinquaginta octo quando perdidit visum, & post annos octo respexit. Et faciebat elemosynas: & apposuit timere Dominum Deum, & confiteri ei. Maximè autem senuit: Et vocauit filium suum, & sex filios filij sui, & dixit ei: Fili, accipe filios tuos, ecce senui, & addiscendum à vita sum. Vade in Mediam fili, quia credidi quæcûque loquutus est Ionas propheta de Ninie, quod subuertetur. In Media autem magis erit pax vsq; ad tempus: & quod fratres nostri in terra dispergètur à bona terra. Et Hierusalem erit deserta, & domus Dei in ea comburetur, & deserta erit vsque ad tempus. Et iterum miserabitur eorum Deus, & couertet eos in terram. Et ædificabunt domum non qualis prior, vsquequò compleantur tempora seculi. Et post hæc reuertentur de captiuitatibus, & ædificabunt Hierusalem honorificè: & domus Dei in ea ædificabitur. Et in omnes generationes seculi ædificatio gloriosa, sicut loquuti sunt de ea propheta. Et omnes gentes conuertentur verè ad timendum Dominum Deum, & confodient idola sua. Et benedicent omnes gentes Dominum, & populus eius confitebitur Deo. Et exaltrabit Dominus populû suum: & gaudebunt omnes qui diligunt Dominum Deum in veritate & iustitia, facientes misericordiam fratribus nostris. Et nunc fili, abi à Ninie, quoniam omnino erunt quæ loquutus est propheta Ionas. Tu autem serua legem & præcepta, & esto amator elemosynarum, & iustus: vt tibi bene sit, & sepeli me bene, & matrem tuam mecum: & non vltra maneat in Ninie. Fili, vide quid fecit Aman Achiacharo, qui nutriuit eum, vt è luce duxit eum in tenebras, & quanta retribuit ei. Et Achiacharus quidem saluatus est, illi verò retributio data est, & ipse descèdit in tenebras. Manasses in elemosyna erat, & saluatus est de laqueo mortis quem fixerunt ei: Aman autem incidit in laqueum, & periit. Et nunc fili, vide quid elemosyna facit, & quomodo iustitia liberat. Et hæc ipso dicente, defecit anima eius

in lecto (erat autem annorum centum quinquaginta octo) & sepeliuit eum honorificè. Et quando obiit Anna mater eius, sepeliuit eam cum patre suo. Abiit autem Tobias cum vxore sua & filiis in Ecbatana ad Raguellem socerum suum: & senuit honorificè, & mortuos soceros suos sepeliuit gloriose: & hereditate acquisiuit substantiam eorum, & Tobia patris sui. Obiit autem & ipse annorum centum viginti septem in Ecbatanis Media. Et audiuit antequam moreretur ipse, destructionem Ninie, quam in captiuitatem cepit Nabuchodonosor & Assuerus. Et gauisus est, antequam moreretur, super Ninie.

Quam humiliter ac patienter vir iste iustus, misericors & hospitalis tulit captiuitatis arumnam, quam ob virtutes quibus præditus fuerat subiit, communè magis iniuriam quam priuatam dolens: quòdque nullam humanitatis officium illo sit præstantius quod defunctis corporibus confertur. CAP. I.

IN ETO prophetico libro qui inscribitur Tobias, quamuis plenè vobis virtutes sancti Prophetæ scriptura insinuauerit, tamen compendiaro mihi sermone de eius meritis recèssendis & operibus apud vos vtendum arbitror, vt ea quæ scriptura historico more digessit latius, nos strictius comprehendamus, virtutum eius genera velut quodam breuiario colligentes. Fuit Tobias vir iustus, misericors, hospitalis, & ob virtutes quibus præditus fuerat, subiit arumnam captiuitatis: quam ferebat humiliter atque patienter, communem magis iniuriam quam priuatam dolens. Nec sibi virtutum suffragia nihil profuisse deplorans, sed magis eam sibi contumeliam minorem peccatorum suorum pretio illatam arbitratu, meruit edictum, ne quem ex filiis captiuitatis mortuum sepulturæ daret. At ille interdicto non reuocabatur, sed magis incitabatur, ne deserere officium pietatis mortis metu videretur. Erat enim misericordiae pretium, mortis pœna. Talis flagitij deprehensus reus, vix tandem per amicum potuit direpto patrimonio egenus & exul restitui suis. Iterum in his versabatur officiis: & si quid alimenti foret, peregrinum cum quo cibum sumeret, quærebat. Itaque cum à sepultura fessus reuertisset vna die, appositis sibi edendi subsidiis, misso filio quærebat confortè conuiuij. Dum cõuiuia accersitur, nuntiatis insepulti corporis reliquiis, cibû deseruit: nec putauit pium vt ipse cibû sumeret, cum in publico corpus iaceret exanime. Hoc illi quotidianum opus, & magnum quidè. Nam si viuentes operire nudos lex præcepit, quanto magis debemus operire defunctos? Si viantes ad longiora in domum deducere solemus, quanto magis in illam terram profectos, vnde iam non reuertuntur? Ego, inquit Iob, super omnem infirmum stui. Quis infirmior defuncto, de quo dicit scriptura alibi: Super mortuum plora? Ecclesiastes autem

Ionas. 2.

Tobi. 1.

Tobi. 3.

Tobi. 11.

Tobi. 2.

Esa. 58.

Iob. 10.

Iob. 30.

Ecd. 22.

autem

Esa. 7.

741 autem ait: Cor sapientû in domo luctus, cor autem stultorum in domo epularû. Nihil hoc officio præstantius, ei conferre qui tibi iam non possit reddere, vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis confortè naturæ. Fere hæc humanitatem defunctis corporibus detulisse produntur, homines denegabunt?

De commendatione sancti viri, qui dum cæcitatem incidit, non ingemuerit, nec conquestus fuerit: quòd diligenter cauebat ne quid furtiuum domû suam intraret: quòd etiam pecuniam quam proximo suo commodauerat, in tanta indigentia non poposcit: quòd præterea in hoc quòd pecuniam commodauit & non scenerauit, iusti seruauerit officium: & de duplici scenore, cum detestatione execrabilis ac mali scenoris, & commendatione boni.

CAP. II.

TAM sancto fessus officio Propheta dum requiescit iuxta parietem aulae, cadente de passerum nido stercore, albugine cæcitatem incidit, nec conquestus ingemuit, nec dixit, Hæc merces laborum meorum? Fraudari magis se doluit obsequiorum, quam oculorum munere: nec cæcitatem pœnam, sed impedimētum putabat. Et ne quid furtiuum domum suam intraret, cauebat: sed victum mercede coniugis leuabat. Denique plus honestati quam necessitati consulens, cui sua deerant, alimoniam commodauerat proximo suo, quam toto vitæ suæ tempore in tanta indigentia non reposcit. Vix vbi se fessum vidit, & depositum senectute, insinuauit filio: non tam cupiēs commodatum reposcere, quam sollicitus ne fraudaret heredem. Quòd igitur commodauit pecuniam, & nõ scenerauit, iusti seruauerit officium. Malum est enim scenus, quo quærentur vsuræ: sed non illud scenus malum, de quo scriptum est: Scenera proximo tuo in tempore necessitatis illius. Nam David ait: Iustus miseretur & cõmodat. Aliud illud scenus iure execrabile, dare in vsuram pecuniam, quod lex prohibet. Sed Tobias hoc refugio bat, qui moncbat filium ne præceptum Domini præteriret, vt ex substantia sua elemosynam faceret, non pecuniam sceneraret, non auerteret faciem suam ab illo paupere. Hæc qui monet, cõdemnat vsuras scenoris, ex quo multi quæstum fecerunt, & multis commodare pecunias negotiatio fuit. Et quidè eam prohibuerunt sancti. Quo grauius malum scenus est, eo laudabilior qui illud refugit. Da pecuniam si habes, profit alij quæ tibi otiosa est. Da quasi non recepturus, vt lucro cedat si reddita fuerit. Qui non reddit pecuniam, reddet gratiam: si fraudaris pecunia, acquies iustitiam. Iustus est enim qui miseretur & commodat. Si amittitur pecunia, comparatur misericordia. Scriptum est enim: Qui facit misericordiam, scenerat proximo.

De detestatione duritiæ & auaritiæ sceneratorum.

CAP. III.

MULTI dispendij metu non scenerant, dum fraudem verètur. Et hoc est quod petentibus consueuerunt referre. Horum vnique dicitur: Perde pecuniam propter fratrem & amicum, & non abscondas illam sub lapide in perdicionem. Pone the-

aurum tuum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis quam aurum. Sed obsurduerunt aures hominum ad tam salutaria præcepta, & maximè diuites ære illo suæ pecuniæ aures clausas habent. Dum pecuniam numerant, responsa non audiunt. Simul vt aliquis necessitate constrictus, aut pro suorum redemptione sollicitus quos captiuos Barbarus vedit, rogare cœperit, statim diues vultum auertit, naturam non recognoscit, humilitatem supplicis non miseretur, necessitatem non subleuat, fragilitatem communem non considerat, stat inflexibilis, resupinus, non precibus inclinatur, non lacrymis mouetur, non eiulatibus frangitur, iurans quòd non habeat, imò & ipse sceneratorum requirat, vt necessitatibus subueniat suis. Quid addis duritiæ & auaritiæ tuæ iuramentum? Non absolueris periurio, sed ligaris. At vbi vsurarum mentio facta fuerit aut pignoris, tunc abiecto supercilio sceneratorum arridet, & quem antè sibi cognitum denegabat, eundem tanquam paternam amicitiam recordatus osculo excipit, hereditariæ pignus charitatis appellat, flere prohibet. Quæremus, inquit, domi si quid nobis pecuniæ est, frangam propter te argentum paternû quòd fabrefactum est, plurimum damni erit, quæ vsuræ compensabunt pretia emblematum? Sed pro amico dispendium non reformidabo, cum reddideris, reficiam. Itaque antequam det, reficere festinat: & qui in summa subuenire se dicit, vsuras exigit. Kalèdis, inquit, vsuras dabis. scenus interim, si non habueris vnde restituas, non requiro. Ita vt semel det, frequenter exigit, & semper sibi debere efficit. Hac arte tractat virum. Itaque prius eum chirographis ligat, & adstringit vocis suæ nexibus. Numeratur pecunia, addicitur libertas, absoluitur miser minore debito, maiore ligatur. Talia sunt vestra diuites beneficia. Minus datis, & plus exigitis. Talis humanitas, vt spoliatis etiam dum subuenitis. Scenus vobis etiam pauper est ad quæstum. Vsuriarius est egenus, cogentibus vobis habet quod reddat: quod impèdat, non habet. Misericordes planè viri. Quem alij absoluitis, vobis addicitis. Vsuras soluit, qui victu indiget. An quidquam grauius? Ille medicamentum quærit, vos offertis venenum. Panem implorat, gladium porrigitis. Libertatem obsecrat, seruitutè irrogatis. Absolutionem precatur, informis laquei nodum stringitis.

Quaratione sceneratorum Iudæ & diabolo comparentur: & quid significetur nominibus creditoris, debitoris, scenoris & fortis. CAP. IIII.

HANC præcipuè iniustitiã deplorat sanctus David, dicens: Vidi iniquitatè & contradictionè in ciuitate, & non defecit de plateis eius vsura & dolus. Itaq; cum prodicionè Iudæ subiiceret, hoc præmisi: siue quòd vltra sacrilegij inuidiam, coniuratis Dominicæ necis scenoris crimen accesserit, siue quòd tantû sacrilegiû satis abundèq; vsura scenoris vltû iret. Mali sceneratores, qui dederunt pecuniam vt interficerent auctorem salutis: mali & isti, qui dant vt interficiant innocentem. Et iste quoque qui pecuniam acceperit, vt proditor Iudas laqueo se & ipse suspèdit. Ipsum Iudam hoc maledicto pu-

ibid.

psalm. 54.

ibidem.

Matth. 26.

Matth. 27.

Psal. 108.

tavit esse damnandū, vt scrutaretur fœnerator eius substantiam: quia quod proscriptio tyrannorum, aut latronum manus operari solet, hoc sola fœneratoris nequitia consuevit inferre. Doctiores autem ipsi fœneratori putant diabolus comparandum, qui vires animæ, & pretiosæ mentis patrimonium fœnerat, quodam vsurariæ iniquitatis sic sumptu capit, sic auro illicit, sic reatu inuoluit, sic caput pro thesauro reposit. Quid vobis iniquius, qui nec sic capitis solutione estis contenti? Quid vobis iniquius, qui pecuniam datis, & vitam obligatis & patrimonium? Accipitis aurum argentumque pro pignore, & adhuc illum debitorem dicitis, qui vobis plus reddit, quàm accepit? Vos creditores asseritis, qui amplius debetis. Vos, inquam, dicitis creditores, qui non homini, sed pignori creditis. Bene fœnus appellatur quod datis: ita vile ac fœnum est. Sortem dicitis quod debetur. Etenim velut vna ferali misera fors voluitur, perituri debitoris luenda supplicio. Stant pallentes rei ad sortis euentum. Non sic trepidant de quorum damnatione fors ducitur: non sic deiecti ac suspensi pauitant, de quorum captiuitate expectatur sortis euentus. Illic enim vnus captiuitas, hic plurimorum addicitur. Et fortasse ideo fors, quia in euentu sunt patrimonia quæ sub hac arte voluitur. Magnum & memorabile beneficium Dei hoc specialiter ore prophetico prædicatur quod in patres contulit, quia ex vsutis & iniquitate liberavit eos. Et proprie ait, Ex vsuris liberavit eos, quia vsuræ inferunt seruitutem. Quasi diceret: Ex seruitutis vinculo creptos reddidit libertati. Graue vocabulum debitorum. Debita, peccata dicuntur. Debitorum quoque criminosa appellantur. Sic enim & isti sicut & illi de capite decernunt. Culpa tamen habent nomen suum, vt factorum diuersitatem. Debita quamuis diuersæ quantitatis, vnum habent nomen, vnum onus, vnum periculū. Nescit ergo quid poscat infelix, qui pecuniā petit mutuā: quid accipiat, ignorat.

*Quomodo pecunia fœneratorum numquam quiescat: quomodo etiam imprudenter recipientes sub vsuris mutuū statim multos acquirat amicos, cum quibus opiparè & splendide conuiuientur: qui tamen exhausta pecunia soli fœneratori dilacerandi relinquuntur: & de illorum sera penitentia.*  
CAP. V.

**N**on nouit pecunia fœneratoris vno diutius loco stare, solita trāsire per plurimos. Vno teneri sacculo nescit, versari ac numerati expetit: vsu requirit, vt acquirat vsurā. Fluctus est quidā maris, nō fructus. Pecunia numquam quiescit. Labitur: velut scopulo illisa, ita gremium debitoris percutit, & continuo relabitur eō vnde processit. Cum murmure venit, cum gemitu reuertitur. Frequenter tamen placidum stat ventis mare, semper fœnoris vnda iactatur. Mergit naufragos, expuit nudos, vestitos exiit, insēpultos relinquit. Nummum ergo petis, & naufragium suscipis. Hinc Charybdis circumstrepit, hinc Sirena quæ voluptatis specie, & canora dulcedinis suauitate in vada deductos cæca, repetendæ domus (vt ferunt fabulæ) spe & cupiditate fraudabant. Statim venditores vnguenti & diuer-

Homerus in 12. Odyss.

Psal. 1.

farum specierum irruunt velut quidam canes sagaci prædæ vagantis odore perstricti, venatores, aucupes, caupones quoque miscentes mero aquam, qui nobilitatem vetusti generis & patriæ & natalem diem vini circumsonent: circumstantes repente parasti quem ante solebant spernere, salutāt, deducūt, ad lætitiā prouocant, ad sumptum incitant, dicentes: Venite, & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter, vino pretioso & vnguētis nos impleamus, & non prætereant nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra, vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars & hæc est fors nostra. Et verè fors omnis illorum facta est, tu autem remanes exors bonorum. Nō tales fortes tibi scriptura monstrauit. Non inter tales fortes Dauid memorat dormiendum, dicens: Si dormiatis inter medias sortes. Nam si in medio illarum dormisses sortium, id est, veteris & noui testamenti, non te pecuniæ cupiditas in voraginem terribi fœnoris demersisset, gratia spiritalis fidei tibi dedisset argentum, & in speciem auri diuinæ sapientiæ institutione formasset. Etenim si nos vnum testimonium diuinæ scripturæ posuimus, & luxuriosum illud conuiuium declinauimus, vtique potuit & iste saluari, si oraculis cælestibus inhaesisset. Reuertamur tamen ad conuiuium, non vt eius degustemus epulas, sed cauendas aliis demonstramus. Oneratur mensa peregrinis, & exquisitis cibis, adhibentur nitentes ministri, magno empti pretio, sumptu pascedi maiori, bibitur in noctem, dies conuiuio clauditur, ebrietati deficit. Surgit ille vini plenus, vacuus opum, dormit in lucem, vigilas somnium putat. Etenim vt iam somniis sibi videtur subito dies ex paupere, sic etiam egenus ex diuite. Dum defluit interim pecunia, vsura superfluit, tempus minuitur, fœnus augetur, thesaurus exinanitur, fors accumulatur, paulatim conuiuæ se subtrahunt, sponsores conueniunt, manè fœnerator pulsat ad ianuas, queritur dies solutioni transisse præscriptos, iurgii vigilantem adoritur, in somnis dormiētem excitat. Non noctes quietæ, non dies suavis est, non soliuendus. Distrahuntur paulatim deauratæ ac sericæ vestes, & vaneunt dimidio minoris. Ponit cum lachrymis ornamenta coniunx iam tristior, emptaria, vendenda vilis. In auctione pueri constituuntur mensæ ministri, & malè affucti emptorem auertunt. Offertur pecunia creditoris. Vix, inquit, hæc soluit vsuram: caput debes. Reddit exhausto patrimonio capitis reus, & imminuto fœnore accipit inducias, tristiores bellicis, quasi post biduum præliaturus. In bello enim incerta victoria, hic certa inopia. Illic se clypeo tegit, hic nudus occurrit. Illic lorica pectus includit, hic totus carcere includitur. Illic manus telis onerat, armat sagittis: hic ære vacuas offert vinculis alligandas. Ducitur plerumque vterque captiuus. Ille habet quem accuset aduersum belli euentum, hic præter se quem accuset non habet. Nihil est intolerabilius hac miseria, quæ excusari non potest. Acerbat conscientia pondus iniuriæ. Tunc secum reputat, tunc scripturas recordatur, tunc dicit: Nōne mihi scriptum est: Bibe aquam de tuis vasibus, & de tuorum puteorum fontibus? Quid mihi

Sapient. 2.

Psal. 67.

Ibid.

Prouer. 5.

745

mihi cum puteo fœneratoris, vbi & aqua includitur? Suauiora erant olera cum securitate, quàm alienæ epulæ pastæ cū solitudine. Non oportuit aliena querere. Si incidere debita, de meis oportuit fontibus remedium querere. Erant domi vasa minutiora. Melius erat ministerium deesse, quàm cibum: melius vestē venalem proponere, quàm libertatem addicere. Quid profuit quod publicare paupertatem meam verecundatus sum? Ecce alius publicauit. Ego nolui nutritores vendere, ecce alius adiudicat. Sera hæc consideratio. Tunc decuit metuissetis, quum acciperes aliena: tunc decuit succurrere, quum vulnera prima proferperent. Melius fuerat in principio tenuare sumptum, & necessitatem debiti, rei familiaris angustiis alleuare, quàm vt ad horam ditatus alienis, postea exuereris & propriis.

*De nequitia fœneratorum qui aliena damna arbitrantur sua lucra: & quomodo sibi fingant te toriolum sua iniustitie.*  
CAP. VI.

**A**ccusamus debitorem, quod imprudenter se gesserit. Sed tamen nihil nequius fœneratoribus, qui aliena damna lucra sua arbitrantur: & dispendio suo deputant quidquid ab aliis possidetur. Aucupantur hæredes novos, adolescentulos diuites explorant per suos, adiungunt se, simulantes paternam & auitam amicitiam, volunt domesticas eorum cognoscere necessitates. Si quam causam inuenerint, accusant verecundiam, pudorem arguunt, quod non antè de se speratum atque præsumptum. Sin verò nullos laqueos alicuius necessitudinis offenderint, intextunt tabulas, aiunt nobile prædium esse venale, amplam domum, accumulatur prouentus fructuum, annuos redditus exaggerant, hortantur vt coeant. Similiter faciunt pretiosas vestes, & monilia nobilia prædicantes. Neganti se habere pecuniam, ingerunt suam, dicentes: Vtere vt tua: de fructibus emptæ possessionis pretium multiplicabis, debitum reddes. Præterdant alienos fundos adolescententi, vt eum suis expolient, tendunt retia. Simul vt indagine cincta spatia fuerit ingressus, cogit eum in retia cautionum, laqueos vsurarum, petunt obligari sibi auitum prætorium, paternū sepulcrum: præstituitur dies solutioni, dissimulatur conuentio, quando potest solutio sustineri. vbi satis securum reddiderint, repente ingruunt, & instant vehementius, causanti incūbūt dicentes: Tu possides tua prædia, nos nostram pecuniam non habemus. Aurum dedimus, lignum tenemus. Tibi fructuum emolumenta procedunt, nobis nihil accrescit pecuniæ. Otiosa causatio est, saltem renouetur chirographum.

*De increpatione adolescentum qui sub vsuris pecuniam mutuū recipiunt, & de vulnere remedium querunt: & quam tristis his sit facies creditoris occursum: & de induciis per eos postulatis, parum tamen profuturis.*  
CAP. VII.

**I**taque dum primum adolescens nihil putat de vestibus suis aut possessionibus esse vendendum, S. Ambr. tom. 2.

ad hæc facienda poscit dilationem. Vsuræ applicantur ad fortem, accumulatur centesima. Iam suspirare incipit, iam malum suum agnoscere. Die ac nocte vsuram cogitat: quidquid occurrerit, fœneratorem putat: quidquid crepuerit, vocem sibi videtur fœneratoris audire. Si habes, cur non soluis? si non habes, cur malum malo adiungis, & de vulnere remedium queris? Cur quotidie obsidionem pateris fœneratoris, expugnationem times? Vetus sententia est: Fœneratoris & debitoris inuicem sibi occurrentium, prospectum amborum facit Dominus. Alter quasi canis prædam requirit, alter quasi fera prædonem declinat. Ille quasi leo querit quem deuoret, iste quasi bos iuuenulus prædonis impetum reformidat. Ille quasi accipiter vnguibus olorem querit inuadere, iste quasi anser aut fulica mauult se vel in prærupta deicere, vel in profunda demergere, quàm istum humani corporis accipitrem sustinere. Quid quotidie fugis? Etsi non occurrat fœnerator, occurrit tibi inopia tamquam bonus cursor. Ambos ergo videt Dominus, fœneratorem, & debitorem. Occurrentes sibi spectat ambos: testis alterius iniquitatis, alterius iniuriæ. Illius auaritiā condemnat, huius stultitiā. Ille gressus debitoris singulos numerat, aucupatur deflexus: iste continuo post columnas caput obstrat. Nullam enim habet debitor auctoritatem. Ambobus in digitis vsurarum repetitur sæpius calculatio. Par cura, sed dispar affectus. Alter lætatur incremento fœnoris, alter cumulo debitionis affligitur. Ille quæstus numerat, hic ærumnas. Quid fugis hominem quem poteras & non timere? Quid fugis? aut quousque fugies? Si quis pulsauerit nocte, fœneratorem putas, sub lecto illico: si quem subito intrare senseris, tu foris exilis, canis latrat, & cor tuum palpitat. Sudor effunditur, anhelitus quatit artus, quæris quid mentiaris, vt fœneratorem differas: & cum dilationem impetraueris, gaudes. Fœnore tuo simulat se fœnerator grauari: sed libenter impetit, quasi venator qui feram cinxerit, securus prædæ. Tu o secularis caput, amplecteris genua, & quasi certuus sagittæ toxico ictus paululum procedens tamquam victus veneno procumbis: aut quasi piscis qui fuscina fuerit infixus, quocumque fugerit, vulnus vehit. Et verè piscis ille in esca mortem deuorat, ille hamum glutit, dum cibum querit. Sed tamen hamum nō vidit, quæ regit prædæ, tu hamum cernis, & glutis. Hamus tuus fœnus est creditoris: hamum voras, sed vermis te semper obrodit. Ipse est esca quæ decipit. Itaque & tibi fœnoris nec cibus vsui est, & hamus vulneri. An ignoras quia semel illaqueatus nodo, se magis, si fugiat, ipse cōstringit, & intra retia positus fugiendo magis deiciat super se retia? In plateas fugis, cum intra parietes tutus esse non possis.

**F**rueniet te cum voluerit fœnerator. Denique vbi tempus impleueris, sicut lupus nocte irruit, dormire non sinit, ex lecto ad publicum trahit, aut tabulis venditionis cogit subscribere. Vt fureris pudoris dispendium, subscribis illico, venditurus auitum sepulcrum. Paternæ sanè vt parcat aliquid verecundiæ, emittit ieiunium solium, iactatur quod infœcunda vendiderit, dispendiis onerauerit emptorem, & superioris ten-

Prouer. 19.

1. Petri. 5.

Prouer. 6.

Prouer. 7.

Ecal. 9.

I



poris adscribuntur dispendiis damna presentis. G Mox & laudata venduntur, & inferuntur iam non instrumenta, sed vincula. Tamen adhuc querendi fideiussores. Tribuuntur inducia non ut praedam libertatis inueniat, sed ut confortem feruitutis adiungat, qui se societ arumoso. At quid iuuare potest alienae calamitatis accessio? Iam & amici fugiunt, coniuua non recognoscunt. Ipse quoque conspectus omnium refugit, & ut pugilictus varios concertantium, ita iste honestorum vitat occurfus, & sollicitus vbi in aliquem offenderit, vigilant exiit obtutu. Redit paratus ad vincula, redit mortem optans, cogitans eam sibi si moreretur, quietem inferre. Redit miser se ipse condemnans, quod alienam pecuniam non refugerit, & foeneratoris se ari deuinxerit. O quantos miseros aliena fecerunt bona! Quid, inquit, tibi ut bibas aquam Geon? Quid, inquam, tibi ut biberes calicem foeneratoris? Multi, inquit, mutuati ad tempus, & necessitatibus consulerunt suis, & pecuniam reddiderunt. Et quanti se propter foenus strangulaerunt? Illos confideras, hos non enumeras? Reminisceris euassisse aliquos, non reminisceris oppetisse? Nummos redditos imputas, laqueos appetitos non computas? Quos deformitati tam dedecorosa conuentionis plerique verecundiores ad contumeliam, fragiliores ad iniuriam, expetito interitu perculerunt, opprobrium vitae amplius quam mortis supplicium pertimescentes.

*Quod pro paterno debito nonnumquam liberi in auctorem deducantur, & publice sub hasta venduntur: & quomodo obligatus foeneratori venditus dicatur. CAP. VIII.*

Vidi ego miserabile spectaculum, liberos pro paterno debito in auctorem deduci, & teneri calamitatis haeredes, qui non essent participes successione: & hoc tam inmane flagitium non erubescere creditorem. Instat, vrget, addicit. Mea, inquit, nutriti pecunia, pro alimonia feruitutem recognoscant, pro sumptu licitationem subeant. Agitur hasta de pretiis singulorum. Non immerito hasta agitur, vbi caput queritur: non immerito ad auctorem peruenitur, vbi fors poscitur. Haec est foeneratoris humanitas, haec debitoris stultitia, ut filiis quibus non reliquit pecuniam, libertatem auferat, pro testamento chirographum dimittat, pro emolumento hereditatis, syngrapham obligationis. Quid sibi vult paterna in liberos scriptura maledicti, vbi nulla est impij offensio peccati? An potest durius aliquod esse maledictum, grauiusque quam feruitus? Et illa saepe post mortem habet defunctus compendia, quod non spectat miserias filiorum. Vendit plerumque & pater liberos auctoritate generationis, sed non voce pietatis: ad auctorem pudibundo vultu miseros trahit, dicens: Soluite filij gulae meae sumptum, soluite paterna mensa pretium. Vomite quod non deuorastis, reddite quod non accepistis. Hoc meliores, quod vestro pretio redimitis patrem, vestra feruitute paternam emitis libertatem. Esto ut aliquis qui subuenire possit, accedat. Quis tantam explet charybdim? quis rationes foeneratoris agnoscat? quis auaritiam satiet? qua non iste pretia

exaggeret, cum viderit redemptores? Non enim suo magis lucro quam alieno detrimento pascentur. Vera profectio est, utpote Dei, diuina sententia, qui cum iratus esset propter impietatem populi Iudaorum, quod post deos alienos abirent: Cui, inquit, vendidi vos foeneratori? Venditur enim qui obligatus foeneratori fuerit, & venditur non vno pretio, sed quotidiano: venditur non cum definitione, sed cum accessione diurna. Noua vsurarum auctio per menses singulos, noua sub quotidiana licitatione venditio. Qui plus obtulerit, trahit: temper venalis addicitur, numquam quasi venditus assumatur. Magna igitur vis caelestis sententiae. Non satis iudicauit Dominus dicere: Cui vendidi vos? sed addidit, foeneratori. Offensus nihil potuit grauius inuenire, quo vindicaret in perfidos. Derelictus ex postulat, cur ita fugerint salutis auctorem, quasi foeneratori eos alicui Dominus vendidisset, digna poena. Dominum relinquentes habent ferui quod amplius quam carceris poenas & vincula reformident, habent liberi quod paueant pro libertatis incuria. Simul illud aduerte, quod foeneratio prauaricationis materia iudicata sit: quod is facile recedat a Domino, qui foeneratori se potuerit obligare. Foenus enim radix mendacij, causa perfidia est. Ego, inquit, vos non vendidi, sed peccatis vestris venditi estis. ergo qui se foeneratori obligat, ipse se vendit, & quod peius est, vendit se non aere, sed culpa.

*Quod foenerator peccati nostri diabolus sit: & de comparatione ipsius ad vsurarium: & quod idem sit exactor, qui se creditorem appellat. CAP. IX.*

Quis iste peccati est foenerator, nisi diabolus, a quo Eua mutuata peccatum obnoxiae successione, vsuris descenderat omne genus humanum? Denique quasi malus foenerator chirographum tenuit, quod postea Dominus suo cruore deleuit. Etenim quod mortis erat scriptum apicibus, debuit morte dissolui. Foenerator ergo diabolus. Denique ostendebat Saluatori diuitias suas, dicens: Haec omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. At vero Dominus aeri solutor alieni, nihil ipse debebat, qui poterat dicere: Ecce venit huius mundi princeps, & in me suum nihil inuenit. Nihil debebat, sed soluebat pro omnibus, sicut ipse testatur, dicens: Quae non rapui, tunc exolebam. Quid distat malitia huius, & principis mundi? Foenerator pecuniae caput obligat, manum tenet, forte ducit. O nomen triste de dulci! Dominus ouem centesimam liberauit. Illa centesima salutis, haec mortis est: & terra bona centuplum fructum reddit. Vae iis qui dicunt quod amarum est, dulce: & quod dulce, amarum! Quid amarum vsura? quid dulcius gratia? Nonne hoc ipso sermone quo centesimam appellant, reuocare debent in memoriam redemptorem, qui venit centesimam ouem saluare, non perdere? Quis grauior exactor est? Et hoc triste nomen. Denique Dominus ait: Populus meus, exactores vestri circumscribunt vos. Et in Euangelio habes: Dum vadis cum aduersario tuo ad magistratum, da operam liberari ab illo, ne forte perducatur te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor

exactor mittat te in carcerem. Quis iste sit exactor? agnosce, qui etiam nouissimum quadrantem exigit, & idem se creditorem vocat, atque in hoc etiam nomine fraudem facit: ut qui veneni pocula melle illinit, ut sub grato odore mors lateat, atque illita calicis ora vim fraudis abscondat. Creditor praetextitur, quasi fidelis: & quasi incredulus, ad quem fidelis oppignorat.

*Quod a foeneratoribus defunctorum cadauera aliquando tenentur pro pignore, & eis tumulus denegetur: & quod nihil interest inter funus & foenus, inter mortem & sortem. CAP. X.*

Quoties vidi a foeneratoribus teneri defunctos pro pignore, & negari tumulum, dum foenus expolitur? Quibus ego acquieui libenter, ut suum constringerent debitorem, ut electo eo fideiussor euaderet. Haec sunt foeneratores leges. Dixi itaque, Tenete reum vestrum: & ne vobis possit elabi, domum ducite, claudite in cubiculo vestro, carnificibus duriores: quoniam quem vos tenetis, carcer non suscipit, exactor absoluit. Peccatorum reos post mortem carcer emittit, vos clauditis. Legum seueritate defunctus absoluitur, vobis tenetur. certe hic sortem suam iam memoratur implese. Non inuideo tamen, pignus vestrum reseruate. Nihil interest inter funus & foenus, nihil inter mortem distat & sorte. Personat funebre vlulatu foeneratoris vsura. Nunc vero capite minutus est quem conuenitis, vehementioribus tamen nexibus alligatae, ne vincula vestra non sentiat, durus & rigidus est debitor, & qui non iam nouerit erubescere. Vnum sane est quod non timere possitis, quia poscere non nouit alimenta. Iussi igitur leuari corpus, & ad foeneratoris domum exequiarum ordinem duci: sed etiam inde clausorum mugitus ad alta personabant. Ibi quoque funus esse crederes, ibi mortuos plangi putares. Nec fallerat sententia, nisi quod plures constabat illic esse morituros. Victus religionis consuetudine foenerator (nam alibi suscipi pignora etiam ista dicuntur) rogat ut ad tumuli locum etiam reliqua deferantur. tunc tantum vidi humanos foeneratores, grauari me: tamen ego eorum humanitatem memorabar proficere, ne postea se quererentur fraudatos esse, donec feretro colla subiecti, ipsi defunctum ad sepulcra deducerent, grauiori moerore descentes pecuniae suae funus.

*De vsura ab aleatoribus extorta: & de inuolabili lege alee, cui subiiciuntur etiam ferocissimi homines. CAP. XI.*

Aliud non minoris acerbitalis accipite. Oblatio non minor, commoditatem suam iudicat: spondent pro singulis. Varios primo fors ludit euentus, ad diuersos saepe transfertur victoria, stipendiaque eius vicissim atque arumna mutantur. Omnes vincuntur & vincunt, foenerator solus acquirit. Penes alios inane manet nomen quod vicerint, penes foeneratorem solum fructus est, non annuus, sed momentarius. illi soli faciunt lucrum in omnium detrimento, illis solis esse vsurae victoria. Videas reli-

quos subito egentes, repente diuites, deinde nudos, singulis iactibus statum mutates. versatur enim eorum vita, ut tessera. Voluitur census in tabula, fit ludus de periculo, & de ludo periculum. quot propositiones, tot proscriptiones. Clamor plaudetium, stectus despoliatorum, gemitus deploratum. Sed & hos creditor ut tyrannus damnat, vnumquemque sorte capitali, agitat hastas, feralem instituit de singulorum exuuiis auctorem. Alios proscriptioni addicit, alios feruituti, non tanti occisi sub tyrannis sunt. Vita igitur hanc aleam rectius dixerim quam pecuniae, sub momento fertur, quod valeat in aeternum. Ebrietas iudicat, & nullus appellat. Habet & alea suas leges, quas fori iura non soluant. Notatur (si credi potest) infamia qui putauerit retinendum, & infamium sententia grauius quam censura iudicialis inurit opprobrium: quonia qui apud iudicem damnantur, apud illos gloriosi sunt: qui apud illos damnantur, apud iudicem criminosi sunt. Nobile constituit Moyses seniorum iudicium: hi tamen de leuioribus iudicabant, verbum graue, hoc est, de potioribus negotiis Moysi iudicio referuare consueuerant. Hic dicitur, Alconum consilium iudicauit, & plus eorum timetur potentia, quam daemonum. Inter has feras viuus foenerator atque verseris. His bestiis cibum eripis, his terri or aestimaris, his crudelior plus timeris. Ferunt Hunnorum populos omnibus bellum inferre nationibus, foeneratoribus tamen esse subiectos: & cum sine legibus viuant, alee solius legibus obedire, in procinctu ludere, tesseras simul & arma portare, & plures suis quam hostilibus iactibus interire. In victoria sua captiuos fieri, & spolia suorum perpeti, quae pati ab hoste non nouerunt. Ideo numquam belli studia deponere, quod victi alee ludo, cum totius praedae munus amiserint, ludendi subsidia requirunt, belladi periculo. Frequenter autem tanto ardore rapi, ut cum ea (quae sola magni aestimant) victus arma tradiderit, ad vnum alee iactum vitam suam potestati vel victoris vel foeneratores addicat. Denique constitit, quod quidam eorum & imperatori Romano cognitus in fide pretium feruitutis quam sibi tali sorte superatus intulerat, supplicii imperatae mortis exoluerit. Premit ergo foenerator etiam colla Hunnorum, & eos vrget in ferrum, premit Barbaros suae terrore sauitiae.

*De odibili foeneratorum exactione: & de variis vocabulis ab eis sub honestatis specie excogitatis: & quod foeneratoris pecunia sit echidna, & imitetur naturam serpentum. CAP. XII.*

Quid etiam tetrius eo qui hodie foenerat, & cras exigit? Est odibilis, inquam, homo huiusmodi. Oblatio quidem blanda, sed immanis exactio. Verum ipsa oblationis humanitas facit ad exactiois sauitiam: protulit pecuniam, hypothecas exigit, & in suis apothecis recondit. Vna pecunia a foeneratores datur, & quam multa a debitoribus exiguntur? Quanta sibi fecerunt vocabula? Nummus datur, & foenus appellatur. Sors dicitur, caput vocatur. Aes alienum scribitur, multorum hoc capitum immane prodigium, numerosam exactioem efficit. Syngrapham nuncupat, chirographum

phū nominat, hypothecas flagitat, pignus vsurpat. Fiducias vocat, obligationem asserit. Vsuras prædicat, centesimas laudat. Echidna quædam est fœneratoris pecunia quæ tanta mala parurit. Echidna tamen fœcunda pœnis viscera trahens, partu suo rumpitur, & sobolem parit non sui degenerem. matrem enim illa morsibus suis scindit. Illic ergo vbi nascitur venenū, primū probatur. Pecunia autem fœneratoris omnia mala sua concepit, parit, nutrit, atque ipsa magis in sobole sua crescit, tristi prole numerosior. Non minus flexuosa quàm serpens, atque in orbem se totam colligens, vt caput seruet. Reliquo flagellat corpore, illud solum producit ad vulnera, spiris ingentibus quos comprehenderit ligat, solo capite interficit: saluo capite etiā reliqua pars eius dilapidata fuerit, reuiuiscit. Diuersa quoque serpentibus sunt conueniēdi & parturienti tēpora: pecunia fœnebris à die inite conuentionis crescentibus serpit vsuris, quæ parturire non nouit, quia dolores magis ipsi in alios transfundit. Ibi dolores vt parturientis. Vnde etiam τόνους Græci appellauerūt vsuras, eo quod dolores partus animæ debitoris excitare videantur. Veniunt Kalendæ, parit fors centesimam. Veniunt menses singuli, generantur vsurę. Malorum parentum mala proles. Hæc est generatio viperarum. Creuit centesima: petitur nec soluitur, applicatur ad fortem. Fit maledictū propheticum, dolus in dolo, vsura improbi feminis fœtura deterior. Itaque non iam centesima incipit esse, sed summa: hoc est, non fœneroris centesima, sed fœnus centesimæ.

Vnde dicitur vsura: & quemadmodum simul nascatur & enutritur, & iam nata parturiat, semperque inexplebilis atque insatiabilis. CAP. XIII.

Vsuram quoque ab vsu arbitror dictam, quod vt vestes vsu, ita vsuris patrimonia scindantur. Τόνους Græcè lugubre sonat: partum enim qui vox doloris est, significat. Quid ibi potest esse boni, quod à dolore incipit, & ab obligatione? Lepores ferunt generare simul & educare, & continuo parturire. Istis quoque tocoglyphis generatur & supergeneratur vsura, enutritur ac nascitur, & nata iam parturit. Radices quoque arborum primò plantantur vt prestant: cum prederint, tunc virefcere incipiunt, postea pullulare. At verò pecunia fœnebris vix plantata iam pullulat. Semina tempore erupūt, animalia tempore pariunt (Tempus enim patiendi, & tempus moriendi: tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum est: tempus occidendi, & tempus sanandi. Et infra: Tempus acquirendi, & tempus reddendi: tempus custodiendi, & tempus expellendi, vt Ecclesiastes ait) pecunia fœnebris hodie seminatur, cras fructificat: semper parit, & nunquam interit: semper plantatur, vix euellitur. Vult semper fœnerator acquirere, numquam perdere; numquam custodire, pecuniam suam semper fundere; numquam sanare, semper occidere. Et quia bonus ad omnia magister Ecclesiastes liber est, Salomoni ipsi paulisper inhæreamus. Non fatiabitur oculus, inquit, videndo, & non fatiabitur auris audiuo, nec fœnerator expletur accipiendo nec affe-

ctus eius quotidiano numerādi aris satiabitur auditu. Et iterum: Omne quod fuit, ipsum est quod erit. Crescit semper pecunia, otium nescit auaritia, nescit vsura ferias. Omnes, inquit, torrentes vadunt in mare, & mare non adimpletur. Mare istud fœnerator est. Omnium patrimonia tamquam fluctus absorbet, & ipse nescit expleri. Mari tamen plerique vtuntur ad quæstum, fœneratore nemo vtitur nisi ad dispendium. Illic multorum commodum est, hic vniuersorum naufragium. Multa sunt animātia quæ citò generare incipiunt, sed citò etiam generare desistunt. Sors citò generat, & numquam desinit: immò cum exordium crescendi acceperit, in infinitum extendit augmentū. Omne deinde quod crescit, cum ad naturæ suæ formam atque mensuram magnitudinēque peruenerit, vacat incremento: sed fœneratorum pecunia tempore semper augetur, & vltra formam maternæ fortis se extendens, modum non tenet. Pleraque etiam animantium cum ceperint ea quæ ex his orta sunt generare, tamquam effœtis viribus vsū generationis amittunt: fors autem fœneris cum fuerit crescentibus exæquata centesimis, & vetustatem sui renouat, & partus solitos adiunctione multiplicat.

De vsura diuina lege prohibita: & quod secundum Catonem fœnerare sit hominem occidere. quodque omne quod præter fortem accipitur, sit vsura, quocumque vocabulo appellatur. CAP. XIII.

NON nouum nec perfunctorium hoc malum est, quod veteris atque diuinæ præscripto legis inhiabitur. Populus qui despoliauerat Egyptum, qui pede transierat mare, monetur à fœneris pecunia cauere naufragia. Et cum de aliis peccatis semel aut multum iterata admonitione præscripserit, de fœnora sæpius intimauit. Habes in Exodo: Quod si pecuniam fœneraueris pupillo, orphano, pauperi, apud te non suffocabis eum, non impones illi vsuram. Ostendit quid sit suffocare, id est, vsuram imponere. Strangulat enim, & quod peius est, animam laqueat creditoris. Quo sermone & prædonis violentiam, & deformis nodum mortis expressit. Quod si pignus acceperis vestimentum proximi tui, ante solis occasum restitues. Illud est enim opertorium eius tantum, hoc vestimentum turpitudinis eius in quo dormiet. Quod si proclamauerit ad me, exaudiam eum. Audistis fœneratores quid lex dicat, de qua dixit Dominus: Non veni legem soluere, sed adimplere? Quam Dominus non soluit, vos soluitis? Vsuram, inquit, petere, suffocare est. Hoc quoque foris serò est dictum à quibusdam eorum prudentibus. Quid est, inquit, fœnerare? Hominem, inquit, occidere. Sed vtique non Cato prior quàm Moyses qui legem accepit. Multo ille posterior. Si pignus acceperis vestimentum propinqui tui, ante solis occasum restitues illud, ne nudati appareat turpitudinis. Vos autem exiitis atque nudatis, & non redditis. Videte ne sol occidat super auaritiam vestram, ne sol iustitiæ vobis occidat, quia iustitiam non tenetis, aut sol iniquitatis super flagitia vestra condatur.

Dies

Dies quoque perit inuito, nox irruit sicut Iudæ: qui cum diabolus misisset in cor eius, surrexit ad prodicionem, & facta est nox. sol enim iustitiæ occiderat ei, & recubuerat super eum. Qui in cor eius intrauit, fecit illi tenebras, vt lucis non videret auctorem. Ibi miser perit in illo conuiuio, quo alij saluantur. Reddite vestimentum debitori, in quo dormiat, & quietus sit. Si nolueritis reddere, exaudiam, inquit, eum: quia misericors sum. Si vos non exauditis, ego exaudiam, ego miserebor, ego non despiciam inopis precem. In Deuteronomio quoque scriptum est: Non exiges à fratre tuo vsuram pecuniæ, & vsuram escarum, & vsuram omnium rerum quascumque fœneraueris fratri tuo. Si alienigenæ credideris, vsuram exiges ab eo, à fratre autem tuo non exiges. Vides quantum pondus in verbis sit. Noli, inquit, exigere vsuram à fratre tuo: hoc est, cum quo habere debes omnia communia, ab eo tu vsuram exigis? Frater tuus consors naturæ, & cohæres gratiæ. Noli ab eo exigere amplius, à quo durum est repetere quod dederis, nisi cum habuerit vnde soluat. Et quia plerique refugientes præcepta legis, cum dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia vsuras exigunt, sed de mercibus eorum tamquam vsuram emolumenta percipiunt, ideo audiunt quid lex dicat: Neque vsuram, inquit, escarū accipies, neque omnium rerum quas fœneraueris fratri tuo. Fraus enim ista & circumscriptio legis est, non custodia. Et putas te pie facere quia à negotiatore velut mutuum suscipis? Inde ipse fraudem facit in mercium pretio, vnde tibi soluit vsuram. fraudis illius tu auctor, tu particeps, tibi proficit quidquid ille fraudauerit. Et esca vsura est, & vestis vsura est, & quodcumque forti accedit, vsura est. Quod velis ei nomen imponas, vsura est. Si licitum est, cur vocabulum refugis? cur velamen obtexis? Si illicitum est, cur incrementum requiris? Quod peius est, hoc vitium plurimorum est, & maxime diuitum, quibus hoc nomine struantur cellaria. Si quis instaurandum cõuiuuium putat, ad negotiatorem mittit, vt absynthiaci cupellam sibi gratis deferat: ad cauponem dirigit, vt Picenum vinum aut Tyriacum requirat: ad lanium, vt vuluam sibi procurat: ad alium, vt poma sibi adornet. Itaque humanitatem iudicant quæ alieno periculo constant. Tu bibis, & alius distillit lacrymis? Tu epularis, & alios cibo tuo strangulas? Tu symphonia delectaris, & alius miserabili deplorat vlulatu? Tu poma degustas, & alius spinam vorat? Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Spina vsura est, spina centesima est, tribulus est fœnus, malè vrit. Quomodo potes fructum habere de spinis? Si istic fructus de spinis non nascitur, illic nascetur æternus? De ærumnis ditaris, de lacrymis lucrum quaris, de fame aliena pasceris, de exuuiis despoliatorum hominum cudis argentum: & iudicas te diuitem, qui stipem poscis à paupere? Sed audi quid dicat Saluator: Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram.

Quomodo intelligatur illud Deuteronomij: Ab alienigena vsuram exiges, non autem à fratre: & de maledictione vsurarij secundum Ezechielem. CAP. XV.

Ed forte dices, quia scriptum est: Alienigenæ fœnerabis; & non consideras quid Euangelium dicat, quod est plenius. Sed hoc interim sequestremus, legis ipsius verba considera: Fratri tuo, inquit, non fœnerabis vt vsuram, sed ab alienigena exiges. Quis erat tunc alienigena, nisi Amalech, nisi Amorihæus, nisi hostes? Ibi, inquit, vsuram exige. Cui merito nocere desideras, cui iure inferuntur arma, huic legitime indicantur vsuræ. Quem bello non potes facile vincere, de hoc citò potes centesima vindicare. Ab hoc vsuram exige quem non sit crimen occidere. Sine ferro dimicat qui vsuram flagitat, sine gladio & de hoste vlcisitur qui fuerit vsurarius & exactor inimici. Ergo vbi ius belli, ibi etiam ius vsuræ. Frater autem tuus omnis, fidei primū, deinde Romani iuris est populus. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Denique in Leuitico præscripsit etiam lex vsuram à fratre non esse postendam. Sic enim habes: Et viuet frater tuus tecum, pecuniam tuam non dabis illi in vsuram, & in amplius recipiendum non dabis illi escas tuas. Generaliter hæc sententiā Dei omne sortis excludit augmentum. Vnde & David & benedictum æstimauit, & dignum habitatione cælesti, qui pecuniam non dedit in vsuram. Si ergo qui non dedit, benedictus: sine dubio maledictus qui ad vsuram dedit. Cur ergo maledictionem potius eligis quàm benedictionem? Potestis enim benedicti esse si velitis, potestis iusti esse. Homo enim iustus, secundum Ezechiel, qui pignus debitori reddiderit, & pecuniam suam in vsuram non dederit, & superabundantiā non acceperit, & ab iniustitia auertit manum suam. Iustus est, inquit, iste: vita viuet, dicit Dominus. Qui autem pignus non reddidit, & in simulacra apposuit oculos suos, iniquitatem fecit, cum vsura dedit, & superabundantiā accepit; hic vita non viuet. Omnes iniquitates istas fecit, morte morietur, sanguis eius super ipsum manet. Vide quomodo fœneratorem cum idololatra copulauit, quasi crimen æquaret. Elige ergo quod dulcius est. Cur semper tristes? cur semper amarissimi? cur semper solliciti? Procedat aliquando à vobis misericordia, procedat veritas. Obligetur mendacium, fraus odio sit. Docuisti periurium. Fœneratorium sacramentum dicitur, vbi paratur periurium. Periurastis frequenter, cum reddita fuerit pecunia, quod syngrapha non appareat: peieratis postea, quod non receperitis pecuniam. Nolite ergo semper miseri esse, semper avari, sēper mœsti. Leones sunt, & feritatem suā mutant: De manducante, inquit, exiuit esca, & de forti exiuit dulce. Græcus & de tristi habet. Sic inuenimus. Tamen de forti hoc intelligitur, quia leo fortis est feritate: & qui ferus, tristis. Et de vobis qui pecuniam deuorastis & auaritiam, exeat misericordia. Hæc est enim esca egenorum. Et de tristi exeat dulce, vt dimittatis ei qui non habet vnde soluat. Quid trahitis peccata vt fune longo, & iugi loro vitulæ? Quod fit vtique, cum fœnus producitis. Tenetis pauperem debitorem, velut ibi sit aliqua gratia, vbi nulla spes commodi. Et hoc secundum auaritiam vestram loquor.

Quibus Dominus in Euangelio docet fœnerandum: & quod

foeneratores à Deo peccatores appellantur: & quis possit esse bonus foenerator, & querere bonas vsuras.

CAP. XVI.

Alterum Dominus in euangelio talibus magis existimat foenerandum, à quibus reddibitio non speretur. Sic enim ait: Et si mutuum dederitis à quibus speratis recipere, quæ vobis est gratia? Nā peccatores peccatoribus foenerantur, vt recipiāt. verū tamen amate inimicos vestros, & benefacite eis, & mutuū dare nihil sperātes, & erit merces vestra multa in cælo, & eritis filij altissimi, quia ipse benignus super ingratos & malos. Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Aduertitis quod nomen foenerator à Domino acceperit, quod nomen etiam qui scenori vestro fuerit obligatus. Peccatores, inquit, peccatoribus foenerantur, vt recipiant. Vterq; peccator, & foenerator, & debitor. vos autē, inquit, amate inimicos vestros. Nō discutiat quid mereatur inimici, sed quid vos facere oporteat. Date mutuū iis, à quibus non speratis vos quod datum fuerit recepturos. Nullum hic damnū est, sed compēdium. Minimum datis, multum recipietis. In terra datis, & id vobis soluetur in cælo. Foenus amittitis, mercedem magnam habebitis. Foeneratores esse definitis, filij eritis altissimi. Eritis misericordes, quō vos patris æterni probetis hæredes. Sed foeneratorum vos delectat & vsurarum vocabulum. Id quoq; non inuideo. Docebo quomodo boni foeneratores esse possitis, quomodo bonas quærat vsuras. Dicit Salomon: Foenerat Domino qui miseretur pauperi, secundum datum autem eius retribuet ei. Ecce bonum foenus de malo factum est. Ecce irreprehensibilis foenerator, ecce vsura laudabilis. Nolite ergo iam inuidentem me vestris commodis aestimare. Putatis quōd hominem subtraham vobis debitorē? Deum provideo, Christum subrogo, illum demonstro qui vos fraudare non possit. Foenerate ergo Domino pecuniam vestrā in manu pauperis. Ille adstringitur & tenetur: ille scribit quidquid egenus acceperit. Euāgelij, eius cautio est. Ille promittit pro omnibus indigentibus, ille dicit fidem. quid dubitatis dare? Si quis vobis diues huius sæculi offeratur, qui fide promittat sua pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam. Pauper est vobis Dominus cæli, & conditor mūdi huius? & adhuc deliberatis quem ditio- rem quærat fideiussorem? Sed allegatis: Quare pauper factus est, cum diues esset? Vidistis ergo quia fides eius diues est, fides eius idonea est: pauper factus est, cum pro nobis soluerit, & adhuc paupertas ip- sius non decipit. Nos enim diuites fecit, quos pau- peres putatis. Dicit enim Apostolus: Pauper factus est cum diues esset, vt illius inopia vos ditaremini. Bona inopia, quæ largitur diuitias. Nolite ergo pau- pertatem timere, vt sitis diuites. Date otiosam pecuniam, & recipietis fructuosam gratiam; & paupe- rum subuenietis necessitatibus, & vobis custodiae sollicitudo minuetur. Non peribit quod pauper ac- ceperit, & vobis quod dederitis inopi, sine custode seruabitur. Quōd si incrementum viurarum quæri- tis, in lege benedictio, in Euangelio cælestis est mer- ces. Quid suauius benedictione: quid maius est cæ- lo? Si cæsarum desideratur vsura, ea quoque præstō

est, sicut legimus. Is enim qui miseretur pauperis ipse pascetur.

An liceat mutuum danti recipere pignora. CAP. XVII.

Reddite ergo pignora quæ tenetis, quoniam fideiussorem idoneum reperistis. Sed obmurmurāt adhuc, dicentes, quia licet tenere pignora, & se lege defendunt. Aiunt enim: Scriptum est in Deutero. nomio: Si fuerit tibi debitum à proximo tuo quodcumque, non introibis in domum ipsius pignerare pignus, sed foris stabis, & homo apud quē est debitum tuum, proferet tibi pignus foras. Si autem homo ille pauper fuerit, non dormies in pigno- re ipsius, sed redditione reddes ei pignus ipsius ad occasum solis, & dormiet in vestimento suo, & be- nedicet tibi, & erit in te misericordia coram Domi- no Deo tuo. Et alibi, inquit, scriptum est: Non pi- gnerabis molam neque lapidem superiorem mola: quoniam hic pignerat, &c. Et alibi: Non accipies pignus vestimentum viduæ. Vnde argumentantur, pignora interdicta, non omnia, sed specialiter pau- peris & viduæ. Molam quoque & lapidem superio- rem molæ prohibitum pignerari. Sed cum per Eze- chielem prophetam dicat Dominus, iustum esse qui pignus reddidit, iniustum qui tenuit: vtique non spe- ciale aliquid, sed generaliter omne pignus suadet reddendum esse, cum dicat Iob: Conscriptio nem quam habui aduersus aliquem iuramento conceptā, imponens coronam legebam: & si non scindēs eam reddidi, nihil accipiens à debitore. Cum Dominus nihil ab iis quibus mutuum dederimus, sperandum esse præcipiat: quomodo pignus secundum legem putant retinendum esse?

Quid foenerandum, & quibus, secundum legis statuta, & quōd etiam iustus & pauper hoc facere valeant.

CAP. XVIII.

At ne pari recrudescant modo, & dicant etiam se ad foenerandum incitari legis oraculo, quia scriptum est: Foenerabis gentibus multis, tu autem non mutuaberis: tempus est, plenius & expressius disputare & docere quid foenerandū, & quibus legis statuta præscribūt. Præcedit enim foeneris causa pi- gnoris causā. Mutuabitur, inquit, peccator, & nō sol- uet: iustus autem miseretur, & tribuet. Audis debitor quid debeas declinare, audis creditor quid debeas imitari. Et infra: Iuuenis fui, & senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. tota die miseretur & foenerat. Vnde huic iusto quōd tota die foenerat? Ergo diues iustus est: & quanto ditior vnusquisque fuerit, tanto iustior. Qui plus habet vnde foeneret, ipse erit iustior. Sed difficile diues intrat in regnum cælorum. Quid ergo foene- rat? dic mihi sancte Dauid. Contra me protuli tes- timonium, nisi mihi subuenis. Tu mihi ergo expo- ne quid foeneret. Dixisti enim: Beatus qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in iudicio. Inueni quid foeneret iustus. Petrus quoque doceat me & ipse quid foeneret, qui dixit inopi attendenti ad se & ad Ioannem: Argentū & aurum non habeo. Nihil

Nihil ergo dabis pauperi Apostole: Das tamen, & plus das quàm alij. Das inopi, quod alij dare nō pos- sunt. Das inopi, quod egere non possit. Das inopi, quod etiam diuites accipere concupiscunt. Das ino- pi, quod ij qui istud argentum & aurum habent, cō- terre non norunt, quia auaritia eos impedit. Das ino- pi, quod eum diuitibus faciat ditio-rem. Incitasti animum meum, concupisco hoc donum tuum. Dic- citō, rogo, quid des. Noli me diu suspēsum reddere, cupio petere si citō solues. sed soluisti citō: non dis- tulisti inopem, non despexisti precem pauperis, nō diutius eum desperare fecisti, non vacuus ad tem- plum ascendisti, dicens: Argentum & aurum nō ha- beo. Non illi soli plenis manibus ascendunt qui ar- gentum & aurum habent. Ascendit & pauper non vacuus, ascendit & ille non vacuus qui aurum & ar- gentum non habet. Audiamus quid det iste pauper: Sed quod habeo, inquit, do tibi: In nomine Iesu Na- zarenj surge & ambula. O opranda paupertas, o di- tior inopia! Claudicabat, cui diuites dabant. Vnus pauper dedit, & statim qui claudus erat, sanus est fa- ctus. Habet ergo iustus quod foeneret, sermones suos foenerat. Hoc est iusti argentum. Eloquia enim Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum probatū terrę, purgatum septuplum. Hoc foenerat qui legem accepit, qui legem meditatatur, qui legem exercet. Hoc foenerauit Petrus, hoc foenerauit Pau- lus, quibus dicitur vt ad viros nationum pergerent. Ad Cornelium centurionē Petrus, cui dicitur: Sur- ge, vade nihil dubitans, quoniam ego misi illos. & surrexit & iuit. Et infra dixit: Numquid vetare po- test quis ne aqua baptizentur ij qui Spiritum sanctū acceperunt? Iussitq; eos baptizari. Hoc est: Foenera- bis gentibus, vt peccata dimittas, debita auferas: tu autem non mutuaberis. Mutuatur enim peccator, & non soluet peccata sua, quia peccator est. Paulo di- citur: Foenerabis gentibus: qui missus est ad gentes. Ioanni dicitur: Foenerabis gentibus. Iacobo, & cæ- teris dicitur: Foenerabis gentibus: quibus dictum est: Ite, baptizate gentes. Dicitur populo patrum: Si custodieris mandata Dei, benedictus eris, & foe- nerabis gentibus multis. Denique non de pecunia dici significant sequentia: Princeps eris gentibus multis, tibi autem nemo dominabitur. Constituet te Dominus Deus tuus in caput, & non in caudam: & eris tunc suprā, & non subter, si audieris vocem Domini Dei tui. Et sequitur: Si autem non audieris, maledictus tu in ciuitate, & maledictus in agro. Et infra: Maledicta progenies ventris tui. Non pecunia vtique benedictum facit, sed cognitio Dei, prædica- tio verbi, si gratiam Domini foeneremus, si indigen- tibus eloquia Domini conseramus, si obseruemus mandata cælestia. Et è contrā, maledictum non faci- cit si desit pecunia quæ foeneretur: sed si desit studiū, si desit obseruatio cælestium statutorum, maledictus eris.

Quomodo patres nostri gentibus foenerarint: & quomodo ho- die sacerdotes foenerare debeant. CAP. XIX.

Denique mysterium Ecclesiæ euidenter exprimi- tur. Primum enim dixit ad discipulum legis: Si audieris legem, & custodieris, foenerabis gentibus. quod factum est à patribus nostris. Foenerauit Moy-

ses gentibus, qui profelytos acquisiuit, foenerauit Ie- sus Nauc, foenerauit Gedeon, foenerauit Samuel, Dauid, Salomon, Elias, Elisæus: & si quis volebat verbum cognoscere, pergebat ad eos. Regina Au- stri veniebat audire sapientiam Salomonis. Vbi ac- cepit populus Iudæorum non custodire legem, acce- perunt aduenæ, hoc est, ex populo nationū qui in Do- minum Iesum crediderunt, interpretationem scri- pturarum foenerare illi vetusto populo. Foenerauit Timotheus patre Græco ortus verbū Iudais, cum sacerdotium recepisset. Foeneramus hodiēq; sacer- dotes in Ecclesia verbum Iudais, qui de synagoga ad Ecclesiam transferunt. Foeneramus & nouam & vetustam pecuniam. Et enim quam habuerunt, iam non habent. Oculos habent, & non vident: aures ha- bent, & non audiunt. Pecuniam habēt, & nō habēt, quia vsū eius ignorant, pretium eius nesciunt, fi- guram eius & formam non cognouerunt. Nam si cognouissent, numquam auctorem pecuniæ dene- gassent, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Qui quidem rediens accepto regno, iussit vocari ser- uos suos quibus dedit pecuniam, & eos qui foene- rassent pecuniam, prædicauit: ei autem qui pecuniā tenuit otiosam Domini sui, respondit: Sciebas quōd ego homo austerus sum, tollo quod non posui, me- to quod non seminavi: & quare non dedisti pecu- niam meam ad mensam, & ego veniens vtique cum vsuris exegissem illam? Audistis quæ pecunia boni foeneratoris sit, quæ pecunia bonas acquirat vsuras, quæ pecunia non infamet foeneratorem, non op- primat debitorem, quam pecuniam non arugo possit obducere, non tinea demoliri: quæ pecunia non de terreno sit, sed de æterno: quæ pecunia diui- tem faciat accipientem, nec aliquid imminuat foe- neranti. Hæc pecunia vsuram habet: non vt centesi- mam eius quod dederis portionem, sed centuplum ferat fructum. Expande igitur sinum mentis, vt hu- ius pecuniæ numeratam tibi suscipias quantitatem. Intende cordis obtutu, vt agnoscas pecuniæ huius imaginem & inscriptionem. Certè hanc pecuniam excute, tabulam supra mensam animæ tuæ, quæ sta- bilis virtutibus sit, quadratam constitue, conde in thesauro pectoris tui, de quo doct' scriba. depromit noua & vetera. Vides qualis hæc pecunia sit, quem- admodum creditorem, debitoremque inuisā in se coniungit nomina. Qui inuehar in foeneratores, iam prouoco debitorem. Huius ergo foeneratores pecuniæ vos esse desidero, vt ad vos qui mutuū su- mant, sponte festinent: per quam non nummum, sed regnum possitis acquirere: per quam non maledi- cta quærat, sed benedictionis gratiam. Hanc pecuniam foenerat populus nationum, qui scit acci- pere foeneratum, qui scit cernere, qui scit excutere. Recusasti iudicia foeneris spiritalis, egere coepisti. De te ergo dictum est: Mutuabitur peccator, & non soluet. Tibi dicitur: Aduena qui est in te, ascendet super te, tu autem descendes in imum. Nescit sum- mum, qui Christum ignorat. In inferno semper est, qui non ascendit ad Christum. In summo as- tem populus qui verbum recipit, hic habet fidei pa- trimonium omne. De hoc dicit lex: Hic tibi foene- rabit, tu autem nō foenerabis ei. Hic tibi erit caput, tu autem eris cauda. hoc est ille erit primus, tu vlti-



Esa. 9. et 19. mus & abiectus. Auferam a iudaea caput & caudam, initium & finem. Initium Christum, qui interrogatus quis eslet, respondit: Initium, quod & loquor vobis. Finem quoque Christum dicit: Ipse est enim finis legis ad iustitiam omni credenti. Ergo qui non credit ad iustitiam, nec initium, nec finem habet, sed ipse finis sui est.

Quod sit illud pignus quod lex reddi iubet ante solis occasum: & de triplici pignore. C.A.P. XX.

Cognouimus fœnus legitimum, cognoscamus & pignus quod lex reddi iubet ante solis occasum. Quid sit istud, audi dicentem Apostolum: Dedit Deus pignus spiritum in cordibus nostris. Tripliciter & pignus, & commendatum, & depositum dicitur. Pignus dicunt quod pro mutuo are susceptum est: commendatum quod custodia causa alicui commisitum. Vnde ait Apostolus: Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est commendatum meum seruare in illum diem. Depositum quoque idem docuit quod esset, dicens: Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum qui habitat in nobis. Numquid spiritus commendati auri argentique custos est, aut per Spiritum sanctum pecunia custoditur? Spiritale igitur pignus custoditur ab spiritu, ne aues cæli veniant, & auferant illud de cordibus nostris. Petamus ergo ut custodiat in nobis Christus hoc pignus quod ipse donauit, & depositum suum commedatumque conseruet. Nihil enim accepit a nobis, sed ipse nobis credidit quod nostrum non erat. Et ideo detrimento honestatis afficitur, qui depositum violauit alienum. Si commendatum hominis nulla debemus fraude violare, quanto magis diuinum & spiritale depositum bona fide seruare nos congruit, ne existimationis graua damna subeamus? Hoc igitur pignus est quod lex prohibet pignerari, & violenter auferri. Sic enim habet scriptura: Si debitum tibi fuerit a proximo quocumque, non introibis in domum ipsius pignerare pignus: & homo apud quem est debitum tuum, proferat tibi foras pignus. Si autem homo ille pauper fuerit, non dormies in pignore ipsius, sed redditione reddes ei pignus ipsius ad occasum solis, & dormiet in vestimento suo, & benedictet te, & erit in te misericordia. Dices itaque mihi: Ecce lex auferri pignus prohibuit, non suscipi: pauperi autem iussit reddi, non omnibus. At de corporalibus quidè pignoribus sanctus etiam Eldras docuit nos, quod iam fœneratores aduersus patrum vestrorum non possitis venire professione. Nam cum iuberentur qui fœnerauerant & acceperant aliena pignora, ut restituerent ea, dixerunt: Reddemus, & ab ipsis nihil quaeremus. Boni patres, qui statuerunt pignora debitorum esse reddenda: boni etiam fœneratores qui responderunt quod & pignora redderent, & pecuniam non requirerent quam dedissent. Et sententia nos paternae cõsõtionis his adstringit, & professio creditorem. Est autem & aliud pignus quod lex spiritalis prohibet auferri: & si datum fuerit, reddi iubet ante solis occasum. quod homo debitum reddidit, & ipse protulit. Debitor est autem omnis qui audit verbu regni & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminumatum est in corde ipsius. Noli ergo introire in domum eius, ut illud pignus accipias. Vae enim

Hic qui scandalizauerit vnum de pusillis istis! Si sua stultitia amiserit pignus suum, tu non habebis delictum. Si autem pauper fuerit, redde pignus ante solis occasum. Pignus autem, vestimentum est. Si sibi diues videtur, ipse se decipit si pignus tradiderit suum. Si autem pauper, qui non habeat diuitias spiritus, redde illi vestimentum suum ante solis occasum. Si de corporali ageretur pignore, utique magis per diem reddendum fuit, ne turpitudine nudi corporis diurno lumine proderetur. tenebrar enim nudum non produnt. At si hoc moueret quod non haberet pauper quo dormiens tegi posset, utique aut stragulum aut amictum diceret esse reddendum. Nunc autem dicendo vestimentum, tunicam magis significat quam induimur atque vestimur. Redde ergo pauperi tunicam suam, ut dormiat in ea noctu. Nonne tibi videtur illum pauperem significare, qui cum tunica vna iubetur pergere, alteram non requirere, emissus a Christo ad Euangelium predicandum? Ipse est enim pauper spiritu, qui dormire possit. Nam satiatio diuitiis, non est qui sinat eum dormire. Dormit enim pauper somnum resurrectionis, quem diues dormire non potest, quia a diuitiis & voluptatibus suffocatur. Dormit Christi quietem dicentis: Ego dormiui & quieui, & surrexi. Hac est tunica illa desuper texta, qua erat indutus Christus, quam scindere non potuerunt illi milites quos agnoscis. Nullus enim eorum vestimentum Christi scindit, sed diuidit: sicut scriptum est: Diuiserunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem. Diuiserunt sibi Euangelistarum vestimenta eius, & super vestem eius, hoc est, super predicationem Euangelij, qua vestitur hodieque Dominus Iesus, miserunt sortem. Illa utique sortem, qua cecidit super Matthiam, ut Apostolorum duodecimus numero, excluso nomine proditoris, adiungeretur. Bene autem de Euangelistis dictum est quia miserunt sortem. Sors enim veluti diuino pendet examine. Et ideo quia non in potestate propria sunt locuti, neque omnes eadem omnia, sed pleraque dixerunt diuersa, qua alius non dixerat, sancti Spiritus gratiam velut sortito illis ea tribuisse cognoscimus, qua loquerentur singuli de operibus Domini Iesu, ut eius gesta sibi describeret pro eius nutu diuideret. Est & alia tunica quam demonstrat Apostolus, dicens: Induite Dominum Iesum. Hac est tunica qua in honesta operit nostra, & in iis abundantiore honestatem circumdat in Christo. Induimus viscera misericordiae in Christo, induimus crucis gloriam, qua Iudæis scandalum, Græcis stultitia videbatur. Illi crubescant, qui eam crubescendam putant: nobis autem absit gloriari, nisi in cruce Domini Iesu. Hac ignobilia nostra, honorem abundantiore habent, quia per passionem Domini regnum nobis paratur æternum. Quo enim quis plus peccauerit, eo plus diligit. Consepeliatur igitur Domino Iesu, ut participes resurrectionis eius esse mereamur. Expoliamus veterem hominem cum actibus suis, induamur nouum, in quo remissio peccatorum est. Bonus ergo amictus atque vestitus, verbum Dei. Hoc vestitu filij Noe pendenda patris operuerunt, accipientes super humeros vestimentum, & retrorsum pergentes, ne viderent virilia patris, hoc est, corporea qua habent pudorem quem

Deut. 24. Neemi. 5. Deut. 24. Matth. 13. Matth. 18.

dam generationis humanæ. Et ideo qui videre voluit, angustioris animi dignam mercedem recepit, ut seruus fieret. Omnis enim qui facit peccatum, seruus est peccati. Vnde ille terrenus remansit. Hoc pauperi nemo tollat vestimentum, aut si tulerit, sol non occidat super despoliatum eum, antequam restituat, ne peccatum pauperis fœneratori possit adscribi, & non solum suo, sed etiam alieno incipiat laborare peccato. Hoc pignus in hac sæculi nostre reddatur, hoc vestimento in his mundi tenebris induatur. Hoc pignus illius Dominicæ sortis est, non illius contrariæ. Legimus enim duas sortes in Leuitico, de quibus dictum est: Vnam Domino facies, alteram transmissori. Transmissor sortem suam ad fœneratores transmisit. Serui Domini in sorte sunt Christi. In hac sorte constitutus Aaron, contrariæ sortis exclusit ærumnam, cum inter duas partes populi constitutus, mortem a defunctis serpere in sortem viouorum sui corporis non permisit obiectu. Huius sortis bonum pignus est, verbi amictus. Hanc vobis tunicam nemo auferat debitores, hanc tunicam nulli oppigneretis, si vultis nunquam turpitudinem sustinere, ut dormiatis inter medios clericos, sicut Aaron, dormiatis inter duo testamenta, ut dormiatis somnum resurrectionis, & vos reparare possitis. Hoc est vestimentum quod etiam si oppigneraueritis, recipiendum, in Prouerbiis sanctus Salomon præcipit, dicens: Aufer vestimentum tuum: præterit enim iniurius. Sapientia vestimentum est ex illis vestimentis qua ex bysso & purpura sapientia sibi fecit: hoc est, indumentum fidei constat ex predicatione cælestium, & Dominicæ sanguine passionis. Bysso aetherea figurantur, purpura specie mysterium sacri sanguinis declaratur, quo regnum cælestis confertur. Denique vestimentum sapientiæ significari superiora indicant. Præmisit enim, dicens: Sapiens esto fili, ut latetur cor meum. Et intra duos versus ait: Imprudentes autem superuenientes damnum pendunt. Aufer vestimentum tuum. Aufer igitur, ne damnum recipias imprudentiæ, & ne exutum te proprio vestimento nequissimus ille cõmunis fœnerator agnoscat, confusionem tui detegere conetur opprobrii, & persuaadat tibi ut te foliis regas, & nudum te esse conspiciens, in Dei vercaris venire conspectum. Redde, inquit, proximo in tempore, coangusta verbum, & fideliter age cum illo, & in tempore inuenies quod tibi necessarium sit. Non amat multis innocentia se defendere. Suffanna vocis assertione non eguit. Verbum coangustauit ad Dominum, & statim adipisci meruit castitatis propriae testimonium. Plurima presbyteri loquebantur, qui laborabant verborum fugo obducere veritatem: sed nunc filia Iuda tacuit apud homines, locuta est Deo. Erubescenda erat in plebe ipsa defensionis muliebris: & dum pudor defenditur, impudentia prætendebatur. Coangustauit verbum, dicens ad Dominum: Tu scis quia falsum dixerunt de me. Et Dominus spiritum Danielis pueri castitatis excitauit vltorè. Coangusta verbum ergo, ut rehibito creditori, non lingua respondeat. Siue mysticè: Coangusta verbu, hoc est, consumma. Verbu enim cõsummum & breuians faciet Dominus super terram: hoc est, ex multis ratiociniis abbreviata tibi summa cõueniat.

Esa. 8. Deut. 24. Leuit. 16. Num. 16. Matth. 10. Math. 3. Eccli. 5. Luc. 8. Psal. 3. Ioan. 19. Psal. 21. Act. 1. Rom. 17. 1. Cor. 12. Coloss. 3. 1. Cor. 1. Galat. 6. Rom. 6. Coloss. 3. Genes. 9. Esa. 10.

Deducito quod expensis diuersis est erogatum, ut saluum habeas quod super sit: quomodo Dominus de multis dispensationibus ludæorum ex multo illo ratiocinio peccatorum consummauit tandem atque breuiavit, ut reliqua salua fierent per electionem gratiæ, & seruarentur ad semen, per quos inter mortuam spem synagogæ resuscitaret.

De reprehensione debitorum mutuum recipientium, & postmodum commodantibus ingratorum in redditione facienda: & de obligatione molæ & lapidis supermolæ prohibita. C.A.P. XXI.

Quam deformis est ut pro beneficio ei qui te adiuuat rependas molestiam, cum istud fraudaueris cui debes, postea in tempore necessitatis tuæ non inuenies creditorem? Quam indignu, ut cum victum tuum sustentare non queas, cum adhuc nihil debeas, putes quod & victum tuum possis & debitum sustinere? Antè cogita unde dissoluas, & sic mutuum sume. Fructus, inquit, agrorum capio. Sed qui non abundant vsui, quomodo abundant contra cti fœnoris incrementum? Sed possessionem meam vendo. Et unde fructus, quibus vtaris ad sumptum? Fœnus non pecunia sua soluitur, sed augetur: numerando coaceruatur & crescit. Deinde non cogitas humilitatem & verecundiam postulantis? Donec accipias, ofcularis manus fœneratoris, humilias vocem tuam, ne clarior sonitus vocis tuæ aures eius offendant, ne plures te audiant deprecantè. Paupertas non habet crimen, nulla indigentia infamia est: sed debere, verecundum est: non reddere, verecundius. Postulabis dilationem cum cõperis conueniri in tempore præscriptæ solutionis: pro pecunia afferes tadia, cauaberis de tempore, excusationes strues. Et cum totum promiseris, ne in vniuersum fraudare videaris, vix dimidium restitues. De amico inimicum facies, pro honore referes contumeliam, pro benedictione maledictum. Quam hæc opinionem lædant considera, quam a viro bono discerent recognosce. Ergo dum liber es a vinculis, ipse te reuoca a iugo & onere seruitutis. Diues es? non sumas mutuum. Pauper non sumas mutuum, Diues es? nullam pateris petendi necessitatem. Pauper es? considera soluendi difficultatem. Opulentia vsuris iniquitur, paupertas vsuris non leuatur. Numquam enim malum malo corrigitur, nec vulnus curatur vulnere, sed exasperatur. Hoc vide, ne dum pecuniam petis, molam tuam obligeas, aut lapidem supermolarem. Mola est enim quasi similitudo conficitur, qua molit similitudinem vna mulier qua assumitur, & altera relinquitur. Fortasse illa assumitur qua semper molit verbum Dei, ut habeat similitudinem, & spiritalè facit farinam. Expurgate vetus fermentum, ut sitis noua conspersio. Custodit molam suam, interpretatur scripturas, seruat sibi lapidem supermolarem, illa autem relinquitur qua oppignerat molam suam. Cum autem aliquid emoluerit perfuntorie, oppignerat lapidem qui est super molam. Quis iste sit lapis, quaero. Legisti: Lapidem quem reprobaucrunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Quare super molam? Quia ipse est qui molentes iuuat. Ipse est qui dicit: Scrutamini scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere.

Rem. 11. Deut. 24. Eccli. 29. Deut. 24. Matth. 24. 1. Cor. 5. Psal. 117. Ioan. 5.

Moli scenerator hunc lapidem supermolarem oppi-  
guerare, ne cadas super illum. Omnis enim qui ce-  
ciderit super hunc lapidem, conuassabitur: super  
quem autem ceciderit, comminuet illum. Nec vi-  
dua pignus suscipias. Graue etiam secundum litteram  
ut vltimum instrumentumque viuendi egeno auferas,  
aut vidua pignus detrahas: sed grauius, si animę que  
verbi vidua est, verbum teneas, vt ei sterilitatem vi-  
duitatis inducas.

*Quem sceneratorem imitari debeamus. CAP. XXII.*

**A**Tque vt sciatis quod hæc amantis affectu sua-  
deam, vt sciatis quod liceat bene scenerare, of-  
fendā vobis quę sceneratorē debeatis imitari. Duo,  
inquit, debitor erant vni sceneratori, vnus debebat  
denarios quingentos, alius quinquaginta. Non ha-  
bentibus illis vnde redderent, donauit vtriusque. Quis  
ergo eum plus diligit? Respondens Simon Phari-  
sæus dixit: Æstimo quia is cui plus donauit. Et lau-  
data est sententia eius, dicente Domino: Recte iu-  
dicasti. Recte iudicauit Pharisæus, qui malę cogita-  
uit: putans quod ignoraret magis Dominus peccata  
mulieris, quam donaret. Sed laudatur eius senten-  
tia, vt excusatio ei omnis adimatur. Plus remissum  
est Ecclesię, quę congregata est ex populo natio-  
num, quoniam plus debebat: sed & ipsa plus soluit,  
non exigenti, sed donanti. Dedit aquam pedibus  
Christi, quæ sua peccata mūdauit. Osculata est pedes  
ferens pacis insignia. Misit oleum in pedes eius, mi-  
sericordiam & ipsa in pauperes conferendo. Isti sunt  
pedes Christi, in his innocens ambulat Christus. Et  
capillis capitis sui terxit. Christo enim humiliatur,  
quicumque habet humilitatis affectum. Et ideo in-  
quit: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit  
multum. Aduerte quod Dominus & misericordiam  
impertit vt liberalis, & iudicium cum miseratione  
dispensat. Ante donauit per gratiam, sed quibus do-  
naret sciebat. Non habet quod excuset Iudæus.  
Mihi quasi peccatori plura donauit, illi quasi ingra-  
to minora concessit. Sciuit tamen quod & ille qua-  
si ingratus non possit soluere quod accepisset, & Ec-  
clesia memor gratiæ eo plura soluerit, quo plura me-  
ruisset.

*An sceneratores excuset, quod etiam superiores nostri id fece-  
runt, & quod antiquum sit vsurarum exercitium: & quo-  
modo Tobias neque pignus, neque fideiussorem receperit:  
quo pacto etiam quis pro alieno debito fideiussor debeat.  
CAP. XXIII.*

**H**abetis ergo quem sequamini sceneratorem, si  
vultis laude donari, si vultis non esse quod re-  
prehendatur a nobis. Nos enim non personę ob-  
trectamus, sed auaritię. Nec fallit, dixisse aliquos,  
cū ante biduum tractatus noster eorum compun-  
xisset affectū. Quid sibi voluit Episcopus aduersus  
sceneratores tractare, quasi nouū aliquid admissum  
sit, quasi id non etiam superiores fecerint, quasi non  
vetus sit scenerare? Verum est, non ego abnuo: sed  
& culpa vetus est. Denique peccatum ab Adam: ex  
illo culpa, ex quo & Eva: ex illo pręuaticatio, ex quo  
& humana cōditio. Sed ideo Christus venit, vt in-  
ueterata aboleret, noua cōderet: & quę inueteraue-  
rat culpa, renouaret gratia. Ideo se passioni obtulit,

vt renouaretur spiritu, & absolueret vniuersos. Dia-  
bolus Euam decepit, vt supplantaret virum, obli-  
garet hereditatem. Quid sceneratores faciunt?  
Decipiunt defœneratos, obligant fideiussores. (Sed  
non Tobias pignus quæsiuit, aut fideiussorem po-  
poscit.) Currendum est igitur vt fideiussorem re-  
quiras, vt eum tuis nominibus adstringas. Ecce pa-  
ratur alter inimicus. Nam cū non habueris vnde  
debitum soluas, ille pro te tenebitur. Inueniris in eo  
circumuentor & fallax, qui amicum deceperis. Ille  
nudabitur, ille pro te in vincula ducetur. Illum gra-  
uiorem exactorem creditore patieris, qui allegat.  
Stimula ciuem tuū quę spondidisti. Ita fiet vt ipse  
quoque esse incipias ingratus, & præterea illud  
quod scriptū est: Gratiam repromissoris ne obliui-  
scaris: dedit enim pro te animam bonā. Necessè est  
dicas: Quis enim te quærebat fidem dicere? Nam  
nisi tu fidem dixisses, ego nõ accepissem pecuniam.  
Adulterinam accepi pecuniā, es auro admixto mihi  
dedit, vtinā te nõ obtulisses. Fortasse creditor te sub  
ornauit, vel tu illum. Ergo caue ne alieno te obli-  
gares debito, ne hoc quoque vendidisse dicaris: ne si  
quod tibi (vt habet vsus amicitia) debetur, aut debitor  
dederit gratiā, vt a te videatur emisse. Aut si vis  
interuenire, moueris amici obsecratus oratis, erube-  
scas negare: ita interueni, vt si debitor soluendo nõ  
fuerit, de tuo noueris esse soluendum. In hæc para-  
tus accede. Legisti enim: Non spondeas super virtu-  
tem tuam: si enim sponderis, quasi restituens cogi-  
ta. Et infra: Recipe proximum tuum secundum  
virtutem tuam, & attende tibi ne cadas: id est, ne  
maiore te obliges numismatis quantitate quam fer-  
re possunt & exolvere tuarum copiæ facultatum. Si  
enim quod habes tradas, amisisti opes, non amisisti  
fidem. Fama: tuę damna non sentis, redemisti ami-  
cum sine tui fraude. Alibi quoque id te monent  
Prouerbia Salomonis dicentis, Spondens spode a-  
mico tuo, quemadmodum qui obligat se sponsorem  
amicorum suorum. Si autem non habes, audi quid  
Salomon dicat: Noli te dare in sponsonem, erube-  
scens personam: si enim non habueris vnde soluas,  
auferent stramentum de sub lateribus tuis. Bonus  
ergo scenerator acquirere gratiam, improbus exe-  
crationem.

*De aliis virtutibus Tobie: & quomodo mercenario merces sit  
soluenda. CAP. XXIII.*

**S**ed non his tantum virtutum finibus contentus  
fuit sanctus Tobias: mercenario quoque sciuit solu-  
endam esse mercedem, dimidium vsque obtulit,  
meritoque pro mercenario angelū inuenit. Et tu vnde  
scis ne forte iustum aliquem mercede fraudes,  
puniſſe infirmum? Væ enim illi qui scandalizauerit  
vnum de pusillis istis. Qui scis an in eo angelus sit?  
Neque enim dubitare debes quod in mercenario  
possit esse angelus, cū ipse Christus possit, qui in  
minimo quoque esse consuevit. Redde ergo mercena-  
rio mercedē suam, nec eū laboris sui mercede frau-  
des, quia & tu mercenarius Christi es, & te conduxit  
ad vineā suā, & tibi merces reposita est caelestis. Nõ  
ergo ladas seruum operantem in veritate, neque  
mercenarium dantem animam suam. Nõ despicias  
inopem qui vitam suam suo exercet labore, & mer-  
cede sustentat. Hoc est enim interficere hominem,  
vt ait

vita: suæ ei debita negare subsidia. Et tu mercena-  
rius es in hac terra. Da mercedem mercenario, vt &  
tu possis dicere Domino cū precaris: Da merce-  
dem Domine sustentibus te. Tobias tibi dicit: Lu-  
xuria mater est famis. Dicit etiam: Mercedem omni homi-  
ni qui penes te operatus fuerit, redde eadem die, & non ma-

neat apud te, & merces tua non minorabitur. Dicit tibi: Noli vinum bibere in ebrietatem. Dicit tibi: De pane tuo  
noli communicare esurientibus. Vide quid te scenerare cupiat:  
Et de vestimentis tuis nudos tege. Ex omnibus quę abunda-  
uerint tibi, fac elemosynam. Omni tempore benedic Dominū.  
In his itaque scænus aternus est, & vsura perpetua.

SANCTI AMBROSII DE TOBIA LIBRI FINIS.

Summarium libri primi de Interpellatione sancti Iob.

*A cap. I. vsque ad cap. VI. quā fragilis atque imbecilla hominis vita sit describitur, & quod perturba-  
tionibus & incommodis Dei fauore iustis consolationes succedunt, enarrando sancti Iob vitam vsq; ad  
cap. XII.*

*A cap. VII. vsque in finem libri exaggerantur humanæ conditionis miserię ex beati Iob vita, per ea quę  
habentur vsque ad cap. XVII.*

Capita Libri primi de Interpellatione.

*De approbatione per scripturam & exempla sanctorum, quod consolationes, præcipue quę ex spe futuro-  
rum habentur, omnibus presentibus incommodis & perturbationibus quę in hac vita sunt, incompara-  
biliter præponderent.*

Cap. I.

*Quomodo beatus Iob amissis omnibus præter uxorem, tanquam bonus athleta perturbationibus non cesse-  
rit, nec certare recusauerit.*

Cap. II.

*Quod misera conditio hominis & quasi mercenaria sit, & se nisi ex aliena misericordia sustentare nõ pos-  
sit: quodque vana somni delectatio pœna potius quam requies sit dicenda.*

Cap. III.

*Quomodo amici Iob ad consolandum eum venerint: & quod optimum solamen in aduersitatibus sit a cul-  
pa vacare.*

Cap. IIII.

*Quomodo intelligatur illud: Qui facit montes inueterascere, &c. & de commotione columnarum: quomodo  
etiam sol iussus non oriebatur, & quomodo Dominus supra mare tamquam pauimentum ambulet: &  
agit de multiplici hominis tribulatione, & veloci humanæ vitę cursu.*

Cap. V.

*Deplorat vir sanctus suas & communes hominum calamitates.*

Cap. VI.

*Quid significet illud: Quare obscriptisti aduersum me mala, & apposuisti mihi adolescentiã peccata? simili-  
ter & illud: Mortalis filius mulieris, breuis vita est, &c. præterea etiam istud: Cū autem dormierit  
homo, non resurget vsque dum celum assuatur, &c.*

Cap. VII.

*De intelligentia illius: Utinam in inferno me conseruares, absconderes autē me donec desinat ira tua, &c.*

Cap. VIII.

*De reprehensione eorum qui curiosius inquirunt secreta altitudinis sapientię Dei: quāque beatus sit il-  
le qui sapientiam inuenerit: & quę sit vera sapientia.*

Cap. IX.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS, DE INTERPELLATIONE S.  
IOB LIBER PRIMVS.

IOB

Cap. I.



**I**OMO quidam fuit in terra Hus,  
Iob nomen ei: & erat homo ille ve-  
rax, immaculatus, vir simplex & re-  
ctus, & timens Deum, abstinens ab  
omni mala re. Fuerunt autem ei filij septem,

& filiar tres. Et fuerunt pecora eius oues septē  
mille, camelorum tria millia, iuga bouū quin-  
genta, & asinæ fœminæ quę pascebantur  
quingente, & famulatus multus nimis, & ope-  
ra magna erant ei in terra: & erat homo ille

magnus eorum qui à solis ortu. Conuenientes autem filij eius adinuicem, faciebant conuiuium vnusquisque sua die, affumentes simul & tres sorores suas, vt comederent & biberent cum eis. Et cum consummati essent dies conuiuij, mittebat Iob, & purificabat eos, confurgens diluculo, & offerens pro eis sacrificia secundum numerum eorum. Dicebat enim Iob: Ne quando peccauerint, & benedixerint Deum in corde suo filij mei. Sic igitur faciebat Iob cunctis diebus eorum. Et fuit sicut dies hæc, & ecce venerunt filij Dei vt assisterent coram Domino, & diabolus venit in medio eorum. Et dixit Dominus diabolo: Vnde venis? Et respondens diabolus Domino, dixit: Postquam circuiui terram, & deambulauit eam quæ sub cælo est, adsum. Et dixit ei Dominus: Considerasti igitur mète tua contra seruum meum Iob, quoniam non est ei similis ex his qui sunt in terra, homo sine defectu, vir simplex & rectus, & timens Deum, continens ab omni mala re? Respondit autem diabolus, & dixit coram Domino: Numquid frustra Iob timet Deum? nonne tu circumuallasti exteriora eius, & interiora domus eius, & omnium quæ sunt ei in circuitu: operibus manuum eius benedixisti, & pecora eius multa fecisti in terra? Sed mitte manum tuam, & tange omnia quæ habet, nisi in faciem tuam benedixerit tibi. Tunc dixit Dominus diabolo: Ecce omnia quæcûque sunt ei, do in manu tua, sed cum ne tetigeris. Et egressus est diabolus à Domino. Et fuit sicut dies hæc, filij Iob & filij eius bibebant vinum in domo fratris sui senioris, & ecce nuntius venit ad Iob, & dixit ei: Iuga bouum arabant & scæmingsine pascebantur adherentes eis, & irruit Saba, & captiuas duxerunt eas, & pueros interfecerunt in gladiis: saluatus autem ego solus veni vt nuntiarem tibi. Adhuc hoc loquente, venit alius & dixit ad Iob: Ignis à Deo cecidit de cælo, & combussit oues, & pastores consumpsit similiter: & saluatus ego solus veni vt nuntiarem tibi. Adhuc hoc loquente venit alius nuntius, & dixit ad Iob: Chaldei imposuerunt tres turmas, & circue-runt camelos, & captiuos tulerunt eos, & pueros interfecerunt in gladiis: euasi autem ego solus, & veni vt nuntiarem tibi. Adhuc hoc loquente alius nuntius venit, dicens Iob: Filij tuis & filiabus uescantibus & bibentibus

Capud fratrem suum seniore, repente uentus magnus irruit ex deserto, & tetigit quatuor angulos domus, & corruit domus super filios tuos, & mortui sunt: euasi autem ego solus, & veni vt nuntiarem tibi. Sic surgens Iob scidit uestimenta sua, & torondit comam capitis sui, & cadens humi adorauit, & dixit: Ipse nudus egressus sum de uero matris meæ, nudus & reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, sic & factum est: fit nomen Domini benedictum. In his omnibus quæ acciderunt ei, nihil peccauit Iob labijs coram Domino, & non dedit stultitiam Deo.

Cap. II.

**F**Vit autem sicut dies hæc, & uenerunt filij Dei vt adstarent coram Domino, & diabolus venit in medio eorum vt adstaret coram Domino. Et dixit Dominus diabolo: Vnde tu uenis? Tunc dixit diabolus coram Domino: Postquam discurri eam quæ sub cælo, & deambulauit uniuersam, adsum. Dixit autem Dominus ad diabolum: Considerasti igitur seruum meum Iob, quod non est secundum eum ex his qui in terra, homo innocens, uerax, sine defectu, pius, abstinentes ab omni malo, adhucque adhæret innocentia? Tu autem dixisti, substantiam eius frustra perdere. Suscipiens autem diabolus dixit Domino: Pellem pro pelle, & omnia quæcûq; sunt homini pro anima sua dabit: quin immo autem mitte manum tuam, & tange ossa eius & carnes eius, si non in faciem tibi benedicet. Dixit autem Dominus diabolo: Ecce trado tibi eum, tantum animam illius serua. Et egressus est diabolus à Domino, & percussit Iob ulcere malo à pedibus usque ad caput. Et accepit sibi testam, vt saniam raderet, & ipse sedebat intus in cinere. Et dixit ei uxor sua: Usquequod tolerabis? sed dic quoddam uerbum contra Deum, & morere. Ille autem inspiciens eam, dixit: Vt quid tamquam uia stultarum mulierum loquuta es? Si bona suscepimus de manu Domini, mala non sustinebimus? In his omnibus quæ acciderunt ei, nihil peccauit Iob labijs coram Deo. Cum audissent autem tres amici eius mala omnia quæ superuenissent ei, uenerunt vnusquisque de propria regione ad consolandum eum, Eliphaz

Eliphaz Themanorum rex, Baldad Sauchorum tyrannus, Sophar Minæorum rex. Et uenerunt ad eum unanimitè, vt consolarentur & uisitarent eum. Cum autem uidissent eum procul, non cognouerunt. Et exclamantes uoce magna plorauerunt, scindentes vnusquisque suam uestem, & spargentes terram, assederunt iuxta eum septem dies & septem noctes: & nemo illorum loquutus est ad eum uerbum. uidebant enim plagam grauem existentem, & magnam ualde.

Cap. III.

**E**T post hoc aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo, dicens: Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dixerunt, Ecce masculus. Nox illa sit tenebræ, & non requirat eam Dominus desuper, neque ueniat in eam lumen: capiant autem eam tenebræ & umbra mortis, superueniat in eam caligo, & turbetur dies illa & nox illa. Auferant eam tenebræ, non sit inter dies anni, neque numeretur inter dies mensium. Sed nox illa sit dolor, & non ueniat super eam lætitia neque gaudiu: sed maledicat ei qui maledicit diei illi, qui futuri sunt suscitare Leuiathan. Obtenebrentur stellæ noctis illius, & non maneat, & in illuminationem non ueniant, & non uideat luciferum orientem: quia non conclusit ostia uentris matris meæ, abstulit enim laborem ab oculis meis. Quare enim in ventre non mortuus sum, ex uero autem egressus sum, & non statim perij? Quare autem obuiauerunt mihi genua, cur autem uera fuxi? Nunc utique dormiens silerem, somnians autem quiescerem cum regibus consiliariis terræ, qui gloriabantur in gladiis: aut cum principibus, quorum multum aurum, qui impleuerunt domos suas argento: aut sicut abortiuum exiens de matrice matris, aut sicut infantes qui non uiderunt lucem. Illic impij seditauerunt furorem ire, illic quieuerunt defessi corpore, unanimitè autem uincti non audierunt uocem exactoris. Paruus & magnus illic est, & seruus non timens dominum suum. Quare enim data est his qui sunt in amaritudine lux; uita autem quæ sunt in doloribus animabus? Qui desiderant mortem, & non consequuntur, effodientes quasi thesauros, gaudentes autem fuerunt si repererint. Mors uiro requies, cuius uia abscondita est. conclusit

enim Deus contra eum. Ante enim cibos meos suspirium uenit mihi, & fundentur quasi aquæ rugitus. timor enim quem cogitauit, uenit mihi, & quem timueram occurrit mihi: neque pacem egi, neque filii, neque quieui, uenit autem mihi indignatio.

Cap. IIII.

**R**espondens autem Eliphaz Themanites, dicit: Si cœperimus loqui ad te, molestè accipies? Vim autem uerborum tuorum quis feret? Si enim tu admonuisti multos, & manus debiles consolatus es, languentes erexisti uerbis, genibusque impotentibus fiduciam circumposuisti. Nunc autem uenit super te dolor, & tetigit te, tu autem accelerasti. Numquid non timor tuus est in stultitia, & spes tua, & malitia uia tua? Recordare igitur, quis existens mundus perijt, aut quando ueraces radicitus perierunt; quemadmodum uidi arantes absurda; qui autem seminauerunt ea, dolores metent sibi. Mandato Dei peribunt, & spiritu uia eius interibunt. Rugitus leonis, uox autem lænæ, superbia autem draconum extincta est. Myrmiceleo perijt, eo quod non haberet prædam: catuli leonum defecerunt ad inuicem. Ad me autem dictum est: Abscondite in furto, utrum non suscipiet mea auris indecentia ab eo? In horrore ab uisione mea nocturna incidens timor super homines, horror autem mihi occurrit & tremor, & ualde mea ossa concussit: & spiritus in faciem meam irruit, horruerunt autem mei pili & carnes. Surrexi, & non cognoui, uidi, & non erat forma ante oculos meos, sed auram & uocem audiui. Quid enim, numquid mundus erit mortalis coram Domino? aut ab operibus suis inculpabilis uir? Si contra pueros suos non credit, contra autem angelos suos obliquum quid excogitauit. Eos autem qui habitant domos luteas, ex quibus & ipsi ex eodem luto sumus, percussit eos tinea in modum, & à mane usque ad uesperam non amplius sunt; eo quod non potuerunt ipsi se adiuuare, perierunt; abstulit reliquum eorum in eis, perierunt eo quod non habuerunt eis sapientiam.

Cap. V.

**V**Oca autem si quispiam te audiet, aut si aliquem angelorum sanctorum uidebis.



Etenim stultum interficit iracundia, decerum autem occidit inuidia. Ego autem vidi stultos radices iacentes, & maledixi pulchritudini eorum statim. Longè fiant filij eorum à salute, & conterentur in portis minorum, & non erit qui eruat. Quæ enim illi messuerunt, famescens comedet, ipsi autem ab armatis tollentur. Absorbeat corum fortitudo: non enim egredietur de terra labor, neque de montibus germinabit dolor; sed homo nascitur labori, pulli autem aquilaram sublimia volant. Verumtamen & ego deprecabor Dominum; Dominum autem omnium inuocabo. Qui facit magna & inuestigabilia, gloriosaq; & mirabilia, quorum non est numerus. Qui dat pluuiam super terram, qui mittit aquam super eam quæ sub cælo. Qui facit humiles in sublime, & perditos erigit. Qui cogitationes destituet versutorum, & non facient manus eorum veritatem. Qui apprehendit sapientes in prudentia, consilium autem peruersorum abstulit. Per diem occurrent eis tenebræ, at in meridie palpent quasi in nocte. Pereant in bello, impotens autem egredietur de manu potentis. Sit pauperi spes, iniusti autem os obstruatur. Beatus homo quem corripuit Dominus, increpationem autem omnipotentis ne renuas. Ipse enim dolere facit, & rursus restituit; percussit, & manus eius sanauerunt. Sexies de necessitatibus te eruet, in septima verò non tanget te malum. In fame eruet te de morte, in bello autem de manu ferri soluet te. A flagello linguæ te abscondet, & non timebis à malis venientibus. Iniustos & iniquos deridebis, à bestiis autem feris non timebis. Bestiæ enim feræ pacificæ erunt tibi: postea scies quòd pacifica erit tua domus, & visitabis speciem tuam, & non peccabis. Scies quoque quòd multum semen tuum: at gemina tua erunt tamquam omnis herba agri. Ingredieris in sepulcrum, sicut triticum maturum in tempore messis, aut sicut aceruus aræ ad tempus comportatus. Ecce hæc sic inuestigauimus, hæc sunt quæ audiuiimus. Tu autem cognosce tibi, si quid fecisti.

## Cap. VI.

**R**espondens autem Iob dicit: Vtinam quidem quispiam appendens appenderet meam iram, at dolores meos tolleret in sta-

tera vnanimiter. Et iam arena marina grauior erit, in hoc verba mea conculcata sunt. Sagittæ enim omnipotentis in corpore meo sunt, quarum indignatio ipsarum ebibit meum sanguinem, cum inceperim loqui pungunt me. Quid enim? Nonne frustra rudet asinus agrestis, sed cibos quærens? si & rumpet vocem bos in præsepi habens escam? si comederit panis sine sale? si est gustus in verbis vanis? non potest enim mea quiescere anima. Fœtorem namque video cibaria mea sicut odorem leonis. Vtinam det & veniat mea petitio, & spem meam det Dominus. Incipiens Dominus vulneret, in fine autem non me perimat. Sit mea ciuitas sepulcrum, in qua super muros saltabam, in ea non abstineam. non enim fefelli verba sancta Dei mei. Quæ enim mea virtus, quia sustinebo? aut quod meum tempus, vt sufferat anima mea? Numquid fortitudo lapidum fortitudo mea, aut carnes meæ sunt æneæ? Numquid non in ipso confidebam? Adiuitorium autem à me recessit, negauit me misericordia, visitatio autem Domini despexit me. Non aspexerunt me fratres mei sicut torrens deficiens, aut sicut fluctus præterierunt me. Qui me verebantur, nunc irruerunt in me sicut nix aut gelu concretum. Quemadmodum liquefactum calore existente, non cognitum est vbi erat, sic & ego derelictus sum ab omnibus. Perij autem, & exul factus sum. Videte vias Themanorum, semitas Sabæorum, qui despiciunt & confusionem debent, qui in ciuitatibus & pecuniis confiderunt. Ceterum quia & vos venistis ad me immiserabiliter, itaque videntes meum vulnus time. Quid enim? Numquid aliquid vos postulauit, aut à vobis fortitudine egeo, vt saluetis me de inimicis, aut de manu potentum liberetis me? Docete me, ego autem obmutescam. Si quid erraui, dicite mihi; sed vt videtur, inania veracis verba. Non enim à vobis fortitudinem peto, neque increpatio vestra verbis me sedabit: neque enim vestrum sermonem verbi feram, nisi quòd in pupillum irruitis, insultatis autem in amicum vestrum. Nunc ego inspiciens in facies vestras non mentiar, sedete iam & non sit iniustum, & rursus iusto conuenite. Non enim est in lingua mea iniustitia: aut non guttur meum meditatur intellectum?

## Cap. VII.

**N**onne piraterium est vita hominis super terram? & sicut mercenarij quotidiani vita eius? aut sicut famulus timens dominum suum, qui se sub illius vmbra obtegit? aut sicut mercenarius expectans mercedem suam? Sic & ego expectaui menses vacuos, noctes autem dolorum data mihi sunt. Si dormierim, dico: Quando dies? si autem surgam, iterum: Quando vesper? Plenus sum doloribus à vespera vsque ad mane. Firmetur mihi corpus in putredine vermium, liquefacio autem glebas terræ, sicut radens. At vita mea est leuior fabula; in spe autem vacua periit. Memento igitur quia vêtus vita mea, & non amplius reuertetur oculus meus ad videndum bonum. Non circumspiciet oculus videntis me, oculi tui in me, & non amplius sum, sicut nubes purgata de cælo. Si enim homo descenderit in infernum, non amplius vnquã ascendet, neque cognoscet eum amplius locus suus, neque reuertetur vltra in propriam domum. Verum igitur nec ego parca ori meo, loquar in necessitate existens spiritus mei, aperiam amaritudine animæ meæ compressus. Numquid mare sum aut draco, quia constituisti in me custodia? Dixi quòd consolabitur me lectulus meus, referam autem ad meipsum priuatè sermonem strati meo: Terres me insomniis, & in visionibus me percellis. Liberabis à spiritu meo animam meam, à morte autem ossa mea. Non enim in sæculum viuam vt patiens sim: recede à me. inanis enim mea vita. Quid enim est homo, quia magnificasti eum; aut quia apponis mentem in eum? aut speculationem eius facies vsque ad mane, & in requiem eum iudicabis? Vsquequòd non finis me neque dimittis, vsquequòd deglutiam saluam meam in dolore? Si ego peccaui, quid possum tibi facere qui scis mentem hominum? Quare posuisti me contrarium tuum, sum autem in te onus? & cur non fecisti iniquitatis meæ obliuionem, & purificationem peccati mei? Nunc quidem in terram reuertar, manè autem surgens non amplius sum.

## Cap. VIII.

**R**espondens autem Baldad Sauchites dicit: Vsquequòd loqueris hæc? spiritus mul-

tiloquus oris tui. Numquid Dominus iniuriam faciet iudicans? aut qui omnia facit, turbabit iustitiam? Si filij tui peccauerunt coram eo, dimisit in manu iniquitatis eorum: tu autem diluculo surge ad Dominum omnipotentem deprecans: si mundus es & verax, deprecationem exaudiet tuam; restituet enim tibi habitaculum iustitiæ. Erunt quidem prima tua pauca, at nouissima tua indicibilia. Interroga generationem primam, inuestiga secundum genus patrum (hesterni quippe sumus, & non scimus, vmbra enim nostra est vita super terram) numquid non hi te docebunt & non renuntiabunt, & ex corde educet verba: Numquid viret scirpus absque aqua? aut erigetur pratù sine potu adhuc existens in radice, & non metitum fuerit? antequam bibat omnis herba non arefcet: Sic igitur erunt vltima omnium qui obliuiscuntur Domini. Spes enim impij peribit, inhabitabilis enim eius erit domus; sicut tela aranei; eius eueniet tabernaculum. Si fulcuerit domum suam, non stabit; apprehendente autem ipso, non permanebit. humidus enim est sub sole: & de sterquilinio suo ramus eius egredietur. Super aceruum petrarum dormit: in medio autem silicium viuere. Si verò absorberit, locus mentietur eum. Non vidisti talia, quoniam subuersio impij talis, ex terrâ verò alium germinabit: nam Dominus non proiciet innocentem. Omne donum impij non accipiet, veracium autem os implebit risu, & labia eorum confessione. At inimici eorum iuduentur confusione, habitaculum autem impij non erit.

## Cap. IX.

**R**espondens autem Iob dicit: In veritate non qui quia ita est. quomodo enim erit iustus mortalis apud Dominum? Si enim voluerit iudicio contendere cum eo, non audiet illum, vt non contradicat ad vnum verbum eius ex mille. Sapiens namque est intellectu, fortisque & magnus. Quis tam durus, vt in conspectu eius possit subsistere? Qui facit montes inueterascere, & nesciunt, & euertit eos iracundia. Qui commouet orbem terrarum à fundamentis, & columnæ eius quatuntur. Qui dicit soli, & non oritur: aduersus autem sidera consignat. Qui extendit cælum solus, & qui ambulat sicut in pavimento supra mare.

Qui facit vergilias, & hesperum, & septentrionem, & aultri ministerium. Qui facit magna & inuestigabilia, gloriosaque & imensa, quorum non est numerus. Si praterierit me, non videbo: & si me pratergressus fuerit, neque sic sciam. Si discesserit, quis reducet? aut quis dicet ei, Quid fecisti? Deus cuius inflexibilis ira, ab ipso autem curuata sunt cetera quæ sub cælo. Si autem me audierit, discernit verba mea. Si enim iustus fuero, non exaudiet me, iudicium eius deprecabor. Si autem vocauero, & audierit, non credo quod exaudiuit me, ne caligine me conterat: multas autem contritiones fecit mihi in vanum. Respirare me non sinit: repleuit autem me amaritudine. Et quia virtute est potens, nemo potest iudicio eius resistere. Si fuero iustus, lingua mea errat: si autem fuero irreprehensibilis, prauus euadam. Si impius fui non noui animæ, nisi quod ablata est à me vita. Quapropter dixi, magnum & potentem disperdit ira, quoniam impij in morte graui: iusti autem irridentur. Dati sunt enim in manus impij, vultus iudicium eius operit. Si autem non ipse, quis est? At vita mea est velocior cursore: transiit, & nihil vidit, tamquam nauis vestigium, aut aquilæ volantis & quærētis escam. Si enim dixero, Obliuiscar loquens, cum inclinauero vultu gemam. Concutior omnibus membris, noui enim quod non in fontem me fines. Postquam autem sum impius, ad quid frustra laboro? Si enim lauero niue, & mundauero manibus puris, abundè in forde me intinxisti, abominata est autem me vestis. Non enim est homo sicut ego, cui contra iudicabor, ut eamus vnanimiter in iudicium. Si quidem esset mediator noster, & arguens & diiudicans in medio vtriusque, auferat à me virgam, at timor eius non me circumagat, & non timebo, sed loquar. non enim sic cōscius sum.

Cap. X.

**L**aborans anima mea, gemens dimittam in me verba mea: loquar amaritudine animæ pressus, & dicam ad Dominum: Ne me impium esse doceas. quare me ita iudicas? An bonum tibi est si iniustus ego sim, quoniam repulisti opera manuum tuarum, & consilio impiorum intendisti? Numquid sicut mortalis videt, sic vides? aut vita tua sicut ho-

minis, aut anni tui sicut viri; quia exquisisti iniquitates meas, & peccata mea inuestigasti? Nosti quia impiè non gessi: sed quis est qui de manibus tuis eruat? Manus tuæ planauerunt me, & fecerunt me, postea conuertisti & percussisti me. Memento quia lutum me fecisti, & in terram me resolues. Nunquid non vt lac me mulsisti, & confecisti me sicut caseum? Corio & carne me induisti, ossibus & neruis me inseruisti. Vitam autem & misericordiam in me posuisti, & visitatio tua protexit spiritum meum. Hæc habens in te, noui quia omnia potes, impossibile autem tibi nihil. Si enim peccauero, custodies me: ab iniquitate autem immaculatum me non fecisti. Si impius fuero, vix mihi! si sim iustus, non possum me erigere. plenus sum enim confusionis. Inuestigor sicut leo ad necem: rursus autem transmutans grauer me perdis, instaurans in me examen meum. Ira in me magna vsus es, induxisti enim in me tétationes. Quare de vtero me eduxisti, & non mortuus sum; & oculus me non videret, & sicut non existens fuisset? Cur de vtero in tumultum non translatus sum? Numquid non paucum est tempus vitæ meæ? Dimitte me requiescere parum, antequam ego vadam vnde non reuertar, in terram tenebrosam & caliginosam, in terram tenebrarum sempiternarum, vbi non est lumen, neque videre vitam mortalium.

Cap. XI.

**R**espondens autem Sophar Minæus, dicit: Qui multa dicit, & reaudiet, aut & verbosus putat iustus esse? Benedictus genitus à muliere, qui breuis vitæ est. Ne multus in verbis sis, non enim est qui respondeat tibi. Ne quidem dicas, Quoniam purus sum operibus, & irreprehensibilis coram eo. Sed quomodo vtrique Dominus loquatur ad te, & aperiat labia sua tecum? Postea renuntiabit tibi secreta sapientiæ, quod duplex erit ad id quod secundum te: & tunc scies quod digna tibi euenerunt à Domino eorum quæ peccasti. Numquid vestigium Domini inuenies, aut ad vltima venisti quæ fecit omnipotens? Excelsum cælum, & quid facies? profundiora autè his quæ in inferno, quid nosti? aut longiora mensura terræ, aut latitudine maris? Si autè subuerterit omnia, quis dicet ei, Quid fecisti?

fecisti? Ipse enim nouit opera impiorum, videns autem indecentia, non dissimulabit: homo autem incassum animatur verbis. Mortalis autem genitus de muliere, sicut asinus solitarius. Si enim tu mundum posuisti cor tuum, expandis autem manus ad eum. Si iniquum quid est in manibus tuis, procul fac illud; iniustitia autem in habitaculo tuo non habitet. Sic enim splendet tua facies, sicut aqua pura. exues autem sordem, & non timebis. Et laboris obliuisceris, tamquã vendã quæ præterit, & non timebis. At oratio tua sicut lucifer, de meridie autè oriatur tibi vita. Confidensque eris, quoniã est tibi spes, de cogitatione verò & cura apparebit tibi pax. Requiesces enim, & non erit qui bellum moueat in te. Trãsmutati multi te deprecabuntur, salus autem eos relinquet. Nam spes eorum perditione, oculi autem impiorum tabescent.

Cap. XII.

**R**espondens autem Iob, dicit: Ergo vos estis homines, aut vobiscum morietur sapientia? Et mihi quidem cor sicut vobis est: iustus enim vir & integer factus est in substantiam. In tempus enim statutum paratus fuerat cadere ab alio, domusque eius destrui ab iniquis. Verumtamen nullus confidat prauus existens innocentem futurum, qui prouocant Dominum. Quomodo non & scrutatio eorum erit? Sed interroga quadrupeda, si tibi dicant: aut volatilia cæli, si tibi renuntient: narra autem terræ, si tibi dixerit, & exponent tibi pisces maris. Quis non nouit in omnibus his, quod manus Domini fecit hæc? si non in manu eius anima omnium uiuentiũ, & spiritus omnis hominis. Auris quidem verba discernit, guttur autem cibos gustat. In multo tempore sapientia, in multa autem vita scientia. Apud ipsum sapientia & potentia, ipsi consilium & intellectus. Si destruxerit, quis ædificabit? si clauserit contra homines, quis aperiet? Si prohibuerit aquam, siccabit terram: si autem immerit, perdidit eam subuertens. Apud ipsum potentia & fortitudo, ipsi scientia & intellectus. Adducens consiliarios captiuos, iudices autem terræ stupidos fecit. Collocans reges super thronos, & circumligauit zona lumbos eorum. Emittens sacerdotes captiuos, potentes terræ subuertit. Com-

mutans labia fidelium, intellectum senum nouit. Effundens ignominiam super principes, humiles sanauit. Reuelans profunda de tenebris, eduxit in lucem vmbra mortis. Decipiens gentes, & perdens eas; prosternens gentes, & reducens eas. Immutans corda principum terre, decepti autem eos via quam non nouerant: palpent tenebras & non lucem, errent autem sicut ebrius.

Cap. XIII.

**E**cce hæc contemplatus est meus oculus, & audiuit auris mea: & noui quæcumque & vos scitis, & non imprudentior sum vobis. Verumtamen ego ad Dominum loquar, arguam autem coram eo si voluerit. Vos verò estis medici iniusti, & sanatores malorum omnes. Sit autem vobis obmutescere, & euadet vobis in sapientiam. Audite increpationem oris mei, iudicium autem labiorum meorum attendite. Numquid non coram Domino loquimini, coram eo autè dicitis dolum? numquid verebimini? vos ipsi iudices estis. Bonum si inuestigauerit vos. si enim omnia facientes addetis ei, nihilominus redarguet vos. Si autem & latenter vultus mirabimini, numquid non reuolutio eius versabit vos? Timor ab eo irruet in vos, recedet autè à vobis elatio tamquam cinis, ac corpus lutecum. Obmutescite, vt loquar, & quiescam à furore: accipiens carnes meas dentibus, animam autem meam ponam in manu mea. Si me ceperit potens, quoniam & princeps est, profecto loquar & redarguam coram ipso, & hoc mihi euadet in salutem. non enim coram eo dolus ingredietur. Audite, audite verba mea, renuntiabo enim vobis audientibus. Ecce ego propè sum iudicio meo, noui ego quod iustus apparebo. Quis enim est qui iudicabitur mihi, quoniam nunc obmutescam, & deficiam? Duobus autè ne vteris, tunc à facie tua non abscondar. Manũ à me abstine, & timor tuus non me terreat. Postea vocabis, ego autè tibi obediã: aut loqueris, ego autè tibi dabo responsum. Quot sunt peccata & iniquitates meæ, doce me quæ sunt? cur à me absconderis? Putasti autem me contrariũ tibi: aut tãquam folium quod mouetur à vento vereberis, aut sicut sceno quod fertur à spiritu, cõtrapositus es mihi. Quare obseripisti aduersum me mala, & apposuisti mihi adolescentiæ peccata?

Posuisti meum pedem in impedimento, obferuasti autem mea omnia opera. in radices pedum meorum venisti, quod veterascit sicut vter, aut sicut vestimentum quod comeditur à tineâ.

Cap. XIII.

**M**ortalis filius mulieris brevis vite est, & plenus iracundiâ. Qui sicut flos floruit, & decidit; discedit autem ut umbra, & non resistit. Nonne & ab hoc ratio queritur? & hunc fecisti intrare in iudicium sub conspectu tuo. Quis enim mundus est à forde? sed nemo; etiâ si vnus diei sit vita eius super terrâ. Numerabiles autem menses eius apud te. In tempus posuisti, & non transgrediatur. Recede ab eo, ut quiescat, & lætificabit vitam sicut mercenarius. Est verò arbori spes, si enim fuerit excisa, adhuc viridescet, & ramus eius non deficiet. Si autem fenuerit in terra radix eius, vel in petra mortua fuerit, truncus eius ab odore aquæ germinabit, faciet autem messeni sicut nouellâ planta. Vir autem defunctus abiuit; & cadens mortalis homo non vltra est. Tempore rarefcit mare, fluuius autem desolatus aruit; cum autem dormierit homo, non resurget vsque dum cælum assuatur, & non excitabuntur de somno suo. Vtinam in inferno me conseruares, absconderes autem me donec desinat ira tua, & statuas mihi tempus in quo memoriam mei facias. Si enim mortuus fuerit homo, viuet consummans dies vitæ ipsius. Sustinebo donec iterum fiam: donec vocabis me, ego autem te obaudiam, at opera manuum tuarum ne despicias. Numerasti autem meas adinventiones, nec præteribit te quidquam ex peccatis meis. Signasti autem meas iniquitates in sacco, & notasti si quid inscius præteriui. Et verumtamē mons cadens decidet, & petra senescet de loco suo. Lapidés cauaerunt aquæ, & demerferunt aquæ supina cumuli terræ: & expectationem hominis perdidisti. Expulisti eum in finem, & abiuit: imposuisti ei faciē, & emisisti. Multis autem existentibus filiis eius, non nouit; si que pauci fuerint, non scit: sed carnes eius doluerunt, at anima eius plorauit.

Cap. XV.

**R**espondens autem Eliphaz Themanites, dicit: Numquid sapiens responsum da-

bit intellectus spiritus, & impleuit laborem ventris, arguens in verbis quibus non oportet? In sermonibus quibus nulla vtilitas, non & tu expulisti timorem? consummasti enim verba talia coram Domino. Reus es verbis oris tui, non discreuisti verba potentum. Redarguat te tuum os, & non ego, at labia tua testimonium dent contra te. Quid enim, numquid primus hominū natus es? aut ante colles inductus es? ordinem Domini audisti, in te autem venit sapientia? Quid enim nosti, quod non & nos? Et senex & antiquus in nobis, grauior patre tuo diebus. Pauca quæ peccasti, verberatus es, valdè supra modum loquutus es. Quid ausum est cor tuū? aut quid tulerunt oculi tui, quoniam iram rupisti coram Domino? Protulisti autem ex ore verba talia: Quis enim existēs homo, quoniam erit irreprehensibilis? aut ut futurus iustus natus de muliere? Si in sanctis non credit, cælum autem non mundum coram eo: sine autem abominatus & impurus vir bibēs iniustitiam quasi potionem? Renūtiabo autem tibi, audi me: quæ vtique vidi, renuntiabo tibi: quæ sapientes dicent, & non absconderunt patres eorum. Ipsi solis data est terra, & non venit alienus in eos. Omnis vita impij in cura, anni autem numerabiles dati potenti. At timor ipsius in auribus suis cum visus fuerit iam in pace agere, veniet eius subuersio. Non credat auersum esse à tenebris: destinatus est enim iam in manus ferri, ordinatus est in cibos vulturibus. Nouit autē in se quod manet in ruinam. Dies tenebrosa ipsum versabit, necessitas autem & tribulatio ipsum comprehendet sicut dux præfectus cadēs: quoniam sustulit manus corā Domino, & cōtra omnipotentē ceruicē indurauit. Cucurrit autē contra eū in iniuria in crassitudine tergi scuti eius, quoniā abscondit vultum suum in adipe suo: & fecit scemorale in cruribus. Habitet ciuitates desertas, ingrediatur autem domos inhabitatas. Quæ verò illi præparauerunt, alij auferent: neque ditetur, neque maneat eius facultates. Non mittat in terra vmbra, neque fugiat tenebras. Germen eius tabefaciat ventus, decidat autem eius flos. Nō credat quod permanebit, inania enim euadent ei. Incisio eius ante tempus corrumpetur, & ramus eius non floreat. Comedatur tamquam agrestis

ante

ante tempus, decidat autem sicut flos oliuæ. Testimonium enim impij mors: ignis autem comburet domos munera accipientium. In ventre capiet dolores, euenient autem ei vana, at venter eius feret dolum.

Cap. XVI.

**R**espondens autem Iob, dicit: Audiui talia multa, consolatores malorum omnes. Quid enim, numquid ordo est verbis venti? aut quid molestum erit tibi, quoniam respondes? Et ego secundum vos loquar. Vtinam supponeretur anima vestra pro mea: postea insultabo vobis verbis; & mouissem vtique super vos cum planctu caput meum. Sit fortitudo in ore meo, motui autem labiorum non parcā. Si enim loquar, non delcbo vulnus: si autem & tacuero, quid minus vulnerabor? Nunc verò laceratum me fecit fatuum putridum, & adhæsit mihi: in testimonium factus sum, & surrexit in me mendacium meum, secundum faciem meam respondit. Ira vsus deiecit me, fremuit in me dentibus; sagittæ piratarum eius in me inciderunt. Telis oculorum insultauit acuto, percussit me in genibus, vnanimiter autem decurrerunt in me. Tradidit enim me Dominus in manus iniustorum, in impijs proiecit me, pacificum dispersit me. Accipiens me capillis euulsit, constituit me tamquam signum. Circumdederunt me lanceis percutientes in renes meos, non parcentes effuderunt in terram bilem meam. Iniecerunt mihi ruinam super ruinam, cucurrerunt ad me potentes. Saccum confuerunt super cutem meam: at robur meum in terra extinctum est. Venter meus combustus est à fletu, in palpebris meis umbra mortis. Iniustum autem nihil fuit in manibus meis, oratio autem mea munda. Terra non cooperias in sanguine carnis meæ, neque sit locus clamori meo. Et nunc ecce in cælis testis meus, at conscius mei in excelsis. Veniat mea oratio ad Dominum, coram eo autem stillet meus oculus. Sit redargutio viro coram Domino: & filio hominis proximo suo. Anni autem numerabiles venerunt, via autem per quam non reuertar ambulō.

Cap. XVII.

**P**ereo, & spiritu circumferor: oro autem sepulturam, & non impetro: precor labo-

rans, & quid faciam? furati sunt autem meas facultates alieni. Quis est hic, manu mea ligetur? quoniam cor eorum absconderunt à prudentia, propter hoc non exaltabis eos. Parri nuntiabit mala, oculi autem mei in filiis contabuerunt. Posuisti me fabulam in gentibus, risus autem eis euasi. Cæci facti sunt ab ira oculi mei, obsessus sum valdè ab omnibus. Stupor tenuit veraces super his, iustus autem super iniquum suscitetur. Teneat fidelis suam viam, mundus autem manibus recipiat audaciam. Quinimmodò omnes nitimini, & venite iam: non enim inuenio in vobis verum. Dies mei transierunt in horrore, dirupti sunt articuli cordis mei. Noctem in diem posui, lumē propē à facie tenebratum. Si enim sustinuerō, infernus mea domus; in caligine autem stratus est meus lectus. Mortem inuocaui patrem meum esse, matrem autem meam esse & sororem putredinem. Vbi igitur mea est spes, aut bona mea videbo? Aut mecum in infernum descendent, aut vnanimiter in sepulcrum descendenaus?

*De approbatione per scripturam & exempla sanctorum, quod consolationes, præcipue quæ ex spe futurorum habentur omnibus presentibus incommodis & perturbationibus quæ in hac vita sunt, incomparabiliter præponderent.*

CAP. I.

**M**VLTA nobis perturbationes in hac vita esse subeundas, scriptura diuina frequentibus demonstrat locis: multaque suppetere consolationes, quibus animus capax vigoris, & recti conscius absorbere debeat, quæ presentium incommodorum sunt, spectare quæ habeant perpetem iucunditatem. Preponderant enim consolationes perturbationibus: quia & presentium sedationem afferunt, & spem futurorum. Vnde Apostolus Paulus: Indignæ sunt, inquit, passionis huius temporis ad superuenturam gloriam. Indignæ vtique ad consolationis comparationem, nō ad fructum redemptionis. Quæ est tam præclara cuiusquam vita in terra, ut adæquare cælestem gloriam possit? Quid sublimius Paulo, qui tantum periculorum subiit, tantum dolorum atque infirmitatum absorbit? In iis quas Christi nomine subiit passionibus, quotidie, ut ipse dicit, moriebatur, & nihil indignum perpeti se in hoc tempore pro tantæ gloriæ spe atque expectatione cælebat. Elias famem, insidias, mortisque terrores, laborum acerba tolerabat: & tamen solus ille igneis curribus, equis igneis de calo deductis ad terras, & de tertis reuectis ad cælū, omne meritum huius militiæ abscondit, atque vltra humana omnia gratiam pij ascensoris cuexit. Nam de Petro quid loquar, qui crucem suam futura remuneratione in-

K iij



dignam arbitratus, inuerso suspendi poposcit vestigio, vt aliquid passioni suæ adderet, cuius accerare ipse sibi supplicia non timeret? Vnde non immeritò sanctus David ad illam gloriam, cum in cætero opere, tum maximè in quadragesimo primo Psalmo se festinare testatur, dicens: Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? In quo Psalmo & perturbationes humanæ fragilitatis, & consolationes à Domino euidenter expressit. In quo etiam interpellat pro nobis Deum, quòd oblitus operis sui, oblitus collatè in hominem liberalitatis & gratiæ, quem tuendum atque ornandum susceperat, dereliquerit, & infirmum ac naufragum diuersis infirmitatibus reiecerit atterendum. Quod idem ante ipsum fecerat sanctus Iob. Sed iste moralis, ille vehementius. Vtriusque igitur interpellationes considerare cordi est: quòd in his vitæ humanæ forma exprimitur, causa agitur, prærogatiua formatur. Suo igitur ordine spectanda nobis sunt.

*Quomodo beatus Iob amissis omnibus præter uxorem, tamquam bonus athleta perturbationibus non cessaret, nec certare recusauerit.*

CAP. I. I

**A**missis itaque liberis Iob atque omnibus suis præter uxorem, quæ ei sola ad tentationem fuerat referuata, perfulsus etiam vlcere graui, cum videret amicos suos non ad consolandum venisse, sed ad exaggerandum & acerbandum dolorem, aduertit à Domino datam in se aduersario tentandi sui potestatem. Et quamuis sagittas Domini in corpore suo sentiret esse, à quibus compungi se diceret; tamen quasi bonus athleta, qui dolorem non cederet, nec dura certaminis recularer, addidit: *Incipiens Dominus vulneret, in fine autem non me perimat. Sit mea ciuitas sepulcrum, in qua super muros saltabam, in ea non abstineam: non enim sefellit verba sancti Dei mei. Quæ enim mea virtus, quia sustinebo; aut quod meum tempus, vt suffexat anima mea? Numquid fortitudo lapidum, fortitudo mea; aut carnes mee sunt aneæ? Numquid non in ipso confidebam, adiutorium autem à me recessit? Visitatio autem eius despexit me. Nonne piraterium siue tentamentum est vita hominis super terram, & sicut mercenarij quotidiani vita eius? aut sicut famulus timens dominum suum, qui se sub illius umbra obtegit, aut sicut mercenarius expectat mercedem suam? sic & ego menses expectavi vacuos, noctes autem dolorum date sunt mihi. Si dormierim, dico: Quando dies? si autem surgam, iterum: Quando vespere? Plenus sum doloribus à vespere vsque ad mane. Firmetur mihi corpus in putredine vermium: liquefacio autem glebas terre, saniem radens. At vita mea leuior est fabula, in spe autem vacua periit. Dixi quod consolabitur me lectulus meus: referam autem ad meipsum priuatè sermonem strati meo: Terres me insomniis, & in visionibus me percellis.*

*Quid misera conditio hominis & quasi mercenaria sit, & se nisi ex aliena misericordia sustentare non possit: quòdque vana somni delectatio, pena potius quam requies sit dicenda.*

CAP. III.

**Q**vam misera hominis conditio, quæ quasi mercenaria aliis laborat, sibi indiget, & nisi aliena misericordia sustentare se nequit! Quotidie sub for-

midine, sub timore grauem tolerans seruitutem, & ne deprehendatur à Domino erratica atque fugitiua, sub umbra quadam sæculi huius putat se posse delitescere. Considera illum de quo ait in Ecclesiastico Syrach: Homo transgrediens in lecto suo, dicens in anima sua: Quis me videt? Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, quem vereor? Nonne tibi videtur iste verè esse mercenarius qui sua prodegerit, vt ille adolescens in Euangelio, qui legitur accepisse à patre substantiæ portionem, & egens atque inops, quòd famem leuaret, pascere greges cœpit alienos, vt mercede sumptum exereret suum? Sed ille tandem aliquando conuersus est, quia reuertit ad patrem, & peccata sua non repressit, sed prodidit. Hic autem qui se existimat ab eo qui omnia videt non videri, & tenebris putat commissa sua posse celari, vmbra præterdit, sed frustra latere se credit, cum oculus Domini lucidior sole occulta omnia deprehendat, tenebrosa illuminet, & intimi cordis penetret conscientiam, atque in alta & profunda descendat. Vanus ergo qui putat tenebris esse se tutum, cum lucem vitare non possit, quæ lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehendunt. Quasi fugitiuus itaque & malus mercenarius deprehenditur, & antequam se occultet agnoscitur, quia Domino omnia antequam erant, cognita sunt: non solum quæ facta, sed etiam quæ futura sunt. Perit igitur in vacua spe qui putat quòd suum crimen abscondat: fabula est istud, non veritas. Denique fabula peccantium otiosa, non habens fructum, sed gemitum. Narratio enim fatui sarcina in via. Quid enim aliud est peccatum, nisi sarcina? quæ huius sæculi onerat viatorem graui depressum falce delicti, qui si nollet oneri subiacere, debuit audire dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Quid autem ærumnosius, cum ipse lectus ad communem quietem datus, graue vulnus infligat? Tunc enim solemus quæ fecimus recordari; tunc factorum suorum stimulis compungitur interior conscientia. Vnde scriptura ait his: Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini? Remedium quidem dedit, sed tamen conscientiam vulnerauit. Sed esto vt aliquando fesso somnus obrepit; terremur in somniis, exagitamur visionibus, vt non iam requies, sed poena sit. Ita enim abeunt diuitiæ sæculi, veluti somnium exurgentis. Surrexit aliquis ex istius corporis somno, & nihil inuenit in manibus suis, idque ipsum quod se credebatur habere, amisit. Constituite mihi nunc diuitem illum, qui quotidiana lucra, & quæstus varios congererat, & exagitabatur cupiditatibus suis, subito respicientem, considerantemque secum, quia cum morietur, non accipiet omnia, neque descendet cum eo gloria domus eius: & quòd ea quæ possidet in hac vita, habeant aliquid voluptatis: non etiam in futurum, aperientem oculos ad cælestia. Nonne tibi videtur sicut qui in somnis bibebat, bibisse, & qui in somnis epulabatur, epulatus, aperuisse oculos, & cognouisse quòd anima eius inane sperauit, & ad huc esuriat, adhuc sitiit, quia modum non habet auaritia, nec rapiendo expletur, sed incitatur, eo egentior, quo plura quæserit? Et hic ergo surrexit, & vanum est somnium.

Quomodo

*Quomodo amici Iob ad consolandum eum venerint, & quòd optimum solamen in aduersitatibus sit à culpa vacare.*

CAP. IIII.

**S**ed iterum ipsum audiamus dicentem: *In veritate noui quod ita est. quomodo enim erit iustus mortalis, &c.* Incumbebant illi amici qui ad consolandum venerant, & quasi inimici amaris cum perurgebant sermonibus. Vnum enim solatiij genus est in ærumna & in amaritudine constitutis, culpa vacare: vt ea quæ perpetuatur aduersa, non pro delicti pretio sustinere videantur. Hoc quoque sancto viro adimere gestiabant, vt videretur ipse suæ auctor ærumnæ, qui peccatis grauibus Domini cõtraxisset offensam, & pro impietatibus suis illa toleraret, descibentes impiorum supplicia; vt qui vitia seminarent, meterent sibi dolores; quòd mandato perirent Dei, & spiritu iræ ipsius interirent; qui insufflaret domos luteas inhabitantibus, & rescerent, cogitationes destitueret versutorum, os obstrueret iniusti. Quæ vera quidem de Domini potestate, sed non conuenientia tanti viri meritis asserbant. Is ergo respondit: *In veritate noui quia ita est. quomodo enim erit iustus mortalis apud Dominum? Si enim voluerit iudicio contendere cum eo, non audiet illum, vt non ad vnum verbum eius ex mille contradicatur. Sapiens est enim intellectu, & fortis & magnus: quis tam durus, vt in conspectu eius possit subsistere? Qui facit montes inueterascere, & nesciunt, & euertit eos iracundia. Qui commouet orbem terrarum à fundamentis, & columna eius quatiantur. Qui dicit soli, & non oritur, aduersus autem sidera conignat. Qui extendit calum solus, & ambulat sicut in pavimento supra mare. Qui facit vergilias, & hesperum, & septentrionem, & austrum ministerium. qui facit magna & inuestigabilia, gloriosaque & immensa, quorum non est numerus. Si præterierit me, non videbo: & si me prætergressus fuerit, nec sic sciam. Quanto vehementiore tuba iste crepuit de Domini potestate? Sed in ea iustorum auxilium, non ruina est. Denique videtur exprimi potentia, sed magis redemptionis nostræ mysteria declarantur.*

*Quomodo intelligatur illud: Qui facit montes inueterascere, &c. & de commotione columnarum: quomodo etiam sol iussus non oriebatur, & quomodo Dominus supra mare tamquam pavementum ambulet: & agit de multiplici hominis tribulatione, & veloci humana vitæ cursu.*

CAPVT V.

**Q**ui sunt enim montes quos inueterascere facit, nisi Moyses, Aaron, & Elias, Iesus Naue, Gedeon, propheta, omnes libri veteris testamenti? Venit Dominus Iesus, nouum detulit testamentum, & illud quod erat vetus, factum est nouum. Innouatus est Christianus, inueterauit Iudæus. Renouata est gratia, inueterauit littera. Euertit montes, & conuertit. Euertit enim & subruit intellectum secundum litteram, & statuit intelligentiam spiritalem. Intellectus ergo ille legis euauit carnalis, & factus est spiritalis. Vnde Apostolus ait: Scimus autè quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum. Sed & ipse qui carnalis erat, factus est spiritalis, sicut ipse asseruit, dicens: Puto enim & ego me spiritum Dei habere. Hos ergo montes inueterauit Iesus, & Iudæi

nesciunt. Si enim cognouissent, numquam Dominum maiestatis crucifixissent, numquam adhuc Iudæica deliramenta sequerentur. Ipsi sunt ergo qui nesciunt. Vnde & in Euangelio dicit Dominus Iesus: Dimitte illis pater, quia nesciunt quid faciunt. Sed non excusantur quòd nesciunt, cum scire nolint quod debuerint cognoscere. Certè non illis inuidemus, si Domini sequantur sententiã. Sententia enim superiora solet absolueret, non futura. Sed nec ille immunis à scelere qui crucifixit suæ auctorem salutis, & postea veniam non poposcit. Esto vt antè ignorauerit quem persequeretur, in cruce tamè positum debuit recognoscere vniuersorum esse dominum elementorum, sub quo omnia elementa tremuerunt, cælum obcuratum est, sol refugit, terra dissiluit, defunctorum sepulcra patuerunt, mortui uiuentium receperunt consortia. Vnde & Centurio ait: Verè Dei filius erat iste. Centurio agnoscit alienum, Leuita non recognoscit suum: Gentilis veneratur, Hebræus abiurat. Non immeritò ergo columnæ orbis terrarum concussæ sunt, quando non crediderunt principes sacerdotum. Sed concussæ sunt veteres, vt nouæ confirmarentur, sicut ipse dignatus est dicere: Ego confirmaui columnas eius. Audi quas columnas confirmauerit: Petrus & Iacobus & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dexteris dederunt mihi & Barnabæ communionis. Quomodo ergo excusant se nescisse, quorum alij viderunt, alij cognouerunt solem non expleto diei curriculo recessisse, & rursus ante perfectum spatium noctis egressum, noctem in die percussisse, in nocte diè? Vtique intelligere debuerunt, quia sol iussus se recepit, & iussus exiuit. Prædixerat enim Dominus, quia tribus diebus futurus erat in corde terræ, & tribus noctibus. Didicerat hoc sol, seruabat præceptum. Dubitabat ergo, dicens: Quid facio? Orior, & dies est: occido, & nox est. Si cursum meum seruauero, demorabor mundi salutem. Festinare etiam ad redemptionem nostram. Festinare etiam debeo ipse ad nouam vitam. Erit enim beneficio crucis, qua renouantur vniuersa, & sol nouus, & cælum nouum. Festino ergo, vt illum possim videre solem iustitiæ, illuminantem animas vniuersorum. Sed quid faciam? Ipse vult post triduum fieri resurrectionem. Inueni quid faciam, vt & moras non faciam, & numerum dierum meorum custodiam. Non faciam integrum diem, & integram noctem. Abbreuiabo horas, vt tribus quidem diebus ac noctibus sit inter mortuos Dominus Iesus: citius tamen quam triuma dierum & noctium interualla patiuntur, resurgat à mortuis. Abbreuiabo igitur horas vbi ascenderit crucem. A sexta hora statim fiat nox, ne videam Domini passionem, sed fugiam parricidalis perfectionis spectaculum. Occidam, & erit nox horarum trium: egrediar, & innouabo diem, vt sit horarum trium. Percursus est primus dies, sequetur nox secunda: spatio suo, sequetur similiter dies, incipiet nox tertia, resurget Dominus in nocte, & erit dies in lumine resurgentis, vt compleatur illud: Et nox sicut dies illuminabitur. Hic est dies ille magnus quem vidit Abraham, & gauisus est, de quo & David ait: Hic est dies quem fecit Dominus, exultemus & lætemur in eo. Cui non ministerio laboris,

Psal. 41.

Iob. 2.

Iob 6.

Ibidem.

Iob 7.

Ibidem.

Ibidem.

Eccles. 13.

Luca 15.

Psal. 99.

Eccles. 23.

Ioan. 1.

Sapient. 8.

Eccles. 23.

Eccles. 23.

Matth. 11.

Iob 7.

Psal. 4.

Iob 7.

Psalm. 75.

Psal. 48.

Psal. 29.

Rem. 7.

1. Cor. 7.

1. Cor. 2.

Lucæ 23.

Act. 3.

Matth. 27.

Ibidem.

Luca 10.

Matth. 27.

Iob 9.

Psal. 74.

Galat. 2.

Matth. 27.

Matth. 12.

Esaiæ 63.

Malach. 4.

Matth. 27.

Luc. 23.

Psal. 138.

Ioan. 8.

fed fructu exultationis interero. Ipse ergo Dominus diem ducit, & ante mundi consummationem videbitur lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ipse est Dominus, qui signat & numerat multitudinem stellarum. Ipse est Dominus, qui caelum solus extendit, qui ambulat tamquam in pavimento super mare, quando Petrus vidit eum ambulantem, & dixit: Domine, iube me venire ad te super aquas. Et iussit Dominus: sed ille titubavit: & nisi porrexisset ei Dominus dexteram, dimersus fluctibus occidisset. Titubavit caro, saluavit dextera. Et ait illi: Modicae fidei, quare dubitasti? Fides ergo ambulavit in Apostolo, non caro. Denique fides titubavit, & caro sentire coepit naufragium. Quod non improprie dictum est, quia caro navis est anima, sicut scriptum est: Qui descendunt mare in navibus. Et ibi: Ibi dolores vt parturientis, in spiritu vehementi conteres naues Tharsis. Anima enim nostrae cum verbum parturiunt, edunt dolores. Quae autem peperit, iam non meminit pressuram propter gaudium, quia natus est illi homo qui mundum redemit. Naues Tharsis, id est intelligibiles, quae Salomoni aurum ferebant atque argentum, id est corpora nostra, quae habent thesaurum in vasis fictilibus, vt Apostolus dixit. Vel quod etiam hic partus dubio conteretur, iuxta quod dictum est: Vae praegnantibus & nutriendis! Nam cum anima quatitur, caro fluctuat. Vel spiritu vehementi agitabuntur infuso, cum expleto tempore fuerit resurgendum, secundum quod scriptum est: Veni spiritus, & infusa in mortuos istos, & uiuent. Vnde & ipse Iob in posterioribus dicit: Noui enim quia aeternus & potens est qui soluturus est me in terra, & resuscitaturus pellem meam quae portauit haec. Conteruntur autem qui suscitantur ad iudicium. Est autem bona contritio. Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit. Et alibi: Sana contritiones eius. Sed & ad Iosaphat dictum est: Contrita sunt naues in Tharsis: eo quod se sacrilegio miscuisset. Vtrumque igitur contritio significat, quia vtrumque est in die iudicii, quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei: & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae: qui mala egerunt, in resurrectionem iudicii. Quod etiam Dauid propheta significat, dicens: Ibi dolores vt parturientis: sicut audiuiimus, ita & vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri. Namque & dolorem futurum, & latitiam comprehendit: dolorem de iudicio, & de absolutione latitiam. Sed ad proposita nobis interpellationis seriem reuertamur. *Multas* (inquit) *contritiones fecit mihi, respirare me non sinit, repleuit autem me amaritudine. Et quia virtute est potens, nemo potest iudicio eius resistere. Si iustus fuero, lingua mea errabit. Magnum & potentem disperdit ira. Improbi in morte graui, iusti autem iridentur. Dati sunt enim in manus impij, &c.* Potentibus ira sua grauis est, improbis nequitia, iustis conditionis infirmitas. Ita nihil periculo vacat. Fortitudo & magnitudo viri sua potestate decipitur, improbitas afflicta, virtus ridetur. Ille quia plus potest, labitur: iste quia nihil potest, affligitur. Conditionis est vitium, quia, *vita mea velocior est cursore. Iresuit, & nihil vidit. Tamquam nauis vellicium, aut aquile volantis & quarens escam, ita praeterit & vita*

1. Ion. 1.  
Ipsal. 146.  
Ipsal. 103.  
Eccles. 14.  
  
Ibidem.  
  
Ipsal. 106.  
Ipsal. 47.  
  
1. Ion. 16.  
  
3. Reg. 10.  
  
2. Cor. 4.  
Luca 21.  
  
Eccles. 37.  
Iob 19.  
  
Ipsal. 50.  
Ipsal. 59.  
2. Paral. 10.  
  
1. Ion. 5.  
  
Ipsal. 47.  
  
Iob 9.  
  
Ibidem.

hominis. Quod loquimur, obliuiscimur, nec vllum transitus nostri inigne deprehenditur, nisi quod sit plenum mceroris & gemitus. *Concutior* (inquit) *omnibus membris. Vtinam sit mediator noster arguens & diiudicans inter vtrumque nostrum.*

*Deplorat vir sanctus suas & communes hominum calamitates.* CAP. VI.

**D**icam ad Dominum: *Quare sic me iudicas? An bonum tibi est si iniustus ego sim, quia repulisti opera manuum tuarum, & consilio impiorum intendisti? Numquid sicut mortalis videt, sic vides: aut vita tua sicut hominis, aut anni tui sicut viri, quia exquisisti iniquitates meas, & peccata mea inuestigasti? Nosti quia impij non gessit: sed quis est qui de manibus tuis eruat? Magna fides, magna auctoritas conscientiae, Deum testem mentis suae arceslere. Quod conditionis est, non negat: quod impicitatis est, repellit: quod infirmitatis est, fateretur. Peccasse conditionis est, quia nemo immunis. Impie agere non conditionis est, sed perfidia, & nequissima mentis venenum. Lapsus suos agnoscit iustus, sed absolutio*

*hominis in Dei miseratione, non in hominis potestate est. Manus* (inquit)  *tuae plasmauerunt me, & fecerunt me: postea conuertisti & percussisti me. Memento quia lutum me fecisti, & in terram me resolues. Numquid non ut lac mulsisti me, confecisti me sicut caseum? Corio & carne me induxisti, ossibus & nervis me inseruisti. Vitam autem & misericordiam in me posuisti, & visitatio tua protexit spiritum meum. Quanta deploratio sancti viri pro communi infirmitate, quanta conuentionis auctoritas, quod Deus hominem manibus suis fecerit? Excusatur culpa infirmitatis obtentu, commendatur gratia priuilegio operationis aeternae, & protectionis dignatione caelestis. De quo loco etiam Dauid pulcherrime locutus est, dicens: *Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis quia visitas eum? Haec* (inquit)  *habens in te, noui quia omnia potes, impossibile autem tibi nihil. Si enim peccauero, custodies me, ab iniquitate autem immaculatum me non fecisti. Si impius fuero, ue mibi! si sim iustus, non possum me erigere. Plenus sum enim confusionis, inuestigor sicut leo ad necem. Vnde tria: Si peccauero* (inquit)  *custodies me. Et ideo o homo fateri peccatum, vt veniam consequaris: dic iniquitates, vt iustificeris. Quid erubescis fateri eas in quibus natus es? negantis non fatentis crimen est, negare quod natus sis. Quod accepisti, vtinam serues. Cur putas te habere quod non acceperis? Ergo peccator fateatur, impius ingemiscat: iustus non se erigat & extollat, ne per arrogantiam fructum iustitiae amittat. Et pulchre ait: *Si iustus sum, non possum me erigere: plenus enim sum confusionis. Iustus enim aduertit magis fragilitatem suam, quam iniustus: & lapsus suos sapiens agnoscit, non agnoscit insipiens. Denique lapsibus suis sapiens compungitur, insipiens delectatur. Iustus accusator est sui, iniustus assertor. Iustus praenire vult accusatorem confessione peccati, iniustus peccatum suum occultare desiderat. Ille in principio sermonis occurrit vt prodatur errorem, iste multiloquio sermonis sui sonum excusationis inuoluit, ne prodatur errorem.***

*Quid significet illud: Quare obseripisti aduersum me mala, & apposuisti*

13.  
Ipsal. 24.  
Ipsal. 14.  
Ipsal. 8.  
Ibidem.  
Ipsal. 43.  
Ipsal. 10.  
Ipsal. 13.  
Ipsal. 101.  
Ipsal. 101.  
Ipsal. 101.  
Ipsal. 101.  
Ipsal. 101.  
Ipsal. 101.  
Ipsal. 101.  
Ipsal. 101.

*Et apposuisti mihi adolescentiae peccata? similiter & illud: Mortalis filius mulieris, breuis vita est, &c. praeterea etiam istud: Cum autem dormierit homo, non resurget usque dum caelum assuatur.* CAP. VII.

**T**erum adiiciens dicit: *Quare obseripisti aduersum me mala, & apposuisti mihi adolescentiae peccata?* Pulchre id aetatis arripuit ad querelam, quae magis ad vitium lubrica esse consuevit. Habet enim pueritia innocentiam, senectus prudentiam, ipsa vicina adolescentiae iuuentus bonae existimationis intuitum, & verecundiam delinquendi. Adolescentia sola est inualida viribus, infirma consiliis, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis. In tanto igitur confragoso & procelloso mundi huius turbine cur tam crebra naufragia improvidae adscribuntur aetati? Vnde praclare Dauid totius temporis eius veniam sibi a Domino postulauit, dicens: *Delicta iuuentutis meae & ignorantiae ne memineras Domine: quia tunc maxime calor corporis feruet, & aestu sanguinis vaporantis ignescit. Sed iterum ipsum audiamus: Mortalis* (inquit)  *filius mulieris breuis vita est, & plenus iracundiae, qui sicut flos floruit, & decidit. discedit autem vt umbra, & non respicit. Nonne & ab hoc ratio quaeritur? Et hunc fecisti intrare in iudicium sub conspectu tuo. Quis enim mundus est a forde? Sed nemo, etiamsi vnius diei sit vita eius super terram. Verè miserabilis conditio, vt homo peccati sui quod vitare non possit, rationem prestare cogatur, intrare in conspectum Domini, & iudicium subire omnipotentis compellatur, aedere causas gestorum suorum, quae tot vitae suae aetatis percurrerit, cum mundus a peccato quiuis esse non possit, vt ab ipsis cunabulis prius obrepat infantiae culpa, quam sit vllus sensus erroris. Quamque illud miserabile, vt breuis sit vita eius, dulcis illecebra, multiplex arumna, iracundia quotidiana! Itaque in exigua delectatione amaritudo perpetua est. Est* (inquit)  *arbori spes. Si enim fuerit excisus, adhuc viridescit: & si in terra mortua radix eius fuerit, truncus eius adhuc ab odore aquae germinabit, faciet autem messem sicut nouella planta. Vir autem defunctus abiit, & cadens mortalis homo non ultra est. Tempore autem fluctuat mare. Spectauimus prophetici sermonis feriem ex duobus inferioribus elementis, terra ac mari, quae omni iniuriae crebrisque tempestatibus subiacent, quam validum argumentum nostrae expressit arumnae? Terrena enim virgulta, nemorosaeque arborum etiam cum fuerint mortua, in vsus vitales resurgunt. Mare quoque ipsum temporum vicibus solet fluctuare. At verò caro nostra semper exaestu, sibi que ipsa tempestas est, nec vquam a motibus procellarum miserandisque naufragiis ferriat. Cum autem dormierit homo non resurget usque dum caelum assuatur. Quod videtur declarare, donec caelum mouetur. Erit enim nouum caelum, & terra noua, sicut scriptum est. Nam quod assuitur, vetus est: quod vetus, mutabitur. Denique audi Dauid dicentem: Initio terram tu fundasti Domine, & opera manuum tuarum sunt caeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veteralescent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. Possumus etiam illud attexere, quoniam quod vetus est, assuitur, quod nouum, cogitur. A*

diebus autem Ioannis Baptistae regnum caelorum cogitur, & cogentes diripiunt illud. Affuebat ergo illud synagoga in paucis, Ecclesia cogit in multis. Vel quia nunc caelum assui videtur nebulis & caligine, nocturnisque tenebris, & croceo diei surgentis rubore diuersa & discolori specie saepe contexitur. Tunc autem nox non erit amplius, & non indigebunt luce lucernae, & lumine solis, quia Dominus illuminabit super eos: sicut dicit Ioannes. Vel quia, Vae iis qui assuunt ceruicalia ad euertendas animas populi. Deploranti prophetae miseriam nostrae fragilitatis, quae & in hac vita requiem non haberet, & vniuersa subito incurfu mortis amitteret, & spiritus sanctus insudit tam diu non resurrecturos homines, donec veniret qui non assueret vetera nouis, nec vestimentum nouum committeret in vestimentum vetus, sed omnia faceret noua, sicut ipse dixit: *Ecce faciam noua. Ipse est enim resurrectio, ipse primogenitus ex mortuis, in quo omnes quidem praerogatiuam futurae resurrectionis accepimus, solus tamen ipse adhuc resurrectione perpetua resurrexit.*

*De intelligentia illius: Vtinam in inferno me conseruares, absconderes autem me donec desinat ira tua, &c.* CAP. VIII.

**A**vdito igitur quid locutus esset in eo Deus, & cognito per Spiritum sanctum quod filius Dei non solum veniret in terras, sed etiam descensurus esset ad inferos vt mortuos resuscitaret (quod tunc quidem factum est ad testimonium praecedentium, & exemplum futurorum) conuersus ad Dominum ait: *Vtinam in inferno me conseruares, absconderes autem me donec desinat ira tua, & statuas mihi tempus in quo memoriam meam facias. Si enim mortuus fuerit homo, viuet consummans dies vitae ipsius. Sustinebo donec iterum fiam, donec uocabis me, ego autem te obaudiam; at opera manuum tuarum ne despicias. Numerasti autem meas adinventiones, nec praeteribit te quidquam ex peccatis meis. Signasti autem iniquitates meas in sacco, & notaasti si quid inscius praeteriui. Quam suavis locus, qui nos de resurrectione confirmat, & quam videtur voci Dominicae conuenire, quae in Euangelio legitur, vbi ait: *Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos: & collibus, Operite nos. Erit enim in consummatione saeculi ira Domini. Rectè ergo sanctus in iudicium mauult resurgere, quam in tempus diuinae iracundiae, quae terribilis etiam innocentibus est. Simul etiam illud prophetare intelligitur, dicendo: *Statuas mihi tempus in quo memoriam meam facias; quod in passione Domini resuscitandus foret, sicut in fine huius libri testatur: nec tamen deplorare desinit: & quo magis intelligit sibi resurrectionem esse propositam, vitam hanc fugere desiderat, videns se in manus traditum aduersariorum, proiectum se in potestate impiorum, cui etiam amici in inimicos conuersi sunt, qui cum debuerint consolari, ruina super ruina inferant: memor tamen conscientiae suae purae, & munda orationis, ait: *Terra non cooperias in sanguine carnis meae: vt oratio eius sicut incensum dirigatur ad Dominum, non in terra diuerteretur. Sancti enim oratio nubes penetrat: pec-****

1. Apo. 22.  
Eccles. 23.  
Matt. 9.  
Esa. 43.  
Ioan. 11.  
Apo. 16.  
Rom. 6.  
Iob 14.  
Luca 23.  
Prov. 11.  
1. Pet. 4.  
Iob 19.  
Iob 16.  
Ipsal. 140.  
Eccles. 35.

Genes. 4.

catoris orationem, sicut à Deo Cain dictum est par-  
ricidæ, aperiens os suum terra in sanguine carnis ab-  
scudit. Maledictus, inquit, à terra, quæ aperuit os  
suum accipere sanguinem fratris tui de manu tua;  
quoniam operaberis terram, & non addet virtutem  
suam dare tibi.

De reprehensione eorum qui curiosius inquirunt secreta alti-  
tudinis sapientiæ Dei: quàmque beatus sit ille qui sapien-  
tiam inuenit: & que sit vera sapientia. CAP. IX.

Iob. 17.

**F**lebiliter igitur sanctus deplorat vitæ istius tem-  
pora: Pereo (inquit) & spiritu circumferor, oro autem  
sepulturam, & non impetro, precor laborans. Et quid faci-  
ciam? Dies mei transferunt in horrore, disrupti sunt articuli  
cordis mei. Nec tamen derogat iudicio Dei. Scit enim  
profundam esse altitudinem sapientiæ & sci-  
entiæ Dei, & inscrutabilia iudicia eius, atque inue-  
stigabiles vias eius. Non calcauerunt (inquit) eam filij se-  
glorificantium, nec transiit per eam leo. Quis enim po-  
tuit vias eius comprehendere, quæ abditè occulta  
penetrant? Vnde (inquit) inuenta est sapientia? aut quis lo-  
cus discipline? Nescit homo viam eius, nec inuenta est in ho-  
minibus. Abyssus dixit, Non est in me: & mare dixit, Non  
est mecum. Non tibi licet scire o homo alta sapien-  
tiarum: ideo tibi scriptum est: Noli altum sapere, sed time.  
Quid curiosè quaris inuestigare quod tibi non  
expedit scire, nec cognoscere datur? Paulus audiuit  
aliqua secreta sapientiæ, quæ prohibitus est aliis in-  
timare, & ideo raptus est in paradysum, raptus vsque  
ad tertium cælum, vt audiret ea quæ in terris audi-  
re non poterat. Si quæ audiuit homo, non licuit ei  
loqui, quemadmodum quod non audiuit inquit? Im-  
peratoris huius in terris non licet tibi scire con-  
silia, & vis scire diuina: Non licet tibi curiosius inue-  
stigare quæ in terris geruntur, & curiosius requiris  
quid supra cælum agatur? Cur tu disputas vnde na-  
ta sit sapientia? Nescit homo viam eius, nec in hominibus  
inuenta est sapientia. Non in Moyse, non in Aaron,  
non in Iesu Naue fuit, non in ipso Dauid qui ait: In-  
certa & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.  
vnde ipse dixit in posterioribus: Velut iumentum  
factus sum apud te. Supra te est scire o homo altitu-  
dinem sapientiæ, satis est tibi vt credas. Si enim non  
credideritis, inquit, nec intelligetis. Abyssum scire  
non potes, abyssum non potes comprehendere,  
quomodo altitudinem sapientiæ comprehendes?  
Abyssus dixit, Non est in me; & tu potes dicere  
quia in te est sapientia? Abyssus ergo dixit, Non est  
in me, quia ipse Dominus dixit: Non derelinques  
animam meam in inferno. Et Apostolus dixit: Qui  
descendet in abyssum, hoc est Christum ex mor-  
tuis deducere. Ergo si interrogatur abyssus. Vbi est  
sapientia? responder: Non est in me, quia surrexit.  
Si interrogatur mare, Vbi est sapientia? dicit, Me-  
cum non est, quia calcavit me, nec fluctus mei eam

Rom. 11.  
Iob 28.

Ibidem.

Rom. 11.

2. Cor. 12.

Psal. 50.

Psal. 72.

Esa. 7.

Psal. 15.  
Rom. 10.  
Iob 28.

Matt. 14.

turbare potuerunt. Et tu ergo in hoc sæculi istius  
positus treto noli perfectam illam Dei sapientiam  
in hoc mundo querere: quia mundus eam non co-  
gnouit. Sed si vis eam inuenire, calca fluctus huius  
mundi, sicut calcavit Petrus, & ambula super aquas  
huius sæculi, & porriget tibi dexteram sapientia, si-  
cut porrexit & Petro: quia nemo fuit quem non sæ-  
culi huius vnda turbauerit. Turbavit Abraham, tur-  
bavit & Moyses, turbavit & Petrus. Moyses per  
mare transiit, & per mare peditem duxit exerci-  
tum, sed antè & ipse turbatus est. Petrus super aquas  
calcavit, sedmersus fuerat corpore, quia infirmioris  
fidei vestigio claudicauit. Ergo noli sapientiam  
in mari querere, quia non dixit cum mari se futu-  
rum Dominus Iesus, sed cum discipulis suis, vt ali-  
qua ex parte cum cognoscerent, quibus ait: Ecce  
ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæ-  
culi. Beati cum quibus est, vtinam & nobiscum sit.  
Sed nobiscum mare est, Petrus cum Christo, quia  
& ipse calcavit mare. Nobis aurum cordi atque ar-  
gentum est, sapientia autem supra aurum, non in au-  
ro est. Ideo qui sapientiam habere cupiebat: Argen-  
tum (ait) & aurum non habeo, sed quod habeo, do  
tibi: in nomine Iesu Christi Nazareni surge & am-  
bula. Quia aurum non habebat, in nomine Christi  
habebat pia operationis gratiam. Ideo & tibi dicitur:  
Et trahere sapientiam in interiora. & infra: Latuit (in-  
quit) omnem hominem, & à volatilibus celi abscondita  
est. Nec homines sciebant vbi erat, nec angeli, quia  
ipsi sunt aues celi, de quibus dictum est: Et vidi an-  
gelum volentem per cælum. Nemo potuit noscere  
sapientiam, quia nemo nouit filium nisi pater, & ne-  
mo nouit patrem nisi filius, & cui voluerit filius re-  
uelare. Ipse ergo reuelauit Ioanni cum quo esset sa-  
pientia: & ideo dixit ille, non quod suum erat, sed  
quod sapientia infudit ei: In principio erat verbum,  
& verbum erat apud Deum. Nescit sapientiam interitus,  
nescit malitia. Interitus enim tenere eum non potuit,  
qui dixit: Vbi est mors victoria tua? vbi mors acu-  
leus tuus? Nescit etiam malitia, quia dixit: Quærent  
me mali, & non inuenient. Possunt dicere: Audiuimus  
gloriam eius. Solus est Deus qui nouit eam, quia  
Deus (inquit) bene constituit viam eius. Ipse enim nouit lo-  
cum eius, quod sit receptaculum sapientiæ, audi di-  
scipulum eius dicentem: Vnigenitus filius qui est in  
sinu patris, ipse enarrauit. Agnouit enim patrem fi-  
lius, quia ipse ait: Sicut agnouit me pater, & ego ag-  
nosco patrem. Æqua mensura est cognitionis, vbi  
vnitas potestatis est. Pater ergo qui omnia fecit, no-  
uit ventorum libram, aquarum mensuram: ipse vi-  
dit sapientiam, cum præparauit eam, & enarrauit eam  
per prophetas suos, sicut & filius patrem enarrauit,  
quem nihil præterit, & dixit: O homo, quid vis pro-  
funda scire sapientiæ quæ supra te sunt? Timere Deum  
sapientia est, abstinere à malo disciplina est.

Iob. 1.

Matt. 14.

Exod. 14.

Matt. 14.

Matt. 28.

Act. 3.

Iob 28.

Ibidem.

Apr. 14.

Matt. 11.

Iob. 1.

1. Cor. 13.

Proner. 1.

Nalef. 1.

Iob. 1.

Iob. 10.

Iob 28.

## Summarium libri secundi de Interpellatione sancti Iob.

A cap. I. vsque ad cap. IIII. vulgarem hominum quæstionem examinat, cur iusti affligantur, impij verò  
bonis affluant, continuando enarrationem super alia quadam capita libri sancti Iob.  
In cap. V. concludit, cum iustos in hoc sæculo affligi sit bonum; nedum non timendas, sed optandas esse affli-  
ctiores.

## Capita Libri secundi de Interpellatione Iob.

Quod plerique etiam prudentes moueantur cum viderint iniustos affluere rebus secundis, iustos autem fre-  
quenter in hoc sæculo affligi. Cap. I.

Quomodo sanctus Iob in aduersis fortior factus sit: & tacendo irridendoque suos conuiciatores redargue-  
rit, ostendens quod à Domino Deo sua tentatio venerit. Cap. II.

Quantum boni sit taciturnitas, & quod multi per sermonem decepti sint: quàm pulchrū etiā sit ridere cum  
nobis maledicatur, ex eo quod iniuriarum cumulus bonæ conscientie non præiudicet. Cap. III.

Qua ratione si propter peccata hominibus eueniant mala, impij tanta bonorum copia abundet. Cap. IIII.

Quod orandum potius nobis hinc sit, subire laborem, quàm rerum temporalium abundantia affluere, propter  
diuersum & contrarium vtriusque finem, eo quod sic vera sapientia inueniatur. Cap. V.

## SANCTI AMBROSII EPISCOPI

## MEDIOLANENSIS, DE INTERPELLATIONE S.

## IOB LIBER SECVNDVS.

## Iob Cap. XVIII.



**R**ESPONDENS autem Baldad Sau-  
chites, dicit: vsquequò nõ cessabis?  
Mane, vt & ipsi loquamur. Quare  
vt quadrupedes tacuimus corā te?  
interfecit te ira. Quid enim, si tu mortuus fue-  
ris, inhabitabilis quæ sub cælo: aut subuertetur  
mōtes à fundamētis: & lumen impiorum  
extinguetur, & non eueniet eorum flāma: Lu-  
men eis tenebræ in tabernaculo, at lucerna in  
eo extinguetur. Venientur minimi facultates  
eius, erret autem eius consilium. Immittatur  
pes eius in laqueo, in rete inuoluatur. Veniāt  
super eum laquei, roborabit in eum sitientes.  
Absconditus est autem in terra funiculus eius,  
& decipula illius in semitis. In circuitu perdāt  
eum dolores, multi circum pedem eius veniāt  
in fame angusta, ruina autem ei præparata est  
indecens. Comedantur eius rami pedum, co-  
medat autem eius pulchra mors. Scindatur de  
tabernaculo eius fanitas, teneat autem eum  
necessitas accusatione regia. Habitabit in ha-  
bitaculo eius in nocte eius, dispergentur de-  
centia eius in sulphure. Deorsum radices eius  
siccabitur, & sursum corruet messis eius. Me-

moria eius pereat de terra, & erit nomen ei in  
faciem extraneo. Expellat eum de luce in te-  
nebras, & ab orbe terrarum transfulerunt eū.  
Nõ erit notus in populo eius, neque saluatus  
in subcælesti domus eius. Sed in rebus eius vi-  
uent alij, super eum genuerūt vltimi, primos  
autem tenuit stupor. Hæ sunt domus iniusto-  
rum, hic autem locus ignorantium Dominū.

## Cap. XIX.

**R**ESPONDENS Iob dicit: Vsquequò afflicta  
facietis animam meam, & occidetis me  
sermonibus? Cognoscite solum quod Domi-  
nus fecit me sic, loquimini contra me. Nõ re-  
uerentes me incumbitis mihi, nempe iam in  
veritate ego erraui, & apud me inhabitat er-  
ror. Loquutum esse verbū quod non oportet,  
& verba mea errant & nõ in tempore. Sine au-  
tem, quoniā in me magnificamini, insultatis  
verò mihi opprobrio. Cognoscite igitur quod  
Dominus est qui turbauit, munitionem autē  
eius in me exaltauit. Ecce rideo opprobrio, &  
non loquar: clamabo, & nõdum iudicium.  
In circuitu circumædificatus sum, & non

## S. AMBROSII DE INTERPELLATIONE S. IOB LIBRI PRIMI FINIS.

Summarium



transibo, in facie mea tenebras posuit. At gloriam meam à me exiit, abstulit coronam de capite meo. Dilaniavit me in circuitu, & abiit; excidit autem sicut arborem spem meam. Grauitur mihi ira vsus est, reputavit autem me sicut inimicum. Simul ac venerunt eius tentationes in me, viis meis circumdederunt me insidiatores. A me quidem fratres mei recesserunt, cognouerunt alienos plus quam me. Amici mei immisericordes facti sunt, neque adiunxerunt me proximi mei. Et qui nouerunt meum nomen, oblitii sunt mei. Vicini domus, ancillæque meæ, alienus fui coram eis. Seruum meum vocavi, & non obediit: os autem meum deprecabatur, & supplicabam uxori meæ. Aduocabam adulans filios concubinarum mearum, ipsi autem in sæculum me auersati sunt: quando refurgo, contra me loquuntur. Abominati sunt me qui cognouerunt me: quos autem amaueram, insurrexerunt mihi. In pelle mea putruerunt carnes meæ, at ossa mea in dentibus habentur. Miseremini mei, miseremini mei & amici, manus enim Domini est quæ tetigit me. Cur autem me persequimini sicut & Dominus, & de carnibus meis non saturamini? Quis utique det ut scripta sint verba mea, ut posita sint ea in libro in sæculum, in stilo ferreo & plumbeo, aut in petris insculpta esse? Noui enim quia æternus & potens est qui soluturus est me in terram, & suscitaturus pellem meam quæ portauit hæc. A Domino enim hæc mihi confecta sunt, quæ ego mihi conscius sum, quæ oculus meus vidit, & non alius, omnia autem mihi consummata sunt in sinu. Si verò dixeris: Quid dicemus coram eo, & radicem sermonis inueniemus in eo? Cauete & vos à tegmine, furor enim in iniquos superueniet, & tunc cognoscent vbi est eorum materia.

Cap. XX.

**R**espondens autem Sophar Minæus, dicit: Non sic putabam contradicere te hæc, & non intelligitis magis quam ego. Disciplinam confusionis meæ audiam, & spiritus ex intelligentia respondet mihi. Nonne hæc nosti à principio, ex quo positus est homo super terram? Gaudium impiorum ruina grauior, lætitia autem iniquorum perditio. Si ascenderint in cælum eius dona, & sacrificium eius

nubes attigerit. Quando enim videatur iam firmatum esse, tunc in fine peribit. At qui cognouerant eum, dicent: Vbi est? Sicut insomnium quod auolauit, non inuenietur: volauit autem sicut visio nocturna. Oculus aspexit, & non addet, & non amplius aduertet eum locus suus. Filios eius perdant minores, manus eius vrant dolores. Ossa eius repleta sunt adulescentia eius, & cum eo in tumulto terræ dormient. Si dulcis fuerit in ore eius malitia, absconderit eam sub lingua sua. Non parcerit ei, & non derelinquet eam: & congregabit eam in medio gutturis sui, & non poterit adiuuare eum. Fel aspidis in vtero eius, diuitiæ iniuste congregatæ euometur, de domo eius extrahat eum angelus. Furorem autem draconum fugat, occidat verò eum lingua serpentis. Non videat mulsonem pastorem, neque pasqua mellis & butyri. In vana & inania laborauit, diuitias de quibus non gustabit. Sicut caro neruosa quæ non manditur, quæ non bibitur. Multorum enim impotentium domos fregit: tabernaculum autem rapuit, & non extruxit. Non est eius salus facultatibus, in desiderio suo non saluabitur. Non sunt reliquiæ cibis eius, propter hoc non florebut eius bona. Cum autem videatur iam saturatus esse, artabitur: omnis verò necessitas super eum veniet. Si quomodo impleuerit ventrem suum, immittat in eum furor ire, lauet in eum dolores, & non saluetur de manu ferri, vulneret eum arcus æneus. Prætereat per os eius sagitta, stellæ autem in tabernaculis eius. Deambulent in eo timores, omnes autem tenebræ ei permaneant. Deuoret eum ignis qui non incenditur, vexet autem eius advena domum. Reuelet eius cælum iniquitates, terra autem insurgat ei. Inundet domum eius perditio in finem, dies iræ superueniat ei. Hæc pars hominis impij à Domino, & possessio eorum quæ sunt ei à speculatore.

Cap. XXI.

**R**espondens autem Iob, dicit: Audite audite verba mea, ut sit mihi à vobis hæc consolatio. Portate me, ego autem loquar, postea non deridebitis me. Quid enim? numquid hominis mea redargutio? aut cur non irascar? cum inspexeritis in me stuporem habente, manum ponentes in maxilla. Si recordatus fuero, stupui, habet autem meæ carnes dolores.

Quare

Quare impij viuunt, inueterauerunt autem & in diuitiis? Semen eorum secundum animam, at filij eorum in oculis. Domus eorum recte stant, non est illis timor, non est in eis flagellum à Domino. Bos eorum non fecit abortiuum, saluata est autem eorum in ventre habens, & non offendit. Manent sicut oues perpetuæ, at pueri eorum ludunt accipientes psalterium & citharam, & delectantur voce psalmi. Consummarunt in bonis vitam suam, in requie autem inferni dormierunt. Dicit autem Domino: Discede à me, vias tuas scire nolo. Quid omnipotens, quoniam seruiemus ei? aut quæ utilitas, quoniam obuiabimus ei? In manibus enim non fuerunt ei bona, opera autem impiorum non aspicit. Verumtamen & impiorum lucerna extinguetur, superueniet eis subuersio, dolores autem eos habebunt à furore. Erunt sicut palæ ante ventum, aut sicut puluis quem abstulit turbo. Deficiant filios facultates eius, retribuet ad eum & cognoscat. Videant oculi eius suam interfectionem, à Domino autem non saluetur. Quoniam voluntas eius in domo eius cum eo, & numeri mensium eius diuisi sunt. Numquid non Dominus est qui docet intellectum & scientiam? ipse autem sapientes discernet. Hic moritur in potentia stultitiæ suæ, totus in abundantia & gratia. Interiora autem eius plena adipe, medulla verò eius supercessit. Ille autem conficit in amaritudine animæ suæ cursum vitæ; nihilque boni epulatus finem accipit. Simul quidem in terra dormiunt, putredo autem eos operuit. Itaque noui vos, quoniam audacia incubitis mihi, quoniam dixeris: Vbi est domus principis, & vbi est tegmen tabernaculorum impiorum? Interrogate prætereuntes viam, & signa eorum non alienabitis. Quoniam in diem perditionis subleuatur malus, in diem furoris eius ducetur. Quis renuntiabit in faciem eius viam eius? & ipse fecit: quis retribuet ei? Et ipse ad sepulcra ductus est, & in aceruo vigilauit. Dulces fuerunt ei lapides torrentis, & post eum omnis homo abibit, & ante illum innumerabiles. Quomodo autem mihi adicietis inania? at me quiescere à vobis nihil.

Cap. XXII.

**R**espondens autem Eliphaz Themanites, dicit: Numquid non Dominus est, docens

intellectum & scientiam? Quid enim cura est Domino, si tu fuitli operibus irreprehensibilis? Numquid utilitas, quoniam simplicem facies viam tuam; aut rationem tui faciens redarguet te, & simul veniet tecum in iudiciu? Numquid non malitia tua est multa, innumerabilia verò tua sunt peccata? Pignerabas quidem à fratribus tuis frustra, vestimentum autem nudorum abstulisti. Neque aqua sitiētes potasti, sed esurientium subtraxisti frustum panis. Miratus es quorundam vultus, habitare autem fecisti pauperes in terra. Viduas dimisisti vanas, pupillos autem afflixisti. Igitur circumdederunt te laquei, & vrsit te bellum indecens. Lumen tibi tenebræ euasit, dormiētē autem aqua te operuit. Numquid non excelsa habitans aspicit? at iniuria latos humiliavit. Et dixisti: Quid nouit fortis? numquid per caliginē iudicabit? Nubes latibulum eius, & non videbitur; & gyrum cæli perambulat. Numquid semitam æternam custodies, quam calcauerunt viri iniusti, qui comprehesi sunt immaturi? Fluius fluens fundamenta eorum; dicētes: Dominus quid faciet nobis? aut quid inducet nobis omnipotens? qui impleuit domos eorum bonis: consilium autem impiorum longè ab eo. Videntes iusti riserunt, irreprehensibilis autem subannauit eos: nisi destructa est subsistentia eorum, & reliquias eorum deuorat ignis. Esto autē durus, si sustinueris, postea fructus tuus erit in bonis. Suscipe de ore illius interpretationē, & recipe verba eius in corde tuo. Si autē reuersus fueris & humiliaueris te ipsum coram Domino, longè fecisti à tabernaculo tuo iniquitatem. Sedebis super aggerem in petra, ut petra torretis Ophir. Erit igitur tuus omnipotens adiutor ab inimicis, purum autem reddet te sicut argentum igne probatum. Postea cum audacia loqueris coram Domino, cum reppereris in cælum hilariter. Cum oraueris autē tu ad eum, exaudiet te, dabit verò tibi reddere vota. Restituet tibi tabernaculum iustitiæ: in viis autem tuis erit lux. Quoniam humiliavit se ipsum, & dices, Superbiuit; & inclinatum oculis saluabit. Saluabit innocentem, & saluus esto immundis manibus tuis.

Cap. XXIII.

**R**espondens autē Iob, ait: Et iam noui quod à manu mea redargutio mea est, & ma-

L ij

nus eius grauis facta est super meum gemitu. <sup>G</sup> Quis igitur nouerit quod inueniam illum, & veniam in terminu? Dicam autem meum iudicium, at os meum replebo redargutionibus. Sciam verò sanitatem, quæ mihi dicet, sententiã autem quæ mihi renuntiabit. Si in multa fortitudine superueniet mihi, postea in minis me utetur. Veritas enim & redargutio ab eo, educat autem in finem meum iudicium. In prima enim ambulabo, & non amplius sum: <sup>H</sup> quæ autem in nouissimis, quid noui? Sinistra quæ fecit ipsius non restiti, circumiaciet dextera, & non videbo. Nouit enim iam viam meam, probauit autem me sicut aurum. Egrediar in præceptis eius: vias enim eius custodiui. & non declino à præceptis eius, & nõ præteream, in sinu autem meo abscondi verba eius. Si autem & ipse iudicauit sic, quis est resistens ei? Nam ipse voluit & fecit, propter hoc super eum studui. Admonens autem curam habui eius super hoc, à facie eius celer ero, considerabo & perterritus ero ex eo. Dominus emolliuit cor meum, & omnipotens vrsit me. Non enim noueram quod superuenient mihi tenebræ, ante faciem autem meã operuit caligo.

Cap. XXIII.

<sup>C</sup> Vr autem Dominum non latuerunt horæ, impij autem confinia transgressi sunt? Gregem cum pastore diripuerunt: subiunctorium pupilli abduxerunt, bouem viduæ pignerauerunt. Deiecerunt impotentes de via iusta, pariter absconditi sunt mansueti terræ. Euaserunt autem sicut asini in agro, super me egressi suam actionem. Dulcis fuit eorum panis in iuniores. Agrum ante tempus, non suum demessuerunt, infirmi autem in vineis impiorum absque mercede & cibo operati sunt. Detraçtis vestimentis nudos fecerunt dormire multos: plerique quorum animæ operimentum ademerunt, stillicidiis humescebant montium: & quia tegumentum deerat, petra sese operiebant. Rapuerunt pupillum ab vberibus, eum autem qui cecidit humiliauerunt. Nudos sopierunt iniuste, esurientium autem frustum panis abstulerunt. In tenebris iniuste insidiati sunt, viam autem iustã non nouerunt, qui de ciuitate & domibus propriis eiecerunt. Anima puerorum gemit valde, ipse autem cur horum speculatione nõ

fecit? Super terra existentibus illis & non cognouerunt, viam autem iustitiæ non nouerunt, neque femitas eius ambulauerunt. Cum cognouit eorum opera, tradidit eos in tenebras, & nocte erit sicut fur. Et oculus adulteri obseruauit tenebras, dicens: Non considerabit me oculus, & operimentum vultus posuit. Perfodit in tenebris domos, interdiu sigillauerunt se ipsos, non cognouerunt lucem. quoniam simul eis in aurora umbra mortis, quoniam cognosceret tumultus umbræ mortis. Leuis est super faciem aquæ, maledicta sit pars eorum super terram, appareant autem plantæ eorum in terra aridæ. Vñam pupillorum rapuerunt, postea ad memoriam ductum est eorum peccatum. Sicut nebula roris non apparens factus est, reddantur autem ei quæ fecit: conteratur verò omnis iniustus sicut lignum immedicabile. Sterili enim non benefecit, & mulieris non misertus est. Furor subuertit impotentes, cum steterit igitur, non credat in suam vitam. Debilitatus non speret sanum esse, sed cadet morbo. Multis enim nouit sublimitas eius, marcuit autem sicut malua in ardore, aut sicut spica à calamo sponte decidens. Si autem non, quis est qui dicit mēdacia me dicere, & ponet in nihil verba mea?

Cap. XXV.

<sup>R</sup> Espondens autem Baldad Sauchires, ait: Quid enim proœmium aut timor ab eo qui facit vniuersum in altissimo? Non enim aliquis putet quod est dilatio prædonibus: super quos autem non veniet insidiatio ab eo? Quomodo enim erit iustus homo coram Domino? aut quis mundauerit se natus de muliere? Si luna ordinar, & non illucet, stellæ autem non mundæ coram eo. Sine autem, homo putredo, & filius hominis vermis.

Cap. XXVI.

<sup>R</sup> Espondens verò Iob, dicit: Cui appositus es, aut cui auxiliaturus es? numquid non cui multa fortitudo, & cui brachium robustum est? Cui dedisti consilium? nõne cui omnis sapientia? Aut quem insequeris? nõne cui maxima potentia? Cui renuntiasti verba? spiritus autem cuius est egressus ex te? Numquid gigantes nutrietur, sub aqua & vicinis

cinis eius? Nuda inferna in conspectu eius, & <sup>A</sup> runt ei sicut aqua dolores, nocte autē abstulit eum caligo. Tolle eum ventus vrens, & abibit, & ventilabit eum de loco suo. Et iniiciet super eum, & non parceret, de manu eius fuga fugiet. Pulsabit super eum manus suas, & exhibabit eum de loco suo.

Cap. XXVIII.

<sup>E</sup> St enim argento locus vnde fit: locus autē auro vnde conflat. Ferrum quidē enim de terra fit, æs autem sicut lapis inciditur. Ordinem posuit tenebris, & omnē terminū ipse scrutatur, lapis tenebræ, & umbra mortis. Incisio torrentis à calce, at qui obliuiscens vię iustæ, infirmati sunt ex mortalibus. Terra ex ea exhibit panis, subtrus eã versa est sicut ignis. Locus sapphiri lapides eius, & tumulus aureus eius femita. Non nouit eam volatile, & nõ intuitus est eam oculus vulturis. Non calcauerunt eã filij se glorificantium, nec transiit per eam leo. In rupe extendit manum suam, subuertit autē à radicibus mōtes. Ripas fluuioꝝ excidit, omne autem pretiosum vidit meus oculus. Profunda fluuioꝝ reuelauit, ostendit autem suam potentiam in lucē. At sapientia vnde inuenta est? aut quis locus disciplinę? Nescit homo viam eius, neque inuenta est in hominibus. Abyssus dixit, Non est in me: & mare dixit, Non est mecum. Non dabit conclusum aurum pro ea, & non appendetur argentum commutatio eius. Et non comportabitur auro Ophir in onyche pretioso & sapphiro. Non adæquabitur ei aurum & vitru: & commutatio eius supellectilia aurea. Excelsa & sublimia non commemorabuntur: & trabe sapientiam in interiora. Non adæquabitur ei topazium Æthiopiæ, auro puro non comparabitur. At sapientia vnde inuenta est? qualis autem locus est intellectus? Latuit omnē hominem, & à volatilibus celi abscondita est. Interitus & malitia dixerunt: Audiuimus gloriam eius. Deus bene constituit viam eius: ipse enim nouit locum eius. Ipse quæ sub cælum totum intuetur, videns quæ in terra, omnia quæ fecit: ventorum libram, & aquarum mensuram quando fecit. Hic videns numerauit, & viam in concussionem vocis. Tunc vidit illam, & enarrauit eam, cum præparasset inuestigauit. Dixit autem homini: Timere Deum, sapientia est: abstinere à malo, disciplina est.

Cap. XXVII.

<sup>A</sup> Dhuc autē addens Iob dixit proœmio: <sup>C</sup> Viuit Dominus qui sic me iudicauit, & omnipotens qui amaram fecit meam animã. Siquidem adhuc halitu meo existente, spiritus autem diuinus circumexistens mihi in naribus. Non loquentur labia mea iniqua, neque anima mea meditabitur iniusta. Ne mihi sit iustos vos ostendere, donec moriar: non enim amouebo innocentiam meã. Iustitiæ autem attendens nõ tradam: non enim cõscius sum mihi quod illicita fecerim. Verumtamen <sup>D</sup> sint inimici mei sicut subuersio impiorum: & in me insurgentes sicut perditio iniquoꝝ. Et quæ enim est spes impio, quoniam continet? Numquid si confidit in Domino, saluabitur? aut deprecationem eius exaudiet Dominus? Aut cum venerit ei necessitas, num habet aliquam sermonis audaciam coram illo? aut sicut cum inuocauerit, ipse exaudiet eum? Sed iã <sup>E</sup> renuntiabo vobis quid est in manu Domini: quæ sunt apud omnipotentē nõ mentiar. Ecce iã omnes nostis, quod vana vanis iniicitis. Hæc pars hominis impij à Domino: possessio autē potentium superueniet ab omnipotente super eos. Si autem multi fuerint filij eius, in occisionem erunt: si verò viri euaserint, mendicabunt. At superstites eius morte morietur, viduas autem eorū nemo miserabitur. Si cõgregauerit sicut terrã argentū, sicut lutum autē præparauerit aurū. Hæc omnia iusti vendicabunt, at pecunias eius veraces habebunt. Euasit autem domus eius sicut tinea, & sicut tela aranæ. Dormiet diues, & nihil adiciet: aperuit oculos suos, & iam non est. Occurre-

**A**Dhuc autem addēs Iob dixit proœmio: Quis me ponat iuxta mensam antè dierum, quibus me Deus custodiuit; ut quando splendebat lucerna eius super caput meum, quando lumine eius ambulabam in tenebris? Quando fui in diebus iuuentutis meæ, quando Dominus speculationem faciebat domus meæ. Quando fui diues valdè, in circuitu autem mei pueri mei. Quando fluebant meæ viæ butyro, at montes mei fluebant lacte. Quando exhibam diluculo in ciuitatem, in plateis quidem ponebatur mea cathedra. Videntes me iuuenes absconsi sunt, senes autem omnes steterunt. Adulti cessauerunt loquentes, digitum imponentes super os. At qui audierunt, beatum dixerunt me: & lingua eorum gutturi suo adhæsit. Quoniam auris audiuit, & beatum dixit me; oculus autem videns me declinauit. Liberaui enim pauperem de manu potentis: & pupillo, cui non erat adiutor auxiliatus sum. Benedictio pereuntis super me veniat, os autem viduæ mihi benedixit. Iustitiam indutus sum, vestitus sum autem iudicium sicut diploidem. Oculus fui caecorum, pes autem claudorum. Ego fui pater impotentum; causam autem quam non sciebā inuestigavi. Contriui molas iniquorum, de mediis autem dentibus eorum prædam euulsi. Dixi: Ætas mea senescet sicut truncus palmæ, multum tempus viuam. Radix mea aperta est in aqua, & ros morabitur in messione mea. Gloria mea noua mecum, & arcus meus in manu eius ambulabit. Qui me audierunt, attendebant: tacuerunt autem in meo consilio. Super meum verbum non addiderunt, læti autem erant quando illis loquebar. Sicut terra sitiens suscipiens imbrem, sicisti meam sermonem. Si riseram ad eos, non crederant, & lux vultus mei non cadebat. Elegi viam eorum, & sedi imperans, & in tabernaculo eram sicut rex in satellitibus. Quemadmodum passionibus affectos consolabar.

**N**unc verò deriserunt me minimi, nunc hortantur me in parte, quorum contenebam patres eorum, quos nō putavi esse dignos canibus meorum gregum. Et fortitudo

**G**manuum ipsorum ad quid mihi? Super ipsos periit consummatio, in egestate & fame sterilis, fugientes in aquosam heri pressuram & miseriam. Frangentes auronem in sonante, qui auro erant eorum cibaria. In honorati & viles habiti, indigentes omni boni: & qui radices lignorum mandebant præ fame magna insurrexerunt mihi fures. Quorum domus eorum erant foramina petrarum, in medio bene sonantium clamabunt. qui sub sarmenis agrestibus viuebant. Stultorum filij & ignobilium nomen & gloria extincta à terra: nunc autem cithara ego sum eorum, & me proverbium habent. Abominati sunt me recedentes longè, à facie autè mea non abstinerunt spiritum. Cum aperuisset enim pharetram suam, affixit me, & frænū faciei meæ emisit. Ad dextrā germinis insurrexerunt, pedes eius extendit, & viā fecit in me semitas perditionis eorum. Attritæ sunt semitæ meæ, exiit enim meā stolam, sagittis suis iaculatus est me. Vfus est me ut vult, in doloribus compactus sum. Reuertuntur mei dolores, abiit mea spes quasi ventus, & sicut nebula salus mea. Et nunc in me effundetur anima mea, habent autem me dies dolorum. Nocte ossa mea cōbusta sunt; at nerui mei dissoluti sunt. In multa fortitudine apprehendit meum vestimentum, sicut circumorale tunicæ meæ circumdederunt me. Reputasti autem me sicut lutum, in terra & cinere mea pars. Clamaui ad te, & non audis me, steterunt & considerauerunt me. Insultasti mihi crudeliter, manu potenti me verberasti. Ordinasti autem mihi in doloribus, & eiecisti me à salute. Noui enim quod mors me cōteret: domus enim omni mortali terra. Vtinam enim possem me ipsum capere, aut deprecatus saltem alium, & faciet mihi hoc. Ego autem super omni impotente fleui, gemui verò videns hominē in necessitatibus. Ego expectans bona, ecce occurrerunt mihi magis dies malorum. Venter meus efferbuit & non tacebit, præuenerunt me dies paupertatis. Gemens ambulo sine furore, steti autem in congregatione clamans. Frater fui Sirenū, amicus autè struthionū. Cutis mea obtenebrata est valdè, at ossa mea præ ardore. Euasit in luctū mea cithara, at psalmus meus in fletum mihi.

**F**oedus posui oculis meis, & non intelligā super virginem. Et quid diuisit Deus desuper,

**per**, & hereditas sufficienti ex altissimis? Ve perditio iniquo, & abalienatio facientibus iniquitatē! Nōne ipse videbit viam meam, & omnes gressus meos enumerabit? Si autem fui ambulans cum scutris, si & festinauit pes meus in dolum. Appensus sum enim in statera iusta, sciuit autem Dominus iniustitiam meam. Si declinauit pes meus de via, si oculus sequutum est cor meum, si autem & manibus meis tetigi dona. Seram igitur, & alij comedant, eradicatus etiam sum super terram. Si sequutum est cor meum mulierem viri alterius, si & insidiator fui ad ostia eius. Placeat igitur & vxor mea alij, at paruuli mei humilientur. Furor iræ irretentibilis, cōtaminare viri vxorem. Ignis enim est comburens in omnibus membris: cui utique superuenerit à radicibus perdidit. Si autem & vile habui iudicium serui mei aut ancillæ, disceptantibus illis aduersum me. Quid faciam, cum inquisitionem mei faciet Dominus? si autem & speculationē, quod responsum faciam? Numquid non ut & ego factus sum in vtero, & illi facti sunt? Impotentes vsu quem quandoque habuerunt, non frustrati sunt, viduæ autem oculus non tabefeci. Si & buccellam meam comedi solus, & non pupillum participem feci ex ea. Quoniam ab adolescentia mea enutriui ut pater, & de vtero matris deduxi. Si & despexi nudum percuntem, & non vestiui, impotentes autem si non benedixerunt mihi. Ab tonsura agnorum meorum calefacti sunt humeri eorum. Si leuaui pupillo manum, cōfidens quoniam multa mihi auxiliatio adest. Recedat igitur humerus meus à iunctura, at brachium meum à cubito meo confringatur. Timor enim Domini continuit me, & à captione eius non feram. Si ordinaui aurum fortitudinem meam, si autem & in lapide pretioso fiduciam habui. Si & lætatus sum multis diuitiis mihi existentibus, si & in innumerabilibus posui manum meam. Aut non video quidem solem lucentem deficientem, lunam autem deficientem. Non enim in eis est, & si deceptū est latenter cor meum, si autem & manum meam imponens in ore meo osculatus sum. Et hoc mihi igitur iniquitas maxima computetur, quoniam mentitus sum coram Domino altissimo. Si autem & gaudens factus sum ruina inimicorum meo-

**rum**; & dixit cor meum: Euge. Audiat igitur auris mea maledictionem meam: diuulger igitur à populo meo malè affectus. Si autem & sape dixerunt ancillæ meæ: Quis daret nobis de carnibus eius saturari? Valdè me vtili existente, foris autem non morabatur peregrinus, at ostium meum omni venienti patuit. Si autem & cum peccauerim inuitè abscondi peccatum meum, non enim auerti multitudinem turbæ, ut non cloquerer coram eis. Si autem & permisi impotetem exire ostium meum sinu vacuo. Quis det audientem me, manum autè Domini si non timebam? Syngraphum autem quod habui contra quempiam in humeris circumponens coronam legebam: & si non scindens illud reddidi, nihil accipiens à debitore. Si in me aliquando terra genuit, si autem & sulci eius fleuerunt vnā. Si & fortitudinem eius comedi solus sine pretio, si autem & animam Domini terræ apprehendens affixi. Pro tritico igitur egrediatur mihi vrtica, pro hordeo autem spina. Et cessauit Iob à verbis.

**T**acuerunt verò & tres amici eius amplius contradicere Iob: erat enim Iob iustus coram eis. Iratus est autem Eliu filius Barachiel Buzites de cognatione Aram, Ausitidis regionis. Iratus verò est aduersum Iob valdè, eo quod ostendit se iustum coram Domino. Et contra tres amicos iratus est valdè, quoniam non potuerunt respondere contraria Iob, & posuerunt ipsum esse impium. Eliu quidem expectauit dare responsum Iob, quoniam seniores eo sunt diebus. Et vidit Eliu quod non est responsum in ore trium virosum, iratus est furor eius. Respondens igitur Eliu filius Barachiel Buzites, dixit: Iunior quidem sum tempore, vos autem estis seniores. Idcirco tacui, timens vobis renuntiare meam scientiam. Dixi autem, non tempus est loquens, in multis enim annis non nouerunt sapientiam: sed spiritus est in hominibus; inspiratio autem omnipotentis quæ docet. Non longæui sunt sapientes, neque senes norunt iudicium. Ideo dixi: Audite me, & nuntiabo vobis quæ noui. Auribus percipite mea verba, dicam enim vobis audientibus. Vsq; quod scrutemini sermones? Et vsq;



ad vos intelligam, & ecce non fuit ipse Iob redarguens, respondens eius verba ex vobis. Ne dicatis: Inuenimus sapientiam Domino addentes, homini autem commisit loqui talia verba. Timuerunt, non responderunt amplius, antiquos fecerunt ex ipsis sermones. Expectaui, non enim loquuti sunt, quoniam steterunt, non responderunt. Respondens itaque Eliu dicit: Rursus loquar, plenus enim sum verbis, perdit me spiritus veritatis; at venter meus sicut vter musti feruens ligatus, & sicut follis fabri ferrarij ruptus. Loquar, ut requiescam cum aperuerim labia. hominem enim non verebor, quoniam neque mortalem non reuerebor: non enim scio mirari personam. Si autem non, & me tineæ comedant.

Cap. XXXIII.

**V**erumtamen audi Iob verba mea, & sermonem auribus percipe meum. Ecce enim aperui os meum, & loquuta est lingua mea. Mundum meum cor verbis, intellectus autem labiorum meorum munda cogitabit. Spiritus diuinus qui fecit me, spiraculum autem omnipotentis est docens me. Si poteris, da mihi responsum, ad hac expecta, sta ante me, & ego ante te. De luto confectus es tu sicut & ego, de eodem perfecti sumus. Non timor mei te stupefaciet, neque manus mea grauis erit in te, sed dixisti in auribus meis: Vocem verborum tuorum audiui, quoniam dicis: mundus sum cum non peccauerim, immaculatus enim sum, nam iniquitatem non feci, accusationem autem contra me inuenit. Arbitratus est autem me sicut aduersarium: posuit in ligno meum pedem, custodiuit autem vias meas omnes. Quomodo enim dicis: Iustus sum, & non exaudiuit me? æternus enim est superior hominibus. Dicis autem: Cur iustitiæ meæ non exaudiuit omne verbum? Semel loquutus est Dominus, secundò autem in somnium aut in meditatione nocturna, aut sicut cum incidat grauis timor super homines. In dormitionibus in cubili, tunc reuelat mentem hominum, in speciebus timoris talibus illis exterruit. Auertat hominem de iniustitia, at corpus eius à ruina liberauit. Pepercit autem animæ eius à morte, & non cadere ipsum in bello. Rursus autem increpauit illum in molitie in cubili, & multitudinem ossium eius

G debilitauit. Omne autem comestibile frumenti non possit accipere, & anima eius cibum desiderabit: quousque putrescant eius carnes, & ostendat ossa eius vacua. Appropinquauit in mortem eius anima, at vita eius in inferno. Si fuerint mille angeli mortiferi, vnus eorum non vulnerabit eum. Si cogitauerit corde reuerti ad Dominum, renuntiet autem homini suam accusationem; at iniquitatem eius ostendat, resistet ut non cadat ipse in mortem. Reiuuenescere faciet eius corpus sicut vnctionem in pariete, at ossa eius implebit medulla. Mollificabit eius carnes sicut paruuli, restituet autem eum virum factum in hominibus. Deprecatus Dominum, & accepta ei erunt, ingreditur autem vultu puro cum enarratione. Reddet hominibus iustitiam, postea accusabit homo ipse se ipsum, dicens: **Q**ualia conficiebam, & non digna scrutatus est me qui peccaui? Libera animam meam ne pergat in interitum: & vita mea lucem videbit. Ecce hæc omnia operatur fortis vias tres cum viro, sed liberauit animam meam de morte, ut vita mea in luce laudet eum. Auribus percipe Iob, & audi me: obmutescere, & ego sum, loquar. Si est tibi sermo, responde mihi, loquere: volo enim iustum esse te. Si autem non, tu audi me: obmutescere, & docebo te sapientiam.

Cap. XXXIII.

**R**espondens autem Eliu, ait: Audite me sapientes, eruditi auribus percipite bonum. Quoniam auris sermones probat, & guttur gustat escam. Iudicium elegimus ipsis, cognoscamus in medio ipsorum quod bonum. Quoniam dixit Iob, Iustus sum: Dominus amouit meum iudicium. Mentitus est autem iudicio meo, violenta sagitta mea sine iniustitia. Quis vir ut Iob, bibens subsannationem sicut aquam, qui non peccauit, neque impius fuit, neque omnino communicauit cum facientibus iniqua, ut ambularet cum impiis? Non enim dicas: Quoniam non erit speculatio ipsi à Domino. Ideo prudentes corde audite me, ne mihi sit coram domino impium esse, & coram omnipotente turbasse iustitiam. Sed reddat homini secundum quod facit vnusquisque eorum, & in semita viri inueniet eum. Putas autem Dominum absurda facturum? aut omnipotens conturbabit iudicium, qui fecit terram? quis

autem

autem est faciens subcaelestem, & quæ insunt omnia? Si enim voluerit continere, & spiritum apud eum detinere, finietur omnis caro simul. Omnis enim homo in terram redibit, unde & formatus est. Si autem non admonitus es, audi hæc, auribus percipe vocem verborum. Vide tu facientem iniqua, & perdentem malos, existentem æternum iustum, impium facis? dicens regi: Iniquus es, impiissimus principibus. Qui non veritus est personam honorabilis, neque nouit honorem ponere adultis, mirari personas eorum; vana autem ipsis euenient clamasse & orasse virum: vsus est enim iniquè, exclusis impotentibus, ipse enim conspexerit est operum hominum, latuit autem illum nihil eorum quæ faciunt. Neque est locus ut abscondatur facientes iniqua, quoniam non in virum ponet adhuc. Nam Dominus omnes inspicit, qui comprehendit inuestigabilia, gloriosaque & excellentia, quorum non est numerus. Cognoscens eorum opera, & vertet noctem & humiliabuntur. Extinxit impios, conspicui autem coram eo, quod declinauerunt à lege Dei: iustificationes eius non cognouerunt. Ut adducerent ad eum clamorem pauperis, & clamorem egenorum exaudiet. Et ipse silentium præbebit, & quis condénabit? & absconder faciem, & quis videbit eum? Et super gentem & super hominem simul qui regnare facit hominem hypocritam ob difficultatem populi, quoniam ad fortem dicens: Accepi, non alienabo, sine me ipso videbo, tu ostende mihi: si iniustitiam operatus sum, non addam. numquid à te soluet eam, quoniam tu expulisti? quoniam tu eliges, & non ego, & quid nosti, loquere. Ideo prudentes corde dicet hæc, vir autem sapiens audiuit meum verbum. Iob verò non intellectu locutus est, at verba eius non in scientia. Verumtamen disce Iob, ne dederis amplius responsionem, quemadmodum stulti. Ne addamus super peccatis nostris, iniquitas autem in nobis computetur multa loquentibus verba coram Domino.

Cap. XXXV.

**R**espondens autem Eliu, ait: Quid hoc praestitisti in iudicio? Tu quis es, quoniam dixisti: Iustus sum coram Domino? Quoniam dices: Quid faciam cum peccauerim? Ego autem tibi dabo responsum & tribus amicis.

**S**uspice in caelum, & vide, contemplare nebulas, quod altæ à te. Si peccasti, quid facies? si autem & multa deliquisti, quid potes facere? Quoniam igitur iustus es, quid dabis ei, aut quid de manu tua accipiet? viro simili tui impietas tua, & filio hominis iustitia tua. A multitudine calumniati clamabunt, vociferabuntur à brachio multorum. Et non dixit: Vbi est Deus qui fecit me, ordinans custodias nocturnas, diuidens me à quadrupedibus terræ, & à volucris cæli? Illic clamabunt, & non exaudiet, & ab iniuria malorum. Indecentia enim videre non vult Dominus, ipse enim omnipotens conspexerit est perficientium iniqua, & saluabit me. Iudicare autem coram eo, potes laudare eum ut est. Et nunc quoniam non est qui consideret iram eius, & non nouit in delicto valde. Et Iob frustra aperit os suum, in ignorantia verba ponderat.

Cap. XXXVI.

**A**ddens autem Eliu adhuc ait: Expecta me paululum amplius, ut doceam te: adhuc enim in me est sermo: repetens scientiam meam longam, operibus autem meis iusta dicam in veritate, & non iniusta verba iniuste intelligens. Cognosce verò quoniam Dominus non repellat innocentem. Potens fortitudine cor impiorum non viuificabit, & pecunias mendicorum dabit. Non auferet à iusto oculos suos, & cum regibus in folio collocabit eos in victoriam, & exaltabuntur. Et victi in manicis comprehenduntur in fune paupertatis. Et renuntiabit eis opera eorum, & delicta eorum, quoniam fortes erunt. Sed iustum exaudiet, & dixit: Quoniam reuertentur ex iniquitate. Si audierint & seruerint, complebunt dies suos in bonis, & annos suos in gaudiis. Impios non saluat propter non velle ipsos scire Dominum, & quoniam admoniti inaudientes fuerunt. Et hypocritæ corde ordinabunt furorem; non clamabunt, quoniam ligauit eos. Morietur igitur in iuuentute anima eorum, at vita eorum vulnerata ab angelis: eo quod compresserunt debilem & impotentem, iudicium autem mansuetorum exponet. Et præterea quoniam decipit ex ore inimici, immensa confusio sub ea, & descendit mensa tua plena pinguedine. Non deficiet à iustis iudicium, furor autem

in impios erit, propter impietatem donorum quæ susceperunt in iniustitiis. Ne te declinet voluntaria mens, deprecationis in necessitate existentium impotentium, & omnes robustos fortitudine. Ne protrahas noctem, ut ascendant alij pro eis, sed caue ne facias indecentia: ab his enim liberatus es à paupertate. Ecce fortis confirmabit in fortitudine sua, quis enim est secundum eum potens? quis autem est scrutans eius opera? aut quis quod dixisti fecit iniusta? Memento quod magna opera eius sunt, quorum dominati sunt viri. Omnis homo nouit in eo, quicumque vulnerati sunt mortales. Ecce fortis multus, & non cognoscemus, numerus annorum eius & infinitus. Numerabiles autem ei stillæ pluuia, & infundentur pluuia in nubem. Fluunt antiquitates, inumbrauerunt autem nubila in indicibilibus tonitruis. Et si composuerit extensiones nubis, æqualitatem tabernaculi sui. Ecce extendit super illud nubem suam, & fundamenta maris abscondit: in eis enim iudicabit populos. dabit escam forti. In manibus abscondit lumen, & præcepit de ea in occurrēti. Renuntiabit de eo amico eius possessio, & de iniustitia.

Cap. XXXVII.

**E**T propter hanc turbatum est cor meum, & defluxit de loco suo. Audi auditionem in ira furoris Domini, & meditatio de ore eius egredietur. Sub toto celo principatus eius, & lumen illius super alas terræ. Post eum clamabit voce, tonabit in voce iniuriæ suæ, & non commutabit eos, quoniam audiet vocem eius. Tonabit fortis in voce sua mirabili, horam posuit bestiis: norunt autem cubilis ordinem. In his omnibus nõ exurgit tua sententia, neque mutabitur tuum cor à corpore. Fecit enim magna quæ non nouimus, disponens niui. Esto super terram, & tempestas pluuiarum potentia suæ. In manu omnis hominis subsignat, ut sciat omnis homo suam infirmitatem. Ingressæ sunt feræ sub tectum, quieuerunt autem in cubili. De penetralibus veniunt dolores: à promontoriis autem frigus, & à vento forti dabit glaciem. Gubernat aquam sicut voluerit, & electum format nubes. Disperget nubilum lumen eius, & ipse circuitus peruertit in gubernaculis in opera

eorum. Omnia quæcumque utique præceperit eis, hæc coordinata sunt ab eo super terram siue in disciplinam, siue in terram eius, siue in misericordiã inuenit eum. Auribus percipe hæc Iob; sta admonere potentiam Domini. Nouimus quoniam Dominus posuit opera eius, lumen qui fecit è tenebris. Scit discretionem nubilorum, magnæ autem ruinæ malorum. Tua vestis calida, quiescit autem super terram à noto. Firmabit eum in antiquitates, fortes ut inspectiones infusionis. cur doce me, quid dicemus ei? & cessabimus multa dicentes: Numquid liber aut scriba mihi adfuit, ut hominem cum steterim silere faciam? Omnibus autem nõ visibile lumen, lucidum est in antiquitatibus, sicut ab eo in nebulis. Ab aquilone nubes splendentes, in his magna gloria & honor ab omnipotente, & non inuenimus alium similem fortitudini eius. Qui iusta iudicat non putas exaudire eum; ideo timebunt eum homines, timebunt autem eum & sapientes corde.

Cap. XXXVIII.

**P**ostquam autem cessauit Eliu à sermone, dixit Dominus Iob per turbam & nubem: Quis iste abscondens consilium, continens verba in corde, me autem putat abscondere? Cinge sicut vir lumbum tuum, interrogabo autem te, tu verò mihi respōde. Vbi eras, in fundando me terram? Nuntia autem mihi, si scis intellectum? Quis posuit mensuras eius si nosti? aut quis qui induxit funem super eam? super quo anuli eius confixi sunt? Quis est qui misit lapidem angularem in ea, quando facta sunt astra? Laudauerunt me voce magna omnes angeli mei. Conclusi autem mare portis, quādo fluctuabat de ventre matris suæ procedens. Posui ei nebulam vestimentum, caligine autem eam quasi pannis inuolui. Posui ei terminos, circumponens claustra & portas. Dixi autem ei: Usque huc venies, & non transgredieris, sed in te ipso conterentur tibi fluctus. Aut in te ordinari lucem matutinam, lucifer autem sciuit suum ordinem? Apprehendere alas terræ, excutere impios ex ea. Et tu accipiens terræ lutum, formasti animal, & loqui potens ipsum posuisti super terram? Abstulisti ab impiis

impiis lumen, brachium autem superbiorum confregisti? Venisti in terram maris, in vestigiis autem abyssi deambulasti? Aperiantur tibi timore ianuæ mortis; ianitores autem inferni videntes te stupuerunt. Admonitus fuisti latitudinem subcælestis? nuntia ergo mihi quanta est? Quali autem terra habitat lux, tenebrarum quoque qualis locus? Si duxeris me in terminos earum, si autem & scis semitas eorum? Noui igitur quoniam tunc natus es, numerus autem annorum tuorum multus. Venisti in thesauros niuis, thesauros autem grandinis vidisti? Repositum est tibi in horam inimicorum in diem belli & pugnae. Vnde autem egreditur pruina, aut dispergitur auster in subcælestem? Quis præparauit pluuia impetuosa fluxum, viam autem tumultui: ut plueret super terram ubi non vir, desertam ubi nõ est homo in ea. Ut saturaret inuiã & inhabitabilem, & ut produceret exitum herbe virentis. Quis est pluuia pater? Quis autem est qui genuit guttas oris? ex ventre cuius egreditur gelu? Glaciem autem in celo quis peperit? quæ descendit sicut aqua fluens. Vultum abyssi quis tabescit? composuisti autem vinculum Pleiadis, & septem Orionis aperuisti? aut aperies Mazurōh in tempore suo, & Vesperum cum coma sua duces eum? Scis versiones celi, aut quæ sub cælum simul facta? Vocabis nebulam voce, & tremore aquæ impetuosa obediēt tibi. Mittes fulmina, & ibunt, dicent autem tibi: Quid est? Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, aut variegatiuam scientiam? Quis numerat nebulas sapientia, cælum autem in terram declinauit? Fusum est sicut in terra puluis, conglutinaui autem ipsum, sicut lapide cubum? Capiēs leonibus cibum, animas autem draconum implebis? timuerunt enim in cubilibus suis, sedent in siluis insidiantes. Quis autem præparauit coruo escam? pulli enim eorum ad Dominum clamauerunt, vagantes, cibos quærentes.

Cap. XXXIX.

**S**i nosti tempus partus capræ siluestris in Spectra; obseruasti autem dolores partus ceruatum? Numerasti menses earum plenos partus; dolores autem earum soluisti? Enutriuisti earum fetus extra timorem; dolores

autem earum emittes? Abrumpēt filij earum, implebuntur in genimine, egredietur & non reflectent ipsis. Quis est qui dimisit asinum agrestem liberum, vincula autem eius quis soluit? Posui habitaculum eius desertum, & tabernacula eius terram salisam. Deridens tumultum ciuitatis, accusationem autem exactoris non audiens. Considerabit montes pascuum suum, & post omne viride quærat. Volet tibi vnicornius seruire, aut dormire in præsepī tuo? Ligabis in loris iugum eius, aut trahet tuos sulcos in agro? Fiduciam habuisti in illo, quoniam multa fortitudo eius, derelinques autem ei opera tua? Credes quod reddet tibi semen, inducet autem tibi areã? Ala eorum quæ delectantur gloriosa, si comprehenderit ciconia & accipiter? Quoniam relinquet in terram oua sua, & in puluerem calefaciet. Et oblita est quoniam pes sparget, & bestia agri conculcabunt. Indurauit filios suos ut nõ se in vanum laborauit sine timore. Quoniam tacuit ei Deus sapientiam, & non diuisit ei in intellectu. Secundum tempus in altitudine extollet, deridet equum & ascensorem eius. Aut tu circumposuisti equo potentiam, induisti autem collum eius timorem? Circumposuisti ei armaturam, gloria autem pectorum eius audacia? Effodiens in pede superbit, egreditur autem in campum in fortitudine, occurrens iaculo. Deridet, & non auertetur à ferro. In eo autem gloriatur arcus & gladius, & ira desolabit terram, non crediderit quousque signum det tuba. Tuba autem significante dicit, Euge; à longè autem olfacit bellum cum saltu & clamore. Ex tua scientia stetit accipiter, expandens alas immotus, aspiciens quæ ad austrum? In tuo præcepto exaltatur aquila, vultur autem in nidis suis sedens habitat? In eminentia petrae & abscondito, illic existens quærat cibos, de longè oculi eius speculantur. Pulli eius polluantur in sanguine, ubicumque autem fuerint mortui, statim inueniuntur. Et respondit Dominus Iob, & dixit: Numquid iudicium cum idoneo iudicas? arguens Deum respondit ei. Respondens autem Iob, ait Dominus: Quid adhuc ego iudicor admonitus & redarguēs Dominum, audiens hæc nihil existens? Ego verò quam responsionē dederim ad hæc? Manum ponā in ore meo, semel loquutus sum, in secundo autem non addam.

## Cap. XL.

**A**mplius autem respondens Dominus, dixit Iob de nebula: Minimè, sed accinge sicut vir lumbum tuum, interrogabo autem te, tu verò mihi responde. Numquid repelles meum iudicium? putas autem me aliter tibi respondisse: aut ut appareas iustus? Numquid brachium tibi est contra Dominum? aut voce secundum eum tonas? Resume altitudinè & potentiam, gloriam autem & honorem induere. Mitte angelos ira, omnem autem contumeliosum humilia. superbum quidem extingue, putrefac autè impios statim. Absconde in terrà simul extrà, at facies eorum ignominia imple. Et ego confitebor utique, quòd potest dextera tua saluare. Sed enim ecce bestias apud te, fœnum sicut boues comedit. Ecce autem fortitudo eius in lumbo, at potentia eius in umbilico ventris. Exiit caudam ut cupressum, at nerui eius complicati sunt. Latera eius latera ænea, at tergum eius ferrum fusile. Hoc est principium fictionis Domini factum, ut eluderetur ab angelis eius. Accedens autem ad montem præruptū, fecit gaudium quadrupedibus in tartaro. Sub omnigenas arbores dormit, iuxta papyrum & calamum & siluam. Obumbrant autem ei arbores cum ramis, & rami plantæ. Si fuerit inundatio, non senserint: confidit quoniam offendet Iordanis in os eius. In oculo eius accipiet eum, intortus perforabit narem. Duces draconem in hamo; circumpones autem circum nasum eius? aut ligabis anulum in nare; armilla terebrabis labium eius? Loquetur autè tibi deprecationes supplicationis molliter? Ponet tecū pactū; accipies autè eum seruū sempiternū? Illudes in eum sicut auem, aut ligabis eum tamquam passerè puero? Pascuntur autem in eo gentes, diuidunt eum Phœnicum generationes? Omne nauigabile conueniens non ferant; pellem vnam caudæ eius, & in nauigijs piscatorum caput eius? Impones ei manum, memor belli facti in corpore eius, & non vltra fiat, non vidisti eum.

## Cap. XLI.

**N**eque in dictis miratus es? neque timuisti quoniam præparatum est mihi? Quis enim est mihi resistens? aut quis resistet mihi,

**G** & sustinebit? Si omnis subcælestis mea est, non tacebo propter eum, & sermonibus potentia miserabitur æqualem ei. Quis reuelabit faciem indumenti eius? in rugam pectoris eius quis utriusque ingrediatur? Portas vultus eius quis aperiet? in circulo dentium eius timor. Interiora eius scuta ænea, coniunctio quidem eius sicut smirites lapis. Vnus vni agglutinatur, spiritus autem non ingrediatur eum. Sicut vir fratri suo agglutinabuntur: conueniunt, & nō auellentur. In sternutatione eius splendet lumen, at oculi eius species luciferi. De ore eius procedunt lampades accensæ, & iaciūtur craticulæ ignis. De naribus eius procedit fumus camini accensi igne carbonum. Anima eius carbones, flamma autem de ore eius procedit. In collo eius habitat potentia, ante eum currit perditio. Carnes corporis eius coherentes sunt, effundit in eum, non commouebitur. Cor eius induratum est ut lapis, stetit autè sicut incus impulsata. Cum versus fuerit ipse, timor bestiis quadrupedibus in terra saltantibus. Si occurrerint ei lanceæ, non timebunt hastam sublatam & thoracem. Reputauit quidem ferrum paleas, æs autem ut lignum putridum. Reputauit apium quidem fœnum, non vulnerabit eum arcus æneus. Ut calamus reputati sunt mallei, deridet autem concussionem igniferam. Lectus eius obelisci acuti, omne autem aurum maris in illum sicut lutum. Indicibilis feruere facit abyssum tamquam officina ferrarij. Reputauit autem mare tamquam spongiam, at tartarum abyssi sicut captiuū, estimauit abyssum in deambulationem. Nō est quidquam in terra simile illi factū, ut illudatur ab angelis meis. **L** Omne sublime videt, ipse autè rex omnium qui in aquis.

## Cap. XLII.

**R**espondens autem Iob Domino, ait, Non tibi quòd omnia potes, impossibile est autem tibi nihil. Quis enim est qui celat à te cōsiliū? parcens autem verbis, & te putat abscondere. Quis renuntiabit mihi quæ nō noveram, magna & mirabilia quæ non noram? Audi autem me Domine, ut & ego loquar. Interrogabo te, tu autem me doce. Auditionem quidem auris audiui tuæ prius, nunc autem oculus meus vidit te. Idcirco vilipendi

**S**ic me ipsum, & liquefactus sum, reputauit autem me ipsum terram & cinerem. Factum est verò postquam loquutus est Dominus omnia verba hæc Iob, dixit Dominus Eliphaz Themanita: Peccasti tu & duo amici tui, nō enim loquuti estis coram me verum nullum, sicut seruus meus Iob. Nunc autem accipite septem vitulos, & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, & faciet libationem pro vobis. Quoniam si non faciem eius accipiam; nam si non propter eum, perdidissem utique vos. Non enim loquuti estis verum contra seruum meum Iob. Abiit autè Eliphaz Themanites, & Baldad Sauchites, & Sophar Minæus: & fecerunt sicut præcepit eis Dominus, & soluit peccatum eis propter Iob. At Dominus auxit Iob. Cum orasset autem ipse & pro amicis suis, dimisit illis peccatum. Dedit autem Dominus dupla quæcūque erat prius Iob in duplicatione. Audierūt autem omnes fratres eius & sorores eius omnia quæ acciderūt ei, & venerunt ad eū, & omnes quicūque viderant eum à primo. Cum comedissent verò & bibissent apud eum, consolati sunt eum, & mirati sunt in omnibus quæ induxit in eum Dominus. Et dedit ei vnusquisque agnam vnā, & quadradrachmium aureū sine signo. At Dominus benedixit nouissimis Iob magis quàm prioribus. Fuerunt autem pecora eius, oues decem & quattuor mille, camelis sex mille, iuga bouum mille, asinæ fœminæ pascentes mille. Nascuntur quoque ei filij septem & filia tres, & vocauit quidem primam Dien, at secundam Casian, at tertiam Amalthæa cornu: & non inuentæ sunt secundum filias Iob meliores eis in subcælesti: deditque eis pater hæreditatem inter fratres. Vixit autem Iob post plagam annos centum quadraginta. Et vidit Iob filios suos & filios filiorum suorum, quartam generationem. Et mortuus est Iob senior, & plenus dierum.

*Quòd plerique etiam prudentes moueantur cum viderint iniustos affluere rebus secundis, iustos autem frequenter in hoc seculo affligi.*

C.A.P. I.



**S**UPERIOR nobis disputatio fuit de interpellatione sanctorum, quàm fragilis & imbecilla conditio sit humana, quæ nusquam sui habeat firmitatem, nisi in protectione cælesti: ea verò nobis hodie sumenda est, qua vulgus hominum, plerisque.

S. Ambr. tom. 2.

que etiam prudentium, valde mouentur, cum vident iniustos affluere rebus secundis, iustos autem frequenter affligi in hoc seculo. Et verè lubricus hic locus, in quo etiam sancti vix potuerunt veræ opinionis tenere vestigium. Denique turbatus est & ipse David, qui in superioribus dixerat: Occulta sapientia tuæ manifestati mihi. Verumtamen confirmavit se ipse postea, & perfectæ rationis viam inuestigauit. Iob quoque sanctus cum tribus illis veteribus amicis qui ad consolandum venerant, de ea opinione in sermone luctatus est. Vtriusque igitur disputationes in medium proferamus. Digni enim sunt qui nobis magisterium viuendi afferant, quandoquidem in aduersis positi, plus Deo placere meruerunt. Audiamus igitur vtrumque suo ordine. Increpauerant vehementer sanctū Iob, Eliphaz Themanorum rex, & Baldad Sauchæorum tyrannus, & Sophar Minæorum rex, eo quòd propter peccata sua tantum supplicij sustineret. Infirmo etenim ingenio non aduerbebant quòd Dominus eum tantandum dedisset, ut athleta Dei tétationibus eruditus, ad maioris gloria coronam perueniret. Non videntur itaque tantum sapientia sacramentum, angustii cordis timore, ne viderentur iniustitiæ Deum arguere, qui pœnis affici innoxium perpetueretur, in sanctum Iob pœnarum merita retorquebant dicentes, quia omnis vita impij in solitudine, & diuitiæ iniuste congregatæ euomentur: omnia quæ patitur homo graua in terra, propter peccata sua eum perpeti. Qui etiam si in rebus prosperis sit, perpetuari ei secunda non posse, & tãquam somnium citò euanescere, ut non inueniatur locus eius, latitiam autem impiorum esse grauiorem ruinã. Ideoque etiam sanctum Iob à prosperis in aduersa mutatum, & delictorum suorum pretio ex summis in vltima corruisse: labi eum qui se assereret innocentem, cum portio impij huiusmodi sit, ut superueniens in eum à Domino indignatio iungat ei dolores, & interitus domum eius inuoluat.

*Quomodo sanctus Iob in aduersis fortior factus sit: & tacendo irridendoque suos conuictiores redarguerit, ostendens quòd à Domino Deo sua tentatio venerit.*

C.A.P. II.

**A**Vdiebat hæc sanctus Iob, & quasi athleta fortis in stercore sedens, in tantis vibicibus & sacri doloribus vulneris, totum corpus diris perfusus vlceribus, mysteria loquebatur: nec acquirendis propriæ remedijs agritudinis, sed sacris vacabat sermonibus. Fortiores itaque sermones agræ hominis, quàm illorum qui non agrotabant. Illi enim loquebantur iustitias, sed non secundum scientiam: prædicabant diuina iudicia, pœnas reorum præmia sanctorum, sed reū à iusto discernere nesciebant. Quem enim Dominus iustum pronuntiauit, eum cõdemnabant iniustitiæ, arcessiebant iniquitatis. Ignorabant ergo quid vniciq; conueniret. At vir sanctus Iob discernebat spiritu quomodo vniciq; oporteret loqui: fortior sanè quàm ij, qui sani & incolumes videbantur. Et quid dicam fortiorcm inuentum ceteris? Fortior se ipso inuentus est. Fortior æger,

M



quàm cum sanus fuerat, secundum quod scriptum est: Virtus in infirmitate consummatur. Ergo & Iob cum infirmaretur, tunc validior erat. Non enim ægrotabat animo, etsi doleret corpore: quia nō erat in carne eius anima, cuius passionibus non adhærebat: sed in spiritu, cuius virtute se texerat. Ideo ergo non carnis gemitus & corporis infirmitates, sed voces spiritus loquebatur, quibus vrgeret, non quibus cederet. Et primò quidem lenius, vt illis pudorem incuteret, quia vrgebant iustum iniuste, dicentes quòd minora peccatis suis supplicia sustineret: & non erubescerent ipsi peccatores falsis accusare innocentem. Esto, inquit, ego errauerim, & apud me deuius ille inhabitet, qui mètibus hominum offundit errores; & loquar verbum quod non oportet, sicut vos dicitis, & errent verba mea, nec oportune sermo meus promatur: cur vos in me insilitis & cōuiciamini, nō cōsiderantes quia à Domino mihi venit ista tentatio, qui me vallo quodam perturbationum arbitratus est sependum? Exerceor aduersis, circumuallatus vndique laboribus & periculis, & insultatis adhuc volētes opprimere quem deberetis leuare. Ecce rideo in opprobriis, & non loquar nec respondebo conuiciis vestris. Non enim vos estis qui iudicatis, sed qui iudicat me, Dominus est, & ipsius tamen iudicij tempus nondum aduenit. Quid opus clamare ante iudiciū? Bonum est tacere dum expectatur qui iudicat. Bonum est conuicium conuicio non referre, ne & nos inter detrahentes adnumeremur. Imitemur ergo hunc virum, qui silentio suo redarguebat conuiciantes. Ostendebat enim virtutem animi sui, quem contumeliæ non mouerent: & conscientia innocentiam manifestabat, qui obiecta non recognosceret, sed quasi aliena rideret. At verò si nobis aliquid obiciatur: dum nos purgare volumus, acerbamus: dum vlcisci cupimus, confitemur: cum dicat scriptura vt auertas dedecoris sermonem, & auferas vestimentum tuum: Præterit enim iniuriolosus. Tacemus ergo, vt prætereat, ne vestimentum nostrum prouocatus exurat. Scriptum est enim: Noli incendere carbones peccatoris, ne forte exuraris in igne flammæ eius. Propterea ergo sanctus tacet: & si seruus proteruit, & si pauper conuiciatur, tacet iustus: & si peccator opprobria iacit, iustus ridet: & si infirmus maledicit, iustus benedicit. Tacebat dauid cum Semëi filius Gera malediceret, Iob ridebat, Paulus benedicebat, sicut ipse ait: Maledicimus, & benedicimus. Magisterio quippe diuino processus humanæ virtutis excreuit, quia iam venerat qui ex infirmis faceret fortiores, & audierat dicentem: Benedicite maledicentes vobis, & orate pro calumniantibus vos. Quod verbo dixit, exemplo probauit. Denique & in cruce positus de persecutoribus suis conuiciantibus sibi ait: Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciūt: vt oraret pro calumniantibus, quibus poterat ipse dimittere. Iob ergo ridebat, quia nondum venerat Christus, cui soli seruabatur magnarum prerogatiua virtutum, quia ipse est virtutum principium, sicut dixit: Dominus creauit me principium viarum suarum.

Quantum bonum sit taciturnitas, & quòd multi per sermonem decepti sint: quàm pulchrum etiam sit ridere cum nobis

maledicitur, ex eo quòd iniuriarum cumulus bonæ conscientia non præiudicat. C.A.P. III.

ET ridens tacebat. Qua ratione tacendum sit, docet: Clamabo, & nondū iudiciū. Ipse (inquit) Dominus turbauit me: hoc est, ipse Dominus voluit hæc me perpeti. Tamquam muralibus tentationis clausus non possum effugere, donec placeat Deo destruere altitudines tentationum mearū. Nunc enim si clamo, nondum iudicium. Adhuc in agone sum, adhuc luctor, adhuc certamen superest mihi. nondum enim exiuit corona. Nemo autem nisi qui legitime certauerit, coronatur. Debeatur illi certamen tertium, amiserat omnia sua, id est, patrimonium cum filiis. Patiebatur vulnera caro eius, manebat vt tentationes verborum vinceret. Non mediocriter certamen. Sermone deceptus est Adam, verbo victus Samson. Nihil enim sic penetrat animam sicut sermo fucatus: nihil iterum sic mordet, vt durior sermo. Multi cum vicerint adhibita tormenta, sermonum duritiam nō sustinuerunt. Laborat Iob, sed sustinebat, & verborum ictus iuxta vulnerum onera portabat. Vidit cum agonothea suus, de nube & turbine manum laboranti dedit, & obliuiscens graui lapsu cecidisse pronuntiauit, victorem afferuit, coronam detulit. Quid autem pulchrius, quàm ridere cum maledicitur nobis? Gaudere enim debemus si aliena dicantur. Primum quidem, quia volens inimicus aliquid dicere aduerium nos quòd crimen adfingeret, non inuenit quòd verum est, sed falsa pro veris composuit. Deinde, quia dixit ipse Dominus in Euangelio de huiusmodi criminatione quæ innocentibus falso irrogatur propter iustitiam: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in celo. Tacere ergo debet qui recognoscit obiectum, ne vulnus exasperet, & incindat cicatrix: tacere & qui nō recognoscit, audit enim alterius, non suum crimen. Quod si referat, suum facit: si tacet, retorquet, & conuiciantem vulnerat. Tacere debet etiam ille qui de memorata mercede præsumit. Nō enim patitur præiudicium, cui non est iudicium. Et si fuerit præiudicium in sæculo, non erit in iudicio Dei. Deinde vt cognoscas quia nō præiudicat contumelia bonæ conscientia, audi sanctum Iob dicentem, locupletiore vti que testem quàm si imperio orbis Romani potitus esset: Nunc obmutescam & deficiam: si nunc mihi præiudicium est, tunc à facie tua non abscondar. Hæc ergo parcius in exordio respondit, vt admoneret illos iudicij Dei, atque ab insolentia & furore reuocatos quasi bonus medicus faceret restipiscere. Sed posteaquam eos aduertit perseverare in contumeliis, plura & fortiora repetiuit, & tamquam pugno eos validiore percussit, qui verborum suorum saxis lapidabant innocium. Audite (inquit) audite verba mea, vt sit mihi à vobis hæc consolatio: portate me, quia fortiora loquar, grane erit pondus verborum meorum. Dicam & ego secundum opinionem vestram, eo quòd multi abundāt in hoc sæculo rerum secundarum successibus, & alij grauantur ære. In ærumna positi sunt, & videntur secundum hoc sæculum peccatorum merito deserui. Quod & si dicam, nolite redire quasi vobis acqueuero: & si peccator sū, nō sum homini reus, quia sub peccato est & ipse qui iudicat,

iudicat, & sibi in potestatem vēdicat. Aut si iudicor quasi homo, cōmune est istud, increpari nō debeo. Infirmitas conditionis est, non specialis improbitas.

Qua ratione si propter peccata hominibus eueniant mala, impij tanta bonorum copia abundant. C.A.P. IIII.

SED dicite mihi: Si propter peccatum meum hoc spatior, sicut obiicitis, quare impij viuunt? Nec solum viuunt, sed etiam repleti sunt diuitiis, & fructus multiplicant, sed etiam filii potiuntur, abundant domus eorum? Hæc euidenter specie bona, sed altiori mysterio inuenies; quoniam quæ putantur bona, non sunt bona: & quæ putantur mala, non sunt mala, & potiora illis æstimantur. Inuenerunt autem & in diuitiis; πεπραλαγορται dixit, vt non tam diuturna diuitiarum possessio, quàm inueterata copiarum molestia significata videatur, sicut vidit Ecclesiastes, diuitias custodiri in malū possidēti eas, quæ pereūt in sū a districtione ac sollicitudine. Pereunt enim quæ hīc relinquūt, & mortuo prodesse non possunt. Habuit igitur defunctus ex illis sollicitudinem, requiem inuenire nō potuit, qui reliquit quod erubesceret, nec secum abstulit quod teneret: longè dispar ab eo de quo scriptum est: Beatus homo qui repleuit desiderium ex his, non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta. Cui hæreditas Domini est, & merces ex Mariæ virginis fructu: hīc in exitu sapientia laudibus prædicatur, quoniam non habuit quod erubesceret, qui nihil eorum quæ sunt sæculi concupiuit, sed aduersarium depositis veteris hominis exuuiis, telo continentia vulnerauit, vt obstrepere ei in huius vitæ fine non posset vulnere claudus, & virtutum admiratione confusus. Habes ergo non esse laudabilem qui in ueteratus in pecuniæ cupiditatebus sit, non renouatus in perceptione gratia. Videamus aliud. Semen eorum (inquit) secundum animam: id est, non inter iustos habetur. Iusti enim in spiritu seminant, & de spiritu merent vitam æternam. Illi verò qui secundum animam seminant, spiritualia metere non possunt, quia animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim illi est, & non potest scire quæ sunt spiritus: & ideo non repletur spiritualibus, sed iudicatur. Filij eorum in oculis, id est, quæ faciunt, ideo faciunt vt videantur ab hominibus, non quia boni consulant vt hoc eligant quod futuro iudicio comprobetur. Filios ergo scriptura pro operibus frequenter vsurpat, eo quòd locupletior in bonis factis quàm in filiis sit nostra posteritas. Vnde & Ezechias de graui ægritudine liberatus: Ex hodie, inquit, filios faciam qui nuntiabunt iustitiam tuam Domine Deus salutis meæ, & non cessabo te benedicēs cum psalterio omnes dies vitæ meæ. Bona enim posteritas deuotionis & fidei, quæ captiuitati nesciunt succumbere, quam filij Ezechia perterriti. Et addidit, dicens: Non est illis timor, non est in eis flagellum à Domino. Iustus autē dicit: Quoniam flagellatus sum tota die, & optat flagellari, vt recipiatur à Domino: & vult timere Dominum, quia timor Domini initium sapientia est. Nec beatitudinem putat si non abortit bucua sua, sicut putant stulti. Per bouem enim quid significatur, nisi ruralis cultura labor? qui semper redit in orbem, & num-

quam definit: sed cum expleri videtur, reuocatur in exordium. Isti sunt qui colūt Sodomam & Gomorrhā. Ergo qui colunt Ægyptum, glebasque terrarum aratro quodam mentis solidæ inuertunt, laborem sibi pariunt, & dolorem metunt. Ideo bucua eorum non abortit, sed parit, vt augeatur labor eorum, & quæ conceperunt, omnia generant sine timore Dei. Iusti autem longè aliter gloriantur. Non enim in abundantia diuitiarum, nec in partu pecorum, sed in Domino gloriantur, dicentes: De timore tuo in vtero accepimus, & parturimus spiritum salutis. De iustis ergo dicitur, quia spiritum salutis generauerunt, quem acceperunt de timore Dei, non de malitia huius sæculi, de qua legimus: Ecce parturuit iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Melior ergo arborus quàm partus sæcularium. Deniq; de homine qui in hoc sæculo venit, & vanitatem mundi huius & tenebras pertulit longæuitate diuturna, Ecclesiastes pronuntiauit quia melior illo abortiuus. Huic enim requies magis quàm illi, qui non expertus varietatem sæculi, in qua etsi mille annos quis vixerit, quod bonum est videre non potuit. Fugisse ergo hæc magis est gratia, quàm subiisse. Et fortasse moueat illud quod adiunxit: Quia manent sicut oles perpetua, pueri autem eorum ludunt accipientes psalterium & citharam, & delectantur voce psalmi. Consummarunt autem in bonis vitam suam, in requie autem inferni dormierunt. Distingue hæc, & quia spiritalis es, diiudica. Impij autem sicut æterni sunt, non æterni, quia non possunt æternitatem accipere ab eo qui non sit æternus. Non ergo potest dare quod non habet, nec potest illuminare, quia non possidet lucem, sed transfiguratur se in angelum lucis, vt decipiat incredulos. Transfiguratur autem se simulatione falsæ lucis, non splendore perpetuæ claritatis. Vnde & Saluator ait: Videbam satanam sicut fulgur cadentem de celo. Nec fulgur est, sed sicut fulgur. Considera hæreticum aliquem intentum abstinentia corporis, & contemplationi cælestium sacramentorum, sicut æternus putatur, non habet æternæ vitæ stipendium, quia falsam habet imitationem, qui fidei non habet veritatem. Huius paruuli ludunt: sicut illa quæ cum luxuriata fuerit, nubere vult. Luxuriata est in psalterio & cithara, id est, in sono vocis, non in sacramentorum profundo, vt labijs resularet, non in corde conferret.

Quòd orandum potius nobis hīc sit, subire laborem, quàm rerum temporalium abundantia affluere, propter diuersum & contrarium vtriusque finem, eo quòd sic vera sapientia inueniatur. C.A.P. V.

Huiusmodi itaq; in bonis sæculi consummauerunt vitam suam, hanc vtiq; qua vinebāt, non illam cuius mercedē sperabant, & ideo in requie inferni dormierūt, nō in requie cælesti. Nos autē oremus, hīc potius laborem subire, vt in regno calorū consolationem quietis æternæ mereamur adipisci. Magna enim illecebra delinquendi est rerū affluentia sæcularium. In superbiā enim extollit, obliuionem auctoris infundit. Considera illum diuitem in Euangelio super ostrū & purpurā recubentem, cuius de mēsa micæ iustus ille pauper Lazarus colligebat,

Sapient. 2.  
Iob. 21.

Ibid.  
Iob. 14.

Iob. 21.

Matth. 3.

Luc. 22.

Iob. 12.

Micha. 7.

Iob. 21.  
Ibid.

Psal. 1.  
Iob. 21.

Psal. 141.  
Luc. 16.  
Luc. 24.  
Iob. 24.

Nōne tibi videtur diues ille ad Deum dicere: *Discede à me, vias tuas scire nolo?* Et verè scire noluit huiusmodi vias Domini. Si enim voluisset, cognouisset. Sed quia plenæ sunt laboris, fugiuntur & declinantur à perditis. Quasi ebrius itaque non recognoscit salutis auctorem. Denique conuersus ad compotatores suos: Manducemus, inquit, & bibamus; quid enim prodest si seruiamus ei? aut quæ utilitas si obuicimus illi? Hæc itaque dicit sæcularium abundantia rerum temulentia, quia non continuè in sæculo scelerum merita rependuntur. Supinabatur enim, quia in manibus ei ad voluptatem omnia suppetebant, & conscius impietatis suæ, cuius poena sequestrabatur, putabat quòd Deus impiorum scelera non videret. Huius ergo stultitiæ respondet sanctus Iob. Noli esse securus ac dissolutus, æstimans quòd ad te in hoc sæculo Domini flagella non veniant. *Verumtamen & lucerna impiorum extinguetur*: ad tempus lucet, non habet lucem æternam. & ipsis quamuis sæculum faueat ( quia eius qui principatum habet in hoc sæculo, faciunt voluntatem) solet venire rerum subuersio, & dolores ab ira & indignatione cælesti, vt ventilentur sicut palæa à vento. Iniusti sicut palæa ventilantur, iusti sicut triticum. Denique audi dicentem Petro Dominum: Ecce fatanas expetiuit vos vt ventilet sicut triticum, ego autem rogavi pro te vt non deficiat fides tua. Deficiunt illi qui sicut palæa ventilantur, non deficit qui ad similitudinem illius grani est quod cecidit, & resurrexit plurimorum fructuum accessione cumulatum. Ideo dicit Propheta: Heu me, quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe. Stipulæ igitur quæ citò exuritur, impietas comparatur & pulueri. Ideo postquam dixit: *Erunt sicut palæa ante ventum*; subtexit verficulus statim dicens: *Aut sicut puluis quem abstulit turbo*. Denique vt cognoscas quia impius sicut puluis citò fatiscit atque euanescit, habes in primo Psalmo dictum: Non sic impij, non sic, sed tamquam puluis què proicit ventus à facie terræ. Et facit discretiones inter iustum & impium. *Hic* (inquit) *moritur in stultitia suæ potentia, totus in abundantia & gratia: interiora autem eius plena sunt adipe, medulla verò eius super effluit. Ille autem conficit in amaritudine animæ suæ cursum vitæ, nihilque boni epulatus finem accipit.* cui pro meritis suis quid potest dignum representari? In sepulcra inducitur, & in tumulo vigilat suo. Ne hæc quidem poena mediocris, mortis requiem non habere, deferri eum non ad terram viuentium, sed ad tumulos mortuorum. Qui viuunt enim, non inter mortuos quæritur, sed in Abrahamæ sinu vitam carpit æternam. Ideo viri illi duo in veste fulgènti dicebant ad mulieres: *Quid quæritis viuentem cum mortuis?* Non est hic. Deinde enumerat scelera impiorum, quòd Mbitrantur quòd ipsi sua sponte, suo ingenio, profunda eius possint cognoscere. Non in mari eam requirant. Etenim vbi tempestas, vbi procella vèti est, non potest ibi esse sapientia. Sed ibi quærat, vbi est tranquillitas mentis, & pax quæ super omnem intellectum est. Decursa est igitur interpellatio sancti Iob.

dormire. Plerique quorum animæ operimentum ademerint, stillicidiis humescebant montium: & quia tegumentum deerat, petra sese operiebant. Rapiabantur pupilli ab vberibus matrum suarum, lapsi opprimebantur, qui magis erigi debuissent. Esurientes fraudabantur cibo, & anima infantulorum grauius ingemiscebant. Numquid hæc ignorare potuit, quem nihil præterit? *Nuda inferna in conspectu eius, & non est amictus nequissimis*; quia latere non possunt: *Extendit boream in nihilum, suspendit terram super nihilum; alligans aquam in nubibus suis, & non est rupta nubes sub pedibus eius. Columnæ celi dissiluerunt, & timuerunt ab increpatione eius. Virtute compefcuit mare, disciplina autem strauit cetum. Claustra celi formidant eum. præcepto mortificauit draconem præuaricatorem. Virtutem tonitruu eius quis intelligit?* In tantis ergo flagitiis, quæ spes impio est? *Numquid si confidit in Domino, saluabitur?* *Dicam* (inquit) *vobis, quid sit in manu Domini*, & desinite inanibus inania addere. Et describit quàm miserabilis impiorum portio sit. Quòd etsi plures habeant filios, sine posteritate sunt, quibus deest bonorum meritorum successio. Illa enim vera posteritas, quæ non in terris, sed in cælo est. Huiusmodi ergo viris hæreditas inopia est, & mors successio. Cùm diuitias coaceruauerint, mendicabunt: quia cùm superstites fuerint, indigebunt, & morientur qui requiem inuenire non possunt. *Viduas eorum nemo miserabitur*, sed manebunt desertæ, atque omnis copulæ solatio destitutæ. Et si congregetur pecunia sicut terra, atque vt lutum præparatum fuerit aurum, inanis erit sicut aranea substantia eorum, & omne patrimonium eorum tamquam à tineis consummabitur. *Dormiens diues nihil adiciet: aperuit oculos suos, & iam non est.* permanet in doloribus. Nihil enim sunt omnia quæ in hoc mundo sunt. Aurum in metallis, argentum in metallis. De metallo eruitur, & in metallum reuertitur. *Quid enim aliud nisi metallum est mens auari?* quæ tamquam defossum tenet quidquid receperit, & in venis terræ ac latibulis abscondit, eo quòd vti nesciat. Quotidie aurum de metallis promitur, de auaro proferre quis potuit? Cùm igitur nihil proficit: vana fames auri, quia qui congregauerint, labitur. Miserandi profectò qui deseruerunt viam iustam, & obliuiscuntur eam, cui pretiosi lapides haudquaquam sunt comparandi: difficilis inuestigatu, imperuia superbis, interclusa iactantibus, humilioribus plana, aperta sapientibus. Et ideo sapientiam debemus quærere, vt ambulemus in via iusta, per quam aduersarius ille sicut leo rapiens & rugiens, qui percurrit hunc mundum, transire non potuit. Sed qui sapientiam vult inuestigare non in abyfso eam quærat, sicut philosophi, qui arsitantur quòd ipsi sua sponte, suo ingenio, profunda eius possint cognoscere. Non in mari eam requirant. Etenim vbi tempestas, vbi procella vèti est, non potest ibi esse sapientia. Sed ibi quærat, vbi est tranquillitas mentis, & pax quæ super omnem intellectum est. Decursa est igitur interpellatio sancti Iob.

Iob. 26.

Iob. 27.

Ibid.

Iob. 28.

1. Petr. 5.  
Iob. 28.

Philip. 4.

# SANCTI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS SVPER CAP. VII.

IOB SERMO.

*In quo humane vite miserias docet: quòd propter Christi assistentiam hostes humane salutis non sunt timendi: quòd sumpto cibo Deo largitori gratiæ sunt agenda.*



REQVENTER admonui vos fratres, vt A fidentes in Deo, quàm de solo ipso remedium potestum licet, tempus in spatio est, salutem vestra omnibus modis consuleretis, & in hac vita breui, vitâ vobis prouideretis æternam. Sapiens enim quisque intelligit quòd hæc vita homini non ad quietè data sit, sed ad laborem: hoc est, vt hic laboret, & in posterum requiescat. Hic autem requies nulla est. Tantis enim malis hæc vita repleta est, vt comparatione eius mors remedium putetur esse, non poena. Nam ideo breuem illam Deus fecit, vt molestiæ eius quia prosperitate non poterant, temporis exiguitate finirentur. Denique sanctus Iob dicit: Piraterium est vita hominis super terram: hoc est, siue quòd homines in hac vita omnia experiantur mala. Piraterium enim Latine tentamentum dici potest. Seu certè pirateriū, quòd in hac vita circa homines diabolus tamquam pirata defrauiat. Piraterium enim habitaculum piratarum est. Tamdiu ergo in piraterio sumus, quamdiu in hac carne positi prædonum spiritalium tentationibus subiacemus: quamuis in hac ipsa vita etiam carnales nobis piratæ non desunt, minus tamen eos timeo, qui etsi auferunt patrimonia, non possunt auferre iustitiam: si aurum tollunt, Christum tollere certè non possunt: si diripiunt argentum, non possunt diripere saluatorem. Quis igitur non festinet habere sibi Christum, quem non possit ab eo nec prædo diripere, nec hostis auferre, nec captiuitas separare? Qui enim habet Christum, hominem non veretur inimicum. Quid enim facturus sapienti? Pecora eius abducat? hoc etiâ morbi lues facere consuevit. Armenta diripiet? istud damnum abactores tolerando iam didicit. Ipsum fortassis occidet? non illi admouet tædia, sed remouet, hoc enim illi intulit, quod maiore cum molestia febris afferret, præsertim cùm dicat Dominus: Nōlite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Illi igitur spirituales plus metuendi piratæ sunt, qui nō solum corpora hominum, sed & animas spoliare consueuerunt: qui non tam aurum mundi, quàm aurum fidei auferre nituntur: qui nō tam sæculi substantiam quàm Christi sapientiam deprædantur. Nam ipsi spirituales hostes nobis carnales immittunt, vt probeur in tribulatione positi, quàm simus cō-

fidentes in Deo, quàm de solo ipso remedium potestum licet, tempus in spatio est, salutem vestra omnibus modis consuleretis, & in hac vita breui, vitâ vobis prouideretis æternam. Sapiens enim quisque intelligit quòd hæc vita homini non ad quietè data sit, sed ad laborem: hoc est, vt hic laboret, & in posterum requiescat. Hic autem requies nulla est. Tantis enim malis hæc vita repleta est, vt comparatione eius mors remedium putetur esse, non poena. Nam ideo breuem illam Deus fecit, vt molestiæ eius quia prosperitate non poterant, temporis exiguitate finirentur. Denique sanctus Iob dicit: Piraterium est vita hominis super terram: hoc est, siue quòd homines in hac vita omnia experiantur mala. Piraterium enim Latine tentamentum dici potest. Seu certè pirateriū, quòd in hac vita circa homines diabolus tamquam pirata defrauiat. Piraterium enim habitaculum piratarum est. Tamdiu ergo in piraterio sumus, quamdiu in hac carne positi prædonum spiritalium tentationibus subiacemus: quamuis in hac ipsa vita etiam carnales nobis piratæ non desunt, minus tamen eos timeo, qui etsi auferunt patrimonia, non possunt auferre iustitiam: si aurum tollunt, Christum tollere certè non possunt: si diripiunt argentum, non possunt diripere saluatorem. Quis igitur non festinet habere sibi Christum, quem non possit ab eo nec prædo diripere, nec hostis auferre, nec captiuitas separare? Qui enim habet Christum, hominem non veretur inimicum. Quid enim facturus sapienti? Pecora eius abducat? hoc etiâ morbi lues facere consuevit. Armenta diripiet? istud damnum abactores tolerando iam didicit. Ipsum fortassis occidet? non illi admouet tædia, sed remouet, hoc enim illi intulit, quod maiore cum molestia febris afferret, præsertim cùm dicat Dominus: Nōlite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Illi igitur spirituales plus metuendi piratæ sunt, qui nō solum corpora hominum, sed & animas spoliare consueuerunt: qui non tam aurum mundi, quàm aurum fidei auferre nituntur: qui nō tam sæculi substantiam quàm Christi sapientiam deprædantur. Nam ipsi spirituales hostes nobis carnales immittunt, vt probeur in tribulatione positi, quàm simus cō-

Iob. 14.

Iob. 7.

Matth. 10.

Iob. 2.

Iob. 14.

Psal. 21.

SANCTI AMBROSII IN CAP. VII. IOB SERMONIS FINIS.

M iij

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS IN VNVM ET VIGINTI  
PSALMOS DAVID ENARRATIONES.

IN LIBRVM PSALMORVM DAVID  
ARGVMENTVM.



QVONIAM summum virtutis incentiuum proposuit Deus futurae beatitudinis delectationem: idcirco vehemens quoque calcar erroris, delectationem diabolus excogitauit. Vtriusque sententia praestat indicium primus humani generis Adam a Domino Deo in paradiso voluptatis positus, ut aeterna delectatione frueretur, ad virtutem futurae sobolis prouocandam. Neque enim erat incognitum Deo, locum eum errori daturum, & ceteris propositam spem salutis esse debere, qua in praereptam humano sedem generi contenderent reformari. Et idem per speciem serpentis praefigurauit delectationis illecebram, uxoriam persuasionem deceptus. Occasione igitur accepta aduersarius per delectationem mihi operatus est mortem. Itaque quod diuina gratia tributum erat ad vitam, factum est mihi in mortem: eoque faciliorem inimicus assensum hominis habuit ad lapsum, quo speciem pretendit natura. Delectarunt enim opera sua Dominum: delectarunt prima natura exordia. Quae videns Dominus ait: Bona valde. Laudant angeli Dominum, psallunt ei potestates caelorum, & ante ipsum initium mundi Cherubim & Seraphim cum suauitate canora vocis suae dicunt: Sanctus, sanctus, sanctus. Innumera angelorum milia assistunt, seniores & turba magna sicut voces aquarum multarum concinunt: Alleluia. Ipsum axem caeli fert quorundam sermo, quadam perpetui concentus suauitate versari: ut si assuetudo permitteret, sonus eius extremis terrarum partibus audiretur. Nec id ab ipsius naturae usu alienum videtur: quandoquidem vox emissa gratiore plausu in montibus resulet, & suauiore sono ipsi reddant quod acceperint. In scopulis quoque ipsis & lapidibus reperit natura quod delectaret. Aliorum specula, aliorum usus delectat aut gratia. Ferae ipsae atque aues loci amantioris aut modulatiois vocis delectatione mulcentur. Latantibus quoque paruulis aut seueritas terroris est, aut blanditiae voluptati. Naturalis igitur delectatio est. Vnde & Dauid sanctus, qui aduerterat unde homo & qua esset fraude deiectus (nam si tenuisset infusam sibi a Domino aeternae illius caelestisque delectationis gratiam, nec secularibus captus amisset illecebris, numquam tam miserabilis arumnae subiisset iniurias) reparare eam studens ac reformare psallendi munus caelestis nobis instar conuersationis instituit. Etenim licet omnis scriptura diuina Dei gratiam spiret, praecipue tamen dulcis Psalmorum liber: quandoquidem ipse Moyses qui plano gesta maiorum sermone descripsit, ubi tamen per mare Rubrum populum patrum memorabili admiratione transduxit, demersum aspiciens regem Pharaonem cum suis copiis, in maiora ingenium attollens suum, quia maiora viribus suis fuerat affectus, canticum Domino cecinit triumphale. Maria quoque tympanum sumens, ceteras hortabatur, dicens: Cantemus Domino: gloriose enim honorificatus est: equum & ascensorem proiecit in mare. Ipse etiam Moyses cum legem Domini legisset, quod eius memoriam pectoribus affigeret audientium, per canticum locutus est, dicens: Audi caelum, & loquar: Expectetur sicut pluuia eloquium meum: & descendant sicut ros verba mea, sicut imber super gramem, sicut nix super fenum. Delectatur igitur cantico Deus non solum laudari, sed etiam reconciliari. Inde & Moyses tunc maxime cantico usus est, quando caelum testificabatur & terram, ut salutem suam caelestis sono gratiae concinentem audiret mundus audiret, & sacrae suauitate dulcedinis in aeternum legis obseruantiam mentibus inoleret humanis. Denique legis tabulae priusquam cantico firmarentur, per indignationem Moysi fractae & comminutae sunt. Vbi vero tali signaculo consecratae sunt, humana locum ira non habuit, quia sanctificatio eam sacrae suauitatis exclusit. Canticum itaque Domini sicut ros mollior descendit e caelo, & fidem hominum sicut gramen imbre quodam gratiae spiritalis infudit. Duo igitur cantica in libris Moysi, tamquam duo mundi oculi, caelique lumina, totum corpus operis eius illustrant. At vero Dauid principaliter a Domino ad hoc munus electus est: ut quod in aliis rarum praeminere reliquo in opere videtur, in hoc iuge & continuum resulgeret. Vnum canticum legimus in libro Iudicum, reliqua historiae more decursa, quibus expressa sunt

Gen. 2.  
Gen. 3.

Gen. 2.

Gen. 3.  
Rom. 7.

Gen. 1.  
Esa. 6.  
Apoc. 4.  
& 19.

1. Tim. 3.

Exod. 14.

Exod. 15.

Deut. 32.

Deut. 31.

Exod. 32.

Deut. 32.

Iudic. 5.

sunt gesta maiorum. Vnum Esaias canticum scripsit, quod legentium corda mulceret: in reliquis terribili turba correctionis infremuit. Canticum ei ne ipsi quidem inimici obiicere potuerunt, qui eum propter alia dicta usque ad necem sunt persecuti. Vnum Daniel, unum Habacuc. Salomon ipse Dauid filius licet innumera cantica cecinisse dicatur, unum tamen quod Ecclesia receperit, Canticorum canticum dereliquit. In aliis igitur singula aduertere licet. Historia instruit, lex docet, prophetia annuntiat, correctio castigat, moralitas suadet.

In libro Psalmorum profectus est omnium, & medicina quaedam salutis humanae. Quicumque legerit, habet quo propriae vulnera passionis speciali possit curare remedio. Quicumque certare voluerit, tamquam in communi animorum & gymnasio, & quodam stadio virtutum diuersa genera certaminum reperiens preparata, id sibi eligat, cui se intelligit aptiorem, quod facilius perueniat ad coronam. Si quis gesta recensere maiorum studeat, atque imitari velit, intra unum Psalmum totam paterna historiae seriem accipit comprehensam, ut thesaurum memoriae compendio lectionis acquirat. Faciliora quoque videntur quae breuius explicantur. Illud etiam quantae altitudinis, quod breui intervallo offensionum aduersa distinxit, & reconciliationis secunda subtexuit: ut simul cognosceres, quid incredulitatis obesset offensa, quid fides prompta conferret. Si quis vim legis explorat, quae tota in vinculo charitatis est (qui enim diligit proximum, legem impleuit) in Psalmis legat quanto dilectionis affectu pro totius plebis opprobrio repellendo periculis se grauibis solus obiecerit: in quo non imparem charitatis gloriam triumpho virtutis agnoscat. Si quis correptionum seua formidat, audiat dicentem: Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripas me. & discat quemadmodum debeat irati iudicis temperare censuram. Si quis patientiae cognoscere gestit exemplum, legat in Psalmis: Si reddidi retribuendis mihi mala, & aduertat quia praecipuum euangelicum spiritu praedit, virtute praenit. Habes itaque illud prouerbiale: Quia mansuetus homo, cordis est medicus. Si quis praeterea aduersus nequitiae spiritalis incursum vult esse munitus, quid magis quam psallendum sibi esse nouerit? Psallebat Dauid adolescentior, & Saulis nequam spiritus fugabatur, qui eum ante adstringebat. De virtute autem prophetiae quid loquar? Quod alij annuntiauerunt per anigmata, huic soli palam atque aperte videtur esse promissum, ut Dominus Iesus ex eius semine nasceretur, sicut dixit ad eum Dominus: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. In Psalmis itaque nobis non solum nascitur Iesus, sed etiam salutaris illa suscipit passionem, quiescit, resurgit, ascendit ad caelum, sedet ad dexteram patris. Id quod nemo praesumpsit rat hominum dicere, hoc solus hic Propheta annuntiauit: postea ipse Dominus in Evangelio praedicauit. Omnes praeterea scriptores in suis scriptis exempla posuerunt aut aliqua dicta superiorum: Psalmi nihil praeter quod suum est habent. Quid igitur Psalmo gratius? Vnde pulchre ipse Dauid: Laudate, inquit, quonia bonus est Psalmus: Deo nostro sit iucunda decoraque laudatio. Et vere. Psalmus enim benedictio populi est, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo vniuersorum, vox Ecclesiae, fidei canora confessio, auctoritatis plena deuotio, libertatis letitia, clamor incunditatis, letitiae resultatio. Iracundiam mitigat, sollicitudinem abdicat, maerorem alleuat. Nocturna arma, diurna magisteria. Scutum in timore festum in sanctitate, Imago tranquillitatis, pignus pacis atque concordiae, citharae modo ex diuersis & disparibus vocibus vna exprimens cantilenam. Dici ortus Psalmum resultat, Psalmum resonat occasus. Mulieres Apostolus in ecclesia tacere iubet: Psalmum etiam bene clamant. Hic omni dulcis aetati, hic utrique aptus est sexui. Hunc senes rigore senectutis deposito canunt, hunc veterani tristes in cordis sui incunditate respondent. Huc iuuenes sine inuidia cantant lasciuiae, hunc adolescentes sine lubricae aetatis periculo & tentamento concinunt voluptatis, iuuenulae ipsae sine dispendio matronalis psallunt pudoris, puellulae sine prolapsione verecundiae, cum sobrietate grauitatis hymnum Deo inflexae vocis suauitate modulantur. Hunc tenera gestit pueritia, huc meditari gaudet infantia, quae alia declinat ediscere. Ludus quidam est iste doctrinae, maioris profectus, quam cum seria traditur disciplina. Quantu laboratur in ecclesia ut fiat silentium cum lectiones leguntur? Si vnus loquatur, obstrepunt vniuersi. Cum Psalmus legitur, ipse sibi est effectus silentij. Omnes loquuntur, & nullus obstrepit. Psalmu reges sine potestatis supercilio resultant. In hoc se ministerio Dauid gaudebat videri. Psalmus cantatur ab Imperatoribus, iubilat a populis. Certant clamare singuli, quod omnibus proficit. Domini Psalmus canitur, foris recensetur. Sine labore percipitur, cum voluptate seruatur. Psalmus dissidentes copulat, discordes sociat, offensos reconciliat. Quis enim non remittat ei, cum quo vnam ad Deum vocem emisit? Magnum plane unitatis vinculum, in unum chorum totius numerum plebis coire. Disparae citharae nervi sunt, sed vna symphonia. In paucissimis chordis saepe errant digiti artificis, sed in populo spiritus artifex nescit errare. Psalmus nocturni pauoris solatium, diurni laboris requies. Institutio incipientium, perfectorum confirmatio. Angelorum ministeriu, militia caelestis, hostia spiritalis. Psalmu & saxa respondet. Psalmus

Esa. 11.  
Dan. 3.  
Habac. 3.

Psalm. 77.

Rem. 13.

Psalm. 6.

Psalm. 7.

Prover. 14.

Ephes. 6.

1. Reg. 16.

Psalm. 131.

Luc. 24.

Psalm. 146.

1. Cor. 14.

2. Reg. 6.



mus canitur, & ipsa etiā saxosa pectora molliūtur. Videmus flere præduros, flecti immisericordes. Certat in Psalmo doctrina cū gratia simul. Cātatur ad delectationē, discitur ad eruditionē. Nā violētiora præcepta non permanent: quod autem cum suauitate perceperis, id infusum semel præcordis non consuevit elabi.

Quid est quod non tibi occurrat Psalmos legenti? In his lego canticum pro dilecto, & sacra desiderio charitatis inflammor: in his torcularia diuini mysterij recognosco: in his reuelationum gratiam resurrectionis recensco testimonia, repromissionis munera: in his disco vitare peccatum, dedisco erubescere penitentiam delictorum. Tantus rex, tantus propheta suo me prouocauit exemplo, vt aut commissum studeam extenuare peccatum, aut non commissum cauere. Quid igitur Psalmus, nisi virtutum est organum? Quod sancti Spiritus plectro pangens Propheta venerabilis, celestis sonitus fecit in terris dulcedinem resultare. Simul cum ille in fidibus & chordis, hoc est, in reliquiis mortuis diuersarum vocum modulatus discrimina, diuinæ laudationis ad celestia dirigeret cantilenam, docuit vtiq; prius nobis peccato esse moriendum, & tunc demum in hoc corpore diuersa opera discriminanda virtutum, quibus ad Dominum deuotionis nostræ gratia perueniret, vt occupatis intentione celestium nulla irreperet terrenorum libido vitiorum, simul animus celestis gratiæ suauitate nitesceret. Merito igitur tāti ministrum muneris Dominus laudans ait: Inueni David secundum cor meum. Aiunt etiam, eorum qui cithara canunt peritiores intus canere, vt ferunt fabulæ de Aspendio citharista: causas quoque modulaminum, & quædam claustra rhytmorum in superiore parte esse psalterij. Docuit ergo David intus nos canere oportere, intus psallere: quem admodum canebat & Paulus, dicens: Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mēte. & ad superiorem intuitum vitam nostrā actūsque formare, ne delectatio dulcedinis excitet corporis passiones, quibus non redimitur nostra anima, sed grauatur: cum ad redemptionem animæ suæ psallere se sanctus Propheta memorauerit, dicens: Psallam tibi in cithara sanctus Israel: gaudebunt labia mea cum cantauero tibi; & anima mea, quam redemisti. Sed iam Psalmi istius qui propositus est nobis, ingrediamur exordia.

Psal. 44. Psal. 8. 80. & 83. Psal. 50.

Ast. 13. M. T. Cicero act. 1. in Verrem.

1. Cor. 14.

Psal. 70.

### SANCTI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, IN PSALMVM PRIMVM DAVID PRÆFATIO.

**B**EATVS vir qui non abiit in consilio impiorum. Quam aptum, quam oportunum principium! Namque vt ij qui agonis aliquam solemnitatem receperint exhibēdam, proponere præmium solēt, iactare coronæ nobilitatem, quod certaturi studio maiore conueniant, nisi que propensiore decertēt: ita Dominus nos ter letus regni celestis gloriā, perpetuæ quietis gratiam, vitæ æternæ beatitudinē, ad virtutis humanæ incentiua proposuit. Imperator quoque cum progreditur ad bellum, donatiuū militi, & promotiones dignitatum numeris militibus pollicetur, vt spes commodi furetur laborem, & metum abscondat periculi. Velut præco igitur magni Imperatoris sanctus David hortatur milites, athletas vocat, præmium exprimit, dicens: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.* A præmio cœpit, vt pondus futuri certaminis eleuaret: mercedem præmisit, vt vnusquisque presentium rerum sollicitudines ac labores corde transfiliens, ad emerendam beatitudinem futurorum auida festinatione contenderet. *Beatus* (inquit) *vir.* Quid plus potuit homini donari, quam quo nihil amplius potuit Deo apostolica auctoritate deferri? *Beatus* enim, & solus potens, & rex regum, & Dominus dominantium Deus dictus est. Ille solus potens, ille rex regum, ille Dominus dominantium, beatitudinis tamen nō supergreditur potestatem. Donauit nobis appella-

1. Tim. 6.

tionis eius commune consortium, quæ digna æstimatione est honore diuino. Consideremus nunc quæ ratione, *beatus vir*, dixerit: & non magis, beati homines: cum vterque sexus vocetur ad gratiam. Nūquid à consortio beatitudinis exclusit mulieres, quia virum solum beatum nuncupauit? Absit. Quia nec à consortio creaturæ exclusit Deus foeminas, quia prius virum condidit: Dixit enim Deus: *Faciamus hominem secundum imaginem nostram, & secundum similitudinem nostrā.* Et fecit, inquit, Deus hominem: ad imaginem Dei fecit illum: masculum & foeminam fecit eos. In homine vterq; signatur, in viro sexus exprimitur. Sed quemadmodum cum homo dicitur, vterque comprehenditur: ita cum vir nominatur, & mulier cuius vir ille sit intelligitur. Denique hæc vocabitur, inquit, mulier, quoniam de viro suo sumpta est. Accedit illud, quoniā quorū natura eadem, eorum operationes vtiq; non possunt esse discretæ: & quorum opus æquale, eorum vtiq; equalis & merces. Virum igitur scriptura dicendo, consortem copulæ non prætermisit: quia & hominem dicendo, consortem non tacuit naturæ. Itaque quemadmodum illic hominem factum legimus, & cum sit vna natura, tamen principalem sexū prius creatum negare non possumus: ita & hic cum legimus virum, de principali portione sexum quoque supparem recognoscimus. Paria igitur studia virtutis, quia par prærogatiua est creaturæ. Quid autem

Gen. 1.

Genes. 2.

Ibid.

autem sexum discutias, vbi non corporis à te, sed animæ certamina postulantur, quæ sexum nō habet? Non ergo illic discernas honorem, mercedem diuidas, vbi nō discernitur sexus. Non incautè tamen, si prior vocetur ad exercitium, qui fuit posterior ad lapsum. Quæ malè cœpit, sequi debet, non præcedere: vt vel post experimentum sit verecundior. Malè Eua naturæ ordinem prætermisit: expectare debuit præcedentem. Astutè seipens à posteriore cœpit, ideo Propheta ad superiorem reuertitur: eum vtiq; qui lapsus non esset, nisi esset posteriorem secutus. Denique prius nos reuocauit à lapsu, quam ad palmam victoriæ prouocauit. *Beatus* (inquit) *vir qui non abiit in consilio impiorum.* Vide vbi beatus appelleris, o homo. Non in diuitiis, non in potestatibus & honoribus, non in nobilitate generis, aut decore & pulchritudine, non in corporis salubritate: in quibus nihil naturæ est bonum. Denique non solum facilem commutationē habent in contraria, verum etiam ministerium ad culpam exhibēt ei qui vti his nesciat. Quis enim iustus propter pecuniam? Quis humilis in potestatibus? Quis misericos propter nobilitatem? Quis castus propter decorem? Illecebrosa hæc magis sunt ad peccatum, quam fructuosa ad virtutis profectum. Quid sibi deinde vult quod maluit dicere: *Non abiit, & non stetit.* quasi de præterito, cum potuerit dicere: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum,* & in via peccatorum non stat, & in cathedra pestilentiæ non sedet: Vide dogma. Non enim statim beatus, qui non est impius aut peccator, propter incerta exitus. Non enim otiosè scriptum est: Ante mortem ne laudaueris aliquem. Ergo dum in hac vita quisquam est, nō potest definita prædicatione laudari, qui patere adhuc possit errori. Ille autem qui vitam sine offensione conclusit, iure beati appellatione cœsetur, quia vitur consortio beatorum. Sed fortè dicas: Quæ ratione ergo alibi dixit: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem?* Non enim dixit beatum qui intellexerit, sed eum qui intelligit: quoniam qui bonum operatur, in ipso opere & quo probentur inueniunt, remunerationem sui in ipso opere consequentes. Siquidem beatæ fructus est conscientiæ, bonū factum. Qui autem à malo temperant, non si semel aut bis declinauerint culpam, statim beati: sed si potuerint culpæ contagium per omne vitæ suæ tempus euadere. Nūc illud occurrit, cur beatum dicere maluerit, nō eum qui pietatis aliquo sit functus officio, sed eum qui ab impiorum consilio temperauerit. Videtur enim magis laudandus qui virtutis munus impleuerit, quam qui peccatum euaserit. Siquidem nec bos, nec equus, nec lapis in peccato esse consuevit, aut sedere in cathedra pestilentiæ. Sed illa beatitudinis non habent fructum, quæ virtutis nō habent sensum. Nam quomodo perueniunt ad legis præmium, quæ non habent sequendæ legis affectum? De rationabilibus ergo propositum est, hoc est de nobis. Nobis autem initium bonorum, abstinentia peccatorum est: quoniam legimus: Declina à malo, & fac bonum. Hic enim ordo est disciplinæ, vt ab inferioribus ad perfectiora contendas, ne terrearis mole maiorum, qui leuiorem exordio debeas prouocari. Salarum enim similem esse scriptura

Ibid.

Psal. 40.

Encl. 31.

Psal. 36.

nos docet pietatis ascensum, per quas vidit angelos Domini ascendentes & descendentes sanctus Iacob, vir exercitationis, qui nobis propositus est, vt per illū cognosceremus gradū virtutis paulatim nos proferre debere, & ita posse ab imis ad summa contendere, si per processum gradiamur exiguos ad ea quæ videntur humanæ altiora naturæ. Has tibi scilicet semper habeto propositas. Ne timeas o homo gradus hos ascendere disciplinæ. Primus gradus vicinus est tertæ, sequens similis est priorī. Sic per æquales gradus ad summa conscenditur. Ne fastidias o homo primum illum velut vilissimum gradum. Ille primus ascēsus te à terris separat. Aerem calcas, vbi ab humo eleuaueris vestigium, in virtute positus surgendo liquisti terram, Terram relinquis, si culpam declinas, Exordiū ergo profectionis ad virtutem, est abstinere à peccato. Vt sciamus autē hanc disciplinam esse doctrinæ, audi legem dicentem: Non adulterabis, non homicidium facies. Imperfectis enim ista præcepta conueniētia videbātur. Denique ipse Dominus Iesus sciens imperfectū à quo interrogabatur quibus ad vitam æternam operibus perueniret, respondit ei: Non adulterabis, nō homicidium facies, non furtum facies, &c. Deinde dicit quod fecisset illa omnia, adiecit perfectiora, dicens: Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in celo. Tantūque abesse docuit inter malorum declinationē, & imitationē bonorū, vt hæc abnueret, qui illa sibi facilia iudicabat. Sed quia nec illa ascenderat, ideo ad hæc se aptare non potuit. Nam si dilexisset proximum, potuisset pauperibus subsidia sui patrimonij non negare. Ideoque gradū primū legis ascende, vt possis ad Euangelij cælestis fastigium peruenire. Vnde arbitror quod quasi sub lege positus, morem legis in primo Psalmo secutus, ex sua persona sanctus Propheta magis cauenda denūtiat, quam sequenda proponat: In quadragesimo autem Psalmo, qui ex persona dicitur Saluatoris, adhortatio magis virtutis fiat, quam erroris depressio. De passione enim Saluatoris loquitur, & ideo Euangelij dispensator etiam, sicut possumus æstimare, cum audiamus dicentem: *Beati misericordes.* Et in Psalmo itaque propriæ passionis & in Euangelio misericordiam coronauit. Sed adoriamur iam Psalmi explanationem, & virtutem inspicimus prophetiam,

Gen. 28.

Exod. 20.

Math. 19. Ibid.

Psal. 40.

Math. 5.

*Psalmus primus David,*

**B**Eatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.

**B**Eatus vir qui non abiit in consilio impiorum. Possumus dicere tres esse species peccatorū, quas hic putamus expressas: cogitationis, operationis, permātionis: beatūq; eum significari, qui & non cogitauerit quod malū est. Nā quomodo potest beatus esse, qui suis cogitationibus accusatibus in die iudicij reuincendus est? Etiā si hominem fefellit, testem refugit, accusatorem euasit: se tamē sui accusatorem vitare non poterit, quem maximè debet timere, quia & ac-

Rom. 2.

Prover. 10.

Prover. 20.

Psalm. 25.

I. Ioan. 7. Job. 14.

Esai. 48.

Rom. 7.

cusatorem habebit, & confitemur reū. Beatus ergo est qui & nō cogitauerit quod malū est, & nō operatus fuerit peccatū (quia interdū & sine cogitatione delinquimus: Ex multiloquio enim non effugimus peccatū) & non perseverauerit in peccato. Vel sic: Qui & nō cogitauerit quod fuit erroris, vel in ea cogitatione non steterit: vel certē non perseverauerit in iis cogitationibus quas plenas erroris aduerterit. Sed hæc utrum rectē conueniāt, qui legerit, aestimabit. Nā qui semel malē cogitauit: nec stare in eo debuit, nec perseverare. Sed etsi non perseverauerit, beatus esse non potuit: quia stetit in eo quod improbē cogitauit. Et si non stetit, tamen eo ipso quod cogitauit malē, utrum habeat beatitudinis fructum, clementem aliquem querere debet interpretē. Postremō quia nemo potest dicere mundum se habere cor: esto ut veniabilis cogitatio sit, numquid veniabilis operatio peccatorum? Postremō si veniabilis statio, numquid etiā plena beatitudinis, eo quod non perseverat in crimine? Deinde qui non cogitauit quæ improba sunt, quomodo in peccato stare potuit, aut perseverare? ut beatus sit, qui tria hæc iure seruauerit. Certē ordo diuersus est. Primum est enim, ut nō perseverauerit in peccato: secundum, ut non steterit in eo: tertium, ut non cogitauerit quod esset erroris. Qui enim non perseverauerit, potuit tamen stare: qui nō stetit, potuit cogitare: qui autem nec cogitauit, verē beatus est. Vnde alteram quoque traditionem non prætermittendam putauit, quod tres gradus recto ordine factos asseramus: ut qui beatus vult esse, non abeat in consilio impiorum; hoc est, in eorū cogitationibus non ambulet: deinde non stet in via peccatorum: tertio, non sedeat in cathedra pestilentiae. Factus ergo Christianus, vel ad gratiam tendis, abstine ab impiorum consiliis, ut possis dicere: Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam. Nec cogites quæ sunt impia. Quæ sunt illa, nisi quæ in Dei excogitantur iniuriam? Pietas enim prima in Deum, secunda in parentes. Et quidem inimicus inferit frequenter diuersa mentibus nostris: & ideo cautē propheta cogitationes magis quam infusiones improuisas putauit ad crimen tenendas. Abstiniuisti ergo ab impiorum consiliis: Rectē: nō tamē statim beatus. Caue etiam ne in via peccatorum steteris. Quanto examine scripturæ diuinæ verba ponuntur? tenim quia omnes sub peccato sumus, non à te exigit quod ultra naturam est, ut peccatum non facias: quia nec vnus dici infans sine peccato: sed ut non maneat in peccato quadam statione diuturna. Nō omnes impij: ideo reuocaris ab omnibus cogitationibus, & coniurationibus impiorum: sed omnes peccatores: ideo admoneris ut desinas peccare. Fuerit adolescentioris lapsus ætatis, debet cum maturitate emendare processus. Ergo in grauiora non abeas, in leuioribus non stes. Habes hoc & in Esaiā dictum à Domino: Exi à Babylone, fugiens à Chaldaeis. Hoc est: Etsi intraisti in confusione vitiorū, exi. Nō oportuit intrare. Sed ingressus es, carnis lege cogente, & captiuante te in lege peccati. Exi, egredere vel seruus, exue te seruitio graui. Non potuisti non introire in peccatum per fragilitatem: datur tibi exire peccato per sobrietatem, Exi

ergo de Babylone, fugiens à Chaldaeis. Babylon confusio est, quæ virtutum ordinem non tenet. Confusa enim illecebris mente delinquimus. Chaldaei sunt qui siderum cursus vanæ studio superstitionis explorant, & impiæ serunt gentilitatis errores. Ab his fuge, ne te capiāt, ne te graui laqueo captiuitatis innectant. Abrahā Chaldaus fuit, sed fugit à Chaldaeis, & ante legē: tu sub lege natus es, fuge ab impiis. Ille hereditatem patrum respuit, ut fidei possideret: tu successione corporis derelinque, hereditatem deuotionis acquirere. Si autem in peccato non steteris, nec sic beatus: adhuc habes quo carere debeas. Multæ sunt illecebræ, multi à virtute deflexus. Graui irritamenta sunt voluptatum, grauis fomes auaritiæ, cupiditas potestatum, honoris ambitio: quæ velut veneno quodam mentes hominum, & quadam animas pestilenti vitiorum tabe contaminant. Hæc est cathedra pestilentiae, super quam sederunt Scribæ & Pharisei, qui imponunt hominibus onera grauiora, ipsi autem digito nolunt ea mouere. Has cathedras de templo Saluator eiecit eorū qui se de honore iactarent, primatus quererent dignitatum: eorū qui sacerdotio vel primatu honoris vterentur ad quæstum: eorū qui indulgentes gulæ nequaquam debitam continentiae præstarent custodiam. Hæc vera est pestilentia. Denique Heli filij erant filij pestilentiae. In hac quadam sede vitiorum prohibet nos scriptura ceruicem insectare, virisque totius corporis reclinare. Aduerte igitur proprietates.

*Et in via peccatorum non stetit.* Viam dicit vitæ huius cursum, in dubium non venit; cum ipsa scriptura dicat: In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi. & Est consentiens aduersario tuo citō, dum es cum illo in via. Etenim quoniā cursum vitæ huius currimus, habemus semitam per quam ambulemus quotidie, donec perueniamus ad finem. Etsi non videmur corporaliter ire, progredimur. Nam sicut in nauibus dormientes ventis aguntur in portus, etsi nullus quiescentibus sensus est nauigandi, tamen cursus eos vrget ad finem, & impellit ignaros: sic vitæ nostræ spatio defluente, ad proprium vnusquisque finem cursu latente deducitur. Vnde dicitur: Surgē qui dormis. Tu enim dormis, & tempus tuum ambulat. Et vide ne dum diu dormis, prætereat tempus. Ideo etsi dormis, cor tuum vigilet, cor tuum non ferietur. Si cor otiosum non sit, non sunt otiosa tempora tua. In via es o homo, ambula ut peruenias, ne te nox in via occupet, ne consumatur dies vitæ antequam progressum virtutis acceleres. Viator es vitæ huius: omnia transeunt, omnia post te sunt. Omnia in hac via cernis, & transis. Vidisti amenitatem arborum, herbarum viriditatem, puritatem fontium, & quodcumque huiusmodi quod delectantur oculi. Iuuat spectare, delectauit parumper attendere. Dum attendis, pertransisti. Iterum dum ambulas, incidisti scopulosum & confragosum iter, concaua rupium, prærupta montium, densa siluarum. Tædiasti parum, iterum transisti. Talis hæc vita est, cuius nec prospera permanent, nec aduersa diuturna sunt. Ergo quasi in via locatum neque secunda extollant, neque aduersa te frangant: nec plausibilia remorentur, nec auersa de-

Gen. 11.

Gen. 12.

Matth. 23. Marc. 11.

1. Reg. 2.

Psalm. 141. Matth. 5.

Ephes. 5.

Cantic. 5.

Psalm. 138.

Matth. 7.

1. Cor. 2.

Eccl. 7. ibid.

Prover. 22.

Eccl. 8.

Psalm. 121.

Deut. 5. Matth. 20.

Matth. 25.

Rom. 11.

tineant. Festina semper ad finem, festina ut peruenias. Elige tamen viam antequam curras. Quæ viæ sunt: vna iustorum, altera peccatorum. Vna acquiritatis, altera iniquitatis, de qua dixit Propheta: Et vide si via iniquitatis in me est. Non solum ergo vitæ nostræ via est, sed etiā in ipsa vita nostra aut virtutis via est, aut iniquitatis. Caue igitur ne in te gressus suos collocet auaritia, & sis via criminis: ne improbitas, ne libido, & sis via iniquitatis iteratibus dericta flagitiis. Licet tibi eligere quos sequaris: aut iustos, aut iniustos. Iustorū via angustior est, iniustorū latior. Illa sobrietatis angustior, hæc ebrietatis latior, ut possit capere fluctuantes. Hæc habet sæculi huius illecebras, illa habet futurorū præmia. In istis fructus præsentior, in illis spes tardior. Quæ enim suaui sunt, non differunt diuturna expectatione perfuentionem, sed habent præsentem. Quod autem seruum est, labore quaritur, quod beata cogitatione vix capitur, quia oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Difficile solemus credere quæ non videmus: & ideo anima æstuat, & huc atque illuc velut oculos quosdā circumfert cogitationes suas. Tunc illi occurrunt diuersæ rerum species, seque offundunt. Si ad sempiterna intendat, virtutem eligit: si ad præsentia, voluptatem præponit. Graue & iniquū certamen aduersus delectationes præsentium. Hic libertas est cupiditatum, illic seruitutis iniuria, facere quæ non vis, & ab iis quæ desideraueris, abstinere. Hic conuiuium, illic ieiunium. Hic intemperantia gaudiorum, illic perseverantia lacrymarum. Hic saltatio, illic oratio. Hic cantus dulces, illic gemitus graues. Scriptum est quidem: Cor sapientium in domo luctus, & cor stultorum in domo epularum. Melius est audire increpationem sapientis, magis quam virum audientem canticum stultorum. Sed pauci hæc audiunt, pauciores sequuntur. Allicit homines magis dulce peccati, quod ad præsens influit & impinguat audientis affectum, quam triste virtutis, quæ fidei spem velut quodam cortice amari laboris inuoluit. Beatus ergo atque mirabilis, qui taliū viarum positus in electione, nō fuerit illecebris voluptatis inflexus, ut gradū suū super vadosa & praua constituit. Non dicitur ei: Væ qui dereliquisti semitas directas, abeundo in vias tenebrarū. Cognouimus igitur quæ sit via peccatorum, in qua standum non esse Propheta nos admonet, sed & Ecclesiastes docet, qui ait: Noli stare in sermone malo, hoc est, non persistere in sermonibus malis, similiter & operibus improbandis. Quomodo in bonis sit standum, sanctus idem Propheta præcipit, dicens: Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem. In Hierusalem stādum est, de Babylone fugiendum. Et Moyse dicitur: Tu autē hic sta mecum: qui de Ægypto fugit, & cum Domino stans perseverabat. Et in Evangelio, qui steterūt vsque ad horam vndecimam, & æqualem mercedem operantibus acceperunt. Et quæ steterunt virgines vsque ad aduentum sponsi, ad nuptias simul introire meruerunt. Quæ autem discesserūt, & postea reuerterunt, Dominicæ excluduntur auctoritate sententiæ. Didicimus ergo non stare in via peccatorū, stare autem in virtutis officio, quia scriptum est: Tu autem fide sta. Nunc consideremus quid sit:

*Et in cathedra pestilentie non sedet.* Et quidem præmisimus, quod non simplex confessus in huiusmodi quod in vsu est solio reprehendatur. Quid enim inuidiæ haberet ad culpam? Sed cum oculi Domini semper super fideles terræ sint; tamquam sub conspectu imperatoris locati, & velut in ministerio quodam positi, stare debemus. Miles in procinctu stat, non sedet. Miles in armis non se reflectit, sed excitat atque erigit. Ideoque militibus Christi dicitur: Ecce nunc benedicite Dominū omnes serui Domini, qui statis in domo Domini. At contra iniquitas in talento plumbeo sedet, eo quod fixa in peccato, se ab eo separare nō possit. Etenim inueterati in errore, & studiosè flagitiis inhærentes, sedere dicuntur, qui nolunt assurgere, nec audire dicentem: Surgite postquam sederitis. Denique hęc ipsæ propheta alibi ait: Sederunt principes, & aduersum me detrahebant. An ignoramus quod tantam vim habeat inueterata consuetudo peccandi, ut excludat naturam? Quæ cum sit medicabilis ad salutem, diuturno tamē tempore passionibus deprauata immedicabilis inuenitur. Non ergo permaneamus in vitiis, sed vnusquisque etiam si aliquando fuerit, exiliat à culpa sicut scriptum est de muliere meretrice: Ne intēdas in eam oculum tuum, sed exili, ne moreris: exili antequam te anni iuuentutis inueniant. Sed (quod grauius est) plerique luxuriam corporis nec albenti erubere canitie, & vsque ad senectutis ætatem vitam producere maculosam. Intimis enim concepta visceribus lues culpæ, processu temporis coaceruatur. Caue igitur ab impiorum consiliis, non penetrent huiusmodi consilia mentem tuam, ne dicatur de te: Alligabit quis ignem in sinu, vestimenta autem non comburet? Etenim qui semel in sinu mentis flagitij flammam feruentis adoleuerit, citō corporis sui vestimenta comburet. Et ut in stipulam ignis exiliens, inheret ac permanet, donec omne quod corripuit absumat; ita vel exigua scintilla peccati si quo vitiorum fomite fuerit excitata, incendiū grā. de excitat. Noli ergo stare in peccato. Postremō posuisti vestigiū supra voraginem culpæ, citō aufer pedem: ne supra plantam tibi ascendat pollutis, & lapsu faciliore deceptus, supra lutum resideas. Cauenda ergo prima sunt vitia, ne in plura deinde grauiora proserpant. Etenim sicut ij qui se in luto versant, quo magis volutantur, eo amplius inquinantur: ita qui semel se luto improbitatis asperserit, nisi ab eo velociter exiliat, grauius sibi dedecoris sui cœnū per singulos dies lutulentæ conuersationis obducit. Itaque graui odore tetræ illius ac flagitiosæ voraginis contrahitur quædam animarum pestilentia, corruptoque salubrium cogitationum spiramine, lues æstuantium passionum miseranda grassatur. Hinc letale se mentibus virus infundit, hinc subrept ægritudo corporibus, languor animis. Est enim malus languor, erroris languor, auaritiæ languor, inexplibilis cupiditatis languor. Istæ diuitiæ sunt, ut dicit Ecclesiastes: Est languor malus quem vidi sub sole, diuitias custodiri in malum possidentis eas. Dic mihi o Ecclesiastes, qua causā malus hic languor sit. Respondebit, quia multos auara spes deuorat. Insatiabilis edacitas cupiditatis est. Nescit satiari argento qui concupiscit argentum. Distendunt di-

Psalm. 100.

Psalm. 134. Zach. 5.

Psalm. 126.

Psalm. 118.

Prover. 7.

Prover. 6.

Eccl. 5.

ibid.

ibid.

uitiæ, non explent. Et si quis satiatus fuerit diuitiis, non est, inquit, qui sinat cum dormire. Et quidem omnes dies eius in tenebris, & luctu, & iracundia multa, & languore, & ira. Quomodo enim potest dormire, qui sollicitam auri exercet custodiam, qui damna formidat, qui lucra cogitat, qui vsuras computat, qui hypothecas numerat? Malus ergo languor, qui bonam auferit mentis quietem. Est languor malus luxuria, libido, concupiscentia, delectatio, secularis ambitio, quæ citò corrumpit salutem sobrietatis. Omnis postremò mundi huius corruptela, pestilentia est. Ne ergo tetigeritis, ne attaminaueritis eam. Lues est, contaminat: morbus est, pollut. Ne gustaueritis quæ sunt omnia ad corruptelam ipso vsu, vt Apostolus dixit, qui & alibi clamat: Radix omnium malorum est auaritia. Morbos excitat, dolores inserit. Denique qui eam appetierunt, insenserunt se multis doloribus. Ista est pestilentia, quæ plerumque neq; calidos, neq; frigidis, sed (quod & calidis est deterius & frigidis) tepidos facit, vt euomat ex ore Domini Iesu, quos propter graua peccata reiecerit. Ista est quæ non paucorum, sed omnium excitat egreditur. Omne caput in dolore, omne cor in aestiuitate. A pedibus vsque ad caput peccatorum vlcera. Omne caput in dolore, quado qui sapientes aestimantur, dolore cruciantur auaritiæ. Sensus enim sapientis in capite eius: quod referri potest etiam ad Ecclesiæ præminentes. Omne cor in aestiuitate, quando sapimus quæ sunt carnalia, & corporeis voluptatibus aciem nostri cordis offundimus. Vnde ait Dominus ad huiusmodi, quod dederit illis cor carneum. A pedibus tamen vsque ad caput serpit lues dira morborum, quando laborat contagio, quado cõpatiuntur alij si quis effectu libidinis defraudetur, viduæ pudorem expugnare nõ potuit, agrum inuadere: & agrè cuncti inuicem languores transferunt. Quotiens ingemiscunt seniores quod diu potare non possint? quotiens dolent quod scortari deserint, cum scortandi habeant voluntatem? quoties inter fabulas ebriorum virtutes probro sũt, peccata laudi, honestas ludibrio, continentia risui, misericordia vanitati? Isti sunt morbi qui mala sua in multos transferunt. A paucis corruptela ad omnes peruenit. Sedent in consilijs derogantes sobrijs, ructantes crapulam: sedent in tabernis de ebrietate certantes. Inter hos meretrix plena vino, huic arridens, illum adurens, & omnes ardore inflammans libidinis. Verecundus si transeat, erubescit, à singulis carpitur: si flagitiosus, omnium ore laudatur, & tamquam morbus transit in animas singulorum. Qui enim in flagitijs celebris, plurimos ad imitationem adducit erroris. Itaque dum peccatum imitantur alienum, suum faciunt malum. Non sedas inter eos, quos sanctus Propheta fugiebat. Illi imitare, fugientem vtique, non sedentem, qui ait: Non sedi in consilio malignantium, & cum iniqua gerentibus non introibo. Qua ratione eos fugiebas Dauid, explica nobis. Demonstra has partes, vt & nos eas fugere possimus, ne inficiamur earum contagio. Corrupti sunt, inquit, & abominabiles facti sunt: non est qui faciat bonitatem, non est vtique ad vnũ. Generaliter ergo ad omnes flagitiosos potest referri, deinde specialiter ad irrisores honorũ, quos

Coloss. 2.

ibid.

1. Tim. 6.

ibid.

Apo. 3.

Esai. 1.

Ecl. 2.

Eccl. 11.

Psal. 25.

1. Is.

Aquila *χρειαται* dixit, quod isti verè morbi sunt, qui irridendo bonos, plurimorum animis operatur errorẽ, mentesque corrumpunt. Quanta dixit à quibus beatus vir debeat abstinere? Et adhuc adicit alia.

Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Hoc est, beatus ille qui hæc facit consilio, ratione, prudentia. Potest enim & paruulus non per virtutem, sed per impossibilitatem & inscientiam delinquendi, ab iis qua dicta sunt abstinere. Potest & irrationabili pecudi conuenire, cui nulla vis cõsiliij, nullus sensus erroris est. Hoc est ergo quartum quod sequitur, in quo definitio beati viri à pecude discernitur: quia vir sapiens subditus legi est voluntate, non necessitate. Plurimum enim refert: quia in voluntate, mercedis est fructus: in necessitate, dispensationis obsequium. Ita enim docuit nos Apostolus, dicens: Si volēs hoc ago, mercedẽ habeo: si inuitus, dispensatio mihi credita est. Ordo autem conueniens, vt primò diligas legem, secundò vt mediteris. Qui diligit, ex voluntate facit mandata legis: qui timet, inuitus obseruat. Hanc disciplinam docendi etiam Dei iustitiam in lege accepimus. Sic enim scriptum est: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. & Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima, & ex tota virtute tua. Et erunt verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo & in anima tua: & demonstrabis ea filiis tuis, & loqueris in eis sedens in domo, & ambulans in itinere, & in quiete, & in vigilia. Et ligabis ea in signum in manu tua, & erunt immobilia ante oculos tuos: & scribes ea super limina in domicilijs tuis, & in ianuis tuis. Et infra: Et nunc Israel, quid abs te postulat Dominus Deus tuus, nisi vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in omnibus vijs eius? Sapientia quoque dicit: Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, & habebitis disciplinam. Clara est, & quæ nunquã marcescit sapientia, & facillè videtur ab iis qui diligunt illam, & inuenitur ab iis qui quærunt illam. Legitimè ergo docemur à sancto Propheta voluntatem in lege habere, meditationẽ secundum legem. Voluntas in lege non solum in studio, sed etiam in facto est. Prior voluntas, secunda operatio. Denique & Dominus dicenti sibi: Si vis, potes me mundare: respondit: Volo, mundare. quò ostenderet operationibus nostris voluntatem præuiam esse debere. Denique lex voluntarios quærir: quia lex Domini irreprehensibilis est, conuertens animam. Nemo autem conuertitur, nisi qui voluntate conuertitur. Voluntarius autem abscondit, & sensum furatur laboris. Ideoque die & nocte in lege meditatur: in quo non tam continua legendi postulat intentio, quàm seruandæ legis affectus. Ille enim plenè meditatur, qui ipse sibi lex est, scriptum in corde suo opus legis intendens. Aquila tamen diem tantummodo posuit, non etiam noctem. Quod non tam à cæteris discrepat, quàm aliò referens posuit: quoniam qui legem meditatur semper in luce est, noctem non habet. Et enim cuius lucent opera, nõ potest vtique in tenebris ambulare: quia iustitia eius sicut lumen effulget. Meditatur ergo

1. Cor. 9.

Deut. 6.

ibid.

Deut. 10.

Sup. 6.

Matth. 8.

Psal. 18.

Rom. 2.

Philip. 2.

Hebr. 10.

Heb. 12.

1. Tim. 13.

Prover. 3.

Iob 2.

Deut. 8.

Esai. 8.

Esai. 9.

Matth. 14.

Eccl. 33.

Deut. 32.

1. Cor. 10.

Roman. 5.

Psal. 59.

Psal. 69.

Psal. 101.

841

ergo legem vita nostra, meditetur conuersatio, meditetur actus, meditetur intellectus mysteriorum caelestium. Lex enim exemplar est & vmbra caelestium, vmbra futurorum bonorum, quæ is qui credit in lege, in Euangelio recognoscit. Meditatur in tenebris & die: id est, & in aduersis positus, & in prosperis. Lex enim præcipit vt diligamus Dominum. Qui diligit, in omni statu suo debet seruire diuturnæ charitatis affectum. Pater diligit filium, diligit etiam cum arguit, diligit etiam cum verberat baculo. Qui enim parcat baculo suo, odit filium suum. Nos quoque Dominus castigat, & diligit. Itaque etiam cum digna coercitione committimus, ille tamen diligit, qui etiam recipit offensum. Castigat enim Dominus omnem filium quem recipit. Et tu cum castigaris, dilige: quia ideo castigaris, vt recipiaris. Nam quid grande est si tunc diligas Dominum Deum tuum, cum tibi abundant omnia, cum frueris optatis, cum honoribus, facultatibus, liberis gaudeas? Et homini, à quo acceperimus beneficium, gratiam referre consueuimus. Denique cum laudaretur Iob iudicio caelesti, hoc retulit diabolus, minimè mirum si gratus esset Deo, cui tanta suppeteret affluentia prosperorum. Sed tunc probandum, si illa amittat vniuersa, & pij cultoris præstet officium. Hæc igitur prima virtus, vt non frangaris aduersis, non extollaris secundis. Id te lex docet, vt in afflictione non relaxes intentionem, nec desperationem induas. Victor nõ dicas: Virtus mea & fortitudo mea hæc tribuit mihi: sed omnia noueris diuinæ misericordiae deputanda. Clamat Esaias: Non confundetur qui in angustia est vsque in tempus. Hoc primum bibe. Quid est, hoc primum bibe? Sequestremus mystica, persequamur moralia, quæ docet littera. Propter errorum graua, graues contritiones & vexationes populi dicit futuras. Et oportuit eas præcedere, vt sequeretur misericordia. Bibe ergo primum tribulationem. Per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Bibe, vt sensus tribulationis peccatoris tui infundatur interitis. Bibe compatientis affectum, merentis dolorem. Cum enim conuersus ingemueris, tunc Dominum tibi reconciliabis offensum. Hoc ergo primum bibe, vt sis in dolore & angustijs. Citò lætitia infundit errorem. Pinguis factus & incrassatus populus recessit à Domino. Prodest tibi cor habere contritum. Hoc primum bibe, vt sacrificium tuum accipiatur à Domino. Doceat te Apostolus quid sit, Hoc primũ bibe: hoc est, tribulationis poculũ. Tribulatio enim patientiã operatur. Nõ potest esse patientia, nisi antè fuerit tribulatio. Tribulatio, inquit, patientiam operatur, patientia autẽ probationẽ, probatio verò spem: spes autem non cõfundit. Bibe primum tribulationem, vt postea tibi tot virtutum pocula ministrantur. Et vt scias quia bibitur tribulatio, audisti dicentem hodie Prophetam: Potasti nos vino compunctionis. Et in posterioribus ait: Et potum dabis nobis in lacrymis in mensura. In mensura petit potum, non supra mensuram: ne ferre non possit. Denique quàm bono hoc precare affectu, suo probabat exemplo, qui potum suum cum fletu miscebat, vt Domini in se inclinaret misericordiam. Bibe ergo hoc primum, vt bibas & secundum.

S. Ambros. tom. 2.

Nunc iam tempus est vt inferamus mystica. Bibe primum vetus testamentum, vt bibas nouum testamentum. Nisi primum biberis, secundum bibere non poteris. Bibe primum, vt sitim mitiges: bibe secundum, vt bibendi satietatem haurias. In veteri testamento compunctio, in nouo lætitia est. Vide quæ admodum Dominus artibus diaboli pro suis seruulis obuauerit. Ille cibo fraudis decepit vnũ, vt in vno omnes circumueneret: Iesus autẽm cibo salutis omnes redemit, vt in omnibus & illum qui deceptus fuerat reformaret. Ille calicem aureum Babylonis excogitauit, vt quicumque biberent, plus sitirent: & quia potus placere non poterat, auri pretio illiceret ad bibendum. Propinauit de vino suo, cui metalli suffragia requisit. At verò Dominus Iesus aquam de petra effudit, & omnes biberunt. Qui biberunt in typo, satiati sunt: qui biberunt in veritate, inebriati sunt. Bona ebrietas, quæ infunderet lætitiã, non afferret confusionem. Bona ebrietas, quæ sobriã stabiliret mentis incessum. Bona ebrietas, quæ vitæ munus rigaret aternæ. Hoc ergo poculum bibe, de quo dixit Propheta: Et poculum tuum inebrians, quàm præclarum est. Nec te moueat quod Babylonis aureum poculum est: quia & tui bibis poculũ sapientiæ, quæ sit auro argentoque pretiosior. Vtrũque ergo poculum bibe, veteris & noui testamenti: quia in vtroque Christum bibis. Bibe Christum, quia vitis est. Bibe Christum, quia petra est, quæ vomuit aquam. Bibe Christum, quia fons vitæ est. Bibe Christum, quia flumen est: cuius impetus lætificat ciuitatem Dei. Bibe Christum, quia pax est. Bibe Christum, quia flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Bibe Christum, vt bibas sanguinem quo redemptus es. Bibe Christum, vt bibas sermones eius. Sermo eius testamentum est vetus: sermo eius testamentum est nouum. Bibitur scriptura diuina, & deuoratur scriptura diuina, cum in venas metis ac vires animæ succus verbi descendit aterni. Denique non in solo pane viuunt homo, sed in omni verbo Dei. Hoc verbum bibe, sed ordine suo bibe. Primum bibe in veteri testamento, inde fac citò vt bibas & in nouo testamento. Vnde & tamquam festinet, dicit: Regio Zabulon, & terra Nephthalim, & cæteri Paraliã inhabitantes, & trans Iordanem Galiliæ gentium: populus qui ambulabat in tenebris, lucem vidit magnam: qui habitatis in regione vmbrae mortis, lux fulgebit super vos. Bibe ergo citò, vt lux tibi effulgeat magna. Lux non quotidiana, non diei, non solis, non lunæ, sed lux illa quæ vmbrae mortis excludat. Nam qui in vmbrae mortis sunt, lucem vtique solis aut diei videre non possunt. Et quasi requirenti tibi vnde tantus splendor, tanta gratia sit, respondet: Quoniam puer natus est nobis, filius datus est nobis. Puer, quia ortus ex Virgine est: filius, quia ex Deo natus: tãta auctor est lucis. Puer nobis natus est. Nobis, qui credimus: nõ Iudæis, qui non crediderunt. Nobis, non hæreticis: nobis, nõ Manichæis. Nobis natus est: quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Nobis natus est, quia carnem suscepit ex Virgine, quia homo natus est ex Maria. Caro nascitur nobis, verbum datur. Quod nostrum est, inter nos natum est: quod supra nos est, nobis donatum est. Satis excurremus.

N



Tob. 13.

vt putamus: sed non otiose, vt doceremus quia & in tribulationibus diligere Dominum debemus, nec recedere ab eo, quoniam & latitia tribulatio saepe succedit, & latitia tribulationi. Denique qui tribulatione non frangitur, & legem sequitur; beatus est.

Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo.

Genes. 2.

Quae ista beatitudo est, quae ligno comparatur, nisi intelligamus in paradiso, illo beatorum loco, lignum vitae in medio lignorum aliorum de terra productorum? Inter multa enim ligna quae erant speciosa ad aspectum, & bona ad escam, etiam hoc lignum Deus produxit in medio paradisi, vt caetera ligna eius viriditate florent. Quod esse hoc lignum dicimus, nisi per quod nobis salus venit: Et lignum hoc terra produxit, quia cum Virgo genuit, quae erat terra, secundum auctoris sententiam, quae in hominem dista est: Terra es, & in terram ibis. Pulchre quoque in medio legitur lignorum aliorum, quia erat in medio discentium. Vel quia in medio erat mentis & cordis, sicut ipse ait: Medius vestrum stat, quem vos nescitis. Et alibi ait: Ego autem in medio vestrum sum. Denique & de ipso Salomo dixit: Lignum vitae est omnibus percipientibus eum. Qui ergo beatus est, imitator erit Domini Iesu, qui est lignum vitae, lignum sapientiae, plantatum in vtero Virginis voluntate patris: a quo in perpetuum mansurum plantatur, vt fructum daret in tempore suo. Non enim potuit arescere ista plantatio, quae habebat vbertatem in se manentem gratiae spiritualis. Denique plenus spiritu sancto Iesus regressus est ab Iordane. Hi sunt decursus aquarum, de quibus dicit Euangelium: Flumina de ventre eius fluent aquae viuae. Hoc autem dicebat de spiritu quem incipiebant accipere qui credituri erant in eum. Est & alia traditio: quia sunt aquae de quibus prohibet nos bibere Hieremias, dicens: Quid tibi & viae Aegypti, vt bibas aquam Geon? Est & Tygris fluuius Assyrios praeterfluens. Est & Euphrates in Babyloniam tendens. Est & Phison, qui Latina interpretatione oris dicitur commutatio, circumiens terram Euilath, vbi est aurum, & aurum terrae illius bonum, & lapis carbunculus, & lapis prasius. Merito os illic commutatur, vt non teneatur promissorum fides, sed sit in ore dolus, vbi est aurum bonum. Avaritia enim fidem frangit, nec tenet verborum simplicitatem. Ornamenta quoque pretiosa mentem animamque commutat: vt aliud in pectore, aliud in sermone sit. In illis ergo regionibus fluminum fuerunt Iudaei vt captiui abducti in Aegyptum, & ad Assyrios, & ad Babylonios, vbi super flumina Babylonis sedebant, & flebant suae calamitatis aërumnam; vt idem ipse Propheta testatur. Illic suspenderunt organa sua, & omnem deposuere latitiam, vbi grauiora tolerarunt. Denique reliquae decem tribus ad Assyrios ductae sunt: duae autem Iuda & Benjamin tamquam grauioris reae flagitij in Babyloniam transierunt. Atrocis enim sacerdotis filia adultera quam caeterae puniuntur: quia sacerdotalis generis gratiam turpi opprobrio decolorauit. Sicut illi ergo in

Genes. 3.

Luc. 22.

Ioan. 1.

Luc. 22.

Prouer. 3.

Luc. 4.

Ioan. 7.

Hier. 2.

Genes. 2.

Psal. 136.

4. Reg. 17.

4. Reg. 25.

Leuit. 21.

tentationibus grauissimis fuerunt, ita multis tentationibus se Saluator noster obiecit, vt nulla tentationis nostrae certamina praeteriret. Plantatus ergo recte dicitur secus decursus horum fluminum, non in ipsis decursibus: vt finitimum, non demersum intelligas. Fuit illi congressio prima carnis & sanguinis. Denique ait: Pater, transfer a me calicem istum: sed non quod ego volo, sed quod tu vis. Fuit diuitiarum obiecta tentatio, cum omnia regna terrae ei inimicus offerret, si procidens Dominus adoraret eum. Habes duorum fluminum decursus, Geon & Phison. Fuit illi colluctatio aduersus principes mundi: fuit in ipsa passione certamen aduersus tentatores, quos Perlas Hebraea appellat interpretatio: qui falsa testimonia deserebant. Aduersus eos qui dicebant: Descendat nunc de cruce, & credimus ei: quae diabolus suggererat. Habes Tigridem & Euphratem flumina. Quadripertitum autem nobis certamen esse etiam Apostolus comprehendit, dicens: Quia non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, aduersus mundi huius rectores & tenebrarum, aduersus spiritualia nequitiae quae sunt in caelestibus. Hi sunt fluuij qui de paradiso exeunt. Vnde puto quod is qui in paradysum gestit redire, hos debeat transire decursus aquarum. Quod non otiose expressit idem ipse sanctus Propheta, demonstrans quod qui tentationes omnes subegerit, debet sibi iam paradisi requiem speret. Itaque sic ait: Per decursus aquarum descenderunt oculi mei. Sicut enim romphga est in ingressu paradisi ignea, vt qui redit, per ignem reuertatur, vrat peccata sua, probet aurum suum: ita qui redit, per hos decursus redit. Merito quoque dicunt sancti: Transiuimus per ignem & aquam. De istis decursibus & Esaias dicit: Si transeas per aquam, flumina non te concludent. Quae flumina? Audi dicentem Dauid de iis qui festinabant ad paradysum: Forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem. Quamuis nonnulli de istis quattuor tentationibus etiam illud accipiunt: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Vt ambulauerit in incarnatione, conculcauerit in passionem, vel in traditionem regni conculcet, quod patri tradet, cum omnem euacuauerit principatum. Pulchre autem Aquila *το με τα παρ ον τευ υδωρ* dixit, hoc est transplantatum, eo quod primo sit plantatus in Virgine, postea transplantatus in paradysum: sicut dixit ad latronem: Amen amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso. Hoc lignum igitur fructum dabit in tempore suo. Ligna terrena fructum non dare, sed ferre dicuntur. Sed lignum vitae ac sapientiae dat fructum, hoc est, largitur & donat. Rursum illud occurrit: Si lignum est sapientiae, cur in tempore dabit, & non semper? Ne forte graue sit nobis hoc sentire de Christo: sed tu qui legisti, quia dispensatorem fidelem & prudentem constituit Dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram, in tempore vtique, non semper, turbari vtique non debes. Potest sapientia semper fructum dare: sed quia sapientia est, debet sapienter dare, dispensare prudenter. Tunc debet semper dare, quando nos plenam mensuram meremur accipere. Sicut hic extremum tempus fructum, ita & illic dabit fructum

Hebr. 4. Matt. 26. Math. 4. Ioan. 14. Marc. 15. Ephes. 6. Genes. 2. Psal. 118. Genes. 3. 1. Pet. 1. Psal. 65. Esa. 43. Psal. 123. Psal. 90. 1. Cor. 15. Luc. 23. Luc. 12. 1. Cor. 15.

1. Cor. 15.

ctum bonis indefinitibus, vt resurrectionis eius confortium capere, ac seruare possimus. Nunc non possumus, in hoc saeculo non sustinemus. Hic enim corruptela est, & cauendum fuit ne corruptemur bonos fructus, quos lignum vitae daret: quia nunc corrupti, illic autem incorrupti: quando & mortui, inquit, resurgunt incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam, & mortale hoc induere immortalitatem. Quid ergo proderat morituro accipere, quod ei mors habebat auferre? Nouit ergo sapientia quibus quando dare debeat, quae nec folium amittit ligni sui. Et ideo qui fructus sit sapientiae, quod folium consideremus.

Et folium eius non defluet: & omnia quaecunque faciet prosperabuntur.

Fructus, interior est: folium, quo fructus vel a sole torrenti, vel a frigore defenditur. Fructus videtur esse fides, pax, doctrina, excellentia verae cognitionis, intentio mysteriorum, ratio. Hos fructus bona vita custodit: mala etiam si percepit, amittit. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas? In mysticis fructus est, in moralibus folium. Nam virtutes sine fide, folia sunt: videntur virere, sed prodesse non possunt. Agitantur vento, quia non habent fundamentum. Quanti gentiles habent misericordiam, habent sobrietatem, sed fructum non habent, quia fidem non habent? Labuntur cito folia, vbi ventus flauerit. Et alij Iudaei habent castimoniam, sedulitatem lectionis multam, & diligentiam, sed sine fructu sunt, & versantur vt folia. Haec forte sunt folia quae Saluator in illa sic reperit, sed fructum non inuenit. Mystica saluant, & a morte liberant: moralia autem ornamenta decoris sunt, non subsidia redemptionis. Praestare autem mystica moralibus etiam ipse Dominus docet in Euangelio suo, dicens de Maria, quae sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius, cum Martha circa ministerium festinaret, & quereretur quod soror eam circa mensae ministerium non iuaret: Martha Martha, Maria optimam partem sibi elegit, quae non auferetur illi. Si quae Christo ministrabat ad mensam, non conferebatur ei quae verbum cupiebat audire: quem operantem studioso cognitionis aeternae conferre poterimus? Ita tamen, vt nec illius operationi fides, nec huius cognitioni, sicut Mariae, desit operatio: ne vel folia sine fructu sint, vel fructus sine munimentis naturalibus sit intellectus, & pateat iniuria. Possumus etiam illud intelligere, quia foliis se texerunt Adam atque Eua, corporea vestimenta quarentes, eo quod resurrectio Domini corporum prophetaretur: quia nec caro, quae antea vice, foliorum interire consueuerat, peritura esset in Christo: iustorumque omnium, qui secundum Euangelium ad imitationem ligni sapientiae nati ex Virgine, vitam suam aeternamque formarunt. Nam Graecus ita dixit: *ο τον καρπον αυτη δωσει*, quod potest ad beatum referri. *μαρτης καρπον δωσει* Graecè: Latine autem sic dicitur, vt sit: Beatus qui dabit fructum: in resurrectione scilicet sua, quando potest perpetuum dare. Potest & sic, *ο τον καρπον αυτη, καρπον ευλον*: vt referatur ad lignum, cuius facta omnia prosperabuntur.

Genes. 3. Psal. 15.

In quo euidentis testificatio est quia de Salvatore dictum est. Cuius enim nisi ipse facta possunt vniuersa laudari, & prosperos habere exitus? Aquila autem, Dirigentur, ait: quod ad quemcumque hominem referendum videtur, quem dirigit Dominus fauore caelesti. A Domino enim dirigitur gressus viri: & orationem suam in conspectum Dei David propheta dirigi postulauit. Sed & ipse Dominus direxit opera sua, vt nullo erroris curuarentur anfractu. Sequitur:

Non sic impij, non sic: sed tamquam puluis quem proiicit ventus a facie terrae.

Hoc est, non sic vt beatus vir, qui ideo beatus, quia non abiit in consilio impiorum, quia in peccato non stetit, in consilio pestilentium non sedit, volentium vel credentes, pie vel viuentes peruertere: qui voluntatem habuit in lege, & meditabitur in ea. Aut (sicut Aquila posuit) resonabit in lege: vt praecpta legis resonet vita eius, mores resulent: sicut illorum quorum in omnem terram exiit sonus. Fortè hic sonus doctrinae hominum exeat, illic autem vbi facie ad faciem dabitur videre, plenior quaedam verbiferi videatur expressio. Non ergo sicut beatus iste qui haec fecerit, qui erit tamquam lignum plantatum, cuius gesta omnia prosperabuntur, ita erit & impius. Ideo repetiuit vel qui scripsit, vel qui postea addidit (vt quidam putant) quod confirmatior fieret repetita sententia, ita dicendo: *Non sic impij, non sic*: qui erunt tamquam puluis. Sunt enim terreni: & sicut puluis proicitur a facie venti, ita & isti proicientur & dissipabuntur a spiritu sancto, qui terram fertili atque fecunda animae salutaris sicut ventus Auster aspirare consuevit. Huic vento dicitur in Canticis: Veni Auster, vt clemetia aeris mollioris cordis nostri arua laxentur, quae brumali gelu stricta recipiendis gremium seminibus denegabant. Bonum est nobis vt hic ventus aspiret, qui naues Tharsis ferentes vero Salomoni quae ad templum eius necessaria videntur, tutos deducat in portus. Sed tunc iste ventus aspirat, si Boreas ille grauis ventus flare desierit. Ideo vel Ecclesia vel anima pia dicit: Exurge Borea, & veni Auster. hoc est: Tu Borea recede, & veni Auster, aspira hortum meum, vt flores non decutias, sed referues. Anima igitur plena floribus pietatis hortum habet, vel ipsa hortus est, qui fructus ferat. Anima quae impietati patet, puluerem habet, qui est infecundus ad fructum. Fructiferam quidem illam fecit Dominus, sed ipsa sibi collegit impietatis puluerem. Quid te iactas o plene impietatis? An quia honoribus es potens, & abundas diuitiis? Non aduertis quia puluis es? & tu dispergeris & dissipaberis. Vidi, inquit, impium super exaltatum & eleuatum super cedros Libani: & transiit, & ecce non erat. Quid gloriaris quia multa te seruitia ambiunt, multi amici tegunt latera tua, plurimi te equi sequuntur? Quorum nobis enarras profapiam, & tamquam maiorum tuorum genis? Praefers diuitias, quia conuiuuiis pascis sodales: Vtinam egenos pasceres: vtinam non iocorum ministros, sed votorum adiutores. Iactas quia prodeunt ilico ceditur, & homines te tamquam feram declinant aut bestiam. Num haec esse aliquid putas?

Prouer. 25. Psal. 140.

Psal. 18. 1. Cor. 13.

Cantic. 4.

2. Paral. 9.

Prouer. 7. Cantic. 4.

Apoc. 3. Psal. 36.

Psal. 143.  
Psal. 48.  
Iob. 2.

Prover. 11.

Psal. 67.

Psal. 17.  
Esa. 41.

2. Cor. 5.  
1. Cor. 15.

Psal. 17.  
Esa. 41.

Michae. 7.  
Malach. 3.  
Michae. 7.

Non audis quia ea omnia tamquam umbra pretereant? Quid iuuant consulares praetexte, aut nitentes auro triumphales palmatae? Nudus exibis: nemo illic cofulem recognosceret. Quid profunt innumere possessiones? publica sunt, non tua. Hodie tu tenes, cras alius. Cum tu exieris, alius intrat. Vix mouisti pedem, alius gressum intulit. Quanti ante te illic fuerunt, quanti post te dominabuntur? & hoc putas esse priuatum? Quem vnquam a morte diuitiae redemerunt? Immo quem non ad mortem diuitiae coegerunt? Quem ab inferis suae reuocarunt opes? Quem potentia excusauit a poena? Pulvis est impietas, sicut pulvis est impiorum potentia. Caliginem infert, dare salutem non potest. Simul ut vehemens flare coeperit spiritus, spargit eam atque dissoluit. Aerem turbat, solum nudat, ut pulvis proiciatur, deficit ut fumus, liquefcit ut cera. Hinc plerique non mediocre mouerunt quaestione, vtrum perituram naturam videatur afferere scriptura diuina, maxime quia alibi dicit: *Comminuam eos ut puluerem ante faciem venti, & ut lutum platearum delebo eos.* Et alibi: *Ecce confundentur & reuerbuntur omnes aduersarij: erunt enim tamquam non sint.* Primum ergo interrogo, vtrum impietatem secundum naturam putent esse, an praeter naturam. Si secundum naturam afferant, errare eorum opinionem certum est. Denique dicant, vtrum naturae peccatum conueniat, an non. Sed certum est, peccare, deuiare esse ab eo quod est secundum naturam. Quid igitur tam ineptum, quam vt dicant minus videri, impium esse, quam peccare: cum omnium acerbissimum sit, quidquid in Dei fieri videtur iniuriam? Quod si impie agere, non est praeter naturam: viuere ergo impie, secundum naturam est, nec peccati loco habendum, nec dignum reprehensione existimandum. Nemo enim reprehenditur, qui operatur secundum naturam. Vnde concluditur, quia impietas praeter naturam est. Quomodo igitur cum perditione consuetudinis, *κατανοσθησθε φρενας*, hoc est, perituras naturas inducit scriptura, cum impietas non vtiq; naturalis sit, sed praeter naturam? Quod enim non habet, non amittit: nec potest ea substantia perire, quae non fuit. Nam & pulvis commotus, aut in aqua substantiam transfertur, aut in aerem, aut in ignem: hoc est, in aliam videtur sepe transire naturam. Non ergo in nihilum deficit, sed in aliud transit. Quid obstat igitur quin & ille qui verbi virtute & ratione comminuitur vt pulvis, non in nihilum dissipetur, sed commutetur in melius, vt ex terreno fiat spiritalis homo, & vt lutum platearum sic deleatur, vt tollatur quidquid asperum ac sordidum videtur, remaneat quidquid planum ac mundum est? Et quod ait de aduersariis Hierusalem: *Erunt sicut qui non sunt: vtiq; potuit dicere, Non erunt.* Sed cum dixerit, *Confundentur & reuerbuntur: vtiq; intelligis quia erunt per substantiam, & profectum conuersionis, sed non erunt quasi aduersarij, quod fuerunt.* Itaque per improbitatis defectum, non erunt, erunt fide ac deuotione mutati. Denique & alibi ex peccatoris persona dicitur: *Et iram Dei sustinebo, quia peccaui, donec iustificet iudicium meum. Covertete enim Deus cupiens peccatorem, punit eum & vrit, vt purget.* Vnde ait: *Et educet me in lucem.*

Nam & ceram vrit ignis, & liquefcit vt purgetur. Et nos per ignem probamur. Et fumus consumpto omni materiali expurgatur, neque natura transit. Itaque & anima purgata ab omni labe, in id quod est deficit, non in id quod non est, vt ait Balaam: *Moriatur anima mea in animis iustorum: vt moretetur lapsus eius, & quidam improbitatis vsus; tranfiret autem in consuetudinem, vitamque iustorum.* Omnia enim Deus salua vult esse. Vnde & Salomon ait: *Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione viuorum.* Fecit animam vt sit: creauit hominem in incorruptionem, quem ad imaginem sui fecit: sed homines a naturae munere deuant, obnoxios fecere se morti, vt quasi terreni corruptantur. Sed Deus per tribulationes ad poenitentiam cogit, vt per poenitentiam vratur & consumatur illud accidens malum improbitatis, & pereat: & locus ille animae, qui erat accidentis impietatis possessio, pateat ad receptionem virtutis & gratiae. Certum est autem animae naturam esse pretiosam, quae ad similitudinem Dei facta, receptionem omnis virtutis admittit: vt pote quae cognitionis supernae non sit fraudata consortio. Nunc illud superesse arbitramur, quod in multorum ore versatur, qua ratione Deus, cuius sine voluntate nec passer vilissimus cadit, & apud quem capilli capitis numerati sunt, dixerit per Esaiam: *Sic omnes gentes, vt stillicidium de vrceo, & sicut momentu staterae aestimatae sunt, & vt sputu aestimabuntur.* Ita ergo peribunt omnes gentes vt stillicidium de vrceo, & vt sputu perit, & ad nullos vsus proficit: Sed tu qui nosti quia gētes non eo vsq; pro nihilo habuit Deus noster, vt & Abraham dixerit: *Benedicentur in te omnes gentes: & per Dauid locutus sit ad filium, dicens: Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & infra: Omnes gentes seruient ei, qui legisti: Quia obtulit Deus filium suum pro omni gente, vt saluos faceret peccatores: debes hoc loco vim diuinae sententiae considerare. Comparatione etenim creaturarum caelestium, quae multae sunt, nempe angelorum, archangelorum, principatum, potestatum, thronorum, dominationum, milium, & decem milium, & innumerabilium milium, gentes vt stillicidium de vrceo aestimatae sunt. Nam sicut caelum adeo maius est quam terra, vt à plerisque comparatione caeli terra vt punctum sit aestimata: ita & eius plenitudo. Ex illa igitur plenitudine caelesti tamquam gutta cadens aestimatae sunt gentes. Quomodo enim poterant maximae videri, cum ipsa terra in qua sunt gentes, minima mundi portio sit, & omnium quae operatus est Deus, tamquam staterae exigua inclinatio gentes sint? Simul cognosce per hanc stateram omnia Deum cum iustitia condidisse, & in ipsis gentibus ineffe quiddam naturaliter, in quo iustitiae videretur vel exiguum esse momentum, & sputum ipsum tamquam ex vniuersitate rotius corporis interioriorem existere portionem. Magis ergo hic misericordia praedicatur: quoniam qui venit quaerere quod perierat, nec stillicidium illud quasi vile contempsit, sed alleuauit momentum staterae, & sputo illi substantiam corporis donans, dignatus est omnes gentes in vnum corpus Ecclesiae congregare. Inter gentes autem & Israel annumerari potest nequaquam expres diuinae iustitiae: quia ipse Moyses dixit de*

Sapient. 3.  
Nun. 23.  
Sap. 1.  
Sapient. 2.  
Genes. 2.  
Sap. 11.  
Matt. 10.  
Luca. 12.  
Esaia. 40.  
Genes. 22.  
Psal. 21.  
Psal. 71.  
Esa. 43.  
1. Tim. 1.  
Coloss. 1.  
Psal. 67.  
Dan. 7.  
Heb. 12.  
Esaia. 40.  
Sapient. 11.  
Luc. 19.  
Ioan. 11.  
Istacl:

Deut. 4.  
Rom. 11.  
Ibidem.  
Esa. 40.  
Ibidem.  
Ibidem.  
1. Cor. 5.  
Ibidem.  
1. Cor. 5.  
Rom. 2.  
Ibidem.  
1. Cor. 15.  
Dan. 7.  
Dan. 12.

Israel: *Ecce populus sapiens, & disciplinae tenax, gens magna.* Et vt scias quia supra meritum nostrum Dei bonitas redundauit, Apostolus hunc propheticum locum interpretatus, ait: *Conclufit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur, & subiunxit: O altitudo diuitiarum sapientiae & scientiae Dei: quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viae eius! Quis enim cognouit sensum Domini: aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Hunc autem locum praemittens Propheta, ait: Sic omnes gentes vt stillicidium de vrceo aestimatae sunt, & reliqua: vt agnoscas intellectum istum cum interpretatione apostolica conuenire. Sed quid euidentius eo, quod perituras naturas non videatur inducere, cum ipse subiecerit sanctus Propheta.*

Ideo non resurgunt impij in iudicio: neque peccatores in consilio iustorum.

Non dixit: *Non resurgunt*, quia resurgunt quidem, sed non resurgunt in iudicio. Qui autem resurgit, est vtiq; & manet: sed quia non credit in Christum, iam iudicatus est: & ideo non venit in iudicium, quem peracti iam manet poena iudicij. Et de resurrectione quidem plurima diuinarum scripturarum sunt testimonia, quae non praetermissum in libris consolationis & resurrectionis. De eo autem quod ait: *Non resurgunt impij in iudicio*: secundum Euangelium absoluta sententia est, quia non omnes iudicabuntur. Apostolus autem ait: *Omnes enim oportet nos stare ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Et putant plerique esse contraria: nec aduertunt quia Saluator de perfidis dixit atque impijs, qui non crediderunt in Dominum Iesum. Sic enim ait: *Qui credit in me, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.* Hoc autem est iudicium, quia venit lux in hunc mundum, & dilexerunt magis homines tenebras quam lucem, erant enim mala ipsorum opera. Liquefcit igitur de quibus dictum sit: hoc est, de iis qui non crediderunt in Dominum Iesum. Apostolus quoque etiam dixit omnes, de iis vtiq; dixit qui crediderunt, sed actuum suorum rationem in die iudicij reddaturi sunt. Denique ipse alibi ait: *Quia testimonium conscientiae nostrae in die iudicij reuelabitur, cum inuicem cogitationes nostrae aut accusabunt se, vt scriptum est, aut defendent: & patebunt cordis occulta.* Quid autem hoc euidentius quod ait alibi: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur?* Immutabuntur enim iusti in incorruptionem, manente corporis veritate. Daniel quoque dicit: *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Ostendit ergo iudicium futurum, maxime cum alibi idem dicat: *Multi qui sedent in tumulo terrae, exurgent; isti in vitam aeternam, & isti in opprobrium & confusionem aeternam: & intelligentes splendebunt sicut splendor caeli, & de iustis multis sicut stellas lucebunt.* Quod istud est iudicium sedentium iudicium, & qui libri aperti, nisi conscientiae nostrae, velut libri peccatorum nostrorum seriem continentes? Quamquam hoc ipsum vile sit aestimare quasi humani simile iudicij. Aliud est Chri-

sti iudicium, vbi conscientia ipsa se prodit, quae latere non potest occultorum arbitrum: vbi cogitationes lucent apud eum, qui adhuc cogitantibus dicebat: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Cum Iudaeis diceret, dicebat omnibus: ne quis putaret quod occulta possent esse quae eum fallerent: ne quis putaret quod parietibus clausus testem occulti erroris effugeret.* Ideoque & Euangelista testatur, dicens: *Iesus autem sciebat cogitationes eorum.* Quomodo ergo ait: *Libri aperti sunt?* Non vtiq; atramento scripti, sed vestigijs delictorum, & flagitiorum inquinamento. Aperietur liber conscientiae tuae, aperietur liber cordis tui, culpa nostra recitabitur. Est ibi liber, vbi est tabula. Immo sunt libri inscripti, vbi sunt inscriptae tabulae, quas inscribit Spiritu sancto apostolica doctrina, sicut legimus dicente Paulo: *Epistola nostra vos estis, inscripta non atramento, sed spiritu Dei viuui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Sunt ergo tabulae cordis inscriptae Spiritu sancto: istae recitabuntur. Si bene egeris, manebit scriptura. Vide ne tollas Spiritus sancti gratiam: vide ne deleas, & scribas atramento flagitia tua, ne veniat dies iudicij, & dicat iudex: *Recitentur libri, recitentur tabulae gestorum eius, & dicat tibi: Ego scripsi tabulas tuas, cur delesti apices meos? Ego scripsi dona mea, quomodo delesti munera mea, & scripsisti opprobria tua? Non legisti quia scribo? Non tibi dixi per os Prophetae mei: Lingua mea calamus scribae velociter scribentis? Iudicium autem verbi est, Multi ergo dormientium in tumulo terrae surgent: qui bene egerunt, in resurrectionem vitam: qui male egerunt, in resurrectionem iudicij. Quod Daniel ait, *In vitam aeternam, hoc Saluator in resurrectionem vitam dixit.* Item quod ait Daniel, *In opprobrium & confusionem: Saluator dixit, in resurrectione iudicij.* Vnde non expedit nobis ad iudicium venire: immo expedit non venire: ne aut praedamati videamur, aut in hac labe vitiatorum subeamus tanti pondus iudicij. Propheta rogat ne intret Dominus in iudicium cum seruo suo: quanto magis nos iudicium Domini timere debemus? Pone quia misericors Dominus ignoscat. Quanta prodentur quae latere credebam: qui pudor, quae confusio erit, cum ipse qui alios profitebar docere, in eo deprehendar in quo alios arguebam? Et ideo quoniam & Saluator duo genera resurrectionis posuit, & Ioannes in Apocalypsi, dicens: *Beatus qui habet partem in prima resurrectione: (isti enim sine iudicio veniunt ad gratiam, qui autem non veniunt ad primam resurrectionem, sed ad secundam referuntur, isti veniunt donec impleant tempora inter primam & secundam resurrectionem: aut si non impleuerint, diutius in supplicio permanebunt)* ideo ergo rogemus vt in prima resurrectione partem habere mereamur. Sunt qui resurrexerunt in passione Christi: & isti plane beati, quia acceperunt Christi gratiam, & audierunt vocem eius, de qua scriptum est: *Venit hora, quando audient mortui vocem filij Dei: & qui audierint, viuunt, & ingressi sunt in sanctam ciuitatem.* Puto quod magis illam significet supernam, quam istam Hierusalem, quam reliquit, quam incusauit, quod in istam pedibus, in illam autem supernam meritis intrauerint. Sed & illud caueamus vt*

2. Cor. 5.  
Matth. 9.  
Eccles. 23.  
Luca. 6.  
Dan. 7.  
2. Cor. 3.  
Psal. 44.  
Daniel. 12.  
Ioan. 5.  
Psal. 143.  
1. Cor. 9.  
Rom. 2.  
Ioan. 5.  
Apoc. 19.  
Matth. 27.  
Ioan. 5.  
Matth. 27.  
Heb. 12.  
Matth. 23.

hic positi furgamus de tumulo terræ. Sunt qui vi-  
 uentes sepulcro sunt circumdati, & repleti mortuis,  
 quorum guttur sepulcrum est, non loquentium ver-  
 ba vitæ, sed mortis. Si hic resurrexerimus à mor-  
 tuis, & illic resurgemus. Si hic non fuerimus ossa a-  
 rida, sed acceperimus rorem verbi, humorem Spiritus  
 sancti: & illic viuemus. Si hic nos excitauerit Ie-  
 sus voce sua magna, vt excitauit Lazarum, & per di-  
 scipulos suos soluerit à vinculis mortis, & induxerit  
 in Bethaniã, vbi erat Lazarus, hoc est in domum o-  
 beditionis, & adhibuerit hic conuiuio suo: & illic  
 cum eodem recumbemus, & illic cum eo semper e-  
 pulabimur, & illic nobis redolebit vnguetum, quod  
 solus proditor dolebat effusum. Ergo *impij non resur-  
 gunt in iudicio*: hoc est, in portionem eorum qui iudi-  
 cium subituri sunt: *nec peccatores resurgunt in consilio iu-  
 storum*. Vides quia surgunt impij, & non surgunt in  
 iudicio iustorum: quia peccatores etsi non resurgunt  
 in consilio iustorum, resurgunt tamẽ in iudicio. Vnde  
 videntur qui bene crediderunt, & fidem suam etiam  
 operibus executi sunt, ipsi non iudicari, sed surgere  
 in consilio iustorum. Peccatores autem qui non  
 possunt inter iustos surgere, surgent in iudicio. Ha-  
 bes duos ordines. Tertius superest impiorum, qui  
 quoniam non crediderunt, iam iudicati sunt: & i-  
 deo non resurgunt in iudicium, sed ad pœnam. Di-  
 lexerunt enim magis tenebras quàm lucem. Et  
 ideo iudicium eorum pœna est, & fortè pœna tene-  
 brarum. Et poterat quidem intelligi quòd ij qui  
 mala opera habent, credentes tamen in Christum,  
 volentes quidem rectè viuere, sed victi illecebris  
 peccatorum, dilexerunt plus tenebras quàm lucem: id  
 est, vtrumque dilexerunt, sed magis tenebras. Sed  
 quia de illis pramissit qui non erediderunt: sic acci-  
 piendum puto, quòd dilexerunt tenebras, & nõ lu-

cem. Lux enim Christus. Qui ergo non crediderunt  
 luci, absurdum est vt lucem vel dilexisse credantur,  
 quam nescierunt. Nescierunt enim, neque intelle-  
 xerunt, in tenebris ambulant: sicut scriptum est. Se-  
 quitur.

Quoniã nouit Dominus viam iustorum,  
 & iter impiorum peribit,

Aduerte sensum: *Non resurgunt impij in iudicio: quo-  
 niam nouit Dominus viam iustorum*. Vias eorum vtique  
 nouit, quorum dirigit gressus. Sunt enim gressus  
 hominum, qui à Domino diriguntur. Diriguntur à  
 Domino & via viri. Has nouit Dominus vias, quæ  
 sunt rectæ, quæ ad illam vitam tendunt dicentis: E-  
 go sum via, & veritas, & vita. Hæc bona est via. Tor-  
 tuosa autem est via sæculi. Non dignatur illam viam  
 nosse. Illos enim agnoscit, qui sunt ipsius, qui ope-  
 rantur opera eius. Qui autem operantur iniquita-  
 tem, his dicit Dominus: *Discedite à me omnes o-  
 perarij iniquitatis: non noui vos. Non per ignoran-  
 tiam, sed per id quòd indigni snt scientia Dei, ne-  
 sciuntur*. Pulchrè autem ait: *Et iter impiorum peribit*.  
 Separauit Latinus, vt iter diceret, & tamquam dis-  
 creuit iter à via: Græcus autem in vtroque viam di-  
 xit. Non otiosè tamen Latinus: quia & Dominus,  
 Ego sum via, dixit: non dixit, Ego sum iter. Perire  
 autem iter impiorum dixit, non impios. Seruat eo-  
 rum substantiam: qui si conuertantur, solum iter  
 impietatis amittent: quod nec ab initio fuerit, nec  
 erit. Quod accidens igitur est, perit: quod substan-  
 tium, manet. Pereunt autem ita impij, quomodo  
 dicitur: Anima quæ peccat, ipsa morietur: vt pec-  
 cati aculeo, non omni substantiæ suæ dissolutione  
 moriantur.

Exch. 37.

Ioan. 11.  
Ioan. 12.

Ioan. 3.

S. AMBROSII IN PSALMVM I. DAVID ENARRATIONIS FINIS.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
 MEDIOLANENSIS, IN PSALMVM DAVID  
 VIGESIMVM PRIMVM ENARRATIO.

Titulus Psalmi XXI.

In finem, pro susceptione matutina, Psalmus ipsi David.

Psalmus XXI.

**D**EUS, Deus meus respice in me, quare me  
 dereliquisti? longè à salute mea verba  
 delictorum meorum.  
 Deus meus clamabo per diem, & non exau-  
 dies: & nocte, & non ad insipientiã mihi.  
 Tu autem in sancto habitas, laus Israel.  
 In te sperauerunt patres nostri: sperauerunt,  
 & liberaisti eos.

Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te  
 sperauerunt, & non sunt confusi.  
 Ego autem sum vermis, & non homo: op-  
 probrium hominum, & abiectio plebis.  
 Omnes videntes me deriserunt me, loquuti  
 sunt labiis, mouerunt caput.  
 Sperauit in Domino, eripiat eum: saluum fa-  
 ciat cum, quoniam vult eum.

Quoniam

Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre, A  
 spes mea ab vberibus matris meæ, in te  
 proiectus sum ex utero.  
 De ventre matris meæ Deus meus es tu, ne  
 discesseris à me.  
 Quoniam tribulatio proxima: quoniam non  
 est qui adiuuet me.  
 Circumdederunt me vituli multi, tauri pin-  
 gues obsederunt me.  
 Aperuerunt super me os suũ, sicut leo rapiens B  
 & rugiens,  
 Sicut aqua effusa sunt, & dispersa sunt omnia  
 ossa mea.  
 Factum est cor meum tamquam cera lique-  
 scens in medio ventris mei.  
 Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua  
 mea adhæsit faucibus meis: & in pulue-  
 rem mortis deduxisti me.  
 Quoniam circumdederunt me canes multi: C  
 consilium malignantium obsederunt me.  
 Foderunt manus meas & pedes meos, dinu-  
 merauerunt omnia ossa mea: ipsi verò cõ-  
 siderauerunt & inspexerunt me.  
 Diuiserunt vestimenta mea sibi, & super ve-  
 stem meam miserunt fortem.  
 Tu autem Domine ne elongaueris auxilium  
 tuũ à me, ad defensionẽ meam conspice.  
 Erue à framea Deus animam meã, & de ma- D  
 nu canis vnicam meam.  
 Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicor-

nium humilitatem meam.  
 Narrabo nomen tuum fratribus meis, in me-  
 dio ecclesiæ laudabo te.  
 Qui timetis Dominum, laudate eum: vniuer-  
 sum semen Iacob glorificate eum.  
 Timeat iam eum omne semen Israel: quo-  
 niam non spreuit neque despexit depre-  
 cationem pauperis,  
 Neque auertit faciem suam à me, & cum cla-  
 marem ad eum, exaudiuit me.  
 A te laus mea, in ecclesia magna confitebor  
 tibi, vota mea reddam in conspectu ti-  
 mentium eum.  
 Edent pauperes & saturabuntur, & lauda-  
 bunt Dominum qui requirunt eum, vi-  
 uent corda eorum in sæculum sæculi.  
 Reminiscantur & conuertentur ad Dominum  
 vniuersi fines terræ.  
 Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ fa-  
 miliæ gentium.  
 Quoniam Domini est regnum, & ipse domi-  
 nabitur gentium.  
 Manducauerunt & adorauerunt omnes pin-  
 gues terræ, in conspectu eius cadent om-  
 nes qui descendunt in terram,  
 Et anima mea illi viuuit, & semen meum fer-  
 uiet ipsi.  
 Annuntiabitur Domino generatio ventura,  
 & annuntiabit iustitiam eius populo qui  
 nascetur, quem fecit Dominus,

**P**SALMI qui lectus est feriem decursuri,  
 diligenter prius debemus intendere  
 quid in superscriptione contineat: vt co-  
 gnita eius origine, intelligentiam ipsius  
 facilius consequamur, & manifestato capite possint  
 rectius membra distribui. Inscrubitur enim ita: *In fi-  
 nem, pro susceptione matutina, Psalmus ipsi David*. Nisi fal-  
 lor, susceptio matutina solis ortum semper anteeu-  
 nit, & prius quàm orbem radiorum clarus splendor  
 illuminet, matutinum noctium tenebris terminum  
 ponit, ac resoluta sensim caliginum cæcitate, rebus  
 cunctis facies quædam ac lumen infunditur: & cum  
 veluti sub vna materie tenebrarum mundus in con-  
 fusione iacuerit, interueniente matutino diuersa  
 specierum varietate distinguitur, hoc est, cum o-  
 mnia cæca fuerint, oculi omnium reparantur. Nox  
 enim quodammodo aufert oculos mundo, aurora  
 restituit: atque ita antè matutina susceptione per-  
 fruimur, vt gloriosus postmodum solis splendore  
 potiamur. Sed quoniam sicut dicit Apostolus: Lex  
 spiritalis est, & spiritalibus spiritalia comparanda  
 sunt: solem hic iustitiæ arbitror designari, hoc est,  
 Christum Dominum, qui nobis ignorantia tene-  
 bris, & peccatorum cæcitate submersis, cælestis do-  
 cetrinæ suæ lumen infudit, & quos non habebamus

oculos cordis inseruit, & velut radios quosdam A-  
 postolos suos misit, qui nos de nocte terribilissima de-  
 linquentiæ liberarent, & paulatim resolutis in no-  
 bis tenebris peccatorum, matutina susceptione cõ-  
 suerent, vt perfecti facilius possimus tolerare so-  
 lis ardorem: hoc est, primum nos præceptis simpli-  
 cioribus erudirent, quòd capaciores efficereut cæle-  
 stium secretorum. Huius itaque solis iustitiæ matu-  
 rino, peccatorum caligo tota perimitur: sicut ipse  
 Propheta ait ex persona Domini: In matutinis in-  
 terficiebam omnes peccatores terræ: hoc est, orien-  
 te in nobis sole iustitiæ, qui habitaculum Domini  
 sumus, omnis cogitatio iniqua subuertitur, Cuius  
 solis etiam beatus Salomon meminit ex persona re-  
 putantium sibi ac dicentium peccatorum: Sol non  
 ortus est nobis, & iustitiæ lumen non luxit nobis.  
 Hanc quoque matutinam susceptionem in Euan-  
 gelio sancto possumus adscribere Mariæ Magdale-  
 næ, quæ mature ac diluculo ad monumentum vigi-  
 lans, Saluatoris resurrectionem Domini prima sus-  
 cepit: & clarescente mundi sole, solis iustitiæ ortum  
 præ omnibus sola cognouit, ac susceptione quidem  
 matutina gauisa est diem redditum, sed magis gauis-  
 a Christum à mortuis suscitatum: atque in ipsa com-  
 pleta est prophetia: Ad vesperum demorabitur fle-  
 N iij

Rom. 7.  
1. Cor. 2.

Malach. 4.

Psalm. 109.

Sapient. 5.

Ioan. 20.

Psalm. 29.



1. Cor. 9.  
Esa. 53.  
1. Pet. 2.

Matth. 27.

Exod. 4.  
1. Reg. 26.

Exod. 16.

Ioan. 6.

1. Cor. 11.  
Exod. 16.

tus; & ad matutinum lantia. Totus autem hic Psalmus digestus est ex persona Domini Saluatoris: quippe cum plura de eo in nouo sint posita testamento. Dicit itaque: *Deus Deus meus respice in me: & reliqua.* Quare assumpti hominis agit causam, & interrogare quodammodo videtur, dicens: Deus omnium, qui es Deus meus, quare me dereliquisti? nihil enim mihi conficius sum. Secundum Prophetam enim nesciebat peccatum, nec erat dolus in ore eius. Hæc autem dicit, vt manifestaret propter nos se esse derelictum, quorum peccata portabat: ac videntes disceremus pro ipso sancto & iusto mori, cum pro peccatoribus ille moreretur. Denique hac voce in passione vsus est, sicut in Euangelio legimus: *Eli eli, lamma sabachthani?* hoc est? *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* Hac, inquam, voce vsus est, vt quod propheta annuntiauerat, rei exitus approbaret. Et quoniam sequentia penè manifestata sunt, illum inspiciamus versiculum, in quo ait: *Ego autem sum vermis, & non homo:* Cur totius Dominus creaturæ vermiculo se voluerit comparari. Possumus hoc quidem humilitati primitus assignare, quæ sanctorum virtus est maxima, sicut sanctus Moyses ante Deum mutum se animal profiteretur: Dauid pulicem se sæpe commemorat. Sed magis illud accipiendum puto, quoniam vermis nulla extrinsecus admixtione alieni corporis, sed de sola & pura terra procreatur, ideo illum comparatum Domino: quoniam & ipse Saluator de sola & pura Maria generatur. Legimus etiam in libris Moyfi de manna vermiculos procreatos. Digna planè & iusta comparatio. Siquidem de manna vermiculus gignitur, & Dominus Christus de Virgine procreatur. **K** *Quin potius ipsam Mariam manna dixerim: quia est subtilis & splendida, suavis & virgo, quæ velut cælitus veniens, cunctis ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit. Quem qui edere aut manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait: Nisi quis manducauerit meam carnem, & biberit meum sanguinem, non habebit vitam in semetipso: sed potius ipse cibus in iudicium conuertetur, sicut Apostolus dicit: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi man-*

ducatur. Quod filii Israel subtiliter prophetatum est in veteri testamento. Manna enim illis contra diuina præcepta tractantibus, vermes effecti sunt: id est, contumaciæ vltiores & iudices. Quæ similitudo Christum indicat Dominum: quem qui suauem cibum & dulcem potum haurire neglexerit, iudicem patietur, sicut ipse ait: *Neque enim ipse pater iudicat quemquam, sed omne iudiciū dedit filio.* Nam quod idem sit vermis & iudex, alibi Propheta testatur, de peccatoribus dicens: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur vsque in hodiernum diem.* Quod autem ait: *Diuiserunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem:* hoc factum in Euangelio reperimus, quod milites qui crucifixerunt Saluatorem, in quattuor partes eius sibi diuiserunt vestimenta: vestem verò eius quæ assuta non erat, sed erat desuper contexta, sorte per ceperunt. Quæ igitur ista vestimenta sint, videamus, qui milites, quodve etiam vestimentum. Vestimenta esse puto prophetias, vel scripturarum celestium lectiones, quibus Christi Domini annuntiatum est sacramentum: quas prophetias vnum canentes, & vnum per omnia nuntiantes, aduersarij Saluatoris, hoc est peruersi hæretici, qui quotidie in illum tamquam milites manus impias ingerunt, hoc est, pro sua diuidunt sibi voluntate, & vnius corporis vestimenta per varia membra distribuunt; atque spoliantes Dominum, sua falsa dogmata vestierunt. Vestem autem eius quæ non erat consuta, sapientiam eius cælestem possumus approbare, quia erat desuper contexta. Nostra enim sapientia, hoc est humana, confuitur. Assuitur enim cum liberis damus ad studia grammaticis, tradimus philosophis, erudimus eos, vt sapientia in illis quæ non erat, acquiratur. Domini autem sapientia non assuta est, non quaesita. Non enim didicit à magistro, sicut ipsi Iudæi dicunt: *Quomodo hic litteras nouit, cum non didicerit?* Et ipse dicat: *Mea autem doctrina non est mea, sed eius qui me misit: hoc est quod ait, desuper contexta; quo vestimento, vel quibus omnibus vestimentis Ecclesia catholica semper amicta est, sicut Propheta ait: Assitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato.*

Ioan. 5.

Esaia 66.

Ioan. 19.

Ioan. 7.  
Ibidem.

Psal. 44.

S. AMBROSII IN PSALMVM XXI. ENARRATIONIS FINIS.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS, IN PSALMVM DAVID XXXV.

PREFATIO.

**D**ICTVS Propheta in Psalmo trigesimo quinto quæ esset forma iusti, antè formam expressit iniusti. Neque enim possumus cognoscere quæ sit forma iustitiæ, nisi cognoscamus quæ sit iniquitatis effigies. Sunt enim sibi aduersæ atque contrariæ. Namque in altera simplex habitudo naturæ, in altera fallax versutia nequitia. Alia virtutū imagines præfert, alia vitiorum commercia præterdit.

Conuenire autem hunc ordinem & ipsa ratio docet: & si de contrariis sumenda sunt testimonia, ipsi doctores philosophiæ confessi sunt, dum sequuntur. Quis autem dubitet longè anteriorem Dauid Platonis fuisse temporibus? quem non solum magister eius, sed nec aui quidem auorum eius videre poterunt: cum ille in principio regni fuerit Iudæorum (quod per innumera annorum curricula propagatum) esse post tempora captiuitatis, quibus regnum

1. Reg. 16.  
4. Reg. 25.

Psal. 17.

Psal. 2.  
1. Cor. 4.

Apo. 1.

Psal. 35.

Psal. 89.

Psal. 84.

Ioan. 1.  
Philip. 2.  
Esa. 53.

Psal. 68.

1. Cor. 8.

Esaia 53.

gnum gentis eius iam fuerat dissolutum. Ergo ipse qui tenet in omnes sæcularis sapientiæ principatum, cum diceret non posse formam iustitiæ comprehendere, nisi antè discutendam iniustitiæ seriem putauisset, exemplum attulit quod ij qui velint aurum quærere, prius se luto oblinant. Aurum itaque iustitiæ, iniquitas lutum est. Quod à nostris quoque prius dictum esse non dubium est, cum scriptum sit: *Vt lutum platearū delebo eos.* Et verè lutum: quia eos inquinat qui sibi appropinquauerint. Fugiamus ergo iniustitiam, ne luteis sordibus inquinemur, atque in eius voraginem non pes noster exterior, sed (quod est grauius) mens nostra mergatur. Et philosophia quidem aurum se quærere dicit, sed lutum versat, quæ diuinitatem quærunt in statuis: sed vala figuli virga confringet. Nos aurum quærimus, quo corpora nostra mundemus, mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu Christi in corpore nostro manifestetur. Bonum aurum, sanguis est Christi, diues ad pretiū, profluus ad lauandum omne peccatum. Ordinem diximus, titulum consideremus.

Titulus Psalmi XXXV.

In finem, seruo Domini Dauid.

**I**N toto Psalterij corpore solus hic titulus est quo Psalmum seruo Domini se scripsisse testatur. Quis in e est seruus Domini, videamus: quid Psalmi series significet, cui dictus hic Psalmus sit: audiamus ad quem loquatur. Domine, inquit, in celo misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes. Iustitia tua sicut montes Dei, iudicia tua abyssus multa. Cui hoc, nisi filio Dei dicitur? Hæc enim non humana, sed diuinæ sunt potestatis. Sed quid sibi vult quod seruo Domini dici Psalmum hunc titulus declarauit, cum orationem Moyfi hominis Dei maluerit quam serui Domini in posteriore titulo nuncupare? Quod ergo consilium Prophetæ fuerit, non intelligo, vel potius ipsius Domini saluatoris, qui locutus est in Propheta. Verè iudicia eius sicut abyssus multa, vt seruo honorificentiam reseruaret, sibi conditionem seruitutis adscriberet. Videor mihi intelligere, videor hausisse aliquid de gratia spiritali. Aduersus iniustitiā, vt diximus, Psalmus hic scriptus est: & ideo plus grauatur iniustitia perfidorum, qui Christum Iesum Dominum recipere noluerunt: cum ille propter ipsos suscepit seruitutem. Quid enim tam iniquum, quàm ingratos fuisse tantis beneficiis: vt quibus ille salutem daret, hi sanguinem eius effunderent? Denique alibi cum de sua passione loqueretur, ad aceruandam Iudæicæ impietatis inuidiam sic ait: *Ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me. Pauper & dolens ego sum. Veni Paule, interpretae nobis qua ratione Dominus cæli atque terrarum se pauperem dixerit, quæ sit ista paupertas. Tu certè illum diuitem dixisti. Quomodo idem diues & pauper est? Audiamus testimonium Pauli. Scitis, inquit, gratiā Domini nostri Iesu Christi: quia propter vos pauper factus est, cum diues esset: vt vos eius inopia ditaremini. Veni & tu Esaia, interpretae nobis quomodo se dolentem dixerit Christus, qui dolores vulnerum sanare*

confecit. Medicus venit, vt curaret ægrotos. Quid ipse habuit quod doleret? Audiamus etiam Esaia testimonium. Pro nobis, inquit, doler: & nos æstimauius eum esse in dolore. Expressit medici affectum: qui etiam si ipse nullum vulnus habuit quod doleret, tamen compassus est vulneratis. Hoc igitur in Psalmo Dominus exprobrat Iudæis: *Ego propter vos pauper, ego pro vobis dolens, & vos mihi manus impias intulistis, dicentes: Tollamus iustum, quia inutilis est nobis. Iniiciamus lignum in panem eius. Bene panem dixit pro carne eius. Ille alimentum detulit, isti pro beneficio retulere supplicium. Non mirum ergo si esuriunt, qui sibi vitæ æternæ alimoniam denegarunt. Pulchrè etiam duo ista iunxerunt: Iniiciamus lignum in panem eius. Nesciebant quid loquerentur Iudæi, & mysterium loquebantur. Paradisum nobis crux reddidit Christi. Hoc est lignum quod Adæ Dominus demonstrauit, dicens de ligno vitæ quod esset in medio paradisi, edendum: de ligno autem scienciæ boni & mali non edendum. Errauit Adam, mandata non tenuit, interdicitum gustauit. Per lignum cœpimus esurire, quia suum caro accepit alimentum. Ideo Dominus in Christo carnem iunxit & lignum, vt fames antiqua cessaret, vitæ gratia redderetur. Beatū lignum Domini, quod omnium peccata crucifixit: beata caro Domini, quæ victum omnibus ministravit. De paupertate igitur & dolore Domini idonea, vt arbitror, sanctorum protulimus testimonia, quorum alter vidit & dixit, alter est electus vt diceret. Ipsorum igitur qui probati sunt, de seruitute Domini testimonia iterum proferamus, immò sua quæ de se ipse locutus est in vtroque. Audiamus ergo quid dicat. Sic dicit Dominus, qui finxit me ex vtero seruum sibi ad congregandum Iacob & Israel ad eum. Aduertimus ergo quod propter congregationem populi formam suscepit seruitutis. Audis Iudæe, & pro gratia contumeliam refers: & hoc ad perfidiam deriuas, propter quod magis credere debuisti. Ad te vocandum venit, & conuiciaris? Ex vtero seruum se dixit. Audi Ariane. Ex quo vtero? Paululum supra recurre. Ex vtero, inquit, matris meæ vocauit Dominus nomen meum. Quod nomen eius sit audiamus, quo eum pater vocauit. Ecce Virgo in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: quod interpretatur, Nobiscum Deus. Quod nomen quid aliud est nisi filius Dei? Accipe aliud. Dixerat quidem & Gabriel ad Ioseph de Maria: *Pariet filium, & vocabis nomen eius Iesum. Accipe Dei vocem. Et tu Bethleem Iudæ non es minima inter principes Iudæ: ex te enim exiit princeps qui regat populum meum. Aduerte mysterium. Ex vtero Virginis idem & seruus exiuit & dominus. Seruus ad operandum, Dominus ad imperandum: vt regnum Deo in hominum mentibus radicaret. Vtrinque vnus: non alter ex patre, alter ex Virgine, sed idem qui ante sæcula ex patre, ipse postea carnem suscepit ex Virgine. Ideo ergo & seruus vocatur, & dominus. Propter nos seruus, sed in vnitatem diuinæ substantiæ Deus ex Deo, princeps ex principe, æqualis ex æquali. Neque enim degenerem genuit, in quo se ipse complacere memorauit. Magnum, inquit, tibi est vocari puerum meum;**

Ibidem.

Sapient. 3.  
Hier. 11.  
Esaia 65.  
Sapient. 2.

Genes. 2.

1. Pet. 2.  
Ioan. 6.  
Act. 22.

Esaia 50.  
Esaia 49.

Ibidem.

Esaia 7.  
Matth. 1.

Ibidem.

Micha. 5.

Matth. 2.

Esaiæ 49.

Psal. 144.

Philipp. 2.

Hebr. 1.

Hebr. 2.

Psal. 144.

Rom. 10.

Hebr. 2.

Philipp. 2.

Rom. 6.

Rom. 8.

Arist. lib. 5.

hist. anim.

cap. ult.

Plin. lib. 10.

hist. natur.

cap. 62.

2. Petr. 1.

Prover. 26.

Prover. 9.

1. Reg. 24.

vt statuas tribus Jacob. Seruat vbique suæ vocabula dignitatis. Magnus Deus, & magnus puer: nec in carne magnitudinis suæ nomen amittit, cuius magnitudinis nullus est finis. Meritoque securus, cum in forma Dei esset, vt Apostolus dicit, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanīuit, formam serui accipiēs, in similitudinem hominum factus, & specie inuentus vt homo: humiliavit semetipsum, factus obediens vique ad mortem, mortem autem crucis. Hic est ergo æqualis quasi Dei filius. Hic serui formam in carne suscepit, hic mortem gustauit, cuius magnitudo non habet finem: quia finis legis est Christus ad iustitiam omni credenti: vt in ipsum omnes credamus, hunc intimo adoremus affectu. Bona seruitus, quæ omnes liberos fecit. Bona seruitus, quæ nomen super omne nomen adquisiuit. Bona humilitas, quæ fecit vt in nomine eius omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur quoniam Dominus Iesus in gloria est Dei patris. In hunc ergo finē dirigitur hic Psalmus, vt & nos serui simus ad iustitiam, non superbi ad arrogātiā. Seruitutis enim stipendium, libertas est: stipendium autem arrogatiæ mors est. Sed iam ipsam Psalmi seriem adoriamur.

Psalmus Dauid trigesimus quintus.

**D**ixit iniustus vt delinquat sibi: non est timor Dei ante oculos eius.

Dixit iniustus, &c. sed quid dixerit, nō expressit: & ideo sic intelligēdū arbitror, quia quidquid dicit iniustus, peccatū est. Omnis enim iniustitia, peccatū: quoniam vbi organum vitiosum, quomodo potest cantus non esse vitiosus? Degeneris materiæ decolor partus est. Quidquid ergo loquitur iniustus, iniustitas est, quæ in suum refertur auctorem: sicut viperæ partus, qui primò suam scindit parentem, vt frequens sermo est. Sibi ergo delinquit. Nihil hac sententia sublimius dictum arbitror. In illis qui sibi sapientiam sæculi vendicauerunt, nihil tale legi, nihil tale cognoui. Nec mirum: quandoquidem illi humano ingenio locuti sunt, hoc infudit spiritus Dei, spiritus veritatis, quia iniustus sibi delinquat, sibi generet vulnera, se ipse confodiat. Nam sicut spinæ nascuntur in manu ebriosi, vt scriptura asserit: ita & in iniusti sermone nascuntur quæ compungant loquentem. Loquitur iniustus, & interior eius conscientia vulneratur: quia in omni sermone quem loquitur, non est fraudis immunis. Cuius enim grauior est pœna, quàm eius qui pro omni sermone det pœnas? Serpens aliis infundit venenum, iniustus sibi. In eum enim refunditur quidquid effuderit. Iniustus igitur & aliis inutilis, & sibi noxius: iusti autem vita fructuosa aliis, sibi dulcis. Dicit enim Salomon: Fili, si sapiens eris, tibi sapiens eris, & proximis: si autem malus euaseris, solus hauries mala. Aduertinus ergo quia iustitia aliis est potius nata, quàm sibi. Commune commodum, non suum expectat, & alienum bonum pro suo ducit emolumēto. Beata & præclara iustitia, cuius bonum omnibus proficit. Ex vno proficitur, atque ad omnes peruenit. Iustus Dauid, qui parcebat inimico, & malebat inno-

centiam suam, quàm vitam tueri, ne malo publico vindicaretur, atq; appetendi principis in malis quoque causis aliis exemplum ederet, si ipse vindictam de insidiatore sumpsisset. Iustus Abel, qui de ouibus suis quas ei Dominus dederat, primitias Domino putauerit offerendas: & ideo plus placuit Deo, quia moram non fecit, deuotionem probauit. Sed hoc impius ferre nō potuit, iustitiæ præuaricator, radix iniquitatis: & ideo fratrem occidit, quia hostia eius Deo magis quàm oblatio sua fuerat cōprobata. Sed ille occisus Deo loquebatur in voce sanguinis sui, hic viuus à facie Domini repellabatur: & cū adhuc à Domino pœna cessaret, torquebat eum suorum conscientia peccatorum. Latebat miser tremens & timens: & cū adhuc percussor decesset, ipsa sese iniusti vita cruciabat. Acceperat signum, ne eū aliquis occideret: non vt vitæ suauitate frueretur, sed ne mors auferret grumnam, vt percussorē suum quotidie timendo pateretur. Meruerat quidē vt percussor inhiberetur: sed sine vlla intermissione ipse sibi suus carnifex erat, ipse percussor. Quæ pœna maior, quàm timere quod vitare non possis, nec quod timueris euadere? Vnde præclare Dauid exprimens conuentionem grauissimā conscientia peccatricis, ait: Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & delictum meum coram me est semper. Offunditur enim nobis vltix nostri imago peccati: nec quietum reum esse permittit, inferēs miseram seruitutem: atque in sua vincula trahit, vt enodare se nō queat, quoniam volens ipse se vendidit, cui liberum erat delictorum æra non capere, & libertatem innocentiæ reseruare. Itaque dum oramus, peccatum offunditur: vbi somnus sensum corporis relaxauerit, peccatum recurrit. Semper nobis error noster tamquam malus exactor occurrit, vel tamquam improbus scelerator conueniens debitorem. Vnde Dominus ait: Qui facit peccatū, seruus est peccati. Sed iustus nouit quem admodum peccatorum suorum vincula dissoluat, nec expectat accusatorē, sed præuenit, vt confitendo suum alleuet omne delictum: ne habeat quod aduersarius criminetur. Ideoq; scriptura tibi dicit: Iustus in principio sermonis accusator est sui. Vocem enim eripit aduersario, & quasi dentes quosdam paratos ad prædam criminationis infestæ, peccatorum suorum confessione constringit. Dixit Iudas Iscariotes vt delinqueret sibi. Quid dixit? Quem osculatus fuero, ipse est: tenete eum. Hoc dixit, & se ipse proprio ore egit in mortem. Quantos putamus in ipso fuisse tortores, vt sibi ipse tam grauis pœnæ exactor incumberet, & semetipse laqueo strangularet? Dixit iniustus vt delinquat sibi. Locutus est iustus: Ecce ego pastor malè feci, & grex iste quid fecit? Et remissum est omne peccatum. Dixit ergo iustus, & sibi profuit. Dixit Cain: Numquid ego custos sum fratris mei? Et sibi ipse mentitus est. Dixit Ananias omne se venditi sui ruris pretium pertulisse, & mentitus est sibi, qui potuit minus offerre sine fraude. Ideoq; præclare ait: Et mentita est iniquitas sibi. Sibi enim antè mentitur, qui in suum mentitur exitium: sibi delinquit, qui sibi innocentiæ eripit suauitatem. Quis enim puritate & simplicitate pectoris dulcior fructus? Quis cibus suauior, quàm is quem animus bene sibi conscij, & mens innocentiæ epulatur?

Gen. 4.

Hebr. 11.

1. Ioan. 3.

Genes. 4.

Ibidem.

Psal. 50.

Ioan. 8.

Prou. 18.

Matth. 26.

2. Reg. 24.

Genes. 4.

Act. 5.

Psal. 26.

Zach. 5. Psal. 37. Iron. 12.

Rom. 10.

Prover. 12.

1. Reg. 24.

Prou. 23.

Esaiæ 14.

Dan. 13.

Heb. 4.

Sap. 1.

Ib. 43.

Matth. 6.

Iosephus lib. 18. Antiq. cap. 117.

latur? At verò iniquitas velut quodam plumbeo talento (vt scriptura testificatur) conscientiam grauat. Meritoque Dauid ait: Sicut onus graue grauatae sunt super me. Et Salomon: Sicut vna acerba dentibus, & fumus oculis: ita iniquitas omnibus vtrētibus ea. Grauis pœna quæ cibum impedit, aspectum obducit, & (quod est amplius) oculis mentis internæ tenebrosam offundit caliginē, vt quod verū est, videre nō possit iniustus: ideòq; delinquit sibi qui sibi quæ pretiosa sunt eripit. Dicit ergo iniustus, vt delinquat sibi. Iustus autem loquitur, vt & aliis & sibi proficit. Ille loquitur ad perniciem, hic loquitur ad salutem. De iustis enim & fidelibus dictum est: Corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem. Illius lingua vulnerat, lingua autem prudentum sanatur. Vnde cū expostularet Dauid cū rege Saul, quod oblitus beneficij, salutis ingratus eum perseceretur ad mortem, à quo totiens iam videret se esse seruatum, & vitam eius appeteret qui vitam suā pro regis salute periculis obtulisset: ait sibi fructum non perire iustitiæ, qui insidiatorem suum in manus suas à Domino sibi traditum non peremisset. Ab iniustis iniquitas prodiuit, venenum à serpentibus effusum est, venenum & iniquitatis arma perierunt. Ideo scriptum est: Dixit iniustus, vt delinquat sibi. Quid dixit? Ponam thronum meum super nubes, & ero similis altissimo. Effectum non habent verba, sed peccatum habent. Inanis quidem pompa iactantiæ, sed superbix spiritu criminofus, non timet conuicio maiestatem violare diuinam. Etenim si vllus Dei timor eius inesset affectui, non in conspectu Dei plena doli gerenda sibi ausu temerario credidisset, quasi Deus non possit occulta cognoscere, qui scrutator est interiorum. Spectat omnia Deus: nihil est quod eum prætereat, nemo qui fallat: cui omnia presentia quæ futura sunt, & manifesta quæ latent. Etenim si soliste mundanus clausis plerumque domiciliorum habitaculis suum lumen interferit: quanto magis Deus summus, æternus, etiam secreta penetralia mentis humanæ, atque omne angelorum consilium scientia sua scrutatur & præuenit? Quid ergo aliud agit iniustus, nisi vt iniquitatem sibi querat & odium? Sic enim scriptum est:

Quoniam dolose egit in cōspectu eius, vt inueniret iniquitatem suam, & odium.

Quid est, inuenire? Omnis enim qui querit, inuenit. Ergo si malum queritur, agitur vt inueniatur. Sed quemadmodum laudabilis est ille qui bonum quod quæsiuit inuenit: ita inueniabilis qui laborauit vt malum quod quæsiuit inueniret. Bonis enim rebus, non flagitiis atque criminibus laborem nostrum nos oportet impendere. Quid igitur nisi summa stultitiæ atque dementiæ est, odium quærere, iniquitatem malis artibus inuenire, quam bonus nemo quæsiuit? Quomodo igitur improbi iniquitatem suam & odium querant, consideremus. Nempe Herodias erat Tetrarchæ Philippi legitimo nexa coniugio, regiæ abundans opibus potestatis: quæ Herodem Romam aduque tendentem quasi germanum mariti, hospitij & affinitatis iure suscepit: cum quo depecta suam copulam, non multo post relicto viro confortij sui iura mutauit. Nōnne ca-

quæsiuit iniquitatem & odium, quæ coniugium deseruit, vt inueniret adulterium? Et quia sanctus Baptista nuptias illicitas constanter increpuit, dicens Herodi: Non licet tibi cam vxorem habere, quæ maritum cōtra legem reliquit, & fratri mariti quasi ex lege conuenit: commota est adultera, vt eum vellet occidere. Sed cognito quod Herodem ad necem iusti non facile posset insectere, excogitauit qua via istud efficeret. Natalis erat Herodis, quem luxu nimio (vt plerisque regibus mos est) celebrare confueuerat. Adarnauit filiam, vt in conuiuio regis pignus regale saltaret. Et cū placuisset Herodi, quod displicere debuit patruo: obtulit ei, vt quod vellet præmium pro saltationis opprobrio postularet. Matrem illa consuluit: cuius impulsu caput Baptistæ poposcit. Victus Herodes, quia sacramento se constringerat daturum quidquid neptis propria petisset, iussit occidi Ioannem, & caput eius afferri. Quod allatum puellæ dedit, & illa matri suæ pertulit. Verum est ergo quod iniquitas & odium requirantur: quandoquidem ea mulier quod facili petitione impetrare non poterat, prauis artibus excogitata fraudis elicit. Quid de Iuda proditore loquar, qui quæsiuit auaritiā, & inuenit sacrilegium, dicens: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Nec expletus pauperum spoliis, ad plenitudinem criminum grauissimorum crimina ferendo peruenit, pia miscens charitatis sacramenta flagitiis, cū diceret: Quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum. vt verè de eo dictum dubitari non queat:

Verba oris eius iniquitas & dolus: noluit intelligere vt bene ageret.

Verba oris eius, &c. Oscula labijs ferebat, offundebat venena pectoribus. Meditabatur acerba supplicia, gratiæ pignus assercebat. Bene ergo Propheta addi fecit: Noluit intelligere vt bene ageret. Non enim per naturam deliquit, sed per voluntatem. Denique Apostolus erat, audiebat quotidie diuina mandata, dicebat cæleste mysterium: potuit intelligere vt bene ageret, si voluisset. Videbat sanari paralyticos, cæcis refundi lumen, mortuos resuscitari: non debuit intelligere quod Deus esset, qui talia posset operari: Sed intelligere noluit, quia auarus homo & pecuniæ intentus à cognitione diuinitatis vigorem suę mentis auertit. Vnūquisque enim qui se flagitiis ingurgitauerit, non vult intelligere quæ cælestium mandatorum sunt, ne reuocetur à vitis. Vide illum fugientem intelligere, qui ait: Tenebræ operiunt me, & circumdant parietes, quis scit an videat Dominus? Non vult enim quærere & inuenire quod Deus omnia videat atque cognoscat: ne metu retrahatur à crimine. Vide regem Achab petentem à Nabuþe vineam eius: cognosce respondentem illum: Absit vt cedam hereditatem patrum meorum. Non debuit intelligere quod iusta referere? Sed, noluit intelligere vt bene ageret, & aliena non quæreret. Non debuit intelligere quod vero Elias Deo seruebat, cū videret in verbo Eliæ clausum cælum tribus annis & sex mensibus, & ad preces eius pluuias esse demissas, vt arida omnia rigarentur? Sed noluit intelligere, ne perfidiam condemnaret, sequeretur fidem. Quinetiam inquit:

Mar. 6.

Ibidem.

Matth. 26.

Ibidem.

Matth. 18.

Ioan. 13.

Matth. 12.

Ioan. 3.

Ioan. 12.

Prover. 18.

Eccles. 23.

3. Reg. 20.

Luce 4.

Iacob. 5.

Iniquitatem meditatus est in cubili suo: adstitit omni via non bonae, malitiam autem odio non habuit.

Iniquitatem meditatus est in cubili suo; vbi verum querere debuisset. In cubilibus enim compungere nos debent nostra peccata, non in ipsis delinquenda committi, dicente Propheta: Quae dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.

Adstitit (inquit) omni via non bonae: malitiam autem odio non habuit. Non immerito iniusta meditatur, qui in via erroris adstitit, & malitiam diligit, quam odisse deberet. Plus dixit, adstitit, quasi iam dudum in via nequitiae diuturna statione permaneat. Ille enim beatus, qui in via peccatorum non stetit, non is qui in ea stare non desinat. Et ideo prima praecepta sunt sancti prophetae David, impietatem fugere, in peccato non stare, in lege meditari: vt intelligas quae bona sunt, & iusta atque iniusta fecernas. In omnibus igitur radix est spectanda gignendis, ne cam inutilis ab exordio succus inficiat: grauioraeque multo sunt animorum vitia, quam virgultorum. Cauendum ergo praeter ceteris, ne humano ingenio malitiae vsus inoleat, atque omnis aetas secura degeneret. Arbor enim mala fructus malos facit. Nam si plerumque quod volumus hoc agimus, & vitare non possumus: & quod odio habemus, hoc facimus victi quadam aut delectatione flagitij, aut obreptione peccati: quomodo possumus vitare quod amamus? Adstringimur & inuiti, quomodo possumus voluntarij non teneri? Vix se exsoluit Paulus erroribus quotidiana decertatione luctando, vt vinculis captiuitatis exutus, per Christi gratiam seruarietur: & tu putas quod assistendo delictis possis ad caelestium re-promissionum merita peruenire? Luctando corona quaeritur, non reluctando: studio, non refragio comparatur. Certantibus quoque diuinae misericordiae suffragia postulanda sunt, vt corona iustitiae pro laborum meritis deferatur. Denique quid sequatur consideremus.

Domine in caelo misericordia tua; & veritas tua vsque ad nubes.

Iustitia tua sicut montes Dei; iudicia tua sicut abyssus multa.

Nonne huic locum secutus est Paulus, vt diceret: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Vbi enim mens humana turbatur, & certaminum dura atque aspera nos fatigant, Domini auxilium postulandum est. Ideoque conuersus ad Dominum, ipsum inuocat & implorat, vt laborantibus adiutor assistat. Misericordia ergo petenda de caelo est, & veritas Dei ex prophetarum oraculis colligenda, qui quasi nubes mysteria diuiniae cognitionis obtexunt. Posuit enim tenebras Deus latibulum suum: vt primo pluuiam mysticae fertilitatis accipias, & tunc infusus rore caelesti fulgorem referat: lucis agnoscas, vt possis dicere: Ex plenitudine eius accepimus. Quis enim potest secreta Dei facile comprehendere, cuius iustitia sicut montes Dei: vel (sicut Aquila posuit) vt montes validi: eo quod valida virtutis plena praecepta sint. Vnde & Apostolus

videns esse sublimia quae audiuit, dicit: O altitudo diuitiarum sapientiae & scientiae Dei: quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viae eius! Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Altitudinem itaque diuitiarum sapientiae retulit ad altitudinem motuum. Audi quorum montium. Ipse enim Dei filius mons magnus est: & ideo ascende in hunc montem qui euangelizas Sion, vt stes radicans & plantatus in Christo. Est & mons quasi sapientia Dei, est mons quasi iustitia, est mons quasi scientia Dei, est mons quasi sanctificatio, est mons quasi redemptio, est mons quasi resurrectio. Demonstrat nobis hos motus scriptura, quae dixit: In ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est sapientia nobis a Deo, & iustitia & sanctificatio & redemptio. Vel quia angelis angelus factus est Dei filius, prophetis propheta: cuius iudicia sicut abyssus multa. Audi: Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum. Id est, scriptura veteris testamenti, noui aduocat feriem testamenti, ad consummationem sanctificationis, & plenitudinem gratiae, sonitu quodam atque profluuiio redundantis spiritalis.

Homines & iumenta saluos facies Domine: sicut multiplicasti misericordiam tuam Deus. Filij autem hominum in protectione alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuae, & torrentem voluptatis tuae potabis eos.

Homines & iumenta saluos facies, &c. Quid est, homines & iumenta? Rationabiles utique, & irrationabiles. Rationabilibus iudicia, irrationabilibus misericordia. Alij reguntur, alij nutriuntur. Ideoque addidit: Filij autem hominum in protectione alarum tuarum sperabunt. Id est, non generatio viperarum, sed filij hominum, qui ad imaginem & similitudinem Dei viuunt, non in pascuis, sed in conuiujs collocantur. Alij enim in loco pascuorum, alij in priuilegio sacramentorum. Imperfectis succus lactis, perfectis mensa refectio nis, de qua dixit: Parasti in conspectu meo mensam. In qua panis viuus, id est, verbum Dei: in qua oleum sanctificationis, quo impinguatur caput iusti, & sensus firmatur interior, vt aboleatur oleum peccatoris: in qua, etiam poculum illud inebrians quam praeclarum, vel quam validum. *χρῆμα* enim dixit Graecus. Validum enim, quo abluuntur flagitia vel delentur. Bona ergo ebrietas poculi salutaris. Sed est alia ebrietas de redundantia scripturarum: est & alia ebrietas per infusionem Spiritus sancti. Denique illi qui diuersis linguis in Apostolorum Actibus loquebantur, musto pleni audientibus videbantur. Domus ergo Ecclesia est: vbertas domus, redundantia gratiarum: torrens voluptatis, Spiritus sanctus. Nec te nome aut mos torrens offendat, quod aliquando aridior aut exilior fit, vt cuius soleant fluenta cessare. Cessauit & hic noster, cessauit aliquando torrens profluuij spiritalis in populo Iudaeorum. Quid dicam, torrens cessauit, cum mare cessauerit, sicut lectio hodierna nos docuit, dicente Deo: Ecce ego increpatione mea desolabo mare, & ponam flumina deserta, & arefient pisces eorum, utique Iudaeorum

2. Cor. 11. Rem. 11.

Esai. 40.

1. Cor. 11.

Esai. 41.

1. Cor. 3.

Matth. 3. Esai. 25. 1. Cor. 3.

Psal. 22. 1. Cor. 6. Psal. 88. Psal. 140. Psal. 22.

Act. 2.

Esai. 50.

Iudaeorum, suae ariditate perfidiae, vt enatare non possint: Cessauit ergo torrens propter synagogae sacrilegia: quia erat illa plebs fide arida, sterilibus operibus, captiua peccatis. Quid enim flueret, non bibentibus, vel contaminantibus sacrosmeatus, cum ipsum fontem necarint? Bonus torrens, qui illis cessauit, vt nobis abundaret, & sitim humanae cupiditatis auerteret, sicut torrens in austro. Vnde & scriptura dicit: Surge aquilo, & veni auster, qui arbutulas paradisi perficere consuevit. Diximus sensum; etiam elocutionem consideremus. cur torrentem voluptatis dixerit potabis eos, & non torrente, quasi de torrente, nisi quia auidentatem bibentium voluit exprimere, quasi torrentem ipsum vellet ebibere se posset? Hic est forsitan torrens voluptatis quem in Genesi legimus, fontem qui abluit paradisum, & diuiditur in quattuor flumina, quae circumeunt totam terram. Ex hoc fonte virtutes profluunt spiritalis: prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia. Bonus fons, gratiae & splendoris eiusdem atque naturae, cuius & illud flumen, de quo in posterioribus dicitur: Fluminis impetus laetificat ciuitatem Dei: Aptissime itaque subdidit:

Quoniam apud te est fons vitae: & in lumine tuo videbimus lumen.

Etenim post commemorationem caelestium beneficiorum, iure gratiae referuntur auctori Domino nostro Iesu Christo, qui vt fons irriguus descendit in terras, quod ariditatem nostri pectoris irrigaret: idem est splendor gloriae Dei patris, & imago substantiae eius, & ideo in lumine eius vero, quod illuminat omnem hominem vententem in hunc mundum, videbimus, inquit, patrem: quia Deus lux est. Recte etiam dicitur: In lumine tuo videbimus lumen: secundum illud: Qui me vidit, vidit & patrem. Apud te ergo fons vitae, praesentem videbimus patrem. Sicut enim tu apud patrem eras in principio Deus verbum: ita apud te semper est pater, quia in te est. Est enim apud ipsum, in quo est, Prophetatur autem aduentus Domini Saluatoris, qui venturus in terram diceret: Ego & pater vnum sumus. Id est, vnum sumus lumen, sicut vnum nomen. Per luminis & nominis unitatem ambo vnum sumus, immo trinitas vnum in unitate substantiae, sed distinctione vniuscuiusque personae. Trinitas distinctionem significat personarum, unitas potestatem. Potest & ad patrem dici: Quoniam apud te est fons vitae, id est, ex quo vita processit, quod erat verbum, quod & semper erat, quia apud te erat. Omnia per ipsum & in ipso facta sunt: & ipse est vita vniuersorum: & ipse te nobis manifestauit, vt corda hominum ad cognitionem tuae maiestatis illuminaret.

Prænde misericordiam tuam scientibus te, & iustitiam tuam iis qui recto sunt corde.

Prærogatiua prærenditur, vt mereantur misericordiam quibus cognitionis tuae meritum suffragatur. Denique in posterioribus etiam vilioribus personis studiū scientiae agnosceimus suffragatum, dicente Domino: Memor ero Rahab & Babylonis scientibus me. Id est, meretricis illius Rahab, & confusionis illius memor ero apud scientes me, vel inter ipsos, quia S. Ambr. tom. 2.

Psal. 125. Cant. 4.

Gen. 2.

Psal. 45.

1. Cor. 7. 2. Cor. 1.

1. Cor. 1. 1. Cor. 11.

1. Cor. 14. 1. Cor. 1.

1. Cor. 14. 2. Cor. 10.

1. Cor. 1.

Psal. 86. Ios. 2.

meretrix illa me agnouit, quem populus non agnouit. Inter illos ergo qui me scierunt, commemorabitur Rahab, vt dignum fidei praemium adipiscatur. Vnde & in Evangelio dictum aduertimus: Meretrices & publicani praecedent vos in regno caelorum. Sed quia inualidi sumus ad exequendum, licet deuoti ad credendum: tu praeende misericordiam tuam in te credentibus, quod deuotioni & fidei facta quoque: nostra conueniant: nec studium mentis nostrae destituit corporis huius infirmitas, sed in ipsis tentationibus & infirmitatibus gloriemur, in quibus gloriatur Apostolus, dicens: Libentissime itaque gloriabor in infirmitatibus meis, vt praetendat in me virtus Christi. Pulcherrime itaque addidit:

Non veniat mihi pes superbiae, & manus peccatorum non moueat me.

Superius quidam accipiunt torrentem voluptatis, in tentationibus fortitudinem, sicut est martyr: quibus placuit Deo exhibere suauis & grati certaminis voluptatem. Etenim si hyemes pro tentationibus accipiuntur: vnde & orandum Dominus admonet, ne fiat fuga nostra hyeme aut sabbato, hoc est, vel in tentatione, vel otio: hyeme autem crescit torrens, & adimpletur atque intumescit: torrens utique pro grauiore tentatione potest accipi, quae est in persecutionibus. Et ideo bene torrens voluptatis dicitur: quia vbi superabundauit peccatum persecutionis, superabundauit & gratia confessionis. Vide virtutem propheticae distinctionis. Primo iniustum exposuit, qui vel in corde suo vel in sermone dicit vt sibi delinquat, vel in se delinquat. habet enim Graecus codex *εἰς εἰδὴν*, id est, in seipso: sed non omnes. Et forte et ideo, quia insipiens in corde suo dixit: Quia non est Deus. Ne forte & iniustus intra se dicat, & intra se delinquat: licet Deum palam negare dementis sit: iniustitiam autem plerique pro laude profitentur. Rapere enim nocere etiam iis qui non laeserint, & circumuenire, plerique sibi existimant gloriosum. Ergo primo iniustus vitam exposuit, postea sacramentum diuinae cognitionis adiunxit, vt timentes Deum, iniquitatem & iniustitiam declinemus. Peccatum addidit, vt ab iniustorum consortio iustos suos liberare dignetur: vt in iis quoque qui mundo sunt corde, iniustitia diuina praetendat quasi speculatrix pia, ne nobis peccatorum velut hostium incurfus obrepat, & capiat dormientes. Ideo vigilandum est, semper castra Domini municae sunt: quia nocte aduenit inimicus & aduersarius, quando somno sensus tenetur, cibo corpus distenditur. Orandum vt iustitia Dei praetendat in nobis, quae in infirmitate posita faciat fortiores, vt possit vnusquisque nostrum dicere: Cum infirmor, tunc potens sum. Deinde etiam specialiter pro se orat: vt nos doceat quemadmodum orare debeamus ad Dominum. Non veniat (inquit) mihi pes superbiae, id est, non in superbiam incidam. Denique & alibi comminit sui, dicens: Neque ambulauit in magnis. Hic orauit, ibi impleuit. Non impleset, nisi orasset. Cauenda superbia, quae etiam in prosperis supplantat. Denique grauius Adam in paradiso cecidit, quam si cecidisset in terra. De altissimis cadere, praecipitium est: in planis, lapsus vocatur. Ideo pes errat superbi, quia caput non tenet. Oculi enim sapientis in

Esai. 7.

Matth. 23.

2. Cor. 12.

Matth. 24.

Psal. 15.

Proverb. 3.

Matth. 13.

2. Cor. 12.

Psal. 130.

Eccli. 2.



1. in. 11.

1. Cor. 6.

Psal. 72.

Psal. 47.  
Galat. 4.

capite eius. Non mirum ergo si errat vestigium, vbi oculus nō habetur. Præcedat oculus, vt pes sequatur. Quomodo enim in tenebris viator incedat? Cito pes offendit in nocte, si quasi quidam mūdi oculus viam luna non monstret. Et tu in nocte es sæculi, monstret tibi Ecclesia viam: ex alto te iustitiæ sol illuminet, vt lapsum timere non possis. Et quia pedē dixerat superbiæ, addidit: *Et manus peccatorum non moueat me.* Etenim sicut sancti membra sunt Christi, ita impij membra sunt diaboli. *Manus peccatorum non moueat me.* id est, actus eorum qui peccant, non me de iustitiæ statione dimoucant. Plerumque enim, dum videmus peccatores prosperis abundare successibus, nutamus affectu, & quasi quadam peccatorum manu de radice virtutis auellimur. Cauendum ergo ne quos in domo Dei manus diuina plantauit, manus aduersa supplantet. Pulchrè tamen hoc dicit qui à persecutoribus verberatur. Qui autem mouentur de radice sua, qua iam Christo inhæserant, cadunt. Vnde addidit.

Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare.

Quid est: *Ibi ceciderunt*? Vtrum vbi est superbia, vbi est manus peccatorum? An vbi stabant, vbi erant antè plantati, ibi ceciderunt? An in vicino, an in continente, quasi in ipso tempore, in ipso loco? Et videtur ambiguum. Sed alibi docemur quid sit *Ibi*, vbi dicitur: Ibi dolores sicut parturientis. Bonus dolor ei cui partus est fidei, quo Christus in Ecclesia

formatur & nascitur. Et alibi dicit: Memor ero Rahab & Babylonis scientibus me. Et ecce alienigenæ & Tyrus & populus Æthiopi, hi fuerunt ibi. Id est, vbi scientes me, vbi fundamenta in mōtibus sanctis, ibi & alienigenæ: quia & ipsi in me putauerunt esse credendum. Ibi ergo ceciderunt, vbi magis stare debuerunt: quia & in paradiso cecidit Adam, & Christus in ruinam venit & in resurrectionem: vt ruina sit perfidorum, iustorum autem & fidelium resurrectio. Denique *expulsi sunt*, quia iniusti in loco sancto stare non poterant. Vnde & Apostolus dixit: Et tu qui stas, vide ne cadas. Et vtique ei dixit qui nō corpore, sed fide stabat. Possumus & in futurum intelligere *Ibi*, vt est: Ibi erit fletus, & stridor dentium. & Nudus ibi pergam. Quam breuis in exitu & quanta conclusio. Non sim, inquit, superbus, vt peccem: nō peccem, ne mouear: non mouear, ne cadam: non cadam, ne expellar, sicut Adam de paradiso expulsus est, quia in ipso pes superbiæ stare nō potuit. Nescit stare superbia: & si ceciderit, non nouit resurgere. Et ideo pulchrè & in superioribus locutus est de superbis: Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur. Hoc enim stabile, illud infirmum. Et subiicit: Ipsi obligati sunt & ceciderunt: nos verò surreximus, & erecti sumus. Et in libro Michææ prophetæ scriptum est: Noli supergaudere mihi inimica mea, quia cecidi: sed resurgam. Cecidimus enim in hoc mundo: sed in Christo resurreximus. Cui est honor, gloria, virtus, perpetuitas & à sæculis, & nunc & semper, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

S. AMBROSII IN PSALMVM XXXV. ENARRATIONIS FINIS.

## SANCTI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, IN PSALMVM DAVID XXXVI.

ENARRATIO.

Præfatio in Psalmum David XXXVI.

Genes. 1.  
Leuit. 17.



MNIS scriptura diuina, vel naturalis, vel mystica, vel moralis est. Naturalis in Genesi, in qua exprimitur quomodo facta sunt cæli, mare, terra, & quæ admodum mundus hic sit constitutus. Mystica in Leuitico, in quo comprehenditur sacerdotale mysterium. Moralit in Deuteronomio, in quo secundum legis præceptum vita humana formatur. Vnde & Salomonis tres libri ex plurimis videntur electi: Ecclesiastes de naturalibus, Cantica canticorum de mysticis, Prouerbia de moralibus. Sed quia omnium Psalmorum corpus vnum est, idcirco nihil in his diuisum est atque distinctum, sed prout se obtulit ratio, nulla intermissa doctrinæ istiusmodi disciplina est. Namque & naturalem euidentissimè cōprehendit, dicendo de angelis atque virtutibus, sole & luna & stellis, & lumine cæli cælorum, & aqua quæ super cælos est: Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse m-

dauit, & creata sunt. Statuit ea in sæculum sæculi, præceptum posuit, & non præteribit. Et de mysticis locutus est, cum de occultis, & sacræ vnctionis vngueto, & de cōsummatione scripserit tabernaculi. Quorū multiplex gratia: quoniam multifariam & multis modis locutus est Dominus in prophetis. Nā & venturum præfatus est Dei filium principem sacerdotum, & passurum esse pro nobis, & sanguine suo mundaturum nostra peccata, tituli Pro torcularibus declararunt: & resurrecturum Psalmus resurrectionis expressit: & alius postea titulus indicauit, in quo terra eius est restituta, cōmuratione quoque vniuersorum futuram fidei sacramentis. Et de moralibus plura contexit, diuersaque virtutum genera demonstrauit: & dedit præcepta viuendi, quibus vlcera nostrorum sanauit errorum: morèque renouauit humanos, atque intimos mutauit affectus: sicut docet Psalmus trigessimus tertius, quem etiam

Psal. 32.  
& 148.

1. Pet. 3.

Psal. 33.

Gen. 3.  
Luc. 2.

1. Cor. 10.

Matth. 13.  
Iob. 1.

1. Cor. 4.

Gen. 3.

Psal. 19.

Ibid.

Micha. 7.

Psal. 35.

1. Cor. 6.

etiam Petrus sanctus in epistolâ suam tamquam medicamentum nostris pectoribus affixit: atque iste qui nobis hodierna lectione propositus est. Nam isti præ cæteris ethici reperiuntur: sed iste diffusior, qui trigessimus sextus inscribitur. Nam et si ille prædulcis & lucidus est, iste tamen dulcior, quoniâ ille me docuit cohibere linguam à malo: iste definere ab ira, indignationem relinquere. Ille præcepit sine dolo loqui: iste instituit esse mansuetum, qui præmia mansuetudinis demonstrauit. Quæ maiora formata sunt cordis humani, quàm mansuetudo atque simplicitas: quibus & dolor omnis acceptæ leuatur iniuriæ, & labes criminis omnis excluditur? Ad hæc igitur manum medicamenta mitramus: vt vulnera nostra curemus: ne si velimus dicere quòd alios curare possimus, dicatur nobis: Medice cura te ipsum. Ergo quod etiam non medicis, sed vulgo quoque solet esse commune, vt medicinam pauci proficiantur, plurimi tamen remedia eius aliqua scire se dicant: vel quod medicorum pueri faciunt, nos quoque alieno medicamento remedium indigentibus deferamus. Diues magistrum adhibeat, pauper ministrum. Qui perfecti altitudinem capit, sumat ex ipso: qui planiora desiderat, in valle pascatur, vt paruulus. Qui fluuium metuit, de riuiulo bibat: & qui profundum pauet, ad litus enatet. Pulchrè autem sanctus David in superiore Psalmi iniusti vitam describit, hic iusti. Ibi iniustus exponitur, hic iustus instituitur. Ille sibi delinquit, hic tollit etiam aliena peccata. Et ideo quod primum medicamentum sit iustitiæ, consideremus.

Psalmus David trigessimus sextus.

**N**oli subæmulari inter malignantes.

Primum discamus quid sit *subæmulari*: licet minor vis sermonis huius sit in Latino quàm in Græco. Nam & in bono æmulationem legimus, & in malo. Denique Apostolus dicit: Bonum est æmulari in bono semper. Et supra ipse dixit: *Æmulantur vos non bene: sed excludere vos volunt, vt illos æmuletur.* Et iterum ipse ait: *Æmulamini meliora charismata.* Et ad Romanos habes: Dico ergo, nūquid sic offenderunt vt caderent? Absit. sed illorum delecto salus est gentibus, vt illos æmulentur. Et infra: Vobis enim dico gentibus: Quamdiu ego sum gentium Apostolus, ministerium meum illustrabo, si quo modo æmuler carnem meam, & saluos faciam aliquos ex ipsis. hoc est, afficiam carnem meam. Denique τὸ εὐχρηστώ Græcus habet. Nam & hic: μή ποτε εὐχρηστώ ἐν προσηγορίαις habet: μή δὲ εὐχρηστώ τοῦ ποιοῦντος τίποτ' ἀνομιάν. hoc est: Noli malignos in æmulatione excitare: quoniam illi nō de bono, sed de malo certant. Quid est, in æmulationem excitare? Exemplo si possumus aperiamus. Intemperantes mulieres quædam sunt, quæ aliorum coniugum corda sollicitant: quos cum consuetudini suæ probroque subdidderint, non contentæ erroris sui habere lecerunt, student coram iugalibus eorum suum iactare flagitium, vt eas in zelum sui excitent & inflammēt, triumphum quendam de dolore probarum mentium & commotione captantes. Quæ emulacione fœmi-

nea tori proprij contumeliam non ferentes, soluit complaciti vincla coniugij, aut quotidiana rixa decertant. Fitque ex æmulatione discordia, ex diffensione diffidium, quo domus tota turbetur. Exemplo igitur proteruæ mulieris cognosce qui legis, partes esse nequissimæ detestabilisque versutiæ, improba æmulatione alterius animum commouere: aliudque esse zelum, aliud parzelum. Hæc est enim praua æmulatione, quæ bonorum subintrat affectum: qua etiam Iudæus errauit, qui à vero bono Evangelicæ disciplinæ, deua legis æmulatione deflexit, sicut de se Apostolus ait, quòd secundum æmulationem legis persequeretur Ecclesiam Christi. Ergo quamuis Deus noster ingratis Iudæorum offenderetur frequenter affectibus & querelis, tamen assumptū semel & electum sibi populum minimè relinquebat: sed synagoga vt meretrix procaz irritare eum cepit in æmulationis amaritudinem, præuaricationis se miscendo sacrilegiis. Denique dixit ad sacerdotem Aarō: Fac nobis deos quos adoremus: & vituli caput adorare ceperunt. Vnde per canticum magnum Moyse si Dominus in ore ipsius resultauit, dicens: Ipsi excitauerunt me in æmulationem in non Deo: irritauerunt me in simulacris suis. Ego autem excitabo eos in æmulationem in non gente: in natione insipientie irritabo eos. Quomodo Dominus condemnauit synagogam propter meretricios mores, quòd ipsorum in eos versutiam retorqueret, vt suo afficerentur ingenio, qui Dominum Deum suum à quo assumpti fuerant, grauibz sacrilegiis refutarunt, deos sibi quos colerent eligentes, assumens è contrâ sibi Ecclesiam de profanis, quos prælatos sibi sine lege, sine gratia, Iudæorum populus ingemisceret: atque eo amplius in æmulationem illorum excitaretur affectus, quo villiorum facta esset electio. Nam antè quò afficeretur ille populus non habebat, cum solum se à Domino consideraret electum. Vbi verò aduertit adscitam ex nationibus conueniam plebem, quæ sibi legem Domini, prophetarum oracula: testamentum nouum, Deum vendicaret, tunc demum excruciarini nimio cepit affectu, posteaquam se repudiati esse cognouit. Denique si videat gentilium cæremontias, non mouetur, si audiat profectum Ecclesiæ, misera torquetur inuidia. Complectur ergo in Iudæa, Ego in æmulationem eos excitabo in non gente. Accedit ad cruciatus grauioris ærumnâ, quòd sibi videntur esse prælati, qui ne gentis quidem, alicuiusve nationis nomen attollant. Nam omnis cōgregatio cuiusque regionis nomē sibi vindicare cōsuevit, vt Ægyptij, Æthiopes, Syri, Iudæi, Arabes, prouinciæ suæ terrarumque suarum vocabulū præferunt. Nos de diuersis populis congregati, vocabulum nobis vnus gentis non possumus vsurpare: & ideo quia nomen non habebamus in terris, de cælo accepimus, vt Christi populus diceremur. Sed hoc gentilis stultitiam putat, Iudæus opprobrium. Verum est ergo quod scriptum est, quia vltus est Deus propriam contumeliam, Ecclesiam sibi ex non gente quærendo, & eam ex gente insipientie versuto illi atque regali populo præferendo. Quæ sit gēs insipiens quæ prælata sit, audi dicentem: Quoniam stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes. Et iterum: Si quis videtur inter vos sapiens esse in

Act. 13.  
Philip. 3.  
Rom. 11.  
1. Cor. 12.

Exod. 32.

Deut. 32.

Hierem. 3.

Matth. 23.

Deut. 21.  
Act. 13.

Deut. 32.

1. Cor. 1.

Ecd. 10.

Deut. 32.

Exod. 19.

1. Cor. 1.

1. Cor. 3.

hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Reddidit ergo non intulit Dominus aemulationis communionem ut esset non in forma imitationis, sed in poena iniquitatis. Denique Latinus interpres volens distinctionem facere inter aemulationem virtutis, & aemulationem offensionis, ait: Numquid aemulamur Domino? hoc est: Numquid Domino offensionem aemulationis inferimus, ut de iis edamus quae immolata simulacris sunt: sicut Iudaei eum, sacrificando simulacris, exasperauerunt? Quod si inter homines excitanda aemulationis offendit intentio, & frequenter si persona exasperati superior inuenitur, incentori aemulationis fraudi esse confuevit: cuius stultitiae est maiestatem irritare diuinam, & offendiculo aemulationis incessere, ubi nulla vltionis est difficultas? Non debemus igitur malignis aemulandi aduersum nos aculeos ministrare, qui etiam non lacessti, inuidiae stimulis excitantur ut noceant, sicut Cain fratrem occidit, quia magis illius sacrificium acceptum esset quam quod ipse putauerat offerendum. In quo non aemulatus Abel, sed inuidus Cain praelationis gratiam scelesto parricidio persecutus est. Non enim ille fratris voluit obumbrare sacrificium, sed seruare sacrificij disciplinam: ut primitias nulla desidia moraretur, nec aliqua in vsus proprios deriuata vsurpatione violaret. Saul quoque triumphatorem Palaestinarum Dauid prophetam, & propriae conseruatoris salutis, iuuenularum sibi sermone praelatum tenuit in insidiis, teli iaculo parauit occidere. Ac pene sanguinem generi fuderat innocentis, nisi vulnus ille sinuati corporis inflexione eluisset. Quae ibi malitia, si iuuenulae dixerunt: Saul in milibus, Dauid in decem milibus? Quam atrox autem inuidia regis Saul, qui sermonis errorem in innocentis exitium deriuauit?

Neque aemulatus fueris facientes iniquitatem.

Non repetiuit quod dixerat, sed mutauit. Aliud est enim subaemulari, aliud aemulari. Subaemulatio astutiam habet, aemulatio simplicitatem. Sed tamen etiam ipsa cauta debet esse simplicitas & prouida, ut nouerit quid cauendum sit. Neque enim otiose dictum est: Estote astuti sicut serpentes, & simplices sicut columbae. Spiritalis ergo debet esse astutia, quae seruet salutem, dolum nesciat. Spiritalis debet esse simplicitas. Videtur autem etiam alio loco distinctionem subaemulationis scriptura fecisse, cum dicit: Et auferetur zelus Epre, & inimici Iudae peribunt. Non erit aemulus Ephrem Iudae, & Iuda non vexabit Ephrem. Alibi autem habes: Sic & vos, quonia aemulatores estis spiritualium ad edificationem Ecclesiae, quaerite ut abundetis. Aemulatores pro bonis & bonae rei imitatoribus posuit, aemulum pro obliquo & inuido. Primum est ergo, ne malignos ad aemulationis malignitatem lacesstas: secundum, ut non aemulicris iniquitatem facientes. Plerumque enim videntes pij fraude aliquos & astutia qua sisse diuitias, & peruenisse ad honores, aemulatione deformi vias eorum sequi gestiunt, ut ad diuitias & honores simili arte perueniant, & in contrahendo coniugio circumscriptibant adolecentulas.

Quoniam tamquam foenum velociter arescent: & tamquam olera herbarum cito decident.

Quid enim prodest, cum ipsae diuitiae & omnis gloria saecularis tamquam foenum cito arescat, & tamquam olera herbarum in ipsa specie sui floris intercidant? Omnis caro foenum, & omnis gloria hominis ut flos sceni. Noli ergo magnopere affectare quod perpetuum esse non possit. Noli esse aemulus & obliquus: noli esse contentiosus & decertator in zelo. Vnde & Aquila dixit: Noli concertare in malignantibus. Symmachus, Noli contendere. Noli etiam esse imitator iniquitatis & fraudis, sed esto apostolicae doctrinae, propheticae gratiae, sanctorumque virtutis imitator, ut fructum feras, & messem bonitatis recondas, sicut Ioseph, qui multitudine frumenti famem diurnam sterilitatis exclusit. ut Habacuc, qui prandium messoribus deferendo, eleuatus ab angelo aeris tramitis iter carpsit, & redditus terris inter saeuos leonum strepitus pio prophetae dulce conuiuium ministravit. Recte ergo dicit Propheta:

Spera in Domino, & fac bonitatem: inhabitata terram, & pascaris in diuitiis eius.

Quae est terra quam suadet inhabitandam, nisi anima tua, quam bene debes excolere, frequenter spiritalibus inarare vomeribus, ne longo inhorrescat situ? Bonus enim agricola quotidiana operatione & peruigili sollicitudine exercet agrum suum, & propria rura custodit, ne deuaslet ea aper de silua, & fructus maturos raptor eripiat. Ara ergo terram tuam, ut cum venerit qui seminat verbum, animam tuam inueniat preparatam: ne supra inculta cordis tui decidat semen, & veniant aues caeli, & diripiunt quod fuerit seminatum. Quae sit ergo terra, audi dicentem: Ecce exiit qui seminat seminare semen suum: & dum seminat, aliud cecidit secus viam, aliud supra petram, aliud supra terram bonam. Quod autem supra terram bonam, ij sunt qui in corde bono audientes verbum retinent, & fructum afferunt per patientiam. Mundum sit ergo cor tuum, munda sit anima tua, ut fructum bonitatis possis afferre, hoc est, gratiae spiritualis. Bonitas enim fructus est spiritus sancti, sicut scriptum est: Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, modestia, continentia. Hi sunt fructus quorum diuitiis pascimur, & vbertate satiamur. In hac terra vitem illam fructiferam iustus Noc plantauit, de fructu eius bibit, atque intimo corde solutus est, quando cum laudabili pietatis amictu induit virtutum suarum geminata posteritas. Alio quoque loco nobis istas propheta sanctus diuitias demonstravit, quibus erat diues in Christo, & omnibus quae ad vitam aeternam conducerent, abundabat. Et reuera quis ditior, quam qui diues in Domino est, ut possit dicere: In via testimoniorum tuorum delectatus sum quasi in omnibus diuitiis: Quid enim poterat deesse viro qui caelestibus ditabatur oraculis? Et ideo suadet hoc Psalmo ut thesaurum illum nobis quaeramus aeternum, & delectationem eius acquisitione capiamus. Ideoque ait:

Dele-

Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

Quare non dixit tuas, sed cordis tui? Petitiones exterioris hominis interiorisque communes sunt: nec omnes probantur a Christo: quia lex carnis legi mentis frequenter repugnat. Quae autem interioris sunt hominis, qui renouatus est spiritu, illas petitiones Dominus petito donat effectu. Vnde & alibi ait: Tribuat tibi Dominus secundum cor tuum, & omnes petitiones tuas confirmet. Secundum cor ait, non secundum appetentiam carnis: & illas petitiones, inquit, quae prodeunt ex intimo corde, confirmet, non quae ex carnis huius illecebra & voluptatibus diriguntur.

Revela ad Dominum viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet.

Et educet sicut lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum sicut meridiem.

Revela ad Dominum viam tuam. Hoc solo versiculo qualis esse debeas declarauit. Quis enim reuelat viam suam, nisi qui Deo occultorum suorum arbitro interna sui pectoris confitetur? Bene ait, *revela*: hoc est, aperi conscientiam tuam, ne eam saeculi istius grauet umbra vel carnis. Prorumpentia femina si fuerint obumbrata, tenuantur: soli obiecta pinguescunt. Quid de seminibus loquor? Ipsas arbusculas, quo minus se in altum subiiciant, umbra siluestris internecat, & prohibet brachia ramosa diffundere. Pulchre autem dixit: *Revela ad Dominum viam tuam*: quia natura hominum prona peccato, velut quoddam menti nostrae velamen obducit, ne nostra Domino peccata fateamur, qui potest vulnera nostra sanare: ut erubescat quis ore proprio postulare medicinam, ne coram hominibus sua prodantur opprobria. Premittit igitur se intra hominem conscientia, cum latere non possit: & tamdiu differt, quoad vulnus efferueat: ut iam non fidei salubritate, sed immedicabili atrocitate vlceris detegatur. *Revela* (inquit) *ad Dominum viam tuam*: hoc est, aperi viam tuam, noli abscondere, sicut abscondebatur Cain, qui latere cupiebat. Omnis enim qui male agit, odit lucem. Reuelabat Dauid viam suam, qui ait: Dico ego opera mea regi. Aperi sensum tuum, ut nihil sit quod timeas reprehendi. Reuelauit & Paulus, qui praesumpsit dicere: Nihil mihi conscius sum. Is actus, ea vita fit, ut via tua coram patre tuo luceat, qui in caelis est. Sed quia obnoxia fragilitati omnis humana conditio est, & non nostrae est potestatis iter nostrum ex voluntate dirigere: ideo tibi dicit: *Spera in eum*: & ipse faciet, hoc est: ut aperiatur viam tuam, nec talem te esse permittat, ut fugias lucem dum times prodi: & diligas tenebras, ut possis tua occultare flagitia, dicens: Tenebrae operiunt me, quis scit si videt altissimus? Quomodo enim potest qui adulterium molitur, non noctem suis accommodam quaerere tentamentis? Qui falsum cogitat testem suae fraudi adhibere, qui corruptelam iudicis captat, ut opprimat innocentem, iniquitatis non explorare secretum? Latro solitudines obsidet, noctis tenebras oppetit, ut scelere cedat effectus. Iniquitas ergo tene-

brae sunt: Deus lux est. Et si tu velis tuam occultare iustitiam, Deus eam educit in lucem: nec patitur latere iudicium quo ea quae bona sunt elegisti: quae improba refutaasti. Nec solum facit eum lucere iudicium, sed lucere sicut meridiem, quando se sol iste in splendorem totus effundit. Meridies erat quando Ioseph cum fratribus epulabatur, non vltus iniuriam, sed oblitus.

Subditus esto Deo, & obsecra Dominum.

Non solum ut subiectus sis Deo moneris, sed etiam ut obsecres Dominum, quod possis tuae studium subiectionis implere: sicut & supra non solum reuelare viam tuam te conuenit, sed etiam sperare in Dominum. Bona autem subiectio, non abiecta, non vilis, sed gloriosa atque sublimis. Ille enim Deo est subditus, qui facit Domini voluntatem. Denique quis ignorat quod sapientia mentis praestantior quam carnis sapientia sit? Sapientia mentis subiecta est Dei legi: sapientia autem carnis non est subdita. Et addit Apostolus: Nec enim potest. Esto ergo subditus, hoc est, proximus Christo: ut legem impleas. Denique Christus faciendo voluntatem patris, legem impleuit. Et ideo finis est legis, & plenitudo est charitatis: quia diligens patrem, effectum omnem eius adhibuit voluntati. Vnde pro gloria Apostolus dixit: Cum autem subiecta illi fuerint omnia, tunc & ipse subiectus erit illi qui sibi subiecit omnia: ut sit Deus omnia in omnibus. Et ipse de se ait: Nonne deo subdita est anima mea? ab ipso enim salutare meum. Denique pro pietate erat, non pro infirmitate, Ioseph & Mariae parentibus subditus. Gloria autem Christi maxima, ut se vniuersorum hominum pedibus infundat, & omnes reuocet ab impietate perfidia, & gentilitatis affectu, ut sibi faciat esse subiectos. Cum autem sibi subiecerit omnia, cum intrauerit plenitudo gentium, cum saluus factus fuerit omnis Israel, & toto orbe vnum fuerit corpus in Christo: tunc erit & ipse subiectus, munus suum Deo patri offerens, & quasi princeps omnium sacerdotum, & caelestibus compos altaribus, ut sit sacrificium fides omnium. Pietatis ergo est ista subiectio, quod erit subiectus in corpore Dominus Iesus, cuius nos sumus corpus & membra. Esto ergo homo subiectus Christo, hoc est, subditus sapientiae Dei, subditus verbo, subditus iustitiae, subditus virtuti: quia haec omnia Christus est. Omnis homo Deo se subiiciat. Non enim vnum, sed omnes docet ut subiiciant cor suum, subiiciant animam suam, subiiciant carnem suam, quod sit Deus omnia in omnibus. Subiectus ergo est qui plenus est gratiae, & suscipit iugum Christi, & mandata Domini strenue & incunctanter exequitur. Sine subiectione autem, qui se frustra extollit, sensu propriae carnis inflatus, in solens deuotionis, & pia declinans obseruantia scripturarum, ipso iure naturae auctori debemus aeterno. Postremo qui sine peccato est, subiectus est Christo, quoniam redemptus a Domino est. Qui autem in peccato est, non potest dici liber, sed seruus, quem grauius tenet vincula peccati. Sequitur:

Ne aemulatus fueris eum qui prospere dirigitur in via sua, faciens iniquitatem.

O iij

1. Cor. 10.

Deut. 32.

Gen. 4.

1. Tim. 3.

1. Reg. 18.

1. Reg. 19.

1. Reg. 18.

Matth. 10.

Esai. 11.

1. Cor. 14.

1. Cor. 7.

1. Cor. 4.

Esai. 40.

1. Cor. 11.

Hebr. 6.

Gen. 41.

Dan. 14.

1. Cor. 8.

1. Cor. 30.

Gen. 4.

1. Tim. 3.

Esai. 44.

Galat. 5.

1. Cor. 4.

Matth. 5.

1. Cor. 10.

Esai. 23.

Psal. 118.

1. Tim. 2.

Gen. 43.

1. Reg. 8.

Ibid.

1. Tim. 6.

1. Reg. 10.

1. Cor. 13.

Psal. 61.

Luc. 2.

1. Cor. 15.

1. Reg. 11.

2. Cor. 15.

1. Cor. 12.

1. Cor. 15.

Coloss. 2.

1. Cor. 7.

1. Tim. 8.

Euidenter hic quid superius senserit, intimauit: non excitandos malignos aemulatione ad malignitatem, neque imitandos facientes iniquitatem. Non enim iniquitas, sed prosperae res quae proueniunt iniqua gerentibus, nos saepe sollicitant ut eos putemus imitandos, quod ad eorum possimus peruenire successus, dicentes: Ecce ipsi peccatores, & abundantes in saeculo, obtinuerunt diuitias. Et dixi: Ergo sine causa iustificauit cor meum, & laui inter innocentes manus meas: & fui flagellatus tota die. Si igitur flagellatus est Dauid, caedere debemus ne & nos flagellemur: & dicatur nobis quia diuitiae, honores, potentiae, generationi huic videantur esse disposita quasi vaga & incerta pecuniae opera, iniquitatisque compendia, non quasi praemia vlla virtutis: idcirco velut somnium veniant, & cum somno resurgente deficiant. Ipsos athletas, cum vicierint, certum est coronari, non antequam vincant. Nobis lucta cum saeculo est. Vince ante saeculum ut coronam petas. Nemo ante coronatur, nisi certamen impluerit. Qui stadium currunt, numquid ante brauium accipiunt, quam stadium percurrerint? Quanti priores in exitu cadunt, & cursus sui celeritate fraudantur? Numquid tu Deo quam Paulus acceptior? Ille vase electionis, ille gentium doctor numquam sibi in hoc saeculo coronam ausus est postulare. Denique audi dicentem: Certamen bonum certavi, cursum consummaui, fidem seruauit. Quod reliquum est, reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die. Paulus ille raptus in tertium caelum, qui audiuit arcana quae non licet homini loqui: vtrum corpore esset raptus, an sine corpore, nescit: sicut ipse testatus est. Paulus ergo dicit, in illa die coronam sibi esse reddendam, tu hic tibi ut reddatur insistis? Imple ergo certaminis tui tempus. Non semel athleta luctatur, nec semel praeliatur miles ut stipendia sua possit implere: & tibi non cum vna passione luctamen est. Superiores si euaseris passiones, ira succedit: & ideo tibi dicit scriptura.

Desine ab ira, & relinque indignationem: ne aemuleris ut nequiter agas.

Sunt multa vitia quae obrepunt insipientibus. Ira grauis passio est: plerumque accendit inuitum: & volentem mitius vindicare, in furorem rapit, ut perimat quem putauerit coercendum. Commotus, gladio saepe transfuerbat innocentem. Amicos & fratres per indignationem plurimi peremerunt. Ideo Sapiens dicit: Ira perdit & sapientes. Salomonis dictum est, quia non solum quoscumque de medio homines, sed etiam ipsos perdat ira sapientes. Et Dauid sapientem monet, dicens: Desine ab ira, ne cum accenderis eam, illa non desinat priusquam te eius flamma consumat. Relinque (inquit) indignationem, hoc est: Natura te rapit, mouet affectus, culpa te alicuius excitat vel offensa ut indigneris: sed non visque quaque, ut modum nescias. Relinque eam, si nem impone, ne te in peccatum trahat. Hoc est quod supra dixit: Irascimini, & nolite peccare. Non enim hortatur ut irascaris, sed ad tempus cedit affectui. Dat tamen medicamentum, ne diutius vis vlceris serpat. Irascimini quod ait, tua est passio. Medicus enim non statim adhibet medicamenta

languori. Si dolor feruet, formenta adhibet, ut mitescat dolor. Si febris exarsuat, remedij tempus expectat. ipsum potum frigidius negare consuevit. Non dicit: Expecta, desinat febris, digeratur commotio. Sic & Propheta non potuit dicere homini, cuius caro ut variis morborum, ita commotionum passionibus excitatur: Non irascere, sed dicit: Desine ab ira, & indignationem relinque, ne pecces. Ira enim grauis est magistra peccati. Alius quoque medicus dicit: Sol non occidat super iracundiam vestram: ne dum diu differs, veniat ille qui calefactum corporis somno excitare consuevit, & stimulet te, inferat tibi cogitationes, & in secreta tui cordis immergat, dicens: Vindica iniuriam tuam, virum te esse cognosce. Fominae infirmitatis est, non capere vindictam. Ergo contemnere te debuit seruus? frater decipere? amicus illudere? & tu adhuc tuam non vlceris contumeliam? Proferbas necesse est: gladio oportet insurgas, & dolorem tuum aduersarij morte soleris. Vir fuit ille qui suum occidit inimicum, merito praedicatur: quia ita se vindicauit, ut alius irrogare ei non audeat iniuriam. His stimulis plus accenditur, plus mouetur, ut compleatur quod scriptum est: Ira perdit & sapientes. Ergo tu ne audias cum, ne aemuleris ut nequiter facias.

Quoniam qui nequiter agunt, exterminabuntur: sustinentes autem Dominum haereditate possidebunt terram.

Exterminantur quae radices non habent, sicut olera vel foenum. Olera infirmus manducet. Tu autem vitum in se in agro tuo, vineam institue. Et si venerit Achab qui tibi dicat: Da mihi vineam tuam, ut olera mihi seram: noli ei acquiescere, ne ex consensu tuo caduca serat, abscindat aeterna. Ideo Nabuthae inter sanctos habetur, quia maiorum suorum haereditatem ne regi quidem putauit esse credendam: & lapidari maluit, ut vineam suam non daret in direptionem. Haereditas maiorum, fides vera est. Extiterunt Arianis regali subnixi potentia, qui templum Domini putarent sibi esse tradendum, supplicia acerba minitantes. Sed absit ut apud mentem Domino seruientem praepoderarit magis poenae formido, quam forma pietatis. Non praualuit perfidia, quia fides restitit. Est etiam quadam vinea in pectoribus fidelium, de qua dicit Esaias: Vineam factam est dilectio in cornu, in loco vberum. Hanc vineam Dominus plantauit in cordibus nostris: & ideo legimus dicentem Deum: Ego te plantaui vitem fructiferam, totam veram. Nemo ergo de agro animae nostrae hanc auferat vitem: quia benedicta est ea viris. Idcirco dictum est de sanctis: A fructu frumenti, vini, & olei, multiplicati sunt. Bonum est ergo habere intra te torcularia vino redundantia, ut fluat tibi vinum in vas tuum de vinea Sorech, poculum illud inebrians quam praclarum. Sorech enim vinea, noui principij noua est aequitas. Vnde & dicitur nobis: Cantate Domino canticum nouum, magnificate nomen eius ab extremo terrae. Haec ergo vinea vas faciat, non iniquitatem. Ideo relicta est vinea Iudaeorum, quia iniquitatem fecit, ut scriptum est, & non iudicium. Nos ergo fructum feramus in Christo, ut perpetui esse

esse mereamur. Sustinentes enim Dominum haereditate possidebunt terram. Illam utique viuendum terram. Est quaedam terra caelestis, quae fructum caelestibus ferat, de qua ait: Credo videre bona Domini in terra viuentium. Haec terra multo hominum sudore ventri ministrat alimenta: illa terra bona Domini sine vilo labore fructificat, in qua iustorum diuturna possessio, & pia mentis haereditas est. Et bene ait: Sustinentes autem Dominum haereditate possidebunt terram. Haec est enim terra quae non praeterit. Nam caeluni & terra praeteribunt, verba autem Domini non praeteribunt. Et ideo nec illa intelligibilis terra poterit praeterire paradisi, in qua sunt qui Domini verba conseruat. In hac terra collocatus est Adam, ut fructum aeternae caperet vita: sed quia verba Domini seruare non voluit, ideo in possessione quam acceperat, manere non meruit. Qui autem verba Domini custodit, confidenter dicit: Expectans expectaui Dominum, & respexit me. Adam autem quoniam non expectaui Dominum (quomodo enim expectaui qui refugit?) & offerre se timuit: ideo nec Dominus cum videre dignatus est. Oculi enim Domini super iustos. Hunc autem eousque videre nolebat, ut quaereret, dicens: Adam, vbi es? Qui quaeritur, pro absente habetur. Fides est quae nos repraesentat Deo: perfidia quae facit impios exulare. Nullus itaque absens est Deo, nisi qui se absentem fecerit. Et ideo dicit: Fiat tibi secundum fidem tuam. Qui enim ignorat ignorabitur. Ergo Adae quasi peccator locum suum seruare non potuit. De paradiso eiectus, in castellum est relegatus, ut ageret poenitentiam. Accepit dilationem, ne continuo penitus interiret, ut salua fieret Eua per generationem filiorum, fidem sancti Abel, prophetarum gratiam, Ecclesiae posteritatem. Sed qui per haec redimi noluerit, & in peccato perseverandum ducit, de eo dicit Propheta:

Et adhuc pusillum, & non erit peccator: quares locum eius, & non inuenies.

Quomodo enim peccator esse poterit in futurum, cum peccantis locus diuturnus esse non possit? Haec est enim terra quae aperuit os suum, ut sanguinem susciperet innocentis. Et ideo in hac terra locus est peccatorum. Praeterit terra, quomodo peccatoris locus poterit inueniri? Ego arbitror quod ideo firmamentum inter aquam & aquam Deus esse praecerit, ut a virtutibus peccata discerneret, & superior aqua quae laudat Dominum, vacua esset erroris, inferior peccato esset obnoxia, denique illa Deum videt, haec non videt. Quae super caelos, videt, quae in abyssis, non videt. Vnde etiam dictum est: Viderunt te aquae Deus, viderunt te aquae, & timuerunt: turbatae sunt abyssi, multitudo sonitus aquarum. Merito turbatur abyssus super quas tenebrae sunt deformes, & ideo pacem habere non possunt. Vnde rogauit legio daemoniorum ut in abyssum mitteretur, & se cum magno tumultu praecipitavit in fluctus, ut porcorum gregem quem repererat, stragulare. Peccatores itaque abyssum petunt, vbi caligo tenebrarum referuata est.

Manfueti autem possidebunt terram, & de-

lectabuntur in multitudine pacis.

Merito terram possident, in quibus Deus ipse requiescit: sicut diuino per Esaiam consultauit oraculo, dicens: Supra quem requiescam, nisi supra humilem & quietum, & tremetem verba mea? Qui sunt mansueti, nisi quos nullus stimulus dissensionis exagitat, non ira perturbat, non seruitia exasperat, non rabies crudelitatis inflammat? Et ideo quia non vina, non epulas, non diuitias, sed pacem Domini dilexerunt in corpore constituti; pro illa delectatione corporalium voluptatum quae se putarunt esse fraudandos, ut gratiam adipiscerentur aeternam, delectabuntur in multitudine pacis, quam Dominus noster Iesus in diebus suis generi donauit humano: sicut propheta quae non mentita est, comprehendit, afferens: Orietur in diebus eius iustitia, & multitudo pacis, donec extollatur luna. Quae igitur est pax quae cunctae Ecclesiae multiplicatus est populus, nisi illa de qua Dominus dixit: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis? Dedit pacem, qui animorum bella sedauit. Sequitur:

Insidiabitur peccator iusto, & fremet super eum dentibus suis.

Dominus autem iridebit eum: quoniam prospicit quod veniet dies eius.

Et fremet super eum dentibus suis. Indignantis quidem & efferuiscantis in iracundiam consuetudo est, dentibus fremere. Sed habent etiam maligni dentes suos, quibus non resonare, sed lacerare consueuerunt. Insidiae, commenta, nequitiae, dentes sunt peccatoris. Insidiatur ergo peccator iusto, quia inuidet. Iusti enim vita redarguit peccatorem, quem tacite maiore auctoritate condemnat, quam si clara voce loqueretur. Sed iustus timere non debet fremitum peccatoris: quia improbitas non potest esse perpetua. Insidiae temporales sunt: munimenta autem virtutis aeterna. Mors peccatoris omnem eius potentiam fraudemque dissoluit. Plus adiecit:

Gladium euaginauerunt peccatores, extenderunt arcum suum ut deiciant pauperem & inopem, ut vulnerent rectos corde.

Gladium euaginauerunt peccatores, &c. Quis est gladius peccatoris, nisi contrarius gladio Spiritus sancti? Docuit hunc scriptura me gladium, docuit Apostolus, dicens: Quia habemus loriceam iustitiae, & scutum fidei, & galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Ergo verbum Dei, gladius Spiritus sancti est. E contrario utique gladius spiritus nequissimi, verbum est malum. Hoc Petrus Apostolus Ananiam & Sapphiram sermonis sui quodam ense percussit. Hoc gladio Paulus Elymae aduersanti disputationibus suis, oculorum lumen eripuit, & noctem caecitatis infudit. Considera nunc mihi iurgantes peccatores, atque acerba iactantes, & insolentia criminationum opprobria proferentes: nonne si eos audias, dices: Gladium euaginauerunt peccatores; quando sermo turpis tamquam de vagina petulanti ex ore profertur, quem cohiberi par fuit & recondi? Similiter ut gladius verbum Dei dicitur, &

Psal. 72.

Ibid.

2. Tim. 2. 1. Cor. 9.

A. 7. 9.

1. Tim. 2. 2. Tim. 4. 2. Cor. 12.

2. Tim. 4.

Prover. 14.

Psal. 4.

Psal. 26. Genes. 3.

Matth. 24.

Genes. 2.

Psal. 39.

Genes. 3.

Psal. 33.

Genes. 3.

Matth. 9.

1. Cor. 14.

Genes. 3.

1. Tim. 2.

Gen. 4.

Genes. 1.

Psal. 148.

Psal. 76.

Genes. 1.

Luce. 8.

2. Petr. 2.

Ephes. 4.

Prover. 14.

Rom. 14.

3. Reg. 21.

Esai. 5.

Hier. 2.

Psal. 4.

Prover. 3.

Esai. 5.

Psal. 22.

Esai. 42.

Esai. 5.

1. Cor. 15.

Esai. 66.

Psal. 71.

1. Cor. 14.

Ephes. 6.

Matth. 5.

Matth. 13.



Eph. 4.9.

Ephes. 6. ibid.

2. Cor. 10.

Prover. 13.

Psal. 36. infr.

Matth. 5.

Matth. 10.

Socrates, & Theodoritus lib. 5. hist. Eccl. cap. 24. S. August. li. 5. de civit. Dei cap. 26. Orosius lib. 7. hist. cap. 35. & alij.

Matth. 12.

Psal. 65.

Malach. 3.

idem sermo est peccatoris: ita & arcus quem extendunt peccatores, mens eorum est: & sagitta quam iaciunt, sermo est venenatus. Sicut enim sagitta est Christus, qui est verbum Dei, cui dicitur: Posui te sicut sagittam electam, quæ profertur ex pharetra Dei: ita sagittæ sunt perfidorum, quæ arcu quodam iniquitatis emittuntur, incautum vulnerant innocentem, nisi ignita eorum iacula scuto fidei repellantur. Et ideo sollicitus esse debes miles in prælio, quia pugna tibi non solum aduersus carnem & sanguinem est, sed aduersus ipsas quoque nequitas spirituales quæ non videntur. Abundant tibi arma fortia Deo, vt facile possis quæ volueris tela depromere: ne pauperem te & inermem hostis possit opprimere. Esto Deo fortis, Deo diues, vt dicatur de te: Redemptio animæ viri, diuitiæ eius. Abundato thesauro sapientiæ, esto diues in verbo & operibus bonis, vt possis esse munus. Fuge diuitias peccatoris, ne inueniat unde vulnerare te possit. Esto misericors, vt inuulnerabilis mancas: vcl curare te possis, si fueris vulneratus. Est & pauper quem volunt aduersarij vulnerare, ex illo numero de quo Saluator dixit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Et ideo:

Framea peccatorum intret in cordia ipsorum: & arcum eorum confringat Dominus.

Vt quemadmodum reuertitur pax in Dei seruos ab eis qui non receperint benedictum pacem: ita etiam malitia peccatorum, qua iusto nocere conantur, in eorum perniciem reuertitur, quod suis telis & vulneribus trucidentur. Sæpe enim iacula in ipsos qui ea iecerint, re funduntur. Quod etiam proximo accidit bello, cum infideles & sacrilegi accesserent aliquem in Domino confidentem, & regnum eius creptum ire contenderent, Ecclesiis Domini persecutionum sæua minitantes, vt subito ventus oriretur, qui infidelibus excuteret scuta de manibus, ac tela omnium atque missilia in peccatoris exercitum retorqueret. Adhuc hostis deerat, & iam illi ventorum prælia ferre non poterant, suisque spiculis sternebantur. Et quod peius est, non erant corporum grauiora vulnera illa, quam mentium. Deficiebant enim corde, cum Deum aduersum se pugnare cognoscerent. Exierant itaque prouocantes, & de pharetra cordis sui aduersus populum Christianum venenata perfidiæ iacula proferebant: sed in caput eorum sua reuertebatur impietas. Denique ipsi inter se sua perfidia sunt soluti, paratæque fidelibus insidias dissipauit Dominus: vt non solum piis nocere non possent, sed propriis auxiliis nudarentur, atque ad hostem arma sua transfirent. Quanto melius non M protulissent gladium de vagina: hoc est, impia nequaquam verba promississent? Nam si pro otioso sermone redditurus est vnusquisque rationem, quanto magis verba sacrilega grauib. supplicij expiabit? Igne nos examinasti, dicit David. Ergo omnes igne examinabimur. Et Malachias dicit: Ecce venit Dominus omnipotens: & quis sustinebit diem introitus eius? aut quis sustinebit cum apparuerit nobis? Quoniam ipse introibit sicut ignis conflatorij, & sicut herba lauantium: & sedebit conflans & purgans sicut aurum & argentum: & purgabit filios Le-

ui, & effundet eos sicut aurum, & sicut argentum. & erunt Domino offerentes sacrificium in aequitate. Igne ergo purgabitur filij Leui, igne Ezechiel, igne Daniel. Sed hi etsi per ignem examinabuntur, dicent tamen: Transiuimus per ignem & aquam. Alij in igne remanebunt: illis rorabit ignis, vt Hebræis pueris, qui incendio fornacis ardentis obiecti sunt: ministros autem impietatis vltor ignis exuret. Væ mihi si opus meum arserit, & laboris huius patiar detrimentum. Et si saluos faciet Dominus seruos suos, salui erimus per fidem, sic tamē salui quasi per ignem. Et si non exuremur, tamen vremur. Quomodo tamen alij remaneant in igne, alij pertranseant, alio loco nos docet scriptura diuina. Nempe in mare Rubrum demersus populus est Ægyptiorum, transiit autem populus Hebræorum. Moyses pertransiit, præcipitatus est Pharaon, quoniam grauiam eum peccata merferunt. Eo modo præcipitabuntur sacrilegi in lacum ignis ardentis, qui superbam Deum iactauerunt cõiucia. Sequamur ergo hinc positi columnam ignis, quæ nos in hoc corpore positos illuminet, & viam monstrat, vt in futurum nobis nebula refrigeret noctis, quod sæua incendia releuare possimus. Vide autem scriptura quid dicat: Arcum peccatorum Dominus confringat. Arcum autem suum posuit in nube, quod diluuium cessarent, tranquillitas refunderet. Vnde credendum quia aduersarij & maligni arcum extendit suum, vt quietis animis moueat tempestates, excitet status. Orcemus vt arcum malignitatis dissoluat Dominus Deus noster: adsit pauperi suo & inopi, qui propter Dei timorem dixit non affectandas esse diuitias, non occupanda minorum prædia, non viduas relictis maiorum hæreditatibus exuendas.

Melius est parum iusto, super diuitias peccatorum multas.

Non ergo diuitiæ accusantur, sed diuitiæ peccatorum, nisi fortè quia peccator dixit: Omnia hæc mihi tradita sunt, & cui volo, do illa. Deinde quoniam diuitiæ magis facem cupiditatis inflammant: & vnusquisque dum maiora desiderat, non declinat diuerticula peccatorum. Vnde & Saluator dixit: Facite vobis amicos de mamonâ iniquitatis. Iniquitatis enim census est, qui in diaboli potestate est, vt cui ille voluerit cõferatur. Potest & illud intelligi: Melius est parum iusto, super diuitias peccatorum multas: quia est quidem diues in verbis, vt sunt philosophi istius mundi, subtilia disputantes de motu siderum, de stella Iouis ac Saturni, de generationibus hominum, de simulacrorum cultu, de geometria, de dialectica. Philosophi ergo in sermone diuites sunt, fidei inopes, veritatis exortes. Et sunt plerique simplices Domini sacerdotes, in sermone pauperes, abstinencia & virtute sublimes. Illi multis loquuntur perfidiam: isti paucis fidem afferunt. Illi suos amittunt quotidie sacerdotes: hic pauper populos acquirit Ecclesiæ, numeroque creditur. Qui ergo hos audierit, & viderit operum qualitatem, dicit: Melius est parum iusto, super diuitias peccatorum multas. Hinc Salomon deriuauit illud, quod quasi suum ipse posuit: Ex multiloquio non effugies peccatum. Dialectica ergo diuitiis verborum fluit, pictas timorem Dei seruat. Ideo hic

Psal. 65. Dan. 3. 1. Cor. 3.

Exod. 14.

Apo. 19.

Exod. 13.

Genes. 9.

Psal. 71.

Luc. 4.

Luc. 16.

Sapient. 13.

Prout. 10.

Titus. 15.

Psal. 114.

Rom. 16.

Psal. 90.

Psal. 37. lib. 19.

lib. 2.

Matth. 8.

Matth. 9.

1. Cor. 10.

Matth. 7.

1. Ioan. 3.

1. Cor. 14.

2. Tim. 2.

ibid.

Luc. 4.

3. Reg. 17.

3. Reg. 19.

hic parcus in verbis, diues in spiritu, magis vult timere, quam vana veri verba iactare. Timor enim disciplina sapientiæ est, loquacitas innocentia virtutisque naufragium, atque incentiuum prolapsionis & culpæ.

Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem iustos Dominus.

Brachia peccatorum conteruntur: vt actus eorum iusto impedimentum afferre non possint, ne derelinquatur virga peccatorum super sortem iustorum. Et Paulus ait: Conterat Deus satanam sub pedibus vestris. Si enim brachium eius contritum fuerit, totus ipse conteretur, vt conculcentur eius commeta sicut venena serpentis. Confirmat autem iustos Dominus, brachio aduersarij dissoluto. Et ideo iustus dicit: Et confirmasti super me manum tuam. Et Iob ait: Manus Domini tetigit me. Misit ergo Dominus manum suam in seruum suum: & manum peccatoris quam in eum accepta miserat potestate, brachiumque contriuit. Ita diabolus suo sermone deceptus est, qui dixit: Mitte manum tuam in eum, & videamus si in faciem te non benedicat. Non enim ausus est dicere, maledicat, sed hoc intelligendum reliquit. Misit Deus manum suam, & confirmatus est Iob. Cœpit benedicere, qui maledicere credebatur. Sanat enim iustos, cum tangit manus diuina, non vulnerat. Misit manum suam, & leprosi macula omnis abiecit. Terigit cæcorum oculos, & cæcitate depulsa lumen refulsit oculorum. Pete ergo semper vt confirmeris, quoniam & tu qui stas, vide ne cadas. Nos stare debemus, vt confirmemur à Domino. Lubricum est sæculum, citò labimur. Ideo rogemus vt nos Dominus stabilire & confirmare dignetur. Noli putare quia viam tuam nesciat Dominus. Si iustus es, nouit. Crede dicenti Prophetæ.

Nouit Dominus vias immaculorum: & hæreditas eorum in æternum erit.

Nouit dominus vias, &c. Qui nouit Dominum, scitur à Domino. Nouit iustos, nescit iniustos. ideo iniustis dicit: discedite à me omnes qui operamini iniquitate: nescio vos. hoc est, quia estis indigni cognitione diuina. Nescio vos, quia me ipsi nescire voluistis. Opera vestra me nesciunt: facta vestra me nesciunt. Etsi dicatis quia me scitis, redarguunt vos peccata vestra. Omne peccatum à malo est: qui autem non peccat, in me manet. Hoc scripsit Ioannes. Quid de Domino dicam qui dedignatur impium scire? Paulus dedignatur, qui dixit: Si quis in vobis propheta est, aut spiritalis, cognoscat quæ scribo vobis. Qui autem ignorat, ignorabitur. Et alibi scriptum est: Cognouit Dominus qui sunt eius. Simus ergo Domini, vt cognoscat nos Dominus, & discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. Græcus habet: Nouit Dominus dies immaculorum. Sunt enim dies Eliæ, sunt dies Nabuchodonosor. Ideo Euangelium habet: In diebus Eliæ, quædo clausum est cælum. Nox erat perfidis, sed Eliæ lumen erat. Clausum erat perfidis cælum, sed Eliæ patebat. Fames erat perfidis, sed Eliæ vbertas. Neque enim eluire poterat, cui cibum cælestia ministrabat. Nec

esuriebat qui alios ipse pascerebat. Ergo sibi dies est iustus in tenebris: quia & lux in tenebris lucet. Et Ioseph in Ægypto erat, & lucebat ei meridies: vnde infra dixit: Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas? Iustitia lumen est, quia supra habes: Et educet sicut lumen iustitiam tuam. Habes ergo quod in te luceat, si iustitiam sequaris. Splendet tibi dies, lucet tibi nox, quia fideli & nox sicut dies illuminabitur. Dies igitur iusti nouit Dominus, quia ipse illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; hoc est, illum qui ad imaginem & similitudinem Dei viuuit. Illum qui se hominem esse cognoscit, vt refugiat equorum libidinem & adhinnientem, ferarum rabiem, lepulculorum formidinem, vulpium fraudem, rapinam luporum. Illum hominem qui sic agit, quasi in hunc mundum superuenerit: qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus sit. Venisti ergo: noli remanere, noli hæere terrenis. Vt scias autem quia dies boni sunt, audi dicentem: Abraham diem meum vidit, & gauisus est. Bonum habet diem, qui Dei filium bonum Deum nouit, & Dominum confitetur. Et rursus ipse nos admonet cauere debere, quia dies mali sunt. Qui mali sunt dies? In quibus vtique malum cognoscitur, quod est à malo. Aut fortè dies sæculi mali sunt, quia sæculum in maligno positum est. Sed legimus etiam post sæculum diem malum: In die mala liberabit eum Dominus. hoc est, in die iudicij propter multorum supplicia. Neceffe est enim torqueatur iniusti, compatiuntur iniusti: quia & angeli gaudent cum peccator à morte seruatur vnus. Compatiuntur igitur cum punitur, etsi alibi legerimus: Lætabitur iustus, cum viderit vindictam impiorum: quod suo loco reseruo: etsi frequenter audieris cur lætetur: sed occupationes occupationibus non inseramus. Nouit Dominus dies immaculorum: quia immaculata innocentiæ gratia eius & plenitudo miseretur, non miseretur errantibus. Isti non habent diem quia lucē fugiunt, de quibus pulchre dictum est: dies eorum sicut vmbra prætereunt. Cognitio ergo dei, dignationis est, non visionis. Oculi eius lux sunt. Quos aspicit, illuminat: & ideo oculi eius, dies iustorum sunt. Vnde hæreditas eorum in æternum erit: quia æterna bona, non temporalis hæreditatis compendia quæsierunt.

Non confundentur in tempore malo: & in diebus famis saturabuntur: quia peccatores peribunt.

Non confundentur, hoc est, non habebunt de quo erubescant, in tempore malo; id est, iudicij cælestis: & in diebus famis saturabuntur, quia non in solo pane viuuit homo, sed in omni verbo Dei. Sed quis homo? Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) raptum eiusmodi vsque ad tertium cælum. Ille ergo homo qui in Christo est, qui se in carne esse non nouit, qui non in carne ambulat, sed in spiritu: ille qui rapitur non solum ad cælum, sed etiam ad tertium cælum, rapitur ad paradysum, & audit arcana verba quæ non licet homini loqui: qui non in virtutibus suis, sed in infirmitatibus gloriatur: ipse non in solo pane, sed in omni verbo Dei viuuit. Verbum enim Dei vita est: quia verbum caro factum est. Vnde præ-

Ioan. 1.

Genes. 43.

Psal. 49.

Psal. 36. sup.

Psal. 138.

Ioan. 1.

Hierem. 5.

Ioan. 1.

Ioan. 8.

Ephes. 5.

1. Ioan. 3.

1. Ioan. 5.

Psal. 40.

Luc. 15.

Psal. 57.

Psal. 143.

Matth. 4.

2. Cor. 12.

Rom. 8.

2. Cor. 12.

Matth. 4.

Ioan. 1.

clare dixit Euangelista: Quod factum est in ipso, videtur esse Alexandrini quidem & Aegyptij legunt: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. & interposita distinctione subiicit: In ipso vita est. Salua sit fidelibus illa distinctio: ego non vereor legere: Quod factum est in ipso, vita est. & nihil habet quod teneat Arianus, quia non illius venena considero, sed lectionis sacrae consuetudinem recognosco. Non enim dixit: Factum est verbum ante omne principium. Non dixit: Factum est verbum. sed si quod dixerit audire desideras: Verbum, inquit, erat apud Deum. Erat apud Deum, quod cum ipso operabatur, cum ipso dominabatur. Non dixit, Factum est verbum: sed dixit, Deus erat verbum. Deus autem non factura, sed factor est & creator. Aperi aures, & audi: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Discis esse filium, in quo diuinitatis est plenitudo. Aperi aures adhuc paululum, & audi dicentem: Quod factum est in ipso, vita est. In ipso, inquit, factum est: non Dei verbum factum est. Aut si hoc mouet te ad calumniam, quia dixit: In ipso factum est: numquid & Deo patri calumniaris, quia Dei filius dixit: Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestetur opera eius, quia in Deo sunt facta? Aut quia Dauid dixit: Confitebor tibi Domine, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem. hoc est, conuersus es mihi in salutem, operatus es ad salutem? Posses aliis uti, sed nolo mihi credas, ne putes argumenta esse ingenij, non testimonia veritatis. Ipe tonitruus filius, ipse qui in Christi peccatore recubebat, ipse cui secreta sua Dominus non tacebat, cui Petrus innuit ut Dominum interrogaret, & ille interrogauit, & Dominus reuelauit: ipse exponat quid senserit de eo quod ait: Quod factum est in ipso, vita est. Audi ergo interpretantem, quia tuas Ariane calumnias iam cauebat. Quod erat ab initio: & quod audiuius, & vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostrae scrutatae sunt de verbo vitae, & vita apparuit. Caro ergo est quae in Christo apparuit, vel Christus in carne: ipse nostra in omnibus vita est. Ipsius diuinitas, vita est: ipsius aeternitas, vita est: ipsius caro, vita est: ipsius passio, vita est. Vnde & Hieremias ait: In umbra eius viuemus. Umbra alarum, umbra crucis, umbra est passionis. Ipsius mors, vita est: ipsius vulnus, vita est: ipsius sanguis, vita est: ipsius sepultura, vita est: ipsius resurrectio, vita est vniuersorum. Vis scire quoniam mors ipsius vita est? In morte, inquit, ipsius baptizati sumus, ut cum ipso in nouitate vitae ambulemus. Et ipse ait: Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram moriatur, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ipse granum pro nobis corpore solutus & mortuus est, ut fructum multum afferret in nobis. Mors itaque eius fructus est vitae. Quod factum est ergo in ipso, vita est. Caro facta est in ipso, vita est. Infantia facta est in ipso, vita est. Iudicium factum est in ipso, vita est. Mors facta est in ipso, vita est. Remissio peccatorum facta est in ipso, vita est. Vulnus factum est in ipso, vita est. Illusio facta est in ipso, vita est. Diuisio facta est in ipso, vita est. Sepultura facta est in ipso, vita est. Resurrectio facta est in ipso, vita est. Vide quanta in ipso facta sunt, quibus

vita nostra facta conuersio est, ut quae perierat redderetur. Ad postremum ueditio facta est in ipso, vita est. Redemptio facta est in ipso, vita est. Ad mortem ueditus est a Iuda, emptus a Iudaeis ad mortem, ut pretioso eius sanguine nos redimeremur ad vitam. Haec est vita quae facta est, haec est vita quae apparuit, haec est vita quam audiuius, haec est vita quae erat apud patrem: quia ipse qui erat in principio, ipse postea est natus ex Virgine, ut esset vita morituris. Ipsum hunc propositum nobis locum interrogemus. Quid est, hominem in Christo? hoc est, factum in Christo, in quo facta sunt omnia, siue sedes, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant: hoc est, in virtute eius. Homo ergo in Christo, qui factus est ad imaginem eius & similitudinem. Homo in Christo, qui totus in Christo sit. Sicut enim per unitatem & plenitudinem diuinitatis pater Deus totus in filio est, & filius in patre: ita per intentionem & pietatis affectum (ut exempli vice, non comparationis vtamur) homo totus in Christo est. Qui enim adharet Domino, vnus spiritus est. Homo ergo in Christo, non ille terrenus, non ille peccati, sed homo Christi. Quid ergo mouet: Quod factum est in ipso, vita est: si & homo, praecipue interior, in ipso factus est, in ipso crucifixus, in ipso renouatus, in ipso sepultus, & cum ipso cosepultus, in ipso resuscitatus? Quid mouet (ut dixi) quia scriptum est: Quod factum est in ipso, vita est: cum homo dixerit: In Deo faciemus virtutem? Si quaeris quae vita sit quod factum sit in ipso, accipe: Nempe vita, Ecclesia est. In ipso facta est, in eius costa, in ipso resuscitata Eua: Eua autem vita, hoc est quod factum est: quia Eua quae perierat, salua facta est per Ecclesiam: hoc est, per filiorum suorum generationem, sicut scriptum est: quia delictum superioris sobria emendauit haereditas. Vnde & ipse Paulus raptus est ad vitam, qui ante erat persecutor ad mortem. Prolixius euagati sumus, ut de eo hominem qui non in solo pane, sed in omni verbo Dei uiueret, diceremus. Reuertamur ad Psalmum. Et ideo immaculati non confundentur in die iudicij, & in diebus famis saturabuntur.

Inimici vero Domini, mox ut honorati fuerint & exaltati, deficientes sicut fumus deficient.

Deficientes sicut fumus deficient. Graecus ἐξελίττωσιν habet, hoc est, defecerunt. Vides subito aliquem ad potestatem venisse, & honoris insignia: sublimem iudicas. Vides illi esse successum: nonne dicis de eo: Vbi honoratus & exaltatus est iste? Defecit. Ideo plus dixit Graecus: quia ubi honorari & exaltari quis creditur, ibi defectu proprio praecenitur, ut meatu fluminum praeterisse citius quam venisse comprehendas: & dum ventura opperiris fluentia, te adhuc expectante fluxerunt. Contra, humiles atque mansueti dum subiiciuntur a diuitibus & opprimuntur, exaltati sunt a sua humilitate, & subito resurrexerunt. Ideo Paulus in infirmitatibus sibi placuit, non in virtutibus. Sed consideremus, ne quis putet eum in reuelationibus gloriatum, & repetamus ea, ut se ipse defendat humilitatis magistrum. Scio, inquit, hominem

Ibid.

Coloss. 2.

Ioan. 1.

Ioan. 3.

Tsa. 117.

Marc. 3. Ioan. 13.

Ioan. 1.

I. Ioan. 1.

Thren. 4.

Rom. 6.

I. Cor. 12.

Luc. 22. 1. Petr. 1. 1. Ioan. 1.

2. Cor. 11. Coloss. 1.

1. Cor. 6. 1. Cor. 13. 2. Thess. 2. 1. Ioan. 1. 2. Cor. 2.

Psal. 17.

Genes. 2. 1. Tim. 2.

2. Cor. 12. Act. 9. Math. 4.

Sapient. 5.

2. Cor. 12.

Ibid.

nem in Christo ante annos quattuordecim, siue in corpore, siue extra corpus, nescio. Deus scit, raptum eiusmodi vique ad tertium caelum. Ante annos quattuordecim reuelatum sibi dicit, & tamen reuelationem tam diu apud se tenuit & repressit: nec dixisset, nisi utile nobis iudicasset ut diceret: ne nos reuelationibus extolleremur. Si enim in tanta gratia non est gloriatus Paulus, nec nos gloriari oportet. Iuuenis ipse non gloriatus est, senex gloriaretur? Deinde raptum se vique ad tertium caelum negare non potuit: & tamen vtrum in corpore, an extra corpus raptus esset, se ignorare testatus est. Non ergo de scientia, sed de ignorantia gloriatur, & Dei circa se gratiam praedicat. Quod scientia est, negat: quod charitatis est, constituit. Scientia enim inflat, charitas vero aedificat. Et iterum, raptum eiusmodi hominem dixit: quemadmodum raptus esset, vtrum in corpore, an extra corpus, incertum sibi esse memorauit. Vide stateram sapientiae. Constituit vnum in Christo, & se alterum, qui ait: Nescio. Quod alienum est, attollit: quod suum, humiliat. Et audiuit, inquit, verba ineffabilia. Non dixit, Audiui: sed quod alter ait, audisse hominem illum in Christo, quae non licet homini loqui? Quomodo hoc conuenit, ut non licuerit homini loqui, quae licuerit homini audire? Si ipsi homini qui audiuit, non licet loqui, quomodo ei creditum est audire quod non permillum est loqui? Quae ista distantia est? Si alteri homini qui esset exterior, quomodo potuit homo cognoscere quod homini non licebat audire? Vnde videtur non gratia loquendi illi homini defuisse qui esset in Christo, cui non defuit: sed eis qui audirent, locum, tempus, meritum defuisse. Ille enim in caelo audiuit: & ideo non competere iudicatum est, ut id loqueretur in terris quod audisset in caelo, cum in ipsa terra sit ista discretio, ut quod in altera regione canitur, in altera non canatur, secundum quod scriptum est: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Denique Hebraei non canebant in terra captiuitatis, quod in sua patria canere consueuerant. Haec terra, captiuitatis est: alia terra, libertatis est. Ista peccati, illa quietis aeternae: vellestris ista, illa caelestis. Ergo in caelo illa nunc praedicat Paulus, quae in terris ante praedicare non poterat. Inter perfectos enim secreta sapientiae sunt loquenda. Attamen quid commemoratio istius reuelationis operatur, nisi ut doceat quod in reuelationibus minimè gloriandum sit, sed in infirmitatibus? quia infirmitas, & remedium reuelationis, & virtutis exercitium est. Contra autem reuelatio, elationis lubricum est. Namque ne reuelationis sublimitate extolleretur ipse Paulus, qui raptus in tertium caelum est, stimulum carnis accepit. Subuenit ergo infirmitas, ne gratia in periculum verteretur. Vtilior ergo infirmitas quam gratia. Eadem quoque infirmitas, officina virtutis est: sicut ipsi Apostolo testificatus est Dominus; quia virtus in infirmitatibus consummatur. Denique iste ipse

A post reuelationem rogauit remedium sanitatis, & non impetrauit. In infirmitate autem remedium non quaesuit, sed cursum consummauit, & coronam inuenit.

Mutuatur peccator, & non soluit: iustus autem miseretur, & tribuit.

Hoc quoque personae conuenit Pauli: quia *iustus miseretur, & tribuit*. Vide illum Domini eloquia diuidentem, vide argentum Domini scelerantem. Vnam mnam accepit, duas reddidit. Duas accepit, quattuor reddidit. Quinque accepit, decem reddidit. Non ligauit in sudario quod acceperat, sed nummulariis erogauit: & quod erogauerat, cum vsuris recepit. Ita & accipientem a peccato maximo liberauit, ne apud eum pecunia Domini deperiret: & ipse ut decem ciuitatibus praeficeretur emeruit. Quae sint decem ciuitates, in epistolis recognosce quas scripsit: estis Apostoli praescripto numero non teneantur, quibus dictum est: Ite per orbem vniuersum, & praedicatè Euangelium vniuersae creaturae. Hic ergo ab Hierusalem per Orientem & Illyricum & Italiam Domini pecuniam dispensauit. Et ne quis putaret quod suam sceleraret, Domini esse pecuniam testabatur, dicens: His autem qui in matrimonio iuncti sunt, denuntio non ego, sed Dominus, vxorem a viro non discedere. Et alibi: Quid experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus? Denique ipse rex ita dixit, in quo figura est Domini: Oportuit te pecuniam meam committere nummulariis. Meam, inquit, non tuam. *Iustus ergo miseretur, & tribuit*. Quomodo tribuat, audi dicentem, Per omnes ecclesias doceo. *Peccator autem mutuatur, & non soluit*. Vide diuitem mutuantem, & non reddentem: pauperem accipientem, & continuo remunerantem, ne diutius in aere alieno sit. Haec moralia. Vide nunc pauperem mysticum, id est, simplicem & timentem Dei nomen, audientem verbum de castitate, & soluentem: audientem de misericordia, & soluentem: audientem de placiditate, & non irascentem. Diuitem vero illum arrogantem & superbum, audientem quidem, sed post se reiciientem sermones Dei: audientem de condemnatione luxuriae, & magis luxuriantem. Denique Ecclesia soluit quod accepit, synagoga non soluit. Cognosce Ecclesiam solvere. Tui, inquit, erant, & mihi eos dedisti, & verbum tuum seruauerunt. Et alibi: Ipse enim pater diligit vos, quia vos me diligitis. Reddidit ergo Ecclesia quam accepit a domino pecuniam charitatis: sed synagoga non reddidit. Ideoque de Iudaeis dicitur: Si non venissem, & locutus non fuisset his, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo: quia audierunt utique, & non crediderunt. Probatum est ergo quia mutuati sunt peccatores, & non soluerunt. Peccator igitur eget semper: iustus autem abundat & tribuit, cuius diues est conscientia. Ideoque Iudaei in suis diuitiis egerunt: Diuites egerunt & esurierunt: Christiani autem in diuitiis simplicitatis suae non defecerunt. Bonus ergo iustus. Et ideo addidit scriptura:

Quoniam benedictes cum possidebunt

Luc. 19.

Ibid.

Marc. 16.

Rom. 15. 1. Cor. 7.

2. Cor. 13.

Math. 25.

1. Cor. 14.

Ioan. 17. 1. Ioan. 16.

Ioan. 15.

Psal. 13. 2. Cor. 8.

terram: maledicētes autem eum disperibunt.

Esai. 5.  
Apo. 8.

Esai. 45.  
Esai. 35.

Apo. 21.

Apo. 22.

Ioan. 15.

Apo. 5.

Hiere. 17.  
Luc. 4.

Quomodo iustus possidet terram, aut quam terram, cum scriptura dicat: Numquid soli habitabitis super terram? & alibi: Vae habitantibus super terram, quod increpationis est atque maledicti. Cuius ergo terrae benedicta possessio est? Non istius quae tenebris absconditur, & amaritudinibus impletur, sed illius quae fluit mel & lac, id est, habens gratiam suauitatis, & fulgorem lucis aeternae. Accipe mellis boni suauitatem, immo supra mel. Fugiet dolor & gemitus & tristitia, quia suauitas gratiae amaritudinem humanae fragilitatis excludit. Et alibi: Et delebit omnem lacrymam de oculis eorum: & mors non erit amplius, neque luctus. Accipe etiam lactis nitorem. Et non indigebunt lucerna, & lumine solis. Ipse enim Dominus illuminabit super illos, & regnabit in saecula saeculorum, amen. Est etiam mysticus iustus, qui miseretur & tribuit, qui omnia verba quae accepit a patre, dedit nobis, & peccatorum nostrorum nobis aera dimisit, & sanguinem suum pro nostris debitis soluit: ut non in foenore essemus alieno, sed in suo aere bonus creditor nos haberet. Est & peccator ille qui congregauit quae non peperit, & mutuatus est quod non tenebat, nec vult restituere quod accepit. Audi quia mutuatus est diabolus: Tibi, inquit, dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum (quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa) si procides adoraueris me. Nequissime, accepisti ad tentationem, non ad mortem; hoc est: Accepisti ut probarentur Dei serui, non ut extinguerentur. Accepisti ut Deus adoraretur, non ut negaretur. Accepisti saeculari, cur eripis quae aeterna sunt? Accepisti quae mundi sunt, cur vis auferre quae Christi sunt? Da illa cui vis: non inuidemus. Cur nobis a te quae nos volumus inuidetur? Tu adorari vis, qui omnibus nequior, ipsa quoque indignus es seruitute?

ADomino gressus viri dirigentur: & viam eius cupiet.

Esai. 43.

1. Cor. 9.  
1. Cor. 10.

Psal. 36. in fr.

Exod. 3.

Exod. 14.

Gressus viri dirigentur. Gressus, Graecus διαβηματα dixit, hoc est, transitus. Et ideo dicitur tibi: Si trans eas per aquam, fluminate non concludent. Transi ergo, noli cessare: sicut bonus viator cum venerit ad aliquod viae signum, non stat, sed pertransit. & tu in via es quamdiu in hoc cursu es constitutus. Paulus si stetit, cursum suum non consummasset. Vide ne ideo dicat: Et tu qui stas, vide ne cadas. Non enim qui transiit, potest timere ne cadat. Vidi, inquit, impium superexaltatum, & eleuatum super cedros Libani: & transiit, & ecce non erat. Videns ergo impium superexaltatum, qui non stetit, non offendit. Si stetit, & miratus illum fuisset, & secutus esset, offendisset & cecidisset sicut impius. Ideo Moyses videns rubum relucere & non ardere, ait: Transiens videbo hoc visum magni. Qui transit de hoc saeculo, magnum visum videt. Qui soluit vincula istius nexus, quo ligamur huic corpori, visum magnum videt. Moyses in Exodo legitur, multa videt miracula in Exodo. Non tanta alius videt qui non est in Exodo. Idem Moyses transiit: transiit & populus patrum; quia de terra captiuitatis exibat. Dirigebantur itaque a Domino gressus eorum, quibus per no-

stem ignis columna lucebat, per diem nubis: ut nec diei arbor afficeret commeantes, nec impedimentum viantibus tenebrae noctis afferrent. Et tu merere factis, votisque deosce ut gressus tui a Domino dirigantur, ne moueantur pedes tui: quia scriptum est: Mei autem pedes non sunt pedes, paulo minus effusi sunt gressus mei. Cauendum est quoque ne rectam semitam derelinquas, & diuerticula te viarum tortuosarum decipiant. Ideo dicit: Parate viam Domino, rectas facite semitas eius. Paremus ergo viam Domino Deo nostro in mentibus nostris. Rectas faciamus animorum semitas, ne labamur. Non effundantur gressus nostri sicut vxoris Lot, quae post se respexit, & gressus tenere non potuit, sed effusi sunt, cum in salem esset repente conuersa. Non effundantur sicut Aegyptiorum, quorum gressum maris fluctus effudit. Ipsi Hebraei qui cum Moysse erant, quia peccauerunt in deserto, ceciderunt vestigia pedum, ne in terram repromissionis intrarent. Nonne etiam de his pulchre dicitur quia effusi sunt processus eorum, quorum spes lapsa, in vanum effusus labor, vota sunt destituta? Considera enim aliquem per aliquot annos habuisse studium probitatis, castitatis custodiam, vitae attentioris affectum, pia propositum seruitutis, sedulae obseruationis officium; subitoque eum esse mutatum, discessisse de monasterio, valedixisse ieiuniis, continentiae renuntiasse, indulgere deliciis, studere luxuria. Dum de monasterio exierunt, & nunc luxuriae sunt magistri, disseminatores incontinentiae, in centores petulantiae, obrectatores pudoris. Nonne de his pulchre dixeris: Effusi sunt gressus eorum: quos bene vixisse poenituit. Egerunt itaque noui generis poenitentiam pro virtutibus, & non agunt pro delictis. Sed hi ex nobis exierunt, dicit Ioannes: sed non erat ex nobis. Si enim ex nobis fuissent, nobiscum perseuerassent. Hi ergo viam suam condemnauerunt, quibus conuenit dici: O qui dereliquisti semitas rectas, abeundo in vias tenebrarum! o qui latamini in malis, & gaudetis in euerfione mala, quorum semita praua, & flexuosa cursus eorum, sicut lubricus & flexuosus auctor ipsorum: cur odisse cepistis viam rectam, & iustum consilium deseruistis? Non vos direxit Dominus. Quem autem dirigit Dominus, via eius cupiet, & ipsius semitis delectabitur. Vtrumque tamen intelligi potest: & quod ipse qui a Domino dirigitur, viam Domini cupiet; quia duce ipso omnis leuatur labor, omnia impedimenta remouentur, in centia subministrantur: & quod ipse Dominus non aspernatur, sed libenter accipit viam viri quem ad virtutem ipse direxerit. Pulchre autem viri gressus dirigi dicuntur a Domino, quia non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, sine offensione seruare vestigium. Qui enim plantat & rigat, nihil sunt: sed qui dat incrementum Deus. Ipsi soli gloria virtutum iure defertur.

Cum ceciderit, non conturbabitur: quia Dominus confirmat manum eius.

Iustus etiam cadit interdum: sed si iustus est, cum ceciderit, non conturbabitur. Quod conditionis est, cadit: quod iustitiae, resurgit: quoniam iustus Deus non derelinquit, sed confirmat manum eius. Quae ratione

Exod. 13.

Psal. 71.

Prou. 2.

Esai. 40.

Genes. 19.

Exod. 14.

Num. 26.

1. Ioan. 2.

Prou. 3.

Rom. 9.

1. Cor. 3.

ratione non pedem, sed manum dixit? Nisi forte ea, A quoniam qui cadit, non magis pedelabatur, sed infirmus lubrico saepe dicitur, vel offendit in petra. Hic autem iusti casum intellige, id est, fortioris. Denique de populo qui luctatur, si genu fixerit, vel pede lapsus fuerit, pro victo habetur. Athleta qui luctandi peritiam habet, & ad coronam luctatur, etiam volens genu figit, ut vincat. Et si lapsus fuerit, non excluditur: & si ab eo qui superior sit, prematur, manibus tamen se sustinens, iure decertat: nec aufertur brauium, nisi fuerit fusus in ventrem, aut distentus vinculo lacertorum. Inde oriuntur crebra certamina, B quia multa & incognita plerisque sunt genera ruinarum. Nam casus eos proprie appellant ruinas. Graece enim πώματα nuncupatur. Ergo quum stringitur & vrgetur, saepe se voluit, & sit supra qui inferior habebatur, superior emque dum surgit elidit: quod videtur scriptura significare cum dicit: Vniuersum stratum verlasti in infirmitate eius. Itaque de eo dicitur: Cum ceciderit bonus athleta, non conturbabitur. Plerique enim volunt teneri, quod maturius vincant, qui de arte praesumunt. Sed etiam si assignatus, ut ipso verbo utar, & primo & secundo fuerit, non excluditur: licet ei interdum reparare luctamen: & vincere saepe contingit, & cedere eum qui secunda contentione superauerit. Ita ergo etiam iustus est offendiculum incurrit & ceciderit, non relinquat tamen studium deuotionis & fidei, sobrietatem teneat, poenitentiam gerat, saepe se reparat. Ideo interrogat Petrus: Si peccauerit in me frater meus, quotiens remittam ei? vsque septies? Et respondit Dominus: Non solum septies, sed etiam septuagies septies. Ut scias autem quia athleta sumus, & impellimur, & alij ruunt, & plerique eliduntur, audi dicentem: D Suffulcit Dominus omnes qui ruunt, & corrigit omnes elisos. Vnde & ipse de se dicit David, vel ille qui locutus est in Propheta: Impulsus subuersus sum ut caderem, & Dominus suscepit me. Iesus enim non cecidit, sed impulsus est. Etenim cum ipse conuerteret elisos, quomodo ipse potuit elidi? Iustus autem, cum ceciderit, posse resurgere, testatur scriptura, quae dicit: Numquid qui cadit, non adiuuet ut resurgat? aut qui auersus fuerit, non reuertetur? Vae iis qui auertuntur auersione impudenti, dicit Dominus. Vtinam quidem ineluctabilis & insuperabilis sit Christi athleta, & in omni aetate, in omni virtutum genere gloriosus, sicut ille ait: Sed in omnibus superamus propter eum qui nos dilexit. Quid est in omnibus? Sunt athleta qui vocentur pueri, ephabi, viri, hoc est, παιδες, εφηβοι, ανδρες. Etiam scriptura has in luctatoribus nouit aetates, dicitur David: Ne auertas faciem tuam a puero tuo. & Iuuenis fui, & senui. Vnde & Ioannes ait: Scribo vobis pueri, quia cognouistis patrem. Scribo vobis iuuenes, quia vicistis malum. Scribo vobis patres, quia cognouistis eum qui est ab initio. Maturior itaque ad patres scribens, maturos designat fidei deuotionisque processu. Virtutum ergo istarum, non infirmitatis aetates sunt. Neque enim sine virtute puer est, qui cognouit patrem Deum virtutum. Ex illo puero isti sunt pueri, qui prius quam sciret vocare patrem aut matrem, accepit virtutem Damasci, & spolia Samariae. Ipse est puer qui natus est nobis, filius qui datus est nobis: cuius principium S. Ambros. tom. 2.

Psal. 40.

1. Tim. 3.

Psal. 144.

Psal. 117.

Psal. 144.

Hiere. 8.  
Ibid.

Rom. 8.

Psal. 68.

Psal. 36. in fr.

1. Ioan. 2.

Esai. 8.

Esai. 9.

super humeros eius. Ipse nos docuit pueritiam esse virtutem, dicens: Sinite pueros, & nolite eos prohibere ad me venire. Et alibi: Amen amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut puer iste, non intrabitis in regnum caelorum. Ipsa quoque corporis fortitudine pueri plerumque viros vincunt. Et vtrique si aetatem pueritiae consideremus, non potest puer aut usum omnem scire, aut vim subire luctandi. Nouimus tamen quod frequenter pueri quos non poterant portare, vicerunt. Adco vigor animi infirmitatem excludit aetatis. Quales autem pueri, tales & ephabi, hoc est spirituales. Nouit scriptura adolescentem Paulum, iam proximum conuersioni. Nouit & Eutychem adolescentem, qui cum sermonibus Pauli intentus haereret, somno victus de tritico cecidit, & resurrexit. Nouit & Ioannem adolescentem in Christi pectore recubentem, qui tam fortis fuit, ut persecutionem non timeret, malum vinceat. Hic est puer qui patrem genitalem reliquit, sequutus eum patrem quem cognouit aeternum. Adolescentem amictus sindone Dominum sequebatur tempore passionis, qui sua omnia dereliquerat. Maturior, Deum verbum in principio ipso semper fuisse atque esse cognouit, & manere in se probauit. Viros quoque scriptura nos docuit spirituales, Agabo propheta dicente: Virum hunc cuius est zona haec, sic alligabunt Iudaei in Hierusalem. Et Festus ait: Vir quidam est relictus a Felice in custodia. Ante passionem suam Paulus adolescens dicitur, in passione vir significatur: qui cursu consummato esset iam proximus ad coronam. Cognouimus aetates pro fide & deuotione certantium, cognoscimus etiam certamina singulorum. Haec quoque scripturae nos doceat teneor. In hoc itaque saeculari agone alij sunt qui simplici quodam & legitimo genere luctantur, & ligaturis tantum corporis certant, verberare non norunt: qui palaestrae vocantur. Alij qui caedunt, & pulueris iactum membrorum nexibus miscunt, omni sibi verberandi iure permissio: quos παιμαχος vocant; eo quod omnis litis & pugnae aduersum se habeant potestatem. Alij qui caestibus aduersum se decernunt, & dilaceratis capitibus cruentantur. Hi πικτυαι feruntur. Haec omnia certamina subiit Paulus Apostolus: sicut ipse demonstrat, cum dicit: Quoniam non est nobis pale aduersum carnem & sanguinem, sed aduersum principes & potestates, & (ut compendio utar) aduersum nequitias spirituales. In Latinis plerisque colluctatio reperitur, in Graecis omnibus πάλαι scribitur. πάλαι enim Graecorum, lucta est Latinorum. Et vere pale, quia caro & sanguis, & nequitiae spirituales patientia & continentia corporis, & animi moderatione superantur. Ira, furor, caedes, arma sunt diaboli. Alibi quoque plagis supra modum caesum se esse significat, dicens: In plagis supra modum, in mortibus frequenter. Hierosolymis autem pugnis se esse percussum: vbi cum interuenientibus militibus aliquando cessassent Iudaei percutere Paulum, ipse pontifex Ananias circumstantibus iussit percutere os eius: cui respondit Apostolus: Percutere te incipiet Deus, paries dealbata. Et tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti? Sciuit profecto referre, qui grauiore pugno pontificem percussit. Ipse enim corporaliter

Luc. 18.

Matth. 18.

Act. 7.

Act. 20.

Ioan. 13.

Matth. 4.

Marc. 14.

Ioan. 1.

Act. 21.

Act. 25.

2. Tim. 4.

Ephes. 6.

2. Cor. 11.

Act. 13.



1. Cor. 9.

Philip. 4.

Dani. 13.

Genes. 25.

Hierem. 1. Luc. 11.

Ioan. 1. Esai. 40. Ioan. 1.

Iob. 19.

Psal. 34.

Iob. 2. Iob. 11.

cæsus est: illi retulit quod in animam percutetur à Christo. In prima quoque epistola ad Corinthios scribens ait: Ego igitur sic curro, non vt in incertum: sic enitor, non vt aera cadens. Quod Latine dicit, enitor: Græcè ait, *πικρὸς*. Et verè quasi bonus pyçta, non aerem, sed aeras potestates & Iudæorum capita verberabat: quia caput omnium Iesum Dominum nõ habebant. In omni itaque certamine Apostolus est probatus, qui etiam coronam cursu consummato accepit. Vnde & ipse ait: Omnia possum in eo qui me confortat. Habet & Christus, qui in pueritia sua æui maturos vicerit: vt Daniel puer spiritu valido seniores illos redarguit Iudæorum, & de victoriæ iure deiecit in mortem. Habet & alios, qui priusquam nasceretur, in matris ventre luctati sunt. Denique Iacob fratrem supplantauit Esau, & malum vicit, atque ita de vtero matris exiuit, vt victoriæ insigne monstraret, & pedem senioris degeneris victor inuenteret. Hieremias in vulua matris sanctificatus est & probatus. Ioannes Baptista principem agonis humani, præmiatorumque luctantium necdum natus venisse cognouit, atque in vtero matris exiliens piæ brauium confessionis emeruit. Rectè iam tunc designatus est ad coronam, qui ante omnes ad Christi agonè fidei testis & præco virtutis suum nomen obtulerat. Bonus præco, qui ad certamen alios excitabat. Et verè bonus præco, qui tam magna voce clamauit, vt ad eius sonum secreta cælestia resularent. Quid multa? Terram mouit, cælum impleuit. Ideoq; vocis nomen accepit, quia verbum Dei vox sacrata præcessit: quemadmodum ipse nos docuit, dicens: Ego vox clamantis in deserto. Dixit hoc Esaias propheta: de se dictum iste firmavit. Audiuius quid dixit præco: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Hæc est vox singularis, & sola, tã sonora, vt ab omnibus audiretur: tã dulcis, vt vniciuersum corda mulceret. Istos ergo athletas suos Dominus confirmauit, vt vincerent. Numquam enim suos deserit & relinquit. Et ideo addidit Propheta:

Iuuenis fui, & senui: & nõ vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.

*Iuuenis fui, & senui:* sic Latini. Aliqui autem iuxta Græcos habent: *Iuuenis fui, etenim senui.* Simpliciter qui vult intelligere, patet sensus, quod vitæ suæ tempore Dauid non viderit iustum derelictum. Sed hoc & breuis temporis est, & incredibile. Siquidem multos videmus in sæculo iustos ab hominibus derelinqui, quando eos aliqui potentium persequuntur: & nullus ad eos audet accedere, cum in timore aut in iniuria viderit constitutos. Vnde Iob dicit: Fratres mei discesserunt, agnouerunt extraneos magis quam me. Amici mei immisericordes facti sunt: & qui me nouerant, obliui sunt nomẽ meum. Dauid quoque non solum destitutum, sed etiam impugnatum se ab amicis & proximis clamat: Amici, inquit, mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt. Ergo si in hoc sæculo reperiuntur iusti derelicti, quomodo sibi contraria dixit Dauid? nisi intelligas quod iustus est in sæculo derelinquitur; à Domino tamen non derelinquitur? Neque enim Iob cum esset in stercore, à Domino derelictus est, quom in angelorum concilio Dominus

ipse sua voce laudabat: quem tentari passus est, vt coronaret. Tentationem autem in corpus dedit, in animam denegauit. Nec derelictus Dauid, cui regnum dedit, vt populo imperaret electo: quem parricidalibus præliis appetitum, regni sui depulsum finibus, victoriæ iure restituit. Ipsi quoque Iacob, Elias & Elifæus, & Ioannes Baptista, & ceteri qui in caprinis pellibus circumeuntes errabant in solitudinibus & montibus & speluncis & foueis terræ, licet ludibria multa & acerba supplicia tolerasse videantur, tamen non derelicti sunt. Siquidem cum fratrem fugeret Iacob, & per deserta in comitatus erraret, obdormiuit, & surgens vidit ibi multitudinem cælestis militiae, & ait: Hic locus vocatur castra angelorum. Nõ satis fuit castrum vocare, sed castra, quæ tantæ multitudini cõuenirent. Vides ergo quia solum se putabat, & castra eum cælestis exercitus sequebantur? Sicut & patres nostros Moyse tempore, ne in deserto sitirent, petra (vt scriptum est) sequebatur. Nam cum in Exodo legerimus quod sitiente populo percussit Moyses de virga petram, & aqua fluxit, & bibit populus Dei: iterum legerimus in Numeris quod rursus Moyses tetigerit petram virga, & scaturiuerit aqua patribus ad bibendum: præclare Apostolus hoc interpretatus est, dicens: Bibebant autè de cõsequenti eos petra: petra autè erat Christus. Illos igitur querulos, illos murmurantes, illos præuaricantes, tamen nõ deserbat Dominus, sed sequebatur. Quid de Elia & Elifæo dicam, quibus per deserta gradientibus equi de cælo, & igneus currus occurrit? Quomodo derelictus Elias, qui est inuitatus à Christo? quomodo derelictus in terris, qui raptus ad cælum? quomodo egens & nudus & inanis, qui geminati spiritus hereditatem discipulo dereliquit, vt vna melotide hæres donatus, fluuius sifteret, Iordanem reuocaret in fontem, regum exercitus palceret in deserto, & potum sitientibus ministraret? Ad eius arbitrium de cælo profluebant pocula, in terris mortui resurgabant. Quomodo derelictus Eliæus, qui cum Syrorum vallatus esset exercitu, vt captiuus raperetur ad regem, dicente Gezi seruo: Domine, quid faciemus? ait: Noli timere: quoniam plures nobiscum sunt quam cum illis. Et dixit: Domine aperi oculos eius, vt videat. Et aperti sunt oculi illius, & vidit montem & omnia in circuitu equis innumeris & cælestibus repleta legionibus. Paulus quoque qui dixit, periculis in mari, periculis in deserto se esse iactatum, tamen ipse testificatus est, dicens: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Ergo sic illè derelictus & destitutus ab hominibus, apud Deum abundat & profluit. Nam & Elias destitutus erat, ita vt diceret: Domine accipe animam meam; & tamen vigeat apud Deum, vt ipsis esset regibus virtute terribilis. Quomodo iuuenis hoc Dauid potuit comprehendere? Iuuenis enim magis temporalia quam aeterna considerat: quia ætas ea propèdet ad vitia. Sed sunt quidam in iuuentute senes, & alij iuuenes in senectute. Sunt, inquam, viri quorum animi senili grauitate censentur, in quibus ætas senectutis sit vita immaculata, in quibus vigeat incana prudentia: qualis erat Hieremias, qui cum se iuuenem contuitu memoraret ætatis, & per iuuentutem excusa-

Riet. 1.

Psal. 102.

Matth. 20.

Genes. 25. 1. Ioan.

Exod. 17.

Num. 20.

1. Cor. 10.

4. Reg. 2.

Matth. 17.

4. Reg. 2. Ibid.

1. Ioan. 21.

3. Reg. 19.

4. Reg. 6.

Galat. 3. Galat. 4.

2. Cor. 11. Rom. 8.

3. Reg. 19.

1. Ioan. 6.

1. Ioan. 8.

3. Reg. 19.

Sapient. 4.

Riet. 1.

Psal. 102.

Matth. 20.

Genes. 25. 1. Ioan.

Exod. 17.

Num. 20.

1. Cor. 10.

4. Reg. 2.

Matth. 17.

4. Reg. 2. Ibid.

1. Ioan. 21.

3. Reg. 19.

4. Reg. 6.

Galat. 3. Galat. 4.

2. Cor. 11. Rom. 8.

3. Reg. 19.

1. Ioan. 6.

1. Ioan. 8.

3. Reg. 19.

Sapient. 4.

ret quod prædicandi impar officio videretur, ait illi Dominus: Noli dicere, Quia iuuenis ego sum: quoniam ad omnes ad quoscumque misero te, abibis. Ita iuuenem non putauit, quem aptum propheticæ gratiæ iudicabat. Talis ergo iuuenis fuit Dauid, cum renouatus esset, & rehoruisset (vt ipse dixit) velut aquilæ iuuentus sua. Sic ergo intelligi oportet: *Iuuenis fui*, sed sanctificatus, sed propheta in gentibus positus, qui iam possem regni cælestis sacramenta cognoscere, & vera præmia considerare iustitiæ: sed *non vidi iustum derelictum*. Postea quoque senui, id est, & vtu roboratus & munere, ad quæsiui incrementa sapientiæ. Eadem circa iustitiam visã est mihi gratia permanere. Explanabimus vt potuimus, quomodo dixerit: *Iuuenis fui*: sed quomodo addiderit, *Et senui*, consideremus. Bona iuuentus, sed melior senectus. Qui enim vsque in finem perseuerauerit, hic saluus erit. Vnde non perfunctoriè de patriarcha Abraham dictum est quod nutritus esset in senectute bona. Et Ioannes senex cepit scribere Euangelium, & epistolæ: qui cum refugeret Apostolum se scribere, seniore scripsit. Nec minor est æstimatus, cui cygnea quædam suppeteret gratia senectutis. Ipse vas electionis dominicæ scribens ad Philemonem ait: Cum sis talis, vt Paulus senex, nunc autè & vincus Christi Iesu: obsecro te pro meo filio què genui in vinculis, Onesimo. Volens itaque illi plurimum deferre, seniori Paulo cum nõ iuueni comparauit, & ibi se senem est gloriatus, vbi iam in vinculis tenebatur. Et videte distantiam. Adolescens significatus est in alterius passione, senex in sua. Ibi vt adolescens, quia Iudæorum vestimenta seruabat: hic senex, vbi sui corporis exuias exuebat. Deniq; & Petrus ibi senex dicitur, vbi certamè est passionis. Cum iunior, inquit, esses cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem senueris, extèdes manus tuas, & alius te cinget, & duceat quod tu non vis. Hoc autem dixit, significans quomorte clarificaturus esset Deum. Ante certamè iunior dicitur, in certamine senex, qui omne certamè impleuerit. Hoc ergo dicit Dauid ille in iuuentute bellator, in senectute pacificus: *Iuuenis* (inquit) *fui*: sed nolo me adhuc iuuenem putes: *Et senui*, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Quod est semen iusti? Abraham dictæ sunt promissiones, & semini eius. non dicit, Et seminibus, tamquam in multis: sed sicut in vno, Et semini tuo, quod est Christus. Audi iusti semen: Filioli mei, quos ego parturio donec formetur Christus in vobis. Et nunc si quis ex gentibus veniens, sermonem audiat nostrum, & Dominus inuare dignetur vt formetur Christus in animo eius, quod partus fidei ferat: semen ei Christus erit. Illic in vtroque, Abraham itaque & generationis pater erit secundum carnem, & is qui verbum Domini in pectoribus iustorum primus infuderit. Et ideo hoc semen Abraham panes istos quibus præbeatur corporalis alimonia, non requirit: quia habet panem iustitiæ, qui descendit de cælo. Sicut enim negantur filij Abraham qui opera Abraham non fecerint: ita semen Abraham sunt, & inter filios recipiuntur, qui opus eius effecerint. Verum Abraham semen Elias, cui angelus alimèta præbebat, & in virtute escæ illius quadraginta dierum

A curriculum ambulabat. Non requirebat istam corporis huius alimonia verum semen Abraham, cui panes deferebantur de cælo: denique corui ei quotidianum conuiuium ministrabant. Ita indigus erat omnium, vt nihil haberet suum, & mittebatur vt victum aliis largiretur. Veram semen Daniel, cui inter leones posito aëria fercula per Habacuc prophetam referta messorum cpulis vehebantur. Est ergo panis angelorum, quem manducauit homo. Sic enim scriptum est: Panem angelorum manducauit homo. Hic est panis, de quo dixit Dauid: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit. Super aquam refectiois educauit me. Bonus Dauid docuit me panem angelorum, & ipse me docuit aquam refectiois. Hæc refectio spiritalis est, hæc refectio requies est mētis internæ. Bona aqua, quæ peccatum lauat, mundat interna. Quæ sit aqua hæc, audiamus. Si quis, inquit, sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de spiritu quem incipiebant accipere qui credituri erant in eum. Ergo nec hoc pane nec aqua refectiois indiget iustus, cui Spiritus sanctus est requies & refectio.

Tota die miseretur & fœnerat: & semen eius in benedictione erit.

Quomodo poterit indigere, qui *tota die miseretur & fœnerat*? Quid est quod fœnerat iustus? Non aë, non ferrum, non plumbum: sed argentum igni examinatum. Hoc desert ad mensam Domini, & diuidit requirentibus: cui vniam, cui duas, cui quinque, minas quotidie diuidit, & numquam deficit. Sed fœnerationem audiuius in lege reprehensam, dicente Moyse: Non fœnerabis. Duplex est fœneratio: vna pecuniæ, altera gratiæ. Diuide vtramque: quia scriptum est: Si rectè offeras, non rectè diuidas, peccasti: quiesce. Et tu rectè diuide, ne pecces. Ipse Moyses doceat te diuidere, qui admonuit rectè diuidendum: vt sequare, quod Abel egit, qui rectè diuisit: fugias quod Cain parricida fecit, qui rectè diuidere nesciebat. Diuidit ergo Spiritus sanctus diuisiones, qui operatur omnia, diuidens singulis prout vult. Ille prout vult, tu prout potes, prout ingenio vales; diuide quando lex de pecunia dicat, quando de gratia. Dixit enim tibi: Fœnerabis gentibus, cuius Dominus vsuras exigit: tu autem nõ mutuaberis. Est & pecunia fœneris, est & gratia, cuius Dominus vsuras exigit. Pecunia fœneris, aësi habet: gratia fidem confert. Fœnerato ergo fidem gētibus, vt tibi abundet gratia. Tu autem noli mutuari quasi indigus: sed quasi diues & locuples fœnerato. Fœnerauit Petrus, fœnerauit Paulus, fœnerauit Ioannes, & non indiguit: hoc est, fœnerarunt pecuniam Christi, non fœnerarunt pecunias ad vsuram. Fœnera ergo & tu, & noli desistere fœnerare. Audis quid dicat scriptura: *Tota die miseretur & fœnerat*. Iustus per diē fœnerat, auarus in nocte. Gratia enim lucis est, auaritia autem vsura tenebrarum est. Et ideo semen fœnerantis fidem in benedictione erit, habens vtiq; præmium benedictionis.

Declina à malo, & fac bonum, & inhabitabis in sæculum sæculi.

Quoniam Dominus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos: in æternum conseruabuntur.

Iniusti punientur, & semen impiorum peribit.

Iusti autem hæreditate possidebunt terram, & honorificabunt Deum in sæcula sæculorum.

Eheb. 4.

Rem. 2.

Psal. 33.

His versiculis demonstrat Propheta quod pertineamus ad Dominum, & ipse arbiter cogitationum operationumque nostrarum sit, spectans merita singulorum, qui nihil sine iudicio agit, sed malos & bonos actus iudicio discernit. Declinandum ergo est à malo, & faciendum bonum. Ne bona malaq; confundas, prius est vt crimine carcas: postea vt innocentiæ fructum deferas, quod possis esse perpetuus. Noli putare quod Deum tua peccata prætereant. Sic enim plerique labuntur. Ipse vniuersa cernit & damnat, & impiorum semen exterminat. Semen vtique non corporalis generationis, sed mentis internæ & impietatis successionem. Nam vtique Iob de femine Esau genitus scripturæ testificatione signatur. Quomodo ergo semen Esau perit in Iob, cum tantus iste vir fuerit, vt venturum in terras Dominum præuideret, qui ceterum istius sæculi diabolus subiugaret? Ergo hoc queritur, ne malitia transfundatur in posteros. Hoc per baptismatis sacramentum Christus operatur, vt exuat vnusquisque quod natus est, induat quod renatus: fiat non famulæ hæres, sed gratiæ, vt perpetuū domiciliū habitationis æternæ sibi possit adquirere. Qui autem habitare meruerit in sæculi sæculi, & ipse honorificabit Deum in sæcula sæculorum. Vbi moralibus iustum instituit disciplinis, vt qualis deberet esse, te doceret, quæve esset perfectæ forma iustitiæ, ad sapientiam & theoremata mentem vult eius assurgere: & excitat eius intentionem, vt spectet intento corde cælestia, & diuina intra se voluat oracula, atque ad ea quæ complacēt Deo, suum informet affectum: sit meditatus in lege, nec vlla eum Domini mandata prætereant. Modos diuini sacramenti cognosce. Denique abhinc vide in præceptis sanctum prophetam assurgere.

Genes. 36.

Iob. 26.

Ephes. 4.

Galat. 4.

Ipsi. 1.

2. Cor. 4.

Ephes. 2.

Philipp. 3.

Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.

Superiora moralia, hæc intelligibilia. Quod est iusti os quod meditabitur sapientiam, nisi interior homo? Duo sunt enim homines in singulis: vnus interior, alter exterior. Interior cogitat quæ mentis sunt, quæ mentis sunt loquitur; exterior quæ sunt corporis. Tamen adueniens Dominus vtrumque coniunxit, & duos in vno homine condidit, ne diuersis sese impugnent motibus, sed inuicem sibi voluntatum suarum vnitate socientur. Ideo os iusti meditabitur sapientiam. Iam enim & ipse exterior homo iusti in interioris hominis transfusus est disciplinam: & in eius conformatus naturam, ipsius exercet officia, vt caro meditetur quod mentis internæ est. Sed ne hoc incredibile tibi videatur, audi Apostolum dicentem, quia Dominus Iesus transfigurabit corpus humilitatis nostræ, vt conforme fieret corpori gloriæ suæ. Quis audeat dicere carnem sine pecca-

to, carnem assumptam ex virgine, carnem spiritu Dei in Mariam superueniente generatam, quæ in nullo discrepauit à sapientiæ disciplinis, interioris hominis exortem fuisse virtutum, nec in vsu eius transire potuisse, cum supra hominem fuerit quod tactu eius sanabantur ægroti, cæcis refundebatur aspectus, mortui resurgebant? Competenter ergo scriptum est: Os iusti meditabitur sapientiam: eo quod totus homo sit spiritalis, non vtique terrenus. Qualis enim terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes. Abiit ergo terrenus, remansit cælestis. Ideoque in tempora redemptoris referens Propheta, meditabitur, dixit: licet vnus è pluribus meditatur. Nec abhorret à sensu, quia prophetarum spiritui futura præsentibus sunt. Alij putant os pro mente dictum. Puchrè autem istud expofuit nobis Salomon, dicens: Narratio iusti semper in sapientia: stultus autem sicut luna mutatur. id est, quod sæpe varietur, nec in sua perseueret sententia, & tamquam in tenebris lumen videatur offundere, nec tenere. Sit ergo tibi semper in corde & ore meditatio sapientiæ, & lingua tua loquatur iudicium, lex Dei tui in corde tuo sit. Ideo tibi dicit scriptura: Loqueris in illis sedens in domo, ambulans in via, dormitans, resurgens. Loquamur ergo Dominum Iesum, quia ipse est sapientiæ, ipse est verbum, & verbum dei. Nā & hoc scriptum est: Aperi os tuū verbo Dei. Ipsum spirat, qui sermones eius resonat, & verba meditatur. Ipsum semper loquamur. Cum de sapientia loquimur, ipse est. Cum de virtute loquimur, ipse est. Cum de iustitia loquimur, ipse est. Cum de pace loquimur, ipse est. Cum de veritate & vita & redēptione loquimur, ipse est. Aperi os tuū Dei verbo. Scriptum est: Tu aperi, ille loquetur. Ideo dixit David: Audiam quid loquatur in me Dominus. Et ipse Dei filius dicit: Aperi os tuum, & adimplebo illud. Sed non omnes vt Salomon possunt percipere sapientiæ perfectionem: non omnes vt Daniel. Omnibus tamen pro possibilitate infunditur spiritus sapientiæ, sed omnibus qui fideles sunt. Si credas, habes spiritum sapiētiæ. Ideo Psaltes dicit: Credidi, propter quod locutus sum. Cum credideris, accipies loquēdi gratiam. Et qui credit, redimitur: & qui orat, redimitur, si piè intendat orationibus, & in oratione assiduus sit. Diem præueniat, noctem frequenter, solimatinus occurrat, vt antè ipse illuminetur à Christo, quàm terra solis exortu. Et qui psallit, redimitur: & qui compungitur, redimitur. Ideo semper meditare, semper loquere quæ Dei sunt, sedens in domo. Domum possimus accipere Ecclesiam, possimus accipere domum interiorem in nobis: vt intra nos loquamur. Sedent iudices in Hierusalem: sederunt sedes in iudicio. Sedit etiam iudicium consilium, & libri aperi sunt, Propheta dicit: & tu cum consilio omnia fac. Cum consilio de factis tuis iudica, cum consilio vinū bibe: cum consilio loquere, vt effugias peccatum, ne incidas per multiloquiū. Sedens loquere tecum, quasi qui iudices. In via loquere, ne vniquā vaces. In via loqueris, si in Christo loquaris, quia via Christus est. In via loquere, tibi loquere Christo. Audi quomodo illi loquaris: Volo, inquit, viros in omni loco orare, leuantes puras manus sine ira & discipatione. Loquere o homo dormitans, ne tibi

Luc. 1.

Matth. 11.

1. Cor. 15.

Ecl. 27.

Deut. 6.

1. Cor. 1.

Ioh. 1.

Prouer. 31.

1. Cor. 1.

Ephes. 2.

Ioh. 14.

Prouer. 31.

Psal. 84.

Psal. 80.

3. Reg. 3.

Dan. 10.

Psal. 115.

Psal. 121.

Dani. 7.

Prouer. 31.

Prouer. 10.

Ioh. 14.

1. Tim. 2.

tibi sonus mortis obrepit. audi quomodo dormitans loquaris. Si dederō somnū oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Vince naturam diligentia, excludere corporis somnum. Naturam nobis formare non possumus, possumus diligentiam. Homo erat dauid: indulgebat aliquid somno per noctem, sed excluderat somnū, lauās per singulas noctes lectum suum, & lacrymis irrigans stratū suum. Ideo memor erat in stratū suo semper Domini sui, & in ipso meditabatur, vt diluculum præueniret, & in tenebris ei illucesceret Christus, dicens: Surge qui dormis. Nam in omnibus hæc gratia est: sed potest esse & in pluribus diligentia. Ne igitur expectes vt excitet te Christus, sed potius Christus excita. Excitat eum qui de ipso dormitans cogitat. Si tu illum excitaueris, & ipse te excitabit à somno, resuscitabit à morte, dicens tibi: Exurge à mortuis. Cum surges ergo vel resurges, ipsum loquere, vt impleras quod iuberis. Audi quomodo te Christus excitet. Anima tua dicit: Vox fratris mei pulsat ad ianuā. Et Christus ait: Aperi mihi foror mea sponsa. Audi quomodo tu excites Christum. Anima dicit: Adiurauit vos filia Hierusalē, si suscitaueris & resuscitaueris charitate. Caritas Christus est. Audi etiā quomodo dormiēs loquaris. Ego dormio, & cor meū vigilat. Hęc communiter. Attolle nunc paulo altius mentem tuam. Loquere sedens in domo, in hac terrestri domo huius habitationis, quæ dissoluitur, in qua peregrinamur à Domino. In corpore enim isto positi, dū superuestiri magis quàm expoliari volumus, exulamus à Christo, & grauius ingemiscimus. In hac sedens ergo confitere peccata tua: quia sedisti, & non steristi, & non dixisti: Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem. Loquere magis, & noli occultare delicta. Loquere sedens, vt audias dicentem: Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Loquere in via ambulans, id est, carpens vitam istius cursum. Hic loquere, ne illic obmutescas: sicut ille obmutuit qui angelo Christi antè non credidit: postea tamen cum credidisset, vocem recepit. Loquere dormiens & quiescens, conspultus in Christo, vt cum ipso in nouitate vitæ resurgas. Loquere etiam sepultus in tumulo: sicut loquebantur animæ sanctorum, petentes de mortis auctore vindictam: Vtique quod Domine sanctus & verus non iudicas & vindicas sanguinem nostrum? Loquere postremū cum surgis, sicut docuit ille qui dixit: Ego dormiui, & quieui, & resurrexi: quoniam Dominus suscipiet me. et illic ergo os iusti meditabitur sapientiam. donec ad sublimiora tabernaculi secreta cælestis, ac sacræ plena iucunditatis atque lætitiæ ipse perueniat: quemadmodum scriptura nos docuit, dicente David: Hęc recordatus sum, & effudi super me animam meam: quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei. In voce exultationis & confessionis, sonus epulantis. Ergo & sedentes in hac corporea domo, & egressi hinc, atque ambulantes in via, cum rapiemur, si meremur, obuiam Christo: & dormientes loquemur. Accipe tertiam ἀναγωγήν, qua se anima eleuat iusti. Est enim quidam spiritalis somnus intelligendus, de quo Salomon ait: Si enim fedecas, sine timore eris: si dor-

Psal. 131.

Psal. 6.

Psal. 62.

Psal. 118.

Psal. 5.

Iud.

Cantic. 5.

Can. 2. & 3.

1. Tim. 4.

Cantic. 5.

Dan. 6.

2. Cor. 5.

Iud.

Psal. 121.

Psal. 126.

Am. 1.

Rom. 6.

Apoc. 6.

Psal. 3.

Psal. 41.

1. Thess. 4.

Prou. 3.

mias, suauiter requiesces, & non timebis pauorem qui superueniat tibi, neq; impetus impiorum superuenientes tibi. Cum suauitate requiesces, & pauorem & superuenientes impiorum impetus non timebis, si lingua tua loquatur iudicium Dei, & semper illud ante oculos habeas, vt peccato locum nullum relinquas: & noueris quod delicti pretium supplicij retributione soluetur. Ipse enim hoc in nonagesimo interpretatus est Psalmo, dicens: Non timebis à timore nocturno, & à sagitta volante per diem: à negotio perambulante in tenebris, ab occurso & demonio meridiano. Cadent à latere tuo mille, & decem milia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit. Verumtamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis. Iustus enim cum loquitur iudicium Dei, vel cum loquitur quæ iusta sunt, & veri plena iudicij, non cum iracundia loquitur, non ex animi mœrentis afflictione, non ex dolore, non ex aliqua passione, sed loquitur ex veritate, loquitur ex æquitate: vt non propendat affectu, sed quæ loquitur, vero pendat examine. Iudicat enim quæ dicenda sunt, vel non promēda. Cui simile est illud: Labia sapientium alligata sunt sensu: eo quod omnia quæ loquuntur, vero sensui conuenire videantur, & sensus sui prudentia intelligant quæ loqui debeant vel tacere: vt quæ silenda sunt, cohibeant claustrum quodam nexūque labiorum: in iis autem quæ oporteat dici, labiorum vincula resoluuntur. Merito ergo præmisit: Os iusti meditabitur sapientiam. Meditatio enim diuturna plenum poterit habere iudicium: quod loquetur iustus in tempore, cum ea quæ perfecta sunt, facie ad faciem viderit. Nunc enim de iis quæ non comprehendimus, loqui vera non possumus. Denique nec Paulus præsumpsit dicere, qui raptus in paradysum audiuit secreta cælestia: sed volens non in iis errare quæ diceret, ait: Quam inscrutabilia sunt iudicia Dei, & inuestigabiles viæ eius? Nunc autem absolutus corpore, forsitan inuestigabilium viarum genera, & iudicia eius, quæ sicut abyssus multa sunt, comprehendit. Adhuc iustitiæ forma describitur & augetur, dicente scriptura.

Psal. 90.

Prou. 15.

Ecl. 10.

1. Cor. 13.

2. Cor. 12.

Rem. 11.

Psal. 35.

Rom. 2.

1. Tim. 1.

Rem. 10.

Esa. 29.

Rom. 2.

Genes. 25.

Genes. 27.

Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius.

In corde iusti lex Dei est. Quæ lex? Non scripta, sed naturalis. Iusto enim non est lex posita, sed iniusto. In corde eius lex est, non perfunctoriè, sicut in labijs Iudæorum. Corde enim creditur ad iustitiam. Qui credit, & loquitur: qui autè loquitur, non continuo credit. Deniq; non credidit populus, de quo dictum est: Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me. Si igitur gentes cum ea quæ legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex, cognoscentes quæ sequi debeant vel cauere: quanto magis fidelis & iustus, qui ad imaginem & similitudinem Dei viuunt, decora nouit & honesta decernere, & vt legitimo quodam naturalis sapientiæ gubernaculo, ne eius supplantentur vestigia, sicut Esau, quem propter gulæ auaritatem frater supplantauit vt caderet, atque in mortem vestigia eius effudit? Quo magis iustus est quisque, eo magis illi insidiatur inimicus: & ideo ait scriptura:

Considerat peccator iustum, & querit perdere eum.

Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius: nec damnabit eum, cum iudicabitur illi.

Considerat peccator iustum. Videns peccator quia iustus in ore suo loquitur, & in corde meditatur sapientiam, quia in lingua sua iudicium loquitur, & in corde suo legem Domini custodit: mortem peccati ei conatur inferre: sed dominus tuetur eum. Et ideo non timeamus insidias peccatoris: quoniam Deus pro nobis est. Si ergo Deus pro nobis; quis contra nos? Propterea non derelinquet iustum suum Deus, nec damnabit eum cum habuerit de ipso iudicium. Verus enim iudex est: & ideo iustitia non potest periclitari. Vnde & Aquila dixit: Nec damnabit eum in iudicando eo. Symmachus: Nec damnabit eum iudicaturus iustus. Sed quia Septuaginta viri sic poluerunt: Cum iudicabitur illi: putamus quod ad illud respexerit, quod scriptum est: Quoniam ipse Dominus veniet in iudicium. Sed in quod iudicium? Audi dicentem: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Ideo ergo prebet se Dominus audiendum, ut de se iudicetur: quod magis vincat. Quomodo se prebeat, audi: Populus meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? aut quid molestus tibi fui? Responde mihi. Quia ex Aegypto eduxi te: & de domo seruitutis liberaui te. Et alibi: Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero: tu autem memor esto, & iudicemur. Graue hoc iudicium, cum Dominus de se postulat contra hominem iudicari. Quid enim respondeas ei qui vniuersa tibi contulit, omnibus te prefecit? Subiecit tibi Aegyptios, ad quos hospes adueneras, insecutantes postea mari merlit. Ille tuos deleuit hostes, atque subuertit. Ille te creauit & condidit, ille suo sanguine te redemit: & tu tradis te ut seruias eius inimico? Illi tibi omnia peccata dimisit, & tu grauiora committis? Vocat te, in iudicium venies: quid responsurus es ei, qui nisi iterum tibi donet, peristi? Ideoque videns sanctus Dauid hac quadam moralitate Dei amplius se grauari, iudicium refugit, misericordiam poscit, dicens: Et ne intres in iudicium cum seruo tuo: quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Confiteatur se in tenebris sicut mortuum seculi collocatum. Cautè sicut mortuum seculi dixit, non mortuum. Non enim mortui seculi sunt qui moriuntur in Christo: Illi autem sunt mortui seculi, qui omnem vitam suam qua vixerunt in seculo, in interitu & morte constituunt. Et ideo quasi desperatus ad remedium confugit, dicens: Cito exaudi me Domine, quia defecit spiritus meus. Talis enim iudicij proposita sibi oblatione defecit in quo examinanda veritas foret potius quam misericordia conferenda. Tamen tam pius est Dominus, ut etsi nemo iustificetur in conspectu eius viuens (quis enim quamuis iustus non obnoxius est peccato? aut cuius talis est vita, ut digna iudicetur Dei similitudine?) utique ad imaginem & similitudinem Dei factus, debet sicut Deus sine peccato est, ita & is

Rom. 8. Hebr. 12. Psal. 3. Psal. 50. Mich. 6. Esai. 43. Genes. 1. Exod. 14. Genes. 47. Deut. 32. Apoc. 5. Psal. 142. Ibid. Ibid. Eccl. 7. Job 25.

qui ad imaginem eius est, sine peccato esse. Qua ergo dignus est poena qui gratia tantam dominicam operationis, & similitudinem diuini decoris amisit? Sed quia misericors est: etiamsi ipse se iudicio subiiciat, iustum tamen non iudicat, sed iniustum. Iusto parcat, quasi conditionis fragilitate peccanti: iniustum punit, quasi qui detestetur ingratum. Deinde etiamsi multa habeas opera iustitiae, noli esse impatiens atque arrogans, quod praemia tibi iustitiae in hoc saeculo existimes flagitanda, aut indignè tibi aduersa accidisse aliqua conqueraris. Quamdiu enim viuis, certamen tibi debetur, non praemium.

Expecta Dominum, & custodi vias eius; & exaltabit te, ut haereditate possideas terram; cum perierint peccatores videbis.

Expecta dominum, nempe, vel auxiliatorem vel remuneratorem Dominum: & custodi vias eius, hoc est, expecta, & eius quem expectandum putas, mada conferua. Etsi coteraris, etsi affligaris, etsi agritudine deficias, tamen expecta Dominum, non te confundet spes. Veniet Dominus, & exaltabit te, ut haereditate possideas terram. Liqueat superiorem esse terram, non istam in valle terrenam: sed illam quae est re-promissionis aeterna: in qua quicumque constituitur, exaltatur à Domino. Videbis autem cum perierint peccatores. Tunc enim iustorum remuneratio erit, cum iudicium fuerit de meritis impiorum. Sed non vno genere pereunt peccatores. Antè tibi percunt, si eorum potentiam, diuitias non mireris: si non te moueat cum eos honoribus, liberis, amicis abundare cognoueris. Haec enim saeculi sunt, & saeculum saeculari subiacet malignitati: & princeps mundi iis qui sibi seruiunt, fauet, secundum illud: Omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. Quid quæris ut ea tibi dentur, cum ipse impius qui dat, in eis diutius esse non possit? Transit etiam ipse: quomodo possunt non transire quæ contulit? Tu modò constantem animum gere, iustitiam tene, nemo te moueat, & videbis nihil esse impium. Denique audi dicentem:

Vidi impium superexaltatum, & eleuatum super cedros Libani.

Et transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.

Vidi impium. Vidi eum in saeculo hoc, vidi oculis corporis. Vidi etiam eleuantem se & superexaltantem sermonibus suis, aestimantem se aliquid esse, qui nihil est. Quomodo se superexaltat? Ponam, inquit, thronum meum super nubes: & ero similis altissimo. Exaltat se, ut videas eum super cedros Libani superexaltatū. Cedri & ipsæ altæ sunt, & in mote sunt altissimo. Meritò ergo superexaltatæ sunt: & superexaltatus videtur impius, qui se in illo monte constituit, de quo scriptum est: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti: Tollere, & iactare in mare. Huic. Cui? Daemonio, inquit, à quo iste inuasus fuerat & oppressus, quem miramini esse sanatum. Ideo charitatem magis habet in Christo, quam potestatem in diabolo. Vides cedrū in monte altissimo superexaltatam: sed vento frangitur, sed

Genes. 1. Iob. 2. Exod. 3. Cant. 4. Luc. 13. Ibid. Ioh. 1. Esai. 40. 1. Cor. 1. Exod. 3. 1. Cor. 6. Rom. 4. 1. Tim. 2. Eph. 14. Psal. 72. Ioh. 14. Mat. 4. Psal. 65. Psal. 46. Galat. 6. Esai. 14. Amos. 2. Mat. 17. Ibid.

sed igni exurit, sed vetustate dissoluitur. Ita est diues in saeculo. Fulget quidem splendore quodam gratiae saecularis ut Libanus, nixus est mundi potentia, opibus & diuitiis exultat. Videtur tibi aliquid esse antequam dicas: Transiens videbo. Sicut enim Moyses animo & mente transiuit materialia, & Deū vidit: ita & tu si transeas hinc, ad Dei gratiam vestigium tuæ mentis attollēs; videbis eum nihil esse qui in hac terra sibi potentissimus videbatur. Ideo animæ tuæ dicit, menti tuæ dicit Deus verbum: Ades huc à Libano sponsa, ades huc à Libano: transibis & pertransibis. Si transeas saecularia, pertransies ad paradisi sum. Audi transeuntem: Memento mei Domine cum veneris in regnum tuum. Audi iterum pertranseuntem: Amen amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso. Quid est, Ecce non erat? In principio utique verbum erat. Et qui verbum videt, qui particeps verbi est, utiq; & ipse est: quia verbū Dei semper est. Et sermo qui de ipso est, non est, est & non, sed est: & manet in eo qui sequitur Deum. Qui autè nescit verbum, non est: quia non adhæret ei qui dixit, Ego sum, qui sum. Qui autem adhæret ei, vnus spiritus est. Vbi autem spiritus, ibi & vita. Ideo tibi dicit scriptura de Deo: Qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt: hoc est, vocat gentes quæ non erant, tãquam populū suum qui erat. Erant enim patres nostri, qui erant electi Dei. Et alibi dicitur: Cognouit Dominus qui sunt ipsius, non cognoscit eos qui non sunt. Et Esther ait: Non des virgam regni tui iis qui non sunt. Rectè ergo iustus dicit: Et transiui, & ecce non erat. hoc est, vidi eum superexaltatum in seculo antequam considerarem quia nihil est saeculum. Vbi autè transiui mente supra mundum, vidi quia iam non erat qui antè erat superexaltatus in hoc mundo. Et tu si iustus es, transi à praesentibus ad ea quæ futura sunt: & transibunt tibi praesentia. Cælum & terrā transibunt: verba autem mea non praeteribunt. Iusto ergo omnia transeunt. Transit impius, similis vanitati, & dies eius sicut vmbra praetereunt. Nec solum praetereunt iusto praesentia, sed etiam cum ad ea quæ sunt futura intenderit, iam ista praetereunt. Vide quomodo iusto praesentia praetereant. Vtique temporibus Dauid prophetae synagoga erat, Ecclesia ex gentibus non erat: & tamen futuris quasi praesentibus dicit: Benedicite gentes Deum nostrum. Deinde supra ait: Ascendit Deus in iubilatione. Transiuit perfidia ventura tempora, non aetate, sed mente: & resurrectionem Domini multo post saeculo futuram pia fidei deuotione celebravit, dicens: Psallite Deo nostro, psallite, psallite regi nostro, psallite sapienter. Quasi interesset ipsis Christi & Ecclesiae nuptialis copulae sacramentis, ita tripudiat & gaudet. Causam quoque celebritatis expressit, dicens: Regnabit Dominus super omnem terrā. Ergo si nos praetercamus, & illa praeterisse quæ futura sunt, nobis videntur: ut si in nauigando terram praetercas, illam quoque videas praeterire, & quasi à te discedere. Saepè nauat, maximè in tempestate, fugiunt terram. Et tamen cum eā fugiunt nauigantes, ipsa potius fugere videtur à nauigantibus. Et tu si fugias mundum hunc, & ipse te effugiet: si praetercas terram hanc, & ipsa te praeterit. Et tu in mari hoc nauigas, & in hoc sa-

culo fluctuas. Fuge terram, saxa habet, lapides habet sicut scriptum est: Lapides de via proiicite. Si festines per aërium hoc profundum ad portum diuinæ voluntatis, videbis tibi hæc omnia praeterisse. Quid enim interest vtrum praeterierint, an tibi ea iudices praeterisse? Est & alius impius qui videtur exaltatus & eleuatus super cedros Libani: & si transeas, non erit, nec locum eius inuenies. Vide mihi scribam Iudaicum reddentem seriem veterum scripturarum; sed non sequentem. Audis quia labiis reddit, miraris ut doctum. Interrogas quid sentiat: respondet secundum litteram, percurrit historiam. Superexaltatus videtur tibi & eleuatus si litteram cogites. Transi ad intelligentiam spiritalem, quia lex spiritualis est; vides illum nihil esse, tum dicis: Vidi impium superexaltatum: & transiui, & ecce non erat: & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Quæsiui eum vbi esse debuerat: vbi vita est, non illum inueni. Non erat ibi vbi vita erat, quia mortuus erat, & ideo nec locus eius inuentus est. Qui enim mortui locus, qui non erat, nec fuit vquam? Non enim fuit, qui in littera erat. Littera enim occidit, spiritus autem viuificat. Quæsiui ergo eum, ut inuenirem: ille se non praebuit, ut inueniretur: hoc est, ego eum volui conuertere, ille se mihi prebere noluit ut conuerneretur. Feci quæ erant querentis: ille refugit ea quæ esse debuerant reuerentis. Denique anima quæ conuerti vult, verbum requirit: & cum inuenit, dicit: Tenui eum, & non dimittam eum, hoc est, Dei filium, Dei verbum. Iniustum autem qui sanari noluit, quæsiui eum, & non inueni eum, & ideo non illum imiteris.

Custodi innocentiam, & vide æquitatem: quia sunt reliquiae homini pacifico.

Iniusti autem disperibunt: simul reliquiae impiorum interibunt.

Custodi innocentiam, &c. Qui custodit innocentiam, æquitatem videt: quoniam qui mundus est, Deum videt; cuius virga recta est, directa iustitia, ut auerteretur eos qui declinauerunt ad studia prauitatis. Bona innocentia, quæ Deum videt, Denique alij posuerunt: Custodi perfectionem. Perfectus est enim qui malitiam nescit, nec dolum nouit. Ideo, inquit, custodi perfectionem, quia sunt reliquiae homini pacifico. Reliquiae dicuntur hominis de corpore mortui, de eius exuuiis. Ideo reliquiae, quia post mortem hominis videntur superesse. Superfuit enim quæ seruantur ad resurrectionem. Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptionem, & hoc mortale induere immortalitatem. Ergo magis reliquiae sunt hominis spes resurrectionis, & fides conuersionis, & gratia dilectionis: quoniam impij non resurgunt in iudicium. Vita autem iustorum nota est Deo, & iudicio Domini comprobatur. Huic loco pulchrè illud conuenit: Reliquiae secundum electionem gratiae salutæ factæ sunt. Iniusti autem disperibunt: simul reliquiae impiorum interibunt. Iustorum reliquiae virtutes sunt: impiorum reliquiae, improbitas, atque perfidia peccatum. Eaelebuntur ut non sint.



Salus autem iustorum à Domino: & prote-  
ctor eorum in tempore tribulationis.

Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit  
eos, & eruet eos à peccatoribus: & saluabit  
eos, quia sperauerunt in eum.

Matth. 24. Salus autem iustorum à Domino. Non à sæculo, non  
ab elemento. Cælum & terra præteribunt. Non  
committo salutem meam cælo, quia & ipsum præ-

terit, quia de pluribus cælis dictum est: Ipsi peri-  
bunt, tu autem permanes. Deo soli cõmitto, qui per-  
manet, qui potest peccata donare, vt protector meus  
sit in tempore tribulationis, & adiuuet me, & libe-  
ret me, & eripiat me à peccatoribus iudicij sui tem-  
poris: & saluum me faciat, quoniam speraui in eum.  
In ipsum solum speraui. Non vult enim nos & sibi &  
alij seruire. Qui ipsi soli seruit, liberatur: quoniam ipsi  
est laus, gloria, perpetuitas à sæculis, & nunc & sem-  
per, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 101.  
Hebr. 1.

S. AMBROSII IN PSALMVM XXXVI. ENARRATIONIS FINIS.

# SANCTI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, IN PSALMVM DAVID XXXVII. ENARRATIO.

Prefatio in Psalmum XXXVII.

Titulus Psalmi XXXVII.

In commemorationem diei sabbati  
Psalmus David.

**D**E pœnitentiã duos iam dudum scripsi  
libellos: & iterum scribendum arbitror.  
Primum, quia vtile est vel quotidie ve-  
niam delictorum precari: deinde, quo-  
niam in illis duobus libellis adhortatio  
pœnitentiæ vel profectus est, si geratur: nunc quem-  
admodum agi pœnitentiã debeat, exprimendum est.  
Nihil enim prodest agere, nisi ita agatur vt oportet.  
In quo sanctus David sequendum nobis proposuit  
magisteriũ, qui ideo mihi videtur gustasse peccatũ,  
vt doceret quemadmodum peccatum posset abo-  
leri. Vnde enim medicina nisi de vulnere sumpsit  
exordium? Dum prima atas generis humani docet  
quod sibi profuit, & quemadmodum vulnus  
suum sanauerit, aliis ostendit, vsus artem fecit, & ar-  
guitudo magisterium. Ipsa est enim prima & vali-  
da secta medicinæ, quam experientia non coniectu-  
ra formauit. Ideoque ab experientia, *ἐμπειροί* pri-  
mò medici sunt vocati, & ex ea secta ceteræ deriuatæ  
sunt, atque ab ea vsum quandam suæ sumpserunt  
virtutis. Quid autem est ad cohortationem pœnitentiæ  
validius, quàm quod sanctus propheta David pec-  
catorum nostrorum nos docuit pœnitere? Quis e-  
nim dedignetur humiliare se Deo, cum rex se humi-  
liauerit? Aut quis dubitet affligere animam suã, cum  
propheta tantus afflixerit, soluens pretium lacry-  
marum pro redemptione peccati? Et quamuis toto  
scriptorum suorum corpore gerendæ pœnitentiæ  
præcepta diffuderit (quis enim eius Psalmus non  
medicamentum est conscientiæ peccatricis? cum  
alibi quemadmodum impulsus sit, alibi quemadmo-  
dum conturbatus, ostenderit: vt non solum quæad-  
modum sint sananda, sed etiam quemadmodum cau-  
enda vulnera, demonstraret, & suo nos doceret ex-  
plo. quis autem stare se credat, vbi lapsus est etiam  
fortior?) tamen in trigesimo septimo Psalmo maiore  
vim doloris interni, & lamentabilis deplorationis  
expressit. Deniq; in exordio ipse nos titulus admo-  
net huiusmodi præcepta formari. Sic enim legimus,

Psal. 117.  
Psal. 29.

Plena pœnitentiæ definitio, commemoratio est  
delictorum, vt vnusquisque peccata sua velut quo-  
dam quotidiani sermonis castiget flagello, & cõmis-  
sa sibi flagitia condemnet. Sic enim docemur, dicente  
Domino: Dic iniquitates tuas, vt iustificeris. Et  
Apostolus ait: Ore confessio fit ad salutem. Sed for-  
tè moueat, quia non dixit, Peccatorum commemo-  
rationem, sed diei sabbati, aut (sicut alius habet) sab-  
batorum. Quid est autem sabbatum, nisi requies fu-  
tutorum, leuamen præsentium, quo lex iubet homi-  
num opera ferri, onera deponi? Quæ sunt grauio-  
ra onera, nisi nostra peccata? Hæc deponuntur in  
sabbatorum diebus: hoc est, in hoc vitæ istius tem-  
pore. Septem enim diebus hebdomas omnis con-  
cluditur: sex diebus mundus iste formatus est, septi-  
mo die requieuit Dominus ab opere suo: qui in no-  
stra mansuetudine requiescit, sicut ipse dixit: Super  
quem requiescam, nisi supra humilem & mansuetũ?  
Absolue ergo omni sabbato & alleua pondus er-  
rorum, vt securus ad illius futuri sabbati requiem  
peruenire merearis. Nam si hinc peccata grauia  
portaueris, illic requiem non habebis. Exonera igitur  
tuam mentem, reice omnia quibus conscientia  
grauatur & premitur, ne fiat fuga tuahyeme vel sab-  
bato. Vita hæc in labore est, illa in requie. Leui-  
orem te sæculi huius reperiat consummatio, ne one-  
ratus peccatis fugere non possis. Antè fuge, vt præ-  
uenias. Fugit sæculum, qui sæculi illecebris nõ tene-  
tur, qui se omni cura eius absoluit. Fuge iram futu-  
ram, hoc est, iudicij diem. Fugit eã qui egerit pœni-  
tentiam. Sic enim definiuit Baptista Ioannes, di-  
cens: Generatio viperarum, quis vobis demonstra-  
uit fugere ab ira vêtura? Facite ergo fructus dignos  
pœnitentiæ. Audistis hodie legi quia Ioannes baptiza-  
bat

Matth. 3.

**I**bat in Ænon iuxta Salim. Ænon dicitur oculus  
suppliciorum. Hoc habet interpretatio. Qui ergo  
baptizari eligit, supplicia præuidet. Et ideo confu-  
git ad baptismatis sacramentum, vt peccatum omne  
deponat, ne obnoxius incipiat esse supplicij. Et for-  
tè supplicia præuidet qui baptizatur baptismi pœni-  
tentiæ: at verò ille gratiam spectat, qui baptizatur  
in Christo. Baptismus ergo Ioannis, oculus suppli-  
ciorum est: baptismus Christi, oculus gratiarum.  
Tametsi in Ænon baptizabat Ioannes, iuxta ascen-  
dentem baptizabat. Hoc enim & ista habet interpre-  
tatio, vt Salim dicatur ipse ascendens. Proximus ergo  
erat Christo, qui eius nuntiabat aduentũ. Etenim fi-  
lius hominis qui descendit de cælo, ipse est & qui  
ascendit in cælum, vt impleret omnia. Sed quia  
qualis cælestis, tales & cælestes: ille ascendit in cælum,  
qui terrena deponens consepelitur in Christo, vt cum  
Christo resurgat à morte peccati ad nouitatem vitæ,  
hæreditatisque consortium, vt fiat sicut scriptum est,  
Dei hæres, Christi cohæres. Vera ergo medicina est  
gerere pœnitentiã: quæ tunc legitime prædicata est,  
quando medicus venit è cælo, qui non exasperaret  
vulnera, sed sanaret. Bonus medicus, qui docuit  
quemadmodum in hac terra corporis nostri remedia  
quereremus, cum flos nobis herbæ salutaris oriretur,  
qui de peccato damnauit peccatum in carne. Antidotũ  
ergo facta est caro, quæ erat venenum antè peccati,  
quia erat illecebra peccatorum. Audi quemadmodum  
antidotũ caro. Dei verbum factum est caro: misit  
manum in cauernam aspidum; venenum euacuauit,  
peccatũ abstulit: id est, de peccato damnauit peccatum  
in carne. Et vt hoc possit plenius considerari, ipsum  
Apostoli capitulum recenseamus. Namque ita scriptum  
est: Deus mittens filium suum in similitudinem carnis  
peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, vt  
iustificatio legis impleteretur in nobis, vt non  
secundum carnem ambulemus, sed secundum spiritum.  
Venit ergo Dei filius in similitudine carnis peccati.  
Non vtiq; in similitudine carnis venit, qui veram  
carnem suscepit: sed in similitudine carnis peccati,  
id est, carnis peccatricis. Facta enim erat fraude &  
veneno infusa serpentis caro nostra caro peccati.  
Postquam est obnoxia facta peccato, facta erat caro  
mortis: quia erat morti debita. Huius carnis iam  
reã, iam præiudicata similitudinem Christi in sua  
carne suscepit: quia et si naturalem substantiam  
carnis huius susceperat, non tamen contagia vlla  
susceperat, nec in iniquitatibus conceptus, & natus  
est in delectis, qui non ex sanguinibus, neque ex  
voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed de  
Spiritu sancto natus ex Virgine est. Quid ergo est: De  
peccato damnauit peccatum in carne? Vtrum de  
similitudine carnis peccati? an quia peccata nostra  
Christus non vsu, sed qualitate suscepit: nõ crimine  
sed suæ misericordiæ sacramento, & peccatum pro  
nobis factus est, qui peccatum ipse non fecit? An  
verò quia de ista carne peccati, hoc est, nostra hac  
obnoxia & præiudicata damnauit peccatum in carne,  
docendo quemadmodum in carne positi non  
secundum carnem ambulemus, sed secundum spiritum?  
Peccatum quippe est secundum carnem ambulare:  
quia luxu & voluptatibus & lasciujiis &

Ibid. 3.  
Matth. 3.  
Ibid. 3.  
Ephes. 4.  
1. Cor. 15.  
Rom. 6.  
Rom. 8.  
Ibid. 1.  
Ephes. 22.  
Rom. 8.  
Ibid. 1.  
Psal. 50.  
Ibid. 1.  
Matth. 1.  
Rom. 8.  
1. Cor. 5.  
1. Petr. 2.  
Rom. 8.

carnis cupiditatibus viuit, qui secundũ carnis sapi-  
entiam conuerfatur. Sapiencia enim carnis inimica  
est Deo. Vnde qui in carne sunt, Deo placere non  
possunt. Ideoque peccatum dãnatur de peccato: qui se à  
carnis vitis alleuando, secundum spiritum viuit, to-  
tus Deo deditus, & cælestibus intentus oraculis,  
propter quod Christus aduenit, vt non suam, id est  
carnis, sed Dei faceret voluntatem. Si quis ergo illũ  
sequatur, vt faciat quæ placent Deo, & carnis suæ  
comprimat appetentiam: imitator est Christi. Quid  
fenserimus, expressimus. Qui legis, elige quid se-  
quaris. Nullus error, vbi simplex pietatis affectus,  
atq; omnis fidelis est sensus. Dãnauit peccatũ  
Christus suscipiendo similitudinem carnis peccati, vt  
delicta nostræ carnis aboleret. Damnauit peccatũ,  
vt peccata nostra in sua carne crucifigeret, factus  
pro nobis ipse peccatum, vt nos in ipso essemus ius-  
titia Dei, qui eramus captiuitas mortis, & præda  
serpentis. Ergo pietatis est susceptio peccatorum  
ista, non criminis. Per hoc peccatum nos Deus æ-  
ternus absoluit, qui filio suo proprio non pepercit,  
sed peccatum eum fecit esse pro nobis. Deinde  
damnauit peccatum Christus in carne de ipsa car-  
ne peccati, quæ iudiciali quodam rigore & aucto-  
ritate censoria odit vitia quæ amare consueuerat, &  
horret impudicitiam, quam voluptatem putabat.  
Segregat se à lasciujiis, abdicat à cupiditatibus, re-  
nuntiat criminibus atque flagitiis, propullat auari-  
tiam, quæ virilitatem quandam carnis effeminat.  
En tibi illũ Christi imitorem, & ipsum de peccato  
peccatum in carne damnantem. Sic curro, inquit,  
nõ vt in incertũ: sic luctor, non vt aëra cædens, sed  
castigo corpus meum, & seruituti reddigo: ne cum  
aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Non su-  
perfluò (vt arbitror) euagati sumus; quia & hoc  
ad medicinam hominis pertinebat: cui medicinæ  
prospiciens Deus, sicut terram istam salubres herba-  
rum iuxta atque arborũ succos ferre præcepit, qui-  
bus carnis vulnera curarentur: ita etiam præceptis  
salutaribus repleuit diuinarum seriem scripturarum  
quibus infirmitas animæ sanaretur. Itaque quàm  
graua est vt muta animalia medicari sibi nouerint,  
& vulneribus suis herbas salubres requirant, delige-  
re non refutent: & hominum in dultria non requi-  
rat, quibus etiam medicus est missus, qui medicinæ  
salutaris in veteribus scripturis semina demonstra-  
ret, & noua ipse deferret: Quàm multa itaque salu-  
bria sunt, quæ noxia perfunctoriè iudicantur? De  
ipsa terra sumamus exempla. Serpens alit vene-  
num, morsus noxios habet, vulnerat carnem: sed in  
iplo quoque eius veneno antidotum reperies, si re-  
quiras. Deniq; caro eius exurit, cuius puluere the-  
riaca conficitur: qua veneni vis conlucuit hebetari,  
vt nocere non possit. Non terra ergo in vitio, quæ  
serpentem generat: sed ille qui nescit cauere serpen-  
tem. Ipse serpens potest tibi prodesse, si intelligas:  
immò si medici præcepta non spernas, imitandum  
disce quem putas esse fugiendum. Estote, inquit, as-  
tuti sicut serpentes, & simplices sicut colubæ. Ser-  
ua caput tuum sicut serpens: & si laceratus toto cor-  
pore fueris, reniuifces. Caput tuum Christus est,  
quia caput ipse est viri. Si seruaeris fidem, et si mor-  
tuus fueris sicut serpens, & tu resurges. Imitare scri-

Ibid. 1.  
Ibid. 6.  
Galat. 5.  
Ibid. 8.  
Rom. 8.  
1. Cor. 5.  
Rom. 8.  
1. Cor. 5.  
1. Cor. 9.  
Ecclesi. 3. 8.

Genes. 3.

1. Cor. 15.

Rom. 16. Hier. 9.

Job. 40. Job. 41.

1. Cor. 12.

Job. 40.

Coloss. 3. Rom. 6.

Psal. 119. Hier. 31.

3. Reg. 8.

pentem, qui exteriorem suum exiit, ut renouetur interior. Imitare serpentem, qui venenum suum euomit. Beatus & tu si cogitationes tuas malas uomas, & malitia tua venena deponas. Celebris sermo est, & scriptorū auctoritate robustus, serpentem aquis appropinquantem sibi sibi fœminæ anguis sponfare concubitus: illam propriæ consulentem saluti, ea spondere lege petitos sui vsus, si serpens venenum euomat, captumque obedire iussis, arma deponere, ac proprij more conuentus caput ori eius inferere: atque vbi calefcere cœperit consuetudo, seu naturæ quadam violentia, seu libidinis ardore fœminam stringere ora, morsuque libidinis oculis premere, atque ita caput serpētis abscondi. Nonne in natura serpentis mysterium fidei recognoscis? Serpens ille paradisi prior fœminam ad culpæ adulterium prouocauit: sed vbi venenum eius effusum est in hunc mundum, soboles illius fœminæ circūuentionem parentis, & fraudem vltæ serpētis, armis eum suis exiit, & caput illius amputauit. Quod si venena præualuerint, & peccatum in quo est aculeus mortis, irrepserit: vtere medicorum exemplo, ut tibi serpens vel serō moriatur. Conteras eius venenum, corpusque comminuas, & admixtum salutaribus succis noueris temperandum, ut non solum vim suam & virus amittat, sed etiam fiat remedium de veneno. Moritur autem tibi serpens ille intelligibilis, si tu moriaris peccato, & tibi tua peccata moriantur. Sic conteritur eius venenum, si te tua facta compungant: sic omne virus eius aboletur, si bonis operibus tegas, & fideli confessione abstergas crimen admissum. Audi quemadmodum virtus draconis ipsius conteratur. Conterat, inquit, Deus fatanam sub pedibus vestris. Contere primò cor tuū, in quo erat draconis cubile, ut non inueniat vbi possit habitare. Contere draconis carnes. Carnes eius, peccata nostra sunt. Ideo tibi dicit Deus: Epulantur in eo gentes. Et infra: Præcurrit mors ei; carnes autem corporis eius sunt adhærentes ei. Sicut enim sancti, corpus & membra sunt Christi: ita peccatores qui peccatum non deserunt, sed peccato inhærent, corpus draconis & membra sunt. Ideo nos Christi corpus epulamur, illi autem corpus epulatur draconis. Nos epulamur qui Christo adhærere cōtemdimus, remissionem quotidianam & veniā peccatorum. Illi autem qui peccatis quotidie peccata connectunt, continuationem flagitiorum epulantur & criminum. Contere igitur has carnes, & super eas contritionem tui cordis asperge. Deinde mitte super os eius Iordanis aquam. Iordanis enim descēso & ascēso est: quoniam qui in fontem sacrum descenderit, & ascendit, ut quæ superiora sunt quærat. Descendit enim in mortem Christi, qui baptizatur in Christo, & in resurrectione eius ascendit. Si autem iam baptizatus errasti, mitte aquam lacrymarum, non mendacem, sed veram, ut de profundo clamet ad Dominū Deum tuū, ut dicatur de te: Vox audita est in Rama, fletus & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. Rachel Ecclesia est, in qua benedicuntur plebs Dei. Ipsa pro te fleat, ipsa tua peccata deploret & fleat plurimū, ut consolationem facillè non admittat, quemadmodum qui plurimum dolent. Ideo

consolari se noluit, quoniam qui eras, esse desisti. Sed hac persecerantia doloris & fletus emereatur ut dicat: Filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Aut fortè consolari se noluit Rachel in filiis Iudæorum, quia non sunt: quos utique ideo genuerat, ut essent: & ideo non admisit consolationem occisis paruulis ab Herode, quia nec in aduentum Iesu crediderunt, mensuram sceleris adimplentes, ut & paruulos interficerēt, ut inter eos filius Virginis necaretur. Ergo Ecclesia Domini in Iudæis consolari se noluit, quia non sunt: in Christianis autem qui ex nationibus congregati sunt epulatur & gaudet, quoniam cœperunt esse, qui non erant. Misisti ergo aquam Iordanis, aquam gratiæ: hoc primū bibe. Misisti aquam lacrymarum, aquam pœnitentiæ. hoc secundum est poculum, ut primum repares. Bibe aquam de tuis vasibus, bibe aquam de tuis fletibus, ut dicas: Et potum meum fletu temperabam. Fletus ergo tuus, potus est tuus, & lacrymæ tuæ cibus est tuus: Fuerunt, inquit, mihi lacrymæ meæ panis. Si lacrymæ panis, habes ex peccato iniquitatis cibum conuersionis, secundum illud quod legis in Euangelio: Quoniam cui plus dimittitur, plus diligit. Vnde sæpe videmus aliquos qui antè negligentes fuerunt Christiani, peccato aliquo commisso fieri diligentiores, & ex illo per pœnitentiā euadere solere perfectos. Sicut igitur ex peccato conuersio, ita remedium de veneno. Audi hoc remedium. Iustus in principio sermonis accusator est sui. Venenum, peccatum est: remedium, accusatio sui criminis. Venenum, iniquitas est: confessio, remedium prolapsionis. Et ideo verè remedium de veneno est, si dicas iniquitates tuas, ut iustificeris. Sed iam Psalms adoriamur, ut ipse nos doceat quemadmodum agenda pœnitentiā sit. Itaque sic incipit.

*Psalmus trigessimus septimus.*

**D**omine ne in ira tua arguas me: neque in furore tuo corripias me.

Qui pœnitentiā agit, paratus esse debet ad opprobria perferenda, iniuriasque subeundas, nec commoueri, si quis ei peccati sui crimen obiiciat. Cum enim ipse accusare se debeat, quemadmodum alium non sustinet arguentem? Quod si ab homine argui timere non debet, quanto magis à Domino Deo suo, cui omnes etiam in iis quæ sunt occulta peccamus? cum præsertim condemnatio præsentium, absolutio futurorum sit. Qui autem non condemnatur in sæculo, cum hominibus non flagellabuntur. Væ mihi si de me dicatur: Recepit mercedē suā. Si bonum factum hac condemnatur sententiā: quanto magis crimen grauat? Nam si misericordia facili iactata sermone, fructu fraudatur æterno: quanto magis iniquitatis pœna acerbi fœnoris accessione differtur? Ergo qui pœnitentiā agit, offerre se debet ad pœnam, ut hic puniatur à Domino, non ad supplicia æterna seruetur: nec expectare tempus, sed occurrere diuinæ indignationi. Vide facta Dauid eius precibus conuenire. Offenderat Dominum, quia numerari iusserat populum. Confessione præ-

1. Paral. 21.

1. Paral. 40.

1. Paral. 21.

Rom. 2.

1. Paral. 21.

2. Reg. 24.

Psal. 40. 1. Reg. 24.

1. Paral. 21.

præuenit Dei nuntium, peccasse se valde, & nimis stultè fecisse commemorans: non quasi admoneret oblitum, sed quasi vrgeret morantem, ne diutius commotionem differret offensæ. Peccaui, inquit, valde, quoniam verbum hoc feci. Et nunc Domine dele iniquitatem serui tui. Quomodo autem deleantur peccata, audi dicentem: Solutum est peccatum eius, quia recepit de manu Domini duplicia peccata sua. Non ergo penitus sibi peccatum remitti postulat, sed moderata solutione deleri: hoc est, ut in futurum eius memoria deleatur. Denique quasi interpellantis voce conuentus Dominus ne vindicta commissi protelaretur erroris, misit ad eum Gad prophetam: & ille venit ad regem, & dixit ei: Quid fieri velis, elige: triennij famem super terram, aut tribus mensibus fugere te à facie inimicorum tuorum, & illos persequentes: aut triduo fieri mortem in terra. Et nunc vide quid respondeam illi qui misit me. Vide docentem Deum qua moderatione eius indignatio leniatur, si non penitus verbera reculemus, sed qualitatem leuandi, non cuitandi supplicij postulemus. Tria proposuit, ut quod moderatius putaret eligeret. Vide etiam quemadmodum ad pœnitentiā prouocat, ut nos offeramus iniuriæ: eligere pœnam mandans, ut in ipsa pœna electionis quædam prærogatiua seruetur, & reo suo blandiatur hoc verbo. Et dixit Dauid ad Gad: Angustiæ mihi sunt in his tribus: sed magis incidam in manus Domini (quoniam magna est misericordia illius) quam in hominum manus. Numquid donari sibi pœnam poposcit erroris? Quod si fecisset, impudentiæ notaretur, qui moderationi diuinæ fuisset ingratus. Nam plurimum suffragatur reo verecunda cōfessio: & pœnam quam defensione euitare non possumus, pudore leuamus. Elegit non quod à flagello esset immune, sed quod moderatius iudicauit: ut Dei lenitati magis, qui nosset ignoscere, quam hominum se committeret potestati, qui mensuram vltionis frequenter excederent. Miseretur itaque, qui nescit errare: nō miseretur, qui erroris est particeps. Nec sefellit sanctum Dauid fides sua, sed in ipsa quoque offensione gratiā diuinæ misericordie emeruit. Nam qui proposuerat mortem triduo exercere in terra: ne vnum quidem diem passus est præterire, sed ad horam prandij libenter indulxit, & ( ut verbo scripturæ vtar) habuit pœnitentiā super malitiam. Vide quomodo te scriptura hortatur ut & tu pœnitentiā non refugas, si sequareis Deum, quem sequi debes. Bene addidit, Super malitiam: quia videtur omnis dura esse vindicta. Ideo & dies iudicij, dies dicitur mala, de qua beatus est qui per Deū liberatur, ut scriptum est: In die mala liberabit eū Dominus. Et dixit, inquit, angelo Dominus ut remitteret manum suam. Vide autem quia quando vult Dominus ignoscere, dat gratiam & fiduciam deprecandi. Et vidit Dauid ferientem angelum, & dixit: Ecce ego sum, ego peccaui, & ego pastor male feci, & ista oues quid fecerunt? Fiat manus tua in me, & in domum patris mei. Si mandauerat Dominus angelo ut parceret, quomodo feriebat adhuc angelus: nisi quia Dominus cū vult ignoscere, vult rogari, & ut rogetur hortatur? Nec vidisset homo angelū ferientem, nisi Dominus eius oculis an-

gelam reuelasset. Vnde & Elifæus dicit: Domine aperi nunc oculos pueri huius, ut videat. Et aperti sunt oculi pueri eius, & vidit montē equis repletum & curribus in circuitu prophete. Nec te moueat quod persona vilior serui quam prophete vel regis, quia vilior & equorum & curruum species quam sanctitas angelorum. Et fortasse aliquibus perfunttoriè legentibus durum videatur quod Dauid ille humilis corde atque mansuetus, qui parcebat inimicis, mortem magis populi elegit, quam suam fugam, aut famem super terrā. Famem populi vitauit, quia grauior morte & omnibus suppliciis habetur, quam sequitur etiam pestilentia, quæ cælum contaminat, mortem aceruat. Suam fugam non poposcit, propter illud, quia propheta pro populo deprecari poterat, sicut factum est, populus pro propheta interuenire non poterat. Scriptum est enim: Si populus errauerit, sacerdos orabit pro eo: si sacerdos errauerit, quis rogabit pro eo? Et tamen vbi vidit occidi populum, ipse se angelo feriendum obtulit, ut ipse potius pro populo feriretur. Plus est quod nec ipsa perterritus specie mortuorum gladio se obtulit, quam si sermonem propositæ conditionis optasset. In electione itaque rationem secutus est, in dolore pietatem. Vide autem Domini gratiam, quod & ipse à proposita conditione deflexit. Numquid aliquod milerationis est crimen, quia plus minatur, & minus exigit, qui in remuneratione præmiorum sua promissa custodit, in exactione pœnarum præscriptum remordet? Cū irascitur in reum, differt: cū miseretur, properat ut ab soluat: terret, ut corrigat: admonet, ut emendet: præuenit, ut ignoscat. Vnde & alibi ait Propheta de Domino: Calix in manu Domini vini meri plenus est mixto, verumtamen fœx eius non est exinanita. Ad terrendū plenus est calix, ad feriendum non est exinanitus. Plenus erat calix cum mors per triduum mandaretur: sed occurrit misericordia Dei, tenuit manum angeli priusquam calicem istum exinaniret. Ut scias autem quia calix pœna vel gladius est, audi dicentem: Accipe calicem vini meri huius de manu mea, & potabis omnes gentes ad quas ego mittam te, & vomēt, & insanient à facie gladij. Et ad Hierusalem dicitur: Bibisti calicem iræ de manu Domini: calicem enim iræ bibisti, & exinanisti, nec erat qui te consolaretur. Hierusalem supra mensuram bibit, quia supra mensuram peccauit. Ecclesia Christianorū calicem iræ exinanire non nouit, sed exinanitum vnguentum: propter quam se Christus exinanuit, ut vbi que fragraret. De manu Domini hoc munus accepit: poculum autem mortis ignorat. Duos calices lego, vnum mortis, alterum vitæ. Mortis calicem suo Christus exinanuit in sanguine: & nouum calicem ministravit, ut dicamus: Calicem salutaris accipiam. Noui calix est testamenti, qui in remissionem effunditur peccatorum. Effunditur hic calix, & fœx eius non inanitur, quia mundat omne delictum. Diximus quemadmodum in vlciscendo infestat Dominus commotionem suam: dicamus quemadmodum in remunerando præueniat nostram precatorem, & doceamus exemplo. Audi illum ex duobus latronem dicentem Domino: Memento mei Domine cū veneris in regnum tuum. Respondit Do-

minus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Ille adhuc rogabat ut meminisset sui cum venisset in regnum: & Dominus cum nondum venisset, ei iam regnum caeleste tribuebat. Quam velox misericordia? Tardius votum precantis, quam remunerantis est praemium. Ideo ergo David moderationem tenuit, non remissionem orauit, dicens: Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripas me. Furor Graece θυμὸς dicitur, & ira impetus. Hoc ergo Latinus voluit exprimere. Neque in ira, neque in ipso impetu ira arguas me, aut corripas. Corruptio autem, eruditio est. Ipsa Graece dicitur *κατασκευασίς*, de qua dicitur: Beatus homo quem tu erudieris Domine. Non enim Deus passioni patet, ut irascatur, cum sit impassibilis: sed quia vindicat, videtur irasci. Nobis hoc videtur, quia ipsi cum commotione vindicare consueuimus. Plerumque tamē & homines inueniuntur cum vindicant non moueri, sed summa patientia celebrare vindictam, exerce re tormenta. Cur ergo mireris in Deo, si hoc interdum in homine recognoscas? Vindictam autem iram esse diximus. Deniq; vsus habet ut dicamus de quoquam punito, quia iram incidit legum. Non quia legum iram, sed quia legum seueritatem incidit. Sic & alibi de decem plagis Aegyptiorum ait: Misit in eos iram per angelos malos, id est vindictā. Lex enim nescit irasci, sed scit legum minister. Nescit ergo irasci qui auctor est legum: cui terrendi est voluntas, non puniendi. Imitamini ergo Imperatores exemplum diuinum, ut sitis in statuendis legibus seueriores, in exigendis suppliciis misericordes. Seueritas legum insolentem restringat audaciam, misericordia principum reos subtrahat poenae. Recognoscit igitur Propheta culpam suam, videt vulnera, curati postulat. Qui sanari vult, argui non reformidat: sed non vult argui in furore, sed in verbo Dei. Verbum Dei, sanitas est. Sic enim legitur: Misit verbum suum, & sanauit eos. Non vult erudiri in ira, sed in doctrina: ut si medicum roges ne fecet vulnus tuum, sed medicamentum apponat, utget medicamento, sed non secat. Denique est dolor, sed non supra mensuram doloris. Mordet, sed non cruentat. Et addidit:

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi. Eadem videtur dicere, quae sanctus Iob: sed diuersa sunt. Nam & ille ait: Sagittae enim Domini in corpore meo sunt, quarum furor bibit sanguinem meum, cum incipio loqui, compungunt me. Ille de vulnere sui corporis queritur: hic deplorat animae suae vulnera. Et forte hic agit poenitentiam de peccato, ille causam agit infirmitatis humanae: & quasi nostrae imbecillitatis assertor, ad remedium operis auxiliū creatoris exposcit. Hic igitur precatur, ille patrociniatur. Ideoque vehementior huius est dolor, quia animae vulnera grauiora quam carnis sunt. Ille dicit sagittas Domini in suo esse corpore, iste deplorat infixas. Illius sanguis, bibitur, huius effunditur. Ille compungitur, hic vulneratur. Illum manus Dei tetigit, super hunc graui pondere confirmata est. Hic animam suam deslet illusionibus esse completam, ille

suum corpus vlceribus. Manum autem Dei, virtutē intelligimus puniendi. Haec manus regem Aegyptiorum propter Abrahāe iniuriam ob tentatam Sarre pudicitiam flagellauit. Haec manus Aegyptiorum currus, equos & populos Rubri maris demersit profundo. Haec manus metem grauiuit regis Saul, ut gratiam sui conseruatoris odisset: & pro prauiacatione caelestis imperij desertus à sociis, interemptis quoque filiis destitutus, victus ab hostibus (quo spectaculo nihil est deformius regi) gladium in se suum ipse conuerteret, ne captius senex viuere filijs & regno superstes. Hanc manum David in se ipso expertus & liberis, alterius incestū, alterius parricidium deplorauit, & (quod pio patri grauius est salutis suae exitijs) simul sibi opprobria sobolis, & pietatis desleuit excidia: quorum alter ad incestum accensus de germanitatis affectu, alter ad parricidium armatus est studio castitatis. Vide quemadmodum illos in grauius criminibus consinia lufere virtutum. Utinam aut ille sororem non amasset, aut hic non vindicasset. Ad postremum & ipse patriae finibus pulsus à filio, fugiebat hostem, quem optabat heredem: metuebat vincere, ne pietatis dispendio vinceretur. Sed forte aliquis dicat: Quomodo in parricidio vel in incestu manus fuerit Dei, cum opus illud inimici sit? Cognoscamus igitur quoniam & vbi diabolus vulnerat, sagittae Domini vulnerare dicantur. Nempe sic legitur, quod cum in concilio angelorū sanctum Iob seruulum suū Dominus conuersus ad diabolum praedicaret, ut vreretur inuidus, & humani generis aduersarius (laus enim inferioris, condemnatio eius est qui de statu superiore deiectus est) responderit diabolus quia non gratis Iob Dominum veneretur, qui nutu Dei omnibus abundaret. Sed mitte, inquit, manum tuam, & tange omnia quae habet: videamus si non in faciem te benedicat. Et Deus potestatem dedit diabolo ut mitteret manum suam in omnia quae haberet Iob. Quibus gestis cum sanctus Iob immobilis in sua fortitudine permaneret, quia non est motus Iob aut interitu filiorum, aut dispendio facultatum: iterum Dominus ad diabolum dixit, illudens ei, quod dissiparet omnia quae habuerat Iob, filios eius interemisset, ipsum tamen nequaquam mouere de virtutis statione potuisset. Et ille respondit: Quaecumque habet homo, pro anima sua dabit. Sed mitte, inquit, manum tuam, & tange carnem & ossa eius. Et accepit iterum potestatem ut mitteret manum suam in corpus eius: tamen ut animam ipsius custodiret. Et persudit vlceribus sanctum Iob, vbi est egressus à Domino. Aduertimus ergo quod manus Domini dicatur, vbi est hominis diabolo infestante tentatio. Si quidem & Iob manum Domini dixit esse quae se tetigit, & sagittas Domini esse memorauit sagittas piratarum: Et tradidit, inquit, me in manus iniusti. Ipse itaq; absoluit: quia cum diabolus vulnerat, Domini sunt sagittae, qui vulneradi permittit diabolo potestatem. Deniq; si mades ut tuus seruulus verberetur, nonne etiam si ab astante alio caedatur, à te dicitur verberat? Est & illa ratio, quia Dominus ideo dat tentatori potestatem, ut hominum in tentationibus probetur affectus. Ideo fit persecutio, ut fides luceat, virtus excellat, mens interna omnibus mani-

manifestetur. Ergo tentatio quasi sagitta penetrat interiora hominis, & quasi gladius Dei, qui scrutatur interna. Gladius autem verbū est Dei, validum, & acutius omni gladio acutissimo: de quo gladio audi dicentem Mariam Symeonem: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur multorum cordium cogitationes. Verbo enim Dei omnia reuelantur, in cuius conspectu nuda & aperta sunt omnia. Anima ipsa videtur, medullae interiores, cogitationesque manifestae sunt: nec vlla postremo est creatura (ut scriptura dicit) quae se à cognitione eius abscondat. Ergo vendamus omnia, ut verbum emamus: ipsumque in nostris visceribus recondamus. Ipse postremo diabolus testificatur: Quia omnia dat homo quae habet, pro anima sua, nec dignum illud pretium totius patrimonij pro redemptione vnus anima constitetur. Quid parcimus patrimonio, quod & ipse diabolus vile iudicat pro salute? Parum dixi pro salute: parum esse & pro errore testatur. Denique, haec omnia, inquit, tibi dabo, si procidens adoraueris me. Nec solum diuitias mundi, sed etiam honores & regna monstrauit. Si tanto constat ut diabolus adoretur, quantum Christianus debet offerre, ut cum Christo resuscitetur? Sed diabolus dimittamus quasi hircum emissionis in desertum. Neque enim fidelis assertor est veritatis, etsi aliquando transfiguret se in angelum lucis. Abundant nobis diuinarum testimonia scripturarum, quibus instrui mur nihil esse in homine pretiosius fide, nullum tantum esse patrimonium quod salutis nostrae atque animae pretio conferatur. Fide Abraham patriam suam reliquit & terram, & proximos etiam quos videbat: & eum quem non videbat, tamquam aspiciēs sequebatur. Moyses quoque animae suae pretium maius omnibus Aegypti diuitiis aestimauit. Quid de viris sublimibus loquar? Rahab meretrix alienigena illa de saeculo, tamen animam suam non solum contemptu omnium quae habebat, sed etiam vitae periculis putauit esse redimendam: quae exploratores Iesu Naue ciuibus suis quaerentibus denegauit, & hostes patriae, legatos tamen fidei, maluit occultare quam prodere. Non eam minae ciuium, non bellorum pericula, non incendia patriae, non suorum discrimina terruerunt. Disce vir, disce Christiane quomodo verum Iesum sequi debeas, quando scemina contempserit omnia sua, & Iesum in figura propter similitudinem nominis est secuta. Vnde praclare Salomon dixit: Diuitiae viri, redemptio animae eius. Redime ergo animam tuam. Vilis est pecunia, sed sit pretiosa per fidem. Vilis est cum conditur, pretiosa cum dispergitur. Sic enim scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in saeculum saeculi. Si igitur talis fueris, ut possis contemnere non solum omnia tua, sed etiam ipsam carnem tuam pro iustitia, contemne, quia nulla potest locupletior esse possessio: (possessio enim pretiosa, homo mundus) & si flumina te superiora cœcluserint, transibis. Nam etsi dederit tentandi tui Dominus potestatem, mandat tamen diabolo vt animam tuam ipse custodiat: secundum quod scriptum est: Ut destruas inimicum & defenforem. Tentat enim ut aduersarius, defendit ut seruus. Scriptum est enim: Et voluit tibi vnicornus seruire. Seruit enim, qui non ex volun-

tate sua quod optat exequitur, sed ex necessitate mandatis imperialibus inuitus obtemperat. Vide altitudinem Christi, quemadmodū retorfit in diabolus malitiae suae pretium. Ille nos cogit, quod odio habemus, hoc facere. Non enim quod volo, hoc ago, ut Apostolus dixit: sed quod odi, illud facio. Retorfit in illum Dominus, ut & ipse plerumque non faciat quod vult: sed quod odit, hoc faciat. Denique animam quam vult expugnare, custodit. Nos corruptelam carnis condemnamus, & sequimur: ut illa vidua quae promissam marito fidem irritam facit, & postea nubere vult: quod antè fugiebat. Ille inimicus est sanctis, & defensor adhibetur, quod amplius puniatur: ut nocere non audeat, qui nocere desiderat. Et quanto tolerabilius est amare virtutes, etsi implere non possis: quam odisse virtutes, quibus nocere non possis?

Non est sanitas in carne mea à vultu irae tuae: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Non est sanitas in carne mea à vultu irae tuae. Expouit nobis hunc locum Esaias: Peccauimus, & tu iratus es nobis. Qui est tamen irae Domini vultus? Ne forte ille, quia oculi Domini super facientes mala. Si enim oculi Domini super iustos, quomodo à vultu irae Dei infirmatur Propheta? Vnde & illud confidera, quod ipse David in posterioribus dixit: Quoniam ex omnibus tribulationibus eripuisti me, & super inimicos meos respexit oculus meus. Sicut enim bona iustorum respicit, ita & peccatorum occulta deprehendit. Nisi forte ad Christum hoc referas, qui ab omnibus, à quibus contrebatur, ereptus est, quando se exiit à populo Iudaeorum, qui cum frequentibus sacrilegijs & quotidianis impietatibus contrebant: & inimicos suos vocauit ad gratiam, quos oculus Dei vidit & amauit. Ergo quia pius est Deus, nequaquam est desperandum. Et si irascitur, ignoscit: & si percutit, sanat: & si tradit in interitum carnem, spiritum saluat. Noli ergo timere carnis infirmitatem: quia sanctus cum infirmatur, potentior est. Quid autem est quod ait: Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum? Quae sunt ista ossa? Vtrum animae, an corporis? Sed non tanta esset doloris cura corporis, vbi & anima laborat: cum sancti sit velle carnem propter animam flagellari: sicut se flagellabat & Paulus, ne eius reprobaretur assertio. Sunt quaedam interioris ossa hominis, sicut & membra sunt caetera, oculi mentis, & nares; sicut Iob dixit: Spiritus diuinus qui est in naribus meis. Sunt ergo & ossa, quibus charitatis quaedam compago formatur. Vnde & Adā dixit de consorte charitatis, & cohaere gratiae vitae: Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea. Quod Apostolus interpretatus ait: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Christi autem & Ecclesiae sacramentum non carnale, sed spiritale esse quis dubitet: cum bonus quisque in ipso coniugio non carnis, sed virtutis decore teneatur, & mores diligat in vxore, non vsus? Denique audi quia non secundum carnem loquitur, sed secundum virtutem interiorem: Non est absconditum os meum, quod fecisti in occulto. Virtus itaq; non



2. Cor. 7.

Esai. 50.

Esai. 3.

Ecle. 2. 1. Reg. 25.

Coloss. 2. 1. Cor. 11. Ephes. 4.

Zach. 5. Psal. 2.

Matt. 11.

Esai. 45.

Ibidem. Esai. 1.

caro est, quæ Dei patris nouit abscondita. Ergo non est pax animæ virtutibus, quando ante oculos nobis nostra peccata concurrunt, & offundit se mentibus nostris. Et hoc bene interpretatus est gentium doctor electus, in epistola secunda ad Corinthios dicens: Nam & cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra; sed in omnibus sumus afflicti: foris pugna, intus timores. Illum Macedonum peccata vexabant: quanto magis propria vnumquemque nostrum peccata perturbant, vt requies nobis esse non possit. Grauior aduersarius nobis culpa est nostra, quæ sollicitat otiosos, affligit sanos, contristat lätos, inquietat placidos, exagitat mites, excitat dormientes. Rei sumus sine accusante, sine tortore cruciamur, sine vinculis adstringimur, sine venditore vendimur. Vnde & scriptura dicit: Peccatis vestris venditi estis. Hęc igitur peccata sunt quæ contra nos semper sunt, vt dixit Propheta: Vendiderunt nos, & dominantur nobis. Seruus qui venditur, superiore seruitio exit, vt ad dominum alterum migret. Nos nec superiorum iugum deponimus, & ad noua peccata curuamur. Vnde & ingemuit sanctus, dicens:

Quoniam iniquitates meæ superposuerunt super caput meum: & sicut onus graue grauata sunt super me.

Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.

Quoniam iniquitates meæ superposuerunt, &c. Hoc est, iniquitates meæ supertransierunt caput meum, & supereminet mihi, vt sensus meos deprimant. Oculi enim sapiētis in capite eius. Et ideo Nabal malus erat & durus, quia sensus eius malitia & iniquitas obstruebant. Vnde & Abigææ verbum ferre non potuit, sed obduruit cor eius, & quasi infirmus occubuit. Aut vide ne hoc sit caput, de quo ait Apostolus: Quia non tenet caput, mente carnis inflatus. Hoc autem caput Christus est, quia omnis viri caput Christus. Hoc est caput quod per compaginationes & colligationes totius plebis crescit in incrementum Dei: quia in omnibus nobis per singula mēbra sua Christus affurgit. Ergo quando nos ingrauant nostra peccata, & talento quodam iniquitatis plumbeo ad terrena deprimimur, dirumpamus vincula eorum, & proiciamus à nobis iugum ipsorum: vt possimus oculos nostræ mentis attollere, & audire dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Denique Ægyptum auaritia onerabat, pecunia vexabat, mercatus Æthiopes, sicut scriptum est: Labor Ægypti, & mercatus Æthiopum, & Sabaim viri excelsi ad te transibunt. Laborauit Ægyptus antequam cognosceret veritatem: sed iam non laborat postquam transiit ad Christum. Sequuntur volentes Sabæi viri, qui antè fugiebant: quia tenent eos vincula charitatis, quæ adamante fortiora sunt. Pulchrè & illud Esaiæ huic loco aptatur: Omne caput in dolore, & omne cor in mœstitia: à pedibus vsque ad caput est vulnus, cicatrix, ac plaga, cum feruore. Feruet enim iniquitas cum dominatur, super caput nostrum sese extollens, & locum occupans,

ne eum Christus magister teneat poenitentia. Non mediocrem vim habent istæ iniquitates, si consideres hominem illum iniquitatis qui venturus est secundum opera satanæ in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus, & omni seductione iniquitatis: quem cauendum nobis Apostolus demonstrauit, quia operationem erroris accipiet, vt probentur fideles, iudicentur insidi. Meritò ergo sub iniquitatibus positus, & (quod peius est) suis, corruptas esse & computruisse dicit cicatrices suas à facie insipientiæ suæ: quia leuantem onera iniquitatum tardius remedium sequebatur. Tamen & Iob sancto qui saniem radebat suorum vlcerum, perfusus vlcibus à pedibus vsque ad caput, sanitas est refusa: & Lazarus pauper qui iacebat ad ianuam diuitis, lambentibus vlcera eius canibus, de cicatricum suorum foetore sublatus, ab angelis in Abrahæ sinu est collocatus. Est ergo & sancto Dauid spes & remedium sanitatis, quia non vnguentum redolent, sed foetorem suorum vulnera peccatorum: & quia affligitur his atque curuatur, & non delectatur. Specta nunc epheborum aliquem lasciuum, & egregiè libidinosum, qui in stupris vitam suam exigit, more illius diuitis in bysso & ostro iacentē, atque epulantem quotidie splendide, cui natent pauimēta vino, regatur humus floribus & spinis cooperta piscium, incensis diuersorum thymiamatum odoribus triclina compleantur, quemadmodum se beatum putet, & bene se olere iudicet: cumque graua atque diuturna animæ suæ vulnera gerat, & corruptum sanguinem fluat, nullum tamen foetorem suæ cicatricis accipiat: obstructas enim coeno nares habet, nec potest dicere: Spiritus diuinus, qui est in naribus meis. Ideo diues ille remedium salutis inuenire non potuit, pauper inuenit. Denique alter apud inferos in supplicio, alter in requie. Inuenit ergo perpetuæ salutis remedium etiam sanctus propheta Dauid, qui foetere sibi animæ suæ vulnera fatebatur, & à facie insipientiæ suæ computruisse sibi cicatrices proprias loquebatur. Sed est & insipientia, quæ per stultitiam prædicationis credentibus salutem afferat. Refugit ergo Propheta euangelico iam spiritu sapientiam istius mundi, qua non cognoscitur Deus: quæ tegit sua vulnera, non reuelat ad Dominum. Melior igitur insipientia, quæ oculos habet vt videat vlcera sua, quam sapientia quæ non habet. Et ideo insipientiæ suæ obtutu admonitus spiritali tantus rex, afflictum se miseris protestatur, vt remedium possit poenitentia reperire, quod Iudas qui agrū de iniquitatis mercede possedit, reperire non potuit.

Miseris afflictus, & curuatus sum vsque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Curuatus sum vsque in finem. Vsque in quem finem? In finē scilicet poenitentia. Vel vt amplius & mysticè intelligas, vsque in finem, hoc est, vsque ad Christum, qui finis legis est, qui se passus est verberari, passus est corpus suum mortuum vulnerari: sed nullum foetorem poenitentia, odorē verò omnem gratia vulnera illa redolebant. Denique non tabes mortis de vulnere eius, sicut hominū cæterorum, sed fons vitæ scaturiuit aterna, vt scriptura nos edocet, dicens: Et saliet

Esai. 12.

Iam. 19. Iob. 7. 4.

Esai. 33.

1. Cor. 2.

Iob. 2.

Luc. 16.

Rom. 5.

Coloss. 1.

Ibidem.

Iob. 27. Luc. 16.

1. Cor. 1.

Psal. 36.

Luc. 11. 1. Cor. 6. Iob. 40.

1. Cor. 6.

Psal. 72.

Et saliet aqua cum delectatione de fontibus Saluatoris. Exiliuit ergo de vulnere aqua, vt nos bibere mus salutē. Bibent omnes peccatores terræ, vt peccata deponant. Vide singula. Miseris afflictus est Christus, vt beatos faceret homines, qui erant in miseris constituti. Nemo miserum cum qui sit iustus appellet, quia ipse dixit: Vos nemo facit miseros. Curuatus est ille, vt nos erigeremur: contristatus est ille, vt nos lätificaret, secundum quod scriptum est: Si enim ego contristo vos, & quis est qui me lätificet, nisi qui contristatur ex me? Qui contristatur ergo ex Domino Iesu Christo, ipse lätificatur Christo, & ipse lätificatur à Christo. Ideo ergo & nos non perfunctoriè satisfaciendū à nobis esse cognoscimus. Curuemur vsque in finem, id est, non solum Christo fidem, sed etiam passionum nostrarum persecerantiam deserētes, & gaudeamus in passionibus nostris, sic & Christus gaudebat in passionibus suis: quas ille suscipiebat pro seruis, nos subeamus pro Domino. Hic ergo finis. Vt adimpleam, inquit, quæ defunt tribulationum Christi in carne mea pro corpore eius, quæ est Ecclesia, cuius sum factus minister. Videmus quid nobis suscipiendum sit, qui ministerium sacerdotale suscepimus: vt non solum pro nobis, sed etiam pro Ecclesia Domini sustinere fortiter passiones corporis debeamus. Dauid autem addidit & animæ passiones. Denique ipse ait:

Quoniā anima mea completa est illusionibus: & non est sanitas in carne mea.

Incuruatus sum & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Quoniam anima mea completa est illusionibus. Aduertimus hinc laborem animæ maiorem esse quam carnis. Denique quibus anima illusionibus compleatur intelligit, eo quod in tentationibus diabolus ei videatur illudere & insultare quasi grauitur laboranti. Symmachus tamen ait lumbos, in quibus seminaria sunt generationis humana. Vnde præcinctos lumbos habere te præcipit sapientia Dei; ne tua castimonia resoluaatur. Denique vt scias quia in lumbis sint libidinis commotiones, quæ plerumque excitantur à diabolo, quando contendit dissipare membra Christi, & facere membra meretricis: Ecce, inquit, fortitudo eius in lūbis, & virtus eius in vtero. In lumbis viri semina sunt: in vtero autem foemina. Illudit ergo diabolus in his, vt faciat adulterium, incestum, fornicationem. Et ideo qui fornicatur, in corpus suum peccat, non extra corpus. Primum, quia infirmatur caro quæ in libidinibus diffluit, & non seruat moderamina castitatis: deinde, quoniam seminaria quæ debent soboli proficere procreanda, inquinamentum corporis, non fructum posteritatis operantur. Inde itaque dicuntur illusiones fortasse, quod in his corporis æstus sine coitus celebritate frequenter illudat. Vnde bene Septuaginta viri animæ illusiones dixerunt, eo quod diabolus affectus alicuius illudens, in vanum studeat vires eius effundere, virtutem vacuare, resolueret fortitudinem. Ideoque alibi ait: Et renes mei resoluti sunt. In quo nos etiam beatus confirmat Apostolus, quod non illusiones animæ, nō carnis infirmitatem

metuere debeamus: quia & anima & corporis nostri Christus est virtus: qui curat agrotos, quasi medicus: confirmat validos, quasi omnium fortitudo. Denique etsi foris homo noster corrumpitur, sed renouatur interior de die in diem. His itaque animæ illusionibus fatigatus incuruauerat & humiliauerat se nimis sanctus Dauid, non quod iniquitatibus superponentibus se supra caput eius (vt diximus) locū daret, aut inimico cederet, qui in posterioribus docet ei non esse cedendum, dicens: Quanta malignè operatus est inimicus in sanctis tuis, & gloriati sunt qui oderant te, in medio festi tui? Postuerunt signa sua signa, & non cognoui sicut in via supra summum. Quasi in silua lignorum securibus consciderunt ianuas eius. Inimicis meis, inquit, signa iniquitatis suæ supra summum ponentibus. Quid est summum, nisi caput tuum, vbi sensus sunt, vbi Christus est sapientia? Ego non cognoui, id est, non acquieui, non his consensi, & mea sententiam cogitationis adiunxi. Vnde & alibi habes: Non cognoui verbum nequam. &: Declinantes à me malignos non cognoscebam. Denique cum omnia nouerit Christus, peccatum non cognouit. Cognoscit enim quæ sua sunt, id est, quæ virtutum sunt, non quæ flagitorum. Ideoque scriptura dicit: Cognouit Dominus qui sunt ipsius. Iniquis autem dicit: Discedite à me, quia non noui vos. Et per Hieremiam locutus est, dicens: Sicut agnus ductus sum ad immolandum, & nesciui. Quomodo nesciebat quod futurum antè prædixerat? Sed nesciui, inquit, cogitationes eorū, id est, malitiam eorum. Nolo scire quæ sanguinis sunt. Denique non congregabo conuenticula eorū de sanguinibus. &: Deleo iniquitates eorum, & memmor non sum. Nolo scire quæ remissurus adueni. Non cognoui ligna quæ ardeant, nec quæ in aceruo lignorum sunt posita, vel stipulam vel foenum, vt citius ea nutrimentis suis flamma consumat. Illa volo scire quæ maneat; vt fructum suæ mercedis accipiant. Illa volo scire quæ supra fundamentum ædificata sunt, vt meliorentur: non quæ in via, vbi ea diripiunt transcentes. Illa volo scire quæ vitis sunt, illa certè ligna quæ ferant fructum, non ea quæ in faeces collecta ad incendium præparantur. Id est, non sum illis arbiter & socius, quæ caduca sunt. Non ergo societas alicuius rei, sed societas criminosa in culpa est. Qua ratione autem nō cognouit in infructuosus & fragilibus gloriantes? Quia malis operibus & iniquitatis suæ securibus euertunt animæ fidelis ingressus, & crudelibus factis scindunt pia mentis vestibula, ne per ea possit Christus intrare. Debet autem vnusquisque portas suas & ianuas custodire, vt cum venerit Christus & pulsauerit, dicant ministræ potestates quæ præcunt & præcurrunt: Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales. Verè principes, qui se bene rexerint, vt in animas eorum Christo ingressus sit. Simile quoque illud est Salomonis: Si spiritus habētis potestatem ascendere aduersum te, locum tuum non relinquant: quia cura mitigabit delicta magna. Diligentiam enim & fides superiorem locum tenet, inferiorem perfidia. Ideo ascendat ad te bona diligentia, quæ insidias excludit inimici, & aufert peccatum, ne malitia potestatem habentis nocere possit. Hanc videt Eccle-

*Ecl. 8.* fiales malitiam sub sole, hoc est, in hoc mundo: unde & sub solanum locum huc scriptura memorauit. Sub sole ergo vidit, non supra solem, ubi pax angelorum est, vel sanctitas caelestium potestatum. Aut forte sub sole iniquitatis dixit. Malitia enim diabolus praesidet, virtutibus Christus. Itaque ut vinceret spiritum potestatem habentis, quam ad tempus accepit, incuruabat se oratione Dauid, ceruicem sicut circulum flectens, & humiliabat in precibus. Oratio enim se humiliantis, nubes penetrat, & elementorum alta transcendit, ut Christo appropinquet. Et rugiebat a gemitu cordis sui. Rugit, qui gemitum solum, non verba exprimit. Haec est ergo illa praecleara oratio, quando interpellat pro nobis spiritus gemitibus inenarrabilibus, ut vase electionis asseruit. Hic est gemitus quem non despicit Deus: qui non despicit seruum iuniorum orbaturum patre, nec viduam si effundat loquelam. Gemitus ergo ante omnia signum Spiritus sancti Apostolus ponit, ut legimus. Deinde custodiamus animam nostram ianuas, ne multiloquis quasi securibus scindatur nostra confessionis ingressus. Nihil insolens & superbum nostro ex ore procedat, ne securim leuemus aut malleum, quae non intrant in Ecclesiam Domini. Claude ianuam cum oras, ne se ingerat spiritus nequam: ut ibi peccatum extorqueat, ubi lucrum volumus pietatis acquirere. Qui sic orat, non est a Domino gemitus eius absconditus. Denique Petri gemitus & cognitus & exauditus est, quando fleuit amarissimè. Vtique non lacrymae amarae, sed amarum qui eas fundebat affectus. In ipso perfido Achab gemitus inuenisset gratiam, nisi manens inuidia cum laxasset offensam. Non enim perfunctorius gemitus praedicatur, sed qui habet conuersionem. Scriptum est enim: Si conuersus ingemueris, saluus eris.

Domine ante te omne desiderium meum: & gemitus meus a te non est absconditus.

*Luc. 22. Psal. 41.* Constituamus ante Dominum omne desiderium nostrum. Quid est desiderium? Bonae enim rei legi desiderium: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum. Et ceruus desiderat ad fontes aquarum. Puto autem quod is qui poenitentiam gerit, qui se affligit, non bona sua debeat, sed commissa sibi enumerare peccata. Denique versiculis illis (ut arbitror) hoc docemur, quibus ait: Deus vitam meam nuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. Non enim quasi innocentem vitam annuntiat ubi lacrymae funduntur, quae solent legationem suscipere pro delictis. Nisi forte sic intelligam, quod etiam innocens quisque sit, securus esse non possit, cui sint aduersus grauissimos hostes quotidiana certamina. Et ideo haec licet lata sit conscientia, tamen pugna lacrymabilis. Iuxta hos ergo versiculos concupiscentiam possumus accipere magis quam desiderium. *Matth. 23.* enim Graecus posuit. Concupiscentia autem & desiderium *Matth. 23.* dicitur. Sed concupiscentia & de bono & de malo dicitur. Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini, pro bono. In lege autem aliter: Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces, utique pro malo. Denique subiecta nos doceat: Quia occasione accepta peccatum per mandatum operatur omnem concupiscentiam in hominis affectu. Pos-

sumus tamen sic accipere: *Ante te omne desiderium pono:* hoc est, tibi manifesto quae impetrare desidero: ut ad seriem petitionum, non ad iactantiam referendum videatur esse virtutum. Iactantia enim insolens etiam in integro, deprecatio etiam in peccatore laudabilis. Addidit etiam Propheta:

Cor meum conturbatum est, dereliquit me fortitudo mea: & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

*H* Quod cor suum conturbatum sit, & deseruerit se fortitudo sua. Magnum periculum si cor exagitetur, quo credimus ad iustitiam. Sed tamen ut in magnis periculis aegritudinum si dolor sentitur, & sensus eius exprimitur, remedium salutis ostenditur: (dolere enim tolerabilius est, quam non dolere: aliud enim viuificationis adhuc manentis insigne, si dolcas: aliud supremae mortis indicium, si nullus sensus doloris sit) ita & cor salutis signa demonstrat, quando causas suae perturbationis agnoscit. Denique turbatum est cor Dauid aduersus Nabal hominem pestilentem, & gratiam reperit dum occurrit Abigaea, quae mitigaret commotionem indignationis, & sanctificationem benedictionis acciperet. At verò Nabal duro & rigido corde verbum vxoris ferre non potuit, & obstupefactus obrigit, & mortem incidit. Quae autem Prophetam deseruit fortitudo? Vtrumque carnis, an mentis? Si carnis, non vtiq; desperanda sanitas. Nam virtus in infirmitate consummatur. De quo non mediocriter disputauit arbiter & breuiator: qui luctam mentis & corporis sciens, temperabat vtriusque certamen, ut restringeret carnem, si cerneret fortiorem, ne in legem peccati captiuam duceret mentem. Reuocabat itaque carnem, virtutem autem mentis iungebat: sic ad coronam meruit peruenire. Ergo hoc dicit Propheta: Si carnis fortitudo deseruit, mentis fortitudo praeualuit. Quod si fortitudinem mentis accipimus deseruisse, non mirum si in grauissimis tentationibus corde turbato putat se homo metis suae fortitudine deserui. Ipse te doceat, dicens: Fortitudo mea & laus mea Dominus. Dominum ergo quaerebat: & ideo ne deserui mereretur, sapienter putabat esse quaerendum: & sic ubi fluctuabat, putabat se esse desertum. Sic Apostoli excitabant dormientem, ne obdormiret sibi: non quia eum obdormisse credebant. Sic Eliseus (ut superiorum utamur exemplis) Vbi est, inquit, Deus Elias? non quod putaret absentem, sed quia praesentiam eius in beneficiis quaerebat. Sic Hieremias eum sequebatur ut medicum, dicens: Sana me Domine, & sanabor, salua me, & saluaabor. Non laboraui sequens post te. Sic Ecclesia requirebat eum in Canticis canticorum, & rogabat filias Hierusalem, si suscitarent dilectionem. Quaerebat ut inueniret, quem sua dilectione retinebat, nec vnumquam sentiebat absentem. Sic ergo & Dauid non querebatur a Christo se esse desertum, sed iudicabat illo praesente se non posse turbari. Denique ut scias de Christo magis intelligendum, addidit: *Et lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Quod est verum lumen omnium, nisi Christus Iesus? de quo Ioannes dicit: Erat verum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: quia ipse est qui illuminat & corporis oculos,

& mentis

*Ecl. 8.*  
*Ecl. 35.*  
*Rom. 8.*  
*Ecl. 35.*  
*Rom. 8.*  
*Matth. 6.*  
*Luc. 22.*  
*3. Reg. 21.*  
*Eccl. 18.*  
*33.*  
*Luc. 22.*  
*Psal. 41.*  
*Psal. 55.*  
*Eph. 6.*  
*Psal. 83.*  
*Rom. 7.*  
*Exod. 20.*  
*Rom. 7.*

*Roman. 10.*  
*1. Reg. 25.*  
*2. Cor. 11.*  
*Rom. 7.*  
*2. Tim. 4.*  
*Psal. 117.*  
*Matth. 8.*  
*4. Reg. 2.*  
*Hier. 17.*  
*Cantic. 3.*  
*Ioan. 1.*

*921* & mentis obtutum. Rogemus ergo ut semper nobis suum lumen infundat, & semper nobiscum sit, sicut erat cum Dauid, & ideo audebat dicere: Quoniam apud te est fons vitae, & in lumine tuo videbimus lumen. Ille certe quasi propheta magnum viderat lumen: nobis lucerna eius luceat, ne possimus errare. Et lucerna verbum est, sicut verum lumen est verbum; quod totum illuminat mundum. Denique lucerna pedibus meis, verbum tuum Domine. Et lucernam illum etiam Propheta quaerebat, non laternam. Lucernam autem illam Ioannes inuenit, & demonstrauit. Cum laterna persecutor aduenit. Laterna enim clausum habet, non liberum lumen. Lumen Iudaeorum quasi lucerna sub modio, vel fax sub velamine, potest videri, sed non videt. Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculamur aeternam, ut ad eius imaginem a gloria in gloriam per Spiritum sanctum reformemur. Venit ergo persecutorum turba cum laternis: & ideo inclusam in eis lucem videre eorum oculi nequiuerunt. Venit cum facibus, quae plus habent in fumo caliginis, quam splendoris in lumine. Denique facibus mortuorum cadauera ardere consuerunt. Sibi ergo Iudaei iam ferebant incendia, qui persequebantur salutis auctorem. Venere cum armis, significantes armis se perituros esse Romanis usque ad excidium totius ciuitatis & templi, qui pacem Domini recusarunt.

Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt. Et qui iuxta me erant, a longe steterunt, & vim faciebant qui quaerebant animam meam. Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitatem: & dolum tota die meditabantur.

*Amici mei & proximi mei, &c.* Video qui sint qui argute ista discutiunt. Mihi in primo praecipue isto versiculo Domini videtur tenenda sententia: quia in tentationibus inimici sunt hominis etiam domestici eius. Hoc ergo sanctus Dauid pure atque sincerè & dolenter fateatur. Verus enim dolor est & interioris cordis confessio, quando enumerantur omnia quibus secreta metis viscera amarissimo compunguntur affectu, & domestico felle exacerbantur. Deplorat igitur Propheta ab amicis se & proximis impugnatum, a quibus utique non impugnari debuit, sed iuari. Quod utique cum sancti Iob querimonia concurret: quia & ipse arguebat tres illos reges consolatores malorum, qui maiora ei inferebant certamina, cum ad consolandum eum amicitiae gratia conuenissent: quod utique cauendum est nobis. Consolatio enim mitis esse debet, non aspera, quae magis dolorem leniat, feruorem mitiget, quam commotionem excitet. Certè ipsius corporis medicina nos doceat, quae feruentibus vulneribus molliora medicamenta conficit adhibere, quibus dolorem allevet. Ideoque fouentur primò vulnera, post secantur, ne offendat ipsa durities, & incisio vulnus exasperet. Quanto igitur magis cauere nos conuenit, ut cum venerimus ad consolandum, non facile, non perfunctorie loquamur? Septem diebus tacuit Iob, tacuerunt amici, nec locuti essent, nisi Iob dolore

prorupisset in vocem. Quaerendum est enim unde incipias: ne in ipso sermone offendat consolatio tua. Etiam taciturnitas ipsa medicina est: & velox in sermonibus magis vulnerat. Quid miraris si alterum vulnerat, cum frequenter ipse sese vulneret? quia ex multiloquio peccatum non effugit. Etenim si medicus medendi tempus expectat, ut digestis aegritudinibus medicinae subsidia deferantur, ne acerba adhuc & immatura (ut asserunt) aegritudo, curationis remediis relucetur, & beneficium sentire non possit: quanto magis explorare nos conuenit ut oportuna a nobis medicinalis sermo procedat, qui non accendere luctum, sed lenire videatur? Vis vrget doloris: premitur cor mulieris afflictæ, quae immaturo obitu maritum amisit, aut filios. Quid properas, cum te illa non audiat nisi deseruecat dolor? Sepe lites de consolationibus videmus excitas. Venisti ut doleas, non ut litiges. Ordo sermonis ipse quaerendus est: ne peccatum apud Deum incurras, dum desideras hominem consolari & ne dicatur tibi: Audiui talia multa, consolatores malorum. Ne in luctu alterius certamen garrulæ disputationis inducas: ne non accedas cum oporteat: ne accedas, & durior sit tuus sermo. Denique quid dicatur de talibus, doceat te sanctus Iob: Simul mihi venerunt reuersiones eius, viis meis circumdederunt me insidiantes: fratres mei discesserunt a me, cognouerunt extraneos magis quam me. Amici mei immisericordes facti sunt. Hic ergo naturalis est sensus etiam sancti prophetae Dauid, ut queratur se ab amicis impugnatum, a proximis destitutum. Sed ne mysticus quidem abhorreat pietatis affectus, ut pro angelis dixerit, qui praetendunt timetibus Dominum, ut eripiant eos de tentationibus quas ferre non possunt. Quomodo ergo longè stant, qui ad adiumentum sunt attributi? Sed non illi se separant, sed qui vrgetur tentationibus, putat eos longè abesse, quos propius sibi adesse desiderat: & arbitratur dissimulare, cum illi iuuandi tempus nutu sui imperatoris expectent, qui athletam suum quò gloriosius vinceret, diutius certare praecipit. Et videtur hoc magis sequentibus conuenire, quia angelis protectionis excubias relaxantibus, insidiantur inimici, quarentes in anima eius inuenire quod noceat. Tunc enim potestas illis grauioris tentationis permittitur cum culpa animae grauior reperitur. Unde habes illud in libro Regnorum regis Achab ad Eliam dictum, quando cum propheta vehemèter increpauit, & mortem ei denuntiavit: Si inuenisti me inimice mihi? Et respondit Elias: Inueni, quia fecisti malignum in conspectu Domini. Vides ergo quia regibus non temerè vel a prophetis Dei, vel a sacerdotibus facienda iniuria sit, si nulla sint grauiora peccata, in quibus debeant argui. Vbi autem peccata grauiora sunt, ibi non videtur a sacerdote parcendum, ut iustus increpationibus corrigantur. Tamen Dauid in hoc loco dicit, quod nihil inuenisse videatur: & ideo inimici eius vanitatem locuti sunt, quoniam nihil quod pro veritate loquerentur, inuenierint. Aut certè, quia etiam peccati, tamen peccata mea poenitentiae dolore purgabam. In quo illi cum dolo mecum loquebantur, ut me oburgatione confunderent, & a conuersione reuocarēt. Et vide ne hoc magis senserit, quæstio illos mala ei:

*Psal. 33.*  
*Heb. 1.*  
*Iob 16.*  
*Iob 19.*  
*Psal. 33.*  
*Heb. 1.*  
*3. Reg. 21.*

sed cum vellent accusare, praeventos: quoniam vulnera sua ipse patefecerat, sui accusator existens: & ideo vim accusationis eorum esse annullatam: locutos autem fuisse vana, quae confessio culpam nocere iam non possent. Exclusi igitur a criminationis invidia, dolum adhibebant, ut infurgerent, & mihi insultarent, quod me stimulare ad aliquam commotionem.

Ego autem velut surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

*Velut surdus non audiebam.* Hoc est, malorum ego dolum videns, *velut surdus non audiebam.* Considera vim sermonis. Non dixit, quia simulabam non me audire quae dicerent, sed, *non audiebam*, dixit: quod intentione mentis vocem loquentis excluderet, nec aperiret os suum, sicut mutus. Beatus qui potest tantam habere virtutem, ut laesit non irascatur, commotus se nolit vlcisci: inimici hoc agunt ut prouocent ad iracundiam. Maledicunt ut maledicamus: criminantur, ut crimen retorquamus: conuiciantur ut excitent nos ad vicissitudinem contumeliam. Vnde praclare Petrus de Domino Iesu in epistola sua posuit: Qui cum malediceretur, non maledicebat: cui pateretur, non cominabatur. Ad eius ergo similitudinem atque imaginem iustus suae vitae cupiens instituta formare, accusatus tacet, laesus remittit, dissimulat laesit, & non aperit os suum: ut illum imitetur, qui sicut agnus ad victimam ductus, non aperuit os suum. Et cum possit habere quod referat, magis vult silere quam dicere. Ipse enim Dominus Iesus cum accusaretur, tacebat: & cum percuteretur, non repercutebat. Denique percussus respondit: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si bene, quid me caedis? Vide quemadmodum quasi verum infirmus, & quasi is qui se vindicare non posset, puerili quodam loquebatur affectu. Ita ergo & tu si habeas quo redarguas argumentem, melius tacebis: ne redarguendi vicissitudine commotionem tuam prodas. Melius est enim dissimulare iniuriam, quam cum redarguis vindicare. Bonus mutus, qui loqui male nescit: cuius ex ore crimen exire non nouit. Hic est mutus verum beatus, qui cum tacet, intra se loquitur. Dominus dat mihi linguam eruditionis, ut sciam quando oporteat me dicere sermonem. Talia loquebatur intra se Zacharias cum obmutuisset. Et verum quia loqui ei non profuerat, ne loqueretur obmutuit: & ut loqueretur, exauditus a Christo est. Denique scripsit quod Christus exaudiret: & vocem recepit, quam Christus indulsit, & gratiam adiunxit, quam antea non habuit, ut prophetaret eum, cuius mandatis antea non credidit. Quid de Domino omnium virtutum loquor, cum mulier Susanna nec sexus infirmitate turbata cum se ad periculum mortis cognouit ad dictam, vocem emisit? Accusabatur, & tacebat. Ducebatur ad mortem, & silentio se regebat, ne nudaret pudorem. Intra se tamen loquebatur Deo, qui eam magis audiuit tacentem. Quae si voluisset loqui, forsitan non esset audita. Et tu ergo qui proposuisti satisfacere pro delictis Domino Deo tuo, illi soli interiore corde purga, illum

contuere qui potest peccata diluere. Adiuuat te, qui putauit arguendum. Denique cum malediceretur David, & eius dux Abessai iniuriam regis vellet vlcisci, dixit ad eum David: Dimitte illum, ut maledicat, quoniam dixit illi Dominus: si forte videat humilitatem meam, & retribuat mihi Dominus bona pro maledicto hoc. Vides igitur quod a conuiciantibus adiuueris ut Dominus audiat te, & peccatum tuum remittat? Nam cum ipse accusator tui esse debeas, & coaceruare flagitia, teque ipsum offerre supplicio: quomodo negare obiecta desideras? Penitentia patientiam quarit, patientia mitigat delicta magna. Quomodo irasceris aliis, tua ipse reus conscientiae? Quomodo commoueris, cum debeas esse miserabilis? Qui arguitur, & (quod est amplius) a semetipso, curare debet sua vulnera, non alterum vulnerare. Nemo alium vulnerando se sanat. Medice cura te ipsum. Si medicus, quanto magis reus prius curare se debet? Confiteris peccatum tuum, & medicum te profiteris in alienum? & si veritatis est quod retorques, temporis non est. Peccatori enim dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas? Vsurpas tibi ut de lege arguas, qui contra legem ipse fecisti? Quid lacrymarum tempus amittis? Quid concertando vanos sermones aut audis aut loqueris, cum tibi scriptum sit: Non accipias auditum vanum; cum legeris in Euangelio, pro omni sermone otioso iudicium esse subeundum? Et si alius loquitur, tace: & si alius conuiciatur, aurem tuam obstrue. David tacendo vicit aduersarios suos: & quia sicut mutus factus est, vocem recepit, quia conuersus ad Dominum loquebatur, dicens:

Quoniam in te Domine speraui, tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi, ne aliquando exultet in me inimici mei: & dum commouentur pedes mei, in me magna loquuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.

*Quoniam in te Domine speraui, &c.* Tacebat David, loquebantur inimici, prouocabant ut aliquid & ipse loqueretur. Dicebant: Audiamus vocem tuam. Intra se ille tacitus loquebatur. Quid opus est ut ista audiant quibus prodesse non possunt? *In te Domine speraui:* tibi soli loquor: tu audi, qui exaudire potes. *A te semper poposci, ne aliquando exultent in me inimici mei:* quia etsi peccaui, tu peccatum dimittis: etsi ego cecidi, tu resuscitas; ne habeant unde exultare possint qui peccatis latantur alienis. Plus enim acquisiuimus, qui plus peccaui: quia beatiore facit tua gratia, quam nostra innocentia. Habemus hunc sensum & in libro Michaeae prophetae: Noli gaudere super me inimica mea quia cecidi, sed resurgam. Non est grauis infirmitatis ruina, si non sit etiam voluntatis studium. Habe voluntatem surgendi, praesto est qui faciat ut resurgas. Dixit ergo David in corde suo, petens ut exaudiretur a Domino, & ut non exultarent in eum eius inimici, petens etiam

etiam ut in conuersionis suae proposito permaneret, ne dum propositi sui gressus quasi quidam pedes suae animae commouentur, in eum aduersarij superba & magniloquentiae plena loquerentur, ut faciunt qui insultare desiderant. Tamen moueatur ut homo, paratum ad flagella se dicit, ut vel supplicio soluat errorem. Etsi cessent flagella Domini, se tamen dolore proprio memorat flagellari, ut non inueniat culpa quod damnet, quam poena praenerit. Hoc est ergo quod ait: *Et dum commouentur pedes mei, in me magna locuti sunt.* Eo quod tam prompti sunt ad insultationis ludibria, ut in commotione pedum meorum paratam habuerint magniloquentiam. vel certe sic: *Dum commouentur pedes mei,* putantes quod caderem, superba iam & magniloqua sunt locuti. Sed quia ipse in posterioribus penes motos pedes suos dixit: ne quid oriatur hinc scrupuli, considera hinc doceri nos affectum poenitentiae, ibi opinionem eius erroris excludi, quod diuitiae & successus prosperior flagitiosorum nos mouere non debeant. Consuetudo autem locutionis in scripturis diuinis huiusmodi reperitur. Sic enim & alibi: *Dum conuerteret Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati.* Quamquam sanctus non in ostensione verborum, sed in virtute spiritus probari se velit. Sensus ergo nobis spectandus est semper: quem etiam ipsum frequens translatio ex Hebraeo in Graecum, ex Graeco in Latinum attenuare consuevit. Ad omnia itaque superiora pulchrum remedium, quod in flagella paratus est, & offert se Domino, ut quae placuerint Deo, flagella sustineat. Elegisse quidem lego sanctum David flagelli genus, quod aequanimiter sustineret. Sed elegit, quia de tribus ei conditionibus eligendae vnus necessitas mandabatur. Vbi autem non mandatur, ad omnia paratus est Dei seruulus, seu corporalem aegritudinem subeat, seu fugam a facie inimici, siue obitum filiorum, quos non timet praemittere, quia recipere potest imperterritus. Nam & sciens quod si hic fuerit punitus supplicio temporali, leuare in futurum perpetuae possit poenam aeternae. Rogat ergo recipiatur petitio sua, & castigetur ipse, ut recipiatur. Castigat enim Dominus omnem filium quem recipit. Si seruulum tuum videas peccata propria consententem, vltro offerre se poenae, insecteris, ignoscis: & de Domini miseratione diffidis? Iudex ipse cui non licet in plurimis causis a gladio temperare, quia legibus seruit, potest tamen lucrum donare poenarum: & tu adhuc trepidas quid a legum domino & misericordiae auctore deprecas, cui lex voluntas est, & donandi ius? si tamen tu petas tibi tua peccata donari, nec consideres honores tuos, aut erubescas amicos tuos, ne dignitatem tuam deflexisse videaris. Amicus Dei, propheta Dei, rex ab ipso electus Deo, & vnctus in regnum, flagellis se spontaneus offerrelat, nec erubescibat: & tu erubescis? Non multum ista verecundia tibi oportulabitur cum ad iudicium Dei veneris: sed pudoris te istius poenitebit cum in conspectu non solum hominum, sed etiam angelorum & omnium potestatum caelestium constitutus ceperis peccata propria non negare. Quomodo excusabis, cum tanta commiseris? Praetendens conditionis infirmitatem, quia nemo sine peccato? Respondebitur tibi: De-

buiisti ergo agere poenitentiam, dederam remedium: cur refutasti? Subtexes pudore, quod honores tuos erubueris? Dicit: Si tu erubuiisti me coram amicis tuis, & ego te erubescam coram patre meo qui est in caelis. Disce verum esse quod scriptum est, quia est verecundia adducens peccatum. David in conspectu suo dolorem suum ponebat, ne vnquam obliuisceretur: David iniquitatem suam ipse pronuntiabat: David de peccato suo, non de opibus cogitabat: David non erubescibat sua recensere peccata, ne de his erubesceret in meo iudicio constitutus: & tu erubescas? Non esset hodie in requie seruulus meus Iob, si erubuiisset tres illos reges amicos suos: nec ipse David, si erubuiisset delicta propria confiteri. Ergo quia non erubuit mihi sua aperire peccata: nec ego erubescam ei mea secreta referere. Et quia vterque eorum non erubuit factorum suorum pretium in mea ponere potestate, meo se iudicio voluntateque committere: nec ego de talibus seruulis erubescam, ut appellem amicos, qui meam studuerint facere voluntatem. Ideoque, quoniam illi antea in meroere, nunc in consolatione: tu quia in deliciis, nunc in suppliciis. Chaos inter vos magnum est: ut neque illorum ad te gratia, nec tua ad illos possit poena transire. Audis ergo quid dicat David? Audi, dum tibi corrigere, & emendare permittitur. Si hic emendaueris, illic requiesces. Non te dulcia mundi & saeculi huius amoenae delectent, graue enim se mouere consueverunt. Non ille iucunda quarebat positus in regno, qui potius eligebat mortem sanctorum, quam vitam flagitiosorum.

Inimici mei viuunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam subsecutus sum iustitiam,

*Inimici mei viuunt, &c.* Quanto illustrior ille, qui quotidie moriebatur, ut populum suum viuificaret, & corpus suum mortis vulneribus offerebat? sicut ipse ait: In mortibus frequenter. Mors enim honesta, redemptio vitae est etiam decoloris, aut innoxiae firmamentum. Exitus autem mortis in manu vitae. Et ideo malebat Apostolus quotidie mori, ut vitam suam meritum comprobaret. Scriptum est enim: Non laudes hominem in vita sua. Qui enim viuunt, moriuntur: qui moriuntur, resurgent. Propior ergo saluti est qui moritur ut resurgat, quam ille qui viuunt ut moriatur. Quis est autem qui quotidie moritur, nisi qui mortem Domini Iesu sua carne circumfert, ut omnia ei peccata moriantur? Confirmati autem & multiplicati sunt inimici David in hoc saeculo: sed non idoneum firmamentum, nisi eius qui confirmatur a Christo. Denique illi confirmantur in saeculo: qui oderunt iustum inique. Non ergo iustum odium, sed iniustum cum odissent inique. Sed vide distantiam. In posterioribus ait: *Qui oderunt me gratis, hic habet: Qui oderunt me inique.* Sed ibi ex persona Christi, hic ex persona sua. Vbi ex persona Christi loquitur, gratis odio habetur: vbi ex sua, inique. Homo enim potest vni alicui vulneri non patere, utpote iniustitiae, intemperantiae, impudicitiae;

1. Petr. 2.

Esai. 53. Hier. 51.

Ioan. 18.

Esai. 50.

Luc. 1.

Psal. 23. Dan. 13.

2. Reg. 16.

Esai. 45.

Luc. 4.

Psal. 49.

Exod. 23. Matt. 12.

Psal. 72.

Psal. 125. 1. Cor. 2.

1. Paral. 21.

Hebr. 12.

1. Reg. 16.

Iob. 14.

Luc. 9. Eccl. 4.

Psal. 37.

Iob. 42.

Ioan. 16. Luc. 16.

1. Cor. 15.

2. Cor. 11.

1. Cor. 15. Eccl. 11.

1. Cor. 15. 2. Cor. 4.

Psal. 68.



Ioan. 8.

Heb. 7.

aliis autem vulneribus patet. In Christo autem nulla causa esse potuit qua peccati alicuius potuerit vulnus accipere, immunitis a culpa, & integer a delicto, atque immaculatus a vitio. Sunt autem qui putant utrumque Psalmum ex persona Christi esse decursum, qui pro nostris peccatis satisfaciebat patri. Hic ergo dicebat se appetitum contra iustitiam, illic contra gratiam. Et bene addidit, ut probaret se iniuste appetitum: *Quoniam subsecutus sum iustitiam.* Quanta vis verbi in vnus syllabæ adiectione, ut subsecutum se diceret iustitiam, non secutum? Propior est enim qui subsequitur, quam ille qui sequitur: & suppar, quam par: & successio hæredis magis quam cessio nuncupatur. Et tamen quâuis subsequatur iustitiâ non suæ virtutis putat esse, sed gratiæ celestis, si non deseratur a Christo; eoque orat impensius, dicens:

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris a me.

Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

*Ne derelinquas me Domine.* Hoc est, homines me dereliquerunt, amici mei impugnaverunt dilectum sibi proximum: non appropinquarunt. Fugiebant me quasi mortuū, & abominati sunt, quia peccata mea tibi aperire desideravi, tibi confiteri, quia flagellis tuis me obtuli vulnerandum, quia elegi cicatrices vulnerum super epulas regum, & iactantiam potestatum. Tu solus me non derelinquas, tu hæreas servulo tuo, qui de terra sulcitas inopem, & de stercore erigis pauperem. Tuo comitatu fretus, frequentior me ambientibus populis æstimabo. Computruerunt quidem cicatrices meæ: sed adhuc tuorum verberum desidero cicatrices, quæ sanatis vulneribus obducuntur, ut postea nullum vlcus appareat.

Psal. 112.

Hier. 30.

Apo. 22.

Rom. 7.

Bonæ triumphalium vulnerum cicatrices, quibus victores huius terreni prælij gloriantur. Quanto illustriora vulnera, quæ pro fide & nominis tui gloria videntur excepta? Ista est cicatrix quæ caelum aperit, regnum acquirit, immortalitatem inuenit. Hæc ergo est cicatrix beata, quoniam beati qui lauerunt stolas suas in sanguine agni. Sic cepit stola esse gloriæ, caro mortis: in qua & Paulus antè periclitabatur electus Dei, nisi perisset se liberari de corpore mortis huius, ut legimus. Et ideo qui sumus in hoc corpore mortis, oremus ne bonus ille dilectus Dei medicus nos derelinquat, quem patriarcha Dauid ne à se discederet precabatur. Ipsi nos committamus, parati quo velis curari medicamento. Nemo dicit medico corporis sui, quemadmodū sit curandus. Nouit medicus, quæ singulis vulneribus medicamenta cōueniant, cuius vlcis putredo ferro sit amputanda, ne in totius corporis serpat exitium. Si dixerit medicus medicinæ genus quo curari æger debeat, & ille fastidiat: discedit medicus, & ægrum relinquit. Vide cum qui curari velit, omni genere medico acquiescentē. Attende ordinē. Aperit primò vulnera sua medico, & dicit: Cura me: sed rogo ne in ira tua, quia non sustinet iræ medicinam infirmitates meæ. Medicina Christi, correptio est. Corripit enim Deum quem vult conuertere. Ideo & Paulus ad medicum

Hebr. 12.

2. Tim. 4.

dicat: Argue, obsecra, increpa. Non ergo recusat curari, qui petit argui, sed leuari vult poenā, ne in ira arguatur, & impetu iræ corripiatur. Et vide processū. Primò petit argui: postea (quod maius est) corripi. Deinde nō solum confitetur peccata sua, sed etiam numerat & accusat. Nō vult enim latere sua delicta. Nam ut febres in alto sitæ non queūt mitigari, cum foras eruperint, sp̄e afferunt definēdi: ita peccatorū morbus dū tegitur, inardescit; si confessionibus proditur, euaporat. Et ideo iustus accusator est sui in principio sermonis, priusquam contagio vlcis serpat intrinsecus. Grauat enim cōscientiam memoria delictorum, nisi medicina poscatur. Et si differt medicus, æger offerre se debet, ut citius secetur: sicut offerebat se Dauid in flagella Domini, dicens: Ego in flagella paratus sum, & alibi: Fiat man⁹ tua in me. hoc est: Redde mihi duplicia peccata, dūmodo hinc vindices. Noli me deserere, noli auertere faciē tuam à me: noli dedignari atq; horrescere foetorē vulnerū meorum. Et Iob seruus tuus percussus erat vlcere à pedibus vsque ad caput, & remedium suæ sanitatis inuenit: licet illud vulnus virtutis fuerit, istud erroris. Foetebant vulnera, quæ medici curare non possent. Locutus es Domine mysteria sacramentorum tuorum, manifestasti venena serpentis, & folius sermonis tui medicamēto serui tui curata sunt vulnera, quia tu eū non deseruisti: & non derelinquas me Domine Deus meus ne discesseris a me. Homines me dereliquerūt, quia sordent illis vulnera meæ, quæ pietati tuæ putauī esse reseranda. Illi dicunt: Exi à nobis, quia peccator es tu: discede, ne nos polluas. Tu autē Domine curas, & non pollueris: adiuuas, & non contaminas: quia Deus salutis meæ es, & manus tua nō perdere, sed sanare consuevit. Compleuimus Psalmum etiam cum eius interpretatione versiculi quē Græci nonnulli codices habēt, sed omnes Latini. Nā ante responsum proximum versiculus est: Et proiecerunt me sicut mortuū abominatum; hoc est, illi qui reddebāt mihi mala pro bonis. Sed tu, ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris a me. hoc enim sequitur: id est, Tu ne derelinquas, qui mortuum foetentē curare consueisti. Deniq; habemus hoc in Euāgelio. Nam cum venisset ad monumentum Lazari, & dixisset: Tollite lapidem; ait Martha: Iā foetet, quatri-duanus est enim; respondit ei: Non dixi tibi, quia si credideris, videbis gloriam Dei? Et clamauit Lazarum, & sanus exiuit. Credamus ergo & nos, ut de vulneribus nostris acquiramus medicinā salutis, & futuram gloriam. In orationibus igitur & obsecrationibus, cū dolore & lacrymis exigenda poenitentia est, ut illam gloriam Dei videre mereamur. Neque moueat quod luctus, dolor, cōmaceratio corporis, grauissimæ passionis sunt. Et si grauissimæ videntur, tamen indignæ sunt huiusmodi passionis ad superuenturam gloriam: sicut testis tibi est Apostolus Paulus. Non pigeat ergo nos hinc leuiora ferre, ut ibi plena laudis & gloriæ possimus adipisci, pro temporalibus laboribus perpetua præmia reportantes, per Dominum Iesum: cui est laus, honor, gloria, perpetuitas à sæculis, & nunc, & semper, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

Prouer. 18.

Psal. 37. 54.

1. Paral. 21.

Psal. 40.

Iob. 2.

Iob 5.

Psal. 142.

Psal. 54.

Ioan. 11.

Roman. 8.

2. Cor. 4.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS, IN PSALMVM DAVID XXXVIII.

ENARRATIO.

Titulus Psalmi XXXVIII.

In finem pro Idithum canticum ipsi Dauid.

psal. 37.

1. Paral. 25.

1. Cor. 9.

1. Petr. 1.

1. Cor. 7.

Ioan. 14.

Ioan. 11.

Mat. 10.

Psal. 84.

Psal. 34.

Ephes. 6.

Prouer. 19.

**I**N superiore Psalmo expressa forma poenitentia est, in hoc sequenti patientia forma signatur. Quem Psalmum Dauid scripsit, & Idithum viro disciplinis Leuiticis & sacerdotalibus erudito canendum dedit: qui ante arcam Domini Psalmorum seriē pangendi solertissimus præcinebat. Ergo quia non Idithum scripsit hunc Psalmum, sed propheta Dauid, & Idithum viro canendi perito psallēdum dedit: ideo sic inscriptus est titulus. Denique etiam in sæcularibus scriptis alij erant qui scribebant, alij qui in scena vel cantica vel comœdias vel tragœdias canere consueuerant. Et illi quidem coronam Olympicam postulabant: vnde & *ἑρμηνεύων* hymnum eorum scripta in fine testantur. Dauid autem qui non hæc ferta coronarum marcentium requirebat, sed illam incorruptibile & incontaminatam remunerationum celestium hæreditatem pio desiderabat affectu, hymnum non victoria *ἑρμηνεύων*, sed ei scripsit, qui victoriam in se credentibus impertiebat, qui finis est omnium quæ pia mente deposcimus. Siue enim sapientiam quæras, siue virtuti studeas, siue veritati, siue viæ atque iustitiæ, siue resurrectioni, in omnibus tibi sequendus est Christus, qui est virtus Dei atque sapientia, veritas, viâ, iustitia, resurrectio. Ad quem igitur contendas, nisi ad perfectionem omnium, summamque virtutum? Et ideo tibi dicit: Veni, sequere me. hoc est, ut ad consummationem virtutum peruenire merearis. Ergo qui sequitur Christum, ipsum pro possibilitate sua debet imitari, ut præcepta eius secum ipse meditetur, & diuinorum exempla factorum. Et ideo Dauid secum ipse meditabatur, quod Christum in se locutū esse retinebat: ut cum aliqui ei essent molesti, & cum ad contentionem laceessere conarentur, patientiâ indueret, certandi studia declinaret, ex quibus inanis strepitus & iurgia frequenter oriuntur. Ideoque cum sancto Dauid plerique eius virtutibus inuidētes, qui eū de proposito mansuetudinis, & humilitatis affectu crederēt diducendum, frequenter inguerent, ipsæ quoque præcipuè nequitia spiritalis in celestibus, aduersus quas graue luctamen est iustis, ad commouendum eum ministrorum suæ improbitatis impellerent: nō inter obstrepentium crebra certamina, & disceptationum tumultus sermo aliquis sibi offensionis excideret, taceat sanctus Propheta proposuit. O validum scutum, circumspiciat munitionis silentium. O fidissimum stabilitatis fundamentum: in quo si quis potuerit stare, lubricum verbi timere non possit. Multi enim etiam stabili corde firmati, incauti tamen, sermonis fluctuantis errore sæpe ceciderunt. Videns igitur huiusmodi insidiis & vano concertantium

astreptu se Propheta tētari, intra se ipse tacitus conferebat, legem sibi taciturnitatis imponens: & cum taceret, insultantibus sibi, & ut loqueretur aliquid prouocantibus, qualia solent insolentium esse certamina atque sermones: Responde nobis, si de æqualitate præsumis. Vides & tu esse te victum, & nihil habere quod referas? cum se propè ad vocem conuiciis videret impelli, se ipse renocabat, ut loqueretur in corde.

Psalmus trigesimus octauus.

**D**Ixi, custodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea.

Dixi: hoc est, proposui, cōfirmaui, imperaui mihi, locutus sum cordi meo: *Custodiam vias meas.* Si alius dixissem, sermo meus stare deberet: quanto magis stabile debet esse quod mihi ipse constitui? Si quis alienum fallat, indecorum est: si quis proximum, graue: quāto igitur grauius, si quis se ipsum eo quod sibi promiserit, putet esse fraudādum, ut ipse sibi infidelis suo iudicio & despicibilis æstimetur? Cui enim idoneus videri potest, qui sibi vilis est? Teneamus igitur animæ constantiam nostrā, ne in offensionem labia loquendi festina prorumpant. Et Iob plagam suam silentio vicit, & tolerantiam suam taciturnitate superauit. Non bene creditur carni. Vicissemus, si Eua tacuisset. Ergo primum illud processit ex voce peccatum, & serpens ille nequissimus atque verlutus per vocem nos antè tentauit. Atque utinam aut Adam surdus fuisset, aut Eua obmutuisset. Ille, ne vocem suæ vxoris audiret: ista, ne loqueretur marito, & lubricæ vocis ministerio serpentis in virum venena transfunderet. Cain quoque etiam par-

ricidio naturam violauit humanam, & obliterauit impius iura pietatis, tamen per vocem sacrilegium scelere suo addidit, ut negaret Deo necati fratris interitum. Quid de singulis dicam? Populus ipse electus à Domino, cui tacitus Moyse aperuit mare, ingratus celestibus beneficiis obmurmurabat: quo diuinam contraxit offensam. Deinde ipsum ducem inuij illius atque inuitati itineris Moysen respuit, & à fratre eius Aaron deos sibi fieri quos coleret, postulauit. Vndæ etiam ipse considerans tanta vocis pericula: Dixi (inquit) *custodiam vias meas.* Quæ sint autem istæ viæ hominis, quæ & magnopere præcauendæ, ne quid grauioris offensionis incurrant, admonet nos tantus Propheta diligētius considerare. Admonet etiam Salomon eius filius paternæ mentis interpres perspicacius examinare, qui scripsit: Tria mihi sunt impossibilia intelligere, & quartum quod non agnosco: Vestigium aquilæ volantis, &

Iob. 2.

Genes. 3.

Genes. 4.

Exod. 14.

Exod. 16.

Exod. 32.

Prou. 32.

viam serpentis in petra, & semitas navis nauigantis, & vias viri in iuuentute. Talis via mulieris adulteræ, quæ postquã egit, abluta, nihil egisse se dicit iniqui. Tria ergo impossibilia sibi esse dixit ad intelligendũ, & quartum, quod ille habens inter homines sapientia signaculum, non agnosceret: viarum videlicet viri in iuuentute processum. Quarum igitur est vel inexplicabilis vel difficilis agnitio, potest facilis earum esse custodia? Vnde non immeritò ipse Dauid delictorum iuuentutis suæ non defensionem obtulit, sed obliuionem rogauit: Delicta, inquit, iuuentutis meæ, & ignorantie meæ ne memineris. Non immeritò igitur Salomon dixit se nõ agnoscere quod pater eius (in quo maior Dei gratia fuit) se ignorasse testatus est. Et fortasse delicta iuuentutis ad feruorẽ retulit carnis, ignorantia autem ad verborum prolapsionem: quæ non ex sententia nostra, sed impetũ quodam & cursu loquendi plerumque funduntur: quod periculosum esse Propheta cognoscens, ait: Credidi, propter quod locutus sum. Supra fundamentum ergo virtutis vox tuta est, sine fundamẽto, lubrica. Ideo quasi quodam tubæ sono scripturæ diuinæ electus interpretis increpuit: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Fides credentium principalis est, confessio executionis. Quomodo igitur proposuerit sanctus Propheta Dauid, aut propter quid custodire vias suas, audiamus: *Et non (inquit) delinquam in lingua mea.* Si hoc cauet Propheta, tu non caues? Si hoc metuit, in quo Dei gratia loquebatur: tu non metuis, qui erroris verba non refugis, & theatralibus sermonibus delectaris? Tu non reformidas, cui scriptum est in Euangelio, quia pro omni otioso verbo rationẽ es redditurus? Si pro otioso verbo periculum est, quãto magis pro criminoso? Non omne quod otiosum, & criminosum: sed omne quod non fructuosum, periculosum atque eradicabile. Omnis enim arbor non faciens fructum, excidetur, & in ignem mittetur. Cũ mouetur animus & exagitur stimulantibus aduersariis, obstreperantibus, illudentibus, criminantibus, excidit verbum commotionis. Ideo silentiũ & tutum est, & decorum, quod seruat cum grauitate cautelã. Quid enim labia nostra, nisi quædam nostra vincula sunt? Denique vinculis labiorum suorum vnusquisque constringitur. Ideo sapiens in tempore tacet, & secum ipse considerat quo tempore loqui debeat. De quo præclare ipse Salomon: Labia sapientis alligata sunt intellectu. Quando ergo vides illudentibus proteruis sapientem tacere, dic: Ligauit iste intellectu labia sua: hoc est, prudenter tacet, ne labiorum suorum vinculis alligetur. Posuit ori suo custodiam: sepsit aures suas spinis, veterem adhibuit foribus oris sui, seruat thesaurum cordis sui, & argentum eloquij sui, vt examinatum & purgatum quãdo oportet proferat: ne quisquam prius fur in cor eius aut perturbator irrumpat, & ad eos captiuum trahat, quibus flagitia sua vendat. Meditabatur Iudas Christum vendere: sed reuocabat eum tanta Domini gratia, & quædam paternæ delinimenta pietatis, quibus furor eius mollebat: nec erupisset in scelus, nisi se in cor eius, quia Christum fallere se putabat, aduersarius demersisset. Non ergo dubites quando aliqui tibi molesti sunt volenti seruare iu-

stitiam, ministros esse illius nequissimi, qui omnium auctor est flagitiorum. Videbat Dauid propheticis oculis, agnoscebat eius figuram: ideo tacebat, ne illius faceret voluntatem, qui turbare gestit affectum. Premebat vocem, claudebat portas suas silentio, prætendebat in eo patientia, & taciturnitatis vigilabat custodia, ne inimicus obreperet, ne de castris oris vãgus aliquis sermo & incautus exiret. Ideo fortior est patiens, qui seipsum continet, quàm qui vrbes capit. Iustus ipse sibi castrum est, ipse sibi perunigil custos. Cũ sibi ergo ipse prætenderet, loquebatur in suo corde:

Posui ori meo custodiam, dum consistit peccator aduersum me.

Adest semper inimicus, qui semper insidiatur. Etsi illum non vides, adest: etsi illum non sentis, incurfat. Si non vides, videnti crede. *Consistit* (inquit) *peccator aduersum me.* Qui videt peccatum suum, videt etiam peccatorem sibi in iis quæ gesserit illudentem. Qui autem peccatorem præuiderit, potest vitare peccatorem. Videbat Dauid consistere aduersum se peccatorem, quando Semel maledicebat & lapidabat regẽ suum, & clamabat: Exi vir sanguinũ. Neque enim tam præruptus foret, vt nec tanti regis reuerẽtia, moueretur, nec armatũ eius timeret exercitum, cum vnus de exercitu eius conuiciantem potuisset occidere: sed amentem diabolus fecerat, qui eum impellebat ad mortem. Ideo Dauid aduersus auctorem magis præliabatur, quàm ministrum persequebatur. Quid enim magnum, de homine inualido vindicari, quem ad furorem alter vrgebat, in cuius nece peccator habuisset voluntatis effectum? Non gladio diabolus, sed verbo Dei vincitur. Ideo taceat lingua hominis, Dei verbum loquatur. Denique & Christus tacebat ante Pilati iudicium constitutus, vt nobis daret formam tacendi: quia lingua corporis facilis est ad errorem, proliuis ad lapsum. Sunt autem & qui tacentes loquantur, sicut Moyses qui stabat attonitus, & tacebat: cui dixit tacenti Deus: Quid clamas ad me? Vt Susanna, quæ tacuit in periculis suis, & Dominus exaudivit eam. Ergo etiam si in te verbum Dei fit: & tacebis in Dei verbo, & tacitus clamabis, vt audiaris à Christo. Meditare ergo quæ Christi sunt, quæ secum meditabatur propheta Dauid, in quo ea quæ secum in hoc Psalmo meditatũ esse se dicit, antè in eo locutus est Christus. Sic enim scriptum est: Ego autem cũ in aliquo mihi molesti essent, induebam me cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur. Quid est, in aliquo? Quia tunc maximè aut sermo importunus elabitur, aut affectus mouetur, quando vel in dolore aliquo & tristitia sumus, vel indignatione animus agrescit, vel aliquibus sollicitudinibus impeditur, aut discepcionibus occupatur. Qui igitur molesti? Primum de ipso auctore peccati & angelis suis intellige: deinde de iis qui malunt sequaces eius esse quàm Christi. Impellitur vxor, vt sancti Iob: amicus, quod in illo ipso libro manifestatur: filius, vt Abeffalon: seruus, libertus, domesticus; quia inimici hominis etiam domestici eius, vt exagitent eum singuli. Quod igitur remedium aduersus huiusmodi

animorum egritudines, nisi patientia, nisi silentium? A Et (quod est grauius) ille te magis lacescit qui beneficiis tuis vsus sit: & inter ipsos amplius ille exasperat, qui plus tibi debeat: quò magis ingrati hominis acerbitate, aut vilis alicuius personæ indignitate moueris. Ergo iustus, etsi amicus ei est insolens, dolet pro amico, quia idcirco amicus suus labitur, quia à tentatore impellitur. Si pro amico dolet, multo magis pro vxore, pro filio, si eos quoque sibi insolentes experiatur. Et si frater exagitat, vt Esau sanctum Iacob: dolet, & querit sibi fratrem reconciliare, vel fugere à facie eius, vt Rebecca suadebat, ne iracundia fratris occasionem nocendi aliquam reperiret. Et si proximus aut domesticus, dolet: & si minister aut libertus aut seruus, fert patienter, & in his omnibus tacet, ne ei respondeat à quo eum cernit impelli. Conuiciatur ergo ex domesticis aliquis: dolet & tacet. Conuiciatur libertus: tacet. Conuiciatur seruus: tacet. Sic vincitur qui laqueum eius animæ per escam vocis extendit. Tace ergo & tu cũ tibi indignus conuiciatur. Tace cũ tibi seruus, & maximè tuus, contumeliam facit, & dic in corde tuo: Ego taceo, tu autem ne taceas Domine, & adde: Ne discedas à me; vt Dauid propheta dicebat, hoc est, ne solum me impugnantibus derelinquas. Non est enim solus, cui Deus præsens est. Accipe testimonium: Ecce, inquit, venit hora vt dispergamin vnusquisque in sua, & me solum relinquantis: sed non sum solus, quoniam pater mecum est. Iustus ergo aduersus insultantes sibi tacet, iustus orat. Audi iustum orantem: Pro eo vt me diligere, detrahebant mihi: ego autem orabam. Iustus maledicentibus sibi benedicit: vt faciebant Apostoli, sicut Paulus asserit, dicens: Maledicimur, & benedicimus. Iustus diligit inimicos suos. Vide quemadmodum paulatim per gradus singulos ascendere docetur ad incrementa virtutum, dicente Domino: Diligite inimicos vestros. Iustus orat pro calumniantibus: quia & hoc præcipit Dominus, adiungens: Benefacite iis qui oderunt vos, orate pro calumniantibus & persequentibus vos. Ipse est per omnia iustus, qui hæc custodit & seruat. Primum, quia tacet, & non respondet inimicis. Deinde, quia orat: hoc est, non est otiosus affectu. Et qui orat, bona orat, non ea quæ cuique possint suo inimico nocere. Plus est ergo orare, quàm tacere. Iustus maledicentibus sibi benedicit. Plus est & hoc quã orare pro se. Securus enim sui benedicit ei quẽ non timet, aut etiã ei quẽ antè metuebat. Iustus diligit inimicũ. Plus est diligere, quàm benedicere: quia maior est mentis dilectio, quàm sermonis gratia. Iustus benefacit ei cuius odius appetitus est. Iustus orat pro calumniantibus. Bona charitas, & pietas bona, vtrumque Dei, & vtrumque est Deus: quia charitas est Deus, vt dixit Ioannes in epistola. Ideo vtrumque coniunctum est: Diligite inimicos vestros, & orate pro calumniantibus & persequentibus vos. Plenitudo legis est charitas: sed etiam hæc Euangelij plenitudo, pro calumniantibus & persequentibus nos iubet orare, vt peccatis eorum veniam postulemus: sicut diuino iudicio Iob sanctus electus est, cuius oratio regum illorum calumniantium iusto aboleret offensam. Ergo etsi infirmus es, ora: etsi fortis es, ora. Infirmus pro te oras, for-

tis pro inimico tuo oras. Bonum scutum infirmitatis, oratio. Tu oras, & Dominus te protegit. Bonum scutum etiam triumphantis, vt inimicũ tuum quem possis ferire defendas, ne ab aliquo trucidetur. & (quod est maius) à Christo, qui dixit: Mihi vindicta, ego retribuam. Hæc est oratio quæ in sinum conuertitur deprecantis, fructum referens eorum quæ voluit impetrare, vt dona eius ad animam ac mentem recurrant, quæ poposcit à Domino: sicut in posterioribus hic idem Propheeta te docuit, dicens: Sic benedicã te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas. Tamquam adipe & pinguedine repleatur anima mea. Ipse est finis animæ, secretum orationis eius, penetralia voluntatis, & quædam recurrentium votorum rima receptacula. Vnde & iusti in Abrahæ sinu requiescere leguntur: quòd in eius gratia, in eius requie, in eius placiditate requiescant, qui conformem ei induerint fidem, & eandem in bonis operibus fecerint voluntatem. Sed fortè miretur aliquis, quom Dominus dixerit per os Dauid quòd humiliabat in ieiunio animam suam; quomodo ipse Dauid ait in posterioribus: Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam. Verũ ex his considera aliud esse quòd ad sapientiam mentis refertur, aliud quòd ad humilitatem cordis. Sapientia mentis sublimis est, sapientia autem carnis non debet inflari. Humiliabat ergo Dauid in ieiunio animam suam, vt castigandum nostræ carnis tumorem doceret. Exaltabat animam Propheeta, per sublimem Dei gratiam: quoniam & qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Nec solum superbus retunditur, & humilis attollitur digna remuneratione meritorum, sicut primum est intelligendum: sed (quia verbum Dei ex omni parte acutum est, velut gladius qui ex duabus acutis est partibus) ego arbitror posse intelligi, quia & qui se exaltat, nouit se humiliare: & qui se humiliare nouit, etiam exaltare se nouit. Quod Paulus ostendit, dicens: Ego autem didici in quibus sum, sufficiens esse. Scio & humiliari, scio & abundare. Ergo & Dauid non humiliter sentiendo de Christo, quem humiliat & deiiciunt Ariani, exaltabat animam suam: hoc est, sensus vigorem, fidei gratiam, virtutem humilitatis pio repræsentabat affectu. Ideo ergo dicebat:

Obmutui, & humiliatus sum, & filui à bonis: & dolor meus renouatus est.

Obmutui. Quia nouerat quando se humiliare deberet, & nouerat quando filere deberet. Obmutuit, ne ipsa litigiosa cum obiurgantibus contentione periret: humiliatus est, vt tumorem deiicere superborum, vel vt ipsos quomodo humiliare se deberent, suo doceret exemplo. Siluit à bonis, quia bona conscientia non eget defensione verborum, quæ suo nixa est testimonio, ipsa sui index. Ideoque iustus dicit: Quis contradicat, aut quis resistat mihi? Et Paulus dicit: Mihi enim pro minimo est vt à vobis diiudicer, aut ab humano die. Aduersum calumniantes & peccatores iustus suo iudicio contentus est: meritorum autem

Psal. 24.

Psal. 115.

Rom. 10.

Matth. 12.

Matth. 3.

Prov. 5.

Ecl. 20.

Prover. 15.

Ecl. 28.

Psal. 11.

Ioan. 13.

Prover. 16.

1. Reg. 27.

Psal. 34.

1. Reg. 16.

Psal. 108.

1. Cor. 4.

Matth. 5.

Ibidem.

Ephes. 6.

Matth. 27.

Iacob. 3.

Exod. 14.

Dan. 13.

Psal. 34.

Iob 2.

2. Reg. 15.

Mich. 7.

Rom. 12.

Psal. 34.

Psal. 62.

Luc. 16.

Psal. 34.

Psal. 130.

Psal. 34.

Psal. 130.

Luc. 14.

Heb. 4.

Philip. 4.

2. Cor. 1.

Esai. 50.

1. Cor. 4.

Ibidem. Pſal. 102.

suorum iudicium Christo referuat. Ideoque addit: Qui diiudicat me, Dominus est. Pulcherrimè cum iudicem elegit, qui nulla fraude fallatur, vt cum nec occulta praterant, nec infirmæ conditionis lapsus offendat: qui fragilitati norit ignoscere. Ad omnia igitur vile silentium. Si peccatum agnoscis, tace: ne negando exaggères. si non agnoscis, tace, securus de innocentia. Non possunt aliena verba crimen affigere, quod propria non recepit conscientia. Sequitur: *Et dolor meus renouatus est.* Adhuc in inferiore virtutis gradu positus hæc verba depromit: quod dolor sibi peccatorum veterum obiectione renouatus sit, quæ deletam obduxisse videbatur obliuio, vel bonorum operum texerat compensatio. Denique in posterioribus quasi fortior dicit: Viderunt me, & mouerunt capita sua: eo quod minarentur, & nocere non possent. Et addit: Maledicent illi, & tu benedices. Et hoc quasi validior loquitur, negligens iniuriæ vel pudoris: cui benedictio Domini pro omnibus abundaret. Ergo in isto Pſalmo trigésimo octauo quasi in quadam meditatione, nondum tamen in omni locatus perfectione virtutis, dicit sibi dolorem esse renouatum. Validissimus enim cicatricis offensionem sentire non nouit, nec plagam potest timere qui fortior est expectare vt inferioris ictu aliquo laceſſatur, quò acrior offensus insurgat: ita exercitatione nimia atque patientia roboratus, vt tamquam insensibilis ad dolorem, plagam sentire non possit, percussus ridet, laceſſitus minatur. At verò inferior si fortè ictum ferientis supra obductam cicatricem veteris vulneris exceperit, renouatum sentit dolorem. Sic est cui obieciuntur peccata superiora, quæ competenter doluit atque desenuit, vt satisfactione congrua vulnere peccatorum suorum obduceret cicatricem. Si perfectus est, tacet conuiciantibus, nullo sibi dolore renouato: quia etsi peccauit, securus est: quia sine pœnitentia sunt Dei dona: & ideo quæ semel donauit, resolueret ac renouare non solet, cum ipse dixerit: Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates, & memor non ero. Si autem imperfectus & immemor cælestium præceptorum, dolor ei tamquam reſciſſa cicatrice reparatur.

Pſal. 108. Ibidem.

Iob 19.

Rom. 11.

Eſai. 43.

**Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.**

Grauiora vulnera, sicut nouimus, caustico medicamento vel admoto igne curantur. Ergo vir sapiens ipse medicus est sibi: & si medicus est, vulnus suum curat. Ideoque si non plenè consummatus est ad offensæ habitudinem sanitatis, vaporatur eius cor, habet febrem, ignescit ad obiecta conuicia. Et si tacet, vel intra se teritur. Lapis si ad lapidem teratur, ignem excutit. Ita etiam bona conscientia pudore succeditur, si renouetur ei suorum recordatio delictorum. *Et in ipsa meditatione ignis exardescit.* Non malus ignis, qui adurat, sed non exurat. Talis ignis quem Moyses in rubo vidit, quando rubus vrebatur, sed non exurebatur. Est ergo ignis qui peccatum minuit, & suo culpam ardore depascit. Est & ignis qui cælestium scripturarum meditationibus excitatur, velut ille de quo dicit Hieremias: Et erat

Exod. 3.

ignis flammigerans in ossibus meis. Aut ille de quo Cleophas, & qui simul iter agebat, quando post resurrectionem eis se Christus adiunxit, sermone mutuo conferebant, dicentes: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis cum aperiret nobis scripturas? Ideo & Dominus venit, vt ignem hunc in terram mitteret, quo illuminaret animas vniuersorum, studium accenderet, crimen exureret.

Hier. 20.

Luce 24. Luce 12.

**Loquutus sum in lingua mea: notum fac mihi Domine finem meum:**

**Et numerum dierum meorum qui est, vt sciam quid desit mihi.**

*Loquutus sum in lingua mea.* Bonus ignis, qui fecit vt propheta loqueretur. Et vide ne ipse sit ignis qui visus est, quando in die Pentecostes in vnum locum discipulis congregatis, decidit cum vi magna super eos Spiritus sanctus, & linguis variis loquebantur. Sic enim scriptum est: Quia visæ sunt linguæ eorum dispersitæ tamquam ignis. Hic est ergo qui dixit ad Hieremiam: Ecce dedi in os tuum verba mea ignem. Hanc ergo & David linguam ignis accepit, vt diuinæ cognitionis succensus ardore loqueretur: *Notum fac mihi Domine finem meum.* Non de morte sua querit (neque enim hic finis resurrecturo) sed de eo fine querit, de quo Apostolus dixit: Quia ille finis, quando Dominus Iesus tradet regnum Deo patri, & euacuabit omnes principatus & potestates, & quando mors nouissima succensus ardore destruetur, vt mala deficient, & bona æterna succedant. Et ideo dictum est: Fugit dolor, tristitia, & gemitus. Hunc finem in hominibus operabatur & Paulus, dicens: Et quis est qui lætificat me, nisi qui contristatur ex me? Obiurgando enim dolorem, tristitiam, gemitus excitabat, vt agerent pœnitentiam, qua irruocabilem veniam & salutem, cuius Deum non pœniteret, mererentur. Ille igitur qui verus est finis, non vnus erit finis, sed omnium. Quomodo ergo finem meum dixit? Sed considera quis loquatur. Vtique homo, vel vnus ex hominibus vsus communitate substantiæ, vel qui ad formam vniuersorum describitur, & ad perfectionem consummati hominis eruditur. Vnde & addidit notum sibi fieri numerum dierum qui est, vt sciat quid desit sibi. Ad perfectionem vti que quid desit, non ad istius corporis vitam, de qua propheta David cupiebat absolui, dicens: Hec me quia incolatus meus prolongatus est, & habitauit cum habitantibus Cedar. Denique dierum numerum cognoscere volebat, non etiam noctium. Hic enim dies & noctes sunt. Ibi ergo dies soli, ibi lumen perpetuū atque diuturnum. Et ideo addidit: *Qui est.* Qui est, non qui transeat. Cælum enim & terra

1. Cor. 15.

2. Cor. 2.

1. Cor. 15.

2. Cor. 2.

Eſai. 35.

2. Cor. 2.

1. Cor. 9.

Ephes. 6.

Pſal. 89.

1. Cor. 15.

2. Tim. 2.

Pſal. 119.

Matt. 24.

Hebr. 13.

Ioan. 14.

1. Cor. 15.

Ioan. 14.

1. Cor. 15.

Ioan. 14.

1. Cor. 15.

Ioan. 14.

1. Cor. 15.

Ioan. 14.

1. Cor. 15.

Ioan. 14.

Pſal. 4.

& viam scitis. Est ergo via per quam resurgens Christus ascendit. Et ille quidem ascendit super omnes cælos ad Dei sedem: homines autem à primo cælo ad secundum, & deinceps à secundo ad tertium, & ab illo per distinctiones ferè ad septimum cælum, atque in ipsam apſida & summitatem cælorum qui merentur ascendunt. Si ergo numerus viarum est, & numerus mansionum, & vti que numerus dierum est, per quos ad cæli altitudinem peruenitur.

**Ecce veteres posuisti dies meos: & substantia mea tamquam nihilum ante te.**

*Ecce veteres posuisti dies meos.* Alius habet: *Palastias posuisti dies meos.* Si secundum Septuaginta viros veteres accipimus dies, hoc est, secundum veterem hominem, intelligimus exactos. Sed vetus homo noster affixus est cruci. Ergo & vetus dies præterit, nouus venit. Alius enim dies hominis, alius dies Christi, quem Abraham vidit, & gauisus est, de quo & David ait: Hic est dies quem fecit Dominus, exultemus & lætemur in eo. Sanctus ergo in die Domini exultat, in die nouo, in quo Deus Dominus illuxit nobis, & dedit nouam lucem in innoxia vitam & integram reformatis. Ideo vir iustus securus nouæ lucis & gratiæ Dei: Et erit, inquit, cælum nouum, & terra noua, & nouum lumen. Non enim lucerna & lumen solis illic lucebit, aut lunæ: sed Dominus illuminabit super populum suum. Illa ergo desiderauit, illa exoptauit: & ideo diem hominis non requisit. Quòd si palastias accipimus dies, ex nomine intelligimus plenos certaminis & laboris: quoniam palastæ luctatores in agone dicuntur, qui luctantur ad coronam. Ergo quia & nobis lucta nõ solum aduersus carnem & sanguinem est, sed & aduersus spiritualia nequitia in cælestibus: dies nostri, hoc est vitæ istius, in labore sunt & dolore. Vnde & in posterioribus ait: Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum, in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni: & plurimum eorum labor & dolor. Vnde & Apostolus Paulus abundantius ceteris Apostolis laborauit, vt legitimè certando ad coronam quam cuperet, perueniret. Sed tamen quia & architectorum mensuræ palastæ dici feruntur, quibus ad structuræ metiuntur, locum que eum in quo adificia sunt locanda, & per Eſaiam locutus est Deus: Quis mensus est manu aquam, & cælum palmo, & vniuersam terram clausa manu? quis statuit montes in pondere, & rupes in statera? videamus ne fortè hic sensus hoc sermone sit colligendus, quòd cognitos dies omnium habeat Deus: cui nihil immensum sit, qui omnia mensura quadam suæ scientiæ comprehendat, nihilque ei sit inæstimabile, nihil inexamatum atque innumerabile, qui ait: Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Hoc ergo dicit propheta: Ecce nouisti dies meos: non te prætereunt quotidiani actus mei: peccata mea ante oculos tuos posuisti: & ideo *substantia mea tamquam nihilum ante te.* Quid enim est homo, quia memor eius es? Homo vanitati similis factus est. Homo, licet in peccato, si aliquid habeat probitatis atque virtutis, rectè ceteris terrenis animantibus antefertur, & in conspectu

animalium quibus est præpositus, antecellit: in conspectu autem Dei tamquam nihil est eius substantia. Vnde & alibi ait: Quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis homo viuens. Quod Symmachus manifestius expressit, dicens: Et vita mea tamquam nihilum ante te: Sunt autem qui breues putant dies dictos, quia Symmachus *αἰσχυρός*, posuit. *αἰσχυρόν* autè palmus est: & quia palmo mensus dicitur Deus cælum (palmus autem portio manus est metientis, & aliquid comprehendentis) ideo tamquam breues dies æstimant nuncupatos, cum cognitio Dei per mensuram (vt supra diximus) possit intelligi. Cælestis autem ista cognitio, vt ad mensuram facta sint omnia. Non ergo breues, sed magni dies Prophetæ possunt intelligi, quos Deus mensus est palmo, quo mensus est cælum. Neque enim breues suæ vitæ dies diceret, qui postea ait: Heu me quia incolatus meus prolongatus est: nisi fortè quia propter peccata hominum breuioribus vitæ istius dies fecit Deus, quæ antè & nongentis & septingentis annis extendebatur, & nunc intra centum annorum curricula claudatur. Sic ergo intelligendum est: Ecce peccato obnoxios dies meos nosti. Dies enim vitæ huius, quæ peccato est obnoxia, breues sunt: dies autem vitæ æternæ, sine fine. Aut certè sic (nostrum est enim argumentis querere veritatem, tuum est eligere quid sequaris: Ne peccatum, inquit, cresceret, abbreviaſti dies vitæ humanæ qua viuimus in his terris: & tamen cum maturior in hoc breui cursu istius vitæ finis sit peccatorum, mortis celeritate *substantia mea tamquam nihilum ante te*: quia etsi ad imaginem & similitudinem Dei facti sumus, grauatur tamen nos in hoc corpore constitutos quædam terrena contagio, quæ non graualet, si nos exuere magis veterem hominem cum induimus gratiam, quam superuicere malle. Minorem etiam laborem nobis expoliatus homo vetus quam superuicistis afferret. Nam quod expoliamus, abicimus: quod superuicistis, induimus. Et ideo ingemiscimus & laboramus, donec mortale hoc veteris hominis indumentum, & errori effectum obnoxium, nouitate suæ vitæ spiritualis absorbeat: vt si supra venenum plurima mella fundantur, ægrè ac nimis serò veneni virus aboletur. Aqua etiam multa diu cum veneni melle luctatur, si non illud expuat, sed absorbeat. Ideo laboriosa pœnitentia, suaui gratia: quia peccatum expoliatur, vbi gratia est: absorbetur, vbi pœnitentia: ibi remittitur, hic absconditur. Et ideo scriptum est: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum reſta sunt peccata. Et requieuit paulisper, ingemiscens humanæ conditionis ærumnam, quia dixerat:

Pſal. 141.

Eſai. 40.

Pſal. 119. Gen. 5. Ecl. 1.8.

Iob. 14.

Gen. 1. Sap. 2.

2. Cor. 5. Ephes. 4.

2. Cor. 5.

Pſal. 31.

**Verumtamen vniuersa vanitas, omnis homo viuens.**

**Et quamquam in imagine Dei ambulet homo: tamen vanè conturbatur.**

**Theſaurizat, & ignorat cui congregat ea.**

*Verumtamen vniuersa vanitas, omnis homo viuens.* Et post diapsalma resumpto spiritu ait: *Quamquam in imagine Dei ambulet homo: tamen vanè conturbatur. Theſaurizat, & ignorat cui congregat ea.* Vide quomodo antè

Pſal. 1.8. Pſal. 143. Genes. 1.

Pſal. 1.8. Pſal. 143. Genes. 1.

Pſal. 1.8. Pſal. 143. Genes. 1.

Pſal. 1.8. Pſal. 143. Genes. 1.

Pſal. 1.8. Pſal. 143. Genes. 1.

Pſal. 1.8. Pſal. 143. Genes. 1.

Pſal. 1.8. Pſal. 143. Genes. 1.

Pſal. 1.8. Pſal. 143. Genes. 1.



asperitatem suae sententiae teperauit, postea ratione suae vocis absoluit. Teperauit dicendo, Quia in imagine Dei ambulat homo. Beatus homo, qui ad similitudinem Dei per fidem ambulat. Beatus, qui in te fidem habes: beator si auaritiam non haberes. Aliud bonum mentis est aeternum, aliud vanum, carnalis cupiditatis incendiū. Fides enim Deo militat, auaritia tētorii. Ista cōgerit quod sibi proficit: illa quod proficiat alienis. Quid igitur tam vanum, quam nescire cui laboret hāredi? Quis enim scit si sibi filius aut nepos proprius superuiuat? Saepē conditis tabulis testamenti scriptus hāres funereo ambitu testatorem praecedit ad tumulum, aut hāreditatē superstes absorbet, aut luxuriosus dissipat, aut stultissimus non tuetur, aut proscriptus amittit. Si quem ergo videris studiosē diuitias congregantem, dic & tu: Vanē conturbatur: thesaurizat, & ignorat cui congregat ea. Neque enim secum potest auferre quae possidet: & cum morietur, relinquet alienis diuitias suas. Succedit frequenter inimicus & ingratus, & decessori successor insultat. Quos ille dilexit, iste persequitur: quos ille nutriuit, hic vendit. Graecus tamen non habet: *In imagine Dei: sed tantummodo, In imagine.* In qua ergo imagine ambulat homo? In ea utique ambulat, ad cuius similitudinem factus est: id est, ad imaginem Dei. Imago autem Dei Christus: qui est splendor gloriae, & imago substantiae eius. Christus ergo imago Dei venit ad terras, vt iam nō in vmbra ambularem, sed in imagine. In imagine autem ambulat, qui sequitur Euangelium. Ideo discipulo suo dicit: Vade retro me, vt me sequaris. Ideo errauit populus Iudaeorum, quia in vmbra ambulauit. Ideo non errat populus Christianus, quia in imagine ambulat, habens solem sibi iustitiae resurgentem. Bona imago, non ceris picturae fucata radiantis, sed plenitudine diuinitatis expressa. In qua imagine & pater simul videtur & filius: quia per vtrumque eorum vnitas operationis effulget. Et si iā resurrexerit Christus, tamen in Euangelio nobis adhuc eius imago monstratur. Lego quod Lazarū suscitauerit: & patris opus & filij credo. Filius vocauit, pater audiuit, Lazarus ambulauit. Lego quia eū daemones fatebantur: fatebantur & patrem, qui Dei filium precabantur. Fatebantur & ipsum, quia per ipsum eiciiebantur. Scriptum est enim: Quod si in Beelzebub eiicio daemonia, filij vestri in quo eiciunt? Primum igitur vmbra praecessit, secuta est imago, erit veritas. Vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in caelestibus. Vmbra Euangelij & Ecclesiae in lege, imago futurae veritatis in Euangelio, veritas in iudicio Dei. Ergo quae nūc celebratur in Ecclesia, eorum vmbra erat in sermonibus prophetarum: vmbra in diluuiō, vmbra in Rubro mari, quādo baptizati sunt patres nostri in nube & in mari: vmbra in petra quae aquam fluxit, & populū sequebatur. Nōne illud in vmbra erat sacrosancti huius mysterij sacramentum? Nōne vmbra erat aqua de petra, quasi sanguis ex Christo, quae fugientes se populos sequebatur vt biberent, & non sitirent: redimerentur, & non perirent? Sed iam discessit vmbra noctis & caliginis Iudaeorum, dies appropinquauit Ecclesiae. Videmus nunc per imaginem bona, & tenemus imaginis bona. Vidimus principem sacerdotum ad nos venientem, vidimus & audiuius offerentem pro nobis sanguinem suum: sequamur, vt possumus, sacerdotes, vt offeramus pro populo sacrificium: etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio: quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur. Immo ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur. Et ipse quidem nobis apud patrem aduocatus adfuit: sed nunc cum non videmus, tunc videbimus cum imago transferit, veritas venerit. tunc iam non per speculum, sed facie ad faciem ea quae sunt perfecta videbuntur. Ascende ergo homo in caelum, & videbis illa quorum vmbra hic erat vel imago. Videbis nō ex parte, non in aenigmate, sed in consummatione: non in velamine, sed in luce. Videbis verū illum & aeternum atque perpetuum sacerdotem, cuius hic imagines videbas, Petrum, Paulum, Ioanem, Iacobum, Matthaeum, Thomam. Videbis perfectum hominem iam non in imagine, sed in veritate. Qualis enim caelestis, tales & caelestes. Vtique & ipsi iā in gloria vel decore, iam in resurrectionis gratia, non in corpore mortis, & corruptionis deformitate. Vide ne eō deseras imaginem terrestris, vbi lux caelestium est. Hic si quis tyranni imagines habeat, qui iam victus interiit, iure damnetur. Quomodo tu hostis & aduersarij imaginem in ciuitatem veri Imperatoris inducis, nisi vt ipse te damnes? Etsi volueris imaginem terrestris inferre, cōtradicer tibi princeps istius mundi, & diceret: Mea est imago haec: & quae offers, mea sunt. Quid facies deprehensus, cum tibi dixerit: Mea est auaritia, mea est ambitio, meae diuitiae, quarum imaginem in te recognosco? Ipse est enim aduersarius & defensor. Quod si fueris qualis Iacob, dices Labe, qui se transfiguratur in angelum lucis: Recognosce si quid tuorum in me inuenis. Tunc ille requiret, & non inueniens confutatus abscedet: quia abscondisti atque obliterasti omnia simulacra vitiorum. Beatus qui potest dicere: Veniet huius mundi princeps, & in me suum inueniet nihil. Quae sua sunt enim, quaerit ille, non illa quae Christi. Si ergo quae sunt Christi sequeris, noli quas non habeas affectare diuitias, augere quas habeas: & diuitem te sibi sentiat pauper. Induc in domum tuam in opem, frange panem esurienti, & nudum operi, vt tibi thesaurus condatur in caelo qui tecum transeat. Pauper Christus est factus cum diues esset, vt nos sua inopia diuites faceret. Noli ergo propter diuitias vanē conturbari, excitari de somno, cogitare quemadmodum pecuniam tuam serues, opes tuas augeas, de nocte procedere, excubare ad iudicis domum vt aliena diripias, litem moueas pauperi, verearis exactorem tributū. Vana est ista conturbatio: & ideo iustus dixit:

Et nunc quae est expectatio mea? nōne Dominus: & substantia mea ante te est. Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me: opprobrium insipienti dedisti me. *Et nunc quae est expectatio mea?* Spes & patientia nostra Christus est: ipse factus est redemptio nostra, ipse est nostra expectatio; vt dicamus singuli: Expe-

1. Tim. 6. Psal. 48.

Gen. 1. Hebr. 1. Hebr. 3.

Marc. 8. Coloss. 2.

Malach. 4. coloss. 2.

Ioan. 14. Ioan. 11.

Marc. 1.

Matth. 12.

Ioan. 1.

1. Cor. 10.

Exod. 17.

Rom. 13. Hebr. 4.

Psal. 118. Iob. 12.

Luc. 17.

Apoc. 12.

Hebr. 13.

Hebr. 12.

Ioan. 14.

2. Cor. 11. Gen. 31.

Philip. 2.

1. Cor. 5.

2. Reg. 16.

Ibid.

2. Reg. 22.

2. Reg. 18.

Psal. 37.

Expectans expectaui Dominum, & respexit me. Respice ergo nos in iudicio tuo. Respiciat super nos misericordia tua: vt qui de merito diffidimus nostro, per tuam misericordiam liberemur, in cuius potestate est animae nostrae vitaeque substantia. Et ideo non timeamus corporis mortem, sed eum qui potest animam nostram vel seruare vel perdere, cuius substantiae virtus est quam Deus ad similitudinem sui pectoribus infudit humanis. Quisquis igitur habet istam substantiam animae suae, dicit: *Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me.* Non vnus criminis lapsus fatetur, qui ab omnibus se iniquitatibus solui precatur. Scit enim quod, nisi Dominus ignoscat, nemo saluus esse possit quicumque natus est sub peccato, quem ipsa noxiae conditionis haereditas adstrinxit ad culpam. *Opprobrium* (inquit) *insipienti dedisti me.* Quis est insipiens, nisi qui peccatum facit, & eligit mala pro bonis? Ergo qui auctor est peccatorum, insipiens magis quam eius minister. Cum peccatus igitur, in opprobrium tradimur aduersario, vt ille nos quasi inimicus in die iudicij accuset & prodatur. Suscipiamus ergo opprobrium crucis Christi, quod suscepit Moyses, & Aegypti thesauris regalibus praelulit: & ideo non est insipiens in opprobriū traditus. Alij habent condices: *Opprobrium insipienti ne tradas me.* Sed magis Dauid eam consuetudinem habet, vt sua magis opprobria & peccata fateatur, ne de peccatis suis erubescat & opprobriis, qui scit in confessione esse veniam, & in peccati sui condēnatione iustitiam. Denique ex his quae sequuntur, manifestatur hic sensus, quia subiicit:

Obmutui, & non aperui os meum, quoniā tu fecisti me: amoue à me plagas tuas.

*Obmutui, & non aperui os meum.* Hoc est, dedisti me in opprobrium insipienti: ideo obmutui, & non aperui os meum, ne peccata maiora contraherem. Agnouī voluntatem tuam, vt ad tempus erubescerem, & postea saluus fierem veniam postulando. Prodest ergo interdum & opprobrium. Siquidem etiam ipse prodest carnis interitus, vt testificatur Apostolus, dicens: Tradidi eum in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi. Opprobrium quoque prodest Dauid ipse testatus est, dicens ad Abeslam: Sine maledictio mihi Ieminaeus, quoniam dixit illi Dominus: vt videat humilitatem meam; & retribuet mihi Dominus bona pro maledicto hoc. Et reuera vidit opprobrium eius Dominus, quod stens ibat & ex calciatus, operito capite, & amouit eius opprobrium. Liqueat igitur quia cum datus in opprobrium Dauid fugerit, & humiliatus sit, & nudis pedibus Domino satisfecerit, & lapides iacentē non repercussisset, & in maledicentem non permisisset vindicari, & post haec regno suo integro restitutus sit: quia & opprobrium à Domino sit, & profit magis sustinere opprobriū, quam refellere. Denique victoria post secuta est. Ergo opprobrium prodest. Sed quid est quod addidit: *Quoniam tu fecisti me?* Nōne ideo obmutuissē se dicit, & non aperuisse os suum, quia agnouit Domini voluntatem, & propterea patienter se pertulisse, vt satisfaceret Domino per opprobrium pro peccato? Vnde & adiunxit: Amoue à me plagas tuas.

Quomodo hoc sibi cōgruit, quod in superiore Psalmo flagellis se obtulit, hic flagella à se postulat amoueri; nisi quia soluit iam de manu Domini duplicia peccata sua, erubescendo, opprobria sustinendo? Compunctiones cordis sunt, sunt & cogitationū; sunt & increpationum flagella. Videamus tamēn ne ideo dixerit ante Deum esse substantiam animae suae, quia non impugnaret aduersarius eam, nisi potestatem accepisset à Domino. Quod enim fecit Dominus, & tuctur. Deniq; angelus in circuitu est hominis, qui praetendit ne quis noceat ei. Nō discedit angelus, nisi iussus à Domino, vt suus athleta deceret. Ergo quasi substantia Domini praesumit veniam sibi iniquitatum suarum à conditore suo posse cōcedi. Et ideo rogat, quia nouit auctorem suum misericordem. Deinde quia datus sit in opprobrium, non resistit, sed patitur aduersum se assistere peccatorem, & silet substantiae suae conscientia, quae bona est, & potest corporis ferociam refranare, vt virtus succedat, culpa ponatur. Postremò quia factus à Domino est, citius sibi posse donari peccatum confidēter existimat, qui fortitudinē manus Domini potuerit sustinere. Et hoc utique bonae substantiae est, etsi à fortitudine manus Domini defecisse se dicat. Fortis manus sicut malè percussit, sic citò sanat. Quae fortis ad vulnūs, fortis & ad remedium est. Vnde & ipse ait: Percutiam, & sanabo, vt non meminerit vulneris, qui sanatus euasit. Denique haec manus Domini sancto Iob omnia abstulit, & omnia repraesentauit, immò omnia cumulo auxit, vt amissa geminaret. Non ergo te moueat quod defecisse se dicit. Est qui deficit, & fortior surgit. Suffulcit enim Dominus omnes qui ruunt, & corrigit omnes elisos. Cum virtute enim surgit quicumque corrigitur. Defecit Paulus à fortitudine manus huius. Cecidit persecutor, & surrexit Euangelij praeicator. Hoc est quod ait:

A fortitudine manus tuae ego defeci: in increpationibus super iniquitatem erudisti hominem.

Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius: verumtamen vanē conturbatur omnis homo.

*A fortitudine manus tuae ego defeci.* Et addidit: *In increpationibus super iniquitatem erudisti hominem: & tabescere fecisti sicut araneam animam eius.* Graecus *καὶ ἀνομία*, dixit, hoc est, *pro iniquitate*: & integram versum, *καὶ ἀνομία καὶ ἀνομία ἐπέδρασαν ἀνομίαν* posuit: quod est, *In increpationibus pro iniquitate erudisti hominē.* Ideo Sapiēs dixit: Quis mihi imponet cogitationū mearū flagella? & quis dabit mihi labiorū meorū signaculū? Vt cor suū ipse suis cogitationibus flagellaret, & signaret labia sua: quod & vetera peccata minueret; nec alia loquendo renouaret, quò propriis increpationibus eruditus, exercitia virtutis indueret. Tabescit autem anima, quando peccatum minuitur, vel, cum anima tabescit, culpa deponitur: incrassatur, cum peccata cumulantur. Vnde ait Dominus de peccatoribus: Non permanebit in his spiritus meus in aeternum, quoniam carnes sunt. Et alibi scriptura dicit: Incrassatum est cor populi huius. Ideo &

Esai. 40.

Psal. 34.

Iob. 5.

Deut. 32.

Iob. 42.

Psal. 144.

Act. 9.

Ecd. 23. Ecd. 22.

Gen. 6.

Hieremias primū baculum vidit nucem, deinde ollam feruentem, vt tabesceret anima prophete in-cipiētis, quō culpa discederet, accederet gratia. Sed cur prius baculum, postea ollam? Quoniam qui baculo non corrigitur, in ollam mittitur, vt ardeat & tabescat. Et ideo ad prophetā Ezechiel dicitur: Accipe tibi sartagine, & accipies iniquitates domus Israel, & consummabis: & tabescent, inquit, in suis iniquitatibus. Et alibi in eodem libro dicit Dominus: Et ego magnum faciam titionem, & multiplicabo ligna, & succendam ignem, vt liquefiat caro, & minuatur ius. Quibus testimoniis significatur, quōd animā perfidorum admoto igne tabescant, vt deponant crassitudinis quendam carnalis humorem. Mittuntur ergo in sartagine & animā peccatorū, vt desuat quadam peccati caro, quā obduxerat animā ac mentis vigorem, & velut iure quodam, ita quibuldam infuderat animam illecebris cupiditatū. Expectant igitur nos quadam sartagine, ideo hic conteramus cor nostrum, vt subtile fiat, & deponat omnem duritiem & pinguedinem quā carnalis aruina: quod patitur qui luxuriati sunt in hac vita, & magis ludibria dedecorum quā opera vlla virtutum exercenda sibi more Iudaico crediderunt. In crassatus est enim Iacob, & pinguis factus est, & surrexit ludere. Quem a fidei veritate lusus ille in perfidia traduxit errorem. Merito ergo Paulus castigabat corpus suum, ne nutiret corpus peccati. Luxuriando enim facimus membra peccati, sobrietate autem membra iustitiā. Nō natura ergo, sed culpa delinquit. Ne iterum vana & inania tequamur, ne telam aranearū texere iudicemur, eo quōd peccata nulla perpetuitatis possunt habere substantiā. Vnde cum videris aliquos studere facultatibus ampliandis, cumulandis potestatis, affectando decori, dices illud Esaiā: Telam aranearū texūt, quę diuturna esse non potest, sed citō scinditur, atque opus eius omne dissoluitur. Non enim supra solidum aliquod firmamētum locatur, sed in vacuo suspenditur. Nihil laxum, nihil molle verum Christi militem decet. Ecce enim qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Arguti sibi & industrij omnes auari videntur. Quid argutius, quid sollicitius aranearū, quā operi suo diebus ac noctibus semper intendit, nec vllō sumptu vllāque impēsa cōficit vestimentum, sed vanum est omne quōd fecerit: Sic homo omnis est qui opus suum supra Christi non constituit fundamentum. Vanē noctibus & diebus & ipse turbatur, cum eum plerumque aranearū modo etiam in ipso suā improbitatis molimine operis sui ruina cōuoluat. Et ideo sapiens qui cognoscit huius sæculi vanitatem, non diuturnam vitā huius precatur vsurā, sed ad illa aeterna festinat, & labore huius corporis & dolore gestit absolui: sicut Propheta desiderasse cognoscitur, dicens:

Exaudi Domine orationem meā & deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas.

Ne sisleas à me, quoniam aduena ego sum apud te in terra, & peregrinus sicut omnes patres mei.

Alius est incola, alius aduena, alius accola. Incola, qui de loco est, & genitalem locum incolit: aduena, qui aliunde venit: accola, qui ad tempus colit, & mutatur annorum vicibus. Hoc est ergo quod dicit Dauid: *Apud te aduena sum, dum in terra sum*, non sum paradisi tui incola. Vnde exposuit hoc ipse, subiiciens: *Et peregrinus sicut omnes patres mei.* Quod aperuit & Apostolus Paulus, asserens quoniam cum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, non per speciem; id est, non facie ad faciem quasi præsentes. Videmus enim in anigmate adhuc, non in veritate. Denique addidit: Audemus ergo & consentimus magis peregrinari à corpore, & adesse ad Dominum. Audemus, præsumptionis & fidei, non temeritatis est verbum. Et consentimus, id est, volētes adquietamur, & optantes, non plenioris scientiæ auctoritatem velut principaliter nostro iudicio defendētes, volumus verū esse quod cupimus, vt appropinquemus ad Dominum, à quo nos videtur futurorum & præsentium distantia separare. Audemus ergo adesse: & ideo subiungit, Connitimur. Cognoscis verbum volentis adhuc peruenire, non eius qui peruenit. Affectus igitur in hoc sermone, non effectus ostenditur. Denique ipsum testem sui sermonis interroga, immō audi dicentem, vel potius audi dubitantē, cum dicit: Ideo connitimur siue absentes siue præsentes, placere illi. Absentes adhuc per fidem, præsentes per speciem. Vnde & hoc potest intelligi, quōd & hic positi, & illic, placere nostro iudici, redemptori quoque nostrarum desideramus animarum. Necesse est enim nos ei assistere per speciem, vt vnusquisque operum suorum merita dignā adipiscatur sortis examine: vel iustus in requie, vel impius in arumna. Fundit igitur lacrymas, quoniam quum aduena in terram venerit, demoretur & separetur à patria longo detentus exilio. Considera nunc mihi illum Adam de paradiso eiecūm, in castellum relegatum, spectantem vnde deiecū sit, silentem vberum, quia reminiscitur quid amiserit, quōve deciderit. Et ideo gratias agamus Deo, qui nos perpetuo exilio liberavit, aperiens ianuam qua reuertamur ad patriam. Vnde Apostolus præsumpsit dicere: Ergo iam non estis aduena atque peregrini, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei. Hoc volens recipere Dauid antequam Christus veniret in terras, dixit:

Remitte mihi vt refrigerer priusquam eā, & amplius non ero.

*Remitte mihi:* hoc est: Hic mihi remitte, vbi peccavi. Nisi hic remiseris mihi, ibi remissionis requiē inuenire non poterō. Quod enim in terra ligatum manserit, ligatum manebit in celo: quod solutum in terra fuerit, solutum erit in celo. Propheta enim, & prædicator Ecclesiæ congregandæ, euāgelico spiritu indulgentias Domini præuidebat: & præcipienda Apostolis, ei Dominus reuelabat. Immo hæc erat vetus sententia, vt qui se ligasset in terris, vincū migraret à corpore. Ideo Dominus, quod antē erat iudicij sui, dedit Apostolis, peccata remittendi æquitatem: ne citō soluenda, diu ligata manerent. Denique audi dicentem: Tibi dabo claues regni

Hierem. 1.  
Ezech. 4.  
Ezech. 24.  
Deut. 32.  
Exod. 32.  
2. Cor. 9.  
Rom. 6.  
Esai. 59.  
Ibid.  
Matth. 11.  
Iob. 8.  
Matth. 7.  
2. Cor. 5.

regni celorum: & quodcumque ligaueris super terrā, erit ligatum & in celo: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in celo. Tibi, inquit, dabo claues regni celorum, vt soluas & liges. Hoc Nouatianus non audiuit, sed Ecclesia Dei audiuit. Ideo ille in lapsu, nos in remissione. Ille in impoenitentia, nos in gratia. Quod Petro dicitur, Apostolis dicitur. Non potestatem vsurpamus, sed seruius imperio: ne postea cum venerit Dominus, & ligatos inuenerit quos oportuit solui, commoueat aduersus dispensatorem qui ligatos seruauerit seruos quos Dominus iusserat solui, dicens quoniam qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multum: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit minus. Merito ergo Dauid remitti sibi postulat quod sciebat non esse iis qui secundum Aaron erant sacerdotibus attributum, sed Euāgelio reseruatam. Cui ergo non remittitur, in exilio est, in peregrinationis iniuria perseuerat. Hic ergo petenda est venia. Hic enim dictū est: Beati qui nunc stetit, quia ridebitis. Hic locus est veniē postulat. Deploramus igitur in terris, vt mereamur indulgentiam. Nisi remissum peccatū hic fuerit, non habebimus requiē. Si requies non fuerit, non erit vita aeterna: si vita

aeterna non fuerit, non erimus. Ideo petit remitti sibi antequam eat, vt sit. Si enim remissum non fuerit, nō ero (inquit) cum iis qui sunt, cum iis qui in paradysum merentur ascendere. Qui autem non est, consumetur cum descendētib; in lacum, qui in catenis & carcere fuerit derelictus. Non ergo definitiue dicit: *Non ero*; quia alibi dicit: *Psallam tibi in cithara Deus sanctus Israel.* Gaudebunt labia mea cum cātauro tibi, & anima mea quam redemisti. De redemptione ergo præsumit. Et alibi audi dicentem: *Placebo Domino in regione viuorum.* Erit ergo qui placere præsumit. Potest & sic intelligi, quia dixit: *Aduena ego sum apud te in terra, & peregrinus, sicut omnes patres mei:* & ideo remitte mihi, vt peregrinus esse desinam: remitte mihi exilium quō relegatus sum. Si remiseris antequam discedam hinc, non ero amplius exul atque peregrinus. Cum enim tu remiseris, non ero peregrinus, sed ciuis ero sanctorum tuorum. Ero cum patribus meis, qui & ipsi fuerunt ante peregrini, nunc verō iam ciues sunt. Ero domesticus Dei, vt poenam non timeam, gratiam merear: per Dominum nostrum Iesum Christum, cum quo tibi est laus, honor, gloria, perpetuitas, cū Spiritu sancto à sæculis, & nunc & semper, & in omnia secula sæculorum, Amen.

Ibid.  
Ibid.  
1. Cor. 13.  
2. Cor. 5.  
Ibid.  
Ibid.  
Ibid.

Psal. 87.  
Psal. 70.  
Psal. 114.  
Ephes. 2.  
Hebr. 11.

S. AMBROSII IN PSALMVM XXXVIII. ENARRATIONIS FINIS.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS, IN PSALMVM DAVID XXXIX.

ENARRATIO.



**N**superioribus Psalmis penitentiā prædicaui: deinde de patientia sua, & perturbatione hominis est locutus. In trigesimo autem nono Psalmo nouum annuntiat testamentum. Qui enim malorum poenitentiam agit, expectat: sed non est perfecti expectare, sed expectasse. Nemo enim nisi qui perseuerauerit vsq; in finem, saluus erit. Ideo inquit:

(*Psalmus trigessimus nonus.*)

Expectans expectaui Dominum, & intēdit mihi, & exaudiuit preces meas.

Et eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis: & statuit supra petram pedes meos: & direxit gressus meos.

Et immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro.

Videbunt multi & timebunt, & sperabunt in Domino.

*Expectans expectaui Dominum.* Vbi quæso hoc dicitur rectē, nisi in Euangelio: in quo iam nobis qui expectabatur, aduenit: in quo iam nobis non legis

Dcaligat umbra, sed veritas fulget: quia Christus illuxit, qui exaudiuit deprecationes suorum, & eduxit nos de lacu miseriæ, & de luto fæcis, vbi iam demersi tenebamur nostrorum voragine peccatorum, & totus homo noster inhærebat, nec poterat se animus noster erucere, obrutus multiplicis labe flagitij. Gratias igitur Domino Iesu, vnigenito Dei filio, redemptori nostro, qui nobis peccata omnia remissurus descendit à celo, vt nos de lacu ac limo istius mudi, & cœnulentam quadam palude terrarum, de corpore quoque mortis huius eriperet, atque in carne sua statueret animi nostri interiora vestigia, vt confirmati in Dei verbo, & per crucem Domini corporis passionibus absoluti, ambulemus iam non in opprobrio dedecoris, sed in remissione peccati. Cōfirmatus igitur & radicans in Christo, supra petram sibi memorat pedum suorum statuta vestigia. Vnde dicit Apostolus: Bibebant autem de cōsequenti eos petra: petra autem erat Christus. Petra, eo quōd sitientes sequatur, confirmet labētes: ne sitientibus aqua desit, labentibus firmamentum. Expectanti ergo mihi Domine Iesu, aliquando venisti, direxisti gressus meos in Euangelio, immisisti in os meum canticum nouum, quod est nouum testamentum. Gaudentes iam canamus hymnum Deo nostro, quia nouarum virtutum præcepta cognouimus: iam nostra omnia relinquamus, Christum se-

Iohan. 1.  
Rom. 7.  
Coloss. 2.  
2. Cor. 4.  
1. Cor. 10.  
Exod. 17.

Apost. 14.  
Matth. 19.  
Matth. 5.

1. Cor. 4.  
Matth. 22.

Ecd. 1.

Psal. 143.

1. cor. 14.

Esaia. 20.

Gen. 3.  
Gen. 7.

Gen. 8.  
Gen. 9.

Psal. 127.

Coloss. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 1.  
Gen. 9.

quentes, & nostros diligamus inimicos. Nouos enim haustumus mores, vt pro persequētibz nos precem Domino deferamus. Maledicentes ecce benedicimus. Nescimus opera nostra iactare, aut celare peccata. Angelorum etiam more nuptias refutamus. Quid multa? De illo arumoso peccatore beatus homo factus est, iam non respiciens in istius mundi varias vanitates. Vanitas enim vanitatum, & omnia vanitas, totus hic mundus est, sicut dixit sapiens Salomon. Quid enim nisi vanum est ea sequi quae perseverare non possunt, & omnia tamquam vmbra praetereunt? Infania autem falsa aut certamina ista bellorum, in quibus pro temporali possessione sanguis tantus effunditur, aut contentionum theatralium distentiones, aut Circensium plena furoris studia declarantur, aut haeticorum doctrina feralis, aut pseudoprophetarum in modum oraculorum caelestium simulati gestus, verba coposita. Sic enim dicit Propheta:

Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius: & non respexit in vanitates, & infanias falsas.

Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Et non respexit in vanitates, & infanias falsas. Sunt ergo & verae infanias, & forsitan prophetarum, qui in excessu mentis positi prophetabant, repleti Dei spiritu, vt quibusdam insanire videretur, cum propriae salutis immemores, nudi plerumque & exalceati, sicut Esaia sanctus, per populos currebant: vociferantes non quae ipsi vellent, sed quae a Domino iuberentur. Ex his igitur intelligitur affulisse remedium salutis: quoniam qui expectabatur, adest. Expectavit eum Adam de paradiso eiecetus, vt longo liberaretur exilio. Expectavit eum in Noe iusto, qui ad semen futurorum est reseruatus, vt ex eo iustitiae semina in hominibus pullularent. Ipsum putabat publicae salutis auctorem, qui diluio superstes esse meruisset. Ipsum sapientiae principem, qui excoluisset vitem, & ex eius fructu inebriatus foret. Quid est enim vitis nisi sapientia? sicut aperuit nobis David caelestis interpretis oraculi, dicens: Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuae. Eo quod in ipso esset sapientiae plenitudo, quae expectabatur in Christo, qui nouo repletus sapientiae sacramento, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, inusitatum nobis deferre mysterium properauit, vt nudus iaceret, & exuberantis sapientiae pocula inaudita proflueret: vt oblitus superiorum, in nouos mores & nouam sobrietatem vitae resurgeremus aeternae, quod per stultitiam praedicationis Deus agnosceretur, quem per sapientiam non cognouit hic mundus. Denique in figura illa dormientis & nudati patris, qui stultitiam risit, maledictus est: qui venerati sunt, benedictionis gratiam sunt adepti. Ideoque qui mortem vnigeniti filij Dei patris & creatoris omnium ad offendiculum aut opprobrium nostrae fidei obiciendam esse crediderint, peccatorum suorum nexibus ad perpetuae maledictionis arumnam tenentur adstricti: qui vero eam pro totius humani generis ab-

soluione suscipiunt, virtutis aeterno praesidio fulcuntur. Crux enim Christi Iudaeis offendiculum, Graecis stultitia, vt Apostolus dixit: nobis autem qui credimus in Dominum Iesum, virtus Dei atque sapientia est. Expectatus est in Moyses, cum scinderet vndas maris, & impossibile viribus humanis, pedestris via aperiret in fluctibus iter: sequeretur petra, & vomeret aquas, vt sitientium patrum in medio deserti viscera interna satiaret. Expectatus est & in Aaron principe sacerdotum, qui inter viuos ac mortuos medius stetit, & per serpentem statuit lucem mortis, ne a cadaueribus defunctorum ad uiuentium transfiret interitum. Quid enim tam proprium Christi, quam aduocatum apud Deum patrem aditare populorum, mortem suam offerre pro cunctis, repellere necem, vitam reformare perituris? Expectatus est & in Iesu Naue, & certe venit: qui & potestatem suam & nomen accepit, vt & populum in terram repromissionis induceret: & vere Iesu nomine vocaretur. Siccauit fluentia, conuertit amnem in suum fontem, solem statuit donec consummaret in virtute victoriam. Sed adhuc figura erat illa, non veritas. Denique verus ei dux militiae caelestis effulsit, & adorauit eum Iesus Naue, quamuis nondum in corpore verus adfiteret, sed adhuc venerat in figura: Quando igitur verus aduenit? Audi dicentem:

Annuntiaui, & locutus sum: multiplicati sunt super numerum.

Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi.

Annuntiaui & locutus sum. Quid euidentius, quam quod cum Euangelij sui munere nobis Iesus verus aduenit? Ipse locutus est, & innumeri credentium populi congregati sunt, qui vix singuli ante credebant. Ipse venit in carne, & cessauit sacrificium Iudaeorum. Cessauit oblatio pro peccato, quia peccatorum remissor aduenerat. Non erat remedium necessarium legis, vbi legis auctor adstabat.

Holocausta & pro peccato non postulasti: tunc dixi: Ecce venio.

In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

In capite libri scriptum est de me. Scriptum profecto de Christo est in principio veteris testamenti, quod venturus esset, vt in redemptione hominum, Dei patris faceret voluntatem, quando scriptum est quia Euam in specie Ecclesiae ad hominis adiumenta formauit. Quid enim nobis in hac corporis infirmitate, & saeculi istius perturbatione praesidio potest esse, nisi sola Ecclesiae gratia, qua redimimur: & fides nostra, qua viuimus? In capite libri scriptum est: Os de ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adharebit uxori suae, & erunt duo in carne vna. Quis iste sit qui locutus est, aut de quo istud sit sacramentum, audi dicentem: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Vnde & admonet vt sic diligat homo uxorem suam, quemad-

1. Cor. 1.

Exod. 14.

Exod. 17.

Num. 16.

Num. 21.

1. Ioan. 2.

Iosu. 1.

Iosu. 3.

Iosu. 10.

Iosu. 5.

Daniel. 9.

Hebr. 9.

Hebr. 10.

Genes. 2.

Galat. 2.

Gen. 2.

Ephes. 5.

Ibid.

Conf. 4.

Genes. 22.

Genes. 28.

Matth. 4.

Ioan. 1.

Exod. 12.

Ioan. 1.

Matth. 4.

Matth. 3.

Ibid.

Esaia. 30.

Matth. 3.

Deut. 18.

Esaia. 35.

Psal. 53.

Matth. 26.

Ioan. 10.

Matth. 10.

Matth. 26.

Ibid.

Matth. 1.

quemadmodum Ecclesiam Christus: quonia membra sumus corporis eius, de carne ipsius, & de ossibus eius. Quae igitur maior salus, quam esse cum Christo, & ei vnitate quadam corporis adherere, in quo nec macula sit vlla, nec forditudo peccati? Scriptum est in capite libri, quod Abel iusti placuit hostia Deo, displicuit oblatio parricidae. Nonne aperte significauit Dominus Iesus offerendum se esse pro nobis, vt in sua passione noui sacrificij gratiam consecraret, ritum populi parricidalis aboleret? Quid autem expressius, quam, quod a sancto patriarcha oblatum est filius, & aries immolatus est? Nonne aperte ostendit hominis carnem, quae omnibus terrenis est communis animantibus, non diuinitatem vnigeniti filij Dei obnoxiam futuram sacrae vulneri passionis? Scriptum est in capite libri, venturum hominem qui potestatis caelestis imperaret. Impletum est quando Dominus Iesus venit in terras, & angeli ministrabant ei: sicut ipse dignatus est dicere: Ex hoc videbitis caelos apertos, & angelos Dei ascendentes & descendentes ad filium hominis. Scriptum est in capite libri: Agnus sine macula, mundus, maturus, masculus, anniculus erit vobis, & occidet eum omnis synagoga. Quis iste sit agnus, audistis dicentem: Ecce agnus Dei, & ecce qui tollit peccatum mundi. Hic est qui occisus est ab omni populo Iudaeorum: quem adhuc hostili odio persequuntur. Et illum quidem oportebat pro omnibus mori, vt in eius cruce fieret remissio peccatorum, & sanguis ipsius mundi inquinamenta lauaret. Sed vae illis qui auctorem salutis propriae negauerunt! Fecistis, inquit, consilium, sed non per me. Quomodo poterat probare parricidium, qui consilium non probabat? Et tamen quanta pietas? Abhorrebat quidem a consilio: sed si conuerterentur, remedium non negabat. Scriptum est etiam, non solum in capite, sed in omni legis complexione, venturum hominem ad seruandum hominum genus, qui omnia vellet quae Deus vellet. Vnde intelligis quoniam diuinitatis eiusdem est, qui eiusdem est voluntatis. Vnde etiam ad sacrificium passionis voluntarius accessit, meritoque praedixit: Voluntarie sacrificabo tibi. Sed forte dicas, quomodo in Euangelio dixit: Pater, si possibile est, transfer a me calicem hunc: sed non sicut ego volo, sed sicut tu vis? Et videtur quidem esse distantia voluntatis: verum intelligimus aliud esse quod secundum vnitatem diuinitatis exprimitur, vbi dicit: Ego & pater vnum sumus: aliud quod secundum hominis est locutus affectum, quem innuit cautum esse debere, nec praesumere quod facile implere non possit: ne dum praemium quaerit, incidat sacrilegium. Vnde ait: Cum persequerentur vos in hac ciuitate, fugite in aliam. Merito ergo subituro corporis passionem, cepit contristari, & mcestus esse: & assumptis Petro & duobus filiis Zebedaei, Tristis est anima mea, ante praemisit: & subiecit postea: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus promptus est, caro autem infirma. Vides vbi que eum secudum hominem loqui, secundum hominem orare, secundum hominem tristem esse, secundum hominem dixisse: Pater meus, si possibile est. Quod vti que non impossibile Deo: sed hominis est dubitare, Dei confirmare. Ideo promptiores assumpsit, quasi electos

ultimi iudicij sui testes, qui verborum eius agnoscerent sacramentum. Denique alij dormiebant: isti soli fida mente vigilabant. Vnde & per Hieremiam nondum suscepto corpore ipse ait: Ego sicut agnus innocens ductus vt sacrificetur, & nesciui. Quid est quod nesciat sapientia Dei, quae in arcano patris semper est, & ideo enarrauit omnia filius Dei, quia Dei patris ipse sapientia est? Quomodo praesciuit se sicut agnum esse ducendum, & quod duceretur nescisse se dicit? Aut quomodo in superioribus per os ipsius David ait: Deus Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? Quomodo derelinquitur a patre filius, qui ait: Et non sum solus, quia pater mecum est. & alibi: Traditus sum, & non egrediebar. & alibi: Exsurrexi, & adhuc tecum sum: nisi vt adueras quod hominum sensum exprimit, qui putat se a Domino, quando sunt in periculis, derelictos? Denique audi quod sequitur: Longe, inquit, a salute mea verba delictorum meorum. hoc est, alia verba sunt delictorum, alia sacramenta salutis aeternae. Non praedidicant verba virtuti: suis viribus substantia diuina fulcitur. Homo videtur, homo auditur, Deus in operibus agnoscitur. Et tamē de hoc homine dictum est: Et homo est, quis cognosceret eum? Quid est qui? Non quo nemo, sed quo rarus, quo sapiens, sicut illud: Quis ascendet in montem Domini? Quis sapiens & intelliget ea? Denique alibi: Vir insipiens non cognoscat ea, & stultus non intelligit haec. Et tu ergo cum legis Euangelium, quasi sapiens & non stultus cognosce quae legis: illuminet te sapientiae fulgor aeternae. Verba quidem sunt, sed & ipsa mundant, & ipsa illuminant, & ipsa confirmant, & ipsa viuificant. Vnde ait Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes, & nos relinquemus te? Denique vt aduerteremus quod secundum hominem locutus esset, paulo post dixit: Ecce appropinquat hora vt filius hominis tradatur in manus peccatorum. Et Iudaei osculanti ait: Iuda, osculo filium hominis tradis? hoc est, venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur? osculo, quod sacrae pacis insignae est? osculo, quo amicitia fida firmatur? osculo, quo fides sancta signatur? Hoc ergo osculo tradis periculo, quem propter osculi commercium venerari deberes? Et tradis filium hominis homo, qui propter hominum salutem descendit de caelo? Sic enim scriptum est: Filius hominis qui est in caelo, ipse est qui descendit de caelo. Filium hominis tradis, qui te ex peccatore apostolum fecit? Filium hominis tradis, qui venit vt in sanguine suo omnium peccata dilueret? Ego osculum non nego: ipse videris, qui violaueris osculi sanctitatem. Annon legisti quod vtiliora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici? Nec immerito grauiore telo tantae dignationis percussus est Iudas, quam si eu fulmine percussisset. Denique patientiam Domini ferre non potui, cuius maiestatem prodidit, vt sibi tanti sceleris reatus posset ablu: sed abiit, pecuniam refudit: hoc est, condemnauit auaritiam suam tantae impietatis auctorem, pretium perfidiae synagogae reddidit. Non excusatur proditor, qui poenitentiae locum inuenire non potuit: sed accruatur sacrilegium Iudaeorum, qui etiam proditoris vocibus arguuntur. Ille suum crimen agnouit, dicens quod tradiderit

Matth. 26.

Hiere. 31.

Ioan. 1.

1. Cor. 2.

Psal. 21.

Ioan. 16.

Psal. 87.

Psal. 138.

Psal. 21.

Hiere. 17.

Psal. 23.

Osce. 14.

Psal. 91.

Luc. 11.

Ioan. 6.

Matth. 26.

Luc. 22.

Ioan. 3.

Luc. 6.

1. Por. 1.

Prov. 27.

Matth. 27.

Act. 1.

Heb. 12.

Matth. 27.



Luc. 23.

Matth. 26.  
Luc. 23.

Apoc. 12.

1. Ioan. 5.

Marc. 14.  
Matth. 26.

Esai. 53.

Esai. 42.

1. Cor. 15.

Matth. 1.

Ioan. 3.

1. Tim. 2.

Ioan. 11.  
Luc. 23.

Ibid.  
Genes. 3.

Ioan. 17.

Luc. 10.

Apoc. 20.

3. Genes. 3.

Matth. 22.

fanguinem iustum: isti & pretium sceleris receperunt, & acrioribus studiis iustitiæ principem persecuti sunt. Ideo ad istorum omnium perpetuam condemnationem latro crucifixus absoluitur, quia ille Christum in suppliciis agnouit, quæ isti in beneficiis non agnouerunt; & peccatum suum confessus est Christo, qui sciret ignoscere: quia in cruce sua regnum Domini mente conspexit, quod in conuiuio Christi Iudas videre non potuit. Ideo precationem latronis vox secuta est cælestis huiusmodi: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Tripudiabas draco, quod Apostolum subtraxeras Christo: plus amisisti quam sustulisti, qui latronem vides in paradiso esse translatum. Nemo est qui possit excludi, quando receptus est latro. Minister tuus eò peruenit, vnde ipse deiectus es. Subtexuimus ista propter illum versiculum, quia dixit: *Vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui*: hoc est, diuinitatis mihi tecum pater vna substantia est: quia inseparabilis maiestas & potètia Trinitatis. Sed alia vox carnis, & tamen ad voluntatem Dei & ipsa consensit, dicens: Non quod ego volo, sed quod tu vis. Et alibi: Si non potest hoc transire, nisi illud bibam, fiat volūtas tua. Communis affectus est mortem timere, quam suscepit Christus, vt crucifigeret, sicut crucifixit & carnem. Mihi enim est luctatus, vt mihi vinceret. Et si caro Christi fortis, nec peccato obnoxia, tamen peccata suscepit: infirmitates suscepit, etsi nihil habuit quod doleret. Denique audi dicentem, quia pro nobis dolet, donec eiiciat in veritate iudicium. Non enim alteram carnem, sed hanc suscepit, vt Apostolus docet, dicens: Oportet enim corruptibile hoc inducere incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem. Et si de Virgine natus est & Spiritu sancto, tamen hominis est filius, quia homo virgo. Et ideo quod natum est ex carne, caro est: & qui natus est de homine, homo dicitur, mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Propterea incorruptibilis suscepit hanc carnem, vt faceret incorruptibilem: & immortalis, vt faceret immortalem. Si quis ergo eū sequitur, induet immortalitatem. Si quis voluntatem eius faciat, non morietur in æternum, sed dicet ei Christus: Hodie mecum eris in paradiso. Quid est hodie? hoc est, de nocte transisti, mecum eris in lumine. Noli tenebras formidare, quem æterna lux suscepit. Pulchrè etiam subiunxit: Mecum eris in paradiso, hoc est, noli dubitare de carne: & me in carne vidisti. Noli timere ne & tu cadas de paradiso, sicut cecidit Adam: sed audi quia mecum eris, quo præsentem cadere non possis. Ceciderat caro in paradiso antequam susciperetur à Christo. Ibi eris susceptus, vbi & ille qui suscepit, quia non mentitus est, dicens: Volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum. Non recedet pastor à gregibus suis: licet iam lupum in paradiso timere non possis, cui dictum est: Videbam satanam sicut fulgur de caelo cadentem. Ideo ante consummationem aduersarius deiicitur in incendium, catenis quoque perpetuis alligatur, vt tu iam nullas insidias pertimescas. Et Adam vt caderet, à serpente deceptus est, & flexus est ab vxore. Ideo iam nullæ in paradiso nuptiæ, sed omnes erunt sine celebratibus nuptiarum, sicut angelis in caelo. Non dixerat Adæ: Mecum eris: quia sciebat illum casurum, vt redimeretur à Christo. Fe-

lix ruina, quæ reparatur in melius: ideo iam pius pastor, bonus negotiator gregem suum & mercè propriam non reliquit. Erit quidem & adhuc in paradiso cum angelis pugna serpenti, donec deiiciatur. Sed qui cum Christo est, timere non poterit. Adam cum Christo non fuit quando deceptus est. Nam si cum Christo fuisset, in eius præceptione mansisset, nec perire vtique potuisset. Non mansit in Christo, quia non in eius sermone permansit. Denique audi de iis qui manent in Christo: Si manseritis, inquit, in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis. Et infra: Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in mea dilectione. Vis scire quia cum Christo Adam non erat? Dixit ei Dominus: Adam vbi es? Quem vtique quasi absentem requirit, non autem diceret: Vbi es? si eum in se manere cognosceret. Sed quis eum absentem fecerit, audiamus. Absconderunt se, inquit, ambo à facie Domini. Omnes videt Christus: sed qui se abscondit, abscondetur: quoniã qui ignorat, ignorabitur. Cognoscit enim eos Dominus qui sunt ipsius. Ille omnes suos vult esse, quos condidit & creauit. Vtinã tu homo non fugias, & te ipse à Christo abscondas. Ille etiam fugientes requirit, & absconditos non vult perire, sed clamat dicens: Adam, vbi es? hoc est, homo, vbi es? Ego te in lumine posui, tu tenebras requisisti. Denique in paradiso, vbi semper matutinus erat dies, vesper est factus: quoniam omnia peccata tenebrosa sunt. Ideo que audierunt vocem Domini Dei deambulantis ad vesperam in paradiso. Simul cognosce mysterium. Manè errasti? ad vesperam liberaberis. Quomodo enim vespera, vbi Christus est? Nam licet sedes eius supra caelum caelorum, tamen in sanctis suis Christus est. Quomodo ergo vespera vbi Deus est, cum Deus lux sit? Denique Saulo in itinere lux refulsit, quãdo ei Christus occurrit. Vnde etiam lumine Dei refulgente cæcatus est persecutor. Cur ergo cæcatus, nisi quia non agnouerat Christum? Nam si cognouisset lucis arbitrum, non amississet lumen oculorum. Denique vbi agnouit, recepit. Indicio est quod non agnouerit Christum, quia audita voce: Saule, Saule, quid me persequeris? respondit: Quis es Domine? Non quæsisset quis esset, si cognouisset. Vnde & Dominus quasi ignoranti dicit: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Durum tibi est aduersus stimulum calcitrare. Et ille dixit: Domine quid me vis facere? Vide congruentia vtrimque magisteria. Medicus minatur, vt corrigat: terret, vt curet: æger primò medici personam requirit, si sit idoneus à quo sanari se posse præsumat. Vbi medicinæ audiuit auctorem, remedium poposcit, salutem inuenit. Deniq; accedentem non solum expulit cæcitatem, sed etiam lucem quam non habuerat accepit, vt Christum videret, quem antea non viderat. Sed videamus sequentia, repetito tamen versiculo, de quo videtur esse tractatus: *Ecce venio, vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.*

Annuntiaui iustitiam tuam in Ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu cognouisti.

De superiore itaque versiculo intelligimus: Ecce venio,

Esai. 26.

1. Cor. 14.

Ioan. 15.

Ibid.

Ibid.

Genes. 3.

1. Tim. 2.

Ibid.

Ibid.

1. Cor. 14.

2. Tim. 2.

Genes. 3.

Ibid.

1. Cor. 14.

Esai.

Ioan. 7.

1. Petr. 3.

Ephes. 3.

1. Ioan. 1.

Act. 9.

Ibid.

Matth. 8.

Esai. 34.

Exod. 32.

Ibid.

Ephes. 4.

Rom. 8.

Esai. 40.

Rom. 1.

Gal. 6.

venio, non solum vt voluntatem tuam faciam, sed etiam legem tuam in medio cordis mei. Alij habent: In medio ventris mei. Est enim vter & mentis, qui semine verbi cõcipit spiritum, de quo Esaias dixit: In vtero accepimus, & parturiuimus spiritum salutis. Hoc vtero parturiuit & Paulus, qui ait: Filioli mei quos ego parturio donec formetur Christus in vobis. Christus ergo non in ventre porco, sed in animæ quodam ventre formatur. Hoc ventre Apostolus genuit, sicut scriptum est: Ego vos per Euangelium genui. Ideo alij habent: In medio cordis; alij, In medio ventris: vt interioris hominis vterem intelligas, qui in medio esse cordis accipitur, in quo naturalis legis præscripta seruamus: quæ non solum custoditur, sed etiam fit in cordibus nostris. Vnde & scriptum est, quia non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Sunt enim qui naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, sicut gentes quæ legem non audiunt, & sibi lex sunt, qui cognita sibi legis præcepta conseruant. Ergo quasi suscepit hoc loco Christus, vt diceret facere se legem in medio cordis sui. Si quidem populus nationum legem quam nõ audiuit impleuit, vt agnosceret Christum, quem populus Iudæorum qui legem acceperat, nõ recepit, nec cognoscendum putauit, quia scriptum est: Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognouit. Hic ergo credentium venter est, in quo Spiritus sanctus operatus est, & cum semine spiritali implere cõsuevit: sicut testificatur in Euangelio Dominus Iesus, qui ait: Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Ex illo flumine ista sunt flumina, de quo legimus. Fluminis impetus latificauit ciuitatem Dei. De quibus ergo fluunt huiusmodi flumina spiritalia, de his bene dicitur: Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem suam. Eleuabunt flumina fluctus suos à vocibus aquarum multarum. hoc est, à vocibus aquarum spiritalium, quæ supra caelos Deum laudant. Qui eleuauerit vocem suam, hic potest dicere bene: *Annuntiaui iustitiam tuam in ecclesia magna.* Quid est quod addidit, magna, nisi quia fuit antè non magna? Quæ est magna, nisi de totius orbis terrarum partibus congregata: quando ab Oriente & Occidente, Septentrione & Meridie populi gentium sunt vocati? Alibi tamen legimus magnã ecclesiam: Constitutebor tibi Domine in ecclesia magna, in populo graui laudabo te. Ibi ergo ecclesia magna, vbi populus grauis: hoc est, non inquietus & mobilis, qui sedit manducare & bibere, & surrexit ludere. Grauis populus est qui fidem Deo suo seruat, & qui non aliqua leuitate mutetur, neque nutet & fluctuet, sed charitate sit fundatus in Christo, vt possit dicere: Cõfido enim quia neque mors, neque gladius, neque tribulatio separare me possit à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Qui autem prædicat in ecclesia magna, non abscondit iustitiam Dei in corde suo, sed exaltat viribus vocem suam, annuntians Christum. Non timet eum coram populo prædicare, nõ crubescit crucem eius, sed gloriatur in illa Domini passione. Non sequitur litteram legis, sed eruit profunda mysteria, quibus reuelat Domini Iesu glo-

riam, quem lex significauit esse venturum ad Ecclesiam, quæ magna est congreganda. Iustitia igitur fides est. Denique credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam: *Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu cognouisti.* Sic & alibi: Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam.

Iustitiam meam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dilexi.

Non abscondi misericordiam tuam & veritatem tuam à consilio multo.

Tu autem Domine ne longè facias miserationes tuas à me: misericordia tua & veritas tua semper susceperunt me.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.

Complaceat Domine vt eruas me, Domine ad adiuuandum me respice.

Confundantur & reuereantur simul qui quærunt animam meam, vt auferant eam.

Auertantur retrorsum & reuereantur, qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent & lætentur super te omnes quæreres te Domine: & dicant semper,

Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego verò mendicus sum & pauper, Dominus sollicitus erit mei.

Auditor meus & protector meus es tu, Deus meus ne tardaueris.

*Iustitiam meam.* Ad patrem dicit: *Iustitiam meam non abscondi in corde meo: veritatem tuam & salutare tuum dilexi.* Totus ex persona Christi Psalmus iste est: ideo *iustitiam meam* dicit: licet non arroganter & homo possit dicere iustitiã suam, qui Deo credit, & fidem suam sibi reputari ad iustitiam cõstitetur. Veritatem misericordiam diligit, qui fidem prædicat veram, & peccata dimittit. Ideo enim Christus aduenit, vt fidem statueret, remissionẽ tribueret peccatorum. Et quia ex persona Saluatoris totum hunc esse diximus Psalmum; ne fortè dicant Apollinaristæ: Ecce corpus, dixit, perfecisti mihi, non etiam animam: audiãt in inferioribus Psalmi huius dicentem: *Confundantur & reuereantur simul, qui quærunt animam meam, vt auferant eam.* Hæc sunt quæ in hoc Psalmo difficiliora arbitrati sumus: reliqua plana & facilia, nec indiga interpretationis existimauimus: cum, si in tractatum incidant, alio Psalmo in quo videntur esse repetita, rectius prosequemur, fauente Domino Iesu: cui est laus, honor, gloria, perpetuitas à sæculis, & nũc & semper, & in omnia sæcula sæculorũ Amẽ.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS, IN PSALMVM DAVID  
XL. ENARRATIO.

Titulus Psalmi XL.

In finem, Psalmus ipsi Dauid.

**B**ONO ordine qui in superiore Psalmo dixit: Ecce venio: in hoc iam venit, & patitur: & ideo quadragesimus Psalmus inscribitur, quia quadragesima diebus ieiunavit Dominus Iesus, vt eo numero consummaret hominis qui perierat perfectionem. Sicut enim per appetitiam interditi fructus amiserat gratiam, ita per ieiunium reparari eius virtutem oportuit: vt qui perierat in Adam, repararetur in Christo. Ideo ergo in finem, quia ipse finis est spei nostrae, ad ipsum studia nostra dirigimus, ad ipsum vota nostra conferimus, quia ipse est plenitudo, ipse est consummatio vniuersorum, ipse omnium summa virtutum. Ideo ipsi Dauid, quasi ei qui solus ex omnibus in sua carae nostra peccata suscepit: qui solus Dei agnus peccatum totius mundi abstulit: qui solus chirographum decreti sanguinis sui effusione deleuit, & tulit de medio, atque suffixit cruci: quasi sapientia, sciens quomodo vetus peccatum mundi solueret: quasi redemptio, quomodo hominem renouaret à culpa: quasi sanctificatio, quomodo eum sanctificaret ad gratiam. Hinc ergo titulus, hoc principium.

Psalmus quadragesimus.

**B**eatus qui intelligit super egenum & pauperem.

Aperi aures tuas, qui incipis sacramenta dominicae cognoscere passionis. Ideo tibi dicitur: Qui habet aures audiendi, audiat. Ideo surdo illi & muto aures & labia tetigit Dominus in Euangelio, vt sciret quid audiret in mysterio, quid etiam loqueretur, & quando loqueretur. Neque enim otiosè scriptum est: Dominus mihi dedit linguam eruditionis, vt scirem quando oporteat sermonem dicere. Scire ergo debes quid audias, scire quid loqui debeas, scire etiam quando loqui debeas. Audi ergo dicentem: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Beatus quidem qui compatitur pauperi, qui haurit eius necessitates: scit quid mali inopia afferat indigenti. Sed quid sibi vult istud exordium in Domini passione? Verum est quidem quod propter pauperes passus est: sed tamen ipse corripuit Iudam dicentem de illo vnguento quod effuderat Maria super pedes Christi: Potuit hoc venundari trecentis denariis, & dari pauperibus. Idem & ceteri Apostoli senserant, sed alio affectu. Ille per auaritiã, isti per misericordiam. Iudas enim furto prospiciebat, discipuli pauperum alimoniam consulebant. Quibus in comune respondit: Sinite illam, vt in diem sepulturae meae seruet illud. Pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper. Ergo alius intelligendus est hic

**G**beatus qui intelligit super pauperem. Hic de fide dicit, alibi de misericordia. Prior ergo fides, secunda misericordia. Cũ fide, pretiosa misericordia: sine fide nuda, sine fide, instabilis. Fides enim virtutum omnium stabile fundamentum est. Beatus ergo qui intelligit super Christi inopiam & paupertatem: qui propter nos pauper factus est, cum diues esset. Diues in regno, pauper in carne: quia suscepit hanc pauperum carnem. Pauperes enim facti sumus nimis, quia virtutum exuuias pretiosas fraude serpentis amissimus, exclusi de paradiso, ciecti de patria, in exilium relegati, ipso quoque nudati corporis integimento: quod antea virtutum septa munibant, postea delicta nudarunt. Si ergo egenus & pauper in carne vtique egenus & pauper in carnis istius passione. Non ergo in diuitiis suis, sed in nostra passus est paupertate. Ideoque non plenitudo diuinitatis, quae in illo corporaliter habitat, vt scriptura testatur, sed caro passa est. Hoc intellige, hoc persequere, id tene, ne dicatur tibi: Noluit intelligere super egenum & pauperem. Nam si hic dubitas, certe in illo Psalmo qui aduersus proditorem Iudae ex persona dicitur Saluatoris, de illo versiculo dubitare non poteris, in quo ait: Et persecutus est hominem inopem & mendicum. Intellige ergo paupertatem Christi, vt diues sis intellige infirmitatem eius, vt accipias sanitatem: intellige crucem eius, vt non crubescas: intellige vulnus eius, vt vulnera tua cures: intellige mortem eius, vt adquiras vitam aeternam: intellige sepulturam eius, vt inuenias resurrectionem. Sed forte dicas: Quomodo diues in paupertate Christus? Etsi mihi ingenium deficiat, tamen non deficiunt diuinarum subsidia lectionum, cum dixerit Apostolus: Quoniam Dominus Iesus pauper factus est, cum diues esset, vt vos eius inopia ditaremini. Quae ergo ista paupertas quae diuites facit? Consideremus eam, intendamus in ipsum venerabile sacramentum. Quid purius potest eo esse atque simplicius? Non taurino quisquam perfunditur sanguine, vt sacra dicuntur habere gentilium: non hircorum atque arietum cruore peccator lauatur: (neque enim quisquam ita purificatur, caro enim lauatur, non culpa diluitur:) sed exiliet, inquit, aqua cum delectatione de fontibus saluatoris: & paratur in conspectu tuo mensa caelestis, & poculum inebrians quam praeclarum. Haec sunt diuitiae simplicitatis, in quibus est Christi pretiosa paupertas. Est & in moribus paupertas bona: vnde & Dominus dixit: Beati pauperes spiritu. Et in Psalmis inuenimus quia Dominus humiles spiritu saluabit. Est & in collatione tenui paupertas abundans, si abundet fides. Vnde Apostolus ait: Et profunda paupertas eorum abundauit in diuitiis simplicitatis eorum. Vt autem & ex aliis

Psalm. 39.  
Matth. 4.  
Luc. 19.

Genes. 3.

Apoc. 1.

Ioan. 1.

1. Petr. 3.

Ioan. 1.

Coloss. 2.

Ephes. 2.

Coloss. 3.

Hebr. 13.

Luc. 8.  
Marc. 7.

Esai. 50.

Psalm. 11.

Marc. 2.6.  
Ioan. 12.

Ibid.

Hebr. 12.

1. Cor. 8.

Psalm. 78.  
Genes. 3.

Luc. 15.

Ibid.

Coloss. 2.

Exech. 18.

Psalm. 108.

2. Cor. 8.

Hebr. 10.

Esai. 12.

Psalm. 22.

2. Cor. 8.

Matth. 5.

Psalm. 33.

2. Cor. 8.

aliis vocibus eius intelligamus quia ipse se pauperem dixerit, habemus alibi scriptum: Pauper & dolens ego sum: hoc est, quia pro nobis doleret, vt legimus. Neque enim in se habuit quod doleret. Si ergo pro nobis dolet, vt Esaias interpretatus est, qui eum vidit in spiritu; pro nobis vtique tristis erat: iuxta quod animam suam tristem appellauit vsque ad mortem, tamen non propter mortem: & carnem dixit infirmam quae mortis subiicit infirmitati, vt aculeum mortis infringeret, quod nos in die iudicij liberaret, quam non perfectorie malam dixit, sic enim subtexit:

In die mala liberabit eum Dominus.

Quoniam amara videtur, quae plures adiudicat poenae. Via enim virtutis angusta est, lata delicti. Ideo rariores in virtute ambulant, plures in flagitio versantur. Quo fit vt inferior eorum sit numerus, qui praemia remunerationis accipiunt, quam qui ob pretium grauius peccatorum sortem aduersam iudicij reportabunt. Quasi dolens igitur dixit malam iudicij diem. Nam si angeli in vnus peccatoris absolutione latantur, quanto magis homines in tantorum condemnatione hominum macerabuntur? Et bene dolet pro ea ome quam humeris suis ipse reportauit, & ad ouile suum reuocauit errantem. Affectu nostro loquitur Dei filius: quia nobis dies iudicij acerbior est, quam timemus. Omnibus mala videtur, quia plena terroris est, qua Deus non solum forensia hominis, sed etiam occulta diiudicat, qua cogitur vnusquisque aperire quod fecit, aut quod sensit. Ideoque multi damnantur, pauci coronantur. Sed etiam ipsi qui coronantur, dolebunt. Iusti enim coronabuntur, iustus autem quasi suam putat fratris arumnam. Et quis ego sum qui de illa iudicem, qua homo angelorum conciliis inferretur? Ipsius Domini audiamus sententiam: Veniet, inquit, hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij hominis: & procedent qui bona egerunt, in resurrectionem vitae: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Iudicabuntur ergo qui mala egerunt, & ideo mala dies & aspera ab ipso iudice nuncupatur, vt scias quia ipse nobis compatitur in euangelio, qui compassus est in prophetis. Sed & sic possumus accipere, *In die mala*, hoc est, in tempore malo. Mundus enim in malo positus est: & ideo mali dies istius mundi: & abundat dei malitia sua. Non mediocre est vt hic liberemur ab insidiis peccatoris. Qui fuerit hic liber à crimine, ibi erit liber à poena, & seueritatem iudicij subire non poterit. Et ideo votis opus est & precibus quotidianis, & aduocatione pontificis magni, de quo dicit Ioannes Euangelista: Aduocatum habemus apud patrem Dominum Iesum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Hic ergo aduocatus noster & propitiatio pro peccato totius saeculi, orat pro eo qui intelligit & credit in Christum, & dicit:

Dominus conferuet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum.

Et emundet in terra vitam eius: & non tradat eum in manus inimici eius.

*Dominus conferuet eum.* Conferuet à periculis, viuificet tamquam in mortis tenebris constitutum, beatum facere bonorum operum accessione dignetur. *Et emundet* (inquit) *in terra vitam eius.* Bene addidit, *In terra*: quia nisi hic mundatus fuerit, ibi mundus esse non poterit. Vel certe hoc modo: *Emundet in terra.* Quomodo enim quis mundus in luto, cum terra cum oblinat? ergo Domini manus est necessaria, quae fecit de terra corpus, vt ipsa mundare dignetur. *Et non tradat eum in manus inimici eius.* Quis est inimicus, nisi leo ille qui circuit rugiens, quarens quem deuoret? Alij habent: *Et non tradat eum in manus inimicorum eius.* Animas pro manibus posuit, eo quod inimicorum animae bonis insidientur, & cogitationibus suis iustum conentur euertere. Dicuntur & animae pro hominibus: Omnes animae ex Iacob, quae descenderunt in Aegyptum, septuaginta quinque. Ideo & Dauid maluit Dei se committere potestati, quam insidiis inimicorum qui parcere sua voluntate nescirent. Sequitur:

Dominus opem ferat illi supra lectum doloris eius: vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.

Quis est lectus doloris, nisi caro infirmitatis? Et bene lectus doloris, quia corpus est mortis, de quo se liberari deprecatur Apostolus, vt tamquam de tumulo quodam possit assurgere, in quo agra iacet anima, & quasi quodam decumbit in lectulo. Symmachus lectum miseriae dixit: Aquila grabatum miseriae: expressius Septuaginta viri lectum doloris putauerunt esse dicendum. His ergo versiculis vtendum est apud eos qui diutius infirmitate corporis detinentur, vt habeant medicinam Dei, quo sani esse mereantur. Lectus ergo animae, caro infirma est: cuius aegritudini anima nostra compatitur: quae si habeat adiutorem Dominum, dicit ei: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Quo confortatus Dei verbo qui aeger erat, surgit & tollit lectum suum in quo iacebat, & redit in statum pristinum sanitatis. Hoc est in domum suam regredi, vt habitet in domicilio robustissimae valetudinis. Qui habitat, regit: qui regit, virtutis habet sibi gratiam suffragatam. Sed etiam stratum omnem versasti Dominus in infirmitate languentis, cui adesse dignatur. Quod versatur, statum mutat: aut ex sanitate in aegritudinem, aut ex aegritudine ad sanitatem. Hic ergo qui aegrotat, verat se ad remedium sanitatis. Sic ergo Dominus Iesus etsi vulneratus est propter peccata nostra, tamen non in illa infirmitate permansit, sed se ipse versauit in melius ad vniuersorum salutem. Itaque passione infirmitas est soluta, mors resurrectione. Sicut ergo se ipse versauit ad populorum redemptionem, nec sensit aculeum mortis, aut vulneris infirmitatem: sic eum qui in se credit, etsi grauius aegrotantem, vt à morte liberet, versat ad vitam. Omnem ergo stratum, hoc est, vniuersorum hominum infirmitatem in sua infirmitate versauit. Suscepit enim infirmitates omnium in sua carne, erexit se in crucem, & versauit omnium infirmitates in sui corporis infirmitate. Vnde dicit Esaias: Liuore eius nos sanati sumus. Habent hoc luctatores, vt se subiiciant iis quibus congregiuntur atque lu-

Rom. 4.

1. Petr. 5.

Genes. 46.  
1. Paral. 21.

Rom. 7.

Luc. 5.

Esai. 53.  
Rom. 6.

Esai. 53.  
Ibid.

ctantur, vt opprimi posse videantur, & subito cum G  
 æstimantur elisi, quadam arte se versant, vt effundat  
 superiorem. Cadit qui portabatur : & is qui porta-  
 bat, superior inuenitur, vt sternat vrgentem. Spiritu-  
 tali itaque palæstra Dominus Iesus onera nostra  
 suscipiens, in illa se passionis suæ congressione sub-  
 iecit & in infirmitatis specie, vt cum aduersarius ho-  
 minem parem cæteris iudicaret, quem facile posset  
 opprimere: diuinitatis arma deposuit, humanitatis  
 tegmen assumpsit. Securus victoriæ propius tenta-  
 tor accessit. In costa cum telo militis voluit vul-  
 nerare, reputans & hunc sicut Adam per costâ posse  
 prosterni. Sed vulnecratus latere Dominus Iesus vit-  
 tam produxit è vulnere, euacuauit omne peccatû,  
 deiecit aduersarium, cui mortem latronis eripuit: &  
 in illa morte, in illa sui corporis sepultura cum æsti-  
 maretur elisus, sua se virtute versauit: cecidit aduer-  
 sarius, Dominus resurrexit. Sequitur:

Ego dixi, Domine miserere mei: sana ani-  
 mam meam, quia peccaui tibi.

Potest ex persona regis Dauid hoc dici: qui vidēs  
 in spiritu tantam victoriam & gratiam Christi, pe-  
 tit vt in illa remissione peccatorum omnium & sui  
 misereatur: quoniam ipse etsi legibus, quasi rex, non  
 teneretur humanis, Deo tamen obnoxium se pro  
 peccatis suis esse cognoscit. Confitetur ergo pecca-  
 tum suum, vt accipiat remissionem, & generalis in-  
 dulgentiæ munus inueniat. Potest & ex persona Sal-  
 uatoris hoc exprimi, qui nobis misericordiam Dei  
 postulat, & peccasse se dixit, quia pro nobis pecca-  
 tum factus est. Simul nos docet, cum in aliquo su-  
 mo aduersus inimicos Dei certamine constituti, vt K  
 Dei imploremus auxilium: ipsi peccata nostra fa-  
 teamur, & tunc maximè cum vrgemur & terimur:  
 cum dolore & amaritudine prosternamur, ne ta-  
 cuisse videamur: quò medicina citius nostris vulne-  
 ribus deferatur vt sanati aduersario resistamus.  
 Quomodo enim potest congregari vulneratus? Vnde  
 discimus quia peccatorum nostrorum aculeis vul-  
 neramur? Vulnus medicum quærit, medicus con-  
 fessionem exigit. Hinc quoque magis ac magis ape-  
 riri Saluator sacramentum suæ incipit passionis:  
 quod cum Euangelio concordare non dubium est. L  
 Nam maledicebant ei Iudæi, mortem eius expe-  
 ctabant: insidiabantur, vrgēbant, crescentem quoti-  
 die gloriam operis eius nō ferentes. Hoc ergo pro-  
 phetia annuntiat, quod in Euangelio cōpletum est.

Inimici mei dixerunt mala mihi: quando  
 morietur, & peribit nomen eius?

Amentes, qui vitæ auctorem mori posse crede-  
 bant: sed vota eorum Ecclesia destruebat, credens  
 quòd etiam mortuus secundum corporis conditio-  
 nem, suum nomen auget: & ideo psallebat ei, di-  
 cens: Memor ero nominis tui in omni generatione  
 & generationem. Repetebat: Vnguentum exinaniti-  
 um est nomen tuum. Moriantur illi qui te mori posse  
 præsumunt, non moriar ego quæ te noui vitæ ar-  
 bitrum, salutis auctore. Nouit enim quòd tem-  
 pore passionis & resurrectionis orabant discipuli  
 congregati, quando eis Maria Magdalena resurre-  
 xisse Dominum nuntiavit, & quando eis clausa ia-

na Dominus se in corpore resurrectionis ostendit,  
 quando Thomas vulnera eius vidit, & credidit. In-  
 sultabant ergo Iudæi quasi mortuo: sed Dominus  
 viuentem se Apostolis reuelabat. Cum ergo dicerēt  
 Iudæi: Ecce mundus totus post eum abiit: cum di-  
 cerent quia mirabilibus operibus seducit populum:  
 quid aliud dicebant, nisi: Quando morietur, & peribit  
 nomen eius? Et ideo in eius passione clamabāt: Tolle,  
 tolle hunc. & Crucifigatur, crucifigatur. Factum est  
 quod petebat, sublatu à terra est: resurrexit, ad cæ-  
 lum ascendit, & regnum suum de nouis paradisi se-  
 dibus reformauit. De Iuda quoq; proditore euidēs  
 propheta subtextitur in his versiculis qui sequitur:

Et ingrediebatur vt videret, vana locutus:  
 cor eius congregauit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras, & loquebatur in id-  
 ipsum.

Sic distinctum Græcis in codicibus inuenimus.  
 Ingrediebatur ergo Iudas, quærens prodere Salua-  
 torem, vt videret quid ageret, quidve loqueretur,  
 vt eum caperet in sermone, & Iudæis annuntiaret.  
 Sed nihil inueniebat, qui nihil intelligebat. Bene ait  
 scriptura quia intus cum Iesu non erat, qui de do-  
 ctrina eius recesserat, & institutiones eius relique-  
 rat. Volebat intrare, sed penetrare nō poterat: quia  
 cum sua excluderat perfidia. Omnis enim impudic-  
 us, aut auarus, aut immundus (quod est idolorum  
 seruitus) non habet hereditatem in regno Christi &  
 Dei. Non solū ergo ingredi moliebatur, & non  
 ingrediebatur: sed etiam volebat videre, & non vi-  
 debat. Deniq; loquebatur Iesus in parabolis: sed nō  
 audiebat Iudas. Denique diuina nō videbat mystra.  
 Non enim omnes audiunt verbum Dei, qui sibi  
 videntur audire. Nā si omnes audirent, non diceret  
 Iesus: Qui habet aures audiēdi, audiat. Et ideo quia  
 non audiebat, neque videre poterat, loquebatur va-  
 na pro veris, & putabat quòd Iesum falleret, dicens:  
 Potuit hoc venundari, & dari pauperibus; cum fur-  
 tis suis, non pauperibus prouideret; appellans rabbi  
 atque doctorem, à cuius magisterio deuiabat: cuius  
 cor (in quod se immerserat diabolus) congregabat  
 sibi & augebat iniquitates. Sibi enim erat iniquus,  
 sibi iniustus: sibi delinquebat, qui intra se dolū me-  
 ditabatur, qui latere non poterat. Non enim cir-  
 cumueniebatur Iesus, qui prodebat volens, & tes-  
 tificabatur: Vnus ex vobis me tradet. Deniq; con-  
 fessus est Iudas, dicens: Numquid ego sum, rabbi? Et  
 Dominus ait, Tu dixisti. Nec sic intellexit Iudas  
 quòd cognosceretur. Nam si intellexisset, non pro-  
 didisset. Sed nihilominus, egrediebatur foras, & loque-  
 batur. Aptus versiculus aduersum eos qui secretum  
 alicuius prodit. Pulchrè ait: Egrediebatur foras. Foris  
 enim lupi, foris prædones: intus Moyles in nube  
 cum Iesu. Foris Iudæi, intus Zacharias sacerdos in  
 templo. Foris multitudo, intus Spiritus sanctus in  
 cordibus nostris clamat, abba patrè. Foris aduersa-  
 rius noster sicut leo peruigilat ad rapinam: Foris in-  
 fideles, intus fideles. Et ideo eos qui foris sunt, iudi-  
 cabit Deus: eos autem qui intus sunt, Christus ab-  
 soluit. Egrediebatur igitur Iudas, & loquebatur. E-  
 grediebatur de fide, egrediebatur de consilio &  
 numero

numero Apostolorum. Egrediebatur de conuiuio  
 Christi ad latrocinium diaboli. Egrediebatur de gra-  
 tia sanctificationis ad laqueum mortis: qui vana ad  
 perfidos loquebatur. Egrediebatur foras, qui vitæ  
 internæ mysteria relinquebat. Egrediebatur, qui  
 scripturæ interiora non nouerat. Si enim scisset, in-  
 tellexisset dicentem: Numquid qui dormit, non ad-  
 iiciet vt resurgat? Intellexisset etiam illud: Tu verò  
 homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui sem-  
 per mecū dulces capiebas cibos: in domo. Dei am-  
 bulauimus cum consensu. Non intellexit ergo hūc  
 Psalmum, non centesimum atque octauum, non al-  
 ios, non alia testimonia scripturarum. De quo be-  
 ne Euangelista dicit Ioannes, & de cæteris infideli-  
 bus: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si  
 enim ex nobis fuissent, nobiscum mansissent.

Aduersum me infusurrabāt omnes inimi-  
 ci mei, aduersum me cogitabant mala mihi.

Non manebat ergo cum Apostolis proditor, qui  
 foras exibat, & cum perfidis susurrabat. Quo verbo  
 vsa est scriptura diuina, demonstrans sine auctori-  
 tate esse perfidiam, quæ timet quod loquitur depre-  
 hendi. Fidei autem dicitur: Exalta viribus vocem  
 tuam. En quòd dederat apostolus Iudas, qui mis-  
 sus erat fidem gentibus pleno auctoritatis præco-  
 nio prædicare, vt in aurē infusurraret insidiatoribus  
 magistri sui quod timeret audiri. Nōne iudicio  
 suo se ipse damnauit? Sed erubescere audiri, quod  
 facere non timebat. Erubescere, quia aduersus vi-  
 tæ suæ sanctificationis & honoris auctorem cogita-  
 bant mala, nec gratiam beneficii rependebat, sed  
 mala pro bonis bono referebat magistro: quod etiā  
 sæculi homines damnare consueverunt. Erubescere  
 ingratus deprehēdi, erubescere auarus videri, cum  
 pro pecunia auctoris sui salutem proderet. Erube-  
 scebat videri perfidus: similiter & Iudæi, qui aduer-  
 sus fidei magistrum falsos testes perfidi suborna-  
 bant, vt dicerent quòd prædicasset templum Dei  
 quod Salomon condidit, destruendum: cum ille de  
 templo sui corporis significasset: Soluite hoc tem-  
 plum, & in triduo excitabo illud. Verè foris erant,  
 qui à cognitione verbi cælestis erant exclusi.

Verbum iniquum proposuerunt aduer-  
 sum me: numquid qui dormit, non adiciet  
 vt resurgat?

Verbum iniquum. Id est, illicitū, & contra ius & fas  
 sermonem proposuerunt, mihi facientes de huma-  
 no sanguine passionem, quem sceleratissimè vendi-  
 dit Iudas, Iudæi quoque emendum non minore  
 scelere crediderunt, vanissimi homines, quasi qui  
 dormit, inquit, non adiciet vt resurgat. Quid sit ad-  
 iectio, consideremus. Naturale est omnibus terre-  
 nis animantibus, & volatilibus cæli, & piscibus ma-  
 ris nasci & mori. Homini, quem pretiosiore cæteris  
 terræ animantibus Deus fecerat, hanc præcipuè  
 contulit gratiam, vt mortuus reuiuiscat. Hæc ergo  
 adiectio dicitur ad renouationem vitæ superioris.  
 Denique & Ezchias regi cum præscripsisset Domi-  
 nus quòd vitæ suæ tempus impleffet, & per Esaiam  
 mandasset vt ordinaret domum suam, quia moriturus  
 esset, atque ille orasset ad Dominum, & fleuisset  
 S. Ambr. tom. 2.

fletu magno, misertus Dominus mandauit ei: Ecce  
 adiicio ad tempus tuum annos quindecim. Et alibi  
 sanctus Dauid ait: Dies super dies, regis adicies an-  
 nos eius. Inuētum ergo homini quod addatur: Deo  
 autem addi nihil potest, quia scriptum est: Non  
 est adiicere, neque minuere, in quo perfecta & plea-  
 na sunt omnia. Et si Christus resurrexit, vtique in  
 eo quod assumpserat resurrexit: in quo plenitudini  
 diuinitatis eius nihil vel decedere potuit, vel acce-  
 dere. Deus enim incorporeus & immortalis est,  
 cuius summa natura & plenitudo virtutum, sine vlla  
 carnis accessione signatur. Caro autem dispensatio-  
 nis in Christo est: quam miserationis titulo, & pie-  
 tatis iure suscepit, vt captiuam redimeret, ablueret  
 contaminatam, mortuam resuscitaret. Et pulchrè  
 ait: Numquid qui dormit, non adiciet vt resurgat? Non  
 dixit, non adicitur: sed, non adiciet vt resurgat, eo  
 quòd ipse se Dei filius resuscitauit, sicut supra dixi-  
 mus dixisse cum Iudæis: Soluite hoc templum, &  
 in triduo excitabo illud. Adiectionem accepit caro  
 quasi sumpta de homine, suscepta de Virgine. Sed  
 quasi Deus adiectionem ipsam operatus est, qui vir-  
 tute propria resurrexit, vt esset suæ resurrectionis  
 operator. Cum igitur legas quòd & pater filium, &  
 filius ipse se resuscitauerit: agnosce operationem  
 illam diuinæ fuisse virtutis: quia patri & filio vna  
 virtus, communis operatio: quandoquidem vna  
 atque eadem substantia Trinitatis est. Sed quid ego  
 cæteros arguo? dicit Dominus Iesus: Quid mirum  
 si populus me non cognouit, & cruci adiudica-  
 uit, cum Apostolus meus mercedem proditoris  
 exegerit, cum coniuua meus mortem meam ven-  
 diderit?

Etenim homo pacis meæ, in quo speraui,  
 qui edebat panes meos, ampliavit super me  
 supplantationem.

Aliqui Iudam excusandum putant, quia resudit  
 pecuniam quam pro mercede proditoris acceperat.  
 Sed ecce quia supra Iudæorum condemnatur  
 infidelitatem. Cui enim plus datum est, plus exigi-  
 tur ab eo. Quid verò de aliis querat? Homo (inquit)  
 pacis meæ, cui pacem meam dederam, pacem meam  
 relinquere volueram; persecutoribus deductis in  
 tradidit, & fessit me, in quo speraui. Numquid  
 ignorauit proditorem sui futurum, de quo antè præ-  
 dixit: Vnus ex vobis me tradet? (hoc autem dice-  
 bat de Iuda, sicut scriptum est in Euangelio.) Non  
 vtique, sed quòd amplius condemnaret eum, de fide  
 eius sperasse se dixit. Aquila, Confusus eram, dixit:  
 Symmachus posuit, Confidebam. Plus enim grauius  
 eum in quo plurimum spei vel fiduciæ habuisset  
 nos dicimus, si postea spem nostram opinionemque  
 destituit. Simul ostendit quanta vis diuinæ sancti-  
 ficationis sit, quæ excludat malitiā, & deprauatum  
 emendet ingenium, si forma propositi melioris ac-  
 cedat. Quantos scimus esse conuersos? Mutatus  
 est Zachæus ille publicanus, & ad quæstum aua-  
 ro intētus affectu, qui postea quadrupli redhibitio-  
 ne soluit errorem, condemnauit in se auaritiā, tem-  
 poris superioris abiurauit lucta, compensauit in  
 pauperes, si deesset exactor. Latio ipse nequitiam  
 suam proposito meliore mutauit, agnouit in cruce  
 S.

Ioan. 19.

Luc. 23.

2. Cor. 5.

Matth. 27.  
Ioan. 11.

Act. 3.

Psal. 44.

Can. 1.

Hebr. 5.

Ioan. 20.

Luc. 24.

Psal. 40.  
infr.  
Psal. 54.

1. Ioan. 2.

Ioan. 13.  
Matth. 26.

Esai. 58.

Psal. 34.

Matth. 26.

Ioan. 2.

Matth. 26.

Matth. 26.

Genes. 1.

Esai. 38.

Matth. 26.

Ibid.

Psal. 60.

Zach. 18.

Coloss. 2.

Ephes. 4.

Ioan. 2.

Esai. 1.  
Matth. 26.

Matth. 27.

Luc. 12.

Ioan. 14.

Ioan. 13.

Ibid.

1. Tim. 4.

Luc. 19.

Luc. 23.



Christum, confessus est Dei filium, regem voce propria nuncupavit. Quo tempore iusti plerique nutabant: ipsi certe latebant Apostoli: carnifex ipse Centurio non negavit. Quid de tempore Evangelij loquor? Rahab meretrix erat, quae perfidiae atque intemperantiae se alebat stipendiis. Tamen ubi exploratores vidit quos miserat Iesus Naue, fide induit, & periculo imminente iustitiam servavit: nec susceptos prodidit, sed humanitate protexit. Ideo ergo sperasse se dicit, quasi iure praesumpserit ut Apostolus superiora deponeret, anteriora sequeretur: & qui sanctificandi alios munus acceperat, ipse in se sanctitatis gratiam custodiret, & sinceritatis inhæreret officijs. Bene ait, *Speravit*: quia homini dedit eligendi arbitriū quid sequatur. Posui, inquit, ante te bonum & malum. Si malum elegeris, non natura delinquit, sed eligentis affectus. Si unusquisque hominum condénatur qui malum elegerit: quid de Iuda dicimus, qui prodidit eū cui copulabatur suavitae conuiuij? *Qui edebat* (inquit) *panes meos, ampliauit super me supplantationem.* Quid est quod addidit, *Panes meos*? Potuit dicere: *Qui edebat panes mecum*: nisi illam intelligas quae specialis est Christi, hoc est, verbi caelestis alimoniam. Non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. Denique alibi dicit: *Qui semper mecum dulces capiebas cibos.* Quibus versiculis bene utimur aduersus eos qui necandos esse crediderint cum quibus videntur perulati. Gentes hoc custodire memorantur hostes plerūque, latrones etiā, ut parcat iis cum quibus recordentur se in ille conuiuiū. *ferat ipsa pabulorum societate mitescunt.* Vnde propter huiusmodi affectum gratiae coniuualis, si verba consideremus, non otiose dulces cibos dixit. Quomodo enim dulces, qui cito corrumpuntur? Sed vide ne dulces cibos dixerit verba vitae. Hos enim cibos nulla amaritudo corrūpit, nulla mortis corruptela contaminat. Vnde & semper dixit. Non enim semper edere quis poterat. Semper autem verbo Dei possumus inhærere, & noctibus & diebus, si in lege Dei die & nocte meditemur. Quid est etiam, *ampliauit*? *Græcus ἀμειν* dixit, hoc est, magnificauit. Vtrumque nobis exposuit Dominus quod mouere nos posset, dicens in Euangelio: *Qui māducet mecum panem, leuauit super me calcaneum.* Vnde assumptus hic sermo sit cōsideremus. Fuimus, inquit, increduli, errantes, seruientes desiderijs & voluptatibus varijs. Fateamur errorem, ut diluamur. Et ego vidi aliquem puer athletam, cum elisisset aduersarium, frōtem ei percussisse calcaneo: quod signum fuit quod insultauerit victo. Hoc est quod ait: *Magnificauit super me supplantationem.* Quo verbo insultantis iactantiam declarauit. Leuauit ergo & Iudas super Christum calcaneū suum, cum proderet eum: sed non leuauit impune. Adhuc Adam calcaneum leuat: quod a serpente est vulneratum. Et utique ei pedes lauerat Christus. Audierat dicentem: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus.* Sed quod lauit gratia, inquinauerat perfidia. Iudas ergo calcaneum leuauit ad vulnus. Verè non tenuit caput, qui calcaneum super Christum leuauit. Adam super se leuauit, hic super Christum: & ideo eum serpens grauius quam ceteros vulnerauit. Leuauit calcaneum suum, qui fraudulentū oscu-

Math. 26.  
Math. 27.  
Ios. 2.  
Eph. 3.  
Deut. 30.  
Math. 4.  
Psal. 54.  
Ios. 7.  
Ioan. 13.  
Tit. 3.  
Ioan. 13.  
Genes. 3.  
Ioan. 13.

lum porrigebat, quod supplantaret auctorem. Ideoque scriptum est in Propheta: *Ampliauit super me supplantationem.* Esau quoque ait de fratre suo: *Bis me iam supplantauit.* Qui supplantat, dolum facit quo aduersarium elidit aut vulnerat. Ideo & Iudas supplantasse dicitur, quia osculo suo vulnus infixit, quo inuadendi Saluatoris signum persecutoribus demonstrauit. Supplantauit ergo quasi serpens, quia serpens ore venenum infundit, & vulnerat dente calcaneum. Et hic enim non diuinitatem Christi, sed corporis extremum calcaneum vulnerauit. Leuauit etiam Iudas calcaneum quasi luctator insolens & superbus, quod caput percuteret Saluatoris: sed caput Christi ferire non potuit, quia caput Christi Deus. Suum sanè caput informis laquei nodo ligauit, ut remedium sibi salutis auferret. Vide si piè potes illud aptare quod in Genesi dixit sanctus patriarcha Iacob cum de filiis prophetaret: *Dan iudicabit populū suum tāquam vna tribus in Israel.* & *Fiat Dan sicut serpens in via, sedens in semita, mordens calcaneum equi: & cadet eques retrorsum, salutem expectans à Domino.* Legimus quidem quod Samson de tribu Dan iudex fuerit in Israel. Sed alius hic significatur futurus, qui ex ea tribu progressus populum supplicijs facilegæ impietatis affliget, antichristus ille, qui sedebit in tēplo tamquam sit Deus, verè iudicium, quod habet interpretatio. Dan enim iudicium significatur. Et pulchrè dixit quia populū suum iudicabit, qui perpetuae poenae fiet obnoxius. Qui enim non credit, iam iudicatus est. Qui autem credit, non iudicabitur: quia credit in Dei filium animae suae redemptorem: & ideo tamquam iudicij liber dicit: *Qui diiudicat me, Dominus est.* Iudicaturus est ergo populum impietatis, non plebē. Illi enim iudicantur qui cadunt ruina perfidiae, non qui resurgunt fidei libertate. Sedebit igitur in via, & insidiabitur in semita sicut serpens, vt vulneret transeuntes, & mordeat equi nostri calcaneum. animam enim fidelium non poterit vulnerare. In qua autem via sedebit, & in qua semita, nisi ex quibus Christus Dominus (vt legimus) nationū populū vocauit ad cōenam suam, dicens: *Exi in vias, & circa sepes, & compelle vt intrent, vt impleatur domus mea?* Et quia similiter Iudas amplificasse super Christum legitur supplantationem, videtur hoc loco ipse signari quod mordere haberet calcaneum equi quo Christus Dominus vehebatur. Vnde dictum est: *Equitatus tuus salus: quod caro eius, mundi totius erat susceptura peccatum, vt salus pro exitio, & vita aeterna pro morte succederet.* Vulneratus est ergo equus solus, non mendax ad salutem. Vulneratus est equus qui mundi totius peccata suscepit, & onera nostra portauit: & non fuit fatigatus. Vulneratus est equus qui ad furorem concubitus adhinnire nesciuit. Et ideo fortassis Ioāni Euangelistae caelum apertū, & albus equus est demonstratus, super quem sedebat habens in capite diademata multa, & in femore suo nomen scriptum: *Rex regum, & Dominus dominantium.* Albus erat, qui erat immaculatus, quia nulla peccati inquinamenta cognouerat. Nam si libido tenebrosa est, rectè sanctimonia relucet & splēdet. Hic ergo equus est vulneratus, sed non retardatus. Denique cum ipso vulnere

Genes. 27.  
Ioan. 18.  
1. Cor. 11.  
Math. 27.  
Genes. 49.  
Ibid.  
Iudic. 13.  
2. Thess. 2.  
Genes. 49.  
Ioan. 3.  
1. Cor. 4.  
Luc. 14.  
Eph. 3.  
Esai. 53.  
Hier. 5.  
Apo. 19.

de tumulo resurrexit, cucurrit ad caeli supra omnes Angelos & archangelos, velocior omni equitatu militiae caelestis inuentus: supra equos etiā illos igneos quibus Elias raptus est. Et merito velocior, qui super omnes caelos & supra caelum caelorum ad sedem Dei omnipotentis ascendit, & sedet, vt scriptura nos docuit, dicens: *Videbitis abhinc filium hominis sedētem ad dexteram virtutis Dei.* Hic itaque equus in figura & antè est demonstratus tempore Machabæorum, super quem sedebat dux ille militiae caelestis aureis armis resurgens, qui Heliodorum de pecculatore illum depositi vidualis, ceterorumque quae sacra fuerant cōmendata custodiā, & strauit & perculit, & prostratū Oniae sacerdotis precibus vitali vsui reformauit. Vnde verè in eo arma aurea resullerunt, quia solus equum hunc sedit, & vicit, in quo nullus culpae immunis euasit. Non Enoch, qui raptus est ne malitia mutaret cor eius. Non Abraham, non Isaac, non Iacob, nō Moyses. Omnes enim sub peccato, omnes sub morte. Denique regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen. Solus iste est qui peccatum non fecit: solus est Christus qui peccatum abstulit mundi: qui dixit morti: *Vbi est mors victoria tua? vbi est mors aculeus tuus? Quomodo ergo ampliauit super hunc supplantationē suam Iudas, & cecidit eques retrorsum? Quod in Iuda est, dolum fecit: quod in Christo, volēs passus est.* Saepè videmus fortiorem velle percuti, vt acrior lacestus insurgat, vehementius excitetur. Momordit ergo serpens calcaneum equi, virus suae fraudis euomuit: volens eques se ipse deiecit, volens cecidit, vt nos leuaret. Quid est tamen, quod ait scriptura: *Et cadet eques retrorsum? Cur retrorsum, nisi vt regeret se sequentes? Retrorsum erat Petrus, cui dixit: Vade retro me.* Retro erant Apostoli & ceteri discipuli. Ideo retrorsum cecidit, quia super quos cadit, saluat. Omnis enim qui super hunc lapidem, inquit, ceciderit, conuallabitur: supra quae autem ceciderit, emundabit eum. Alij habent, Ventilabit eum. Alij, Comminuet. Qui enim ventilat frugem, mundat à paleis: qui comminuit aliquid, in puluerem redigit, vt mollitia pulueris vel poculo salubri vel reliquo medicinae vsui sine vlla perturbatione proficiat. Vnde colligimus cauendum ne quis semel per baptismum susceptus à Christo, ex eius decidat corpore, hoc est, excutiat ab Ecclesia. Ipsa est enim mortis ruina perpetuae. Illum autem qui venit crediturus in Christum: vt eum mors Christi inueniat, crux eius assumat, clauus infigat, sanguis infundat, sepultura quoque eius inuoluat, gratia resurrectionis attollat, de somno suscitetur, à morte viuificetur: illum, inquam, à saeculo liberat, à peccato mūdatur, sanat à vulnere, à duritia impietatis inflectit, ad māsuētudinem pietatis emollit, vt circumciso corde suauem illum & incomprehensibilem hauriat spiritum, bibat poculum salutis aeternae. Cecidit ergo eques retrorsum. Accipe & aliud, cur retrorsum: quia post ipsum omnes, nemo ante ipsum. Cecidit ergo non sibi, sed omnibus: vt duritiam cordis nostri super nos cadendo molliret. Cecidit super Adam, quem quarebat, vt inueniret. Retro eum quesiuit, vt supra humeros suos bonus pastor imponeret, secumque paradiso in illius redemptione la-

Eph. 1.  
4. Reg. 2.  
Eph. 4.  
Marc. 14.  
2. Mach. 3.  
Sapient. 4.  
Rom. 5.  
1. Petr. 2.  
Ioh. 1.  
1. Cor. 15.  
Genes. 49.  
Marc. 8.  
Luc. 20.  
Genes. 49.  
Marc. 8.  
Luc. 20.  
Luc. 15.  
Luc. 23.

tronis inueheret. Sed fortè dicas: *Et persecutores ceciderunt retrorsum.* Sic enim scriptum est: *Quia sacerdotum ministri quos adduxerat proditor Iudas, & ceteri qui ad cōprehendendum venerant Dominum Iesum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Hoc est quod & ego dico, quia super peccatores voluit cadere, non super iustos. Iustus enim medico non indiget, sed peccatores. Si Apostolorū vmbra sanabat, quanto magis caro Christi quos tangit, à morte defendit? Denique leprosum tetigit, & sine dilatione mundauit. Vt scias autem qui legis, quia & persecutores suos voluit liberare, istem Christi interroga. Nam cum inueheretur Petrus in Iudaeos quod principem vitae interfecissent, remedium demonstrauit, vt agerent poenitentiam, qua remitti sibi peccatum quod admiserant, mereretur. Quid autem dubitas quod ideo cecidit vt resuscitaret, cum ipse dixerit: *Percutiā, & sanabo? Verborum tamē vide distantiam.* In Genesi habetur: *Cadet eques retrorsum, salutem expectans à Domino.* hoc est, vt oculos non auertat, actio mentem propriam non reflectat, resurrectionis suae praerogatiuam vendicet, & diuina se resuscitet potestate. Hic autem habetur: *Abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Qui terrenus est, in terram cadit: qui caelestis, caelo inhæret. Etsi corpore cadit, virtute non cadit: nec iis quae sua sunt, sed quae sursum, semper intendit. Semper enim ad patrē respicit, vt eius circa nos impleat voluntatem. Vtinam & isti nō abiissent retrorsum, sed Christum excepissent, sicut excepit Ioseph, & sepeliuit eum in monumento nouo. *Qui fidelis est, in terram non cadit. Qui infidelis, cadit, & descendit in inferiora terrarum, sicut scriptum est: Descendant in infernum viuentes.* Ergo persecutor super terram, & in infernum cadit: Christus super resurrecturos, Christus super petram, Christus super Ecclesiam. Audi quomodo super Ecclesiam cadat. Retro erat Petrus, & sequebatur eum cum à Iudaeis ad Caiphæ domum synagogae principis dueretur. Ipse est Petrus cui dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Vbi Petrus, ibi Ecclesia: vbi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita aeterna. Et ideo addidit: *Et porta inferi nō praualent ei: & tibi dabo clauas regni caelorum.* Beatus Petrus, cui non inferorum porta praualuit, non caeli porta se clausit: sed e contrario destruxit inferni vestibula, patefecit caelestia. In terris itaque positus caelum aperuit, inferos clausit. Potest & illud conuenire huic loco, quod Samaritanus descendente de Hiericho hominem vulneratum illū à latronibus non praeriuuit, sed suscepit eū, & vulnera eius curauit, infundens oleū & vinum, & imposuit supra iumentum suum, & duxit ad stabulum. Quid dubitas de equo bono, cum bonum & iumentum legeris? Cum legeris in sanctam Hierusalem & equites multos & plurimos eū quadrigis & cutribus introire? Nec te moueat quod legisti: *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.* Ipsi obligati sunt, & ceciderunt. Sed Elias non cecidit, qui in curru introiuit. Vbi enim Dei nomen est, ibi nullus obligatur: sed absoluntur vniuersi. In nomine autem Dei nostri & pauper est tutus & diues, & nobilis & ignobilis, & infirmus

Ioan. 18.  
Luc. 5.  
Math. 8.  
Act. 2.  
Deut. 32.  
Gen. 49.  
Ioan. 18.  
Coloss. 3.  
Ioan. 17.  
Math. 27.  
Psal. 54.  
Math. 26.  
Math. 16.  
Ibid.  
Luc. 16.  
Esai. 66.  
Psal. 19.  
4. Reg. 2.

& potens. Fidei nō prāiudicāt opes, si tamē vti opibus nouerimus. Et ideo nomē Dei in se habēs dicit:

Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam illis.

Quod vti que non quasi de resurrectione dubitās dicit, qui potestatem habebat dicere: Soluite templum hoc, & triduo excitabo illud: sed formam dat homini, vt misericordiam à Deo, & resurrectionem de Deo speret. Deinde non resuscitari se petit, sed resuscitari sibi postulat Matthiam in locum Iudæ, vt apostolicus numerus impleatur. Etenim quia necesse habebat perire filius perditionis, vt scriptura impleretur, oportebat in locum ipsius subrogare filium salutis. Tertium accipe: Resuscitari se, hoc est corpus suum, poscit. Corpus autem Christi, Ecclesia est. Er quia Iudas figura erat infidelis populi Iudæorū, qui pecunia vel emit vel vendidit Christum (quod faciunt qui pluris ducunt pecuniā quam religionem) pro interitu plebis infidelis significat Ecclesie sibi gratiam resurrectionem. Vnde & ipsa dicit in Canticis: Si suscitaueritis & resuscitaueritis charitatem: cum quæreret de iuēculis Christum; quia Christus charitas est. Quod autē ait: *Retribuam illis*: hoc intelligimus, quia florētis Ecclesie processibus cruciabantur, & tunc cognoscent quæ pœna perfidiæ sit, cum aduerterint qui fidei sit iplēdor, & gratiæ. Vel quia bonus Dominus est, qui poterat dicere: Retribuebant mihi mala pro bonis: & medium verbum est retributionis, vel in bono, vel in malo: retribueturum in bono esse se dicit: quia etsi cæcitas in Israel ex parte continget, tamen cum plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Israel Christi misericordiatione saluabitur. Et subiicit:

In hoc cognoui quoniā voluisti me: quoniam non letabitur inimicus meus super me.

Superius de passione sua loquutus est quasi homo: hinc iam aperit maiestatem suam, quod solus sine peccato, solus cui peccator insultare nō potuit, solus quem pater vt vnicum filium dilexerit. Quæ ratione ergo inimicus non est lætatus super eum? Quia etsi mortem suscepit pro nobis, resurrexit tamen: & ipse insultauit inimico, cuius victoriam destruxit, & aculeum mortis infregit. Et nos licet in sæculo mœsti simus, atq; in mœrore nostro & contritione cordis animique nostri lætetur inimicus; tamen resurgent es eius gaudium destruimus. Vnde & Michæas dicit: Noli super me gaudere inimica mea, quod ceci di: quia resurgam. Resurrectio est ergo qua inimici omnia vincula soluuntur, triumphus omnis aboletur. Sequitur:

Propter innocentiam autem meam suscepisti me, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Innocens nulli nocet, in neminem peccat. Ideo sine peccato, sine dolo Christus, scripturæ diuinæ auctoritate signatur. Hoc igitur & hic declarat, vbi dicit: *Propter innocentiam autem meam suscepisti me*. Quæ autem susceptio significatur? Nā & alibi legimus: Suscepisti me ex vtero matris meæ. Ergo quia ab omni concretionem generationis humanæ mun-

us est natus, qui de spiritu est natus & virgine: ideo eum pater suscepit, quia ortum illius nulla corporæ generationis cōcretio vīitata suscauit. Suscepit eum resurgentem, quia nulla eum offensio prolapsionis aspersit. Immaculatus ad patrē rediit, à quo immaculatus exiuit quando descēdit in terras. Vnde dicit ei pater: Filius meus es tu, ego hodie genui te: hoc est, generationis meæ in te priuilegium recognosco, quē nulla macula potuit inquinare peccati. Ita inter peccatores versatus es, peccata omnium suscepisti, peccatum pro omnibus factus es, maledictum pro omnibus factus es: sed nullus vīus potuit ad te transire peccati. Ita inter peccatores versatus es, quasi inter angelos versaris. Fecisti terram esse quod cælum est: vt & ibi peccatum tolleres. Hodie te genui, in quo complacui. Probasti te filium, qui implesti in omnibus patris voluntatem. Hodie te genui, in quo lucem immaculatæ prolis agnosco. Heri mihi & hodie ipse es, & in sæculum. Nox in te nulla est, quia totus es dies. Bene confirmatus in conspectu patris dicitur in æternum, qui apud patrem semper est: & verē in conspectu eius, cuius splendor est gloria, & imago substantiæ. Sed quemadmodum complacet in filio pater, ita & filius benedicit patrem. Pater enim honorificat filium, & filius honorificat patrem.

Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo & in sæculum: fiat, fiat.

*Benedictus Dominus Deus Israel*. hoc est, populi Deum videntis, qui & Dominum suum & Deum credit. *A sæculo & in sæculum: fiat, fiat*. In Hebræo habet: *Amen amen*: vt asseruerunt qui librum legērunt Hebraicis litteris scriptum. Græcus hoc loco *ἔνεοτο, ἔνεοτο* dixit: quod est *Fiat, fiat*. Quod verbum diuersas significationes habet, vt sit interdum imperantis, interdum precantis, interdum confirmantis aliquid. Imperantis est cum superior inferiori statuit quid faciendum sit vel sequendum. Precantis est, sicut illud: *Fiat voluntas tua*. Nō enim Deo quis imperat, sed precem fundit. Confirmantis est cum benedicit propheta, vel sacerdos, vel factus aliquis, & populus respondet: *Fiat, fiat*. Hic ergo magis confirmatio mihi videtur benedictionis, quam oratio vel deprecatio, maximè quia repetitio ipsius facta sermonis est. Et videtur Hebræus quidem sermo mutatus: sed idem sensus expressus. Sicut enim cum sacerdos benedicit, populus respondet, Amen, confirmans benedictionem sibi, quam plebi sacerdos à Domino deprecatur: ita in Psalmo responsum est: *Fiat, fiat*; quasi, Amen, amen, Amen autem confirmationis verbum euidenter ostenditur in Euangelio, vbi Dominus cōfirmans sermonem suum dicit: *Amen dico vobis*. Maior autem vis est vbi repetitus est sermo: quod in libro Euangelij secundum Ioannem frequentius inuenimus; quia ipse maximè de cælestibus & profundis mysteriis est locutus, sicut scriptū est: *Amen amen dico tibi*: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnū Dei. Et alibi: Amen amen dico vobis: Si quid petieritis à patre in nomine meo, dabit vobis. Abundant duo exempla, reliqua verò si quis quæserit inueniet. Indicium quoque est libri finiti, *fiat, fiat*. Nam

in

in quinque libros diuisum videtur esse Psalterium. Primus liber hoc Psalmo finitur, hoc est quadragesimo. Et pulchrè vsq; ad passionem Saluatoris quadragesimus Psalms est comprehensus, qui finem libro daret: quoniam passio Domini finis est quadragesimæ: vt secundus liber à mysteriis renouationis inciperet: qui liber, vt pote quinquagesimæ, perfectiora sacramenta complectitur. Nam & baptismatis prænuntiat sacramenta cum dicit: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarū, & requiem sanctorum, qui ad tabernaculum cælestis peruenierunt: & spiritus sancti descensionem, quādo effusa est gratia spiritualis in quadam voce cælestium cataractarum: quia virtute magna spiritus ferebatur, vt legimus in Actibus Apostolorum: & ingressum renouati hominis ad altare, & Saluatoris ascensum, & sanctificationem propositi virginalis. Qui liber finitur in psalmo septuagesimo primo, quo regnū Christi pacificū toto orbe diffusum propheticis sermone annuntiat, remissioque peccatorum: vbi cum benedictionem Domini præmississet, subtexuit: Et replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat. Tertius quoque liber finitur octogesimo octauo Psalmo; & ibi habet: Benedictus Dominus in æternum: fiat, fiat. Quartus liber finitur Psalmo centesimo quinto; & ibi habet: Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo & vsque in sæculum: & dicit omnis populus: fiat, fiat. Quintus liber vsque ad finem est, vbi pro hoc verbo Propheta dicit: Omnis spiritus laudet Dominum. Sed iterum forsitan te moueat, quomodo quinque libros asseram, cum vnum Psalterium sit. Sed etiam Euangelium vnum est, & quattuor libros esse negare non possumus. Vnum autem Euangelium esse, & alibi (ni fallor) intimauius: & siterū exigitur, facillè possumus edocere, cum Saluator dixerit: Amen dico vobis: Vbi cumque prædicatum fuerit hoc Euangelium. Et Apostolus: Miror quod sic tam citò transferamini in aliud Euangelium, quod non est aliud, nisi si qui sunt qui vos peruertunt. Et alibi: Notum enim facio vobis fratres Euangelium. Nec vsquam habes aliter de corpore isto quattuor librorum nisi Euangelium significatum. Denique quia vnū corpus est Psalmodum scriptura dixit: Scriptum est enī in libro Psalmodum. Et iterum, quia plures Psalmi sunt, tamquam libri, dixit etiā alibi: Necessè est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moyse, & Prophetis, & Psalmis de me. Pulchrè autem quinque libri & vnum Psalterium: quoniam quinque sensibus homo exterior viuificatur, & rursus quinque spiritualibus sensibus ille absconditus cordis homo noster cōsumatur interior, qui solus ante Deum locuples Petri Apostoli testimonio reperitur. Qui habet, inquit, aures audiendi, audiat. Habes vnū sensum. Et sicut sunt qui oculos habent, & non vidēt: ita sunt qui oculis non videntibus plus videre creduntur. Vnde & propheta dicebantur videntes, etiam qui oculis non viderēt. Bonus etiam ille odor, de quo Apostolus dixit:

Bonus odor Christi sumus Deo. vnde & Iob dicebat: Et spiritus diuinus, qui est in naribus meis. Idē ergo est odor Christi & Spiritus sancti Deo: quia vnus odor est Trinitatis. Est & interior cibus, de quo dixit Dominus: Meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei qui in cælo est. Est & interior tactus, quo Christum tetigit mulier illa in Euangelio, quæ per duodecim annos sanguinē profuebat, nec à medicis acceperat sanitatem, sed accepit à Christo. Fidei tactus est quo tangitur Christus. Denique eam homines non videbant, sed vidit Iesus, & se vidisse testatus est, dicens: Tetigit me aliquis. nam & ego cognoui virtutē de me exisse. Cognitio Christi, collatio sanitatis est. Ergo quoniam decem sensus homini inesse manifestum est: ideo David, qui & foris & intus canebat, foris corpore, intus corde, dicit in Psalmo: In decachordo psalterio psallam tibi. Psalterium ergo est homo cōsummatum in Christo: in quo sicut arte concinentium fila chordarum, ita conuenientium resonant opera canora virtutum, vt possit dicere: Psallam tibi in cithara sanctus Israel: exultabunt labia mea cum cantauero tibi: & anima mea, quā redemisti. Paulus ait de se: Foris pugne, intus timores. Hic & intus & foris gaudet: sed ille adhuc in certamine, iste in redēptione: quia redēptionē animæ suæ se meruisse cognouerat. Qui psallit, in lætitia est: qui lætatur, in sollicitudine. Verū & Paulus sciebat psallere, sed adhuc se processibus referuabat, cum foret plenius comprobatus, vt psalleret, & ideo dixit: Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Et quia geminum psallēdi officium demonstrauit, geminam quoque vocem esse scriptura edocuit, Propheta dicente: Voce mea ad Dominum clamaui, vox mea ad Deum, & intendit mihi. Quid est mea? Potuit enim dicere: Clamaui ad Dominū. Sed quæ nostra est vox, nisi ista quæ melior est, quæ nescit errare? Nam ex multiloquio peccatum incurrimus, & vitare non possumus. Illa vox Prophetæ est quæ ad Deum peruenit, quæ tacente Moyse clamauit ad Dominum: qua etiam in orationibus suis Anna clamabat, cum oris sui labia non moueret: & impetrauit filium, quem antè diu nō impetrauerat, cum corporis voce clamasset. De hac voce dixit Dominus: Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrē tuum, qui est in abscondito: & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Quid est reddet? hoc est, quod deprecatus es, quod orasti. Sicut enim peccatores de manu Domini recipiunt peccata sua duplicia, ita è contrario iusti recipiunt cum effectu propria postulata. Audi quomodo recipiant: Ascendit oratio tua ad Deum, & descēdit ad te. Vnde & in Psalmo legimus: Et oratio mea in sinum meum conuertetur, vt fructum scilicet referat postulanti. *Benedictus Dominus Deus Israel*, qui tanta nobis aperuit mysteria, à sæculo & in sæculum: id est, ex infinito in infinitum: fiat, fiat.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS, IN PSALMVM DAVID  
XLI. ENARRATIO.

Quæ sub titulo de Interpellatione Dauid circumferebatur.

Præfatio in Psalmum XLI.



**M**ULTI quidem deplorauerunt infirmitatem fragilitatis humanæ: excellentius tamen cæteris sanctus Iob, & sanctus Dauid. Ille superior, directus, vehemens & acer, & quasi grauibus exasperatus doloribus maiore cothurno: hic blandus, placidus atque mansuetus, mitiore affectu: vt verè, quem imitandum sibi proposuit, cerui imitaretur affectum. Nec te moueat, si tantum prophetam ferè similitudine videar prædicare, cum legeris ad Apostolos dictum: Estote astuti sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Sed tamen quamuis istiusmodi similitudines piis adstruantur exemplis, sitque innocens & mitis natura ceruorum, illum ceruum ad imitationem Prophetæ propositum hoc loco arbitror, de quo Salomon paternæ mentis assertor in Proverbiis dixit: Ceruus amicitia, & pullus gratiarum confabuletur tibi. Verus enim Dei filius in semetipso naturam quam animantibus ipse donauit expressit, qui in hunc mundum tamquam ceruus aduenit: & cum his se mira simplicitate iungebat, à quibus ei parabantur insidias. Fertur enim huiusmodi ceruorum esse simplicitas, vt cum se exagitari viderint, his sese equitibus adiungant, qui ministerio fraudis apposti, fugæ specio ac simulatione societatis inductos, ad retia vsque deducant. Ita ergo Dominus, tamquam ignarus periculi atque improvidus, Iudæis dolum sibi struentibus admiscebatur, & societatem Iudæ proditoris sibi adsciuit, cuius simulatione funesta, vsque ad crucis laqueos & passionis retia peruenit. Vnde conuersus ad eum dixit: Iuda, osculo filium hominis tradis? Et hoc quidè modo venit ad synagogæ retia, volensque se induit: sed non implicitus est, nec instructus, qui omnes resoluit. Denique eminebat super retia. Et quia eum sui non susceperant, vocabat Ecclesiam, & suam ei gratiam cõferebat, sicut ipsa sancta Ecclesia in Canticis protestatur, dicens: Adiuravi vos filia Hierusalè in virtutibus & fortitudinibus agri, ne suscitaueritis, & ne excitaueritis charitatem, vsquequò voluerit. Petit ergo in odore agri què olebat sanctus Iacob, id est, illa fide, illa deuotione excitari sponfam suà à filiabus Hierusalem vt festinet ad sponsum, & excitari eius in se charitatem, aut etiam ipsum excitari, quia charitas sponsum est. Deus enim charitas est, sicut dixit Ioannes. Sed ille non est passus se ab eis excitari, quia sponte properabat, egressus de thalamo, exultauit vt gigas id currendam viam. Vidit eum sponsa, & vocè venientis audiuit, subitoque conuersa ait: Ecce hic aduenit saliens in montes, transiliens super colles. Maiores enim salit, minores transilit, ne pie festinationis impedimenta patiatur. Similis est, inquit, consobrinus meus caprea, hinnulòque

ceruorum super mōtes Bethel. Bonus ceruus, cuius mons est domus Dei, in quam tanta celeritate currebat, vt sponsa vota & desideria præueniret. Denique quem de longinquo venientem viderat, repente sibi adesse cognouit, vnde & ait: Ecce hic stat post parietem nostrum, prospiciens per fenestras, emittens per retia. Respondet consobrinus meus, & dicit mihi: Exurge, veni proxima mea, forma mea, columba mea, quia ecce hyems præteriiit, imber abiit, recessit sibi, flores visi sunt in terra. Hyems, synagoga est: imber, populus Iudæorum, qui solem videre non potuit: flores Apostoli sunt. Et addidit: Messis incisionis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra. Messis illa, Ecclesiæ fides est: vox turturis, pudicitia est.

Psalmus quadragesimus primus.

Sicut desiderat ceruus ad fontes aquarum: Sicut desiderat anima mea ad te Deus.

Cerui similitudinem suscipit etiam Christus, quia veniens in terras serpentem illum diabolum sine ulla sui offensione protriuit: cui calcaneum suum obtulit, sed eius venena non sensit. Vnde dictum est ei: Super aspidem & basiliscum ambulabis. Simus ergo & nos cerui, vt super serpentes ambulare possimus. Erimus cerui, si vocem Christi sequamur, quæ nos & præparat ceruos, & facit morsus serpentium non timere: ac si qui fortè fuerint vulnerati, aufert eorum dolorem, soluendo delictum. De his ceruis dicit Dominus ad Iob: Obseruasti partus ceruarum, numerasti autem menses earum, plenos partus? Dolores autem earum soluisti, enutristi filios earum, vt non timeant? Audi quomodo non timeant filij ceruarum talium. Doceat te Esaias, dicens: Et puer paruulus mittet manum in cauernam aspidum, & non illis nocebunt. Et vt agnoscas quòd Ecclesiæ filios significare videtur, addidit: Partus autem earum emittes, dirumpent filij earum, & multiplicabuntur in generatione, exhibunt & non reuertentur retrò. Nemo enim mittens manum ad aratrum, & aspiciens retrò, habilis est regno Dei. Merito ergo ceruus factus est Dominus, vt tales sibi ceruos Domini vox præpararet, de quibus ait: In nomine meo dæmonia ciicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Tollebant enim serpentes, cum spiritu oris sui sancti Apostoli de latebris corporum eruerent nequitas spirituales, nec venena mortifera sciebant. Denique cum exiliens de sarmetis Paulus vipera momordisset, videtis Barbari pendentem viperam de manu eius, putabat repente moriturum. At ille stabat intrepidus, nec vulnere mouebatur, nec veneno infundebatur.

fundebatur. Vnde videtis eum, non tamquam hominis conditione genitum, sed tamquam Dei gratia editum, supra hominè esse arbitrabantur. Vide ceruum viperam de latebris eruentem, spiritu diuino qui erat in naribus eius, sicut dixit Dominus ad Iob. Conuersus, inquit, Paulus in spiritu, & respiciens eum dolore ait ad Pythonem: Præcipio tibi in nomine Domini nostri Iesu Christi, continuo exire ab ea. Et exiuit eadem hora. Vide ceruum venientem ad baptismum, qui sacri fontis ablutus irriguo, omnia persecutionis venena reiecit. Vide ceruum Dominum Iesum, quando venit ad Ioannem Baptistam, & dicente sibi Ioanne: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? respondit: Sine modo. Et hoc dicto, in aquas, salutem sitiens publicam, tota auiditate descendit. Sed iam satis nobis in exordio tractatus, sicut in principio anni, more vulgi ceruus alluit. Pergamus ad cætera:

Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?

Estuat sanctus, nec sese capit. Maior animi magnificentia, quam cuiuslibet corporis magnitudo: & securus meriti, de terrenis ad caelestia euolare desiderat, sicut & alibi dicit ipse: Quis dabit mihi penas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Hic enim sunt laquei, quibus etsi non implicatur iustus, tamen impeditur: hic dolores & solitudines, illic lætitia, ibi gratia: hic postremò corporis vincula, quæ Paulus soluere gestiebat, vt omnibus exutus impedimentis, Domino liber assisteret. Hoc ergo striebat anima Dauid, vt iam non per fidem, sed facie ad faciem Deum videret, nec solum peregrinaretur à corpore, sed corpore solueretur. Dissolui enim & cum Christo esse multo melius, quia iusto mori est lucrum. Et grande quidem lucrum carere peccato, delictorum illecebris non moueri. Quis enim mundus à forde, quando nec vnus dici vita hominis in terra caret delictorum contagio? Viuendo ergo damna contrahimus innocentia, morte finem erroris adipiscimur. Lucrum ergo morte acquiritur, vitæ autem vsu tamquam miseris debitoribus vsurarij nominis ad reatum scenus augetur. Et bene sicut anima, quæ festinat ad fontem, non aqua istius, sed vitæ æternæ, de quo supra dixit: Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Merito ergo Dauid properabat peruenire & apparere ante faciem Dei, cuius vultus lumen est, quia omnes quos Dominus spectat, illuminat.

Fuerunt lacrymæ meæ mihi panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Vbi est Deus tuus?

Ibi bene lacrymæ panis sunt, vbi esuritur iustitia. Beati enim qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturantur. Sunt igitur lacrymæ quæ panis sunt, & confirmant cor hominis. Cui disputationi etiam illud Ecclesiastes conuenit dictum: Mitte panem tuum ante faciè aquæ, quia vbi panis caelestis, ibi aqua gratia: quoniam rectè accipiunt substantia verbi & mysticæ rationis alimentum, quibus flumina

na aquæ vitæ de ventre labuntur. Similiter quoque hic panis ibi viuus, vbi aqua lacrymarum, & fletus est poenitentia. Sic enim scriptum est: In fletu exierunt, & in consolatione reuocabo eos. Beati ergo quorum panis lacrymæ, qui ridere meruerunt, quia beati qui fletis.

Horum memor effudi super me animam meam: quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei.

Sanctus sese colligit ab his quæ foris sunt, & supra se effundit animam suam, vt anima supra corpus effusa infirmitatem carnis abscondat, tegat corpus ad poenitentiam, & virtus vbique animæ mentisque prætendat. Vnde & in posterioribus dicit: Effundam in conspectu eius orationem meam. Vbi effunditur oratio, ibi peccata sunt tecta. Quorum autem memorem se dicit? Eorum vtique quæ desiderabat vt venirent, & appareret in conspectu Dei, vt eius aulam illam videret æternam, in qua spatiabatur animo, & præsumpto delectabatur ingressu: Quoniam ingrediar (inquit) in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei.

In voce exultationis & confessionis, soni festa celebrantis.

Quis non erigeret animum, qui posset sperare, in tabernaculo caelesti beata illa sibi consortia reseruari? Non immeritò sebat iam Propheta, quoniam versabatur in terris, cui caelestia tabernacula debebantur, & quem aula potètis expectabat introitus. Denique illam solam omnibus regni sui opibus præferrebat, sicut ipse testificatus est alibi, dicens: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, & vt videam delectationem Domini. Delectatio Domini in Ecclesia est: Ecclesiæ uero est imago caelestium. Etenim postquam umbra præterit, imago successit. Umbra synagoga est. In umbra lex, in Euangelio veritas. Ideo in Euangelij lumine veritatis imago resurget. Flebat igitur Propheta, quia differebatur plena gratia bona & reserta lætitia. Denique & in posterioribus dicit: Heu me, quia incolatus meus prolongatus est. Et ideo interpellabat Dominum, quia ad meliora properabat. Et licet in ipsis afflictionibus læculi magna esset consolatio presentium, spes futurorum: tamen quia infirmæ conditioni plerumque futura radio sunt, presenti vexatione, ideo & sancti Propheta: insurgentibus corporis fluctibus anima turbabatur.

Quare tristis es anima mea: & quare conturbas me?

Nolo mireris si propheta animam suam dicit esse exagitatam, cum dixerit ipse Dominus Iesus: Nunc anima mea turbata est. Qui enim suscepit infirmitates nostras, nostrum quoque suscepit affectum, in quo & tristis erat vsque ad mortem, non propter mortem. Mors enim voluntaria mortificationem habere non poterat, in qua futura erat vniuersorum lætitia, vniuersorum refectio. De qua & alibi dixit: Exsurrexi, & vidi, & somnus dulcis factus est mihi. Bonus somnus qui fecit non esurire esurientes, non sitire sitiē-



Esai. 49.

Matth. 26.  
Luc. 12.

2. Cor. 3.

4. Reg. 5.

Matth. 3.

Luc. 3.

Matth. 15.

Exod. 2.  
Exod. 3.

Psal. 118.  
2. cor. 4.

Psal. 67.

Luc. 2.

Hebr. 4.

Ibid.

Ioan. 9.

tes, quibus sacramentorum dulcedinem pręparauit. Quomodo ergo anima eius timore turbata est, qui fecit aliorum animas non timere? Tristis ergo vlt; ad mortem, donec consummaretur gratia: quod probatur ipsius testimonio, dicentis de morte sua: Baptismate habeo baptizari, & quomodo angor, dum perficiatur? Turbatus igitur Dauid lubricis anfractibus sæculi dixit: *Quare tristis es anima mea: & quare conturbas me?*

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

Quando anxij sumus & solliciti, spes nos futurorum expectatione confirmet. Vide singula: *Spera* (inquit) *in Deo, quoniam confitebor.* Non confiteor, sed cōfitebor; hoc est, tunc melius confitebor, quando reuelata facie gloriam Domini speculatus, in eandem imaginem reformabor. Subitò cum se consolaretur, in se reuersus ait:

Ad me ipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Iordanis & Hermonim, à monte modico.

*Ad me ipsum anima mea conturbata est.* Id est, qui alios confirmare debeo, ipse conturbor. Et quia ex me nō habeo firmamentum, de auctore sumamus. *Propterea* (inquit) *memor ero tui de terra Iordanis & Hermonim.* Memor est de terra Iordanis, in quo gratia memoriæ deuotionis accumulata. In Iordanē Naaman Syrus ille descēdit, & mūdus à lepra factus est. In Iordane baptizatus est Christus, quādo formā lauacri salutaris instituit. Iordanis nomē descensionis significat, quā descēdit Dominus Iesus, qui à contagio delictorum vicinos Iordanis fluminis emūdauit. Hic fluuius exit contra Ægyptum, & diuidit terram repromissionis. Ergo qui turbatur, si boni consulit, contra Ægyptum exit, & sequitur viam lucis. Hermonim etiam viam lucernæ interpretati sunt. Exi ergo prius contra Ægyptum, si vis lumen Christi videre. Exiuit Chanana à finibus gentium, & Christum inuenit, cui dicebat: Miserere mei fili Dauid. Exiuit & Moyses ex Ægypto, & propheta factus est, & remissus ad populum, vt de terra afflictionis populum liberaret. Lucerna autem in Christi corpore. Hęc tibi lucerna viam monstrat. Vnde & sanctus Dauid ait: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Lucerna, quod illuminauerit animas vniuersorum, & in tenebris viam monstrauerit. Euāgelium, via lucernæ est. In vmbra lucret, id est in sæculo. Vnde & alibi habes: Niue dealbabuntur in Selmon; id est, in vmbatione. Iordanis quoque Christus, qui diuidit terram. Quomodo diuidat, audi: Et tuam ipsius animā pertranfibit gladius, ad reuelandas multorum cogitationes cordium: eo quod sit nostrarum diuisor animarum, qui in intima cordis secreta descendat, & cogitationes mentium deprehendat. Hic gladius verbum est Dei viuum. Denique ad Hebræos sic legis: Viuum est Dei verbū & validū, & acutius omni gladio acutissimo, penetratq; ad diuisionem animæ & spiritus, artuumque & medullarum. Hic est fons Siloa, qui dicitur missus, quoniam Christus à patre dixit se esse missum. Est & illa diuisio quæ colligi-

tur ex eo quod vtramque ripam Iordanis tribus incoluerint Iudæorum, quoniam filius hominis qui posterioribus temporibus descendit è cælo (verus ille Iordanis, verus ille terrestriū atque celestiu diuisor) possessionem diuiduam patribus dedit: vnam quæ possideretur in terris, alteram quæ futuræ vitæ meritis seruaretur. Quorum vtramque conuenit soli Christo, vel celestia diuidere, vel occulta deprehendere. Interiora enim diuidit, qui occulta deprehendit, quod est vtique diuinitatis insignē. Deniq; sic habes scriptum, quia Dominus dixit: *Labor & diuidā Sichimam.* Hęc est illa magnifica portio, quā Iacob filio suo Ioseph præstantiorem omnibus deputauit. Vnde ait: Ego do tibi Sichimam, magnificā super fratres tuos, quā accepi de manu Amorrhæorum, in gladio meo & sagitta. Quæ diuisio soli Domino debetur, quæ verbo, hoc est, spiritali illo veri Salomonis gladio comprehenditur. Quid est solus? Patri sine Christo, aut Christo sine patre? Minimè. Cum solum dico patrem, filium non separo, quia in sinu & secreto patris filius est. Cum solum filium dico, & patrem iungo, sicut iunxit & filius, dicens: Ecce venit hora, vt me solum relinquatis: sed non sum solus, quoniam pater mecum est. Sic ergo & pater solus beatus & solus potens dicitur, vt ab eo filius non sequestretur, qui in patre semper est. Denique præclarè Ioannes: In principio erat verbū, sed sine patre non erat. Et Deus pater erat, sed sine verbo non erat, quia verbum erat apud Deum. Hęc Sichima Ecclesia est. Ipsam enim elegit Salomon, cuius latentem sibi distinxit affectum. Hęc Sichima Maria est, cuius animam gladius Dei tranfit & diuidit. Hęc Sichima, est ascendens, sicut interpretatio habet. Quæ sit ascēdens, audi dicentem de Ecclesia: Quæ est quæ ascendit dealbata innitēs super fratrem suum? Hęc est actiuosa, quæ Græcè ἀνωδύνη dicitur, quod fide operibusque resplendet: cuius filius dicit: Opera vestra luceant coram patre meo, qui in cælis est. Memor ergo est Dei Dauid de terra Iordanis & Hermonim, à mōte modico. Quis est mons modicus? Cōsideremus ne fortè diuinitas Christi, mons magnus. Denique cælum & terram compleo, dicit Dominus. Si ergo diuinitas Christi mons magnus est, vtique incarnatio eius mons exiguus est. Vtrumque ergo Christus, & mons magnus & minor: magnus verè, quia magnus Dominus & magna virtus eius: minor, quia scriptum est: *Minorasti eum paulominus ab angelis.* Vnde & Esaias dicit: Vidimus eum, & non habebat speciem neq; decorem. Idem tamen & ex magno minor factus, & ex minore magnus. Ex magno minor, quia cum in forma Dei esset, semetipsum exinanauit, & formam terui accepit: ex minore magnus, quia dicit Daniel: Et lapis qui elisit imaginem, factus est mons magnus, & implcuit omnem terram: Lapis hic qui sit requiris, agnosce. Lapidem quem reprobauerunt ædificātes, hic factus est in caput anguli. Idem tamè cum & exiguus videretur, magnus erat. Cui rei adstipulatur Esaias, dicens: Puer natus est nobis, filius datus est nobis, cuius principium super humerū eius, & vocabitur magni cōsilij angelus. Omnia propter te Christus. Lapis propter te, vt tu ædificeris: mons propter te, vt tu ascendas. Ascende ergo super montem,

Ioan. 3.  
Ios. 14.

Hiere. 17.

Psal. 59.

Gen. 48.

3. Reg. 3.

Ioan. 1.

Ioan. 16.

1. Tim. 6.

Ioan. 1.

Cantic. 6.

Luc. 2.

Cant. 8.

Matth. 5.

Hiere. 23.

Psal. 146.

Psal. 8.

Esai. 53.

Philip. 2.

Dan. 2.

Psal. 117. &

Matth. 21.

Esai. 9.

Coloss. 3.

Psal. 17.  
Matth. 4.

Hebr. 9.

Rom. 10.  
Matth. 5.

Psal. 35.

Esai. 55.  
1. Tim. 3.

Esai. 26.

Gen. 2.  
Psal. 118.

Hiere. 18.

Ibid.

Rom. 9.

tem, qui cælestia petis. Ideo inclinauit cælum, vt tu a esses vicinior: ideo surrexit in verticem montis, vt te eleuaret. Non immeritò ergo abyssus abyssum inuocabat, vt iste mons fieret exiguus, de quo Propheta ait:

Abyssus abyssum inuocat, in voce cataratarum tuarum: omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transferunt.

In die mandabit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius.

*Abyssus abyssum inuocat.* Non pręualebat vetus testamentum ad istius mundi redemptionem: inuocabat, & quasi ad auxilium arcessibat nouum testamentum. Clamabat lex, annuntians Euāgelium. Erat enim semiplena, & ideo erat necessarium, vt veniret qui legem impleret. Finis enim legis Christus, ad iustitiam omni credenti, qui venit legem implere, non soluere. Quomodo abyssus lex, audi Dauid dicentem: Iudicia tua abyssus multa. Simul hinc intellige, vtrumque vnus esse sapientiæ testamentum, quod quasi suum venit implere. Cataratas autem intelligimus profunda verborum, & vim cælestis eloquij: quæ fluxere nobis sicut imber è cælo. Ergo remedium tardiorum omnium Christus, & scriptura diuina: atque in tentationibus vnus refugium. Denique vbi aduertit Dauid quod eleuationes fluctuum sæcularium super se venirent (quas necesse est plurimas subeamus in istius sæculi vitæ) memor Domini miserationum quas innumeris promissit oraculis, ad preces conuersus interpellat Deum: sciens quod misericordia eius in luce mandatur, id est in lege, quia lex præcepta tua: in tentationibus autem quasi in noctis tenebris, manifestatur. Vnde tāquam viator qui repatriare desideret, & peruenire quod tendat, confragoso tamen vitæ huius itinere fatigatus, ducem arcessit, & alleuamentum obsecrat.

Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicā Deo: susceptor meus es.

Bene nota iam sibi quærit auxilia, & promissi auctorem conuenit, atque vfitati muneris præbitor: vt in subueniendo si meritum hominis offendit, diuinū non offendat exemplum. Dicunt aliqui: Quādo suscepit eum Deus? Vt hoc adstruamus, veni mecum ad scripturæ sacræ exordium: & vide quomodo Dominus manibus suis de luto hominem figurauerit. Vnde & hic in posterioribus dicit: Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me. Quasi figulus quidam fabricam carnis est operatus humanæ. Et ad Hieremiam dicitur: Descende in domum figuli, & audies illic verba mea. Figulo vtique sæpe contingit, vt dā vas fingitur, cadat de manibus eius: & iterum colligat lutū, vt vas reformet. Denique & Hieremias dicit: Descēdi, & vidi quomodo cecidit vas, quod ipse faciebat manibus suis. Et iterum, inquit, fecit vas aliud, quomodo placuit ei. Rectè ergo susceptor dicitur, qui manibus suis nos ipse suscipit, ipse plasmavit. Humani figuli vasa sunt illa, alia in honorem, alia in contumeliam. Omnes sumus vasa fictilia: & si rex sit aliquis, tamè fictile vas est. Va-

de & Paulus: Habemus, inquit, thesaurum istum in vasis fictilibus. Et propheta de rege dicit: Deperitatus est Ichonias sicut vas, cuius opera non sunt necessaria. Et addidit: Terra audi verbum Domini: scribe virum istum abdicatum. Quasi patrio iure, Deus noster filios solet abdicare degeneres: ideo & in terra eos scribit, quia filij terræ sunt. Vnde cum Iudæi accusarent adulteram, Dominus Iesus digito scribebat in terra. Iusti autem non in terra scribuntur, quibus dicitur: Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cælo. Suscepit ergo nos Dominus, quando nos finxit: suscipit & quando nos iubet nasci. Vnde & iustus ait: Suscepisti me ex vtero matris meæ. Cuius matris? Priusquam te formarem in vtero, noui te. Quos format, & exeuntes quoque suscipit. Et priusquam exire de vulua matris, sanctificauit te. Susceptor est qui susceperit manibus, vt generis humani operator dicitur: & qui visitatione susceperit, vt protegat. Vnde alibi ipse dicit Propheta: Qui habitat in adiutorio altissimi, dicit Dominus, susceptor meus es tu, & refugium meum. Prima susceptio est operationis, secunda defensionis. Denique audi Moysen dicentem: Extendens alas suas assumpsit eos, & suscepit eos super scapulas suas: sicut aquila suscipit, quæ cœtus suos examinare consuevit, vt teneat atque enutriet, quibus veri indolē parvus, & incorruptæ gratiam naturæ ad stipulari aduertit: aut repellat, in quibus degeneris originis infirmitatem in tenera adhuc ætate deprehenderit.

Quare mei oblitus es, & quare me repulisti? & quare contristatus incedo dum affligit me inimicus?

*Quare mei oblitus es?* Deus non obliuiscitur. Impossibile est enim vt obliuiscatur, cui omnia quæ sunt facta & futura præsentia sunt: sed nostra peccata merita obliuionis ei infundunt, vt obliuiscatur eos quos indignos sua visitatione cognouerit. Eos enim cognoscit Dominus, qui sunt eius. Tamè vbi aliqui iniquitatem operantur, his dicit, Non noui vos. Quis ergo qui possit Deo dicere: *Quare mei oblitus es?* Sed tamen commune hoc sanctis, nobisque infirmis est. Sanctus dicit quasi meriti sui cōscius: & tamen quo sanctior, hoc humilior. Quod si vix sanctus dicit, quid ego dicam peccator, nisi ad illud referam: Quare operis tui oblitus es? quare visitationis tuæ oblitus es? postremò, quare infirmitatis meæ oblitus es? Quid est enim homo, nisi quia visitas eum? Non ergo obliuiscaris infirmum, Memento Domine quia infirmum me fecisti: memento quia de puluere me finxisti. Quomodo stare potero, nisi solidaturus hoc lutum semper intendas: vt de vultu tuo soliditas mea prodeat? Cum auerteris faciem, turbabuntur omnia: si intendas, vā mihi, non habens quod in me aspicias, nisi contagia delictorum: nec deseri vtile, nec videri est: quia dū videmur, offendimus. Possumus tamen æstimare, quia non repellat quos videt: quia emundat quos aspiciat. Ignis ante quos ardet, qui crimē exurat. Bonū est ergo nobis, vt non repellamur. Ideo queritur Dauid, quia repulsum se credidit, qui fuerat antè susceptus. Deniq; in posterioribus dicit: In te cōfirmatus sum ex vtero. Sed & supra scriptū habemus:

2. Cor. 4.  
Hiere. 2.

Ibid.

Hiere. 17.

Ioan. 9.

Luc. 10.

Ibid.

Psal. 138.

Hiere. 1.

Psal. 90.

Dent. 32.

Sapient. 8.

2. Tim. 2.  
Matth. 7.

Psal. 8.

Psal. 6.

Iob. 10.

Psal. 103.

Ios. 2.

Psal. 79.

*Psal. 21.*

In te proiectus sum ex utero: de ventre matris meae Deus meus es tu. Bonum est & proici, sed in Deum. Denique ex persona Christi, hoc in vigesimo primo Psalmo dicitur: qui verè in patrem de utero proiectus est Virginis. Non enim terrena cum exepere morientem. Vnde in cruce positus, cum emitteret spiritum, ad patrem ait: In manus tuas commendo spiritum meum. Non ergo addant, Domine, vt psaltæ faciunt, quod neque in Latino codice inueni meo, neque in Græco, neque in Euangelio, quod est euidens. Denique supra dixerat: Pater dimitte illis hoc peccatum. Et ideo tamquam patri, in manus eius commendare se spiritum suum, in cuius sinu semper est filius: quamquam, etsi addant quod dixit Domine, considerent quod quasi homo in morte positus hoc loquatur. Ergo proiectus est de utero in patrem, de vteræ matris suæ, hoc est, definiuit quod ille vterus qui proiecit eum, vter est matris. Pater autem dixit: Ex utero ante luciferum genui te, Non proiecit vtique pater filium, à quo nūquam digressus est filius, sicut ipse ait: Traditus sum, & non egrediebar. Non proiecit eum, cui eiusdem substantiæ vnitate connectitur. Potest ergo & sic legi, In te proiectus sum ex utero de ventre matris meæ, vt sequatur, Deus meus es tu, ne discedas à me. Potest & sic, De ventre matris meæ Deus meus es tu, quoniam in utero positus à te numquam recessi, tecum eram, qui tamquam Ionas in utero ceti positus, te pro populo deprecabar. Et verè de matris sue ventre cum Deo erat, secundū quod scriptum est: Quoniam priusquam sciret puer bonum aut malū, elegit quod bonū est. Et antequam patrem vocaret aut matrem, virtutem Damasci & spolia Samariæ deprædatus est: vt gentibus euocatis regnum patriæ deuotionis acquireret.

Dum confringuntur ossa mea, exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei: dum dicūt ipsi mihi per singulos dies: Vbi est Deus tuus?

Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei & Deus meus.

Quare tristis es anima mea? Prima interpellatio querelam habuit, quod comperendinarentur bona quorum iam fructus desiderabatur. Secunda interpellatio, quod expectatus prudentibus Christi differebatur aduentus, quem lex annuntiauerat, quem prophetæ pollicebantur: & eo impatientius aestuabant corda iustorum, quoniam ad redemptionem cognouerant esse venturum vniuersorum. Quorum vniuersorum? Quibus euangelico tramite viā virtutis aperiret, bonorumque operum semitas demonstraret: sicut ipse dixit in Proverbiis: Dominus creauit me principium viarum suarum. Ideo ergo dicebatur ei, Vbi est Deus tuus? quia adhuc non venerat Christus, sed sperabatur. Sauebat ergo diabolus, vt obtereret quos sciebat in aduentu Domini credituros: & diuersis afflictabat exitiis. Interpellat ergo Dauid, vt morantem excitet, & questu

*Luc. 23.*

*Ibid. Ion. 1.*

*Psal. 109.*

*Psal. 87.*

*Psal. 21.*

*Ion. 2.*

*Esai. 7. Esai. 8.*

*Prover. 8.*

prophético festinare vrgeat, admoncat subuenire. Habemus similitudinem huius interpellationis etiā in posterioribus, vbi dicit idem Propheta: Vt quid repulisti nos Deus in finem? Et ibi aperte, quod congregationis suæ oblitus sit, & virgam hereditatis suæ abiecerit, flebiliter deplorauit: & quod in plebē Dei insurrexerint eius inimici, de quibus ait: Et gloriati sunt qui oderunt te, in medio festi tui. Fortè hic versiculus videretur Assyrios designare, qui triumphauerunt populum Iudæorum, nisi sequeretur: Posuerunt signa sua signa, & non cognoui. Signa semper in bello sunt, quæ præliatos præire consueuerunt, & agmen ducere militare. Vnusquisque numerus aut legio signa sua sequitur. Et si dispersi fuerint bellorum tumultu, eò vbi signa sua prospexerint esse, quamlibet longè positi reuertuntur. Vnusquisque ductor hæc signa constituit, & sequenda præscribit. Sed sunt etiam alia signa, quæ victor hostis imponit, & tamquam captiuus obseruanda decernit: sed qui fidelis est miles, propria signa sequitur, non agnoscit aliena. Quæ sint aliena signa, intensius & impensius consideremus. Signum suum posuit Deus in frontibus singulorum: ibi quocumque antichristi sua signa ponet, vt proprios agnoscat. Sed qui in occulto Iudæus est, ille verus confessor dicit: Posuerunt signa sua signa, & non cognoui. Posuerunt diabolus & ministri eius, sed ego nesciui illa: quia non consensi artibus eius, non acquieui imperiis eius. Posuit Assyrius Nabuchodonosor signa pueris Hebræorum, & mutauit illis nomina: & præcepit vt adorarent imaginem eius, & recederent à solemnibus patrum suorum, ritibusque Chaldæos posthabita Dei lege sequerentur. Constituit hoc rex: sed statuit Daniel in corde suo, vt regalis mensæ contagia declinaret. Rectè ergo ei conuenit dicere: Signa non cognoui aliena. Iustum erat vt Hebræi pueri adorarent imaginem regis. Responderunt ei: Non adoramus imaginem tuam. Aperte dixit vnusquisque eorum: Posuerunt signa sua signa, & non cognoui: id est, non sum expertus, non vilo consensu recepi, non aliqua societate in me transtuli. Vnde & de Dei filio legitur quod peccatum non cognouit. Et alibi habes: Qui custodit mandatum, non cognoscet verbum nequæ: cum liquidò clareat, quia non cognitio improbitatis, sed societas criminosa sit. Ipse etiā Dauid in posterioribus dicit: Declinātes autem malignos à me, non cognoscebam. Vbi autem voluerint hæc signa aduersarij deponere, declarat: Sicut in via, inquit, super summum, quasi in silua lignorum securibus conciderunt ianuas eius in idipsum, in bipenni & ascia deiecerunt illud. Quid hoc sibi vult, nisi vt ostendat quia fides nostra non quasi in via esse debeat, ne veniant volucres cæli, & auferant eam, sicut verbum illud, quod legis in Euangelio non debere circa vias & semitas seminari? Ergo sancti volentes fidem huiusce aduersarij eradicare, qui non vident signa sua in corde eius, tentauerunt quasi in via, id est, in pertuo collocare. Cor autem in summo est: quia oculus sapientis in capite eius. Et posuerunt signa quasi in silua lignorum: quæ citò exuruntur igni, aut securibus conciduntur. Exit enim ignis de filiis, & exurit etiam cedros Libani. Hoc autē faciendum

*Psal. 73.*

*Ibid. 4. Reg. 25.*

*Apoc. 7. Apoc. 13.*

*Rom. 2. Psal. 73.*

*Dan. 1. Daniel. 3.*

*Dan. 1.*

*Dani. 3.*

*2. Cor. 5. Ecl. 8.*

*Psalm. 100.*

*Psal. 73.*

*Luc. 8.*

*Ecl. 2.*

*Iudic. 9. Psal. 73. 2. Cor. 6.*

*Psal. 67.*

*Ecl. 10. Gen. 1.*

*Psal. 3.*

*Ecl. 28. Apoc. 3. Psal. 147.*

dum putauerunt, vt polluerent diuini nominis tabernaculum, quod est in nobis. Sicut enim templū Dei sumus, ita sumus & tabernaculum Dei, in quo festa Domini celebrantur. Ergo tu o homo summum tuum custodi, vt conuassas capita inimicorum verticem capilli perambulantium. In superfluis enim perambulant, non in sanctis. In vertice capilli, non in vertice deuotionis & fidei. Et si spiritus potestatem habentis in te ascendat, vt habes in Ecclesiaste, locum tuum ne derelinquas. Etenim superiorem te Christus constituit quem ad imaginem Dei fecit. Tene ergo superiorem fidei & pietatis locum, quem à Deo accepisti: vt superior factus, ascendentem de inferioribus, hoc est, de terrenis & secularibus, spiritum nequam facile repellas, & signa eius non suscipias in pectore tuo, non occupet animæ tuæ vestibula, nec introitus mentis tuæ, & quasi in sylua lignorum ignibus suis caduca & fragilia populetur, aut securibus suis ianuas tui cordis excidat. Sit igitur in nobis non silua, sed vinea, sit porta nostri oris & cordis clausa diligentius, ne hostis introeat. Citò deiciat ianuam, si patentem eam inuenerit. At verò Christus pulsat, non deiciit, qui confortauit o Hierusalem seras portarum tuarum. Christus

A manu pulsat vt aperias, aduersarius securibus concidit: & ideo scriptum est, ne securis & malleus in domum Dei intret. Foris debet esse superbia & fallacia, non intus. Foris enim pugna, pax intus, quæ supra omnem intellectum est. Non scindatur ferro anima tua, sed vt anima Ioseph, ita anima tua per ferrum pertranseat, ne principale tuum, velut quoddam tabernaculum verbi, in ipso fidei principio & doctrinæ spiritualis diruatur ingressu. Fundatus enim vsu atque exercitatione immobilis perseuerat, nec locum dat ei qui in summum (quasi transfigurās se in angelum lucis) conatur ascendere: qui si in nobis sua signa non viderit, auctoritatem resistendi habere non poterit. Ergo ne affligat nos inimicus, ne ossa nostra confringat, non deficiamus perseuerare in Christo, vt dicat de nobis: Triduo iam perseuerant mecum, & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiat in via. Beatus cui ipse cordis dederit firmamentum, vt deficere non possit in istius vitæ tramite constitutus. Non deficit qui sperat in Domino, atque ei intimo confitetur affectu, quandoquidem eques ille cuius equi calcaneum serpens momordit, etsi retrò cecidit, deceptus tamen non est, quia salutem expectauit à Domino.

*3. Reg. 6. Phil. 4.*

*Psal. 104.*

*2. Cor. 11.*

*Matth. 15.*

*Gen. 49.*

S. AMBROSII IN PSALMVM XLII. ENARRATIONIS FINIS.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS, IN PSALMVM DAVID XLII.  
ENARRATIO.

*Psalms David quadragesimus secundus.*

**I**udica me Deus, & discerne causam meam: de gente non sancta: & ab homine iniquo & doloso eripe me.

quoque causam suam à persecutorū gente deposcit, ne malis generis sui & posteritatis hereditibus, proflapia totius Iudaici generis implicetur.

Quia tu es Deus meus, fortitudo mea: quare me repulisti, & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

**T**ERTIA Prophetæ interpellatio, qua in medio hominum nequitas exercētium constitutus, causam suam ab eorum contagio cupit separari. Quod multi ad Dominum Iesum referēdum putant, eo quod ipsius solius est non timere iudiciū, qui vincit cum iudicatur. Habet enim à viro iniquo iudiciū, in quod volens Christus ingreditur, vt habes scriptum: Popule meus quid feci tibi, aut in quo contristauit te? Ceterum cum omne iudiciū illi dederit pater, non quasi infirmo vtique, sed quasi filio; quod potest ipse subire iudiciū. Si iudiciū patris arbitrantur filio esse subeundum, pater vtique non iudicat quemquam, sed omne iudiciū dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificat patrem. Pater honorat filium, & tu diiudicas? Hoc eo posuimus, ne quis nos arbitretur quasi metu questionis in locum Domini subrogare personam Prophetæ, quum sanctus Dauid præuidens spiritu, insurrecturos Iudæos aduersus Domini passionem, suæ fidei iudicio roboratus non pertimescat. Discerni

Non immeritò turbatur, qui videt sibi aduersus carnem & sanguinem esse luctamen, atque in seipso sibi graue esse naufragium, & in suo corpore tempestatem, quam sustinere non valeat, nisi cæleste auxiliū suffragetur. Nemo enim grauior homini hostis, quam domestici eius. Quid autem tam domesticum quam sibi homo, & suæ carnis infirmitas? Et ideo festinat Propheta, & toto precatur affectu, vt Christus adueniat fortitudo vniuersorum, qui suscipiat omnes infirmitates, & faciat vtraque vnum, vt computantes sibi mētis & carnis inimicitias, sublato soluat pariete, qui internum (quo minus in cōcordiam conueniret) diuidebat affectum. Ergo quia in seipso sibi erat pugna, erat & à proximis, qui legis & æquitatis immemores, laqueos fraudis & insidias præparabant, speratūque differebatur remedium, repulsum se arbitrabatur, quasi recusaret venire qui pro miserat remedio se futurum.

*Ephes. 6.*

*Micha. 7. Galat. 5.*

*Esai. 53. Ephes. 2.*

*Psal. 50. Rom. 3.*

*Micha. 6. Ioan. 5. Ibid.*

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

Tamquam ab spe lucescentis diei in tenebrarum profunda reuocatus, orat ut squalorem huius seculi repulsa lux irradiaret, aeterna adesset veritas, quae fallacem imaginem mundi huius aboleret. Adfuit Deus votis, qui solet & improuisus adfistere, & non rogantibus se manifestare, sicut ipse ait: Palam factus sum non quaerentibus me. Et piis ad stipulatus oratis, votorum seriem celeri praenit effectum: subitoque in Ecclesiam & in tabernacula sua sanctum Prophetam deduxit in spiritu, atque ante oculos eius sacrum altare constituit, in quo futura totius mundi esset redemptio, & vniuersorum toto orbe remissio peccatorum. Videns ergo in spiritu illam dulcedinem sacramentorum caelestium, illam mensam quae repellit atterentium insidias (sicut ipse in superioribus dixit: Parasti in conspectu meo mensam aduersum eos qui conterunt me) ait:

Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui legitificat iuuentutem meam.

Pulchre dixit: *Et introibo*, quasi Adami. Eiecti eramus de paradiso Domini, ex quo Adami peccati sui conscius vultum Domini declinavit. Decore quoque addidit: *Et introibo ad altare Dei*, quasi in conspectum Dei rediret. Aduersus enim erat muneribus nostris, quando Cain parricidae illius munera non probauit. Latebat Cain alienus a Domini conspectu, furens effera vi animi, quod in fratris sui Dominus respexerat munera, in sua autem non respexerat; sub offensione proprios reliquit haereditates. Occiderat autem Abel, non sibi, cuius & sanguis clamabat ad Dominum, sed occiderat omnibus nobis. Nullius prope iam sacrificium probabatur, quia non erat qui faceret bonitatem, non erat usque ad vnum, quando nec Deo fides, nec fratri germanitatis pietas seruata est. Venit Dominus Iesus ut resuscitaret Adam. Resuscitatus est & Abel, cuius munera placuerunt Deo. Obtulit semetipsum Dominus Iesus, id est, primitias corporis sui, in sanguinis asperione, melius loquente, quam sanguis Abel locutus est in terra. Respexit Deus in eius munera, ex quo ipse reconciliationis diuinae gratiam, bonis reliquit haereditibus. Recte igitur sanctus Dauid, quasi ex persona reconciliati hominis ait: *Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui legitificat iuuentutem meam.* Adstruamus hunc locum si possumus etiam alterius prophetae exemplo, quemadmodum & hominis auersatus sit Dominus primum sacrificia, & postea sit eidem reconciliatus. Habemus in Esaiam libro scriptum dicente Domino: Quid mihi multitudo sacrificiorum vestrorum, dicit Dominus? Plenus sum, id est, abundo meis, vestra non quaero: holocaustomata arrierum, & adipem agnorum, & sanguinem taurorum nolo & hircorum, nec sic veniat in conspectu meo. Et utique a foetu pecorum obtulerat Abel sacrificium in quo placuerat Deo: sed typum non requirebat, qui expectabat sacrificij veritatem. Expectabatur enim passio Domini salutaris. Quis enim, inquit, ista requisit de manibus vestris? Calcare regia

meam non apponetis. Et infra: Quum extenderitis manus ad me, auertam faciem meam a vobis. Sed lauamini, mundi estote, auerte malitiam ab animis vestris. Iudicate pupillo, & iustificate viduam, & venite disputemus, dicit Dominus. Claret igitur quod & ante auersatus sit Dominus sacrificium hominis, & postea reconciliatus, ut respicere in nostra sacrificia dignaretur. Ideo ergo securus intrat, qui ad Domini ingreditur misericordiam. Denique bono seruo dicitur: Intra in gaudium Domini tui. De seruo autem nequam dicitur: Eiecite illum in tenebras exteriores. Ideo & Adam ciecus de patria caelesti & illa sede paradisi, in insulam peccati est relegatus. Recte ergo dicit scriptura: Renouamini insulae; quia peccatorum fluctibus, sicut insulae in istius mundi freto circumuenimur. Ista ergo insulae per aduentum Domini peccatorum remissione renouatae sunt; id est, homines in lauacro medij inter aquas quasi insulae constituti, tundeantur vndarum molibus, sicut insulae consonoris peccatorum relidentibus fluctibus, in quibus ante velut fraudum scopulis erant simplicibus crebra naufragia, quia dolus erat in corde, in ore blandicia. At vero posteaquam Dominus Iesus, in quo dolus non est, adueniens in hunc mundum, caelestis expositione doctrinae humanarum profunda mentium serenauit, & tranquillitatem refudit affectibus singulorum, auferens sepe misericordiae, quasi quadam portuum coepere appropinquatibus esse suffugia, ut vnusquisque nauigium suae quietis in proximi aut fratris constituat affectu, & in secessu quodam pie mentis haereat litorali. Non immerito ergo tamquam renouatus clamat Dauid: *Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui legitificat iuuentutem meam*: ut qui supra se inueterasse inter inimicos suos dixerat (uti in sexto legimus Psalmo) hic ait iuuentutem sibi ex inueterata prolapsionis humanae senectute renouatam. Renouamur enim per lauacri regenerationem, renouamur per Spiritus sancti infusionem. Renouabimur etiam per resurrectionem, sicut in posterioribus dicit: Renouabitur sicut aquila iuuentus tua. Quomodo renouemur, audi: Asperges me hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealabor. Et in Esaiam ait: Si fuerint peccata vestra ut phoenicium, ut niuem dealabor. Recte renouatur, qui de tenebris peccatorum in lucem virtutum mutatur, & gratia: ut qui terra prius colluione sordebat, supra niuem albeni nimis fulgore resplendeat.

Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus: quare tristis es anima mea: & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

Confitebor tibi in cithara. Habet citharam suam anima nostra. Neque enim diceret Paulus: Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente: nisi haberet citharam quae plestro sancti Spiritus resultaret. Cithara est caro nostra, quando peccato moritur, ut Deo viuatur. Cithara est caro nostra, quando septiformem accipit spiritum in baptismatis sacramento. Testudo enim dum viuunt, luto mergitur:

tur: vbi mortua fuerit, tegmen eius aptatur in usum canendi, & pie gratiam disciplinae, ut septem vocum discrimina numeris modulantibus obloquatur. Similiter caro nostra, si viuat illecebris corporalibus, in quodam caeno viuunt, & voragine volutatum. Si luxuriae moriatur atque incontinentiae, tunc veram vitam resumat, tunc edere incipit bonorum operum dulce modulamen. Dulcis sonus est castimoniae, dulcis sonus timentium Deum.

Denique in omnem terram exiit sonus eorum. Dulcis sonus est fidei, quae annuntiat, ut scriptum est, in vniuerso mundo. Hic sonus a nobis exeat ad Deum, sicut exiit a Thessalonicensibus, ut etiam non canentes canamus, & bonorum concentu operum Dominum praedicemus: cui est honor, gloria, perpetuitas a saeculis, & nunc & semper, & in omnia saecula saeculorum. Amen.

SANCTI AMBROSII IN PSALMVM XLIII. ENARRATIONIS FINIS.

# SANCTI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, IN PSALMVM DAVID XLIII. ENARRATIO.

Titulus Psalmi XLIII.

In finem filiis Core intellectus, Psalmus David.

**P**SALMI titulus est: *In finem filiis Core intellectus*. Vbi passionis Dominicae, & baptismatis, & ingressionis ad altare sacrosanctum, decursa mysteria sunt: docet sanctus propheta Dauid quent admodum athletam suum, cuius nomen teneatur in agone sanctorum, Christus exerceat. Sicut enim sine labore nostro, non ex operibus, sed ex fide per gratiam suam nobis peccata donauit, & ad coronam petitionem indulgentissimus nos & benignus admittit, nec superiora nobis fecit obesse flagitia, quibus tanto certamine iudicaremur indigni: quare etiam in iis qui lustrale certamen hoc subeunt, etiam disciplina viuendi ita rursus ne tanta peccatorum donatione resoluti, in superiora flagitia vel desidia reuertantur: Psalmus iste nos admonet multa nobis & grauius certamina esse proposita, ut nemo nisi qui legitime certauerit, coronetur. Luctandum est igitur aduersus carnis huius illecebras, & feruorem sanguinis. Luctandum est aduersus nequitas spirituales. Nemo grauior domesticis substantiae potentia suffragatur. Cum dico nemo diuini memento sermonis, quem dixit Dominus: Quia maior ex natis mulieris Ioanne Baptista nemo. Nam qui natus est ex Virgine, ipse super omnes est: & ideo neminem vereamur, qui Christum habemus: quoniam si Christus pro nobis, quis contra nos? Certemus ergo usque ad finem, ut euacuat omnibus quae aduersum Iesu Domini voluntatem in nostro ante corpore militabant, verae exercitiis virtutis intenti, soli Deo nostro & Domino seruiamus. Hic enim finis, ut scriptum est: primitiae Christus: deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & patri, cum euacuarit omnem principatum & potestatem & virtutem, ut mors nouissima destrueretur, & incipiamus Deo esse subiecti, regnum in nobis caeleste seruantes, vbi erat ante colluio peccatorum. Merito ergo, *In finem filiis Core intellectus*. Psalmus in S. Ambrosio, tom. 2.

scribitur, ut in eo cognoscendo non vulgaris auditus, sed intellectus spiritalis operetur. Denique Aquila Psalmum disciplinae posuit. Et ideo tibi dicit scriptura: Da in disciplinam cor tuum, aures tuas praepara sermonibus intellectus. Et alibi: Ad sciendum sapientiam & disciplinam. Sapientia est quae sensu scaturit: disciplina, in habitudine quamdam naturae coalita forma virtutum, & mentis confirmata sententia scientiae disciplinis. Intelligere quoque obscurum sermonem atque dictiones prudentiae & aenigmata. Prouerbiorum scriptura nos docuit, cuius auctoritate colligimus has prudentiae principales esse virtutes: eo quod sapientia, semper quasi mater foecunda parturiat, disciplina quasi feruor magistra distingat, intellectus quasi diligens quaesitor inueniat, & veram iustitiam iudiciumque rimetur. Doceamus haec sacrae testimoniis lectionis. Sapientia dicit: Ego quasi fons a paradiso, dixi: Rigabo meum hortum, & adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam. Na cogitationes suas menti hominis, & bonos sensus quasi pia mater infundit. Accipe etiam testimonia discipline: Fili ne neglexeris disciplinam Dei, nec defeceris ab eo correptus. Quae enim diligit Deus corripit. Seuera quidem in corripiendo, sed dulcis in corrigendo est disciplina: ne flui temus & vagemur errantes, sed recipiamur a Christo. Disciplina enim non examinata errat, ut scriptum est. Sed pro conuersatione hic posuit disciplinam. Tamen sicut sapientia, ita & disciplina & perfecta & imperfecta eodem nomine nuncupatur. Sed vbi sine adiectione vel disciplina vel sapientia nuncupantur, definitionem perfectionis accipiunt. Inexaminata ergo fluitat disciplina, sed examinata non fluitat. De intellectu quoque eadem scriptura definit: quia intellectus bonus est omnibus qui eum faciunt: intellectus autem cum in se & sapientiae gratiam habeat, & ordinem disciplinae, utique docemur quod & sapientia & disciplina bonae sint eis qui earum instituta suis ministeris exequuntur. Diximus de titulo, Psalmum adoriamur.

Esaiam. 65.

Psalm. 22.

Gen. 3.

Gen. 4.

Ibid.

Psalm. 13.

Gen. 4.  
Hebr. 9.  
Hebr. 12.

Esaiam. 1.

Hebr. 11.  
Esaiam. 1.

Ibid.

Math. 23.  
Ibid.

Gen. 3.

Esaiam. 41.

1. Petr. 2.

Psalm. 41.  
Psalm. 42.

Ephes. 4.

Rom. 11.

Psalm. 6.

Tit. 5.

Psalm. 102.  
Psalm. 50.

1. Tim. 2.  
Ephes. 6.

Matth. 11.  
1. Cor. 3.  
Rom. 8.

1. Cor. 12.

1. Cor. 15.

Rom. 6.

tur:

Psalm. 118.  
Rom. 1.

1. Thess. 1.

Prouer. 23.  
Prouer. 1.

Ibidem.

Exod. 24.

Prouer. 3.  
Hebr. 12.

Prouer. 10.

Psalm. 115.



*Psalms David quadragesimustertius.*

**D**EUS auribus nostris audiuit.

Sic Symmachus. Theodotion vero, *In auribus nostris*, dixit: sicut & Septuaginta viri. Quid est, quod ait: *Auribus nostris*? Quasi non satis esset, *Audiuit*. certe si hoc placuerat: *Auribus audiuit*, plenum erat, cur ergo additum est, *Nostris*? Quid sibi hoc vult, nisi vt intelligas illa esse nostra, quæ mentis sunt, & ea esse meliora, quam quæ istius corporis? Et ideo quasi de alio dicit hic ipse Propheta: Non timebo quid faciat mihi caro. Et alibi: Voce mea ad Dominum clamaui, vox mea ad Deum, & respexit me. Illa vox mea, quæ auditur à Christo, non quæ resultat in publico. Non vult igitur suum esse, quod corruptibile atque terrenum est, qui ad imaginem Dei & similitudinem meminit se creatum. Denique scriptura nos edocet, prius ad imaginem Dei hominem esse formatum, postea de luto factum. Quasi superior ergo (superior enim qui antiquior) & gubernator & rector huius corporis animæ vigor dicit: *Auribus nostris audiuit*. Quis iste est, nisi cui dicitur: Qui habet aures audiendi, audiat? Sunt enim qui aures habent, & audire mysteria non possunt: de quibus dicit Iesus in reuelatione Ioannis: Foris canes & veneficos & impudicos: quibus flagitiorum cupiditas, & ærugo pecuniæ aurē obstruit audiendi. Consideremus igitur quæ audisse se dicant, vel à quibus audisse commemorent.

Et patres nostri annuntiauerunt nobis, opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis.

Qui sunt isti patres nostri? Titulus habet quia *Psalms filius Core* scriptus sit, vt ab ipsis canatur, qui psallendi munus receperant, & in huiusmodi officium fuerant deputati. Core autem & Dathan & Abiron cum aliis qui aduersum Moysen & Aaron insurrexerant studio contumaci, terræ hiatu in deserto vorati sunt & necati. Quibus mortuis, qui alij patres eorum filii mirabilia opera Domini annuntiare potuerunt? In maleuolam enim animam non ingreditur sapientia. Si sui ergo patres non annuntiauerunt filijs, alieni multo minus, qui declinarunt sobolem perfidorum. Qui sunt itaque isti patres? Vide ne illi, de quibus dictum est: Intertoga patrem tuum, ipse tibi dicet. Interroga quando legis Paulum: vel si non legis, & mouet te aliquid, in ipso require. Ipse est enim bonus pater, qui potest docere & formare in nobis Dominum Iesum: sicut ipse testatus est, dicens: Filioli mei, quos ego parturio, donec formetur Christus in vobis. Ostendit tibi hos patres Euangelista Ioannes, qui ait: Dico vobis patres, qui cognouistis quod est ab initio. Isti sunt patres, quorum senectus vita immaculata est. Ideo in conuentu seniorum appone digitum ori tuo, vt audias quod tibi profit, & vitæ æternæ sacramenta cognoscas: ne interstrepas in solens tyro doctoribus: & qui adhuc discere debeas, docere præsumas. Quid igitur isti patres annuntiauerint Core filijs, audiamus: *Opus (inquit) quod operatus es in diebus antiquis*. Qui sunt isti dies in quibus Deus magna & mirabilia operatus sit, requiramus. Et docet nos scriptura esse aliquos præclaros dies in quibus resulerint facta diuinæ,

cum lectum sit, quia sol in tenebras conuertetur, & luna in sanguinem, priusquam veniat dies Domini magnus & illustris. Et erit, quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. In ipso enim die Christus hominibus resurrexit, & ideo specialiter de ipso dictum est: Hic est dies quem fecit Dominus: exultemus & lætemur in eo. Cū igitur omnes dies Deus fecerit, huic tamē diei præ cæteris diuini operis prerogatiua delata est, quo peccatum omne sublatum est. Dies autem alij peccatorum sunt. Hic ergo est dies quem illuminauit sol ille iustitiæ. Nam & ipse ortus suos & occasus habere cōsueuit. Vnde & scriptum est: Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis. Sunt ergo dies Christi quibus orta iustitia est, & pacis abundantia: sunt dies Christi quibus orta sapientia est. Audi quomodo exoriatur sapientia: Si quis videtur sapiens esse inter vos in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Ideo dicit sapientia quæ stultum huius mundi elegit: Dominus creauit me principum viarum suarum in opera sua. Sicut enim in diebus Ozia regis, & in diebus Nabuchodonosor exorta perfidia est, dominata captiuitas: sic in diebus Domini Iesu exorta est fides, quæ splendorem suæ claritatis & luminis toto orbe diffudit. Qui enim meliores dies, quam quibus resulsit nobis visio Dei, sicut dixit Iacob: Sic enim scriptum est: Vidi Deum facie ad faciem: & salua facta est anima mea. Et cōtinuò exortus est ei sol. Quis iste sol, nisi qui dies fecit fulgere iustitiæ, quibus in terra natus est Christus ex Virgine? In specie vidit Iacob, & Deū vidisse se dixit: in veritate viderunt Iudæi, & non crediderunt. Ideo illis breuiati sunt dies, nobis illuminati: quoniam illis deficiebat dies, nobis appropinquarebat. Vnde Iudaicam sanctus David refugiens cæcitate ait: Ne deducas me in dimidium dierum meorum. Sic enim dies Domini magnus & illustris est, vtique non prolixitate tēporis, sed iustitiæ vel gratiæ claritate. Ergo sunt dimidij dies, quibus breuiantur dies impietatis caligine, & squalore perfidiæ: quibus occidit sol super prophetas, sicut scriptum est. Namque vt iustis oritur sol iustitiæ, sic occidit infidelibus. Sed occurrit illud quod dicit Dominus: Propter electos breuiabuntur dies. Et videtur cōtrarium, nisi diligenter aduertas, & superiora repetas. Dicit enim Dominus: Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic Christus, aut ecce illic, nolite credere. Surgent enim pseudo christi, & pseudopropheta, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Et ideo ne decipiantur electi, admonet Dominus quid sequendum sit, vt non falsorum prophetarum sermone capiamur, neque nos eorum aliqua prodigiosa facta decipiant. Sed tunc credamus Christum esse venturum, cū dies pleni iustitiæ cœperint resurgere. Christus enim pleno maiestatis suæ lumine reuelabitur: & sicut fulgur exit ab Oriente, & toto lumen suum vsque in Occidentem orbe diffundit: sic & filius hominis cum suis angelis veniens illuminabit hunc mundum, vt credat omnis homo, & salua fiat omnis caro. Non ergo credamus antichristo, de quo dicent falsi propheta: Hic est Christus. Dies enim perfidiæ erunt antichristi dies. Non credamus iis qui dicent: Christus in deserto, Christus in penetralibus. Iam enim

*Psal. 75.*  
*Psal. 76.*  
*Genes. 1.*  
*Genes. 2.*  
*Luc. 8.*  
*1. Cor. 22.*  
*1. Paral. 26.*  
*Num. 16.*  
*Sapient. 1.*  
*Deut. 32.*  
*Galat. 4.*  
*1. Ioan. 2.*  
*Sapient. 4.*  
*Ecles. 32.*

*Act. 2.*  
*Ioel. 2.*  
*Rom. 10.*  
*Psal. 117.*  
*Genes. 1.*  
*Malach. 4.*  
*Psal. 71.*  
*Psal. 119.*  
*Psal. 101.*  
*1. Cor. 3.*  
*1. Cor. 1.*  
*Prover. 8.*  
*Esa. 1.*  
*Dan. 3.*  
*Genes. 32.*  
*Psal. 101.*  
*Ioel. 2.*  
*Micha. 3.*  
*Malach. 4.*  
*Matt. 24.*  
*Ibidem.*  
*Psal. 72.*  
*Matt. 24.*  
*Exod. 3.*

enim omnia plena sunt Christi, vbi appropinquare cœperit Christus. Sed cū viderimus facta quæ Christus in Euangelio suo antè prædixit, tunc credamus eius aduentum: ne dum verum quærimus lumē, in infidelitatis tenebras incidamus. Cauenda ergo signa perfidiæ, quibus breuiantur dies, atque minuuntur. Sol enim obscurabitur, stellæ cadent. hoc est, iusti Dei. Sunt enim qui fulgeant sicut stellæ in cælo. Cū hæc videris, crede adhuc tardare Christum. Vbi enim Christus, ibi fides clarior. Vbi antichristus, ibi dies dimidij: de quibus vtique non quereretur David propheta, si ad temporis breuitatem videretur esse referendum, cū ipse alibi dixerit: Heu me quod incolatus meus prolongatus est. Quomodo enim aut illum dilatatum incolatum cælestem, aut hunc terrenum comperendinatum doleret, qui antè poposcerat, ne in dimidium dierum suorum deduceretur, cū dierum breuitas celerandi cursus istius compendium videretur afferre? Vnde colligitur & illud quod ait: Honora patrē & matrem, vt longæuus sis super terram: quomodo intelligere debeamus. Multi enim qui honorant, citò saepe rapiuntur, vt immatura ætate moriatur. Multi etiam qui minus deserunt parentibus suis, longæuæ fruuntur stipendijs senectutis. Et nisi longæuitatem illam vitæ accipiamus æternæ, inuenitur scriptura destitui subsidio veritatis. Vnde Græcus expressius dixit: Vt sis multorum dierum: hoc est, πολυήμερος. Quicumque enim cultus pius sedulo seruat officio, à tenebris noctis alienus, in dierum luce versatur. Et ideo qui legit Deuteronomium: Leget, inquit, illud omnibus diebus vitæ suæ. Nō vtique noctibus, sed diebus: quia dies fulget legenti mysteria veritatis, & diuinæ pietatis oracula. Consideremus sequentia:

Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos: afflixisti populos, & expulisti eos.

Scimus quidem quod multas gentes eradicauerit Dominus & euerterit, vt possessionē sibi Iudæorum populus inueniret: quarum gentium terras Abraham semini daturum se Dominus declarauit. Sed cū Psalmus iste Euangelium Domini, & tempora aduentus eius annuntiet, non mihi videtur quæ superius à Iudæis gesta sunt recensere, sed futura signare, quemadmodum crediturus esset populus nationum. Confirmat igitur fidem Ecclesie antequam nuntiet, & victorias pietatis eius enumerat: quæ non in brachio, neque in gladio suo feras expulit gentes, & non certamine bellico turmas fugauit hostiles, sed mansuetudine ac fide terras inimicorum sine vilo cruore possedit. Fides enim sola pugnavit: & ideo triumphos meruit, quos non reuocaret perfidia, sed auerget: quia persecutionibus suis non vincitur Ecclesia Domini, sed probatur. Quæ sunt igitur istæ gentes quas vicerit Ecclesia, cognoscamus. Vetera dico vocabula, sed mysteria noua. Chananzai sunt, Chettæi, & Amorrhæi, Pherezai, & cæteri, quorum infra vocabula digremeris. Hæc autem populorum sunt nomina: sed passionum infirmitates, & humanorum incētiua & opprobria peccatorum designant. Quod primum est igitur, homo in Christo ipse se domuit, & ipse se vicit, vt sibi viu-

ret. Sibi enim viuit, qui Deo viuit, vt vitam Christi viuat æternam. Non ergo pugnavit militaribus armis, & ferreis telis populus Ecclesie, sicut pugnavit populus Iudæorum. Ille in figura pugnavit, nos pugnamus in spiritu. Ille aduersum alienigenas pugnavit, nos ipsi bellum habemus in nobis: & ideo prius nobis vincēdæ sunt proprii corporis passiones. Audi pugnantem Apostolum Paulum aduersum gentem Chananzæorum: Video, inquit, legem carnis meæ repugnantem legi mentis meæ, & captiuam me in lege peccati. Nunc se erigit caro nostra, nunc deiicit. Erigit mēti, deiicit potestati: & vbi se virgeri viderit, constantiam deserit, & ad subiectionem parata ducitur in legem peccati, vt fidem deserat, perfidiæ succumbat: & Chettæi infirmitatis indicio destituta vero, cedat mendacio, seruiat crimini, adque sciat errori, & tamquam Amorrhæus loquatur amara pro ducibus. Fides enim dulcis amara perfidia est. Vnde præclare Petrus quid fides esset expressit, dicens: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, quomodo igitur vis vt discedamus à te? Captus enim cælestium suauitate verborum, discedere volebat à Christo. Qui autem negat Christum, ipse se separat à Christo. Sed neque veritas Amorrhæorum disputatio eiusmodi, quæ per philosophiam nonnullos à veritate transducit: neque Iebuzæorum turpis abiectio, quæ se subicit atque substernit cursum currentibus sæcularem, qui non potest esse perpetuus, sed in portis deficit mortis, de quibus exaltatum David propheta se gaudet: neque Cinæus, qui per suam pecuniam possidetur, sicut infatigabili avarus affectu: neque Cenezæus, qui putat in diuitijs possessionem esse perpetuam, & vanam spem constituit in caducis, atque inani opinione se iactat: neque Raphaim, qui profitetur alijs se ferre medicinam, cū vulnere sua curare non possit: & ideo si quis ad huiusmodi medicum confugerit, necesse est prius patrimonium suum omne consumat, quam profectum sanitatis accipiat: sicut illa mulier in Euangelio quæ per duodecim annos fluentem sanguinem corporalium voluptatum sistere non potuit, nisi posteaquam confugit ad Christum. Intellexit enim quod nemo perfectus medicus, nisi qui descendisset è cælo: de quo cognouerat dictum: Misit verbum suum, & sanauit eos. & aduertit de ipso dictum: Ecce dedi verba mea in os tuum, & constituit te hodie super gentes & regna, eradicare, & destrucere & perdere, & ædificare, & plantare. Nam licet frequenter Deus loquutus sit in prophetis, in quo tamen expressius quàm in suo loquutus est filio? qui virtutem omnem exprimens patris ait: Mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit. Non ergo Hieremias, qui tempore captiuitatis suscepit exilium, sed Dominus Iesus suis verbis eradicauit ex intimis pectoribus vitia gentilium, perfidiam nationum, & versutarum cogitationum praua commenta destruxit, atque omnia vestigia iniquitatis aboluit. Deinde infudit postea fidem, & continentiam disciplinam, ne tamquam in vase corrupto confusione vitiorum coacerescerent sacramenta virtutum. Vnde pulchrè Apostolus dicit: Sed regnavit mors ab Adam vsque ad Moysen. Quid est Moyses, nisi lex?

*Galat. 2.*  
*Rom. 7.*  
*Deut. 1.*  
*Ioan. 6.*  
*Coloss. 2.*  
*Psal. 9.*  
*Num. 24.*  
*Luca 8.*  
*Psal. 106.*  
*Hier. 1.*  
*Hebr. 1.*  
*Ioan. 7.*  
*Rom. 8.*

Rom. 10.  
Rom. 5.

Exod. 17.

Ibidem.

Esai. 53.

Philipp. 2.

Luca 23.

Hiere. 1.

Exod. 15.

Psal. 26.

Mat. 5.

Mat. 11.

Psal. 117.

Luca 2.

Quoniam ipse interpres est legis: finis autem legis Christus. Regnavit ergo peccatum in hoc mundo, & in peccato mors, & iniqua atque intolerabilis quaedam poena peccati. Docuit quidem nos Moyses leuare ad Dominum manus, per cultus instituentis disciplinam. Docuit quemadmodum Amalech versutia vinceretur: ut si mores nostros & opera leuaremus ad Christum, sic destrui posse perfidiam. Sin verò deiiceremus animam, inclinaremus affectum, & à continentiae studio auerteremus ingenium, ut persuasio nos vana superaret: nullum remedium futurum, nisi Iesus depressa iam brachia Moysi tamquam infirmitatem legis attolleret, & sua misericordia sustineret. Sed infirmum adhuc fuisset legis auxilium, nisi ipse Iesus venisset in terras, qui in se nostras susciperet infirmitates, quem solum nostra peccata grauari non possent, nec inclinare manus eius, qui se inclinavit usque ad mortem, mortem autem crucis: in qua expandens manus suas, totum orbem qui erat periturus, erexit: leuauit iacentes, atque ad se omnium gentium fidem traxit, dicens homini: Hodie mecum eris in paradiso. Hoc est ergo disperdere atque plantare, ut vitiosa eradicentur, meliora plantentur in pectoribus singulorum. De quo praeclare Moyses in Exodi cantico ait: Inducens plantato eos in montem hereditatis tuae, in preparatum habitaculum tuum: petens ut induceret Dominus populum suum in illa praecelsa virtutis sapientiaeque plantaria, ibique plantaret in opera sua, & institueret praecceptorum caelestium disciplinis, atque in eo praepararet sibi suae sanctificationis habitaculum: quod utique non hereditario iure, nec nostrorum contemplatione meritorum, sed pro sua gratia Dominus conferre dignatur. Quomodo enim, ubi manere non potuimus, eò redire possemus, nisi priuilegio fulti redemptionis aeternae? Et ideo pulchre dixit Propheta:

Quoniam non in gladio suo possederunt terram, & brachium suum non liberauit eos: Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuit tibi in illis.

Quoniam non in gladio suo possederunt terram. Quænam terra est, quæ non brachio capiatur, non gladio possideatur, nisi terra repromissionis, de qua hic ipse dixit Propheta: Credo videre bona Domini in terra viuentium? Non immerito igitur eius tam præclara possessio est, in qua non sæculi aduersa dominantur, sed Domini bona aeterna fructificant. Ideoque non gladio acquiritur, sed mansuetudine possidetur, sicut Dominus Iesus testificatus est, dicens: Beati mites, ipsi enim possidebunt terram. Nemo ergo impacificus, nemo arrogans aut superbus, sed mansuetus & humilis corde, qui nihil sibi arroget, sed totum ad gratiam referat, non in sua fortitudine gloriatur, sed dextera Dei credat se esse protectum, dicens: Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me. Gladio quoque Dei memoret se esse seruatum, illuminatum quoque Dei vultu omnipotentis: in quibus omnibus Christus est protector, vt dextera; defensor, vt gladius. Vnde & Symeon dixit ad Mariam: Et tuam ipsius animam per-

transibit gladius. Gladius enim Dei verbum est, quod acutius omni gladio usque ad diuisiones animæ cogitationisque pertransit, vt nulla cognitionem eius occulta prætereant. Vultus quoque paterni splendor est Christus; & ideo dicit: Qui me vidit, vidit & patrem, quasi splendor gloriæ eius, & imago substantiæ. Ad ipsum ergo omnia iure referenda sunt. Ipsi Moyses, ipsi Aaron, ipsi etiam patres sacrabant vniuersa quæ gesserant, vt de hostibus triumpharent. Neque enim in sua confidentia dixit Iesus Naue: Stet sol contra Gabaon: sed quia præsumebat in Christo, quem ducem militiæ caelestis agnouit, & suppliciter adorauit: & ideo gentes feras eradicare promeruit, & populum patrum in terram repromissionis inducere, quia nihil suis operibus deputabat, credens indigna esse opera hominum tanta gloriæ remuneratione caelestis, quam Dominus ex sua magis misericordia, quam pro nostrorum cõtemplatione factorum statuit in se credentibus conferendam. Vnde & Abraham impigre Deo credidit, vt apud eum iustificationis gratiam reperiret, quam mercedem sui operis collocaret. Vberiora enim dona sunt largietis, quam merces operantis. Propterea & illi qui aequalitatem mercedis inuiderat, respondit Dominus: Si ego bonus, oculus tuus quare nequam? Patres ergo nostri, vt pote proximi & hæredes patriarcharum, plantati in terra repromissionis, nõ suis hoc meritis vendicabant. Ideo nec Moyses eos induxit, ne legis hoc existimetur esse, sed gratiæ. Lex enim merita examinat, gratia fidem spectat. Vnde praeclare Apostolus fidem patrum secutus ait: Sed neque qui plantat, est quidquam, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus. Non enim Iesus Naue qui induxit, neque qui plantauit eos, sed Deus qui incrementum populo dedit, habet gloriæ principatû. Nec te moueat quia superius dixit: Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos. Hinc enim colligis quia non omnis qui plantat, aut qui rigat, incrementum dat: sed qui incrementum potest dare, potest ipse plantare: sicut gentes plantasse dicitur Dominus. Ipse enim plantauit, qui plantationis donauit effectum. In iis tamen qui per fidem Christi Domino placere meruerunt, cui soli à patre dicitur Deus: Filius meus tu es, in te cõplacui. Qui ergo participes Christi sunt, ab eo placendi gratiam consequuntur. Et pulchre ait: Complacuit tibi in illis: vt distat videatur iure seruata. Recte enim Deus in filio cõplacet, quia æqualis est patri; nec in villo decolor inuenitur: quia cõplacet diuinæ iure naturæ, & vnitæ substantiæ. Et recte cõplacet in filio pater: quia pater honorificatur in filio, sicut in patre filius. In nobis autem Deo cõplacuit: quia nobis ipse donauit vt ei placere possumus. Piè autè & hoc homini specialiter donatum, nõ arrogatius vsurpatû scriptura nos docuit. Decet enim vt in iis cõplaceat Deo, quos ad similitudinẽ suã fecit, & quos per imaginẽ suã voluit prerogatiuam gratiæ habere caelestis. In imagine ergo sua Deus complacet: in iis autè qui secundum imaginem ipsius sunt, cõplacet Deo. In his autè suum munus, & suum donum: quod tunc reuelabitur, cum perfectum illud aduenerit: quia cõ apparuerit quid simus, similes ei erimus, vt scriptum est. Ergo qui non in brachio suo, hoc est, in sua operatione præsumit, sed

Hebr. 4.

Ioan. 14.  
Hebr. 1.

Ioan. 10.

Ioan. 5.  
Ioan. 1.

Genes. 15.  
Rom. 4.

Mat. 20.

Deut. 34.

1. Cor. 3.

Ioan. 35.

Psal. 43. sup.

Ibidem.

Mat. 2.

Ioan. 17.

Genes. 2.

1. Cor. 13.

1. Ioan. 3.

in Dei gratia, credens quod non facta sua vnumquemque iustificat, sed fides prompta, dicit Dominus:

Tu es ipse rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob.

Non perfunctorius sermo est, vt dicas: Tu es ipse rex meus. Non quicumque hoc dicit, sed in quo Dei regnum est. In quo autem regnat Deus, utique in co peccata non regnant. Non enim Deo regnum est commune cum crimine. Quis autem dicit, Deum meum, nisi qui ipsi exhibet plenum reuerentiæ & pietatis affectum? Iusto enim dicitur: Ego sum Deus tuus. Denique & Thomas ubi tetigit manum propriae latu Christi, & euidentia indicia indubitata resurrectionis inuenit, respondit: Dominus meus, & Deus meus. Dominus, quia redemit seruos suos: Deus, quia non solum resurrexit, sed etiam ipse se suscitauit. Mandauit autem salutes Iacob: quia in singulis oraculis salus est. In singulis quoque salus est mansionibus: salus in ministeriis angelorum, qui ad protectionem hominum deputantur. Ex mandato ergo Dei salus homini, non ex sua operatione confertur. Deus enim maluit vt salus homini fide potius quam operibus quaeretur, ne quis gloriaretur in suis factis, & peccatum incurreret. Qui autem gloriatur in Domino, fructum pietatis acquirit, & iactantiæ crimen euadit. Hic igitur est qui potest dicere:

In te inimicos nostros ventilaui cornu.

Quid est ventilare? Dedit Dominus cornua pluribus animantibus, vt possint se à ferarum incurssione defendere. Ideoque & bos leoni frequenter resistit, vrfum proterit. Ceruus quoque quamuis sit pauidus, tamen & ipse cornibus se tuetur. Aries quoque arietat lupum. Ergo ea quæ cornua habent animalia, ventilare dicuntur. Sed homo cornua nõ habet. Quomodo ergo ventilat? Vnde: Vide scriptura quid dicat: In te (inquit) inimicos nostros ventilaui cornu. Cornu nostrum est tu Domine Iesu. Et ideo sicut non in brachio nostro præsumimus, ita nec in cornibus nostris ventilandi habemus præsidium, sed in Christo. Habet enim fides cornua sua, quæ mutuantur à Christo. Siquidem nõ otiose in benedictionibus Moyfi legimus: Qui visus est in rubo, veniat super caput Ioseph, & super verticem eius, glorificatus inter fratres suos primogenitus: tauri decor ipsius, cornua vnicornui cornua ipsius: in ipsis gentes ventilabit simul usque ad extremum terræ. Hæc decem milia Ephraim, & hæc milia Manasse. Quis est in rubo visus Moyfi, nisi primogenitus Dei filius, qui ait: Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob? Ideo se demonstrauit humanis aspectibus, quia venturus erat vt ab omnibus videretur. Ideo rubus vrebatur, & non exurebatur: quia terram istam quæ nobis spinas germinabat & sentes, disponebat vrere per continentia disciplinam, non consumere per mortis ærumnam. Vnde dicit Propheta: Vre renes meos, & cor meum. Reuelauit ergo futurum quoddam corpori splendoris indicium, quo per resurrectionem caro ista fulgeret. Quid enim significabat ignis innoxius, nisi lumina resurgentium? Vnde præsumpsit Apostolus

dicere: Quia sicut stella à stella differt in claritate, ita & resurrectio mortuorum. Hic ergo inquit: Veniat super caput Ioseph, vt exaltet caput populi sui. Veniat etiam super verticem, vt verticem capilli perambulet, amputaturus superflua delictorum, sanctificaturus ornamenta virtutum. Hic est glorificatus inter fratres suos, sicut ipse dicit: Narrabo nomen tuum fratribus meis. Quæ maior est gloria, quam peccatoribus nationum cognitione diuinitatis infundere? Quem in visione vidit Ioseph, quum manipulum eius adorarent fratrum manipuli, adorarent eum sol & luna cum stellis. Manipulus ille in figura carnis accipitur. Omnis enim caro scenum. Scenum hoc nostrum suscepit, vt suum triticum geminaret, & fructum resurrectionis afferret. Queris testimonium? Audi de se dicentem: Nisi granum tritici cadens in terram moriatur, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Denique vt scias quia de Dei filio dicit Moyses, ait: Glorificatus inter fratres suos primogenitus. Vtiq; non Ioseph erat primogenitus inter filios Iacob, sed Ruben. Nam Ioseph post plurimos erat. Sed primogenitus dicitur, qui venturus erat vt nationum populos congregaret. Vnde pulchre ait scriptura: Tauri decor eius. Sicut enim taurus ducit armentum, ita Christus plebem gentium duxit ad Ecclesiam, inducit ad pasqua, vt posset dicere: In loco pascuæ ibi me collocauit: super aquam refectionis constituit me. Huius tauri decore perpetuo capta nostræ fragilitatis armenta, secuta sunt præcedentem, vt vitam adipisceretur æternam. Mugit hic taurus, & mors refugit. Leo rugit: & quis non timet? Verè maxima taurus victima, vt ab aduersariis assumamus testimonia. Quæ maior enim victima, quam quæ mundi totius peccatum suo cruore mundauit? Audi quia ipsum taurum dicit etiam sanctus Propheta Iacob cum reuelaret Domini passionem, quem Iudæi postea persecuti sunt. In furore, inquit, suo subneruauerunt taurum. Et vt aperiret quia de Iudæis dicebatur, addidit: Diuidam eos in Iacob, & dispergam illos in Israel. Hic est homo qui luctatus est cum Iacob, & femur eius tetigit: quo tactu, patriarche neruus obstupuit: significans ex eius successione secundum carnem se esse venturum, qui subneruandus esset à populo Iudæorum in sui corporis passione. Quod non intelligentes mysterium, statuerunt ne neruū manducarent filij Israel. Et ideo sacri sanguinis se redẽptione fraudarunt, salutaris quoque passionis se beneficiis abdicarunt, ne vitæ mereantur æternæ: quia scriptum est: Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinẽ, nõ habebitis in vobis ipsis vitã. Qui autem manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habebit vitã æternam. Accipe aliud. Quid est neruus, nisi quo corpus omne constringitur? Corpus Christi Ecclesia est, quæ vinculo stringitur charitatis. Quid aliud in Christo Iudæi, nisi charitatis vinculum omne soluerunt? Merito Petrus sacerdos eligitur, qui sparto charitatis diuinæ triplici seligauit. Accipe adhuc quia ipsum significauit Moyses. Adiecit: Cornua vnicornui, cornua ipsius: in ipsis gentes ventilaui. Sed noli timere quia ventilat. Dixit enim: Percutiam, & sanabo. Bona cornua, quibus inclusit orbem ter-

1. Cor. 15.  
Deut. 33.  
Psal. 67.  
Psal. 21.  
Genes. 37.  
Esai. 40.  
Ioan. 12.  
Deut. 33.  
Genes. 49.  
Genes. 30.  
Psal. 22.  
Amos 3.  
Virg. lib. 2.  
Georg. 1.  
Genes. 49.  
Ibidem.  
Genes. 32.  
Ibidem.  
Ioan. 6.  
Coloss. 1.  
Ephes. 4.  
Ephes. 4.  
Ioan. 21.  
Deut. 33.

1. Pet. 5.  
Dan. 7.  
Ioan. 3.  
Deut. 33.  
Rom. 11.  
1. Reg. 18.  
Deut. 33.  
Psal. 148.  
1. Reg. 2.  
Genes. 49.  
Psal. 18.  
Genes. 49.  
Genes. 24.  
Genes. 49.  
Ephes. 1.  
Psal. 117.  
Apo. 19.  
Psal. 97.  
Num. 10.  
Psal. 80.  
Psal. 71.

rarum. Bona cornua, quibus leonem illum nostrum aduersarium ventilauit. Bona cornua, quibus fecit vt cornua aduersarij timere nequeamus, quia & satanas habet cornua sua, sicut testificatur Daniel, dicens: Videbā & cornu illud quod faciebat pugnam cum sanctis, & inualecebat eis, donec venit antiquus dierum. Hic est antiquus dierum. Quis autem vnicornuus, nisi vnigenitus Dei filius, & vnicum Dei verbum, quod erat in principio apud patrem? Quod verbum suis cornibus gētium populos mortificauit, & viuificauit, vt fierent in decem milia Ephraim vsque ad terminos terræ, & vsque in milia Manasse: eo quod crediturus esset in eam populus nationum, qui totum repletet orbem terrarum: crediturus esset postea etiam populus Iudæorum, ex obliuione conuersus ad gratiam. Oblitus est enim salutem suam, qui tam serò conuerteretur ad Christum. Ideo Saul in milibus, Dauid in decem milibus: quia durus in paucis, mansuetus in pluribus. Neque tamen abnuo si quis quasi ad Ioseph dictum putat: Primogenitus tauri decor eius: & sic distinguendum putat, quia dedit & sanctis suis cornua. Exaltauit enim cornu populi sui. Et Anna mater prophete Samuel dicit: Exultauit cor meum in Domino: & exaltatum est cornu meum in Deo meo. Habuit vtique & Ioseph in Domino cornua spiritalia. Accipiatur itaque Ioseph, dummodò in ipso figura sit Christi, cui dicitur: Ioseph filius meus amplificatus, filius meus iunior, ad me reuertere. Neque enim Ioseph ad Iacob reuertit, sed Christus à mortuis resuscitatus ad patrem Deum reuertit, vt scriptum est: A summo celo egressio eius, & occursum eius vsque ad summum eius. Esto tamen vt de Ioseph accipiat, Reuertere ad me: quia populus reuertit in terram Chananeorum, in qua antè habitauerant patriarchæ. Vnde dicit Isaac ad Iacob: Non accipies vxorem à filiabus Chananeorum: & misit eum in Mesopotamiam, vt ibi sibi coniugem reperiret. Numquid ei insidiati sunt domini sagittarum? Numquid ipse propter benedictionem vteri materni in toto orbe benedictus est, & non Dominus Iesus, quem virgo generauit? Et ideo non solum supra homines, sed etiam supra angelos & archangelos, & supra omnem sublimitatem caelestium benedictus est potestatum, sicut scriptura testatur, dicens: Benedictus qui venit in nomine Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis, Dominus enim Deus ipse est rex regum, & Dominus dominantium, dominus eorum quæ habentur in cælis. Propter hæc cornua Domini Iesu, & Dauid in voce tubæ corneæ canens auditus à Christo est: & Moyses docuit sacrificium ritus tubæ sonitu esse celebrandos, sicut scriptum est: Canite in initio mensis tuba. Cui hoc, nisi nobis scriptum est? Menses enim ab initio lunæ veteres obseruare consueuerant. Luna autem Ecclesia est: quæ spiritualibus & euangelicis prædicationibus in abundantia pacis, vt Propheta dixit, extollitur. In Christo ergo ventilabimus inimicos nostros.

Et in nomine tuo spernemus insurgentes in nos.

Quid est nomen, nisi quo proprie vnusquisque

significatur, quod ei non sit commune cum cæteris? Homo enim commune vocabulum est. Nisi addas qui vocetur, non potest declarari. Nomen ergo proprietas vnus cuiusque est, quo possit intelligi. Vnde arbitror quod & Moyses volens proprium Dei & aliquid de eo speciale cognoscere, quod non esset commune cum caelestibus potestatibus, interrogauit: Quod est nomen tuum? Denique cognoscens mentem eius Deus, non respondit nomen, sed negotium: hoc est, rem expressit, non appellationem, dicens: Ego sum, qui sum: quia nihil tam proprium Dei, quam semper esse. Qui ergo negant Christum coæternum patri, videant quia Deum negant, cuius est semper esse, nec aliquando non fuisse. Hac ergo cognitione proprietatis diuinæ Moyses insurgentes in se volebat spernere: vel, vt Aquila aut Symmachus dixerunt, calcare resistentes sibi tamquam serpentes & scorpiones: quos etiam Dominus dicit in Euangelio esse spiritalibus vestigiis proterendos, vt viam nostram impedire non possint, quæ ducit ad secreta paradisi. Habemus ergo in nobis studium diuinæ cognitionis. Habemus Dei verbum, quod est nomen patris. Hæc verè proprietas Dei, quia pater Christi est: & ideo in nomine patris venit, qui venit vt patris faceret voluntatem. Et ideo ait: In nomine patris veni, & non me suscepistis: si alius uenerit in nomine suo, illum suscipietis; significans Iudæos in antichristum credituros, qui in Christum credere noluerunt. Ergo qui in Christum credit, non in arcu suo, nec in gladio suo sperat, sed in nomine eius spem victoriæ locat. Et ideo ait:

Non enim in arcu meo sperabo: & gladius meus non saluabit me.

Liberasti enim nos ex affligentibus nos: & eos qui oderunt nos, confudisti.

In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in sæcula.

Non enim in arcu meo sperabo. Sed si in arcu sperandum est, in Dei certè arcu sperandum est, quem posuit in nube, vt à diluuiio genus humanum timere desineret. Isto enim arcu nos protegit: quo & iaculatur sagittas, quibus percutiat inimicos & aduersarios nostros. Vnde & ait: Liberasti enim nos ex affligentibus nos: & eos qui oderunt nos, confudisti. In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in sæcula. Audi quomodo nos liberet: quia sagittis quæ iaculantur è celo, terræ nostræ interiora penetrantur, vt motus omnis terrenus intereat & quiescat: sicut in posterioribus ait: De celo iaculatus es iudicium: terra tremuit, & quieuit. Sic igitur liberamur, dum confunduntur inimicæ & aduersariæ potestates; vel sapientia carnis istius reclusa caelestibus imperatis, in suis criminibus erubescit, & flagitiorum suorum pudore confunditur: adulter in libidinis suæ flammis, & vesani amoris incendio: auarus in immodicæ cupiditatis ardore; qui aliena rapiendo, quo plura inuaserit, eo maiora desiderat: ebriosus in remulencia: facinorosus in scelere: qui & hic confunduntur grauissimè, sed multo amplius confunduntur cum viderint sanctos Domini resurgentes, & euangelicum illud impleri quod ait Dominus: Multi dormientiu in terræ

Dan. 12.  
Psal. 117.  
1. Reg. 18.  
Rom. 13.  
Ezra. 23.  
1. Cor. 10.  
Psal. 33.  
Iob 1.  
Psal. 93.  
Psal. 43. inf.  
Rom. 11.  
Rom. 10.  
Esa. 65.  
Roman. 11.  
Ibidem.

997  
in terræ monumentis resurgent: isti in vitam æternam, & hi in opprobrium & perpetuam confusionem. Cum coeperint ergo illi resuscitari in confusionem perpetuam, sanctus Domini dicit: In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in sæcula. Opulentus in diuitiis laudatur, luxuriosus in conuiuuiis, scortator in nocte, potens in hac vita quæ habet noctes: sanctus autem nō in hac vita, sed in Deo laudabitur, qui Domino per omnia placere gestiuit, qui potest dicere: Fortitudo & laudatio mea Dominus. Laudabitur tota die: quia honestè egit, & opera sua non abscondit & crimina, sed regi patefecit æterno, in die ambulans, non in tenebris & occultis. Vnde Apostolus: Sic vt in die honestè ambulemus: hoc est, non in gancis atque gurgustis, non in cubilibus & impudiciis, in quibus stultus se putat parietibus esse reclusum, vt possit Dei scientiam præterire, cum inuelata apud Deum vniuersorum flagitia sint, & occulta diuinæ cognitioni peccata hominum esse non possint. Ergo sanctus laudabitur in futurum, quia non quæsiuit præsentium laudem, sed gratiam futurorum. Vide tamen distantiam. Hic dum est, in Domino gloriatur: illic in Domino laudabitur, & pro breui tempore mercedem æternitatis accipiet. Aquila tamen posuit: In Domino gloriabimur tota die. Symmachus ait: Deo hymnum dicemus per omnem diem. Concordat omnium sensus, vt non desinamus circa Dei laudes siue hymnum dicendo, siue diuinam per omnia momenta gloriam concinendo. Qui enim hymnum dicit, puro corde & spiritaliter dicit, & omne genus passionis excludit humanæ, vt nullo mœrore, nullius doloris acerbitate impediatur eius officium, exasperetur eius affectus, sed hymnum dicens Deo immobilis atque irreuocabilis perseueret: sicut ipse Dauid, qui ait: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Sicut Iob, qui amissis filiis, interemptis omnibus suis, direptis facultatibus, ait: Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.

Nunc autem repulisti & confudisti nos:

Cum ipse sanctus Dauid alio loco dixerit: Quia non repellet Dominus plebem suā, quomodo hoc loco ait: Repulisti nos, præsertim cum hæc de plebe dicat, quæ non mediocria insignia propriæ virtutis enumeret? Neque enim mediocre est dicere quod tempestates & variæ tentationes super se venerint, & obliuioni non sint Dominum Deum suum, & iniquè non egerint in testamento eius, & cætera quæ sequuntur. Vnde etiam Apostolus sanctus interpretatur, & dicit quod eo vsque non repulerit plebem suam Dominus, vt posuerit loquentem cum: Tota die expandi manus meas ad plebem non credentem, & contradicentem. Cuius sermonis auctoritate subnixus ait: Dico igitur: Nūquid repulit Deus hæreditatem suam? Absit. Nam & ego Israelita sum, ex femine Abraham, de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam, quam præciuit. Sed potest hoc loco dici quoniam ideo non repulit plebem, quia reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Et videtur in paucis non repulisse quidem populum: tamen non totum populum, sed ex eo plu-

rimos repulisse. Vnde addidit ponendo responsum Dei, quod non solum in paucis seruaerit plebem, sed etiam septem milia virorum sibi reliquerit qui non curauerunt genua Baal. Verum fuerit hoc dictum ab Apostolo secundum Euangelium; quoniam Dominus transferat ad gētes: responsi autem diuini tempus referatur ad zelum adhuc fidei feruentem, quando etiam prophetarum gratia redundabat populo Iudæorum. Vnde si Eliæ tempore negauit Dominus à se plebem repulsam, multo magis tempore Dauid, vel filiorum Core, quo adhuc fides electi populi prænitebat. Tamen vt & ipsum sanctum Dauid interrogemus, quomodo Dominus plebē suam non repulerit, colligamus. Nam cum sit Deus approprians, non elonginquans, sicut habet scriptura veteris testamenti: vtique qui appropriat, non repellit. Est enim misericordiæ diuinæ, vt nulli causa sit mortis, & omnes putet esse redimēdos. Sed vide ne ille repellatur qui se elongat à Domino, sicut dicit Dauid: Quoniā ecce qui se elongant à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Quid est, abs te fornicatur? Quia turpitudinis suæ ludibriis te relinquunt, & à te recedunt, & à præceptis tuis deuij sunt. Denique alibi habes scriptum: Adulteros autē iudicabit Deus, adulteros enim iudicat Deus disperdens eos à se. Repulisti ergo, hoc est, alienando abs te perdidisti eos. Ergo qui se à Domino separat, ipse à Domino separatur. Et qui non cognoscit Dominum, à Domino non cognoscitur: & qui ignorat, ignoratur; sicut ipse Dominus dixit: Discedite à me omnes operarij iniquitatis, nescio vos. Non enim scire dignatur iniustitiæ ministros & iniquitatis auctores. Peccator ergo non repellitur, quia ipse se repellit. Hoc igitur genere dicit: Nunc autem repulisti & confudisti nos. Quomodo tamen repellat Deus, qui sequitur versiculus exponit:

Et non progredieris Deus in virtutibus nostris.

Deus quando non adiuuat, repellere videtur. Vnusquisque enim qui adiumenta non sentit diuinitatis sibi opitulatione conferri, repulsam se putat atque desertum. Quid est autem quod ait: Non progredieris Deus? Et quid sibi vult quod Deus interdum aut progredi dicitur, aut egredi, aut exurgere, aut descendere? Non enim corporaliter Deus mouetur, aut de aliquo loco exit, aut ad alterum transit, qui supra omnia est: aut verè exurgit, quasi in aliquo iaceat cubili, vel in aliqua sede corporaliter se deat: sed hæc dicuntur vt tu intelligas quando & ad quem egredi dicatur, & ad quem exurgere. Legimus enim in hoc ipso Psalmo: Exurge, quare obdormis Domine? Et considerandum ne quando nostris improbabilibus actibus obdormire videatur, vt in Euangelio legimus, cum adhuc imperfecti essent Apostoli, quod his Iesus Christus dormiebat. Verum vbi metu naufragij & timore percussi sunt, Christum excitauerunt dormientem. Perfidis ergo dormit Dominus Iesus, fidelibus vigilat. Denique & qui fidelis est, intrat ad eum, & à negligente Deus videtur exire, atque discedere. Certè imperfectos & adhuc infirmos attrahit ad se Dominus, sicut legisti dicentes iuuēculas: Attrahe nos, post odorem



Exod. 14.

vnguentorum tuorum curramus. At verò Moyses qui iam fortior erat, & electus à Domino, & ascendere legitur & intrare ad Dominum Deum suum, sicut scriptum est; Et ascendit Moyses in montem, & circumdedit nubes montem, & descendit maestas Dei in montem Sina, & cooperuit eum nubes sex diebus; & vocavit Dominus Moysen die septimo de media nube. Aspectus autem maiestatis Domini tamquam ignis ardens super verticem montis coram filiis Israel. Et intrauit Moyses in mediam nubem. Sicut ergo hinc Moyses intrabat in nubem ubi primum ad montem vocatus à Domino est: ita in posterioribus perfectior, cum ipse intraret in tabernaculum suum, descendebat ad eum colūna nubis, & stabat ad ostium tabernaculi: & stans totus populus adorauerunt vnusquisque ad ostium tabernaculi sui: in nube autem Dominus. Posuit enim tenebras latibulum suum. Vt scias autem quia de Domino dicit: Et locutus est, inquit, Dominus ad Moysen. Quòd autem extra castra tabernaculum Moysi positum esse commemoratur, vt occurreret Deo, non videtur esse contrarium. Qui enim Deum quærit, quasi ad Deum intrat, & tota mente ad cognitionem eius ingreditur, iustus ergo intrat ad Dominum, sicut Moyses intrabat in nubem: in nube autem Deus. Denique, Ecce Dominus venit in nube leui. Et in Euangelio habes scriptum: Cum autem oras, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Ergo intus quasi in cubiculo tuo Deus est. Audi etiam alibi quia intus est Deus. Ecce, inquit, Dominus procedet de loco suo, & descendet & ascendet super excelsa terræ; & mouebuntur montes sub eo, & valles liquefcent. Scriptura hoc dicit: & iam tunc significabat quòd desereret populum Iudeorum, & transfret ad gentes. Denique & in Psalmo hoc inuenimus expressum, cum dicit Dauid: Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Exultauit tamquam gigas ad currendam viam. His igitur generibus reperimus egressum Dei, aut eius ingressum: sicut & Dominus dicit Iesus quia ad virum timentem veniat: Ecce, inquit, sto ad ianuam, & pulso: & si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad eum, & cenabo cum illo, & ipse mecum. Hæc igitur diximus propterea quòd ait Propheta: Repulisti nos, & non progredieris Deus in virtutibus nostris. Simpliciter autem & illud accipimus, quia Deus progressus est in virtutibus Iudeorum, quando Iesus Naue duccem militiæ cælestis adorauit: & ideo sine ferro vicit, & sine vlla obfisione destruxit urbem Hiericho, quæ habebat validissimos muros. Quando enim progressus est in virtutibus feruorum suorum Deus, victoria consecuta est. Nam progressus est angelus ad Ezechie preces, & strauit innumeras copias Assyriorum. Sed interdum & quos vult in certamine coronari Dominus, veluti derelinquit ad tempus, vt fide vincat, nec rebus secundis & prosperis deuotio remittatur. Denique sæpe qui prosperorum cursu, & secundorum vsurpatione ceciderunt, corriguntur aduersis. Ideo frequenter inuenimus Iudeos post victoriam lapsos, post seruitium correctos: quia precibus & deplorationibus Deum ad se redire fecerunt. Vnde

Exod. 33.

Psal. 17. Ibidem.

Exod. 24. Esa. 19. Matt. 6.

Michae 1.

Psal. 18.

Apo. 3.

Iosue 5. Iosue 6.

Psal. 37.

& illud quod secundum hominem dictum est, & hominis affectu, huic sententiæ non repugnat, quia dixit Dominus: Deus Deus meus respice me, quare me dereliquisti? Non quòd derelictus sit Dominus, qui ait alibi: Quoniam solus nō sum, quia pater mecum est; sed quia secundum carnem hominis & affectum, qui in certamine graui est constitutus, derelictus videtur à Domino. Denique non otiosè ait scriptura quia post tentationem primam discessit ab eo diabolus vsque ad tempus, hoc est, vsque ad certamen. Vbi enim magnum certamen sacræ passionis aduenit, iterum aduersarius ad tentamenta successit. Homo autem quando velut in ambiguo constitutus est, putat se à Deo suo esse desertum. Sed quemadmodum hoc secundum carnis affectum accipimus, quia sibi homo visus est derelictus, cuius processum operatus est Christus in corpore suo: ita etiam diuinitate sciebat se numquam derelinqui à patre, quia ipse dixit: Ego in patre, & pater in me: & solum se non esse significauit. Substituit etiam verficulum istum:

**Auertisti nos retrorsum præ inimicis nostris: & qui oderant nos, diripiebant sibi.**

Nō bene progreditur qui retrorsum auertit: quia nemo mittens manum in aratrum, & respiciens retrò, habilis est regno Dei. Denique vxor Lot quia retrò respexit, ad verticem montis, hoc est, ad superiora peruenire non potuit: sed in salem cōuerfa est, quæ species citò soluitur, nec potest vsum habere diuturnum. Sic sunt qui temporalia sequuntur, & non sequuntur æterna: & hinc infatuantur à stultitia sua, & futurorum gratiam habere non possunt. Sunt tamen qui retrò positi obliuiscuntur superiorum, & ad priora se extendunt, vt ad brauium valeant peruenire. Et Petro dicitur: Vade retrò me satana: vt in melius prouocetur. Et in numero prior est, qui post Christum est. Ideo ergo præ inimicis, quia illi nos affligunt, & insectantur: Domine retrorsum nos esse voluisti, vt extēdamus nos ad priora, & semper ante nos attendamus, persequentes inimicos nostros, & eorum locum transire cupiētes. Denique sic Theodotion habet quomodo Septuaginta viri, hoc est, quomodo iste versus expositus est. Aquila habet, *Auertisti nos retrò ab affligente: Symmachus, Ordinaisti nos nouissimos ab omni aduersario.* Contraria nobis quæ sunt, nisi voluptaria istius sæculi, & plena deliciarū atque lasciuia, quæ sunt incētiua luxuriæ: Vxor Lot decepta est, quia post se habebat luxuriam Sodomitanorū, & regionis eius illecebras. Vnde decepta est: quia post se respexit. Et tu ergo ne ad inimicos tuos respicias. Posuit te Deus nouissimū in sæculo. Vel: Qui humilitate se vltimum facit, non conuertitur retrò, sed semper antè respicit. Vt scias autem qui sunt inimici tui, audi dicentem: Audi Israel: Quid est quòd in terra es inimicorum, pollutus es in mortuis? Quis tamen tam inimicus & hostis tuus, quam princeps istius mudi, & eius socij, qui persecuti sunt vsque ad crucem Dominum Iesum, eius potentiam nescientes: Si enim cognouissent, numquam Dominum maiestatis crucifixissent. Ergo tu si nouissimus es, noli inimicos tuos sequi, sed sequere Dominum Iesum, & crucem eius leua, & insiste vesti-

Psal. 21. Ioh. 16.

Luce. 4.

Ioh. 14.

Luce 9.

Genes. 19.

Ezecl. 23.

Philip. 3.

Mar. 8.

Genes. 19.

Baruch 3.

Ioh. 14.

1. Cor. 2.

Luce 9.

giis

Psal. 43. inf.

Coloss. 3.

1. Cor. 4.

Philip. 3.

Rom. 8.

Ast. 4.

Ast. 5.

1. Cor. 11.

Ast. 9.

Dan. 1.

Rom. 8.

Ibidem.

Matt. 11.

1. Cor. 5.

giis eius. Qui enim Christum sequitur, post se non respicit, id est, ad luxurias atque illecebras peccatorum: & ideo potest dicere cum sanctis: Non recessit retrò cor nostrum. Vnde intelligitur quòd & is qui ante inimicos suos est, corde sit nouissimus atque postremus, si ad illos respiciat, & carnalibus potius quàm spiritalibus affectu mentis intendat. Potest etiam qui nouissimus est, corde prior esse, si ea quæ in cælo sunt consideret, & non quæ in terris. Audi qui nouissimus in sæculo, inter primos sit apud Christum: Puto quia Deus nos Apostolos nouissimos ostendit sicut morti destinatos, vt spectaculum simus huic mundo, & angelis & hominibus. Nouissimum se dixit, & idem tamen quòd primus esset ostendit, cum dicit: Nostra autem conuersatio in cælis est. Sequitur: *Et qui oderant nos, diripiebant sibi.* Miraris forsitan quòd cum in posterioribus (vt diximus) summam habeant fidei constantiam qui loquuntur: hinc dicant quòd ab iis qui oderant eos, diripiebantur. Sed non te ista perterreat. Multi enim hinc diripiuntur, & tamen merita eorum à Christo non queunt separari. Rapiebantur Apostoli, cædebantur virgis, in carcerem trudebantur, separabatur à se, & tamen cum Christo manebant: immò hoc ipso quòd rapiebantur à perfidis, eorum merita crescebant, & gratia in cælestibus augebatur. Nō enim statim qui ab hominibus diripitur, etiam vincitur. Vide Apostolum Paulum gratulantem in periculis suis, vide gloriantem quòd per fenestram in sporta demissus sit. Vide quemadmodum sanctus Hieremias, sanctus Ezechiel, sanctus Daniel in captiuitatem deducti, & ab Assyriis direpti, nullam tamē captiuitatem propriæ fidei pertulerunt, nec in testamentum Domini deliquere, qui seruauerunt in captiuitate etiam legis præcepta diuinæ, nec de interdicitis cibis putauerunt contra institutionem maiorum aliquid vsurpandū. Vnde bene Theodotion dixit: *Et qui oderant nos, insultabant super nos.* Insultatio enim inimicorum non affert præiudicium bonis mentibus, sed nec direptio inimicorum. Ideoque sanctus dicit, qui certus est quòd direptio sibi obesse nō possit: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? & cætera. Sed in his omnibus superamus & superuincimus per eum qui dilexit nos: scientes quòd neque mors, neque vita, neque angelus, neque potestates, neque præsentia, neque futura separare nos possint à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Ergo qui talis est, nō separatur à Christo. Vnde etiam si corporaliter diripiatur, spiritaliter tamen liber est: & non solum direptioni obnoxius nō est, sed etiam rapinā sibi laudabilem quærit: sicut illi, de quibus scriptum est: A diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum cogitur, & cogentes diripiunt illud. Victor est itaque qui in terrenis positus, captiuus perfidiæ esse non nouit: nec solum ei non diripitur quod præclarum est, sed magis ipse diripit quod æternum est.

**Facti sumus sicut oues escarum.**

Sunt etiam qui fiant oues escarum. Bonus Dominus noster Iesus Christus, quia factus est ouis epulationis nostræ. Quæris quomodo factus sit? Audi dicentem: Pascha nostrum immolatus est Christus.

Et considera quemadmodum parentes nostri in figura diripientes agnum manducabant, significantes Domini Iesu passionem, cuius quotidie vescimur sacramento. Per ipsam igitur ouem facti sunt greges escarum, sicut Aquila dixit: vel greges in esca, sicut Theodotion locutus est: vel pasqua edentium, sicut Symmachus dixit. Sed bona est epulatio, non solum non metuēda sanctis, sed etiam concupiscenda. Aliter enim ad regnum cælorum non potest perueniri, cum ipse Dominus dixerit: Nisi manducaueritis meam carnem, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam æternam. Probaturum est igitur quòd Dominus noster sit cibus epulationis, vel alimentum edentium: sicut ipse ait: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Et vt scias quia hæc omnia propter nos facta sunt, ex quo ille descendit, ex illo sanctus ait: Nos omnes vnus panis sumus. Non ergo timeamus quia facti sumus oues escarum. Sicut enim Domini caro, & sanguis ipsius nos redemit, ita etiā Petrus pro Ecclesia multa tolerauit. Multa etiam sanctus Apostolus Paulus, & cæteri Apostoli pertulerunt, cum cæderetur virgis, cum lapidarentur, cum in carceres truderentur. Illa enim toleratia iniuriarum, & vsu periculorum, Domini fundatus est populus, & Ecclesia incrementum est cōsecuta, cum cæteri ad martyrium festinarent, videntes per illas passiones nihil Apostolorum decessisse virtutibus, sed etiam propter hanc breuem vitam immortalitatem illis esse quæsitam. Quod ostendit etiam qui sequitur verficulus, quia dixerunt:

**Et inter gentes dispersisti nos.**

Similiter Theodotion dixit. Aquila autē & Symmachus, *In gentibus, aut inter gentes ventilasti nos.* Missi sunt enim sancti Apostoli ad gentes, & dispersi sunt inter gentes, sicut & propheta sancti, de quibus supra diximus, vt illa dispersione fructus plurimi nascerentur. Vt enim Dominus noster Iesus Christus sicut granum cecidit in terram, & mortuus est, vt multum fructum afferret: ita etiam dispersi sunt Apostoli sancti, vt bonum inter gentes semen afferrent, quòd ad eorum similitudinem fructus gentium pullularet. Denique scriptura hoc dicit dixisse Dominum: Quia propterea vos misi, vt vos eatis, & fructum plurimum afferatis, & fructus vester maneat. Factus est ergo Dominus sicut semen, secundum quod dictum est ad Abraham: Multiplicabo semen tuum, quod interpretatus Apostolus dixit: Et semini tuo, quod est Christus. Semen ergo omnium Christus. Et ideo se cadere passus est & spargi, vt conforme corpori suo transfiguraret corpus humilitatis nostræ. Hoc ergo semen salutare omnibus hominibus pullulauit, & ex illo ad eius imaginem figurati, quasi femina Apostoli sancti missi sunt per diuersa atque dispersi, vt agrum Ecclesiæ gentes cōgregatæ diuersis fructus resfulgeret toto orbe terrarum. Istæ ergo dispersiones dicuntur, sicut etiam in posterioribus idem Dauid dicit: *Ædificans Hierusalem Dominus, & dispersiones Israel congregans.* Dispersi sunt enim vt nouos fructus facerent, & postea veluti triticum nouum Ecclesiæ horreis inueheretur. Hæc autem dispersio non in inferioribus fit, hoc est, non in terra, sed in cælo. Denique legis hoc præce-

Exod. 12.

Ioh. 6.

Ibidem.

1. Cor. 10.

Ast. 12.

2. Cor. 21.

Matt. 28.

Ioh. 10.

Ioh. 15.

Genes. 22.

Galat. 3.

Philip. 3.

Matt. 28.

Psal. 146.

Matt. 13.

Dant. 30.

pta confirmant, per quam dicit Dominus: Si fuerit dispersio tua à summo caelo vsque ad summum cæli, inde congregabo te, dicit Dominus. **Q**ue est dispersio à summo caelo vsque ad summum caelum? Quis iste tantus, qui sic potuerit disseminari? Si homo in terra natus est: ab imo, nõ à summo cœpit. Si ista te mouent atque perturbant, redi ad superiora istius sancti Prophetæ, & audi quis ille sit tantus qui huiusmodi in terris segetes fecundauit, vt fructus earum ad cælestia receptacula perueniret. Est autem ille sponsus qui quasi gigas percurrit hanc viam totam, inuiam aliis, sibi peruiam: & ex illo cœpit peruia iam esse mortalibus: ita tamen, vt isti ascenderent: solus tamen ille ipse antè descenderet, vt postea sancti eius mereretur ascendere. Audi ergo quomodo disseminatio fuerit de cæli summo ad cæli summum. A summo, inquit, cælo egressio eius, & occursum eius vsque ad summum eius. Cui homini hoc possit attribui? Moyses in verticem Sinæ montis vix ascendit, & hoc quia vocatus à Domino est, & hortatus est voce cælesti. A summo caelo quis descenderet nisi Christus; qui & cum descendit in terras, manebat in cælo? Nemo enim ascendit in cælum, nisi qui descendit de caelo, filius hominis qui est in cælis. Vides ergo quia & cum descenderet & ascenderet, ipse erat & manebat in cælo. Ipse enim dixit: Cælum & terram ego compleo, dicit Dominus. Ipse est, qui est in caelo. Hæc de dispersione satis dicta sint. Cæterum quod ait: *Ventilasti nos*: est verbo distat, sensu congruit. Sicut enim illi qui dispersi sunt, probati, ita etiam qui ventiliati sunt, ad probationem peruenire meruerunt. Sicut enim triticum si ventilatur, & à paleis separatur, mundum est: si autem ventilatum non fuerit, mundum esse nõ poterit, sed exat paleis concretum atque permixtum: ita etiam homo nisi tentationibus fuerit ventilatus, fragilia quæque veluti paleas à se non potest separare. Vnde etiam ad Petrum dictum est: Simon ecce satanas exposulauit vt ventilet vos sicut triticum: ego autem rogavi patrem meum, vt non deficiat fides tua. Vide quid dicit, & intellige. Ventilatur Petrus, vt Christum negare cogatur. Incidit in tentationes, quædam locutus est quasi plena palearum: sed locutus est verbo, vt fundatior esset affectu. Denique fleuit, & paleas suas lauit, & illis tentationibus meruit vt pro se Christus interueniret. Quanto maius est patrocinium, quam perturbationis illius tentamentum? Et ideo plus quam passus est acquisiuit. Acquisiuit enim Christum sibi patrocinatorem. Cogitur autem & aduersarius sanctos Domini ad sua damna tentare. Dum enim tentat meliores reddit, vt qui tentatur, possit alios instituere, qui sibi ipse inualidus videbatur. Denique Petrus Ecclesiæ præponitur postquam tentatus à diabolo est. Ideoque antè significat Dominus quid sit illud quod postea eum pastorem elegit Dominici gregis. Nam huic dixit: Tu autem conuersus confirma fratres tuos. Conuersus est ergo sanctus Apostolus Petrus ad bonam frugem, & ventilatus est sicut triticum, vt esset ipse cum sanctis Domini vnus panis, qui nobis esset alimentum. Dum enim Petri actus legimus, Petri præcepta cognoscimus, sit nobis vitæ æternæ & salutis alimentum.

Psal. 18. Ioan. 16.

Psal. 18.

Exod. 24.

Ioan. 3.

Hiere. 23.

Matt. 3.

Lucas 22.

Ibidem.

Ibidem.

1. Cor. 11.

**V**endidisti populum tuum sine pretio. Emendi & vendendi videtur æqualis quidem esse contractus: sed tamen si ementis & vendentis affectum consideres, vnusquisque sibi viliozem vendit, & complacitum emit. Vt enim præter id genus hominum loquamur qui negotiationem vendendis mancipiis exercent: nõ facillè quisquam vendit nisi cum qui sibi displiceat, & quem vsui suo inhabilem putet: & iterum, vnusquisque emere desiderat eum quem vtilitati vel ministerio accommodum iudicauerit. Sed & ipsi qui vendendis mancipiis sumptum exercent suum, & sectantur lucra, vtique ita viles habent eos quos vendunt, vt eis viliores sint quam pecunia: & sæpe etiam ipsi quos negotiationi suæ magis habiles existimauerint, malunt tenere quam vendere. Ita ergo & Deus viliozem vendidit, potiorrem emit. Vendidit populum Iudæorum, non inclementia Dei, sed sua culpa: quibus rectè dicitur: Ecce peccatis vestris venditi estis, & propter iniquitates vestras dimisi matrem vestram. Hoc itaque genere venditus populus Iudæorum, emptus est populus Christianus. Ille peccatis venditus, hic emptus sanguine. Vnde Petrus ait: Non corruptibilibus argento vel auro empti estis, sed pretioso sanguine. Cuius est sanguis pretiosus, nisi agni illius immaculati, hoc est, Domini nostri Iesu Christi? Ergo sine pretio populus Iudæorum, pretiosus autem populus Christianus. Ille pretium non habet, quia peccatum habet: iste in pretio est, cui peccatum remissum est. Vnde rectè Ecclesiæ filiis dicitur: Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum. Si tibi dicitur, Ne seruus fias hominum, & perdas propriam libertatem: multo magis dicitur tibi, Ne seruus fias peccati; & iterum, Ne seruus fias serpentis, inimici, & aduersarij: sed seruius soli Domino, qui propria te redemit charitate, quia ipse est suorum redemptio seruulorum. Non vendit ergo Dominus nisi seruum malum: non vendit vtique bonum. Nam et si Ioseph venditus est, non dixit tamen Propheta, A Domino venditus est Ioseph: sed, In seruum venditus est Ioseph, quem fratres proprij vendiderunt, quem Dominus tamen in figura propriae passionis redemit à seruitute, renouauit ad gratiam. Vendiderunt itaque eum fratres, & acceperunt pecuniam: sed Dominus eum non solum libertati reddidit, sed etiam dignitate cumulauit. Figuram autem in eo fuisse Domini Iesu ostendit scriptura, quæ dicit: Filius meus zelo appetitus, ad me reuertere. & alibi: Primogenitus tauri decor eius, eo quod exaltauerit Deus pater cornu Christi sui. Qui ergo venditur, vilis & sine pretio est, quasi qui non sit. Vnde & Aquila dixit: *Tradidisti populum tuum, vt non esset*. Et Symmachus: *Tradidisti populum tuum sine substantia*. Non sunt enim, qui repudiantur à Christo. Sunt autem qui eliguntur à Domino: quoniam Dominus vocat quæ non sunt, tamquam quæ sint. Et electæ sunt gentium nationes, vt destrueretur perfidia Iudæorum. In nihilum ergo traditus est ille populus, quia peccato suo venditus erat. Nullam enim habet culpa substantiam. Vnde dictum puto: Et non fuit multitudo in commutationibus eorum.

Matt. 16.

Thren. 1. Psal. 34. Ibidem.

Matt. 16.

1. Cor. 15.

1. Tim. 5.

Psal. 31.

Rom. 11.

Ibidem.

Rom. 10.

Ecd. 10.

Hoc est: Gratis nos disperfit per nationes. Neque enim tu quidquam per commutationem accipis, vt animam tradas hominis. Nihil enim tibi gratius est animæ conuersione. Sed si conuerti detrectat, ipsa se tradit in nihilum, vt peccato & flagitio mancipetur. Ideo tu sine pretio & sine commutatione degerem populum vendidisti. Vnde in posterioribus ait: Non enim est illis commutatio. Quare non est illis commutatio? quia non timuerunt, inquit, Deum. Duplex autem intellectus quare commutationem non habuerit populus erroris: quia non potest homo argento vel auro vel possessionibus redimere animam suam. Quam enim dabit commutationem animæ suæ; quum illa temporalia vel caduca sunt, anima autem permaneat vel ad præmiū vel ad poenam? Non fuit autem illa commutatio etiam in impiis, quæ est in resurrectione, de qua dicit Apostolus: Omnes resurgemus, non omnes immutabimur. Potest quoque & sic intelligi, quia et si pauci redempti immutari meruerunt, vt Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, non tamen ad omnes commutatio ipsa peruenit. Est etiam illud, vt non sit multitudo in commutationibus grauium peccatorum, secundum quod scriptum est, quia quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia in iudicium: quorundam autem & subsequuntur. Quæ grauius sunt atque manifesta, præcedunt, & sine vlla dubitatione merguntur: quæ autem leuiora sunt, bonis operibus sæpe releuantur. Beati enim quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Vbi autem iniquitas propendet, nulla bonorum operum commutatione reuocatur. Ergo & si quis redemptus est de populo Iudæorum, non ideo redemptus, quia multam habuit estimationem sui, nec quia multitudinem habuit in commutatione sua: sed redemptus est gratis, quod te docet Apostolus, dicens: Reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Vbi autem gratia, non vtique merito operum, nec iustificatione virtutum, sed liberalitate donantis, electione redimentis: quod æquè scriptura te docuit, dicente Apostolo Paulo: Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. Quid ergo? Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus. Quare non sit consecutus, agnosce: quia se iustificare cupiebat, quia operum suorum iactantiam requirebat, quia fidem non detulit, nec gratiam recognouit: & ideo electio consecuta est, quæ vocantem audiuit, audientem susceperit. Merito ergo in persona populi illius dicitur:

**P**osuisti nos opprobrium vicinis nostris, illusionem & derisum iis qui sunt in circuitu nostro.

Qui sunt isti vicini, seu finitimi, & quæ admodum ad viciniam Israelitæ populi pertinuisse videantur, non est facile discernere, si spiritalis vicinia requiratur, habens quoddam lumen cognitionis ad inuestigandum mysterium Christi, præsertim cum in ipso libro Salomonis qui inscribitur Ecclesiastes, didicerimus quia quò magis quaritur sapientia, eo profundior iudicetur. Sic enim scriptum est: Dixi, sapientiam requiram, & ipsa longè facta est à me, lon-

gè magis quam erat. & In profundo altitudinè quis inueniet eius? Vnde diffidètia oboritur mihi scrutari diuinitus inspiratæ scripturæ mysteria, & eius examinare sermones: quod ille dignè potuit, qui inter perfectos sapientiâ loquebatur. Ego perfectos video, nec immeritò perfectos dixerim, cum videam vos sensus exercitatos habere ad discretionem boni & mali. sed & ipse tamen qui sciebat solidiores capere cibos, adiumenta quærebat, vt in eo verbum Domini curreret. Nec iste quoque sine preceatione hoc potuit vsurpare, vt laudatio eius iucunda fieret Deo. Non enim vsurpantis, sed precantis assertio est. Tamen ne penitus refugisse videamur, consideremus qui vicini tribubus fuerint Iudæorum. Nam vt vetera recensamus, Philistiim tribui Iudæ finitimi habebantur: ex alio latere iidem tribui Ruben appropinquabant. Ammonitæ quoque in deserto erant: & qui erant in finibus Tyri & Sidonis, Galilææ copulabantur, hoc est, tribui Zabulon, & tribui Nephthalim, quæ erant in Galilæa; sicut Esaias dixit: Terra Zabulon, & terra Nephthalim, & trans Iordanem Galilææ gentium. Vnde potest quis colligere quæ proprietates vnus cuiusque singularum fuerit tribuum, vt certis quibusque finitimis iungerentur, quò paulatim etiam gētibus infunderetur cognitio cælestium sacramentorum. Quod vtique potest intelligi de illa muliere Chananæa, quæ exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentia lumen augusta: sed tamen quia sponte exiuit de finibus suis vt Domino Iesu occurreret transeunti, & post habitis simulacris suis adoraret verum salutis auctorem: cui testimonium dedit Dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia Euangelij, & præsent

ille potius qui dissimulat, quam iste qui defert studium, preferendus est? Non utique. Et ideo diligenter oportet intendi quid expresserit, qui cum dixisset: Non licet accipere panem filiorum, & mittere catulis: respondente Chananæa, Quia & catuli canum edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum: studium eius humilitatemque laudavit, quæ non sibi profundum sapientiæ à primordio vendicavit, quamvis de finibus Tyri & Sidonis iam esset egressa: sed micæ quædam verbi salutaris quæ de mensa dominorum suorum caderent, crederet colligendas. Qui enim diligenter & subtiliter scripturæ verba rimatur, is ad altitudinem mysteriorum pervenire consuevit. Unde & huic dicitur: Magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. hoc est, ut aperiat tibi ostium verbi, & resurgat vitæ æternæ salubre mysterium. Ergo qui vicinus est, exeat, & Christum videre desideret, & in oratione clamet, sicut ista Chananæa exiit de finibus suis, & Christum vidit, & iugi voce clamavit, ut eius misericordiam reportaret. Credentibus itaque Chananæis Iudæus in opprobrio sit, quia ipse non credidit: & illud sibi doleat, & derideri se ab iis qui in circuitu sunt, ingemiscat. Et videtur propheta hæc esse de nationibus credituris: quia Iudæorum delicto salus in gentibus: & quæ illis in figura gesta sunt, ad cognitionem nostram profecisse Apostolo auctore cognovimus. Et verè in opprobrium positi sunt gentibus, quia gentes opprobrium crucis dominicæ omnibus divitiis secularibus prætulimus. Qui autem crucem illam putavit opprobrium, & quasi opprobrium refugit, is verè in diuturno mansit opprobrio. Tamè quia non secundum carnem Israelitæ videntur, qui potuerunt dicere: Quia iniquè non egimus in testamento Domini; nec recessit retro cor eorum à Domino: vide ne iis se in circuitu positus illusioni & derisui fuisse commemovent, de quibus dicit Dominus: Circum dederunt me vituli multi. Circumdederunt enim eum persecutores, quando secundum consiliū voluntatis suæ subiit passionem. Unde & alibi ait: Circumdātes circumdederunt me, & in nomine Domini ultus sum in eos. Ideo melius est viam rectam tenere, in qua facinorosi ambulare non possunt. Citò cadunt, qui non in directione ambulant. Unde & illi quando voluerunt Iesum Dominum comprehendere, ubi respexit eos, ceciderunt. Propter hos igitur qui in circuitu ambulare consueverunt, angelum Dominus apposuit, qui à tergo insidiantes repellat inimicos. Prætendit igitur angelus Domini in circuitu timentium eum, & eos tuetur atque custodit. In circuitu enim impij ambulant, sicut scriptum est. Vide itaque distantiam. Impij in circuitu ambulant: angelus autem præterdit in circuitu eorum qui non ambulant in circuitu: & ideo præterdit ut eruat iustos ab insidiis persequentium. Iusti ergo spirituales Israelitæ videntur esse qui hæc loquuntur: eo quod tentationibus sæculi subiacerint, & opprobrium fuerint vicinorum: hoc est, eorum qui Hierusalem patriam non incolebant. Illusioni etiam fuerunt spiritualibus nequitis & potestatis, contra quas iustus lucta esse consuevit. Denique historia te doceat quod abducti Iudæi in Babyloniam, et si propter peccata sua videbantur esse sub-

iecti, tamen multo meliores gentibus habebantur. Peiores enim erant in circuitu eorum, qui insultabant eis, cum ipsi peccatorum gravium essent mole curvati. Primus ergo intellectus de captivis patribus usurpandus est, quibus insultaverunt Assyrij, illudentes eis in Babylonia: quibus etiam rex ille nequissimus dominabatur Nabuchodonosor. Secundus intellectus ad altiora referendus, quod favissimus rex diabolus est, ipse est Assyrius Nabuchodonosor, qui bonis insidiari solet, ut eos in peccatum trahat per carnis illecebram. Attende igitur hunc regem eo loco ubi dicit Apostolus: Video legem carnis meæ repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducētem in lege peccati: hoc est, in illa lege carnalis illecebræ. Aduersarius est, qui urget obnoxios, iustos fatigat. Unde pulchrè posuit Aquila: Spretionem & pompam posuisti nos iis qui in circuitu nostro sunt. Ita enim despicabiles aestimabantur, qui theatrum facti sunt huic mundo, & angelis & hominibus: quia etsi in testamento non peccent Dei, nec carnis illecebris reflectantur à Domino, tamen quasi in pompa quadam circumferri videntur & despici: quandoquidem peccatores humilitati iustorum insultare consueverint, ut opprobrium ducant crucem Domini saluatoris, humilitatemque iustorum. Denique quasi in quadam pompa theatri constitutus Apostolus dicit: Placeo mihi in iniuriis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis. In istis placet sibi, qui omnia quæ mundi sunt, detrimentum putat, ut Christum lucrificat: ipsum solum siue per vitam siue per mortem requirens (quia ei vivere Christus est, & mori lucrum) ut inveniatur in eo. Adiciunt adhuc isti Israelitæ, dicentes:

Posuisti nos in parabola gentibus, commotionem capitis in populis.

Quibus gentibus positi sunt in parabola, nisi credituris? Ea enim quæ acciderunt Iudæis, in similitudine figuræ facta sunt, ut fieret nobis typus & figura excidium Iudæorum, atque ex illa similitudine per parabola solutione præsentibus requiramus, quod exempla eorum cauere possimus. Deinde quia Iudæicæ res omnes quasi parabola sunt, hoc est, quasi figure, egentes solutione. Denique Dominus Iudæis in parabola loquebatur, ut imperiti non intelligerent, intelligerent sapientes, ut intelligebat Apostoli, & in quo mouebantur, interrogabant Dominum: Iudæi autem nec intelligebant, nec iterum discere non intellecta cupiebant. Quid sit parabola, accipe. Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera. Non intelligebat hoc Iudæus nisi secundum litteram. Nesciebat quis de filiis duobus acciperet hereditatem patris, quia ad carnalia pendebant. Egebat parabola solutione. Venit gentium doctor, & fides nationum: & intellexit quod duæ illæ mulieres duo sint testamenta: unum à monte Sina, quod in seruitutem generavit populum Iudæorum, quod est Agar. Et ideo Sina, quod per interpretationem mensuram eius significat. Mensura autem, legis est: superabundans autem gratia est. Sina quoque merces dicitur, & conuenit populo Iudæorum qui iustificari se mercede operum quam fidei gratia

gratia maluerunt. Ergo quæ sub lege erat Hierusalē, cum filiis suis seruebatur: quæ autem sursum est Hierusalē, libera est. Et ideo Sarra, quæ principalis dicitur, libertatem habet, quod princeps sui sit qui iustus atque integer est. Ex duobus igitur testamentis duo populi: vnus Iudæorum, alius nationum. Ille nationum qui in Christo credidit: ille Iudæorum qui non credidit, & seruit. Ipse est secundum carnem natus: quia secundum carnem interpretatus est scripturam diuinam, & secundum litteram, non secundum spiritum. Qui autem de libera natus est, per re-promissionem: hoc est, cui repromissio ex fide, ipse est Ecclesie filius, tenens gratia libertatem: propter quem Ecclesia dicit: Expelle ancillam, & filium eius. non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Et Apostolus ait: Itaque fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ. Hæc est ergo solutio, quia quod ignorabat Iudæus, fides gentium soluit, insula à Paulo doctore mentibus nationum. Ideo ergo illorum gesta nobis in parabola sunt. Sed & Dominus dixit: Factus sum illis in parabola: aduersum me exercebantur qui sedebant in porta. In parabola autem factus, quia dicitis, inquit: Medice, cura te ipsum. In parabola factus est, quia sedentes in porta increpabat. In exitu enim non otiosi, sed exerciti esse debemus. Ideo scriptum est: Videte ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbatho: hoc est, non in otio, sed in negotio. Ergo pigri sedebant Iudæi, quia stare non poterant: qui verè Hierusalē atria nesciebant. Si enim scirent illam Hierusalē, requisissent. Isti ergo fatigati in porta sedebant. Nec solum dixit, sed debant, sed etiam, oderant Dominum in portis redarguentē. In porta enim erat, qui subiturus erat sui corporis passionem, per quam migraret à terris, rediret ad cælum. In porta erat cum diceret: Ambulate dum lucem habetis. Quid est ergo: Factus sum illis in parabola, nisi quia finis legis est Christus, & mors eius soluit ænigmata prophetarum: eaque quæ ante Iudæis erant incognita cum prophetaretur, postea manifestata sunt Dominicæ passionis effectu? Factus est illis in parabola, quia quasi vilem se præbuit, ingrens se illis, nec refugiens eorum seditiones, & perducens eos ad tempus beneplaciti sibi, ut moreretur pro omnibus hominibus, quod illius sanguine genus hominum mundaretur. Similiter in parabola scriptum est: Non alligabis os boui trituranti. Soluit hanc parabola Apostolus, dicens: Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique dicit? Nam propter nos scripta sunt. Quis est qui arat, nisi qui in spe arat, ut in iudicio Domini metat? Et ideo quasi boni agricola, ubi per spem inarata fuerit terra nostra continentia corporali, non carnalia, sed spiritalia seminemus: quoniam de carnalibus corruptela colligitur, de spiritalibus vita æterna acquiritur. Typus igitur & figura nobis sint gesta maiorum. Typus lex scripta in cordibus nostris, ut nobis in ea quædā futurorum figura, non veritas sit. Lex ergo quasi figura sit nobis: Euangelium quasi lumen & signaculū veritatis. In parabola ergo Dominus ostendit se Iudæis, sed non intellexerunt parabola, quia medicum non receperunt qui curaret animas laborantium, & omni ægritudine & inæqualitate in commoditatis absolueret. Factus est etiā in

parabola, quia carnem suscepit, quam crucifixerunt Iudæi, non intelligentes parabola spiritalem. Eousque enim non intellexerunt, ut cum auctorem carnem Domini salutarem, mouerent caput. Nam si intellexissent, utique non insultassent, sed ingemissent. Et tamen ipsa commotio capitis illis in parabola cessit, ut non hoc significaret quod illi sentiebant, sed quod mysteria declarabant. Illi enim secundum vulgi usum insultantes Domino mouebat caput suum, sicut qui iustis insultare desiderant, si forte eos viderint in hoc sæculo fatigari, mouent caput. Quæ commotio capitis libertatem intellectum habet. Reprehensibiles enim videntur secundum scripturæ auctoritatem qui mouent caput, cum dicat & Matthæus: Qui transibant, blasphemabant Dominum Iesum, mouentes capita sua. & Marcus: Qui præteribant. Transientes autem quod reprehensibiles æstimentur, docet hic ipse Propheta, qui dicit de vinea Sabaoth: Et vindemiant eam omnes transeuntes viam. Denique & qui sequitur versus, hoc signat: Deuastauit eam aper de silua, & singularis ferus depastus est eam. Et in posterioribus ait: Et non dixerunt transeuntes viam: Benedictio Domini super vos. eo quod qui transit, & non stat in atrijs Domini, non dat benedictionem. Ita ergo Iudæi mouebant caput super Dominum Iesum, ut præterirent, qui firmum solidumque fidei vestigium habere non poterant. Mouebant autem caput suum, quorum caput Christus esse debuerat, quæ non debuit dimouere & deturbare perfidia Iudæorum. Sed quia non passi sunt membra se esse Christi, ideo caput eorum non fuit Christus, qui subiturus erat sui corporis passionem, per quam migraret à terris, rediret ad cælum. In porta erat cum diceret: Ambulate dum lucem habetis. Quid est ergo: Factus sum illis in parabola, nisi quia finis legis est Christus, & mors eius soluit ænigmata prophetarum: eaque quæ ante Iudæis erant incognita cum prophetaretur, postea manifestata sunt Dominicæ passionis effectu? Factus est illis in parabola, quia quasi vilem se præbuit, ingrens se illis, nec refugiens eorum seditiones, & perducens eos ad tempus beneplaciti sibi, ut moreretur pro omnibus hominibus, quod illius sanguine genus hominum mundaretur. Similiter in parabola scriptum est: Non alligabis os boui trituranti. Soluit hanc parabola Apostolus, dicens: Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique dicit? Nam propter nos scripta sunt. Quis est qui arat, nisi qui in spe arat, ut in iudicio Domini metat? Et ideo quasi boni agricola, ubi per spem inarata fuerit terra nostra continentia corporali, non carnalia, sed spiritalia seminemus: quoniam de carnalibus corruptela colligitur, de spiritalibus vita æterna acquiritur. Typus igitur & figura nobis sint gesta maiorum. Typus lex scripta in cordibus nostris, ut nobis in ea quædā futurorum figura, non veritas sit. Lex ergo quasi figura sit nobis: Euangelium quasi lumen & signaculū veritatis. In parabola ergo Dominus ostendit se Iudæis, sed non intellexerunt parabola, quia medicum non receperunt qui curaret animas laborantium, & omni ægritudine & inæqualitate in commoditatis absolueret. Factus est etiā in

Matth. 15.

Ibidem. Coloss. 4.

Rom. 11. 1. Cor. 10. 1. Cor. 11.

Psal. 43. inf.

Psal. 21.

Psal. 117.

Ioan. 18.

Psal. 33.

Psal. 11.

Ephes. 6.

Psal. 136.

Rom. 7.

Gal. 4.

1. Cor. 4.

Psal. 68.

Luc. 4.

Psal. 68. Matth. 24.

Sapient. 5. 2. Cor. 6.

Philipp. 3. Philipp. 1.

Philipp. 3.

1. Cor. 10.

Psal. 68. Rom. 10.

Matth. 13. Ephes. 3. Ioan. 11.

Matth. 13.

1. Cor. 9. 1. Cor. 10. 1. Cor. 9. 1. Cor. 3.

Galat. 4.

Ibidem.

Luc. 8.

Act. 3. Matth. 27.

Ibid. Marc. 15.

Psal. 79.

Ibid.

Psal. 128. Psal. 133.

Matth. 27.

1. Cor. 11.

Ecc. 2.

1. Cor. 11. Rom. 7.

1. Cor. 7. Rom. 7.



ille potius qui dissimulat, quam iste qui desert studium, preferendus est? Non utique. Et ideo diligenter oportet intendi quid exprefferit, qui cum dixisset: Non licet accipere panem filiorum, & mittere catulis: respondente Chananæa, Quia & catuli canum edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum: studium eius humilitatemque laudavit, quæ non sibi profundum sapientiæ à primordio vendicavit, quamvis de finibus Tyri & Sidonis iam esset egressa: sed micæ quædam verbi salutaris quæ de mensa dominorum suorum caderent, crederet colligendas. Qui enim diligenter & subtiliter scripturæ verba rimatur, is ad altitudinem mysteriorum pervenire consuevit. Vnde & huic dicitur: Magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. hoc est, ut aperiat tibi ostium verbi, & resurgat vitæ æternæ salubre mysterium. Ergo qui vicinus est, exeat, & Christum videre desideret, & in oratione clamet, sicut ista Chananæa exiit de finibus suis, & Christum vidit, & iugi voce clamavit, ut eius misericordiam reportaret. Credentibus itaque Chananæis Iudæus in opprobrium sit, quia ipse non credidit: & illud sibi doleat, & derideri se ab iis qui in circuitu sunt, ingemiscat. Et videtur prophetia hæc esse de nationibus credituris: quia Iudæorum delicto salus in gentibus: & quæ illis in figura gesta sunt, ad cognitionem nostram profecisse Apostolo auctore cognovimus. Et verè in opprobrium positi sunt gentibus, quia gentes opprobrium crucis dominicæ omnibus divitiis secularibus prætulcrunt. Qui autem crucem illam putavit opprobrium, & quasi opprobrium refugit, is verè in diuturno mansit opprobrio. Tamè quia non secundum carnem Israelitæ videntur, qui potuerunt dicere: Quia iniquè non egimus in testamento Domini: nec recessit retro cor eorum à Domino: vide ne iis se in circuitu positis illusioni & derisui fuisse commemorent, de quibus dicit Dominus: Circum dederunt me vituli multi. Circumdederunt enim cum persecutores, quando secundum consiliū voluntatis suæ subiit passionem. Vnde & alibi ait: Circumdantes circumdederunt me, & in nomine Domini ultus sum in eos. Ideo melius est viam rectam tenere, in qua facinorosi ambulare non possunt. Citò cadunt, qui non in directione ambulant. Vnde & illi quando voluerunt Iesum Dominum comprehendere, ubi respexit eos, ceciderunt. Propter hos igitur qui in circuitu ambulare consueverunt, angelum Dominus apposuit, qui à tergo insidiantes repellat inimicos. Prætendit igitur angelus Domini in circuitu timentium eum, & eos tuetur atque custodit. In circuitu enim impij ambulant, sicut scriptum est. Vide itaque distantiam. Impij in circuitu ambulant: angelus autem præ tendit in circuitu eorum qui non ambulant in circuitu: & ideo præ tendit ut eruat iustos ab insidiis persequentium. Iusti ergo spirituales Israelitæ videntur esse qui hæc loquuntur: eo quod tentationibus sæculi subiacuerint, & opprobrium fuerint vicinorum: hoc est, eorum qui Hierusalem patriam non incolebant. Illusioni etiam fuerunt spiritualibus nequitiis & potestatibus, contra quas iustis lucta esse consuevit. Denique historia te doccat quod abducti Iudæi in Babyloniam, etsi propter peccata sua videbantur esse sub-

iceti, tamen multo meliores gentibus habebantur. Peiores enim erant in circuitu eorum, qui insultabant eis, cum ipsi peccatorum grauium essent mole curuati. Primus ergo intellectus de captiuis patribus vsurpandus est, quibus insultauerunt Assyrij, illudentes eis in Babylonia: quibus etiam rex ille nequissimus dominabatur Nabuchodonosor. Secundus intellectus ad altiora referendus, quod sanctissimus rex diabolus est, ipse est Assyrius Nabuchodonosor, qui bonis insidiari solet, ut eos in peccatum trahat per carnis illecebram. Attende igitur hunc regem eo loco ubi dicit Apostolus: Video legem carnis meæ repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducetem in lege peccati: hoc est, in illa lege carnalis illecebræ. Aduersarius est, qui urget obnoxios, iustos fatigat. Vnde pulchrè posuit Aquila: Spretionem & pompam posuisti nos iis qui in circuitu nostro sunt. Ita enim despicabiles estimabantur, qui theatrum facti sunt huic mundo, & angelis & hominibus: quia etsi in testamento non peccent Dei, nec carnis illecebris reflectantur à Domino, tamen quasi in pompa quadam circumferri videntur & despici: quandoquidem peccatores humilitati iustorum insultare consueverunt, ut opprobrium ducant crucem Domini saluatoris, humilitatemque iustorum. Denique quasi in quadam pompa theatri constitutus Apostolus dicit: Placeo mihi in iniuriis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis. In istis placet sibi, qui omnia quæ mundi sunt, detrimentum putat, ut Christum lucrifaciat: ipsum solum suæ vitæ suæ per mortem requirens (quia ei viuere Christus est, & mori lucrum) ut inueniatur in eo. Adiciunt adhuc isti Israelitæ, dicentes:

Posuisti nos in parabolam gentibus, commotionem capitis in populis.

Quibus gentibus positi sunt in parabolam, nisi credituris? Ea enim quæ acciderunt Iudæis, in similitudine figuræ facta sunt, ut fieret nobis typus & figura excidium Iudæorū, atque ex illa similitudine per parabolam solutione præsentibus requiramus, quod exemplum eorum cauere possimus. Deinde quia Iudaicæ res omnes quasi parabolæ sunt, hoc est, quasi figuræ, egentes solutione. Denique Dominus Iudæis in parabolis loquebatur, ut imperiti non intelligerent, intelligerent sapientes; ut intelligebat Apostoli, & in quo mouebantur, interrogabant Dominum: Iudæi autem nec intelligebant, nec iterum discere non intellecta cupiebant. Quid sit parabola, accipe. Abraham duos filios habuit: vnum de ancilla, & vnum de libera. Non intelligebat hoc Iudæus nisi secundum litteram. Nesciebat quis de filiis duobus acciperet hereditatem patris, quia ad carnalia propendebant. Egere parabola solutione. Venit gentium doctor, & fides nationum: & intellexit quod duæ illæ mulieres duo sint testamenta: vnam à monte Sina, quod in seruitutem generauit populum Iudæorum, quod est Agar. Et ideo Sina, quod per interpretationem mensuram eius significat. Mensura autem, legis est: superabundans autem gratia est. Sina quoque merces dicitur, & conuenit populo Iudæorum qui iustificari se mercede operum quam fidei gratia

gratia maluerunt. Ergo quæ sub lege erat Hierusalē, cum filiis suis seruiebat: quæ autem sursum est Hierusalē, libera est. Et ideo Sara, quæ principalis dicitur, libertatem habet, quod princeps sui sit qui iustus atque integer est. Ex duobus igitur testamentis duo populi: vnus Iudæorum, alius nationum. Ille nationum qui in Christo credidit: ille Iudæorum qui non credidit, & seruit. Ipse est secundum carnem natus: quia secundum carnem interpretatus est scripturam diuinam, & secundum litteram, non secundum spiritum. Qui autem de libera natus est, per re promissionem: hoc est, cui re promissio ex fide, ipse est Ecclesiæ filius, tenens gratiæ libertatem: propter quem Ecclesia dicit: Expelle ancillam, & filiū eius. non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Et Apostolus ait: Itaque fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ. Hæc est ergo solutio, quia quod ignorabat Iudæus, fides gentium soluit, infusa à Paulo doctore mentibus nationū. Ideo ergo illorum gesta nobis in parabola sunt. Sed & Dominus dixit: Factus sum illis in parabolam: aduersum me exercebantur qui sedebant in porta. In parabolam autem factus, quia dicitis, inquit: Medice, cura te ipsum. In parabolam factus est, quia sedentes in porta increpabat. In exitu enim non otiosi, sed exerciti esse debemus. Ideo quæ scriptum est: Videte ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbatho: hoc est, non in otio, sed in negotio. Ergo pigri sedebant Iudæi, quia stare non poterant: qui verè Hierusalem atria nesciebant. Si enim scirent illam Hierusalem, requisuissent. Isti ergo fatigati in porta sedebant. Nec solum dixit, sedebant, sed etiam, oderant Dominum in portis redarguentē. In porta enim erat, qui subiturus erat sui corporis passionem, per quam migraret à terris, rediret ad cælum. In porta erat cum diceret: Ambulate dum lucem habetis. Quid est ergo: Factus sum illis in parabolam, nisi quia finis legis est Christus, & mors eius soluit anigmata prophetarum: eaque quæ antè Iudæis erant incognita cum prophetaretur, postea manifestata sunt Dominicæ passionis effectu? Factus est illis in parabolam, quia quasi vilem se præbuit, ingerens se illis, nec refugiens eorum seditiones, & perducens eos ad tempus beneplaciti sibi, ut moreretur pro omnibus hominibus, quod illius sanguine genus hominum mundaretur. Similiter in parabola scriptum est: Non alligabis os boui trituranti. Soluit hanc parabolam Apostolus, dicens: Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique dicit? Nam propter nos scripta sunt. Quis est qui arat, nisi qui in spe arat, ut in iudicio Domini metat? Et ideo quasi boni agricolæ, ubi per spem in arata fuerit terra nostra continentia corporali, non carnalia, sed spiritalia seminemus: quoniam de carnalibus corruptela colligitur, de spiritalibus vita æterna adquiritur. Typus igitur & figura nobis sint gesta maiorum. Typus lex scripta in cordibus nostris, ut nobis in ea quædam futurorum figura, non veritas sit. Lex ergo quasi figura sit nobis: Euangelium quasi lumen & signaculum veritatis. In parabola ergo Dominus ostendit se Iudæis, sed non intellexerunt parabolam, quia medicum non receperunt qui curaret animas laborantium, & omni agritudine & iniquitate in commoditatis absolueret. Factus est etiā in

parabolam, quia carnem suscepit, quam crucifixerunt Iudæi, non intelligentes parabolam spiritalem. Eousque enim non intellexerunt, ut cum auctorem vitæ crucifigerent, & suspensam in cruce cernerent carnem Domini salutarem, mouerent caput. Nam si intellexissent, utique non insultassent, sed ingemuisissent. Et tamen ipsa commotio capitis illis in parabolam cessit, ut non hoc significaret quod illi sentiebant, sed quod mysteria declarabant. Illi enim secundum vulgi vsum insultantes Domino mouebant caput suum, sicut qui iustis insultare desiderant, si forte eos viderint in hoc sæculo fatigari, mouent caput. Quæ commotio capitis geminum intellectum habet. Reprehensibiles enim videntur secundum scripturæ auctoritatem qui mouent caput, cum dicat & Matthæus: Qui transibant, blasphemabant Dominum Iesum, mouentes capita sua. & Marcus: Qui præteribant. Transientes autem quod reprehensibiles æstimantur, docet hic ipse Propheta, qui dicit de vinea Sabaoth: Et vindemiant eam omnes transeuntes viam. Denique & qui sequitur versus, hoc signat: Deuastauit eam aper de silua, & singularis ferus depastus est eam. Et in posterioribus ait: Et non dixerunt transeuntes viam: Benedictio Domini super vos, eo quod qui transit, & non stat in atrijs Domini, non dat benedictionem. Ita ergo Iudæi mouebant caput super Dominum Iesum, ut præterirent, qui firmum solidumque fidei vestigium habere non poterant. Mouebant autem caput suum, quorum caput Christus esse debuerat, quæ non debuit dimoueri & deturbare perfidia Iudæorū. Sed quia non passi sunt membra se esse Christi, ideo caput eorum non fuit Christus. Non erat etiam lex caput eorum, quia expoliabantur & lege à populo nationum. Non fuit his caput verbum Dei: quia amiserant prophetas, & Apostolos non habebant. Hoc de reprehensibili commotione capitis dictum sit. Est tamen & laudabilis capitis commotio: reprehensibilis Iudæis, laudabilis populo nationum. Quid est enim caput, nisi in quo sensus sunt? Oculi enim sapientis in capite eius: quos moueri oportet oculos, id est, mentis tuæ sensus, ne aliquo torpore pigrescant. Moue ergo prudentiam tuam, moue sapientiam, moue cogitationes tuas cælestium collatione sermonum, & prophetiarum disputatione verborum, ita ut non pecces in testamento Dei, sed fides firma sit. Sunt enim hæretici qui mouent sensus suos, ut perfidiam tamen, non fidem exciterent. Sed iam expressus de ipsa capitis commotione quæ in similitudinem populis est posita, dicendum est. Quis est caput populorum, nisi Christus? Caput enim mulieris vir, caput viri Christus. Sed & lex caput intelligibilis mulieris. Denique sub lege tãquam sub viro est populus Iudæorum, quia lex νόμος dicitur Græcè: & ideo synagoga νόμος quasi masculo copulata est: sed legi corporali, non spiritali: hoc est, ritui legis Iudaico, cuius vinculis alligata est, legitimi nesciens sacramenta coniugij. Si autem mortua fuerit lex, hoc est, legis interpretatio corporalis, tunc plebs quasi mortuo coniuge priore legitime nubet secundo viro, qui ex mortuis resurrexit. Est etiā caput mulieris huius Euangelium. Vnde quidam mysticè interpretati, mortificato ritu Iudaico, tam-

Matth. 15.

Ibidem. Coloss. 4.

Rom. 11. 1. Cor. 16. Heb. 11.

Psal. 43. inf.

Psal. 21.

Psal. 117.

Ioan. 18.

Psal. 33.

Psal. 11.

Ephes. 6.

Psal. 136.

Rom. 7.

1. Cor. 4.

Psal. 68.

Luc. 4.

Psal. 68.

Matth. 24.

Sapient. 5. 2. Cor. 6.

Philipp. 3. Philipp. 4.

Philipp. 3.

Ann. 5.

Ioan. 12.

Psal. 68.

nom. 10.

Matth. 13. Ephes. 3. Ioan. 11.

Matth. 25.

2. Cor. 9. 1. Cor. 10. 2. Cor. 9. 1. Cor. 3.

Galat. 4.

Ibidem.

Luc. 8.

Aff. 3. Matth. 27.

Ibid. Marc. 15.

Psal. 79.

Ibid.

Psal. 128. Psal. 133.

Matth. 27.

1. Cor. 11.

Ecol. 2.

1. Cor. 11. Rom. 7.

1. Cor. 7. Rom. 7.

Deut. 25.  
Galat. 3.  
Rom. 7.  
Deut. 25.  
Rom. 7.  
Ephes. 5.  
Rom. 7.  
Coloss. 1.  
1. Cor. 9.  
ibid.  
Hebr. 11.  
Rom. 7.

quam fratri defuncti Euangelio mulierem eam nu-  
bere ex lege voluerunt, quia lex annuntiauerit Eu-  
angelium. Ideo prior lex vir, postea secundi viri nu-  
ptia, hoc est, Euangelij sacramenta sunt. Duo enim  
quasi coniugia, duo sunt testamenta. Vnum  
coniugium vetus est testamentum, quod morte  
viri prioris solutum est. Et ideo mulier illa cui lex  
mortua est, fecit in secundum coniugium conuenit,  
hoc est, testamentum nouum. Sic duobus fra-  
tribus vna coniungitur, cui superiora peccata mori-  
untur, meliora postea sacramenta renouantur. Hoc  
nobis Apostolus euidenter exposuit, dicens: Quo-  
niam quae sub viro est mulier, viuente viro ligata  
est legi: hoc est, viri sui legi, vt ei debeat castitatem.  
Si autem mortuus fuerit vir, soluta est à lege viri: id  
est, vt cui velit nubat, dummodo mortuo viro nu-  
bat: quia viuo viro, inquit, adultera vocabitur, si iu-  
cta fuerit alteri viro. Si autem mortuus fuerit vir ei-  
us, liberata est à lege viri, ita vt non sit adultera si  
fuerit cum alio viro. Hoc autem sacramentum ad  
Christum & Ecclesiam pertinere, etiam alibi demō-  
strauit, dicens: Hoc magnum est sacramentum: ego  
autem dico in Christo & in Ecclesia. Hic quoque  
non pratermisit, dicens: Itaque fratres mei, & vos  
mortificati estis legi per corpus Christi, vt sitis alteri-  
us, qui ex mortuis resurrexit. Quomodo mortifi-  
catus es legi, nisi vt tibi legis vmbra moriatur cum  
accedis ad sacramenta caelestia? Nec enim aliter de-  
bes accedere ad Euangelium, nisi solutus interpre-  
tationis corporalis impedimentis. Alioquin adulte-  
rium est, veris falsa miscere. Pudicitia autem spirita-  
lis, si anima tua exuta omnibus impedimentis deuote  
cognitionis, sine ruga accedat ad Dei verbum. Ergo  
sicut Ecclesiae caput Christus, ita & synagogae ca-  
put lex: hoc est, ius qui sub lege sunt: propter quos A-  
postolus fecit se sub lege, cum sub lege non esset, vt  
eos qui sub lege sunt lucrificeret. Et iterum doctor  
gentium factus est quasi esset ipse sine lege, cum sine  
lege Dei non esset, vt eos qui erant sine lege, acquir-  
eret Christo. Pulchrè autem ait quod sine lege Dei  
non esset, & in lege Christi maneret. Lex autem sy-  
nagogae caput non à principio, quia Christus erat  
caput veteris synagogae, quam Moyses fundauit &  
condidit. Quod autem verbo Domini fundata sit,  
audi dicentem: Fide Moyses grandis factus negauit  
se esse Pharaonis regis nepotem. Maluit enim affli-  
ctis compati, quam temporalibus delectari: maio-  
resque diuitias aestimauit, & prætulit thesauris Aeg-  
ypti, improprium Christi. Aspiciebat enim mer-  
cedem repromissionum Dei, quae est resurrectionis  
gratia. Sed vbi propter perfidiam Iudaeorum mor-  
tuum est infidelibus Dei verbum, & excidit peccatori-  
bus Iudaeorum, legis spiritalis intellectus occubuit,  
& nupit synagoga ritui corporali, obseruationique  
perfidiae. Sed non fuit illa sobrietas spiritalium nu-  
ptiarum, sed adulterium castitatis. Ideo synagoga  
libera esse non potuit, quae malè nupserat, & non cre-  
diderat resurrectionem Christi futuram. Vnde bene  
ei nupit Ecclesia, cui secundum sacram dispensationem  
secundum carnem mortuus est Christus, vt illa Iudaea  
anima quae ante fuerat ligata peccato, per mortem  
Christi absolueretur vinculo delictorum. Non nubit  
ergo mulier alteri viro, nisi mor-

G tuus fuerit vir suus: hoc est, nisi à vinculo legitimi a-  
moris fuerit absoluta. Si autem mortuus vir eius  
fuerit, liberata est. Sanè tenebatur ex lege vt fra-  
tri proprii coniugis copularetur, si semen nullum  
maritus ei reliquisset. Quod vinculum magis necesse  
erat interpretatio litterae, quam gratia spiritalis. De-  
nique habebat in voluntate frater defuncti, vt si nol-  
let, non acciperet fratris vxorem ad semen defuncti  
resuscitandum. Vnde calceamentum suum soluere  
iubebatur, vt esset à nexu copulae eius exutus, quā  
à sui gratia ostendisset alienam. Sic enim scriptum  
est: Quia soluebat vir calceamentum suum, & dabat  
proximo suo, & dicebat: Accipe, & acquire tu tibi  
propinquitatem meam: & hoc erit in testimonium  
in Israhel. & soluebat calceamentum suum. Dicebat  
etiam adstantes: Det tibi Dominus vxorem quae  
intret in domum tuam sicut Rachel & sicut Lia, quae  
aedificauerunt vtraque domum Israhel, & fecerunt  
virtutem in Ephrata. Et hoc ex littera interpreta-  
tione Iudaeum ligabat. Ceterum figura erat quod  
Christus venturus esset in terras, qui semè defuncti  
populi resuscitaret merito fratris, quia dictum est:  
Narrabo nomen tuum fratribus meis: & quorum  
patres, & ex quibus Christus secundum carnem. Vel  
quia Euangelium defunctae legis reparationem o-  
peraretur in posteris, vt semen quod lex non reli-  
querat, Euangelij tenor resuscitaret. Non mirum er-  
go si caput suum praua interpretatione mouerunt,  
vt ipsi à se deturbarent sapientiam, suae salutis au-  
ctorem: aut certè mouendo caput suum causa fieret  
commotionis capitis non paucis, sed populis. Com-  
motio haec capitis facta est quando quidem in om-  
nem terram exiuit sonus eorum, vt fieret omnis ter-  
ra Domini, & regnum Domini esset in nationibus.  
Vnde & in posterioribus dicit: Dominus regnauit,  
irascantur populi: qui sedes super Cherubim mo-  
ueatur terra. Quod pulchrè Aquila interpretatus  
est, vt ἀλάλαγμα diceret, hoc est transmutationem,  
quae de loco ad locum, de Iudaea ad populos natio-  
num. Quod ex ea lectione quae in Euangelio est, li-  
quidò poterit manifestari, quemadmodum lex mo-  
ta sit, dicente scriptura: Super cathedram Moysi se-  
derunt Scribae & Pharisei. Omnia ergo quae dicit  
vobis, seruate & facite: secundum opera eorum no-  
lite facere. Quae enim dicunt, non faciunt. Alligant  
autem onera grauiā, & imponunt super humeros ho-  
minum, ipsi autem digito suo nolunt ea mouere.  
Omnia autem faciunt, vt videantur ab hominibus.  
Quid est, Sederunt Scribae, nisi quia littera scribi-  
tur? vnde & γραμματεῖς Graecè dicuntur Scribae,  
litterae sequentes interpretationem, non spiritus in-  
tellectum, littera autem occidit. Littera ergo oc-  
cidentem sequentes, & ipsa appellatione resonan-  
tes Scribae: Pharisei autem sunt, hoc est, quia à veri-  
tatis vnitatem diuisi sunt. Phares enim diuisio dicitur.  
Diuidit autem Pharisei hoc genere, vt verba legis  
resonent, & in ipsa meditentur, spiritalis autem my-  
steria legis & sacramenta non videant. Nam si lex  
spiritalis est, vtique praecepta legis sunt spiritalia, &  
opera eius spiritalia sunt. Docentes ergo quae Moy-  
ses scripsit, onera grauiā ligant corporalibus legis.  
Grauiā sunt enim quae cōtraria iugo Christi sunt: &  
per doctrinam suam deuiam grauiā onera imponunt  
auribus

Deut. 25.  
ibid.  
Ruth. 4.  
ibid.  
psal. 21.  
Rom. 9.  
Matth. 27.  
psal. 18.  
psal. 95.  
psal. 98.  
Matth. 23.  
2. Cor. 3.  
Rom. 7.  
Matth. 11.  
psal. 108.

1013  
auribus audientium, quae ipsi ne tantum quidem vo-  
lunt mouere, vt à corporalibus legis ad spiritalia  
scripturae verba commoueant. Sic enim intelligen-  
dum, quia digito suo nolunt mouere illa, hoc est,  
nec exiguò puncto atque momento transferunt se  
ad intelligentiam spiritalem. Hinc est & illud quod  
scriptum est: Quod si in digito Dei ego eiicio demo-  
nia. Quid sit digitus, interpretatur ipsa scriptura quae  
dicit in alio libro Euangelij: Quod si in spiritu Dei  
ego eiicio daemonia. Digitus ergo Dei, spiritus Dei  
est. Deus enim spiritus est, & nihil habet in sua sub-  
stantia corporale, sed totus est spiritus. In spiritu Dei  
eiicit daemonium, qui in digito Dei eiicit. Vnde  
& sanctus David ait: Quoniam videbo caelos tuos,  
opera digitorum tuorum: hoc est, spiritus tui opera  
sunt caeli, sicut & scriptum est: Verbo Domini caeli  
firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.  
Vt ergo concludamus disputationem, Scribae &  
Pharisei nihil ad interiore hominem referunt, qui  
vt ipse ad imaginem Dei & similitudinem factus  
est, ita in iis quae cogitat, & quae meditatur, debet  
magis quae spiritalia sunt, quam quae carnalia cogi-  
tare. Totum ergo ad illum exteriorem, ad illū ter-  
renum hominem referre contendunt: & ideo omnia  
eorum talia sunt, vt videantur ab hominibus, non  
vt placeant patri qui in abscondito videt. Timent  
enim sua opera reuelare. Haec est ergo commotio  
capitis quae facta est in populis: vel, sicut Aquila &  
Symmachus dixerunt, in gentibus. Omnes enim  
gentes mouerunt caput suum, vt legem spiritaliter  
interpretarentur. Nemo secundum litteram legis se  
putet esse saluandum: quia littera legis maledictum  
habet, spiritus benedictionem affert. Nemo ex o-  
peribus legis iustificari potest: quia sub maledicto  
sunt omnes, qui sub littera sunt. Fugiat ergo omnes  
maledictum legis, & confugiat ad benedictionis  
gratiam: vt benedictionem habeant in caelestibus in  
Christo Iesu, qui mortuus est pro nobis vt fides trā-  
siret ad gentes: qui etsi vir fuit ante synagogae, nec  
ipsam deseruit, & nos redemit. Illam enim non de-  
seruit, vt reliquiae saluae fierent: nos redemit, eligendo  
populos nationum. Haec ergo electio gentium,  
salus Iudaeis. Reliquiae enim non per opera sua, sed  
per electionem gratiae saluae factae sunt. Gratia est ergo  
Christi, quae & nos redemit, & reliquias viuifica-  
uit. Commotio autem capitis facta est in gentibus:  
sed ex hac commotione non mediocri mutationis  
gratiam Iudaei pertulerunt, quorum reliquiae saluae  
factae sunt. Sequitur:

Tota die verecundia mea contra me est, & confusio vultus mei operuit me.

Quid est quod interdum ex persona vnus, interdum  
ex persona plurimorum Psalmus hic dicitur? Nam à  
principio à pluribus coepit, vt est, Deus auribus  
nostris audiuimus: & caetera quae sequuntur. Deinde  
ait: Tu es ipse rex meus, & Deus meus. Iterum: In te  
inimicos nostros ventilabimus. Et postea: Non enim in  
arcu meo sperabo. &: In Deo laudabimur tota die. &:  
Tota die verecundia mea contra me est. Quid sibi vult  
ista mutatio, quae frequenter in Psalmis reperitur,  
sicut & in centesimo octauo Psalmo ait: Deus laudem  
meam ne tacearis, quia os pecca-

A toris & os dolosi super me apertum est? Hoc de vno  
sequitur de pluribus: Loquuti sunt aduersum me lingua  
dolosa: & odium pro dilectione mea. Deinde de vno:  
Constitu super eum peccatorem. Quod videtur in eo  
Psalmo aliud ad populum Iudaeorum referri, aliud ad  
Iudam proditorem. Quando pluraliter dicta, ad populum:  
quando singulariter, ad Iudam. Hic quoque possumus  
dicere, quando pluraliter dicta, ad sanctos: quando  
singulariter, ad Dominum nostrum Iesum Christum  
referri: quia aestimari potest & pro pluribus in  
Propheta locutus, & ipse pro se, & ideo dixerit:  
Verecundia mea contra me est. quae dicitur  
ἐντροπή-ἐντροπή autem est quando verecundiam  
vult quis incutere alicui vt inflectat propositum  
suum, sicut est: Descendat nunc de cruce, & credimus  
ei. confidit in Deo: liberet nunc eum. Pulchrè autem  
ait, Tota die: quia incarnatione Domini nostri Iesu  
Christi lucem attulit mundo. Dies itaque incarnationis  
est, de quo idem dicit Dominus: Anbulate dum lucem  
habetis. &: Abraham diem meum vidit. Ergo haec  
verecundia habet in se confusio nem. Vnde & Symmachus:  
Tota die (inquit) confusio mea contra me est. Quae  
autem confusio Christi, nisi crux, quod nudus pependit  
in ea? Et bene, tota die: quia ex quo affixus est  
cruci, vsque in horam nonam tenebrae factae sunt:  
& post horam nonam lux refulsit vsque in vesperum.  
Hic dies ex tribus primus. Potest tamen & chorus  
sanctorum pluraliter de se & singulariter loqui.  
Chorus enim quasi singularem personam habet, sed  
numerus plurimorum est: sicut illud est: Populus hic  
labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.  
Quae autem est confusio quae operuit Dominum Iesum,  
cum confusio nem peccata faciant? Ipsa sunt enim  
quae operiunt peccatorem. Hic autem peccatum non  
fecit. Sed quae admodum est confusio adducens  
peccatum, ita est confusio quae peccatum abolet: vt  
confusio crucis Domini nostri Iesu Christi, per quam  
peccata mundantur. Est etiam omnis confusio bona,  
quam pro Christi nomine subeas, & admodum  
gloriosa, si verbi gratia in persecutione lex sit vt  
verberetur Christianus, vt dignitatem amittat, vt  
careat priuilegio, vt in vincula ducatur. Haec  
vtique confusio est priuilegium non habet, habet  
gloriam pie confessionis. Est autem & Christi  
confusio, sicut ipse ait: Qui me confusus fuerit  
coram hominibus, confundam & ego eum coram  
patre meo qui in caelis est. Bona ergo confusio.  
Plerisque tamen huiusmodi confusio Christi  
amara est, hoc est, non creditibus, iucunda  
creditibus. Siue ergo velis confusio nem Christi  
intelligere crucem eius, quae Iudaeis videbatur  
esse confusio, qui insultabāt ei, quasi erubesceret  
Christus in eo opere in quo publicam operabatur  
salutem: siue etiam hanc confusio nem, quae in  
geri videbatur.

A voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & persequentis.

Erubescere Dominus sic lapsus esse electū  
populum suum, & confundebat eos apud patrem,  
quorum finis aduenerat. Praesens enim erat  
filio pater, à quo numquam potest filius separari.  
Et ideo pater dicebat Iudaeis: Ecce relinquetur  
vobis

Philip. 3.  
Hebr. 12.  
Ecl. 4.

Prou. 16.  
Psal. 37.

Ecl. 3.

Esai. 50.

A. 7. 13.  
Ecl. 4.

1. Petr. 4.

1. Petr. 1.

Psal. 29.

Gen. 3.

Mat. 9.

domus vestra deserta. Sunt autem qui etiam in confusione sua gloriantur, sicut illi de quibus dicit Apostolus, quia gloria eorum in confusione ipsorum: quibus contraria est gloria Christi, qui crucem suscepit, nec confusione refugit. Quam nos quoque minimè timere debemus, nec formidine aut fastidio declinare, ne peccatum supra nos adducat, quæ potest adducere gratiam vitæ. Est enim & confusio nis gloria: vt si in multos gentiles incidas vel philosophos, & illi tibi obiciant crucem Christi, & verbo respondere non possis, nec salutaria quisquam audiat verba referentem, est confusio, sed a voce improbrantis & obloquentis, a facie inimici & persequentis. Et ideo noli respondere insipienti ad insipientiam eius. Esto sicut homo mutus & tacens, & quasi non audies verba insultantium & obloquentium: non quòd respondere nequeas, sed quòd respondere non debeas. Omni enim rei tempus. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Tacendum est, quando paratum non inuenis auditorem: loquendum est, quando Dominus linguam eruditionis indulget, vt sermo tuus operetur in affectibus audientium. Quomodo autem te audiat, qui ideo tibi obloquitur, eo quòd salubrem tuum nolit audire sermonem? Aut quomodo tibi acquiescat, qui persecutor est, & velit te sibi vendicare? Aut, vt Aquila dixit, vel Symmachus, vt vlcisatur & puniat in te quòd Christi hæreditas ad gentes videatur esse transfusa? Longè itaque ista confusio à confusione & opprobrio peccatoris. Istius enim cõscientia illuminatur, qui oblitus non est Dei sui; illorum cõfunditur, quorum ingenium caligat atque perturbat recordatio delictorum. Et ideo bene sibi conscij dicunt:

Hæc omnia venerunt super nos, & oblitum sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo:

Et non recessit retrò cor nostrum: & declinasti semitas nostras de via tua.

Quoniam humiliasti nos in loco afflictationis, cooperuit nos vmbra mortis.

Quoniam humiliasti nos in loco afflictationis. Videtur versiculus hic vltimus non concordare superioribus. Nam quomodo declinarunt ij quibus diuinitatis nulla obrepit obliuio, nec alicuius iniquitatis conscientia, nec vlla desidia? Sed si consideres quia iustus vix saluus fit, intelligis profectò & ipsius nõ numquam titubare vestigia, & auctore declinationis eorum Deum videri: quia ipse quoque patitur iustos sæpe tentari, quò magis probentur tentionibus eruditi. Quis est autem tam fortis, vt nequaquam in tentatione moueatur, nisi Dominus adiutor ei adsistat? Denique conturbatus est & ipse propheta Dauid, quia dixit in sua abundantia, Non mouebor in æternum. Aut quis est ille quem locus afflictationis, & terræ corruptela non moueat, quò diuina sententia neminem exceperit qui sit ab exercitio & a fatigatione terræ huius immunis, cui dictum est: Maledicta terra in omnibus operibus tuis: spinas tibi & tribulos germinabit? Denique ipse Paulus dominicæ vas electionis, à maledictione veteris sententiæ absolutus Domini Iesu passione, ea-

men captiuum se duci in legem peccati vehementissimè deplorauit, nec quemquam nisi Christum à quo liberaretur inuenit, cum eum lex sui corporis & vmbra mortis vrgeret. Diximus sensum: sed expressius qui locus sit afflictationis, considerare nos conuenit. Vtrum hic mundus, qui in maligno positus est, an verò caro nostra, in qua anima nostra humiliatur, dum in istius carnis descendit societatem: an aduersa quibus exercemur in hoc corpore constituti, in quo ingemiscimus grauati, quòd nolumus spoliari, sed superueffiri. Grauis enim labor est dū expectamus vt absorbeatur mortale hoc à vita, quo nos expoliare debemus. Minore enim labore expoliatur, quàm absorbetur. Et vide ne ea diuersitas sit expoliantis se & expectantis vt absorbeatur à vita. Expoliat gratia, absorbet pœnitentia. Expoliat sublimitas mentis, absorbet diligentia. Quomodo autem dubites quòd afflictationis hic locus sit, vbi corpus est mortis, in quo operit nos etiam vmbra mortis? Et ideo ad lucernam illam semper debemus intendere, quæ est verbum Dei, vt sciamus quemadmodum nostri animi semitas dirigamus, & vestigia mentis internæ, vt lux animorum soluat tenebras corporales. Pulchrè autem Aquilæ interpretatio quemadmodum intelligere debeamus locum afflictationis, expressit dicendo: Quoniam humiliasti nos in loco Sirenum; vt non caro in vitio sit sui natura, sed ea quæ carnem corruptibilem esse fecerunt. Deniq; Syrenes, quarum secundo & tertio mentionem fecit scriptura diuina, quasdam fuisse puellas Gentilis tradit historia, quæ vocis suauitate, canendi illecebris, audiendique studio illectos nauigantes ad lit<sup>um</sup> adiuuere nauigia prouocabat: eosq; (cum gratiâ vocis sequeretur) scopuloso in loco naufragium facere solitos verustas posteris tradidit. Earum autem interpretatio hæc est, voluptas vocis, & quædam aduultatio. Ita ergo sæculi voluptas nos quadam carnali adulatione delectat, vt decipiat. Vt ergo illic non litus in vitio erat, sed canora dulcedo, quæ faciebat asperitatem litoris non cauere: ita non caro in vitio, sed ea quibus caro ista sollicitatur & fluctuat. Denique mare, si tēpestas desit, quietum est: si procella sauiat, periculosum. Et septuaginta virorum videtur cum his sententia conuenire, cum dicunt quia scriptum est: Quoniam humiliasti nos. Cuius interpretationis testimonia de scripturis sunt nobis accersenda diuinis. Ait enim Deuteronomium: Si exieris in pugnam aduersus inimicos tuos, & tradiderit tibi eos Dominus Deus tuus in manus tuas, & deprædatus fueris spolia eorum, & videris in ea deprædatione mulierem bona specie, & cohabitaueris cum ea, & infra: Si nolueris eam postea, dimittes eam liberam, quia humiliasti eam. Vides ergo quoniam non natura sui eam, sed is qui ei integritatem pudoris eripuit, humiliasse perhibetur. Humilitas ergo operis est, per quod caro ista, peccati corpus effecta est, & locus afflictationis. Iterum alibi: Si puella virgo desponsata fuerit viro, & inueniens eam homo in ciuitate, dormierit cum ea, educentur ambo ad portam ciuitatis suæ, & lapidabuntur, & morientur: iuuenula, quia non clamauit in ciuitate, nec inuocauit hominem qui subueniret: & vir, quia humiliasti mulierem proximi sui. Et hæc eadem

Rom. 7.  
Ibid.

1. Ioan. 5.

2. Cor. 5.

Rom. 7.  
Psal. 118.

Esai. 13.  
Hier. 50.  
Micha. 1.

Homerus lib.  
12. Odyss.

Iacob. 1.  
Ecl. 43.

Deut. 21.

Ibid.

Rom. 7.  
Deut. 21.

Ibid.

Gen. 3.

2. Cor. 5.  
Super. 9.

Philip. 2.

Rom. 8.  
Rom. 3.

Philip. 2.  
Hier. 17.

Philip. 2.

Hebr. 1.

Matth. 11.  
Luc. 14.

Ibid.

Matth. 6.

Ibid.

eadem est huius causa sermonis, vt à corruptore humiliata dicatur. Tertium quoque habes de hac re testimonium, & plura, si quæras. tamen de eodem libro audi: Si quis inuenerit virginem quæ nõ fuerit desponsata, & vim faciens ei, dormierit cum ea, & inuentus fuerit, dabit homo qui dormiuit cum ea, patri iuueculæ quinquaginta denarios, & erit vxor eius, quia humiliasti eam; nec poterit dimittere eam per omne tempus, propter quòd humiliasti eam. Ipse sermo repetitus est, vt intelligas quia non coditio carnis videatur nos humiliare, sed culpa. Nec tamen negare possumus quòd multis humilietur & caro, loco ipso, illecebris ipsis, fragilitate quoque, quæ patuit errori. Licet enim non à mediocri aduersario serpente decepta sit Eua, habebat tamen non mediocrem gratiam, antequam peccatū iraperet. in conspectu erat Dei Adam, in paradiso vigeat, cælesti gratia refulgebat, loquebatur cum Deo. Nūquid eum humiliatum antè legisti, nisi posteaquam præuaticatio eum humiliasti sua? Cuius vitij hæreditatem ad nos vsque transmisit, vt in hoc corpore constituti nolimus peregrinari de corpore, & adesse Deo. Et ideo humiliamus animam nostram quæ se ad Deum gestit attollere, sed corruptibile hoc corpus grauat animam, terrenaque habitacula preponderant, vt mens deuota Deo frequenter inclinetur ad sæculum, nec se subiicere Deo possit: quoniam subiectionem sui sapientia carnis ignorat, quæ nostrum inuoluit affectum. Dicentes hæc de nobis, quid de carne Domini nostri Iesu Christi dicemus? Qui vtique suscepit carnis istius veritatem: & ideo semetipsum humiliasti vsque ad mortem, mortem autem crucis. Diligenter attende, & considera singula. Vide quia volens suscepit hanc formam corporis nostri, & tunc obsequia seruitutis, in similitudinem hominum factus, non in similitudinem carnis, sed in similitudinem hominum peccatorum. Omnis enim homo sub peccato. Ideo & specie inuentus vt homo, vt scriptum est de eo: Et homo est, quis cognosceret eum? Homo secundum carnem, sed vltra hominem secundum operationem. Vt homo, inquit, humiliasti semetipsum: quia ad eos Deus venit qui humiliati fuerant, liberandos. Ipse se ergo humiliasti propter nos. Non ergo corpus illius corpus mortis: siquidem corpus est vitæ. nec caro illius, vmbra mortis: siquidem fulgor est gloriæ. nec in eo locus afflictationis: siquidem in illo corpore omnibus gratia consolationis. Humiliasti se, vt disceres quid sit humilitas. Denique audi dicentem: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Ille se humiliasti, vt tu exaltareris. Qui enim se humiliat, exaltabitur. Multos enim crimen humiliat ad ruinam. Humiliatus est autem Dominus vsque ad mortem, vt de portis mortis exaltaretur. Ecce, vide gratiam Christi, vide beneficia eius. Posteaquam Christus aduenit, hæc caro quæ erat vmbra mortis, cœpit per gratiam Domini refulgere, & habere lumen proprium. vnde & dictum est: Lucerna corporis tui est oculus tuus. Sed vide de quo oculo dicat: non de exteriori, sed de interiori: Si oculus, inquit, tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Interior vtique est oculus, qui totum hominis cor-

Ibid.

Gen. 3.

2. Cor. 5.  
Super. 9.

Philip. 2.

Rom. 8.  
Rom. 3.

Philip. 2.  
Hier. 17.

Philip. 2.

Hebr. 1.

Matth. 11.  
Luc. 14.

Ibid.

Matth. 6.

Ibid.

pus illuminat. Interior est etiam oculus, qui affert toti corpori cæcitate; quia scriptum est: Si autem nequam fuerit oculus tuus, totum corpus tuum tenebrosum erit. Vides iam in vno homine vnde tenebræ nascantur, vnde lumen oriatur. Ipse ergo tibi es caligo, vel lumen. Caligo, iniquitatis est; tenebræ, peccatorum; lumen, innocentia. Ipse tibi ergo es vel iniuriæ auctor, vel gratiæ. Operatio diuina nihil errat. Lumen in teipso est, quia innocens infantia tua est. Pura mens hominis ante adolescentiam lubricum, & iuuetutis errorem. Tu tibi ergo tenebras fecisti esse quòd lumen est. Denique idem oculus, hoc est, sensus hominis, tenebrosus est in peccatore, splendidus in innocente. Nec illud prætereamus quòd Symmachus ait: Affixisti nos in loco deserto. Ideo affligimur, quia interdum destituimur protectione cælesti: & regio ista sub maledictò est, vel in lubrico sæculari. Necdum quoque benedixerat terram suam Dominus noster Iesus Christus: & ideo laborabant, nec ad lumen pietatis eius oculorum spiritualium intendebatur obrutus. Deinde quia voluptas & delectatio mundi frequenter irrepit. Vnde non vinculis hominis illius ligare nos atque vincire debemus, nec cera aures claudere, sed auertere aurè quotiescumque aliena à fide, & contraria vel aduersa vtilitati nostræ aliquis existimat obloquenda, ne in eo sermone operiat nos vmbra mortis. & si quid tale profertur, nos tamen Dei verbū debemus inferere, quòd mentis nostræ oculos fulgore disputationis illuminet. Sequitur:

Si oblitum sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deum alienum:

Nõne Deus requireret ista: ipse enim nouit occulta cordis.

Quia propter te morte afficimur tota die: æstimati sumus vt oues occisionis.

Quid est quòd ait: Nõne Deus requireret ista? Quasi si non requirat, ignoret? Et sic requireret Deus obliuionem tuam quæ irrepsit, vt auferat eius omne vestigium. Vnde & Aquila dixit, Inuestigabit ista: Symmachus, Inueniet ista. Nam vtique qui nouit cordis occulta, quomodo quarit; cui etiam ea quæ sunt interiora, manifesta sunt? Siquidem apud Deum conscientia vniuscuiusque se prodit, & cogitatio hominis apud eum se aut condemnat, aut purgat. Denique Aquila visiones cordis dixit, eo quòd videat cor nostrum, & omnis nostri cogitatio cordis in promptu sit apud Deum, atque ei cogitationum nostrarum imago resplendat. Bene illud ait Aquila, In te morte afficimur: quoniam in Christo mori, arduum est, sed gloriosum: & in ipso moritur, qui pro eius nomine sacra passione est coronatus. Sed quid miraris quòd requirentem Deum occulta cordis versiculus iste declarat, cum alibi Deum scrutatorem legeris cordis? Quid etiam miraris si verbis nostris maiestas diuinæ substantiæ explicari non possit, cum ait Apostolus: Nolite ante tempus quid iudicare, donec veniat Dominus, qui illuminabit occulta tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo? Tenebras cordis sepe loco criminis legimus, immò propè vbi-

Ibid.

Genes. 3.  
Psal. 84.

Homerus in  
12. Odyss.

Luc. 11.

A. 7. 1.  
Rom. 2.

Hebr. 4.  
A. 7. 20.

Hierem. 17.  
1. Cor. 4.



Rom. 2.

Matth. 10.

Matth. 6.

2. Cor. 12.

2. Cor. 4.

Matth. 10.

2. Tim. 2.

1. Cor. 14.   
 1. Ioh. 50.

1. Cor. 15.

2. Cor. 11.

2. Cor. 4.

Ibid.

1. Thess. 5.

Rom. 8.   
 Iacob. 1.

Matth. 8.

que. Vide ergo ne ista sint occulta tenebrarum, quæ sunt cordis occulta: idcoque tenebrarum nomē acceperint, quod ea ab aliis non deprehendantur, sed lateant. Et ideo Dominus in die iudicii illuminatus asseritur occulta tenebrarum: quia cor vniuscuiusque manifestabitur, quod autē occultum erat: soli tamen Christo cognitum, qui sciens iudicii sui gratiam, ait: Nihil est occultum, quod non manifestabitur. Sunt autem multa quæ propter verecundiam premimus, & vt impleamus cæleste mandatum, tacito apud nos tenemus affectu, ne videamur in iis quæ nostra sunt gloriari, & eorum fructum vulgando incipiamus amittere. Sunt autem occulta sapientiarum, quæ raptus in paradiso Apostolus Paulus audiuit: & quia non licebat ea homini loqui, apud se tenebat: non quia vsum eorum aut gratiam aliis inuideret, sed quia non licebat homini loqui, fortè etiã homini audire non proderat: quæ tunc illuminabit Dominus, cum illuminandorum secretorum tempus aduenerit. Vide ne etiam in Euangelio distantiam aliquam reperias, vbi dixit: Nihil occultum, quod non manifestabitur: neque opertum, quod nõ reuelabitur. Illud tamen ad stipulatur ad superiorum interpretationem, vt vtrumque de bonis esse credamus, quia scriptum est: Cognoscit Dominus qui sunt ipsius. Suos ergo cognoscit, & eos cognoscit qui cognoscunt Deum: ignorat autem eos qui ignorant Deum. Qui enim ignorat, ignorabitur. Dominus ergo quæ bona sunt recognoscit: ea quæ sunt plena cognitionis diuinæ, ea quæ sunt occulta sapientiarum, nouit Dominus. Auertatur autem ea quæ sunt plena iniquitatis atq; peccati. Denique si istorum personam consideres, quos nulla diuini cultus obliuio separauit, vt alicui Deo expanderent suas manus, atq; aperire suas animas noluerunt, intelligis quod in occultis suis non flagitia aliqua erant, sed ea quæ essent innocentiarum continebant: quandoquidem morte afficiebantur pro Dei cultu, totaque die versabantur in morte, sicut versabatur & Paulus, qui ait: Quotidie morior per vestram gloriam. Et verè quotidie Paulus moriebatur secundum carnem, in ieiuniis, in naufragiis, in diuersis periculis, in miseris constitutus: sed non totus moriebatur. Moriebatur homo eius exterior, sed renouabatur interior: & ideo non deficiebat cum tot periculis vrgeretur: quia etsi exterior homo eius corrumpebatur, interior renouabatur de die in diem: quia diè sibi vniuscuiusque fides & gratia operationis illuminat. Vnde nec Paulus Apostolus noctem sciebat: quia qui renouatur, semper in luce est. An tibi non videtur in luce, qui Christi in se continet charitatem? Et ideo in nouationis securus dura non refugit: nec eum persecutio vlla, aut fames, aut gladius potest à Christo Domino separare, quem vincula diuinæ charitatis adstringunt. Interim tamen in bonis etiam operibus mens humana turbatur, & tentationibus M

**G** Exurge, quare obdormis Domine: exurge, & ne repellas nos vsque in finem.

Certè etsi littera distare videatur, cum supradictis tamen Euangelij verbis concordat sententia. Neque verò vel in corpore constitutus ita dormiebat Dominus noster Iesus Christus, vt ignoraret tēpstatem maris, & exorta procella vëtorum cognitionem eius per altitudinem soporis excederet. Dormiebat corpore, sed virtute vigilabat. Et dispositio illa fuit vt ascenderet in nauem Dei filius, Dei verbum: ascenderent etiam simul discipuli sui: quos remissos & negligentes esse non passus, quasi de Domini præsentia & fauore securos, somno corporis sese composuit. Ergo illis specie somni, dormire se mundo huic, Apostolis verbum Dei demonstrabat. Vigilabat tamen eius potestas & providentia, quæ excitauit tempestatem in mari, vt nauis propemodum insurgentibus fluctibus operiretur: qua discipuli tempestate turbati, vtrum salubris consilij se prouisione fulcirent, an verò remedium exciperent, cognosceretur. Sed illis, quibus Iesus non dormiebat, vigilabat fides: & ideo surgentes excitauerunt Dominum Iesum, dicentes: Domine, salua nos, perimus. Vide etiam si illud discrepat ab Euangelio quod de Iona legimus, qui dormiebat in ventre nauis, & stertebat: in quo sacræ passionis figura præcessit. Sicut enim Iona dormiebat in nauis, & stertebat securus, quasi non metuens deprehendi: ita Dominus noster Iesus Christus, qui figuram illam sacramento suæ mortis impleuit, tempore Euangelij in nauis dormiuit. Et sicut ille tribus diebus & tribus noctibus fuit in ventre ceti: ita filius hominis tribus diebus & tribus noctibus fuit in corde terræ, in sui corporis passione. Qui vbi se excitauit à morte, & somnum sui corporis relaxauit, vt pro salute resurgeret vniuersorum, discipulos visitauit. Hic est ergo verus Iona, qui obrulit animam suam in redemptionem pro nobis. Propterea ergo sublatus est & missus in mare, vt exciperetur & deuoraretur à cetoto, quod intra aluum ceti positus eius interiora vacuaret. De quo cetoto hoc dictum sit, audi Iob dicentem: Qui habet, inquit, magnum cetum captiuum reddere. Quis iste est? Vtique cognoscis, cum legis quod Dominus noster Iesus Christus captiuam duxerit captiuitatem. Deuictio enim aduersario & inimico, nos qui captiui eramus, cœpimus libertatem possidere per Christum. Deniq; ipsa oratio sancti Ionæ docet Dominicę passionis esse mysteria, cum dixit: Clamaui, inquit, ad Dominum meum in tribulatione mea, & audiuit me de ventre inferni. Vides quia inferni ventrem dixit, non ceti? Dominus autem non in cetum, sed in infernum descendit: vt & illi qui in infernis erant, à perpetuis vinculis soluerentur. Denique plerique etiam resurrexerunt. Quæ autem flumina circumdederunt Ionam, aut de qua abyfso dixit Iona: Abyfssus circumdedit me nouissima, merfit caput meum in fissuras montium, descendit in terram, cuius seræ sunt continentes æternales? Vtique hoc ad personam Ionæ non quadrat nec conuenit. Filius autem Dei descendit in fissuras montium, quando descendit in tumulum. ipsum enim Ioseph (sicut Euangelium docet) posuit in monumento

1. Ioh. 19.

1. Ioh. 2.

Coloss. 1.

1. Ioh. 3.

2. Cor. 5.

Rom. 8.

1. Ioh. 8.

Matth. 11.

1. Ioh. 2.

Matth. 12.

1. Ioh. 10.

1. Tim. 2.

1. Ioh. 3.

Ephes. 4.

1. Ioh. 6.

1. Ioh. 2.

Ephes. 4.

1. Petr. 3.

Matth. 27.

1. Ioh. 2.

1. Ioh. 11.

2. Cor. 3.

Matth. 27.

numento suo nouo, quod excidit in petra, & aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti. Denique & in alio libro: Posuit, inquit, eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat. Quis autem est qui cum voce laudis & confessionis Domino sacrificauit, nisi princeps omnium sacerdotum, qui & vota pro omnibus vouit, & reddidit? Solus enim missus est in mare, & quieuit mare à cōmōtione sua: ita Dominus noster Iesus Christus venit in hunc mundum, vt mundum lucrificaret, & sanguine suo omnia pacificaret, siue terrena, siue cælestia. Aduentu igitur suo redemit vniuersos homines, & prouocauit ad Dei cultum operibus suis, cum mortuos resuscitaret, sanaret infirmos, timorem Dei humanis infundens affectibus. Ipse est qui sacrificauit Domino sacrificium salutare pro nobis, & dignas conuersionis nostræ hostias Deo obtulit. Ipse est qui dormiuit, & cuius uigilauit. Cauendum est ergo, ne obdormiat peccatoribus. Obdormire enim videtur iis quibus non resurrexit, & quos in finem repellit. Quis autem est qui repellitur, nisi qui peregrinatur à Domino, quia non peregrinatur à corpore? Quomodo enim possunt Deo placere qui in carne sunt? Et ideo non in carne sumus, sed spiritu adhareamus Domino Iesu, qui se in octogesimo & octauo Psalmo repulsus dicit pro nobis: Tu verò repulisti pro nihilo, distulisti Christum tuum, euertisti testamentum serui tui. Itaque repulsus pro nobis factus est in opprobriū vicinis suis. Ille enim suscepit opprobrium crucis, vt nos gloriam suæ resurrectionis indueret. Repulsus videtur quasi mortuus, & perfusus cōfusione quasi crucifixus: sed benedictus est in æternū, qui maledictionem sustulit, & benedictionis gratiam comparauit. Sequitur:

Quare faciem tuam auertis?

Auertere à nobis Deum faciem suam putamus, quando sumus in aliquibus afflictionibus cōstituti, vt tenebræ nostro offundantur aspectui, quibus impediti fulgorem veritatis oculis nostris haurire nequeamus. Etenim si in nostrum Deus intendat ingenium, & nostram mentem visitare dignetur, certi sumus quod nulla res nobis caliginem possit obducere. Nam si vultus hominis cæteris membrorum partibus plus refulget: & quemcūque intuemur, vel incognitum agnoscimus, vel cognitum recognoscimus, quem aspectus noster latere non patitur: quanto magis Dei vultus quem spectat illuminat? De quo vt cætera eius sunt, ita & hoc præclarum sancti apostoli, qui verè interpret est Christi, vt apertiore eum sensu & sermone nostris infunderet mentibus, ait: Quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationē sciētiarum claritatis dei in facie Christi Iesu. Vbi igitur in nobis reluceat Christus, audiuius. Est enim fulgor æternus animorum: quem ideo pater misit in terras, vt eius illuminati vultu, æterna & cælestia spectare possimus, qui antè terrena caligine tenebamur inclusi. Quid de Christo loquar? cum etiã Petrus Apostolus dixerit ad illum claudum ex vtero matris suæ: Respice in nos, qui respexit in Petrum, & fidei illuminatus est gratia.

Neque enim accepisset remedium sanitatis, nisi fideliter credidisset. Vnde cum tanta gloria esset in Apostolis, audiēs trāsire Dominū Iesum Zacchæus, ascendit in arborem, quia exiguus & pusillus præ turba cum videre non poterat. Vidit Christum, & lumen inuenit. Vidit eum: & qui antè aliena rapiebat, sua cōtulit. Meritò ergo dicunt isti: Quare faciem tuam auertis? Aut fortasse propterea dicitur, quia desiderantibus Christi moram faciebat aduentus. Ipse enim est vultus patris, qui est imago & gloria Dei. Certè si non ad incarnationis eius hoc accipimus sacramentum, rectè etiam illud usurpant sancti, dicentes: Quare faciem tuam auertis? hoc est: Et si auertis faciem tuam à nobis, tamen signatum est in nobis lumē vultus tui Domine. Tenemus illum in cordibus nostris, & in intimo splendet affectu. Neque enim quisquā potest subsistere, si tu auertas faciem tuam. Omnia enim à te expectant, vt tu des illis cibum in tempore. Dante te his, colligent: aperiente te manum tuam, vniuersa implebuntur bonitate: auertente autem te faciem, turbabuntur. Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Emittes spiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ. Agnoscis quæ sit esca quam Deus hominibus subministrat? Ipse est cibum quem secundum voluntatem patris vnigenitus filius eius Dominus noster epulatur, sicut ipse ait: Meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei qui in cælis est. Hic cibus nobis est salutaris, & omnia Dei sunt salutaria. Audis quædam Dei membra: cognosce virtutes. Manus quippe eius, plenitudo bonitatis est: facies eius, illuminatio mentis est. Et ideo semper ab eo omnia bona speremus, in ipsum vota nostra & omnia studia dirigamus: nec desperemus, etsi corporaliter eum videre non possumus. Neque enim desperauit Moyfes, cui dictum est: Non poteris videre faciem meam, non enim videbit faciem meam homo, & viuet. Et addidit Dominus: Ecce locus apud me. stabis in petra: & cum trāsierit gloria mea, ponam te in cauernam petræ, & operiam te manu mea donec transeam: & tollā manum meam, & videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris. Non ergo videtur ab homine facies Dei. Est tamē locus in quo fide se monstret homini Deus. Est hic locus apud Deū: & ideo si steterimus in petra, id est, in carnis istius cōscientia, & fidei firmitate, etsi plenitudinem eius videre non possumus, tamen quantum possumus quasi reliquias eius luminis haurimus. Neq; enim Moyfes totam diuinitatis eius plenitudinem vidit, quæ habitat in Christo corporaliter, sed vidit posteriora Christi: vidit splendorem eius vt homo, vidit eius gloriam passionis, per quam regnum nobis cælestes referauit. Aquila autem: Quare faciem tuam abscondis? posuit, quod videtur conuenire cum Moyfi dictis, qui ait: Demonstra te mihi, quasi diceret: Noli vultum tuum mihi abscondere, sed magis demonstra videre cupienti. Et addidit:

Obliuisceris inopiam nostram & tribulationem nostram.

Quoniam humiliata est in puluere anima nostra: adhæsit in terra venter noster.

Exurge Domine, adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum.

Oblivisceris inopiam nostram. De qua inopia dicit sanctus Propheta quod in oblivionem venerit Dei? Aut quæ est ista inopia, quam excidisse Domino conqueritur? Non otiosa ista est inopia, nisi forte ea quæ protectorem Deum & remuneratorem habere consuerit. Si enim est inopia, cui patet regnum cælorum, rectè isti inopiam suam diuinis excidisse sensibus arbitrantur, qui animam suam humiliatam in pulvere deplorabant, & ventrem suum in terra herere dicebant. Qui autem in terra herent, videntur diuina protectione priuari. Quæ sit ergo ista inopia, audi: Beati pauperes spiritu: ipsorum enim est regnum cælorum. Si ergo beata paupertas est, cui patet cælum, terrenas istas diuitias negligamus, corporalem redundantiam declinemus. Sequamur vestigia Apostolorum, ante quorum pedes vnusquisque quod habebat pecuniæ ex suorum agrorū pretio conferebat, vt pauperibus dispenfaretur. Istam igitur inopiam euangelicam hi sancti viri multo antè exercere cœperunt, & ideo dicebant: Oblivisceris inopiam nostram. Tale est hoc, quale illud apostolicum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Bona ergo paupertas, quæ à pietate procedit, & virtutum exercitatione suscipitur. Nec solum inopiam, sed etiam tribulationem suam in oblivionem Deo venisse deplorant. Bonæ sunt & tribulationes quæ sunt propriæ iustorum: qui non pro meritis suis, sed pro pietate eas sustinent: in quibus iustus non atteritur, sed dilatur: sicut sanctus Propheta declarat, dicens: In tribulatione dilatasti mihi. Et ipse Dominus Iesus ait: In tribulatione inuocauit

Dominum, & exaudiuit me in latitudine. Dilatavit sancto Apostolo Paulo, quando ei oculorum lumen eripuit. Ita enim confessus est Christum, quæ negabat antea. Ideo vas electionis esse promeruit. Denique vt scias quia dilatavit Paulo Dominus Iesus, audi ipsum Apostolum dicentem: Os nostrum patet ad vos ô Corinthij: cor nostrum dilatatum est. Aperi ergo os, confitere Christum, quia plenitudo est, vbi plenitudo, ibi etiam latitudo. Et quasi bonus magister, qui discipulos habere optaret æquales, nos quoque hortatus est vt dilataremur, dicens: Dilatamini & vos. Cum autem Deus alicui in tribulatione dilatatur, tunc fiet latitudo cordis sicut arena maris innumerabilis. Quæ sit ista latitudo, audi dicentem sanctum Salomonem: Optavi, & datus est mihi sensus: & inuocavi, & venit in me spiritus sapientiæ. Vt enim acciperet sapientiam à Deo, non diuitias, non nobilitatem, non potestatem, sed sapientiam postulauit: & in illa, omnia quæ etiam nõ postulauit, inuenit. Vnde scriptura dicit, quia talis erat latitudo cordis eius sicut arena maris innumerabilis. Vnde hanc percipias latitudinem, ait de se ipse cognoscens: In latitudine cordis tui describe eam. Et ideo qui habet sapientiam, non in occulto teneat eam, non ad momentum, sed canat eam in exitu: vbique quod sentit, cū auctoritate prædicet. Symmachus autem pro tribulatione afflictationem posuit. Siue tamen afflictatio sit, siue tribulatio, opus est vt nos maneamus in Domino, nec ab eodem recedamus: quoniam præfule Domino & assistente nobis omne certamen fortiter possumus sustinere. Si autem Dominum negligamus, & longè nos faciamus à Domino, facimus nobis aduersarium fortorem.

S. AMBROSII IN PSALMVM XLIII. ENARRATIONIS FINIS.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, IN PSALMVM DAVID XLV. ENARRATIO.

Titulus Psalmi XLV.

In finem, filiis Core pro occultis, Psalmus Dauid.

ITVLVS Psalmi huius ita inscribitur: In finem, filiis Core pro occultis, Psalmus Dauid. Quid est, pro occultis? Occultorum habuisse se cognitionem per reuelationem Domini Iesu, in quinquagesimo quoque Psalmo sanctus Propheta commemorat, dicens: Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Quæ autem illa sint occulta, in Euangelio sancto docemur, dicente Dei filio, quod mysteria

Ergo in occultis cordis nostri occulta sapientiæ recondamus, non temerè aliquibus diuulgemus, nisi sacramentorum confortibus, quos Dominus vocauit ad gratiam suam, qui se in abscondito vult rogari, quoniam solus est qui abscondita & occulta cognoscit. Denique ipse Dominus ad percipiendā legem solum Moysen, non absque Iesu tamen, in montem voluit ascendere. In Euangelio quoq; Petro, Ioanni, & Iacobo solis ex omni numero discipulorum

Math. 5. Psal. 61. Act. 4. Math. 19. Psal. 4. Psal. 117.

Psal. 50. Math. 11.

1bid. Mat. 3. Math. 17. Exod. 14. 3. Reg. 17. Malach. 4. Math. 17. Psal. 18. Prou. 5. Prou. 3. Psal. 80. Num. 10. Math. 17. Psal. 18. Prou. 5. Prou. 3. Num. 10. Psal. 80. 2. Cor. 7. Num. 10. Psal. 80.

sacramentorum fluctuanti ingenio haurire nõ potest. Denique ipse Petrus nesciebat quid diceret, qui tria tabernacula Domino & seruulis crederet esse facienda. Deinde fulgorem gloriæ Domini transfigurantis se sustinere non potuit: sed in terram cecidit, ceciderunt & filij tonitruui Iacobus & Ioannes, & nubes operuit eos: nec potuerunt surgere, nisi postquam Iesus venit, & tetigit eos, & iussit vt surgerent, & formidinẽ sequestrarent. Introierunt ergo in nubem, vt abdita & occulta cognoscerent: atque ibi audierunt vocem Dei dicentis: Hic est filius meus dilectus, in quo complacui: ipsum audite. Quid est, Hic est filius meus dilectus? Hoc est, noli errare Simon, vt seruulis filium Dei cõferendum putes. Hic est filius meus. Non Moyses filius, non Elias filius: quamuis alter aperuerit mare, alter clausit cælum. In verbo enim Domini vterq; naturã vicit elementis: sed illi ministerium præbuerunt, hic est qui solidauit aquas, cælum siccitate clausit, & quando voluit, in imbres resoluit. Vbi testimonium resurrectionis adsciscitur, adstipulantur ministeria seruulorum. Vbi gloria Domini regētis ostēditur, seruulis splendor absconditur. Namque ipsos stellarum globos sol exortus obducit, & omnia earum lumina mundano sub sole vanescunt. Quomodo ergo sub æterno sole iustitiæ, atque illo fulgore diuino videri poterant stellæ carnales? Vbi ergo sunt illa lumina quæ nostris antè oculis quodam miraculo refulgebant? Tenebræ sunt vniuersa, comparatione lucis æternæ. Alij ministeriis suis Deo placere festinant: hic solus est verum lumen & æternum, in quo pater complacet, vel in quo beneplacitum est mihi, vt meum sit quidquid hic fecit: & quidquid ego feci, filij opus esse iure credatur. Ipsum audite dicentem: Ego & pater vnus sumus. Non dixit, Ego & Moyses vnus sumus. Non dixit sibi & Eliæ vllum diuinæ gloriæ esse consortium. Quid tria tabernacula præparatis? Non in terris habet iste tabernaculum, sed in cælo. Audierunt Apostoli, & ceciderunt pauore turbati. Venit Dominus, & leuauit eos, & iussit ne cui dicerent quod vidissent. Huic ergo tuæ occulta seruato, cui dauid sua occulta mādabat, dicens: Ab occultis meis mūda me Domine. Munda enim debent esse receptacula, in quibus sunt pietatis occulta mysteria. Et ideo tibi dicitur: Bibe aquam de vasis tuis, & de puteorum tuorum fontibus: & in plateis superfluant aquæ tuæ, vt irriguo fonte munderis. Ideo tibi dicitur: Vino torcularia tua redundant. Ideo dicitur: In tribulatione inuocasti me, & liberaui te, & exaudiui te in abscondito tempestatis: probaui te in aqua contradictionis. Est enim quædam in tribulationibus interna peccatorum sæua tempestas, quando sunt foris pugne, intus timores. Est aqua contradictionis, quando velut quodam maritimi salis æstu fluctuant nostræ cogitationes, nec vlla in profundo mētium definitionis stabilitate placidantur. Tunc tempestas in abscondito, tunc aqua contradictionis, quæ solo potest Christi sermone sedari, quæ peccata nobis nostradi

A nostræ colluuiõis ablutio est, verbum tuū fons est. Tu loqueris, & culpa lauatur. Et quia de abscondito tempestatis & de aqua contradictionis ductus est sermo, omnia nobis factum est Dei verbum. Caro factum est, vt carnem seruaret. Aqua factum est, vt aquam contradictionis sua gratia temperaret, & amaritudinem impietatis auferret. Ideoq; scriptum est: Aqua alta verbum in corde viri. Alibi verbum, alibi iterum consilium. Ibi enim bonum consilium, vbi bonum est Dei verbum. Et ideo tibi lex dicit: Attende tibi ne fiat tibi verbū malum in corde tuo, & dicat Iesus: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Misit enim Deus verbū suum vt sanaret hominem, non vt perderet. Hoc verbū medicina est, non pœna. Hoc verbū in corde tuo & in ore sit tuo. Hoc verbum sit in occultis, vbi diabolus insidiatur: intret verbum, exeat diabolus. Nam si irrepserit diabolus, Christus recedit: quomodo recessit à Iuda postquam se diabolus in cor eius immerfit. Et tu ergo dic: Ab occultis meis munda me Domine: ne diabolus insidiatur in occultis, sicut leo in cubili suo. Quod si Christi occulta piè fidelitèrque seruaueris, insidiã diabolo locus esse nõ poterit. Ideoq; in Psalmo nono Dauid de occultis scribens Domini sacramētis, quod est conuersio peccatorum, vocatio gentium, Dei regnum, præparatio cordis, iudicium pauperum, resectio inopum, antè de occultis pectoris tui atq; secretis exterminandum aduersariū dicit: ne sedeatin occultis interficere cupiens innocentē. Ideoq; tibi dicitur: Intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito. Illo tua descendat oratio, vbi eam audiat qui scrutatur abscondita: ibi tuam patientiã deprehendat, vel tegendæ iniuriæ, vel iactantiæ declinandæ. Occultat enim sapiens iniuriam suam. Ibi est latibulum sapientiæ. Posuit enim tenebras latibulū suum. Quærent me mali, & non inueniēt. Ideo Abraham puteum fodit, vt aquã qui quæreret, inueniret. Ideo puteum fodit Isaac. Ideo Dominus Iesus sedebat ad puteum, erat autem ibi fons Iacob. Sedebat ad puteum, vt quæreret. Fons ibi est, vbi Christus est. Fons est, vt aquæ superfluant requirentibus: quò & vniuersa carnis vel flagitia diluantur, vel restringantur incendia. Hæc ergo est altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, vt mali eam non inueniant, boni quærant, atque in eius adquirendæ studio & meditatione versentur. Vis scire quàm verum sit? Audi sapientiæ ipsius verba: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Pulsate ergo ianuam, quia Christus est ianua, Pulsate ostium verbi, vt aperiatur tibi ad eloquendum mysterium Christi, & absconditos in Christo sapientiæ possis inuenire thesauros. In ipso nostra sapientiã, in ipso vita nostra abscondita est: sicut Paulus asseruit, qui vsque ad tertium raptus est cælū, vt audiret ea quæ homini non licet loqui. Quanta occultorum est disciplina? Licet scire homini, & nõ licet loqui. Scire vita est, loqui mors est. Cognoscentes ergo quia finis occultorum quæ Grace dicitur hic est ar-

Psal. 80. Ioan. 1. Ioan. 4. Prouer. 18. Prouer. 20. Dent. 15. Math. 9. Psal. 106. Dent. 30. Rom. 10. Ioan. 13. Psal. 18. Psal. 9. Sapien. 6. Prouer. 12. Psal. 17. Prou. 1. Genes. 21. Genes. 26. Ioan. 4. Ioan. 7. Rom. 11. Luc. 11. Ioan. 10. Coloss. 4. Coloss. 2. 1. Cor. 1. Coloss. 3. 2. Cor. 12.

bus & quotidianis exercitationibus defudant, ut intentionis suae fructum mereatur adipisci: nonum Psalmum & quadragessimū quintū diligentius legamus, ut absconditā in mysterio sapientiā fideli possimus mente cōprehendere. Soli enim isti de occultis titulum praeulerunt. Sed iam Psalmum adoriamur.

*Psalmus quadragessimus quintus.*

**D**eus noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus quae inuenerunt nos nimis.

Quid est, *Deus noster*? Hoc est, eorum qui in te credimus. Sic & alibi: Domine refugium factus es nobis. Nobis, inquit, credentibus, non incredulis: nobis quaerentibus, non refugientibus veritatem. Ille enim hoc potest dicere qui in solius Dei praesidio suae constituit spem salutis. Nobis ergo refugium factus es; & nostrum refugium & virtus, qui sumus ex populis nationum. Iudaei te negauerunt, Iudaei non te receperunt: & ideo es conuersus ad gentes, vocasti nos, & refugium factus es nostrum, & virtus es nobis. Vis scire quia de nobis qui sumus ex gentibus, dictum sit? Crux Domini Iudaeis offendiculum, Graecis stultitia: nobis autem virtus Dei atque sapientia est. Et infra: Ex ipso autē vos estis in Christo Iesu, qui factus est sapientia nobis à Deo. Vtique Paulus non de Iudaeis, nec de gentibus dixit, sed de iis qui conuersi ad Dominum Iesum, praedicarent suae salutis auctorem. Cōfugisti ergo ad Christum? Non deseras fundamentum, confirmatorem tuum non derelinquas: ut te qui suscepit, ipse tueatur, & mercedem suam pius animarum nostrarum negotiator agnoscat. *Adiutor in tribulationibus quae inuenerunt nos nimis.* Bene nimis ad utrumque respondit, & ut in tribulationibus quae nos nimis inuenerunt, & adiutor nimis possit intelligi. Quanto enim maiores tribulationes fuerint, tanto maiora nobis & vehementiora adiumenta sunt necessaria. Et ideo plerumque fit ut in grauioribus & asperioribus certaminibus coronemur, qui lacrymis & gemitibus & orationibus frequentioribus aeternae opem nobis diuinitatis adsciscimus.

Propterea non timebimus dum turbatur terra, & transferuntur montes in cor maris: sonuerunt & turbatae sunt aquae eius, conturbati sunt montes in fortitudine eius.

Quo fit ut non timeamus cum terra nostra turbatur, & transferuntur montes: quia si tu pro nobis, quis contra nos? Timere non possumus fragilitates istius carnis, quae timore ac metu frangitur, flammatur cupiditatibus, luxuria mollitur, deliciis enervatur, vaporatur febribus, dolore vexatur, exanimatur angustiis. Vel cum transferuntur illi montes in cor maris, de quibus dixit Saluator: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, non solum de ficulnea facietis, sed etiam si monti huic dixeritis, Tollere, & iactare in mare: nihil impossibile erit vobis. Misit se hic mons in cor Iudae, & mentem eius graui tempestate turbauit, diuersarū exagitans fluctibus passionum. Sicut enim terrarum fertilitati foecunda

bonis operibus & deuotionis ac fidei fructibus anima comparatur; ut odor Iacob, sicut odor agri pleni: ita etiam procellosi maris inquietudini figuratur animus eius qui quietus esse non nouit, & amarum cogitationibus excitat graues fluctus. Denique nec osculo suo Dominus Iesus Iudae proditoris amaritudinem temperauit. Suscepit osculum proditor, infudit venenum, mortem irrogauit: cuius aculeum quidem Christus obtudit, sed solus proditor non euasit. Et ut euidenter motem huiusmodi nobis manifestaret, alibi quoque cum daemone ab homine iussisset exire, Apostolis interrogatibus qua causa illud ipsi eiicere nequiuissent, ait: Nō eiicitur hoc genus nisi in oratione & ieiunio. Et addidit: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic moti, Transi hinc illud, manu significans quis ille mons esset quem posset perfecta transferre fides. Perfecta enim fides grano sinapis comparata est, dicente Apostolo: Et si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem non habeam, nihil mihi prodest. Sunt etiam qui ita distinguunt: *Et transferuntur montes: ut sequatur: In cor maris sonuerunt & turbatae sunt aquae eius: conturbati sunt montes in fortitudine eius.* Non bonae aquae quae sonant, atque turbantur, & potum praebere non possunt. Meliores sunt quae pertranscunt, sicut scriptum est: inter medios montes pertransibunt aquae, & potabunt omnes bestiae agri: fuscipient onagri in sitim suam. Denique ubi legio daemone porcum petiit & accepit potestatem ut introiret in porcos, magno impetu se precipitauit in mare, & aquae illae gregis sui precipitatione turbatae sunt. Alibi quoque idem Dauid propheta sic posuit: Viderunt te aquae Deus, viderunt te aquae, & timuerunt. hoc est, bonae virtutes, quae verbi caelestis cognitione sunt placidae, non sonitu & fragore terribiles. De malis autē virtutibus quid dicit? Et conturbatae sunt abyssi, multitudo sonitus aquarum. Abyssi Deum non vident, & ideo turbationibus semper obnoxiae sunt. Et exposuit quid essent abyssi: Multitudo, inquit, sonitus aquarū. Nam & bestia illa antichristus ex abyso ascendit, ut aduersus Eliam atque Enoch, qui propter testimonium Domini Iesu terris redditi, praeraretur, ut legimus in Ioannis Apocalypsi: cui datum est os loquendi magna, ut aduersus Deum plena furoris conuicia & sacrilegij personaret. Sonuerunt ergo aquae, id est, immundi spiritus, cum turbarentur videntes opera Dei, in Domini salutaris aduentu appropinquare sibi iudicium pertimescentes. Sonuerunt & turbatae sunt aquae in Domini passione. Vnde & dictum est: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Et alibi scriptura dicit: Perit memoria eorum cum strepitu. Diabolus sonum quaerit, Christus silentium. Denique sicut agnus coram tōdente, sic non aperuit os suum. Et alibi, Non clamabit, neque contendet, nec quisquam audiet in platea vocem eius, donec eiiciat in victoria iudiciū. Quae est ista nisi de serpente victoria? In hac fortitudine filij Dei conturbati sunt montes, cum diabolus & ministri eius viderent mortuos resurgentes. Isti sunt montes qui turbantur. Illi montes qui transferuntur in paradysum, quibus dicitur: Hodie mecum eris in paradiso. Et alius cui dicitur: Si cum volo manere

manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. A Et Enoch qui raptus est ne malitia saeculi mutaretur.

Fluminis impetus laetificat ciuitatem Dei: sanctificauit tabernaculum suum altissimus: Deus in medio eius, & nō commouebitur.

Post Domini passionem quid aliud sequi debuit, nisi quia de corpore Domini flumen exiuit, quando de latere eius aqua fluxit & sanguis, quo laetificauit animas vniuersorum, quia illo flumine lauit peccatum totius mundi? Est & fluuius qui de Ede exit, & circuit vniuersam terram, verbum Dei, quo paradysus intelligibilis irrigatur, & omnis anima vocatur ad gratiam Christi, dicente ipso Dei verbo: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Cui ego dederō aquam, flumina de ventre eius fluent aquae viuae. Ex illo enim vnico Dei verbo quattuor fluuiorum prudentiae & fortitudinis, temperantiae quoque & iustitiae fluent manarunt. Alij enim per spiritum datur sermo sapientiae, alij fides in eodem spiritu, alij gratia curationum in vno spiritu, alij operatio virtutum. Haec enim operatur omnia vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Hi sunt impetus fluminis, cum se in gratiam ministeriorū operationis atque virtutis spontanea diuisione transfundit. His igitur fluminis superni meatibus ciuitas illa in qua Deus inhabitat, irrigatur, & sanctificatur altissimi tabernaculum, omnis anima quae inhabitatur à Christo, vel corpus illud quod Virgo generauit, de quo Gabriel angelus dixit: Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Bonum tabernaculum, quod nulla potuerunt obumbrare peccata. Admirabile templum Dei, & aula caelestis, quod solutum corrumpi non potuit, sed intra triduum resurrexit, resuscitatum ab ipso qui mortuus videbatur. Nec mirum, quando Deus in medio ciuitatis eius erat, nec commotus est: siue quia nullius peccati prolapsione commotus est Dei filius, nec alicuius erroris offensione titubauit, aut corporalis illecebra nutauit impulsu: siue quia non reliquit animam eius Dei gratia, sed inseparabilis in ea mansit, quod ab omni colluuiatione delicti immaculata durauerit. Vnde & ad patrem Dei filius dixit: Nec derelinques animam meam in inferno. Ergo quia suberat ei nec in carne peccare, diuine ait: Ego in patre, & pater in me. Et alibi: Traditus sum, & nō egrediebar. Ab eo vtique non egrediebar, cui dixit postea: Exsurrexi, & adhuc tecum sum. Vbi autē aliquis grauius peccat, commouetur in eo Deus, ut ab eo transeat. Vnde & Adae peccanti deambulare visus est, & Stephano stare: quia ille in praeruaricatione lapsus est, hic in martyrio coronatus. Et in Zacharie libro ita scriptum est: Ambulabit in commotione indignationis irae suae Dominus. Simile & in Euangelio dictum est Iudaeis: Ecce derelinquitur vobis domus vestra deserta. Derelinquit enim Dominus Iudaeos, & statim secuta est ruina synagogam. Quod si eam Christus non deseruisset, numquam eam supremum sequutum esset excidium. Aperuimus ergo quod dictum est: *Deus in medio eius non commouebitur.* Sequitur:

Adiuuabit eam Deus manē diluculo.

*Manē diluculo.* Quo significatur quia resurrectio matutina adiumentorum nobis caelestium subsidia confert, quae noctem repulit, diem refudit, dicente scriptura: Surge qui dormis, & exurge à mortuis: & illucescet tibi Christus. Vide autem mysterium. Vespere passus est Christus: ideo & secundū legem ad vesperam agnus occiditur. Manē surrexit. Sic enim scriptum est: Vna autem sabbatorum venit Maria Magdalene ad monumētum manē, cum adhuc esset obscurum, & vidit lapidem amotum ab ostio. Ad vesperam mundi occidit, deficiente iam luce: quia in tenebris erat hic totus mundus, & maioribus fuisset tenebrarum squaloribus inuolutus, nisi Christus nobis de caelo lux aeterna venisset, innocentiae tempora generi resurus humano. Passus est ergo Dominus Iesus, & sanguine suo nostra peccata deleuit, lux resulsit conscientiae purioris, & dies respicendū gratiae spiritalis. Vnde & Apostolus ait: Nox praecessit, dies appropinquauit. Euigilaumus igitur, iam non dormiamus. Vestem lucis induimus, non in amictum tenebrae conuersationis atque exuuias reuertamur. Comestationibus atque deliciis, quae nocturni sunt temporis, valediximus: sobrietatem elegimus, cuius gratia Iacob primatus quos non habebat inuenit. In aliis quoque codicibus inuenitur: *Adiuuabit eam Deus vultu suo.* Quid hoc quoque significet, ipse Propheta nos docet. Nam que ipse in posterioribus dixit: Ostende faciem tuam, & salui erimus. Aspectus ergo Dei, salus nostra est: atque in eius vultu nostrum est adiumentum. In quo quanta vis sit, diuina scriptura declarat, quae non otiose attexuit quod respexit Deus super munera Abel, super Cain autem non respexit: & ideo contristatus est Cain, quod sacrificiū suum Deo displicuisse cognouit, placuisse germani. Vnde & illud quod hodie in Psalmi responsorio decantatum est, plurimum nostrae conducit assertioni: Expectans expectaui Dominum, & respexit me. Quem Dominus respicit, saluat. Denique in Domini passione cum titubaret Petrus sermone, non mente (licet ipse Petri sermo titubantis fidelior sit, quam doctrina multorum) respexit eum Christus, & Petrus fleuit: quo proprium lauit errorem. Ita quem visus est voce denegare, lacrymis fatebatur.

Conturbatae sunt gentes, inclinata sunt regna: dedit vocem suam altissimus, & mota est terra.

Aduerū Domini saluatoris aduersariae potestates cum sua legione turbatae sunt iussa ab humanis exire corporibus, & peccata ut mitterentur in porcos. Turbatae nequissimis potestatibus, necesse fuit turbati cultores simulacrorum, inclinari quoque regna peccati. Erat enim graue regnum, quod sibi in graue seruitium subiugauerat omnium animos peccatorum. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati. Regnū autē peccati mortis est regnū: quod diu toto orbe praualuit. Vnde & Apostolus ait: Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem praeruaricationis Adae, qui est forma futuri. Venit veritas, figura cessauit. Venit vita, regnum mortis euasit. Venit remissio peccatorum, & peccati vincula re-

Psalm. 89. Ioh. 1. Act. 13. 1. cor. 7. Ibid. Tim. 2. Rom. 8. Luc. 17. Ioh. 13. Luc. 8.

Gen. 5. Sapient. 4. Gen. 27. Iacob. 2. Luc. 22. Mat. 27. Ibid. 1. cor. 13. Luc. 3. Psal. 76. Ibid. Gen. 1. Psal. 76. 1. Pet. 2. Psal. 13. Ioh. 14. Psal. 87. Psal. 138. Gen. 3. Act. 7. Zach. 9. Mat. 23.

Ephes. 5. Mat. 27. Exod. 12. Ioh. 20. Esai. 9. Apoc. 1. 2. Pet. 1. Rom. 13. Cant. 5. Gen. 25. Psal. 79. Gen. 4. Psal. 39. Luc. 22. Luc. 8. Ioh. 8. Rom. 5.

Luc. 23. Ioh. 21. manere



soluta sunt. Antè etiam leuiora delicta mortis nexibus stringebantur, post aduentum autem Domini salutaris etiam grauiora flagitia sunt remissa. Inclinata sunt ergo regna spiritalium nequitiarum quæ sunt in cælestibus, quia cultus simulacrorum & illecebra peccati cœpit imminui euangelicæ prædicatione doctrinæ. Inclinata est perfidia posteaquam cœpit fides in nationum regnare peccatoribus. Inclinantur regna peccati, cum legitur: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Inclinauit omnia regna perfidiæ voce sua Dominus, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos. Hanc vocem dedit altissimus, & omnes cum secuti sunt populi nationum, dura peccati regna fugientes, & perpetuæ mortis atrocitatem, atque intolerabilem flagitiorum omnium fertilitatem, cum polliceretur fessis requiem, captiuis remissionem, seruientibus libertatem, & excusso iugo ferreo Babylonij regis, iugum suum suauiter ceruicibus fidelium subrogaret, ne vacua colla gentiliū rursus inimicus carenis suæ iniquitatis adstringeret. Christus enim quos alligat, liberat: & quos adstringit, absoluit. Denique, qui seruus vocatus à Domino est, liberus est Domini: & qui liber vocatus, seruus Christi est. Ideoque in suis vinculis Paulus gloriatur, dicens: Paulus vincetus Iesu. Quod sub aliis contumelia est, sub Christo gloria est. Dedit vocem suam in passione Dominus, & vniuersa elementa tremuerunt, omnis terra commota est, ut ritus ille gentium solueretur, fieretque terra Domini, & plenitudo eius, ut scriptum est, cessarent auguria perfidorum, & sacrificium impietatis cognitio fidei & studium deuotionis abolerent. Dat vocem suam Dominus quondam, & resultat in cordibus singulorum, ut terrenum omne decidat eius qui bene credit affectu, atque omnes interiorum sensus animorum ab errore, à corruptione luxuriæ & dissolutione ad cognitionem cælestium sacramentorum, & studium castitatis, à nequitia ad virtutem pia confessione moueantur. Motos ergo eos dicit qui in terra sunt; vel quia terra erant omnes homines, in quibus erat terrena corruptio, quia oculos mentium ad sublimem gratiæ cælestis eleuare atque attollere nesciebant, nec poterant dicere:

**Deus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.**

*Deus virtutum nobiscum*: cum quibus non erat nisi prolapsionis incentor, & auctor erroris. Sed posteaquam vox Domini in Euangelio resultauit, audet Propheta dicere: *Deus virtutum nobiscum*. Bene dicit: *Deus virtutum nobiscum*, qui credidit quod Virgo in utero concepit, & peperit. Audemus & nos dicere: *Deus virtutum nobiscum*, posteaquam Emmanuel, hoc est, Deus cœpit esse nobiscum. Vbi ergo Emmanuel, ibi Deus virtutum nobiscum. *Susceptor noster Deus Iacob*. Inimitemur ergo patriarcham Iacob, odorè eius; virtutem eius, laborem eius. Sicut enim Abraham opera facere debemus, ut filij eius appellari iure mereamur: ita etiam exercitia atque certamina sancti Iacob subire debemus, ut Deus Iacob Deus noster esse credatur. Nam si opera Iacob, vel (quia illum aquare non possumus) studia operis eius ac fidei non

agnoscat in nobis: quomodo quasi Deus Iacob nos iuuare dignabitur? Cum hæc diceret, ecce per Spiritum sanctum præfens imago ei infusa est futurorum: & videns ex graui perturbatione bellorum pacem toto orbe diffusam in aduentu Domini salutaris, clamat ad vniuersos, dicens:

**Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.**

Auferens bella usque ad fines terræ, arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.

*Venite, & videte. Venite*, ad congregationem spectat: *videte*, ad intentionem, & cognoscendam studium veritatis. Videte, inquit, opera Domini plena miraculis, in quibus magnarum sunt signa virtutum. Denique *trixta Græcè*, admiranda dicuntur Latine. Non ergo quasi prodigialis horroris accipias opera Domini, sed quasi plena admirationis. Præclare posuit *super terram*, id est in terram. *Auferens bella usque ad fines terræ, arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni*. Et verè antequam Romanum diffunderetur imperium, non solum singularum urbium reges aduersum se præliabantur, sed etiam ipsi Romani bellis frequenter ciuilibus atterebantur. Pugnauit Marius aduersus Cinnam. In vtraque parte Romanus fusus est sanguis. Sylla surrexit, & Mario victori rursus ciuilia bella commouit. Lepidus Sertoriusque rebelles se Romano imperio præbuerunt. Cæsar Pompeium esse persecutus, & Galliarum futorem excitauit aduersus arma Romana. Deuicto seniore Pompeio, iuniorum in Hispaniarum partibus debellauit. Quid Triumuiros loquar, ex hostibus amicos, ex amicis rursus in hostiles tumultus esse progressos? Inaria quoque Actiaco bello infecta sanguine Romanorum? Vnde factum est, ut tædio bellorum ciuiliū Iulio Augusto Romanum deferretur imperium: & ita prælia intestina sedata sunt. Hoc autem eo profecit, ut rectè per totum orbem Apostoli mitterentur, dicente Domino Iesu: Euntes, docete omnes gentes. Illis quidè etiam interclusa barbaricis montibus regna patuerunt, ut Thomæ India, Matthæo Persia. Sed tamen quod plura obirent spatia terrarum, in exortu Ecclesiæ potestatem Romani imperij toto orbe diffudit, & dissidentium mentes, terrarumque diuortia donata pace composuit. Didicerunt omnes homines sub vno terrarum imperio viuentes, vnius Dei omnipotentis imperium fidei eloquio confiteri. Abstulit ergo bella usque ad fines terræ; quod factum esse non dubium est. Sed videte bella infirmitatis abstulerit, quæ sunt in corde titubantium. Qui enim terrena transierit, iam non dicit, Foris pugna, intus timores: sed dicit, Nostra autem conuersatio in cælis est. Transi ergo mundum; ut incipias esse supra mundum. *trixta* enim transire est: vel, ut dicam expressius, transfretare. Abstulit ergo Dominus bella quæ mouebat nobis nequitia spiritalis: & deuicto diabolo pacem suam nobis reliquit. Arcum confringit, de quo ignita aduersarij iacula spargebantur: & scuta perfidiæ combussit igni, ut scutum fidei inuolabile permaneret.

Vacate,

**Vacate, & videte quia ego sum Dominus.**

Vox Domini post bella sedata. Vacate, ut nulla animarum sit occupatio, ne offusio secularium perturbationum, internæ oculum mentis obducatur. Vacate, inquit, ab erroribus, vacate à perturbationibus, vacate à peccatis: quia omnis qui peccat, non vidit Deum, nec cognouit eum: sicut in epistola sua dixit Ioannes Euangelista. Vacate ergo studio cognoscendæ diuinitatis: nolite terrenis operibus occupari. Ideo rex Ægyptiorum augeri iubebat numerum, & laterum, & cætera onera Iudæorum, ne cognoscerent Deum, & cultui sacro vacarēt, offensus Moyse & Aaron voce sanctorum, qui dicebant: Dimitte populum Dei, ut eamus & sacrificemus Domino Deo nostro.

**Exaltabor inter gētes, & exaltabor in terra.**

*Exaltabor inter gentes*. Erat sublimis Dominus in excelsis, id est, in angelis & archangelis, in patriarchis & prophetis, qui de illo sublimia sentiebāt, nec eum terrenis imaginibus & simulacris scrupulis cōferebant. Sed non erat sublimis in populis nationum, qui Deum suum in antris & spelæorum latibulis requirere videbantur. Denique reprehenditur Magdalena, quæ Christum quasi mortuum flebat, & quasi sepultum quærebat in tumulo. Vnde dicit ad eam Christus: Maria quid ploras? quem quærīs?

numquid eum qui posset auferri? Audiuit vocem, & recognouit eum, & volebat cōtingere, & ait Dominus: Noli me tangere, quem putas mortuum. Ad patrem vado. Miraris quod in tumulo non inuenisti, quem cælestia præstolantur? Aut fortè reprehenditur, quia Christum nisi fides perfecta non tangit: sicut hæmorrhœissa plena eum tetigit fide. Vnde ait Dominus: Tetigit me aliquis: sentio enim de me virtutem exisse. Quo dicto agnouit in se illa quod exeuente fuerat virtute curata: & statim confessã est sui conscia quod Dominum ipsa tetigisset. Vnde Dominus ait: Fides tua te saluã fecit, vade in pace. Exaltatus autem in terra Dominus est, secundum quod ipse ait: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Vel quod facta est potestas eius sicut in cælo & in terra. Et repetit, dicens:

**Deus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.**

*Deus virtutum nobiscum*. Repetit quod supra dixerat. Repetitio autem confirmatio est. Vel quia non solum quando natus ex Virgine est, factus est nobiscum Deus: sed etiam post resurrectionem ipse dixit: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem mundi. Cui est honor & gloria, perpetuitas à sæculis, & nunc, & semper, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

S. AMBROSII IN PSALMVM XLV. ENARRATIONIS FINIS.

**SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS, IN PSALMVM DAVID**

XLVII. ENARRATIO.

*Titulus Psalmi XLVII.*

Psalmus canticum filij Core, secunda sabbati.



**P**SALMI huius titulus hic est: *Psalmus canticum filij Core, secunda sabbati*. Boni filij Core, & psalmis iam superioribus approbati, eo quod congruis sensibus, & cogitationibus ad virtutum studia conuenientibus in semetipsis pangeret spiritale psalterium, & cognitioni diuinitatis peruigili specula mentis intenti, cælestium mysteriorum digni forent haurire secreta. Et ideo cum Psalmorum ante arcam Domini quotidie canendorum munus & officium recepissent, videntur electi ut Psalmum canticum in secunda sabbati specialiter reciperent concinendum. Etenim quibus rectè videbatur esse commissum ut ascensionem Domini ab inferis resurgunt voce sua psallerent, his vtique deferendum fuit ut ipsum resurrectionis diè munere suo ministerioque celebraret. Quid est enim secunda sabbati, nisi Dominica dies, quæ sabbatum sequebatur? Dies autem sabbati erat dierum ordine posterior, sanctificatione legis anterior. Sed vbi finis legis aduenit, qui est Christus Iesus ( finis

enim legis Christus, ad iustitiam omni credenti) & resurrectione sua octauam sanctificauit, cœpit eadem prima esse, quæ octaua est, & octaua quæ prima, habens ex numeri ordine prerogatiuam, & ex resurrectione Domini sanctitatē. Vnde & in Euangelio legimus *δευτερόπρωτον* sabbatum, quod Latine dicitur secundoprimum. Vbi enim Dominica dies cœpit præcellere qua Dominus resurrexit, sabbatum quod primum erat, secundum haberi cœpit à primo. Prima enim requies cessauit, secunda successit. Vnde & ad Hebræos scribens Apostolus ait: Post hac die, restat ergo requies populo Dei. Festinamus igitur intrare in illam requiem. Requies ergo vera iam non in operis cessatione, sed in resurrectionis est tempore. Ideoque qui sabbati secundum legem solemnitate custodiebat, vnam sabbati nuncupabant, quasi vnum esset sabbatum, & non aliud. Nos qui obseruantiam induimus spiritalē, & ad similitudinem & requiem Dei cupimus nostram formare militiam, atque in illa ciuitate cælesti nostrum

X

S. Ambr. tom. 2.

Ephes. 6.

Rom. 6.

Matth. 11.

Esai. 61.

Hier. 28.

30.

1. Cor. 7.

Philom.

Mat. 27.

Psal. 23.

Esai. 7.

Matth. 3.

Genes. 27.

Ioan. 8.

Luce. 2.

Ioan. 3. Exod. 5.

ibid.

Mat. 20.

Matth. 28.

2. Cor. 7. Philip. 3.

Ephes. 6.

ibid.

Matth. 9.

ibid.

Ioan. 12.

Matth. 28.

Matth. 1.

Matth. 28.

Rom. 10.

Luce. 6.

Hebr. 4.

Matth. 28.

Ioan. 20.

Matth. 27.

exhibere ministerium, ubi est non exemplar, non umbra, sed veritas: primam dicimus sabbati, sicut est scriptum: Vespere autem sabbati, quæ lucebat in primam sabbati. Nihil pulchrius, nihil expressius. Ante resurrectionem sabbatum dixit, post resurrectionem primam sabbati nuncupavit. Ioannes quoque Euangelista dicit: Prima sabbati venit mane Maria Magdalene cum adhuc tenebræ essent. Tenebræ pro tempore, mane pro gratia. Sed isti expressius secundum Evangelium, quasi reciso velamine: David autem sub lege positus & modulationem tenuit debita cantionis, & mysterium non repressit, ut secunda sabbati diem Dominicam declararet: quod iudæis ordinem numeri putaret esse servatum, & spirituale sacramentum agnosceret reuelatum. Audiamus igitur quid dicat qui in secunda sabbati Deo psallit:

*Psalmus quadragesimus septimus.*

**M**agnus Dominus & laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in loco sancto eius.

Nō ergo ubiq; Deus magnus & laudabilis est? Verum ille quidem ubique magnus & potens est, sed angusta mens non capit magnitudinem diuinæ eius potestatis & gratiæ. Quāto autem magis appropinquat Deo nostra cognitio, tanto præcellentior eius nobis videtur esse maiestas. Denique Thomas qui antè dicebat: Nisi videro in manibus eius fixuras clavorū, & mittā manum meā in latus eius, non credam: ubi misit digitum suum, & euidencia resurrectionis cognouit indicia, admirans intra se Dei gratiam: Dominus, inquit, meus, & Deus meus. Tunc ergo plenissimè diuinitatē eius dominationēque confessus est, ubi eum resurrexisse non dubitauit ab inferis. Denique in Sion hymnus Deum decet, & votum ei soluitur in Hierusalem. Quid igitur mirum si in civitate cælesti, & in illo superno & æthereo loco potentia eius vehementius prædicatur? Addidit:

Dilatans exultationē vniuersæ terræ: mons Sion latera Aquilonis, ciuitas regis magni. Deus in gradibus eius dignoscetur, cum suscipiet eam.

*Dilatans exultationem vniuersæ terræ.* Rectè supra dixit: Magnus Dominus. nam verè magnus dicitur, quia istius terræ in qua antè intolerabilem peccatorum germina pullulabant, ubi erat mæror, tristitia & gemitus, exultationem toto orbe diffudit. Itaque hominum conscientia quæ antè flagitiorum suorū gurgitibus demersa lugebat, nunc per indulgentiam Christi, & remissionem peccatorum, metu absoluta lætatur. Conuenit igitur & si ita intelligamus vt diximus: sed quia in vetustis exemplaribus aliquibus reperimus *ὡς ἡ ἀγαλλίασι πάσης τῆς γῆς*, id est, bonæ radicis exultatione vniuersæ terræ; sensum quidem eundem aduertimus: quia diuina in nobis Dei patris dona laudantur, qui dedit nobis exultationem bona radice fundatam, Deum videlicet Iesum, veram & fecundissimam vitam, de qua

Esai. 35.

Esai. 61.

Hiere. 2.

sacramenta fluxere cælestia: in quibus est perpetua & diuturna lætitia, quod his abluatur omne peccatum, & conscientia interna mundetur. Elocutionemque conuenire cognoscimus: quia bene radicata exultatione lætamur, qui exultamus in Christo. Seculi enim lætitia temporalis est, perpetua autē lætitia eius qui gaudet in Domino. *Mōs Sion latera Aquilonis, ciuitas regis magni.* Deus in gradibus eius dignoscetur, cum suscipiet eam. Quæ sit exultatio vniuersæ terræ, euidenter expressit, quoniam Dominus Iesus Ecclesiam sibi ex peccatoribus congregauit. Itaque qui erant antè latera Aquilonis, id est, socij & inherentes diabolo, cui dicitur: Exurge Aquilo, & veni Auster: facti sunt Christo fideles. Ipsi sunt enim de quibus dicitur: Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion. Facti sunt itaque mons Sion per gratiam Christi, & baptismatis sacramentum. Aquilonis intelligibilis grauis status, qui prius tempestates asperimas & procellas humanis mouebat affectibus, cœpit suos amittere, qui vexabat alienos. Gētem omnem euerterat Iudæorum, nationes omnes suo reuinctas tenebat imperio, ipsius erāt latera, hoc est, aspirabant cum eo. Sicut enim principis latera dicimus stipitatores eius & comites, & sicut mulier latus est viri, quod morigera ei societate iungatur: ita latera erāt diaboli qui faciebant ipsius voluntatem. Ij ergo nunc sunt mons Sion, qui Deum speculantur æternum, & ipsi noctibus & diebus intendūt. Vide Paulum cum persequeretur Ecclesiam Dei, Iatus Aquilonis fuisse: vide nunc cum legitur in Ecclesia, montem esse speculatorium, per quem Christi gloriam cognoscimus, & videmus. Et quia Græcus montes dixit, hoc est *ὄρη*, vide quomodo seruuli Christi montes sint. Montes in circuitu eius: in quibus est Ecclesia Domini, quæ est ciuitas regis magni. Simul quia Dominus secundum cæli tractum in Venerario passus est, qui erat locus in latere Aquilonis. Ibi autem & mons Sion, ibi Hierusalem quæ in terris. Vide ne id quoque videatur expressum, quia congregatio plebis Dei, quæ erat Aquiloni coniuncta per culpā, Ecclesia Christi est facta per gratiam, vt iam non synagoga, sed Christi Ecclesia nuncupetur. Et quia reliquæ Iudæorum per electionem gratiæ saluæ factæ sunt, in ipsis Deus cognoscitur, in Petro, Ioāne, Iacobo, qui graues & excelsi viri velut fundamenta & culmina sunt Ecclesiæ. Quasi fundamenta graues, quos nulla grauis Aquilonis flabra concusserint, sed immobile fidei seruauerint fundamentum, ne Ecclesia tota nutaret. Præcessi quasi culmina, qui verticem eius turribus suæ virtutis erexerint. Etenim sicut in operibus suis conditor, & in ædificationibus suis ædificator agnoscitur, vt etiam si nomen non audias, tamen ex operum qualitate artificem deprehendas: (& quid mirum de humanis, cum ipsius creatoris æterni, qui non videtur à nobis, inuisibilia tamē per ea quæ facta sunt, intelligamus?) ita in excelsis & magnis domibus (quæ domus nos sumus si libertatis & gloriæ fundamentū vsq; ad finem firmū tenuerimus) Deus habitator agnoscitur, vt Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Ipse enim verus Deus, qui tales viros præceptorū suorum institutione fundauit. Ergo sicut in illis se Deū demōstrauit æternū, ita, inquit, cum regis magni suscipiet ciuitatem,

Cant. 4.

Psal. 124.

Prouer. 27.

Genes. 2.

2. Tim. 2.

Psal. 1.

1. Cor. 15.

Psal. 124.

Rom. 11.

Galat. 2.

Prouer. 27.

Matth. 7.

Rom. 1.

Hebr. 3.

1. Reg. 6.

ciuitate, gradibus eius receptionem suæ cognitionis infundet, vt fiant docibiles Dei, qui mandatum eius & audierint, & putauerint exequendum: ne ab illius domus ædificatæ in petra firmitate degenerent.

Quoniam ecce reges terræ cōgregati sunt, transferunt in vnum.

Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, cōmoti sunt, tremor apprehēdit eos.

*Reges terræ congregati sunt.* Boni reges, qui sui corporis possunt se præbere rectores, ab ipsa patriarchæ Abraham origine & institutione manantes, qui docuit peccatum posse superari. Ideo verus rex, qui flagitiis esse nesciuit obnoxius, in quo culpæ & erroris illecebra regnare non potuit. Vnde & dictum est ad huiusmodi virum à filiis Chet: Rex à Deo tu es nobis. Tales ergo reges terræ, qui carni imperitarent, congregati sunt, vt in vno essent corde, & in vno spiritu; sicut legimus: Quia multitudo credentium habebat vnam animam, & cor vnum, & non erat in his aliqua separatio. Ij sunt qui transferunt in vnum, non tam locum, quàm affectum atque propositum. Probato enim dicitur: Transi, recumbe. Neque enim mediocris virtutis est, ab improbis ad honesta, à terrenis ad æterna transire, & carnalis vitæ consuetudinem commutare, omnemque eius abolere vsum, nouos mores assumere, totūque statum conuersationis veteris detorquere. Meritoque dicitur ei: Si transcas per aquam, tecum sum. Cum transeunte est Deus, non cum desistente. Ij ergo qui intra semetipsos erant antè discordes, ubi in vnum mente & studio conuenerunt, recepta pace quæ fecit vtraque vnum, & inimicitias in carne sua medijs parietis destructione dissoluit, admirati sunt vel cum qui in gradibus suis dignoscitur, vel homines ita esse conuersos, vt qui antè diabolo seruebant, nunc Domino Iesu iusti pietate seruitij mancipati sint. Et quia reges sui corporis in semetipsis vim nō mediocris laboris experti (neque enim facile atque mediocre est animum vincere, refecare cupiditates, edomare carnis lasciuia, auertere luxuriam, quæ repugnabat & Paulo, vt captiuum sub peccati lege constringeret) sicut gratiam in iis qui virtute processerant, mirabantur: ita etiam ne quis relaberetur in vitia de superiore virtutum deiectus fastigio commouebantur. Procliuus enim & mutabilis in vtrumque est humana conditio, vt quocumque intenderit, eō propendeat & vergat: vel ad studia virtutum, vel ad illecebram delictorum. Et ideo non mediocri quatiēbantur affectu, ita vt ex formidine tremor apprehenderet eos, considerātes illud quod scriptum est: Quia in locis impiorum ingemiscunt iusti. Denique vide Petrum amarissimè stentem quod ei error obrepserit, & virtutem suæ mentis prolapsione corporeæ fragilitatis inflexerit: meritoque à Christo suppressè reprehensum quod ausus sit vsurpare constantiam, nec obnoxiam consideraret naturam. Et hic quidem per gratiam emendauit errorem, sed Iudas mansit in crimine, perseuerauit in gemitu. Iustus erat cum Apostolorum numero neceretur, sed quia supplātatus à diabolo est,

Prouer. 28.

Luc. 22.

Matth. 27.

Matth. 10.

in locis nunc deplorat & ingemit impiorum, quod de gratia sit relapsus ad penam. Ergo cadentibus huiusmodi viris, qualis fuit proditor Iudas, vel Saul à Domino Deo suo accitus ad regnū, etiam fortes viri trepidabant.

Ioan. 13.  
1. Reg. 15.  
1. Reg. 12.

Ibi dolores sicut parturientis.

Conferentes deinde viri fortes quanto certamine perueniretur ad finem, quantæ contritiones iustorum, quantæ sollicitudines, qualis aduersarius, quanta diuturno labore contentio, quātā amaritudines propositi terroris, quæ vincula continentia, quæ conscientia verbera, non mediocriter conturbabantur ne quis tantis vel laboribus vitæ austerioris cederet, vel doloribus. Sunt enim ibi dolores acerbi & graues: id est, in Ecclesia, in illa ciuitate regis magni sunt dolores sicut parturiētis, donec formetur Christus in nobis. Neque enim sine dolore Paulus erat cum videret in Galatis inspicitibus doctrinæ suæ tardiorē profectum. Ideoque dicebat: Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. Testificatur & Dominus in Euangelio graues esse parturiētis dolores, cum dicit: Mulier cum parturit, tristitiam habet, quia venit dies eius: cum autem peperit, iam non meminit tristitiæ propter gaudium: quia natus est puer in hoc mūdo. Magnus ergo labor vt aliquis sibi Christum adquirat, ne sine gubernatore quasi nauis in sæculi istius salo fluctuet. Denique Apostoli tristes erant cum se Christus ad patrem rediturū esse memoraret, quod absente rectore destituti se putarent. Gaudiū Christus est. Ipse est & puer, quem parturit qui in vtero suæ mētis accepit spiritum salutis. Qui pepererit, & enutrit, exultat: qui parturit, quatitur atque compungitur. Bonum est vt & parias, & enutrias eum. Non coquas agnum in lacte matris suæ, ne dicatur tibi: Vt in vtero habentibus & nutrientibus. Sic enim Christus natus est ex Maria: vt agnoscas eum, sicut bos agnouit possessorem suū: & scias quia ipse te creauit, & maiores tuos ipse possedit. Non cum quasi paruulum nutrias, sed quasi verum atque perfectum Deū ex vero & perfectō Deo noueris adorandum. Sic eum Magus adorauit, vt non in lacte matris agnum coqueret, sed quasi Deum veneretur æternum. Denique vt eum inueniret, cælum aspiciēbat, non ergo quærebat in terris, quem de cælo fulgens stella monstrabat. Ideo cum Maria non parturiuit, sed peperit, quia & Dominum salutare sciebat ex se esse generandum, sicut ipsa testatur, dicens: Magnificat anima mea Dominum: & lætatus est spiritus meus in Deo salutari meo. Ibi ergo dolores sicut parturientis. Dolor est vt parturias: dolor est vt enutrias, quem in principio debes habere perfectum. Ideoque plerique grauitè conteruntur, sicut versuculus significat qui secutus est:

Galat. 3.

Galat. 4.

Ioan. 16.

Ibid.

Esai. 26.

Exod. 23.

Matth. 24.

Esai. 1.

Deut. 32.

Matth. 23.

Ibid.

Luc. 1.

In spiritu vehemēti cōteres naues Tharsis.

Dum ad fidei persecutionem Dei famuli peruenire desiderant, commacerant corpus suum castigando seuerius, & redigendo in ministerium seruitutis, ne reproberentur qui fuerant iam probati. Hoc autem faciunt in spiritu valido atque vehemēti. Est enim spiritus cōsilij atq; virtutis, vt omni abstinentia

1. Cor. 9.

Esai. 11.

Esaiæ 35.

Philipp. 1.

2. Tim. 4.

Psal. 106.

2. Petr. 1.

Ionæ 1.

2. Paral. 20.

Ibid.

Reg. 10.

Ibid.

dissoluant corpus suum, quò omnes eius euacuent voluptates, vt dicatur illis: Conualefcite manus remissæ, & genua dissoluta. Cùm enim solutus quis fuerit ab ista compage terrena, tunc fortior ad vitam resurgit æternam. Mètiior, nisi adstipulatur scriptura, quæ dicit, Dissolui & cum Christo esse, multo melius. Qui dissoluitur, incipit esse cum Christo. Et alibi: Tempus meæ resolutionis instat. Qui ergo meditatus fuerit seipsum dissoluere per abstinentiam, diem passionis suæ timere non poterit. Et bene ait spiritum vehementem, naues diciturus. Naues autem de corporibus dixit, quæ vago diuersarum passionum fluctu mouentur, & citò merguntur, nisi habeant gubernatorem. Vnde & alibi ait: Qui descendit mare in nauibus. Bene autem nauigant, qui in nauibus Christi crucem sicut arborem præferunt, atque inde explorant stabra ventorum, vt corpora sua dirigant ad sancti Spiritus gratiam, in ligno Domini tuti atque securi: nec permittunt naues suas vago fluctu errare per maria, sed ad portum salutis & ad consummationem gratiæ cursus sui directione contendunt, vt fida statione potiantur, quò dissolutæ cursus suos possint in resurrectione reparare, vbi naufragium timere non possint. Et nos igitur circumspiciemus hanc gratiam, speculatores eius sumus, exploremus eam, vt fiant corpora nostra naues Tharsis. Tunc enim caro ad seruitutem redigitur, cùm ad Dei intendimus gratiam: vt id quod amarum ad tempus sit, sicut est ieiunium, non quod dulce & voluptarium, sequamur. Tharsis ergo est speculatoriū gratiæ, intelligibilis ciuitas, vt Sion superior. Ad eam festinabat Ionas. De ea dicit scriptura, quia factus est Iosaphat Ochoziæ regi, & sic placuit vt faceret naues, & irent in Tharsis. Sed quia impio se cõiunxit, ideo missus est ad eum Propheta, qui diceret ei: Destruxit Dominus opus tuum, & contritæ sunt naues tuæ, & non potuerunt ire in Tharsis. Quo significatur, quòd præuaricantium mandatum Dei opera ad consummationem gratiæ peruenire non possint. Ad Salomonem autem, ytpote sapientem & pacificum virum, naues de Tharsis cum auro & argento & dentibus eburneis sine vlla offensione veniebant, & eò ipse mittebat. Habebat enim cum rege Hiram sacræ negotiationis spirituale cõmercium, & mutuæ gratiæ cõcertantis affectum. Has ergo naues ij qui regali in se auctoritate potiuntur ad coercendam ferocia corporalè, videntes ex corruptibilibus incorruptas, ex maculosis summa gratiæ luce fulgentes, ex dissolutis atque detritis esse renouatas, viuere ex mortuis, ex sepultis resurgere, celebri sermone commemorant:

Sicut audiuius, ita & vidimus in ciuitate Domini virtutū, in ciuitate Dei nostri: Deus fundauit eam in æternum.

Suscipimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.

Sicut audiuius, &c. Audiuius extra ciuitatem, vidimus in ciuitate, cui Deus est lumen æternum. Fulget enim dies sine sole mundano, luna non quæritur: fundamentum eius non temporale, sed æter-

Apoc. 21.

num est. *Suscipimus* (inquit) *Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Si ad filium Dei dicitur, templum ita intelligimus, secundum quod ipse de corpore suo dixit: Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud. Verè templum Dei corpus est Christi, in quo est nostrorum purificatio peccatorum. Verè templum Dei caro illa, in qua nullū peccati potuit esse contagium, sed ipsa pro delicto mundi totius fuit sacrificium. Verè templum Dei caro illa, in qua Dei imago fulgebat, & corporaliter plenitudo diuinitatis habitabat: quoniam ipse Christus est plenitudo. Ergo ad ipsum dicitur: *Suscipimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Quod quid est, nisi quod ait: Medius vestrum stat, quem vos nescitis? hoc est, in medio vestri est, & non videtur. Si autem ad patrem refertur: quid est, *In medio templi tui*, nisi quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi? In illo ergo templo *suscipimus* (inquit) *miseri-*  

cordiam tuam: hoc est, verbum quo caro factum est, & habitauit in nobis. Sicut enim redemptio Christus, ita & misericordia. Quæ autem maior misericordia quam quòd pro nostris flagitiis se præbuit immolandum, vt sanguine suo mundum lauaret, cuius peccatum nullo alio modo potuisset aboleri? Etenim si de sanctis viris Apostolus dixit: Templum Dei vos estis, & spiritus sanctus habitat in vobis: quanto magis carnem Domini Iesu templum Dei dixerim, qui semper plenus spiritu sancto legitur, & ipse testificatur, dicens: Sentio de me virtutem exisse, quæ virtus omnium vulnera acerba sanabat? Potest & illud intelligi quod dixit suscepisse se cū populo Dei misericordiam in medio templi eius: quoniam ipse Ecclesiam suam fūdauit, & propagauit in æternum: quoniam ipse verè cum filio suo vnigenito hanc gratiam plebi suæ contulit, quem ædificator è etiam demonstrauit, dicens: Hic ædificabit mihi ciuitatem; quæ diffusa toto orbe terrarum, fecit vt tota terra plena laudis eius esset & nominis. Sicut enim scriptum est: Laudis eius plena est terra: ita scriptum est: Datum est ei nomen super omne nomen, vt in nomine Iesu, omne genu curuetur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quòd Dominus Iesus in gloria est Dei patris. Vnde propriè dixit Propheta:

Secundum nomen tuum Deus, ita & laus tua in fines terræ: iustitia plena est dextera tua.

Non mirum est si plenus est iustitiæ Dei, qui est dextera Dei. Idem autem est virtus Dei, & iustitia Dei, vt & secundum id quòd iustitiæ Dei plenus est, eam iustitiæ plenitudinem in eo esse quam pater habet, noueris: & secundum id quòd virtus & Dei patris & sapientia legitur, nihil in eo diuinæ maiestatis intelligas esse diuersum, sed omnia accepisse à patre filium, & omnis gloriæ paternæ filium plenitudinem esse cognoscas, & eius characterem substantiæ: qui ita expressit patrem, vt in eo totus sit pater, sicut in patre totus est filius. Et quia vidit in spiritu Propheta laudes Christi terris in omnibus prædicandas: velut epologo quodam faciens suscepti sermonis excessum, ad latitiam nos & cultum nominis eius hortatur, dicens:

Letetur

Letetur mons Sion, & exultent filiæ Iudææ, propter iudicia tua Domine.

*Letetur mons Sion.* Id est, qui confidunt in Domino, sicut ipse postea interpretatus est, dicens: Qui confidunt in Domino sicut mōs Sion, &c. Ipse Dominus Iesus, qui est mons & altitudo Ecclesiæ suæ quæ Christū suū toto speculatur affectu, laterur fide eius & deuotione quæ complacuit Deo: quoniam repudiata est infidelis. Potest igitur & hoc piè intelligi, quoniam etiam superior omnibus ipse est mons, in quem is ascendere iubetur qui fidem prædicat, dicente scriptura: In montem excelsum ascende qui euangelizas Sion. Exultent, inquit, animæ confidentes tibi. Ipsæ sunt filiæ Iudææ illius in qua notus est Deus. Nam ista Iudæa quæ in carne est vel littera, non agnouit Dominum. Nam si agnouisset, etiā recepisset. Sed non agnouit quem non recepit, & iudicia eius refugit: quibus eos non ex patre Abraham, sed ex diaboli semine manare memorabat: quoniam omne peccatum semen inimici est. Confessionis autem fidei peccatum non faciunt, sed obumbrant. Et ideo beati quorum testis sunt peccata. Meritoque exultabant filiæ confessionis propter iudicia Domini, cùm cognouerint iudicia eius, & vias eius, quæ in hoc sæculo inscrutabilia & inuestigabilia sunt hominibus. Et cùm facie ad faciem spectare cõeperint veritatem: tunc illa quæ nūc videntur inscrutabilia, comprehendent, & eorum cognitione gaudebunt.

Circumdante Sion, & complectimini eam, narrate in turribus eius.

Qui intelligunt Sion, circumdant eam, & complectuntur suis sensibus, vt teneant, & non dimittat eam: ne sibi speculatoria disciplina virtutis possit auferri. Ideo illa in Canticis dicit: Tenui eum, & nō dimittam eum; quæ Dei sapientiam requirebat, & complectebatur iustitiam Dei brachiis charitatis, & quibusdam fidei & deuotionis lacertis. Ipse est enim piæ mentis amplexus. Comprehendamus ergo & nos quantum possumus interna mysteria veritatis, & scribamus ea atque affigamus ea sensibus nostris, virtutemque cælestis oraculi: quam vt assequeretur Moyses ille peritus in omni sapientia Ægyptiorū, in montem ascendit, atque in nubem intravit, vt operta & occulta cognosceret, adhærere sibi focio Iesu: quia nemo sine vero Iesu potest incerta sapientiæ & occulta comprehendere. Et ideo in specie Iesu Naue, veri Saluatoris significabatur affutura præsentia, per quem fieret omnes docibiles Dei, qui legem aperiret, Euangelium reuelaret. Ergo qui Sion circumdederint prudentia sua, & complexi fuerint intellectu ascendentes super turreis eius, narrant desuper ei qui non potuerit ascendere in turreis eius, quid agendum, vel quid cauendum sit. Murata est enim ciuitas Dei: ideoque alibi dicit Dominus: Ecce ego Hierusalem pinxi muros tuos. Distincta est turribus, de quibus insidiator possit, si appropinquare cõperit, deprehendi. Habet ille exercitus suos, quibus animas Dei obsidere consuevit, ad-

Psal. 124.

Esaiæ 40. Psal. 75.

1. Ian. 5.

1. Cor. 1.

Psal. 31.

Reg. 11.

1. Cor. 13.

Luc. 4.

Luc. 8.

Esaiæ 45.

1. Cor. 15.

1. Cor. 14.

Esaiæ 45.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

Cant. 3.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

mouere machinas, vt possit turreis expugnare munitas. Sed vos, inquit, narrate in turribus. Est enim in turribus Hierusalè abundantia. Prædicare iustitiam, monete custodiam. Sapientia enim in exitu canitur, & in murorum altissimis prædicatur. Et alibi iterum dicit: In muris tuis constitui custodes, diebus ac noctibus in finem non tacebunt. Narrate ergo sine intermissione, sine fine. Aduersarius vigilat, circumit, & rabie ferina quærit quos inuenierit deuorare. Ideo semper canendus est Dominus, qui dētēs leonum conterat, & ora confringat, vt nobis nocere non possint.

Ponite corda vestra in virtute eius, & distribuite gradus eius, vt enarretis in progenie altera.

Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula.

*Ponite corda vestra in virtute eius.* Id est, vt virtutem eius intelligatis: & distribuite gradus eius, vt enarretis in progenie altera. Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula. Sed apud dicit Græcus hodièque excellas & turritas domos. Vnde Propheta cùm de ciuitate Dei & inhabitantibus eam loqueretur, distribuite (inquit) gradus eius: hoc est, mansiones eius altas atque sublimes in cælestibus. Quo docet ordinem seruandum esse meritum. Vnusquisque enim in suo ordine. Vnde & Dominus ire præparare se dicit discipulis mansiones, vt pro suorum ratione meritorum digna vnusquisque habitacula cõsequatur, in quibus requiem illam carpat æternam. Sunt etiam sublimia & alta præcepta, in quibus sunt occulta pietatis mysteria, & theoremata sermonum cælestium. Hæc, inquit, distribuite, & pro captu vnus cuiusq; diuidite, quantum possit vnusquisque ingenio proprio comprehendere. Neque enim omnibus Paulus eadem disputabat. Aliis nihil prædicabat nisi Christū Iesum, & hunc crucifixum, non in persuasione sapientiæ verbi, sed in ostensione spiritus atque virtutis. Inter perfectos autem sapientiam loquebatur: quia non quibat vniversus populus percipere sapientiam in mysterio quæ abscondita est. Ideo enim eam Christus abscondit, vt eam stulti non intelligat, prudentes studiosius quærant, & enarrent in progenie altera, quæ spiritus foret virtute perfectior: quoniam generatio superior per infirmitatem fidei perfectæ sapientiæ cognoscere sacramenta nō potuit. Et ideo signum quærebat, veritatem repudiabat, cùm vtiq; non veritas signi, sed signum veritatis sit. Vnde respondit ei Dominus: Generatio nequam & adultera signum quærit; & signum non dabitur ei nisi Ionæ propheta. Ad arguendam itaque perfidiam Iudæorum, Ionæ exemplum accersitur, eo quòd Niniuitarum signo crediderunt, & prædicationem Ionæ qui fuerat in vtero ceti, sequendam putarunt: Iudæi autem nec post resurrectionem Domini Iesu crediderunt; qui de corde terræ post triduum resurrexit, & viuus ac regnat per omnia sæcula. Amen.

Psal. 121.

Prouer. 1.

Esaiæ 62.

1. Petr. 5.

Psal. 57.

1. Cor. 15.

1. Cor. 14.

1. Cor. 2.

Ibid.

Matth. 13.

Matth. 12.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.



# SANCTI AMBROSII EPISCOPI

## MEDIOLANENSIS, IN PSALMVM DAVID

### XLVIII. ENARRATIO.

#### *Psalmus quadragesimus octauus.*

**A**Vdite hæc omnes gentes ; auribus percipite omnes qui habitatis orbē terræ.

**I**n principio ipso vocem Domini salutaris agnoscimus gentes vocantis ad Ecclesiam, vt errori renuntiant, veritatem sequantur, & pij cultus munus agnoscant. Sed quia serpentis venenis infecta erant corda successionei humanæ, & peccatis obnoxia conscientia dum desperat veniam, se reuocare non poterat: remedium pollicetur, indulgentiam sponte pietatis suæ largitate promittit, vt reus non timeat, bene cōsciū gratuletur, quod bono Domino exhibeat ministeriū seruitutis, qui nouerit peccata donare, honorare virtutes. Denique eadem serie vocationis etiā in Euangelio nos Dominus adhortatur, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum supervos, & discite à me, quia mitis sū, & humilis corde. Deinde iugū suū suauē, & onus leuē esse cōmemorat: quoniam qui desperauerit medicinā, sanus esse nō poterit. Et ideo omnibus grata est manufactudo, quæ vulnera interiorū curat animorū.

**V**etus igitur ad ægrotos, vêturus vt medicus, qui grauiā vlcera nostra curaret, medicamenta proponit vt videant homines, & ad remedium salutis fida sedulitate concurrant. Sic illa in Euangelio meruit sanitatē, quæ profluuiū sanguinis per duodecim annos laborauerat. Audiuit medicum venisse, festinauit contingere, dicens: Si tetigero fimbriam vestimēti eius, salua ero. Intra se hoc dixit, & Christus audiuit, & tetigit fimbriam vestimenti eius, & virtus de Salvatore processit, quæ curauit ægram, firmavit inuālidam, profluuium statuit, pietatem probauit. Similiter ergo & hic omnes gentes vocat ad sapientiæ fontem atque prudentiæ, redemptionem omnibus pollicetur, vt nemo trepideret, nemo desperet, vbi nullus excipitur, sed omnis anima inuitatur ad gratiam, vt sine pretio redimatur à crimine, & fructum vitæ adipiscatur æternæ. Hic sensus est Psalmi: quem suo ordine digeremus, cum explicauerimus superiorū vim qualitatemque verborum. Præcipiuntur enim audire gentes, & auribus percipere qui inhabitant orbem terræ. Illum vtique orbem, de quo supra dixit: Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & qui habitant in eo. Ipse super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum. Quam Græci *οἰκουμένην* dicunt, eo quod inhabitetur à Christo, sicut ipse dixit: Quoniam in habitabo in illis. Inhabitabit enim, vt impleat quæ vacua videbantur. Quæ est ergo *οἰκουμένη*, nisi sancta Ecclesia templum Dei, & habitaculum Christi? Nec incongruè Latini dissona quidem sermone, sed pari sensu orbem terræ nuncupauerunt;

**G**eo quod vita sanctorum qui inhabitabantur ab spiritu, sicut rota in orbem sine vlla cursus sui offensione voluatur. In tribulationibus igitur fundatur Ecclesia, in tempestatibus & procellis, in sollicitudinibus & mœrore, in rebus aduersis & in fluminibus præparatur. In quibus fluminibus? Audi dicentem. Eleuauerūt flumina vocem suam. Audi & in Euangelio: Qui credit in me, sicut dicit scriptura: Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de spiritu quem accipere incipiebant credentes in eum. In his ergo fluminibus præparatur Ecclesia, in quibus profluit Dei gratia. Hi sunt fluij qui aure percipiunt verbum Dei, & loquuntur, vt verbum infundant pectoribus singulorum. Ideoque scriptura discretionem fecit, dicendo: *Audite hæc omnes gentes; auribus percipite omnes qui habitatis orbem terræ.* Possunt omnes audire, non omnes tamen auribus percipere, nisi electi Dei. Ideoque Saluator dicit: Qui habet aures audiendi, audiat. Illas aures dicit interioris hominis spirituales, cuius & nares legimus, dicente Iob: Spiritus diuinus qui est in naribus meis. Non omnes homines has aures, & has nares habent. Alia est enim forma corporis, alia gratiæ spiritualis. Qui spiritalis est, audit omnia, diiudicat omnia: animalis autem homo non percipit quæ sunt spiritus Dei. Hic enim terrigena est, ille cælestis. Ideoque addidit:

**Q**uique terrigenæ, & filij hominum: simul in vnum diues & pauper.

**H**oc dicit, vt ostēdat quod vniuersos vocat. Nam quis est terrigena, nisi filius hominis? Quis est spiritalis, nisi Dei filius? Ille ex sanguine concretus & carne, & viri voluptate generatus, iste ex Deo natus. Alius diues in omni verbo & scientia, alius pauper, gratia tamen diues: quia & pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum. Econtrario est & diues in superbia, & pauper in humilitate. Omnes vocantur ad Ecclesiam, vt omnes redimantur à Christo. Qui æger est, medicum inuenit: qui sanus, sapientiā acquirit, captiuus redemptorem, liber remuneratorem. Omnes ædificat scriptura diuina. In ea inuenit vnusquisque quo aut vulnera sua curet, aut merita confirmet. Simul autem in vnum diuitis & pauperis facta vocatio, in quandam humilitatem æqualitatemque nos prouocat: vt neque diues fastidiat inopem, neque diuiti pauper inuideat, sed vtrumque sibi gratia vna cōnectat; quia & Dominus pauper factus est, cum diues esset, vt idem & pauperum saluator esset & diuitum. Et subtrexuit:

**O**s meum loquebatur sapientiā, & meditatio cordis mei prudentiā.

**M**erito omnes vocantur, quia omnibus sapientiæ fons

*Esaiæ 55.  
Genes. 3.*

*Matth. 11.*

*Ibid.*

*Luc. 5.  
Esaiæ 53.*

*Matth. 9.*

*Ibid.*

*Prouer. 8.*

*Esaiæ 52.*

*Psalm. 23.*

*Ierem. 26.  
1. Cor. 3.*

*2. Co. 6.*

*Psalm. 91.  
Ioan. 7.  
Eccl. 24.*

*Luc. 8.*

*Iob. 27.  
1. Cor. 11.*

*Sapient. 7.  
Ios. 1.  
1. Cor. 1.*

*2. Cor. 8.  
Psalm. 33.*

*2. Tim. 3.*

*2. Cor. 8.*

*Eccl. 24.  
Sup. 7.*

*Eccl. 18.*

*Prout. 20.*

*Prout. 1.  
Luc. 8.  
Matth. 13.*

*1. Cor. 14.*

*Psalm. 77.*

*Esaiæ 55.*

*Psalm. 48. sup.  
S. August. li.  
1. cap. 2. contra  
Iulian. Pelag.*

*Ioan. 13.*

*Ibid.*

*Psalm. 37.  
Psalm. 50.*

*1. Petr. 2.*

*2. Cor. 5.*

*Eccl. 18.*

*Esaiæ 53.  
Ioan. 13.*

fons abundat, nec thesauro pecuniario comparatur quæ pretiosior thesauris omnibus declaratur. Ideoque nec diues auertitur, nec pauper excluditur: quia sapientia non facultates discriminat, sed volūtates. Ille aptior, qui prior affectu, & proximus disciplina. Quod si meditatio cordis prudentiam loquitur, quanto magis perfecta doctrina? Deinde admone-mur non tumultuarium proferre sermonem, sed exercitio quodam meditationis, & statera mentis interna examinare dicenda: quia scriptum est alibi: Abominatio Domino duplex statera, & iugum dolosum non bonum coram eo.

**I**nclinabo ad parabolam aurem meam: aperiam in psalterio propositionem meam.

Sapiens auditor intendit, atque inclinat aurē suā vt intelligat parabolarum figuras. Ipsum aurem suā dicit Saluator, qui aurem habet audiendi. Aperit etiam Dominus clausam propositionem suam, cum aptum organū sibi & vas electionis inuenerit: quod psalterium vocat, cuius similis Paulus dulcis gratiæ cantilenam neruis omnibus sibi concinentibus resultauit, sancti Spiritus plectro interiorē chordā exteriorēque pulsando, vt & lingua oraret & mēte. Ideoque ait: Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Huiusmodi ergo virū Christus multo antē promittit, per quem manifesta ret abscondita, & inuoluta prophetici obscuritate sermonis aperiret. Bonum psalterium, cum fidei vita consentit, & caro animę, virtuti aspirat voluntas. Hoc est dulce psalterium, vbi canora est disciplina viuendi, vt impleatur illud quod scriptum est: Clara erit lingua mutorum. Sequitur:

**V**t quid timebo in die mala: iniquitas calcanei mei circumdabit me.

Hoc est, cum os meum loquatur sapientiā, & meditatio cordis mei prudentiam, in die iudicij timere quid possum? Nisi forte calcanei mei iniquitas mihi sit abluenda. Alia est iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est vulneratus, & obnoxiam hereditatem successionis humanæ suo vulnere dereliquit, vt omnes illo vulnere claudicemus. Vnde Dominus discipulis pedes lauit, vt lauaret venena serpentis: & Petrus reprehenditur quod excusabat ne sibi Dominus pedes lauaret. Ideoque dictum est ei: Nisi laucro tibi pedes, non habebis mecum partem. Quo audito nō solum pedes, sed etiam manus obtulit abluendas & caput. Cui Dominus respondit: Qui lotus est, nō habet necesse vt lauet, nisi pedes, sed est mundus totus. Ergo Dauid dicit: Iniquitates meæ superposuerunt super caput meum: qui se nouerat in iniquitate esse conceptum, & in delictis à matre generatum: Dominus autem qui sua peccata non habuit, nec cognouit proprias iniquitates, ait: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me:* hoc est, iniquitas Adæ, non mea: sed ea non potest mihi esse terrori. In die enim iudicij nostra in nobis, non alienæ iniquitatis flagitia puniuntur. Vnde reor iniquitatem calcanei magis lubricum delinquendi, quàm reatum aliquem nostri esse delicti. Meritoque Dominus qui pro nobis vniuersa suscepit: Lauemus, inquit, & pedes, vt calcanei

lubricum possimus auferre, quod fida statio possit esse virtutum, ne paterno quis errore labatur, qui suo paratus est stare proposito. Non metuat lubricum hereditatis, qui cupit vestigium tenere virtutis. Iniquitas ergo calcanei nostri præuaricatio est Adæ, per quem prolapsus est in contemptum & dissimulationem cælestium mandatorum. Est etiam iniquitas calcanei, Iudæ hæsitanda proditio. Calcanei ideo, quia scriptum est: Qui manducat mecum panem, leuabit super me calcaneum suum. Bene & ibi suum, & hic meum dixit. Suum, quia Christus sine iniquitate, hæc autē folius iniquitas proditoris: meum autem calcaneum, quasi vltimum sui corporis Iudæam Christus appellat, cuius nos sumus corpus & membra. Apostoli præstantiora & actiua membra sunt Christi, Iudas calcaneum, quasi extrema pars corporis serpenti obnoxia, & patens vulnere. Primum ergo calcaneum Adam, secundum calcaneum Iudas. Ille lapsus totius hereditatis, hic solius proditoris, qui hereditatem implicare non potuit, quia iam non carnales sumus, sed redemptoris hereditas, scriptura dicente: Est hereditas seruientibus Domino. Est & illa iniquitas calcanei sui, quæ circumdedit Christum. Circumdātes, inquit, circumdederunt me, & in nomine Domini vltus sum in eos. Calcaneus eius synagoga est, decor & gloria vultus eius Ecclesia, sicut scriptum est: Dominus re-gnauit, decorem induit. Illi ergo sunt calcaneus, de quibus dicit:

**Q**ui confidunt in virtute sua: quique in abundantia diuitiarum suarum gloriantur.

Frater non redimit, redimet homo: nec dabit Deo propitiationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ. Et laborabit in æternum: & viuet vsque in finem.

**Q**uique in abundantia diuitiarum suarū gloriantur. Rectè hæc dicta sunt: Diuites enim eguerunt & esurierūt. Quod de Iudæis dictum est. Sed & omnes qui luxuriosè viuunt, & non tenent caput, calcaneum Christi sunt. Sed hæc generalia, quæ latè patēt. Cæterum specialiter de Iuda locutus est proditore, qui sibi validus & diues apostolatus gloria videbatur. Denique de passione Domini sermo contextitur: *Frater non redimit, redimet homo: nec dabit Deo propitiationem suam, & pretium redemptionis animæ suæ.* Hoc est, vt quid timebo in die mala? Quid enim potest mihi nocere, qui non solum non indigeo redemptore, sed ipse omnium sum redemptor? Alios liberos faciā, & pro me ipse trepidabo? Ecce faciam noua omnia, quæ supra ipsam germanitatis affectum sint atque pietatem. Quem frater eodem matris utero effusus in lucem redimere non potest, quia parilis naturæ infirmitate retinetur, redimet homo, sed ille homo de quo scriptum est, quia mittet illis Dominus hominem qui saluabit eos, qui de seipso dixit: Queritis me occidere, hominem qui veritatem locutus sum vobis. Sed quamuis homo sit, quis cognoscit eum? Quare nemo cognoscit? Quia sicut vnus Deus, ita & vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Ipse

*Genes. 3.*

*Ioan. 13.*

*1. Cor. 12.*

*Gen. 3.*

*Esaiæ 54.*

*Psalm. 117.*

*Psalm. 92.*

*Psalm. 33.*

*Coloss. 2.  
Ioan. 13.*

*Esaiæ 43.*

*Esaiæ 19.*

*Ioan. 8.*

*Hierem. 17.  
1. Tim. 2.  
1. Ioan. 3.*

1. Tim. 7.

Rom. 9.

1. Joan. 15.  
Rom. 5.

1. Petr. 2.  
Coloss. 2.

Psal. 21.

2. Cor. 5.

1. Joan. 1.

2. Cor. 5.

Exod. 30.  
Matth. 17.

1. Joan. 8.

1. Joan. 2.

Ibid.

1. Cor. 3.

2. Cor. 5.  
1. Joan. 3.  
1. Tim. 1.

est solus qui redimet hominem, vincens pietate germanos: quia pro alienis sanguinem suum fudit, quæ nemo potest offerre pro fratre. Itaque corpori proprio non pepercit ut nos redimeret à peccato, & dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, sicut verus eius testis asseruit Apostolus Paulus, qui ait: Veritatem dico, non mentior. Sed quare solus hic redimet? Quia nemo potest eum æquare pietate, ut pro seruis suis animam suam ponat, nemo integritate. Omnes enim sub peccato: omnes Adæ illius subiacent prolapsioni. Solus redemptor eligitur, qui peccato veteri obnoxius esse non possit. Ergo per hominem Dominum Iesum intelligamus, qui suscepit hominis conditionem, ut in carne sua peccatum omnium crucifigeret, & chirographum vniuersorum suo cruore deleret. Sed forte dicas: Quomodo redempturus frater negatur, cum ipse dixerit: Narrabo nomen tuum fratribus meis? Sed nõ quasi frater nobis, sed quasi homo Christus Iesus, in quo Deus erat, peccata dimisit. Sic enim scriptum est: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. In illo Christo Iesu de quo solo dictum est: Quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Non ergo quasi frater, sed quasi Dominus habitauit in nobis, cum habitaret in carne. Cum igitur reconciliauerit Deo mundum, utique ipse reconciliatione non eguit. Pro quo enim peccato suo propitiaret Deum qui nulla peccata cognouit? Denique didrachmum poscentibus Iudæis, quod pro peccato dabatur ex lege, dixit ad Petrum: Simon, reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis? Respondit Petrus: Ab alienis. Cui dixit Dominus: Ergo liberi sunt filij. Ut autem non faciamus illis offendiculum, mitte hainum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore eius inuenies statorem: illum tollens, dabis pro me & pro te. Ostendit ergo quod non pro se propitiationem debeat peccatorum, quia seruus peccati non erat, sed ab omni erat liber errore. Filius enim liber, seruus est in reatu. Ergo liber iste ab omnibus nec pretium redemptionis animæ suæ dat, cuius sanguinis pretium poterat abundare ad vniuersa mundi totius redimenda peccata. Rectè ergo alios liberat, qui pro se nihil debeat. Plus adicio: Non solum pro se Christus pretium non debet suæ redemptionis, aut propitiationem pro peccato, sed etiam si de fidei quocumque homine accipias, possit intelligi, quia nõ debeant singuli propitiationem suam, quia propitiatio omnium Christus est, & ipse est vniuersorum redemptio. Cuius enim hominis sanguis iam idoneus est ad redemptionem sui, cum pro redemptione omnium suum sanguinem Christi effuderit? Est ergo cuiusquam sanguis qui Christi possit sanguini comparari? Aut quis tam potens homo qui pro se propitiationem suam dare possit supra eam propitiationem quam in se obtulit Christus, qui solus Deo mundum reconciliauit per suum sanguinem? Quæ maior hostia? quod præstantius sacrificium? qui melior aduocatus, quam qui pro peccatis omnium factus est deprecatio, & animam suam dedit pro nobis redemptionem? Non quaeritur ergo propitiatio aut redemptio singulorum, quia omnium pretium sanguis est Christi, quo nos redemit

Dominus Iesus, qui solus patrem reconciliauit, & laborauit vsque in finem, quia nostrum laborè ipse suscepit, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis, & ego reficiam vos. Vide laborantem: Laborauit clamans, rauræ factæ sunt fauces meæ. Et alibi: Issachar quod bonum est concupiuit, requiescens inter fortes. Et infra: Supposuit humerum suum ad laborandum, & factus est vir agricola. Ergo homo non dabit iam propitiationem suam nec redemptionem, quia semel ablutus est à peccato per sanguinem Christi. Laborabit tamen ut seruet præcepta viuendi, & à mandatis cælestibus non recedat. Dum viuunt, in labore sit, & perseueret in eo, ut viuat in finem, ne & ipse morte moriatur, cum sit iam redemptus à morte. Qui autem seruauerit mandata vitæ, non videbit interitum, cum viderit mori eos qui sibi sapientissimi & prudentissimi in hoc sæculo videbantur. Quod specialiter ad Scribas & Phariseos spectat, qui sibi cathedras in synagogis vendicant, quasi sapientiarum principatum. Hi verè frustra laborant, cum putant quia per didrachmum liberentur, cum spiritale pretium redemptionis animæ suæ, atque illud singulare dominici corporis sacrificium, inani quadam legis interpretatione contempserint, refugientes baptisimatis sacramentum. Neminem enim sanguis redimit hircorum atque taurorum, sed omnes vnus sanguis liberat Christi, cuius in Leuitico figura non veritas est. Non enim didrachmo, sed illius solius sanguinis pretio liberamur.

Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes: simul insipiens & stultus peribunt, & alienis relinquent diuitias suas.

Et sepulcra eorum domus illorum in sæculum, tabernacula eorum in progenie & generatione: inuocauerunt nomina eorum in terris ipsorum.

Non videbit interitum, &c. Simus ergo docibiles Dei, ut nemo nostrum videat interitum in illo die quando damnabuntur morte perpetua sapientes istius mundi, vel principes Iudæorum, quando simul insipiens & stultus peribunt. Non idem est vtrumque. Stultus est qui nihil sapit, & stulta intelligit: insipiens, qui mala sapit. Dixit insipiens, quia non est Deus. Quomodo iniquus, non qui æquitatē nesciat, sed qui improbitate cordis sui iniqua committat: improbus quoque dicitur, eo quod probitatem malitia sua destruere velit, non quia probitatem ignoret. Ipsi ergo insipiens & stultus quando pereunt, alienis relinquent diuitias suas. Suum enim & legitimum stultitiæ & improbitatis hæredem reperire nõ possunt. Legitimi enim dicimur, quia filij Dei sumus. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & simul glorificemur. Insipientes ergo diuitias nõ habent, quia nec hereditatem habent. Non habent diuitias infidi, nõ possessionem. Fidelis enim totus mundus possessio est. Non habent hereditatem, quia sola est hereditas: seruientibus Domino. Suas autem diuitias habent. Ideoque auarus dicit: Nõ habeo quod congregem fructus meos. Non enim verus fructus, sed auari fructus, pecunia est. Et Dominus auaro dicit:

Matth. 11.  
Psal. 68.  
Gen. 49.

1. Joan. 8.

Matth. 23.

Hebr. 9.  
Leuit. 27.

1. Joan. 6.

Psal. 13.

1. Joan. 9.  
Rom. 8.

Prover. 17.

Esaiæ 54.  
Luc. 12.

cit:

Ibid.

Matth. 11.

Psal. 5.

Philip. 3.

Hebr. 3.

Psal. 38.

Esaiæ 22.

Ecl. 10.

Luc. 9.

Matth. 23.

Matth. 8.

Esaiæ 22.  
Luc. 24.  
Matth. 27.

Ephes. 5.

Act. 1.

cit: Vade, vende bona tua, & veni, sequere me. Non enim perfectum bonum est patrimonium, sed hæc sunt avari bona, quæ in emolumento aliquo constituta sunt. Vende, inquit, quæ putas tua esse, cum tua non sint, quia ad alios fluminis modo transeunt: & sequere me, ut bonum immortale cognoscas. Sapientes ergo in interitum deducuntur, quibus Deus abscondit quæ paruulis reuelauit. Peribunt simul, & in vno eodemque loco erunt insipiens & stultus, & alienis relinquent diuitias suas: quia non inuenit nequitia legitimam successorem. Et sepulcra eorum domus illorum in sæculum, tabernacula eorum in progenie & generatione: inuocauerunt nomina eorum in terris ipsorum. Vbiq; scriptura sepulcra pro vilibus ducit: quibus degeneres & vitæ huius cupidi comparantur. Sepulcrum patens est guttur eorum. His ergo qui ad diem & de die viuunt, sepulcra pro domibus sunt. Domus enim iustorum non in terra est, sed in cælo; sicut Apostolus docuit, dicens: Nostra autem conuersatio in cælis est. Ipsa est domus nostra, quæ domus est Christi. Vnde ait scriptura: Et Moyses quidem fidelis in tota domo eius, tamquam famulus in testimonium eorum quæ dicenda essent: Christus verò tamquam filius in domo sua. Piis ergo domus est Ecclesia, piis patria cælum est. Ideoque iustus ait: Aduena ego sum apud te in terra & peregrinus, sicut omnes patres mei. Luxuriosis domus sepulcrum est. Denique tamquam in sepulcro viuunt, qui possunt dicere: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur: resurrectionem ante oculos non habentes, ideoque tumulis suis affixi atque attumulati adherent, quia resuscitari se posse non crediderunt. Habaculum ergo illis in suo busto est, & tabernaculum eorum in progenie & generatione terrena est, qui vermes sui corporis hæredes relinquant: ut hæc tantum sit memoria eorum, & in æternum transire non possit. Denique nomina eorum in terris ipsorum: quia opera eorum corruptibilia atque terrena. Et ideo ibi scribuntur eorum nomina, ubi viuere maluerunt. Qui autem eleuauerunt opera sua, iis dicitur: Nolite gaudere quia demonia vobis subiecta sunt, sed gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælo. Hinc ergo intelligimus quia non otiose Dominus eos arguit qui edificabant sibi sepulcra vel tumulos prophetarum, & exornabant ea. Condemnantur enim Iudæi qui prophetis quos occiderant, terrena solatia, non æterna præmia deferebant. Ideoque prohibet ut discipulus suus sepeliat patrem, quia æterno patri sine cessatione esse debet intentus. Et in Esaiæ libro scriptum est: Quid tibi est hic, quia edificasti & excidisti tibi sepulcrum? Et reprehenditur Maria quæ Christum in tumulo requirebat. Relinque sepulcra, quæ reliquerunt qui audita voce Domini in ipsius passione surrexerunt de tumulis. Noli inter mortuos habitare, qui viuus. Audi vocem resuscitantis Iesu: Surge qui dormis, & surge à mortuis, ut lumē tibi Christi infundatur æternum. Lumen eius Spiritus sanctus est, qui Apostolis sanctis in dispersione linguarum tamquam ignis illuxit. Sequitur.

Homo cum in honore esset, nõ intellexit, comparatus est iumentis quæ sine sensu sunt, & similis factus est illorum.

Hæc via eorum in offendiculum ipsis, & postea in ore suo complacent.

Quia non intellexit homo cum in honore esset (est autem honor, quia ad imaginem Dei factus est, factus est rationis capax) comparatus est iumentis quæ sensum non habent: qui autem intellexit, angelis comparatur. Et ideo hic bonorum operum claritate magnificatus est, ille sicut equus adhinniens æstimatur colluione viuendi, quæ viæ offendiculum affert in turpitudine & obscenitate viuentibus. Insipientia enim viri contaminat vias eius. Huiusmodi autem viri viuunt secundum appetentiam suam, quæ offendiculum creat, & post offendiculum complacent in ore suo, sed non in corde. Non enim boni de quibus dicitur: Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. Quo responsum est etiam iis qui habent in codicibus suis ita scriptum: Et postea in ore suo benedicent. Verbum enim tuum propè, & in ore tuo sit, & in corde.

Sicut oves in infernum deducuntur, mors depascet eos:

Et dominabuntur eorum iusti in matutino, & auxilium eorum veterascet in inferno à gloria eorum.

Mors depascet eos. Qui noluerunt ut pasceret eos Christus, depascet eos mors. Quis ergo dimittat bonum pastorem qui pro ouibus suis animam suam ponit, quia pertinet ad eum gregis sui cura? Aut quis eligat mercenariam mortem, quæ operum pessimorum digna mercede referatur? Simul cognosce o homo quia Christus verus est pastor, qui suos pascit ad vitam. Mors subintravit, quæ ad interitum adducit alienos, & deuorat eos quibus potest propter eorum flagitia præualere. Quibus licet in hac vita studium potentia fuerit & diuitiarum, ut aliis dominaretur, sed in resurrectione erit seruitus, cum iustus matutinus splendore illuxerit: quorum figura est quod Iacob dominus præponitur fratri. Miserabilis itaque seruitus, ut eo tempore quo alij vocantur in gloriam splendoris & luminis, horum gloria veterascet, & consumatur in tenebris inferorum. Meritoque de his dicitur: De honore suo & gloria sua expulsi sunt: quia temporalis hæc gloria.

Verumtamē Deus liberabit animam meam de manu inferni, cum acceperit eam.

Ne timueris cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius:

Quoniam non cum morietur accipiet omnia: neque simul descendet cum eo gloria domus eius.

Liberabit animam meam de manu inferni. Bene hoc dicit, qui sciebat animam suam in inferno non derelinquendam. Descendit enim ut captiuos absolueret de faucibus inferorum, non ut in his captiua remaneret. Ergo quoniam hæc, quæ in isto sæculo sunt, nobiscum transire nõ possunt, ideo tibi dicitur:

Gen. 2.

Psal. 8.

Hiere. 5.

Prou. 38.

Psal. 61.

Rom. 10.

1. Joan. 10.

Gen. 23.

Psal. 15.  
Ephes. 4.

*Ne timueris cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius: Quoniam non cum morietur accipiet omnia: neque simul descendet cum eo gloria domus eius.*

**1. Tim. 6.** Noli, inquit, expauescere diuitias & potentiam diuitis, & gloriam saecularem, quoniam caduca illa sunt, & citius abeunt quam venerunt. Sonium est iste thesaurus: cuius, & recessit, quoniam qui potuerit crapulam mundi istius edormire, & sobrietatem virtutis assumere, ista contemnit, & pro nihilo pecuniam ducit. Neque timueris cum multiplicatam gloriam domus alicuius potentis audieris. Inspice diligenter, & vacua est, quae nihil habet in se de fidei plenitudine. Et quid de domo dicam? Vacuus erat totus hic mundus antequam numero credentium cum Christus impleteret. Ideoque scriptum est: Iudicabit inter gentes, replebit ruinas. Quid enim aliud erat ante in hoc mundo, nisi ruina perfidiae? Quid est ruina? Audi dicentem: Vbi ruina, ibi & aquila. Id est, vbi ruina, ibi & resurrectio. Ruina, vacua firmitatis est: resurrectio, plenitudo viuendi est. Ideoque nos Adae illius ruina vacauit: sed Christi repleuit gratia. Ideo se ille exinanivit, ut nos replet, atque in carne hominis plenitudo virtutis habitaret. Quid sit ruina, cognosce. Dum viuunt homo, infusus est spiritu: vbi mortuus fuerit, vacuus utique huius vitalis est spiritus. Multo magis vacuum facit amissio gratiae spiritalis, quae gratia replere consuevit, ut possimus dicere: Quoniam nos omnes de plenitudine eius accepimus, & gratiam pro gratia. De alio dicitur: In vacuum laborauit: iustus autem sicut odor agri pleni. Quid autem non vacuum quod saeculare atque mundanum, cum recte dixerit qui mundum istum sobria virtute contempsit: Nudus sum natus, nudus & moriar? Numquid secum quis potest auferre quae possidet? Hic omnia derelinquit, solus intrat in tumulum, & vacuum illius diuitis est sepulcrum, quem nec ipsa terra capiebat. Vnde dictum est: Numquid foli habitabis super terram? Numquid descendit in illud sepulcrum gloria domus eius, aut copiae? Vide vim scripturae. Gloria saeculi non descendit cum peccatore, sed gloria virtutis ascendit cum innocente. Et ut compediosius dicamus, gloria hominis cum ascendente ascendit, cum descendente non descendit. Quod gratiae est ac virtutis, ascendit. In paradysum ascenditur, in infernum descenditur. Descendant, inquit, in infernum viuentes. Ideoque Lazarus pauper per angelos in Abraham sinu est eleuatus. Diues luxuriosus eleuans in inferno oculos suos rogat Abraham ut mittat pauperem, & digito suo contingat linguam eius, quo requiem aliquam in ardore maximo constitutus posset adipisci. Vide illum pauperem bonis omnibus abundantem, quem sancti Patriarchae requies beata circumdabat. Vide hunc vacuum, qui sibi in hoc saeculo abundare omnibus videbatur, cuius anima in vita ipsius benedicebatur: sed nunc iners morte cruciatur. Vnde pulchre sequitur:

S. AMBROSII IN PSALMVM

**G** Quoniam animam eius in vita ipsius benedicent: confitebitur tibi cum benefeceris ipsi.

Benedicent, inquit, cum benedictione terrena. Stulti homines, qui praesentia, non futura considerant. Benedicent eum asseclae eius atque parasiti. Ipse quoque beatum se putat, si agrum aliquem quem desiderabat inuaserit. Confitebitur tunc Deo, cum ei in hoc saeculo secunda succedunt: quando autem aduersa contingunt, impio ore maledicit. Hoc ergo dicit, quia saecularis non agit gratias in paupertate positus & aduersis: infusus autem in angustiis magis Dominum grato benedicat affectu. Denique diabolus ad Deum dicit: Quid mirum si te benedicat Iob? Abundant ei omnia. Sed mitte, inquit, manum tuam, & tange ea quae possidet: videamus si in faciem te benedicet. Et dedit ipsi Dominus potestatem ut quae saeculi essent huius, auferret: carnem ipsius vlceris atrocitate perfunderet. Iob tamen Deum benedicebat, dicens: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.

**H** Introibit vsque in progeniem patrum eius, vsque in saeculum non videbit lumen.

Et homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis quae sensum non habent, & similis factus est illorum.

*Introibit vsque in progeniem patrum eius. Ideo, inquit, iste in progeniem patrum suorum introibit. Qui est pater impiorum, Dominus declarauit dicens: Vos ex patre diabolo estis. Sunt & illi patres de quibus dicitur: Relinque mortuos sepelire mortuos suos. Ideo & Moabitarum vsque in tertiam & quartam generationem prohibiti sunt introire in Ecclesiam Domini, ut filij eorum propter peccata patrum suorum introirent in eorum generationem, quorum facta imitabatur & mores. Vnde & scriptum est: Filij adulterorum in consummatione erunt. Ergo qui non illum patrem qui in caelo est sequitur, sed illum terrena colluione viuentem, in progeniem terreni patris intrat. Qualis enim terrenus, tales & terreni: ut sit eius vita terrena, requies nulla post mortem. In aeternum non videbit lumen; quoniam temporale quae fuit. Ille autem qui Christi secutus est gloriam, qui desiderauit illud lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, inueniet & videbit lumen aeternum: quia eum Christus redemit a morte. Tunc ergo cogitabit secum, quia cum in honore esset, non intellexit: & ideo erit similis iumentorum qui similis debuit esse angelorum, per Domini nostri Iesu Christi gratiam: cui est honor, gloria, perpetuitas a saeculis, & nunc, & semper, & in omnia saecula saeculorum. Amen.*

XLVIII. ENARRATIONIS FINIS.

SANCTI

**SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS, IN PSALMVM DAVID  
QUINQVAGESIMVM ENARRATIO.**

Hae sub titulo de Apologia David in aliis impressionibus circumferebatur.

Præfatio in Psalmum David L.



**Q**uoniam priorum gestorum suorum historiam sanctus propheta subiecerit, nempe de prodicione Doech Syri, cuius est titulus in Psalmo quinquagesimo primo, & Zypheorum, quae comprehendit titulo videtur Psalms quinquagesim tertij, istam quae posterior est, praemisit historiam; cum Doech ante prodiderit vel Zyphe, quam regnum David propheta susciperet. Quandoquidem regem Saul fugiens, adhuc per diuersa deserta exul errabat: Bethlabec autem iam cum regnaret, accepit. Cur ergo secundum gestorum ordinem Psalms quoque ordo non quadrat? Quia non tam ordinem quam mysterium gestis voluit conuenire: ideoque numerum remissionis aptare huic voluit historiae. Quinquagesimus enim numerus remissionis est, sicut in Euangelio Dominus ipse nos docuit, dicens: Duo debitorum erant cuidam sceneratori, vnus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta, non habentibus illis unde redderent, donauit vtriusque. Quis ergo eum plus diligit? Et in lege habes, quia Iubilaus dicitur numerus quinquaginta annorum recursus, celebrabilis admodum, quo debita vacuantur, confirmantur Hebraeorum libertates, possessionum refusiones. Hunc numerum laeti celebramus post Domini passionem, remisso culpa totius debito, chirographo quoque vacuato ab omni nexu liberi, & suscipimus aduenientem in nos gratiam Spiritus sancti, die Petecostes vacante ieiunio, laus dicitur Deo, alleluia cantatur. Denique & puellae pater illius quae per vim concubitus nulli desponsata pertulerit, quinquaginta didrachmata argentea accipiet, ipsa autem in coniugio permanebit. Hoc etiam numero vitia vertuntur in gratiam. Magnus igitur Psalmus, quo docemur quemadmodum agenda poenitentia sit.

Psalmus quinquagesimus.

**M**iserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam:  
Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Quis nostrum, etiam si confiteatur delictum suum, non perstringendum potius, quam repetendum putet? quis secundo repetat, aut tertio? Vide quot verbis tatus propheta peccatum suum resonet, quam nullus versus sine confessione delicti sit. Congessit omnia simul, iniquitates suas & iniustitiam personando, iungens delicta peccatis: atque ea saepe repetendo, merito magnam misericordiam poscit.

**A** Nec solum magnam misericordiam, sed etiam multitudinem miserationum. Quod ergo peccatum talis non diluat deploratio? quam culpam precatio huiusmodi non emundet? Ille pro vno peccato miserationum multitudinem deprecatur, nos pro pluribus peccatis vix semel eius misericordiam credimus obsecrandam. Deinde legimus, quia in virtute sua magna, & brachio suo excelso populum suum de terra Aegypti liberauit, quando traduxit eum per mare Rubrum, in quo fuit figura baptismatis. Si ergo virtus magna in figura fuit sacramentorum, quanto magis in veritate eorum magna misericordia est? Recte quoque illic poscitur miserationum multitudo, vbi multitudo peccantium est.

In multum laua me ab iniustitia mea, & a delicto meo munda me.

Non tam sapius, quam plenius lauare petit, ut conceptam sordem possit eluere. Nouerat secundum legem plura quidem mundandi esse subsidia, sed nulum plenum atque perfectum. Ad illud ergo perfectum tota intentione festinat, quo iustitia omnis impletur, quod est baptismatis sacramentum, sicut ipse docet Dominus Iesus. Nam cum venisset ad Ioannem, ait Baptista: Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondit Dominus: Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Sed posteaquam baptizatus est Christus, & Spiritus sanctus super eum tamquam columba descendit, & pater filium signauit a caelo, iustitia omnis impleta est. Ideo Propheta dicit: *In multum laua me ab iniustitia mea.* Gradus enim squalor & macula non exiguo sed multo auferitur lauacro. Quod si quis aliter accipere vult, potest ita suum formare intellectum: Mundat sermo diuinus, mundat nostra confessio: ille dum auditur, ista dum promittitur. Mundat bona cogitatio, mundat honesta operatio, bonae quoque usus conuersationis. His mundatus, vnusquisque facilius haurit, & tamquam in se rapit splendorem gratiae spiritalis. Denique non vna infusione vellere statim pretiosus succus irradiat, sed primum succo ignobili vellus inficitur, deinde aliis atque aliis succis naturalis eius species frequenter eluitur, & diuerso saepe colore mutatur, ac sic postea velut plenioris lauacri adhibetur infectio, ut purpurae verior atque perfectior fulgor irrutilet. Sicut igitur muricum plurimum in purpurae infectione, ita in lauacro regenerationis miserationum est multitudo caelestium, ut iniquitas deleatur. Itaque qui in multum lauatur, ab iniustitia mundatur & a delicto, & peccandi quandam inolitam studiis ac moribus deponit habitudinem, & obliuiscitur qualitatem. Et bene lauatur ab iniustitia vel ini-

1. Tim. 6.

Esai. 29.

Psal. 109.

Matth. 24.

Philipp. 2.

Ioan. 1.

Esai. 49.

Gen. 27.

Iob. 1.

1. Tim. 6.

Esai. 5.

Psal. 54.

Luce. 16.

Psal. 51.

Psal. 53.

1. Reg. 22.

1. Reg. 23.

Leuit. 25.

Luce. 7.

Leuit. 25.

Dist. 76. c.

siue deber.

infin.

Coloss. 2.

36. q. 2. c. de.

inque.

Deut. 22.

1. Cor. 15.

Ioan. 1.

Exod. 14.

Psal. 133.

Leuit. 11.

13.

Hebr. 10.

Matth. 3.

libid.

Ioan. 15.

1. Ioan. 1.



quitate, quæ maior est: mundatur à delicto, quod minus est. Ideoque addidit:

Quoniam iniquitatem meam ego agnosco: & delictum meum contra me est semper.

Psal. 18.  
Psal. 14.

Prov. 2.

Psal. 4.

Genes. 4.

Rom. 2.

Prov. 18.

Non mediocre est ut agnoscat unusquisque peccatum suum. Ideoque & supra ait: Lapsus quis intelliget? Id est, quis est tantus ut intelligat? Quomodo illud: Quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis ascendet in montem Domini? Nō utique nullus, sed rarus. Qui enim potest agnoscere, potest declinare, potest quid sequatur eligere. Plerique in suis lapsibus gloriantur, & putant ea laudis esse quæ criminis sūt. Si alienum coinquinavit torum, & pudicæ fœminæ expugnauit affectum, si viduæ propositum aliqua fraude mutauit: alius necem hominis, latrocinij infidias, & rapto viuere putat esse virtutis. Nonnulli circumuenite ac fallere arbitrantur esse sapientiæ. Ex his nullus potest dicere: Quoniam iniquitatem meam ego agnosco. Sed ille qui potest dolere quod fecerit, condemnare quod deliquerit, quem sua vitia compungunt. Vnde & Propheta ait: Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Plerique eorum cum ceciderint, se iactare consueverunt: & quos casus nō læserit, iactando se debilitant & frangunt. Alij (qualis Græcorum equorū fertur natura) cum vel in certamine curuli elisi fuerint, vel fortuito ceciderint, nequaquam se mouere consueverunt, & quandam tenent quietis & patientiæ disciplinam. His si casus non nocuit, quies prodest, certè non acerbatur offensio. Nōne mutis animalibus deteriores æstimandi, qui se in flagitiis suis iactant, & putant insigne esse virtutis vbi lapsus est criminis? Ideo quasi muto dicitur iumento: Peccasti, quiesce. Vnde pulchre addidit: Et delictum meum contra me est semper. Inspiciens enim delectatur erroribus suis, & nouis vetera obumbrando peccatis se existimat adiuari, ideoque exultat in crimine. At verò sapiens aduersum se iudicat esse delictum suū, & tamquam hostiles acies, ita lapsus culparum suarum aduersantium modo sibi arbitratur obistere. Quid quid personauerit, quid quid increperit, culpa ei propria semper occurrit: quid quid fuerit dictū aut lectum, in se dictum putat: quid quid intenderit, se nutu, se oculis signari putat. Si epuletur, si cogitet, si orer ac depræcetur, ante oculos eius semper est error proprius, & momentis omnibus culpa pulsat conscientiam, nec quiescere, nec obliuisci finit, velut grauis censor exagitat se terrore perpetuo. Omnia igitur aduersa habet, qui ipse sibi displicet, ipse sui accusator, ipse sui testis est, nec inuenit quod fugiat, quippe se perurget, & stimulat. Sed hoc bonæ mentis est, vulnus sentire peccati. Nam qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbitatem, quod est immedicabilis ægritudinis. Qui autem aliquo dolore punguntur, sicut doloris sensu non carent, ita etiam non carent sanitatis profectu. Vbi enim doloris sensus, ibi etiam sensus est vitæ: sentire enim, vitalis vigoris ac muneris est. Vnde & ille qui errorem suum non agnoscit, insanit, furit, desipit: qui autem agnoscit, utique respiscit, non respuit remedia sanitatis, se ipse restringit, pœnitet eum culpæ, de ipsa semper cogitat, & cogitando se

ipse condemnat. Iustus enim in primordio sermonis accusator est sui. Qui se accusat, iustus est, sobrius est, sanus est. Iustus fauere sibi nescit, rigore iudicij etiam circa se non nouit inflectere, recordationem lapsus proprii perhorrescit, & commissum erubescit errorē, omnem eius memoriam pauet, metuit, reformidat, grauem sibi se iudicat, se ipsum arbitrum refugit, nec sese sibi audet committere, quod nullū putat sibi esse grauiorem, quàm eum quem latere non possit, fallere non queat, fugere ac vitare non reperiatur, nisi ut se sibi abneget, & Domini crucem tollat. Magna vis obnoxii conscientie. Magna supplicia timebant Adam & Eua: & cum Domini vocē in paradiso ambulantis audirent, cupiebant se abscondere, quos nemo quærebatur. Cain quoque metuebat ne omnis eum quicumque inueniret, occideret. Ita in se ipse ferebat sententiam, quod dignus esset cui nullus ignosceret. Vnde bene ait: Et delictum meum contra me est semper; hoc est, sine interuallo aliquo recordatio & species ipsa mei me erroris impugnant. Considera quomodo nos confundat, cum aliquid deliquimus, quomodo ineurset oculos, quomodo in memoriam semper recurat. Quem commissi pudet, nescit postea aliquid tale committere, vnde similiter erubescat. Præcedit autem iniquitas, peccatū sequitur. Radix est iniquitas, fructus autem radicis est culpa. Vnde videtur iniquitas ad mentis improbitatem referri, peccatum ad prolapsionem corporis. Grauior iniquitas tamquam materia peccatorum, leuius peccatum. Denique iniquitas per lauacrum remittitur, peccatū tegitur bonis factis, & bonis operibus tamquam alis obumbratur. Vnde bene supra hic ipse ait: Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Charitas enim abscondit errorem, & operit multitudinem peccatorum. Multa quoque charitas remittit etiā ipsa peccata, sicut scriptū est de ipsa muliere quæ super Dominum fudit vnguētum: Remissa sunt peccata eius multa, quoniā dilexit multum. Sunt etiam qui accipiunt priorem versiculum de lauacro esse, secundum de pœnitentia. Qua gratia etiā Petrus, quia antè fuerat baptizatus, interrogatus, postquam visus est Dominum negasse: Simon Ioannis diligis me? dicit ei: Vtique tu scis Domine quia diligo te. Et iterum interrogatus: Simō Ioannis diligis me? Et iterum respondit: Tu scis quia amo te. Et tertio interrogatus: Simon Ioannis amas me? Et contristatus est, quia dixit ei tertio, Amas me? & dicit ei: Domine omnia tu scis, tu nosti quia amo te. Et dictum est ei trina vice: Pasce oues meas, sequere me; quasi qui peccatum suum nimia charitate texisset. Nec otiosè post confessionem nimie charitatis iubetur plebem regere, qui etiam turbatus non amiserat quemadmodum ipse se regeret. Hæc propter gratiam diximus charitatis, eo quod peccatum tegat. Denique nonnulli ideo trina interrogatiōne dilectionis factam esse dixerunt, quia trina fuerat negatio, ut trina lapsus negationis professio charitatis totiens repetita deleteret.

Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: ut iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

Tibi

Tibi soli peccaui. Rex utique erat, nullis ipse legibus tenebatur: quia liberi sunt reges à vinculis delictorum. Neque enim vllis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperij potestate. Homini ergo non peccauit, cui non tenebatur obnoxius. Sed quamuis tutus imperio, deuotione tamen ac fide erat Deo subditus: & legi eius subiectum se esse cognoscens, peccatum suum negare non poterat, sed quasi reus cum amaritudine ferebatur, qui sciret maioribus vinculis se teneri, quia maiora deberet: quoniam plus ab eo exigitur, cui plus commissum est. Possimus etiam & ita accipere: Quis me diiudicat, cum omnes sub peccato sint? Denique Dominus de illa adultera: Qui sine peccato (inquit) est, prior lapidet eam. Et nemo lapidauit. Hoc igitur ait Propheta: Tibi soli peccaui, qui solus sine peccato es. Qui autem peccato obnoxius est, quasi peccatorem non potest iudicare. Inexcusabilis est enim omnis homo, qui in alio ea quæ agit ipse, condemnat. In quo enim alium iudicat, semetipsum adiudicat. Tibi (inquit) peccaui, & malum coram te feci: ut iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Tibi peccaui qui me ad virtutis studia prouocasti, qui me erudisti in lege tua. Tibi soli peccaui, quem solum abscondita cogitationum, & mentis occulta non fallunt. Et malum coram te feci, quem solum sanctificatio decet. Hominis testimonium declinamus, & in conspectu tuo ea quæ sunt indigna committimus. Iniuria est homini spectare flagitia: Deum arbitrum omnium esse scimus, & eo ipso teste peccamus, & tamen in his iustificatur magis Dominus Deus noster, quia iniustitia nostra Dei iustitiam commendat, & mendacium nostrum celebrat veritatem Dei. Sit enim Deus verax, omnis autem homo mendax. Ut iustificeris in sermonibus tuis. Sermones Dei pleni veritatis sunt atque iustitiæ, ideoque vera sunt quæcumque locutus est Dominus de fragilitate humana, quia inclinatum est cor eorum ad nequitiam, propendet ad fraudem: & quia definiuit, eo quod non sit homo qui non peccet. Omnes enim declinauerunt, & inutiles facti sunt. Ideo vincit dum iudicatur. Veniens enim ad iudicium Deus dicit: Populus meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Quia eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruitutis liberaui te, & misi ante faciem tuam Moysen, Aaron, & Mariam. Plebs mea in mente habeto quid cogitauerit de te Balach. Singula in conspectu tuo locat beneficia sua, ut tamquam de his iudices quæ seruare debueras, quod magis reus fias, qui diuinis non potueris stare beneficiis. Quid feci, inquit, tibi? Tamquam reum se constituit, & te iudicem. Aut quid contristauit te? Offensi vultus non abnuat crimen, si tu Deo es contristatus auctore.

S. Ambros. tom. 2.

Aut quid molestus tibi fui? Interpellationis iniuriam confitetur, si molestior æstimata est: addit beneficium, quorum gratiam non erubuit, qui existerat ingratus. In hac quoque causa considera quomodo Dominus se ipsi Dauid iudicandum præbuit, ut vinceret. Dicit enim Nathã: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego vnxi te in regem super Israel, & ego liberaui te de manu Saul, & dedi tibi omnia quæ erant domini tui: & vxores illius in sinum tuum dedi, & dedi tibi domum ipsius Israel: & si pauca sunt, adiciam tibi. Et quare pro nihilo duxisti Dominum, ut faceres nequiter in conspectu eius? Horum commemoratione conuentus cum videret inferiorem se esse, cum iudicat, ait: Peccaui Domino. Ita iustificauit Dominum, qui peccatum suum negare ausus non est. Possimus & ita accipere: Iustificat Dominum qui peccatum fatetur. Denique in Euangelio habes, quia publicani iustificauerunt Deum baptizati baptismo Ioannis. Baptista autem Ioannes baptismum fecit pœnitentiæ. Qui autem agit pœnitentiam, delicta non abnuat. Ergo quia Dauid semper habebat delictum suum contra se, utique non negabat quod & erubescerebat, nō negabat quod & agnoscebat. Non negando autem, utique commissi pœnitentiam gerebat erroris, atque ita confitendo delictum, iustificabat Dominum, & ipse iustificabatur à Domino. Iustificatur enim Dominus, dum eius prædicatur iustitia, & ab eo venia postulatur. Simul & ipse iustificat confitentem, & iustificatur in sermonibus suis, sicut scriptum est: Dic iniquitates tuas, ut iustificeris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.

Quis tanto affectu agit pœnitentiam? Humi stratus iacuit fusus in lacrymas, cibum non gustauit, lauacro se abdicauit. Quid iam reliqua dicam, quod abstinerit ornatu & comitatu regio? Adiūxit confessionem iniquitatis suæ, & in perpetua sæcula toto canendam orbe transmisit. Ecce (inquit) in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Antequam nascamur, maculamur contagio: & ante vsuram lucis, originis ipsius excipimus iniuriam, in iniquitate concipimur. Non expressit vtrum parentum, an nostra. Et in delictis generat vnumquemque mater sua. Nec hinc declarauit vtrum in delictis suis mater pariat, an iā sint & aliqua delicta nascantis. Sed vide ne vtrumque intelligendū sit: quoniā & parētes non carēt lapsu, nec conceptus iniquitatis exors est. Nā si nec vnus dici infans sine peccato est, multo magis nec illi materni conceptus dies sine peccato sunt. Bonum quidem coniugium, sancta copula: quia honorabile connubium, & torus immaculatus: sed tamen qui habent vxores, ita sint ac si non habentes: & nemo alterum fraudare debet, nisi forte ad tempus, ut vacent orationi; & iterum in vnum conuenire, ne tentet satanas propter incontinentiā. Concipimur ergo in peccatis parentum, & in delictis eorum nascimur. Sed & ipse partus habet contagia sua, nec vnum tantummodo habet ipsa natura contagium. Vnde in lege dies partus, & plerique alij à sacrificio feriati sunt. mulier enim quæ generauit, non potest in diebus purgationis suæ offerre

Y

Luc. 12.  
Rom. 3.  
Iam. 8.

Rom. 2.

1. Cor. 4.

Rom. 3.

Genes. 8.  
2. Paral. 6.  
Psal. 13.

1. Ioh. 1.  
Hebr. 6.  
Rom. 3.

Mich. 6.

Rom. 2.

Mich. 6.

2. Reg. 12.

Ibidem.

Luc. 7.

Luc. 3.

Esai. 43.

2. Reg. 12.

3. Aug. lib. 4. contra duas epist. Pelagii. cap. 11. & lib. 1. contra Iulian. Pelag. cap. 2.

Iob. 14.

Hebr. 13.

1. Cor. 7.

5. Aug. lib. 2. contra Iulian. Pelag. cap. 7.

Leuit. 12.

Hierre. 1.

facrificium, nec ingredi sanctuarium donec legitimo ritu mundetur à fœtu. Ideo in quo voluit Dominus nulla huiusmodi originis esse contagia, dicit illi: Priusquam te formare in utero matris tuæ, & prophetam in gentibus posui te. Quis tantus, cui tam magna delata sunt? Numquid Hieremias? Non utique. Ille enim non in gentibus propheta propositus, sed in Iudæa tantum; licet nunc etiam in nationibus, quæ in Iesum Dominum crediderunt. Vide igitur ne illi dicatur, qui antequam nasceretur ex Virgine, iam dudum erat, & erat semper, & operabatur in utero Mariæ constitutus, & ita sanctus erat, ut sanctificaret prophetas suos, in quo solo & conceptus virginalis & partus sine ullo fuit mortalis originis inquinamento. Dignum etenim fuit ut qui non erat habiturus corporeæ peccatum prolapsionis, nullum sentiret generationis naturale contagium. Merito ergo David flebiliter in se deplorauit ipsa inquinamenta naturæ, quod prius inciperet in homine macula quam vita. Dum hæc dicit, & peccatorum specialium atque communium colluuiem confitetur, subito ei splendor veritatis, & candor gratiæ spiritalis effulsit. Supergressus enim umbram spiritu prophetico ipsa vidit mysteriorum sacramenta caelestium, quorum typum Moyses præfigurauit in lege. Vulneratus igitur charitatis vulnere, & indaganda captus veritatis cupiditate, in superiora suæ mentis extendit intuitum, & in futura prospiciens, thesauros sapientiæ & scientiæ vidit in Christo, præuidit baptismatis sacramentum, & miratus gratiam, exclamauit subito, dicens:

**Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.**

Non incerta mysteria, quia certa sunt: nec incerta secreta & arcana sapientiæ, sed non manifesta. Hoc enim significat, quia nullis adhuc essent manifesta. Quod enim oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, hoc præparauit Deus diligentibus se. Videns igitur ea, dicit: Ecce iam non in umbra, nec in figura, nec in typo, sed in veritate lux aperta resplendet. Ecce nunc veritatem aspicio, splendorem veritatis agnosco, nunc te maiori Domine Deus noster veneror affectu. *Ecce enim veritatem dilexisti*, non per speculum, non in ænigmate, sed facie ad faciem te mihi Christe demonstras, in tuis te teneo sacramentis. Hæc sunt tuæ vera sacramenta sapientiæ, quibus mentis occulta mundantur. Itaque iam latus atque securus, quod vibrasset ei sapientiæ plenitudo, dicit ad Dominum:

**Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealabor.**

Bene & veteris testamenti sacramenta non euacuat, & euangelica docet mysteria præferenda: hyssopo mundari secundum legem postulat, lauari secundum Euangelium concupiscit: & supra niuem se existimat, si lotus fuerit, dealbandum. Per hyssopi fasciculum aspergebatur agni sanguine, qui mundari volebat typico baptisinate. Lauatur autem, qui diluitur æterni fontis irriguo: & supra niuem dealbatur, cui culpa dimittitur. Denique de ipsa anima

dicitur: Quæ est hæc, quæ ascendit dealbata? Antequam baptizaretur ipsa est quæ dicebat: Nigra sum & decora filia Hierusalem. Erat enim nigra, tenebroso peccatorum horrore deformis: sed postquam abluta per baptismum remissionem meruit delictorum, dealbata ascendit ad Christum. Inde & per Esaiam Dominus locutus est, dicens: Si fuerint peccata vestra sicut phenicium, ut niuem dealbabo: id est, si cruenta, si tetra, mundabo. Hæc est nix intelligibilis, de qua ait quod Domini Iesu in Euangelio resulserint vestimenta sicut nix: eo quod peccatum non cognouerit, caro enim qua se induit, ab omni fuerat munda delicto. Quid miraris si vidit baptismatis sacramenta, cum supra dixerit, ubi descriptis passionem Domini: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit, super aquam refectiois educauit me. Et alibi: Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit. Et de ipso sacramento plenius dixit: Parasti in conspectu meo mensam, impinguaui in oleo caput meum, & poculum tuum inebrians, quam præclarum est. Merito ergo iste quoque exultans ait:

**Auditui meo dabis gaudium & lætitiæ: & exultabunt ossa humiliata.**

Probasti Domine Iesu quia nunquam verba tua prætereunt. Probasti illud euangelicum quod dixisti. Multi prophetae & iusti voluerunt videre quæ vos videtis, & audire quæ vos auditis. Ecce David solo lætatur auditu, quia futura esset peccatorum remissio: & propheta quia exultabunt ossa humiliata. Sicut enim omnia iusti ossa dicunt: Domine, quis similibus tibi sic exultabunt ossa humiliata. Humiliantes enim animam iusti dicuntur, ergo ossa virtutes dicuntur. ipsa enim velut quidam animi motus humiliantur peccatis, & exultat gratiæ caelestis munere. Dicuntur & ossa populi Ecclesiarum. Vnde habes dictum & in Psalmo: Non est absconditum os meum, quod fecisti in occulto. Os suum Ecclesiam dixit, & plebis deuotæ conuentus sacros, quoniam sumus membra corporis Christi de carne ipsius, & de ossibus eius. Hoc igitur dicit, quia Ecclesia Domini omnia opera diuina cognoscet, & fidem resurrectionis accipiet. Sequitur:

**Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.**

Visitata est deprecatio, ut eos quos læsimus, obliuisci offensionis propriæ postulemus. Moraliter ergo Deum rogat Propheta ut auertat faciem suam à peccatis eius, & tamquam obliuia peccatorum eius assumat. Sed quia omnia spectat, & nihil eum præterit, obliuisci non potest, sicut nos, quos breui intervallo temporis eorum quæ cognouerimus, memoria subterfugit. Ideo bene agit ut faciem suam auertat, non ab ipso, ne deficiat destitutus: sed à peccatis, ut vires non possint habere peccata ipsius. Quos enim aspicit Dominus, illuminat, & in vultu Domini pietas atque indulgentia est. Ideoque hic ipse ait: De vultu tuo iudicium meum prodeat. De vultu enim Domini venia, non pœna procedit. Rogandus est ergo vt nos aspiciat, auertat autem faciem suam à peccatis nostris, vt deleat ea. Quæ enim non aspici-

Psalm. 43.

De pan. diff. 1. alle. res. 8. peccatum aut. 2. natur.

1. Rom. 3.

Psalm. 12.

Psalm. 28.

Psalm. 22.

Coloss. 2.

Math. 24.

Math. 13.

Math. 9.

Psalm. 34.

Luc. 18.

Psalm. 138.

Psalm. 138.

Ephes. 5.

Psalm. 138.

Coloss. 3.

Hebr. 4.

Psalm. 103.

Psalm. 307.

Psalm. 16.

cit, delet: & quæ deleuerit, ea cum eorum memoria sepelientur, sicut ipse Dominus ait: Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non eris tu autem memor esto, & iudicemur. Peccatum autem aut donatur, aut deletur, aut tegitur. Donatur per gratiam, deletur per sanguinem crucis, tegitur per charitatem. Similiter & iniquitas, quæ æstimatur habitu mentis iniustæ: licet Ioannes in epistola eum qui fecerit peccatum & iniquitatem fecisse dixerit, sicut habemus scriptum: Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit. Peccatum est iniquitas, quia in peccato ipso iniquitas est. Tamen vt nobis videtur, omne peccatum est iniquitas: iniquitas autem operatrix culpæ aut delicti. Plus est ergo vt ipsa iniquitas deleatur, excidatur radix & feminarium peccatorum: mala tollatur radix, ne malos fructus ferat: aboleatur erroris omnis affectus, vniuersa iniquitatum genera tollantur. Itaque quemadmodum intrans in animam sapientis disciplina, imprudentiam tollit, & scientia ignorantiam: sic perfecta virtus iniquitatem, & remissio peccatorum delet omne peccatum. Vnde præclare Apostolus ait: Quia donauit nobis peccata Dominus Iesus, delens chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum, inquit, de medio tulit, affigens illud cruci. Deleuit sanguine suo atramentum Eux, deleuit obligationem hereditatis obnoxia. Fides igitur peccatum minuit. Et ideo Dominus dimittens peccata dicebat: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

**Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.**

Superius mundari ab occultis se petit, hic postulat cor mundum creari sibi: quod ei prouenit qui renouatur spiritu. In nouo enim homine cor mundum est, in quo veterum delictorum fuerit deleta colluuiis, nec inscripta manserit aliqua iniquitatis effigies. Grande autem munus, cordis esse mundi. Vnde pulchre Salomon: Quis gloriabitur castum se habere cor? Et Dominus in Euangelio: Beati mundo corde, ipsi enim Deum videbunt. Propterea etiam David cor mundum habere cupiebat, ne à facie Domini proiceretur. In quo autem cor mundum est, innouatur in eius interioribus spiritus. Viscera enim velut interiora sunt animæ. Sicut enim viscera sunt interiora corporis, ita sunt & intelligibilia viscera animæ, vt sunt viscera misericordiæ, vt sunt interiora quæ benedicunt Dominum, de quibus ait: Benedic anima mea Dominum, & omnia interiora mea nomen sanctum eius. Viscera autem animæ adinventiones sensuum sunt, bonæ cogitationis studia, virtutum perseverantia, postremo illæ quæ Græcè *ενοχολογία* dicuntur. Rectus autem spiritus, qui bene dirigit, qui deducit in viam rectam: hic est spiritus veritatis, vel certe recta hominis conscientia nullis inflexa peccatis, vel spiritus qui in homine est. Non prætermisimus quid alij sentiant, tamen nobis videtur, quoniam de mysteriis dicit lectio, & futura gratia renouationis exprimitur, Spiritusque sancti infusio postulatur. Denique sequitur:

**Ne proicias me à facie tua, & Spiritum**

sanctum tuum ne auferas à me. Si quis nos offenderit seruulorum, auertere ab eo vultum solemus. Plerique autem diuitum amandare confuerunt mancipia sua, & per agellos relegare, & hæc pœna grauior æstimatur. Denique solent magis se offerre verberibus. Si apud homines hoc graue ducitur, quanto magis apud Dominum Deum nostrum? Quasi non hinc dolor parricidalis (reprimendus quidem si qua eum pietas temperare potuisset) eruperit, quod faciem suam Deus à Cain muneribus auerit, respexit autem super munera Abel. Itaque tacito vultu alterum innocentem pronuntiauit, alterum peccatorem. Ergo quasi vltimus seruus humiliat se: & quasi in peccato deprehensus, & offensæ reus, obsecrat vt flagelletur potius, quam proiciatur à facie Domini. Quomodo proiciat Deus à facie sua, audi dicentem: Mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Qui non emendatur, à facie eius in tenebris constituitur. Ideo iustus ne tenebras patiat, ait: Vultum tuum Domine requiram. Vbi enim Domini vultus, ibi lumen est, sicut scriptum est: Faciem tuam illumina super seruum tuum. Denique vbi primum intuitus Petrum, illuminauit. Grande igitur supplicium, proici à facie Dei. Proiectus est Adam de paradiso, nec immerito. ipse enim ante se absconderat à facie Dei. Exiuit & Cain à facie Dei, non solum post parricidale commissum, sed etiam quædo Deum putauit esse fallendum, vt crimen negaret. Peccator igitur excluditur à facie Dei, iustus autem dicit: Ecce ego. Denique ipse David cum videret interire populum, semetipsum obtulit, dicens: Ego sum, ego peccavi, & ego pastor malè feci. & sic ira Domini mitigata est, & venia donata. Simul ostendit quia sancti permanent, criminosi proiciuntur. Ideoque seruanda est nobis gratia spiritalis, ne propter peccata nostra auferatur à nobis. Non enim proicitur in quo Spiritus sanctus est, sed inoffensus muneris sui fructu studet se Domino semper offerre, sicut ille qui dicenti Domino: Numquid & vos vultis abire? respondit: Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus. Simul illud considerandum, quia non auferatur spiritus nisi Domini voluntate, sicut non datur nisi Domini voluntate. Qui utique cum datur, non quasi coactus operatur, sed pro sua voluntate diuiditur, sicut scriptum est, dicente Apostolo: Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Cum igitur non auferatur nisi Domini voluntate, apparet quia vna Trinitatis voluntas est.

**Redde mihi lætitiæ salutariæ tuæ, & spiritum tuum principali confirma me.**

Cui deberur lætitiæ salutariæ, redditur: redditur autem rationali naturæ. Lætitiæ verò & gaudium fructus est spiritus. Firmamentum quoque nostrum spiritus principalis est. Denique is qui principali confirmatur spiritu, non est obnoxius seruituti, necit seruire peccato, necit fluitare, nec studio nutat incertus, sed firmatus in petra solido stabilitur vestigio. Quem putamus dici spiritum principalem? Plerique spiritum rectum ad Dominum referunt Iesum, qui peccatum mundi abstulit.

Ioan. 1. Apo. 1.

& omne hominum genus sui sanguinis effusione renouauit: & ideo dictum est: Spiritum rectum inno-  
ua in uisceribus meis. Spiritum autem sanctum, de  
quo dicit: Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me,  
spiritum intelligunt ueritatis: spiritum uero princi-  
palem, Deum patrem arbitrantur. Quam moraliter  
autem ait: Ne proicias me a facie tua? Fideliter ti-  
met auferri sibi quam acceperat gratiam. Ideoque  
alibi ait: Oculi mei semper ad Dominum. Et in po-  
sterioribus: Ecce sicut oculi seruatorum in manibus  
dominorum suorum, & sicut oculi ancillae in mani-  
bus dominae suae: ita oculi nostri ad Dominum Deum  
nostrum, donec misereatur nostri. Certè hic est spi-  
ritus, auctor & princeps, qui regat mentem, confir-  
met affectum, quod uelit trahat, & in superiorem  
uiam dirigat. Sunt & qui acceperunt spiritum ho-  
minis, qui in ipso est. Ideo ait Apostolus: Quis enim  
scit hominum quae hominis sunt, nisi spiritus qui in  
ipso est? Qui potest scire omnia, & quem hominis  
occulta non fallunt, potest in homine habere prin-  
cipatum.

Ioan. 14.

Psal. 24.  
Psal. 122.

1. Cor. 2.

Docebo iniquos uias tuas, & impij ad te  
conuertentur.

Ille praecipuus est gubernator, qui scopuloso in  
litore nauim gubernat. Ille doctor bonus, qui du-  
riora acuit ingenia ad eruditionis profectum. Ille  
bellator egregius, dux mirabilis, qui timidiore  
accendit in praelium, exploratque locorum ingenijs  
fulcit, ut infirma uirium commoda stationis opor-  
tunitate compenset. Ille similiter magnus etiam fi-  
dei zelator, qui iniquos docet. Vnde pulchre ait:  
*Docebo iniquos.* Non dixit: Docebo iustos (nouerunt  
enim iusti uias Domini) sed, *iniquos* (inquit) *docebo.*  
Denique auctor prudentiae & magister omnium di-  
cit: Non ueni iustos uocare, sed peccatores. Et me-  
dicus ille caelestis: Non opus est sanis, inquit, me-  
dicus, sed infirmis. Siue igitur ex persona illius qui  
gentes uocauit, siue ex sua, bene posuit: *Docebo in-  
quos uias tuas*, quia commutare uitiosos affectus po-  
test, propositumque conuertere doctrina caelestis: &  
operatio diuina sacrilegis pectoribus studia pietatis  
infundere, ut hi qui sine lege uiuebant, conuertan-  
tur ad Dominum. Verum qui ante auertebantur, re-  
galis quoque exemplo poenitentiae, qui iniquitates  
& acerbis exercent flagitia, corrigantur: & fide at-  
que opere conuersi, doctrinae remedium salutaris  
accipiant, ingrediantur Domini uias, in quibus nul-  
los erroris anfractus, nulla diuerticula praecipitis  
prolapsionis offendant. Sicut enim bonae uitae spe-  
cimen & uirtutis exemplar in iis uiris est, qui in of-  
fensa uita suae tempora percurrerint, ita qui ante-  
actis renuntiantes flagitijs uel incredulitatis errori-  
bus emendauerint cursum posterioris aetatis, his ad  
imitandum propositi sunt qui uel opere uel cogita-  
tione labuntur. Sequitur:

Mat. 9.  
Ibidem.

Ephef. 2.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus sa-  
lutis meae: & exaltabit lingua mea iustitiam  
tuam.

2. Reg. 11.  
Rom. 2.

Libera me de sanguinibus. Et ad uiam mortem potest  
referri, quod mandatae necis eius conficius, ueniam  
tanti poscat admitti: & quamuis rex legibus absolu-

tus, suae tamen reus sit conscientiae. Quibus uinculis  
se enodari desiderans, diuinum sibi precatur auxi-  
lium, ut ab omni criminis perpetrati labe munde-  
tur. Et reuera cum mitis & corde mansuetus egre-  
gia semper dederit sanctus Propheta suae mansuetu-  
dinis & pietatis insignia, ita ut aduersarijs suis fre-  
quenter ignouerit, atque ab eorum nece putauerit  
abstinendum, non est mirum quod tam grauius  
doleat fundendi sanguinis innoxij sibi obrepisse  
peccatum. Ideo liberari se a sanguinibus, hoc est, a  
peccatis mortalibus postulat. Laudauit Dominum  
Deum suum, iustitiam Domini praedicauit. Ideoque  
addidit: *Exaltabit lingua mea iustitiam tuam.*

Domine labia mea aperies, & os meum  
annuntiabit laudem tuam.

Qui laudat Dominum, ab inimicis suis erit sal-  
uus, ut scriptum est. Et certè supra dixerat in quadra-  
gesimo nono Psalmo: Peccatori autem dixit Deus,  
Quare tu enarras iustitias meas? Cum ergo per os  
suum dixerit quod peccatorem prohibuerit Deus  
suas enarrare iustitias, utique ipse enarrando iustitia  
Dei, declarauit commissum hoc nequaquam sibi  
imputatum esse peccatum. Et addidit: *Labia mea ape-  
ries, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Os peccatoris  
Deus claudit, ne loquatur iustitias Dei: iusti aperit  
ut loquatur. Cuius ergo labia aperit, hunc peccati  
absoluit reatu. Illius autem aperit labia Dominus,  
qui accipit uerbum in apertione oris sui. Vnde & A-  
postolus petit se adiuuari orationibus plebis, ut a-  
periat sibi ostium uerbi ad loquendum myste-  
rium Christi. Linguam uero pro sermone accipi-  
mus eius qui exultat in Dei laudibus. Vnde & illud  
sic aestimatur: *Lingua mea calamus scribae uelociter*  
*scribentis, sermo infusus Prophetae.* Quod si ex per-  
sona Christi dictum accipimus, uide ne scriba sit uel-  
ociter scribens uerbum Dei, quod animae uiscera  
percurrat & penetret, & inscribat in ea uel naturae  
dona uel gratiae. Lingua autem sit sanctum illud cor-  
pus ortum ex Virgine, quo uacuata sunt uenena ser-  
pentis, & Euangelij opera toto orbe celebranda de-  
cursa sunt. Accedit ad euacuandum peccatum, quod  
humilitate suscepit. Contriuit cor suum, quod ma-  
gis sacrificij Dominus elegit quam holocausta pro  
peccatis, quae secundum legem offerri solebant.  
Denique supra ait: *Holocausta & pro peccato non*  
*postulasti, tunc dixi, Ecce uenio: id est, non rapinam*  
*arbitratus esse me aequalcm Deo uenio formam serui*  
*accipiens: uenio in specie susceptionis humanae, in*  
*uirtute crucis, mortis humilitate obedienciam pro-*  
*baturus, ut inobedientia deleatur. Merito ergo &*  
*hic dicit:*

Quoniam si uoluisses, sacrificij dedissem  
vtique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificij Deo spiritus contribulatus: cor  
contritum & humiliatum Deus non spernit.

Sicut supra dixi, certum est mysterio conuenire  
quod ipse Dominus Iesus uideatur hic quoque ex  
sua persona loqui, qui superius illud personae suae  
euidenti testificatione deprompsit. Ipse enim uer-  
sus Dauid manu fortis, uerus, humilis, atque man-  
suetus, primus & nouissimus: aeternitate primus,  
humilitate

Psal. 138.

Psal. 17.  
Psal. 49.

Coloss. 4.

Psal. 44.

Heb. 4.

1. Petr. 2.  
Heb. 10.

Psal. 39.  
Philip. 2.

Rom. 10.  
Apo. 22.

Escl. 47.

Rom. 10.

humilitate uultus: per cuius obedientiam humani A  
generis culpa deleta, refusa iustitia est. Ipse inquam  
Iesus umbræ finis & legis, aduenit humilitatis magi-  
ster, docere superbos sensu, & tumore cordis infla-  
tos, ad mansuetudinem & simplicitatem esse mi-  
grandum. Quomodo igitur in typo eius mysterij  
peccatum imputari potest, cum in ipso mysterio sit  
remissio peccatorum? Nisi fortè ideo Dauid iniqui-  
tatem suam, peccatumque confessus est eius admis-  
si, ut & ipse ad remissionem peccati, & gratiam my-  
sterij pertineret.

Benedic Domine in bona uoluntate tua B  
Sion, & aedificentur muri Hierusalem.

Quid sibi uult quod uir peccatum suum confitens,  
de Sion & Hierusalem psallit, dicens: *Benedic Domine*  
*in bona uoluntate tua Sion, & aedificentur muri Hierusa-*  
*lem:* nisi quia accelerare ei placet Ecclesiae congre-  
gationem per uocationem gentium: quae non ancil-  
lae filij, sed liberae Hierusalem illius quae in caelo est,  
fidei suae profapiam toto orbe diffunderet, & spiri-  
talia septa murorum doctrinae apostolicae funda-  
ret assertionem? Muri itaque Hierusalem fidei propu-  
gnacula, disputationum munimenta, uirtutum cul-  
mina sunt. Muri Hierusalem Ecclesiarum conuen-  
tus sunt toto orbe fundati. Ecclesia enim dicit: Ego  
murus, & uera mea turris. Et bene muri Hierusa-  
lem, Ecclesiarum conuenticula sunt, quoniam quis-  
quis bona fide atque opere ingreditur Ecclesiam, sit  
superbae illius cuius & incola ciuitatis quae descendit  
de caelo. Hos muros lapidum aedificat structura ui-  
uorum. Videt igitur Hierusalem ueram & Sion dixit:

Galat. 4.  
Heb. 12.

Canit. 8.

Apo. 21.  
1. Iu. 2.

SANCTI AMBROSII IN PSALMVM LXI. ENARRATIONIS FINIS.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS, IN PSALMVM DAVID LXI.  
ENARRATIO.

Titulus Psalmi LXI.

In finem, pro Idithum, ipsi Dauid Psalmus.



MINIMUM nostrum indubia consuetudo D  
annuntiat: ipsi Christi, cum ipse se nuntiat, uenturum  
est, ut festinemus ad finem, & eorum quae  
legimus uel uidimus & audiuius, ueli-  
mus summam cognoscere. Vnde titulus  
ipse otiosos nos esse non patitur, nec feriat praeter-  
ire auribus desiderij communis indicium. Prae cae-  
teris enim, licet etiam caeteris clareat, diuinum ta-  
men in huiusmodi Psalmo resulget oraculum. Vnde  
diligentius quid sit finis consideremus. Finis enim  
dicitur *προς*, & summa rei eius quam uolumus expli-  
care. Finis dicitur Christus: quia ipse est finis legis,  
sicut scriptum est: Finis enim legis Christus ad iustitia  
omni credenti. Finis etiam dicitur, quia ipse est princi-  
piu & finis. Ergo isti Psalmi qui titulatur, *in finem*, aut  
de Christo sunt, aut ipsi Christi. De Christo, cum ipse

Cum benedixeris in bona uoluntate tua Hierusalem & Sion.  
Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, obla-  
tiones & holocausta: tunc imponent super  
altare tuum vitulos.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiae: hoc est, sacrifi-  
cium corporis Christi, qui ait, cum de propria pas-  
sione loqueretur: Aperite mihi portas iustitiae, & in-  
gressus in eas confitebor Domino. Et in Euangelio  
ait ad Ioannem: Sine modo, sic enim oportet nos  
implere omnem iustitiam. Et infra: Beati qui perse-  
cutionem patiuntur propter iustitiam. Iustitia Chri-  
stus est. Sacrificium ergo Christi acceptabile futu-  
rum patri asserit. Hoc est ergo de quo & supra ait:  
Sacrificia sacrificium iustitiae, & sperate in Domi-  
no. Haec est iustitia spiritalis, oblatio & holocau-  
stum seruentis deuotionis, & infusionis Spiritus  
sancti, quod dicit futurum, cum ad illud spiritale  
Domini altare coeperint admoueri animae creden-  
tium, quae renuntiantes uoluptatibus atque deli-  
cijs, tamquam aratrum in uisceribus suis ducant, ut  
fructus possint ferre pia cultura. Vel certè ita, cum  
benedixeris Ecclesiam ex gentibus acquisitam, &  
spiritale sacrificium iustitiae coeperit frequentari,  
tunc & martyres sancti, qui suum pro Christo cor-  
pus obtulerint exarandum, tamquam vituli sacris  
altaribus offerentur, sicut in Apocalypsi Ioannis  
scriptum inuenimus, quia sub altari erant anime eo-  
rum qui pro Domini Iesu nomine corpora sua ob-  
tulerunt martyrio, ut Christi sibi gratiam merca-  
rentur: cui est honor & gloria, laus, perpetuitas cum  
Deo patre & Spiritu sancto a saeculis & nunc & sem-  
per, & in omnia saecula saeculorum. Amen.

Psal. 117.

Mat. 3.  
Mat. 5.

1. Cor. 1.

Psal. 4.

Apo. 6.

1. Paral. 25.

1. Ioan. 2.



*Psalms sexagesimus primus.*

**N**onne Deo subdita erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.

Suscipitur carnem hominis Dominus noster Iesus, ut in se eam ipse mundaret, quid prius quam peccati veteris debuit abolere contagium? Nam quia per inobedientiam culpa irrepserat, dum mandata diuina temerantur, obedientiam utique præceteris debuit reformare, ut seminarium erroris excluderet. Fibra enim inde manauerat: & ideo sicut bonus medicus radices prius vlceris debuit amputare, ut medicamentorum salubre remedium vulneris ora sentirent. Frustra enim cicatricem curaueris, si serpent interiora contagia; immo acerbatur vulnus, si foris clauditur, cum interior virus exarsuat. Nam quid proderat donasse peccatum, si peccandi maneret affectus? Hoc erat non sanare cicatricem, sed claudere. Voluit itaque mundare vulnus, ut affectum sanaret, ne inobedientiæ sordes vlla remaneret. Suscepit ipse obedientiam, ut nobis eam transfunderet. Sic enim oportebat: ut quoniam per inobedientiam vnus hominis peccatores constituti erant plures, per vnus rursus obedientiam iusti constituerentur multi. Vnde valde errare eos res indicat, qui carnem hominis à Christo aiunt esse susceptam, affectum negant: & contra ipsius Domini Iesu venire consilium, qui hominem ex homine tollunt, cum homo sine affectu hominis esse non possit. Nam caro sine affectu, & præmij immunitis & culpæ est. Illud ergo suscipere debuit & sanare, vnde culpa manauerat, ut originem erroris & quasdam prorumpentis delicti fores clauderet. Vnde ego hodie hominem agnoscerem Dominum Iesum, cuius carnem non video, affectum lego: vnde inquam hominem eum agnoscerem, nisi elurisset, nisi sitisset, nisi fleuisset, nisi dixisset: Tristis est anima mea vsque ad mortem? Denique scriptum est: Et homo est, quis cognoscat eum? Sed homo per ista cognoscitur, qui per opera diuina supra homines aestimatur. Itaque ipse consue se hominem credi volebat, cum Deus esset, ut se appellaret hominem, dicens: Quid me quæritis occidere, hominem qui veritatem locutus sum vobis? Nec solum hominem, sed etiam filium hominis diceret, sicut ait: Quem me dicunt esse homines filium hominis? Vnde ille summam tenere fidei pronuntiatum est, qui & Dei filium cognouit, & hominem non negauit. Ipse igitur vtrumque vnus, inseparabilis numero, & agnoscendus operis distinctione, non varietate personæ. Non enim alter ex patre, & alter ex Maria: sed qui erat ex patre, carnem sumpsit ex virgine: affectum assumpsit ex matre, ut infirmitates nostras ipse susciperet. Vnde ait Propheta: Et pro nobis dolet. Quomodo dolebat meo dolore, si meum non gerebat affectum? Homo, inquit, in plaga, & sciens ferre infirmitatem. Itaque quasi homo infirmatus est, quasi homo doluit, & nos quasi hominem aestimauimus eum esse in doloribus: sed quasi victor infirmitatum, non infirmitatibus victus, pro nobis non pro se dolebat, & infirmatus est non propter sua, sed propter nostra peccata, ut nos suo liuore sanaret. Quid utique est

Rom. 5.

Ibidem.

Matt. 26.  
Hier. 17.

Ioan. 8.  
Mar. 8.  
Matt. 16.

Esai. 53.

Ibidem.

1. Pet. 2.

G homo in plaga, & sciens ferre infirmitatem, nisi quia plaga habebat compassionem? Aut quomodo sciebat ferre infirmitatem, si sensum infirmitatis excluderat? Quod enim portamus, hoc pro onere sustinemus. Suscepit ergo peccata nostra, ut portaret: suscepit etiam, ut purgaret. Denique scriptum est: Et peccata multorum ipse purgauit. Ideo ipse hereditate possidebit multos, & fortium partietur spolia. Ibi enim maior triumphus; vbi mens interna mundatur. Quod portat igitur, ad remissionem pertinet: quod purgat, ad correctionem. Suscepit itaque compassionem nostram, suscepit & subiectionem. Quod enim subiecit sibi omnia, suum est: quod subiectus est, nostrum est. Ideoque ait: *Nonne Deo subdita erit anima mea?* Anima, inquit, subdita, non diuinitas: anima subiecta, non Dei virtus. Virtus enim Dei non potestati subdita est, sed vnitati, & consortio eius vicitur potestatis. Illa subiecta est, quæ humanæ conditionis fragilitate plerumque mutatur, non quæ mutari non potest. Anima carni compatitur, & animæ caro, quæ sibi quodam contubernio copulantur. Illa subiecitur, quæ tristis est, quia scriptum est: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Illa subiecitur, quæ suscepta, non ex Deo patre nata: quamquam ipsa subiectio non in specie quidem infirmitatis sit, sed in operatione virtutis: dispensationis magis temporariæ arbitra, quam perpetuo seruitio mancipata. Vnde & ait: *Nonne Deo subdita erit anima mea?* Cur dixit erit, si sempiterna subiectio est? Sed quia filius Dei qui loquebatur, æternus est, animam autem suscepit ex tempore, ideo futuram subiectionem animæ suæ dicit. Per ipsam ergo obedientiam, per ipsam humilitas: quæ tamē non ad infirmitatem potentia suscepta sunt, sed ad magisterium disciplinæ. Ipse enim Dominus Iesus cum esset in Dei forma, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, in specie inuentus ut homo: humiliavit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, sicut Apostolus dicit: non iugem & perpetuam, sed temporalem subiectionem cupiens declarare qualis sit suscepta cum carne, & deposita cum ipsius corporis seruitute. Sic etiam ad Hebræos scriptum est. Nam cum proposuisset exemplum, dicens: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec: subiecit idem Paulus: Qui in diebus carnis suæ preces & supplicationes obtulit ei qui posset liberare eum de morte, cum magna voce & lacrymis: & exauditus ab illo metu. Et quaquam esset filius, didicit ex his quæ passus est, obedientiam: & consummatus obtemperantibus sibi causa factus est salutis æternæ: vocatus à Deo sacerdos secundum ordinem Melchisedec. Nonne igitur euidenter clamauit Apostolus, dicens obedientiam illam & humilitatem non diuinitatis fuisse, sed carnis? Quod enim discitur, temporale est. Quasi homo ergo ex his quæ passus est didicit obedientiam, ut consummaretur in carne, & per obedientiam transfusam in nos successionem causa fieret nobis salutis æternæ; quibus antè per inobedientiæ hereditatem primus ille Adam causa factus est mortis. Subiectio ergo magisterium virtutis humanæ, non diuinæ immunitio potestatis est. Nam si illum minorem & in-

Esai. 53.

1. Cor. 15.

Ioan. 10.

Matt. 26.

Esai. 53.

Philip. 2.

Hebr. 5.

Ibidem.

Rom. 5.

æqualem patri dicunt, quia erat subditus patri Deo, numquid & matre ideo minor, quia erat subditus matri? Lectum est enim de Ioseph & Maria: Et erat subditus illis. Sed pietas omnibus nobis non dispendio, sed incremento est, per quam omnibus nobis Dominus Iesus fidem infundit & gratiam, ut nos spiritu fidei subditos patri faciat Deo: & ideo nouo & profundo consilio Apostolus ait quod ipse patri erit subiectus in nobis, cum fuerit in omnibus plenitudo fidei, & quædam deuotionis vnitas. Nunc enim quamdiu sententiis discrepamus, quodammodo regnum Christi minoramus: quia nondum ei subiecta sunt omnia, cuius regnum vnitas est. Cum autem subiecta illi fuerint omnia, tunc & ipse subiectus erit illi qui sibi subiecit omnia: ut sit Deus omnia in omnibus, sicut scriptum est. Nunc enim potestate supra omnes est: sed opus est ut sit in omnibus voluntate. Volet autem, cum omnia in nobis cognouerit sui plena, & vacua delictorum. Nondum igitur subiectus est patri, quia nondum omnia & in omnibus Christus. Cum autem fuerit omnia & in omnibus Christus, erit omnia & in omnibus Deus. Vnde colligitur vnum esse regnum patris & filij, & etiam spiritus sancti: quia qui filium receperit, recipit & patrem, recipit & spiritum sanctum: quia vna potestas, vna gratia, vna operatio Trinitatis est. Meritoque addidit Dominus: *Ab ipso enim salutare meum.* quasi diceret: Nolite turbari quia dixi animam meam fore Deo subditam. Anima erit subdita, quæ vestri est portio: salutare autem meum ab ipso; hoc est, quia à patre & in patre semper sum. A patre enim veni in hunc mundum: et si videtis hominem, Dei filium credite. Cum venerit autem paracletus quem ego mittam vobis à patre meo, spiritus veritatis, qui à patre meo procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et filius à patre procedit, & spiritus ab ipso procedit. De vnitatis ergo diuinitatis ambiguum nihil. Ideoque concupiuit Dauid hoc salutare Dei nobis dari: quia ipse est vita æterna, si & patrem verum Deum cognoscamus, & filium, quem pro nostra certum esse salutare venisse. Sed non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Assertionem suæ diuinitatis sequestrat, & dispensationis humanæ repræsentat officium. Ideoque adiunxit statim:

Luc. 2.

1. Cor. 15.

Hebr. 2.  
1. Cor. 15.  
Ioan. 3.

Ibidem.

Ioan. 5.

Ioan. 8.  
Ioan. 16.

Ioan. 15.

Ioan. 17.  
Philip. 2.

Apoc. 2.  
Hebr. 12.  
Genes. 7.  
Genes. 19.

vidit hinc persecutores, inde nequitas spirituales in vnum conuenire, & ait.

Quousque irruitis in hominē, interficientes vnuerfos, tamquam parieti inclinato, & maceriæ impulsæ?

Quousque irruitis in hominem? Hoc est: Quid delere genus festinatis humanum? Nescitis me pro omnium redemptione venisse? Obtuli me pro cunctis, ut omnes mea oblatione protegerem. Hominem ergo aut pro humana omni accipimus multitudinem: aut si de vno accipimus, de ipso dictum intelligimus. Irruitis, sed in hominem, quia supra Deum irruere non potestis: sicut habes alibi: Quid me quæritis occidere hominem? Neque enim diuinitas morti poterat esse subiecta, sed humana susceptio. Si ergo in me irruitis, & me vultis tenere: quid eos qui mecum sunt, vultis occidere? Satis est vobis habere quæ quæritis. Non quero confortē passionis, qui ad salutē omnium adiutore non egeo. Non requiro legatum, nuntium non præmitto: sed ipse me obtuli non quærentibus: me tradidi non comprehendentibus, ut liberarem eos qui mortis laqueis fuerant comprehensi. Irruitis igitur tamquam parieti inclinato, & maceriæ impulsæ: ignari quia veni non ut inclinarem parietem, & maceriam impellerem, sed ut soluerē. Veni enim pax, ut faciam vtraque vnum, medium parietem maceriæ soluens, qui carnem & animam diuidebat, ut vni sentire non possent: & ideo caro animæ regnabat, & subdita imperio eius esse non poterat, quia obiecti parietis obstaculo gubernaculis eius parere non poterat. Lex igitur carnis legi mentis aduersabatur. Hunc parietem veterum inimicitiarum velut murum sustulit Dominus Iesus, & peruios fecit esse conuentus mentis & carnis, ut in vnum cocentes, id quod erat vtrique salutare sequerentur. Paries ergo quædam eminentia delictorum est. Vnde ad pontificem Iudæorum dicit Paulus: Percutere te incipiet Deus, paries dealbate. Paries enim luto camentisque construitur. Hinc ædificabant Ægyptij ciuitates, quando Iudæi lateres facere cogebantur. In Ægypto lutum conficiebatur, & populus Dei peccatum illic operabatur. Ideo gemebat: ideo exauditus & liberatus est à peccato. Ideo lex data, promissa gratia: ut lex peccatum ex parte rescicaret, gratia omne donaret. Et cum hæc nobis conferret, hæc pro nobis subiret, nos pretium eius repellebamus. Vnde ait:

Ephes. 6.

Esai. 53.

Ioan. 8.

Ioan. 18.

Esai. 63.  
Esai. 65.  
Hebr. 2.

Ephes. 2.  
Galat. 5.

Rom. 7.  
Ephes. 2.

Act. 22.  
Ecod. 1.

Ecod. 3.  
Ecod. 20.

Matt. 27.

Ibidem.

Etenim ipse est Deus meus, & salutaris meus, defensor meus: non mouebo amplius.

Hæc utique quasi homo loquitur, quia in Deo spem nostram debemus reponere, ne facile labamur: quamquam in eo quod locutus est, *Non mouebo amplius*, ostendat habere se diuinæ insignia potestatis. Habes enim alibi dicentem: Adhuc ego semel cælum & terram mouebo. Mouit diluuius, quando præter arcam Noe caro omnis interit. Mouit cum Sodoma & Gomortha sacro igne consumptæ sunt. Hæc supernæ indignationis indicia sunt. Sed quia elegit genus hominum Dominus magis seruare quam perdere, non mouebitur amplius ad indignationem, qui venit ad misericordiam: venit ut redimeret nos suo sanguine, non ut nostrum effunderet. Venit ut se offerret pro nobis, & quasi bonus negotiator mercem suam proprii corporis passione seruaret. Et cum hoc diceret, leuauit oculos suos, &

Veruntamen pretium meum voluerunt repellere: cucurri in siti, ore suo benedicebāt, & corde suo maledicebant.

Pretium meum voluerunt repellere, quādo scilicet pretium referente Iuda proditore, Iudæi in loculum mittere noluerunt, dicentes: Non licet nobis mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Damnatur hic iudicio suo proditor, qui refudit pretium quod accepit: infirmus ad sacri muneris testimonium, sed validus sceleris sui testis. Vnusquisque enim grauior accusator est sui, & inexcusabilem in se fert ipse sententiam. Principes synagogæ suo condemnant se iudicio. Proferuntur enim pretium esse

Ibidem.

1. Ephef. 2.

Matt. 27.

Ibidem.

Ioan. 4.

Ioan. 19.  
Ioan. 7.

Ioan. 4.

Hier. 2.

1. Cor. 10.

Ecclef. 1.  
Rom. 10.

Matt. 15.

Pfal. 21.

Matt. 27.

sanguinis quod dederunt, dum atque refundentem. Nam si recipiendum non fuit, nec soluendum fuit. Atque utinam aut non dedissent, aut quia dederant, nec receperunt. Repudiarunt enim quod in carbonam mittere noluerunt, & emerunt inde agrum in sepulturam peregrinorum. Merito ergo gentiles, quibus agri eius qui morte emptus est Christi, sepultura profecit, iam non sunt aduenae atque peregrini, sed ciues sanctorum facti sunt, & domestici Dei; quia conspeliuntur Dei filio: Iudaei autem qui passionis eius pretium repudiarunt, peregrinantur a Christo. Tolerabilior illis vel in hoc proditor, quod confitetur errorem: illi autem crimen suum excusando acerbant. Verecundior est enim confessio post delictum. Impudenter igitur refellebat commune sacrilegium eonitentem, dicentes: Quid ad nos? tu videris. Quid enim dicebat proditor, nisi hoc: Peccaui quod tradiderim sanguinem iustum? Quod erat crimen tradentis, quomodo suscipientis non poterat esse peccatum, cum scelus sceleris sit adiunctum: ut quem scelerate emerunt, sceleratius trucidarent? Cucurri (inquit) in siti. Verum est quidem quod Dominus noster Iesus sitiuit. Beata Domini sitis: quia sitiuit pro nobis, & maxime in passione. Denique dixit: Sitio. Tunc itaque sitiebat, quando de latere suo restinctura sitim omnium viuae aquae fluentia fundebat. Denique scriptum est: Flumina de ventre eius fluent aquae viuae. Sed in Graeco medietate positum est, quia *ἡ ἕσπερος* & singularem & pluralem numerum significat. Ergo etiam, *cucurrerunt*, iuxta Graecum possunt intelligi, diximus autem quid exprimat cucurri, hoc est, festinaui sitim omnium suscipere, ut vnuerfos perpetui fontis vbertate satiarem (cui enim dederam aquam, non sitiet nec hic nec in futurum, sicut dictum est ad Samaritanam) nunc dicamus quid significet, *cucurrerunt in siti*: hoc est, festinauerunt ut perfidiae suae aestu fontem viuum negantes aeterna fauces suas ariditate siccarent, sicut ipse Dominus ait: Me dereliquerunt fontem aquae viuae, & fecerunt sibi contritos lacus. Nec mirum si sitierunt, quia aquam fontis aeterni tenere non poterant, lubrici perfidiae suae rimis. Sitierunt ergo, quia se potu priuauerunt spiritali, quem hausent de consequenti petra. Vnde & Symmachus ait: *τῶ δὲ λαῶ αὐτῶν ἐδόξασεν*. hoc est, placuit illis in mendacio, cum obicerent falsa pro veris. Omnne mendacium sitim habet, veritas vbertatem, quae in perpetuum persequerat. Et quam cito probauit, quia cucurrerunt in mendacio. Ore suo (inquit) benedicebant, & corde suo maledicebant. Misera perfidorum sitis, qui aliud tenebant corde, & ore aliud loquebantur. Vbi autem fidei exundat vbertas, corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem. Quomodo autem benedixerint ore, & corde maledixerint, series passionis ostendit, cum dicerent: Descendat nunc de cruce. Stulti, de morte surrexit, & non crediderunt, quomodo si de cruce descenderet credidissent? Sperauit in Domino, eripiat eum: liberet nunc eum, quoniam vult eum: quia illudentes potius quam optantes ista dicebant, & interrogabant vtrum esset Dei filius, verbis pacifica loquentes, corde accusationem sacrilegij cogitantes. Sed haec mystica: veniamus ad moralia. Etenim quoniam non semel appetitur Chri-

stus: appetitus est semel in suo corpore quod suscepit in Virgine, appetitus est frequenter in eo corpore quod est Ecclesia. Nos enim sumus corpus Christi & membra. Appetitur & in singulis sanctis suis & innocentibus, qui Domino se dicantur. Recordamur aliquem proximè ab omnibus appetitum, à suis destitutum ac proditum, qui dudum in suggestu locatus imperij, subito egens omnium ab ipsis quorum haereditarium fuerat sortitus obsequium, cepit vrgeri, ingruentibus in exitum, inferentibus mortem, nullo auxiliatore, nullo iam socio sui, nullo comite. Quid aliud melius dixerit, quam quod ex ipso cui se deuouit, acceperat: Nonne Deo subdita erit anima mea? Hoc est, quid persequimini? quid furitis? quid insultatis? Carnem potestis interficere, animam non potestis. Vitam istam corporis potestis eripere, meritum non potestis extinguere. Scriptum est enim: Nolite timere eos qui possunt occidere carnem, animam autem non possunt: sed potius eum timete, qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Anima ergo quae Deo subdita est, non est humanae subdita potestati. Ab ipso enim vitae fructum sperat aeternae, & perpetuae salutis auxilium. Ille ergo cui me tradidi, & necatur tuebitur, & mortuum resuscitabit, & vleisectur occisum. Raptus est iustus, ne malitia mutaret cor eius. Mors ergo ista magis peccati fuga, quam morientis est detrimentum. Etenim ipse est Deus meus, & salutaris meus, defensor meus: non mouebor amplius. Qui labitur, commouetur, eo quod de integritatis & innocentiae suae quadam statione desceat. Semel enim in petra Christi locatus, lubricum non debet habere vestigium, sed tenere status proprii firmitermentum. Vnde immobilis dicitur qui seruat immobilem voluntatem, & propositum aliquod intentione animi fidelis exequitur. Nam & Dei immobilem voluntatem legimus, sicut habes ad Hebraeos: In quo amplius Deus ostendere volens haereditibus repromissionis immobilitatem voluntatis suae, interposuit iuramentum. Rectè ergo immobilis voluntas Dei, quae nullius peccati mouetur illecebris. Homines verò mobiles, lubrici ad delinquendum, faciles ad errandum. Denique de Iudeis dictum est: Transeuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua. Et ipse Dominus in Psalmo ait: Omnes qui videbant me, aspernabantur me: & locuti sunt labijs, & mouerunt caput. Caput omnium Christus est. Melius est igitur ut maneat Christus in nobis, quam aliqua nostri commotione moueatur. Vnde Iudaei mouentes capita sua dicebant: Tolle à terra hunc hominem. Hunc Geraseni rogabant ut de finibus eorum recederet: Ecclesia autem tenuit eum, nec dimisit eum. Ideo illa quae tenuit eum, possidet: illi qui mouerunt, tenere non possunt. Pulchrè autem ait Euangelista quia transeuntes mouebant capita sua. Transeuntes, non stantes. Stamus in atrijs sanctis, praeterimus in plateis. Sacerdos praeteriit, Leuita pertransiuit, stetit ille qui vulnere inflata curauit. Et ideo illi non dixerunt qui transibant viam: Benedictio Domini super vos: benedicimus vos de domo Domini. Stantes enim, non transeuntes sunt pedes benedictentium. Denique & vineam cuius soluta munitio est, transeuntes vindemiant, non manentes.

Coloss. 3.  
1. Cor. 12.  
Verit exp.  
sitionem ad  
necem Gra.  
tiani Imp.

Matt. 10.

Sapient. 4.

Matt. 7.

Hebr. 6.

Num. 23.

Matt. 27.

Psal. 21.  
Ephef. 4.

Matt. 21.  
Luc. 8.  
Cantic. 3.

Matt. 27.

Psal. 133.  
Luc. 10.

Psal. 128.

Psal. 79.

1. Thren. 2.

Psal. 143.  
Matt. 6.

Psal. 108.

Psal. 33.

Psal. 65.

Deut. 5.

Matt. 8.  
Matt. 4.  
Matt. 8.

Phillip. 1.

Matt. 26.  
Ioan. 18.

Ioan. 17.  
Psal. 108.

apim. 2.

Transeuntes sibilant, sicut in Threnis Hieremiae legimus: Tenuerunt super te manus omnes transeuntes per viam: sibilauerunt, & mouerunt caput suum super filiam Hierusalem. Ideo sacerdos non potuit coronari, Leuita non potuit, quia traserunt, & tamquam vmbra praeterierunt. Stephanus autem martyrio coronatus est, quia stantem videbat Dominum Iesum, immobilem, non praeteritum. Immobilis ergo fide Stephanus immobilem Christum videbat: nullo erat mortis timore commotus. Non mouit se Stephanus, non mouit se Christus. Commoti sunt filij proditoris, de quibus dicitur: Commoti amouentur filij eius, & medicent. Eget enim & mendicat qui mouetur: Inops peccator, diues est iustus: quia nullo bono deficit, qui Dominum semper inquit. Et quia inde tractus est sermo, quia dixit, Non mouebor amplius: quod moueri ad culpam fit, ostendit ipse Dauid, dicens: Qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit commoueri pedes meos. Vnde & sancto dicitur à Domino Deo nostro: Tu autem hinc sta mecum, quoniam qui Deo proximus est, lapsui non potest esse vicinus. Omnis enim culpa velut aduersario nisu de loco deicere, & de proprio statu mentem mouere consuevit: quod vel ab hoste vel ab lucifamine tractum videtur. Perturbat ira, incendit libido, stimulat inuidia, excruciat auaritia, timor deicit, moeror affligit. Et Petro dictum est à Domino Iesu: Veni retro me. Non dixit, Vade retro (hoc enim diabolo soli dixit) sed, Veni retro me. Non est enim retro, qui post Christum est. Sed quia errabat Petrus, sicut Dominus ipse ait ad ipsum: Quia non sapis, inquit, quae Dei sunt, sed quae sunt hominum; ideo retro me veni, ut incipias non humana, sed diuina sentire. Ideo & hic iustus rapiendus è terris ait: Non mouebor amplius. Dissolui enim, & cum Christo esse, multo melius. Non enim labi poterit qui coeperit esse cum Christo: quia mors iusto non naturae finis, sed culpae est. Inter has voces subito videt agmina persequentium, & inter pericula positus non de se sollicitus, sed de his quos liberare cupiebat, ait: Quousque irruitis in hominem, interficientes vnuerfos? Si me quaeritis, cur alios vultis occidere? Offero me ipse pro multis, quia pro omnibus solus se ille potuit offerre, qui auctor est omnium. Ipsi ergo quem sequebatur imitator, ait: Si me quaeritis, finite hos abire, ut implecter sermo quem dixit Iesus: Quia non perdidit ex ipsis quemquam praeter vnum (hoc enim in alio libro sententia Domini comprehendit) qui tamen sua magis periit voluntate, quam mea seueritate punitus est. Et cum ego me sponte offeram, irruitis & incumbitis tamquam parieti inclinato, & maceriae impulsae. hoc est: Apex dudum nobilis sedis augustae, & circumfusi toto orbe Romano validus quondam murus imperij, sicut paries inclinatus, aut maceries impulsae collabor. Sed esto, ad mortem me vsque appetierunt, quaesierunt ad necem, dicentes: Tollamus iustum, tollamus misericordem, quia grauis est nobis etiam ad videndum: sed etiam existimationem meam, castimoniam meam sauciandam falsis calumniis putauerunt. hoc est enim, Pretium meum cogitauerunt repellere: quia pretium nostrum pudicitia est, quae nos separat à peccudibus, angelis

aiungit. Pretium nostrum misericordia est, quae nos dum confertur inopibus, redimit à morte. Pretium nostrum fides est, quae omnes homines gentili errore & seruitute depressos Christo acquisiuit. Pretium nostrum bona existimatio est, quia vnus cuiusque nostrum meritorum series aestimatur. Pretium nostrum munditia atque simplicitas est, quia scriptum est: Possessio pretiosa vir mundus. Nihil enim pretiosius viro simplici. Vnde Apostolus pulchrè, Abundauit, inquit, in diuitiis simplicitatis suae. Quid enim simplicitate ditius? quae sicut bonus pater familias satis sibi abundat, & sua puritate contenta, non quaerit alienum, nec abrodit, sed de se ceteros fingit. Innocens enim credit omni verbo, nec se in artes varias saepe commutat: sicut astutia, quae vt sit cauta, timet omnia, nec se consilijs suis credit: versat suas ipsa sententias. Simplicitas autem timere non nouit. Hoc igitur genere pretium iusti repellere tetauerunt, etsi possit & illud intelligi, quia aurum eius manibus accipiebant, corde intimo repellebat praedam tenentes, fidem negantes. Vnde & ait: Cucurri in siti, eo quod fidem quaereret, & inuenire non posset: destitutus à socijs, à proprijs derelictus. Sic Dominum Iesum legimus in Euangelio & esurisse, & sitisse, cum esuriret fidem nostram, sitiret opera nostra, quaerere videretur aliena. Aut vt ad sitim corporis referamus, quanta indignitate dicit, Cucurri in siti: hoc est: Ego sitiebam, cum alij mea vina ructarent: & ex illo suggestu sublimis imperij, opulentiæque regali, ad extrema sitis plebeia quadam vilitate deductus sum. Et quia Graecus habet *ἡ ἕσπερος*, quod significat & cucurri singulariter, & cucurrerunt pluraliter, potest & sic intelligi: Cucurrerunt in siti, quorum fauces aestu nimio fundendi mei sanguinis aruerunt. Sicut enim est sitis fidei, ita & perfidiae. Sitio illam iustus sitit, qui ait: Sitiuit anima mea ad te Deus. Ista perfidi, quorum lingua praesitit aruit. Quam sitiuit ille qui inter conuiuij dapes & pocula constitutus, innocentis conuiuij necem moliebatur Augusti? Nonne tibi videbatur impie, cum manducares, eadem parares, quod humana sub dentibus tuis ossa crepitarent: cum vinum biberes, & parricidium cogitares, quod illis poculis sanguinem tibi innocentis infunderes? Ita procius alienus non solum ab imitatione, sed etiam à lectione diuina, vt non tibi veniret in mentem versiculus ille Psalmorum: Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, atque ille alius, cuius meminit in Euangelio ipse Dominus Iesus: Qui edit mecum panem, leuabit super me calcaneum suum. Quid tibi faciã Ephraim: quid tibi faciã Iuda? Plures reliquisti nobis prodicionis tuae & fraudis haeredes. Haec enim etiam ad proditorem Iudam potest per apostrophen deriuari. Prodidisti vitam, regnum, Dominum. Sed Iesus Dominus semel in se, frequenter in seruulis suis proditor. Quod enim vni horum minimorum fecistis, mihi (inquit) fecistis. Tu commissos tibi loculos & pecunias pauperum suscepisti, iste prouincias sibi creditas. Tu Apostoli honorem, ille militiae dignitatem, administrationis infulas. Numero honores eius, vt crimen exaggerem. Conuiuij violastis vterque consortium: tu tamen de conuiuio ad pro-

Tob. 12.

Proser. 12.  
2. Cor. 8.

Proser. 14.

Proser. 10.

Matt. 4.  
Ioan. 19.

Psal. 41.  
Esa. 41.

Psal. 54.

Ioan. 13.

Osee 6.

Matt. 25.  
Ioan. 12.

Matt. 12.

Ioan. 13.

Matt. 27.

ditionem surrexisti, iste ad necem, hoc est, tu licet in scelere, verecundior, qui negasti quod inferendam necem credideris Domino quem prodebas, qui primum refudisti, ne residere apud te merces parricidij videretur. Iste non solum tenuit acceptam, verum etiam extorsit non oblatam mercedem proditiōnis. Iste non solum deceptus non est alieno mendacio, sed fecellit suo, & fecellit vt occideret. Et cum ille conuiuium recufaret, qui se videret esse peritendum: iste sacramentum obtulit, ne qua periret sibi cumulandi pars criminis. Postremo superioris proditoris pecunia profecit ad sepulturam peregrinorum: iste sepulturam integram suo principi denegauit. Nec defuit qui manus lauaret, dicens: Innocens sum à sanguine iusti huius: in quo se Pilatus non diluit, sed inquinauit: & implicauit, non exiit. Nam etsi nullum pondus in proditorum iudiciis, tamen vinculum maius in confessionibus. Iustus enim non absoluit sententia, sed sua vita. Iniusti se ipsos vehementius suis vocibus alligant, qui alios alligare non possunt. Tamen ne huic quoque deesse confessio propria videretur, iurauit vt peieraret. Lauit manus cum Euangelium tangeret, ne quid deesset exemplo. Lauit aqua manus, vt sceleratius inquinaret innocentis sanguine. Nec Herodes defuit, cui alter Pilatus se placiturum credidit, si captum principem destinasset. Quid illud quoque dicam, quod is quoque vestem dealbatam indutus est ad illudendum, postea quoque regia veste donatus est ad moriendum, ne amisisset honorem debitum videretur: Nam etsi scelere interit, ius tamen collatae sibi potestatis etiam mortuus reseruabat, eorum ipsorum à quibus negabatur, vel ministerio, vel assensu. Addebatur huic tanto sceleri pompa feralis: nisi is qui impatienter ista descebat, cognitis quae parabantur, iusto commotus dolore increpasset victorem superbum, tyrannis illa non regibus inferri solere. Sic horrorem flagitij, si citus deposuit terribili sceleris apparatus. Nec petitor igitur sepulturae defuit, etsi Ioseph ille qui iustus dicebatur, defuit. Sed longè Maximus fauor denegabat, quod ipse Pilatus auferre non potuit. In quo parricidae humanitas defuit, innocenti tamen non defuit gratia: & ad tempus assumpta patientia, vindicta paululum comperendinata est. Ideoque ait:

Verumtamen Deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso est patientia mea.

Etenim ipse est Deus meus, & salutaris meus, susceptor meus; non emigrabo.

In Deo salutare meum, & gloria mea: Deus auxiliij mei, & spes mea in Deo est.

*Non emigrabo:* Hoc est, Numquid sepultura corpori negata, perpetuae quietis mansionem mihi abstulit? Habeo habitaculum meum in Domini tabernaculo, & in sancto monte eius requiescam: non emigrabo humano scelere, qui Domini fauore susceptus sum: quia neque mors, neque gladius, neque tribulatio à charitate Christi me separare poterunt. Non enim innocens de tabernaculis iustorum, sed peccator emigrat. Migrant Iudaei proditoris haereticus; de quibus & similibus eorum merito dicitur:

Commoti amoucantur filij eius, & mendicent, eiciantur de habitaculis suis. Quod bene & ad Dominum Iesum Christum refertur, qui cum descendisset in terras vt crucifigeretur, vt sepeliretur, non emigravit à patre, sed in patre mansit. Traditus sum, & non egrediebar. Nec deposuit quod erat, sed reseruauit: nec defuit esse in Dei forma, sed perseuerauit, non imminuta per susceptionem corporis Dei gloria, sed manente, triumphum acquisiuit, potentiam non amisit. Vnde ipse ait: Amòdò videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis. Vnde conuocatos gentium populos, & acquisitos patri suo sanguine, hortatur ad fidem, dicens:

Sperate in eum omnes conuentus plebis: effundite coram illo corda vestra: quia Deus adiutor noster in aeternum.

*Sperate in eum omnes conuentus plebis.* Hoc est, non solus Israel, sed omnes, inquit: nec solae reliquiae, sed etiam gentium plenitudo: nec solae gentes, sed Israel. Cum enim intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israel saluus erit. Quis potest diuina mysteria comprehendere, quorum tanta multitudo est, vt iure Paulus miretur, meritoque dixerit: O altitudo diuitiarum sapientiae & scientiae Dei! Repulsa gentes sunt, vt eligeretur Israel: cæcatus est postea Israel propter vocationem gentium: & cæcati Israel reliquiae secundum electionem gratiae saluae factae sunt, postquam intrauit gentium plenitudo. Ita culpa Israel profuit gentibus, fides gentium Israelitem populum liberauit. *Effundite* (inquit) *coram illo corda vestra.* Qui induit fidem, prius perfidiam debet exuere, euacuare cor suum omni labe malitiae, vt capax fiat cor eius gratiae spiritalis. Ideoque Apostolus ait: Renouamini spiritu mentis vestrae. Cum enim effunditur vetus malitia, noua sumitur gratia, qua vnusquisque renouatur. Dicit ergo filius Dei: *Effundite coram illo corda vestra:* quia sciebat patrem esse dicturum: Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Est etiam illa traditio, vt cor nostrum videamur effundere, quando omnes cogitationes alicui & voluntates nostri cordis aperimus. Ergo iactemus in Deum cogitationes nostras, nec aliquid cum latere credamus. Effundamus cor nostrum coram ipso: effundimus autem, cum disceptationes exinanimus humanas.

Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum.

Si vani filij hominum, & mēdaces filij hominum, possunt non vani esse filij Dei: qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Nam filij hominum videntur sibi ponderare aequitatem, & grauitate scuerioris iudicij examinare iustitiam, duri aliis, remissi operibus iniquis, sermone celsiores. Vnde Salomon ait: Execrabile Domino duplex pondus, & statera fallax non bona. In quo significat eos qui rapinam inexplibili corde meditantur, & sobrietatem fronte praetendunt. Tales Scribae Iudaeorum sunt, qui onera grauius aliis obseruantiae durioris imponunt, nō habent

Matt. 27.

Luca 23.

Matt. 15.

Luca 23.

Psal. 114.

Rom. 8.

Matt. 23. Tim. 6. Rom. 5.

tes rectum iugum animae suae, sed propensa iniquitate curuati: ipsi autem suorum refugi praeceptorum sunt. Inuenitur itaque in auaritia tamquam in radice vitiorum omnium, quae sit caput iniquitatis & fomes: quam homo renuntians mundo, & consepultus Christo per baptismatis sacramentum, qui sit mortuus saeculo, declinare debet atque defugere.

Nolite sperare in iniquitate, & rapinam nolite concupiscere: diuitiae si fluant, nolite cor apponere.

Vides quia fluunt, non vides quia praeterfluunt? Nudus es natus, nudus moriturus es. Quid excipere quaeris quod tecum auferre non possis? Fluente sunt quae miraris: quomodo veniunt, sic transeunt & recedunt. Solus Iordanis retrorsum conuersus est, in quem conscendisti: qui te admonet vt in ipsum naturae fontem & originem reuertaris, quae te nudum, non veste amictum edidit, vt discas superflua non requirere. Hoc quod erubescis, esse te nudum, culpa docuit, non natura. Nulla enim esset verecundia genitalium, si culpa non esset. Neque enim cetera animalia vestiuntur vt tegantur, neque vestiuntur vt muniantur. Satis munita sunt omnia naturae suae tegmine: nos dum superflua quarimus, tegmē naturae amisimus, ius commune perdidimus. Ideoque in hoc Psalmo adscribitur doctrina medicabilis, quia vel Idithū vel seipsum illius nomine exercitio spiritali subeundis tērationibus erudiuit, vt in angustiis quis positus subiiciat se Deo: & si peccauit antē, peccare desistat, nec recidiuo errore moueatur.

Semel loquutus est Deus, duo haec audiui:

SANCTI AMBROSII IN PSALMVM LXI. ENARRATIONIS FINIS.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS, IN PSALMVM DAVID LXXII  
ENARRATIO.

Hæc sub titulo de Interpellatione Dauid circumferebatur.

Titulus Psalmi LXXII.

Defecerunt Psalmi Dauid filij Iessæ, Psalmus Asaphi.

**P**SE quidē Dauid pluribus in locis de saeculi vanitate non tacuit, & inania esse quae putantur bona huius mundi, frequenter asseruit, in Psalmo maximè trigésimo octauo, in quo dicit: Verumtamen vniuersa vanitas, omnis homo viuēs. & quamquam in imagine Dei ambulet homo, tamen vanē conturbatur, thesaurizat, & ignorat cui congregat ea. Et alibi: Vt quicquid peccatores Domine, vsquequod peccatores gloriabuntur? hoc est, quod qui habent hinc vmbra talem gloriam, vbi de saeculo excesserint, fructum consolationis inuenire non possint.

quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia: quia tu reddes vnicique iuxta opera sua.

Semel loquutus est Deus, & plura audita sunt, quia non per litteras & syllabas est loquutus. Loquutus est per aenigmata, loquutus est per visiones, loquutus est per diuisiones gratiarum, loquutus est per spiritum singulorum. Nos autem plura loquimur, & vix audimur. Semel loquutus in lege est, eadem iterum loquutus est in Euangelio. Aut fortē (vt ego puto) quia multifariam loquutus est in prophetis, nouissimè autem loquutus est in filio suo. Semel loquutus est, quando loquutus in filio est: & audita sunt etiā illa quae antè audita non erant ab iis quibus loquutus fuerat per prophetas. Semel ergo loquutus est in nouo testamento, & vetus auditum est testamētum, quod non audiebatur, quia ipse Dominus dixit de populo Iudaeorum: Videbunt, & non videbunt: audiet, & non audient. Audient aure corporca, sed non audient mentis auditu. Nobis ergo, hoc est Ecclesiae, semel loquutus est, & duo audita sunt: quia & illa audiui-mus & intelleximus, quae non intellexerant qui legerunt, non audierunt qui audierunt. Solus enim Christus aurem aperuit humanam ad cognoscenda mysteria, solus libri signaculum soluit, & resoluit aenigmata prophetarum. Ideoque ipse reddet vnici-que secundum opera sua: in quo & qualitatem operum comprehendit: vt aut complurium & meliorum restituat praemia meritis singulorum, aut contra & numero grauemur & acerbitate meritorum. Cui est honor & gloria, perpetuas à saeculis & nunc & semper, & in omnia saecula saeculorum. Amen.

Job 33. Ezech. 17.

1 Cor. 12. Heb. 1.

Ephes. 3.

Mar. 4.

Apo. 5. Rom. 2.

Ephes. 3.

1 Cor. 2.

Psal. 54.

Psal. 38.

Psal. 93.

Prosa 20.



periculis plena toleravit, de suis enim laboribus dicit. Unde & Psalmus non quasi sancti Asaph, sed quasi sancto Asaph, ut docet titulus, superscribitur, quod ex Græco Psalterio apertius manifestatur, ut videatur David etiam huic Asaph, sicut & aliis, canendum quem scripserat ipse Psalmum dedisse. Sed quia scriptum est in ipso titulo, defecisse Psalmos David; quomodo autem defecerunt, cum decursis bis decem Psalmis, postea Psalmus David titulorum inscriptionem comprehendit usque in ultimum finem? Ideo sequestrata huiusmodi definitione, quæ sit Psalmi series consideremus, & à primo versiculo interpellationis propheticae ducamus exordium.

*Psalmus septuagesimus secundus.*

**Q**uam bonus Israel Deus rectis corde?

Elucet in principio emendationis profectus. Nemo enim potest Deum bonum fateri, nisi hic qui non ex successibus commodorum suorum, sed ex celestium mysteriorum profundo, & diuinæ dispositionis altitudine, bonitatem eius cognoscit, quæ non specie presentium, sed futurorum utilitate pensanda est. Iusto itaque semper bonus est Deus, & cum torquetur doloribus corporis, & cum affligitur acerbitate poenarum, semper dicit: Si bona accepimus de manu Domini, quæ mala sunt cur non sustineamus? Gratulatur hic se conteri, ut in futurum consolationem inuenire possit, sciens quoniam qui bona receperit in hac vita, habet mercedem suam, futura premia sperare non poterit, qui non luctatus, non exercitatus sit diuersorum certamine præliorum. Qui verò siue iuste siue iniuste afficitur in hoc saeculo, gratulatur vel quod hic soluat pretia delictorum suorum, vel quia nouit eam esse apud Deum uerberiorem gratiam, si iniuste pro eius nomine, aut pro bono aliquo opere acerba aliqua patiatur, secundum quod scriptum est: Quia nulla est gloria si peccantes punimini & suffertis, sed si beneficientes, & patientes: hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis, quia Christus pro nobis mortuus est, relinquens uobis exemplum ut sequamini uestigia eius: qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non maledixit: cum pateretur, non comminabatur. Ergo iustus etiam si in equuleo sit, semper iustus est, quia iustificat Deum, & minora se peccatis suis dicit sustinere. Semper sapiens est: non enim aufertur equulei tormentis uera perfectioque sapientia. Non amittit quod est, quia timorem excludit foras studio & proposito charitatis: nouit ut sapiens dicere, quia indigna sunt quæ in hoc corpore sustinemus, remuneratione futurae gloriae: & omnes huius temporis passiones superuenturam mercedem æquare non possunt. Bonus igitur huic semper est Deus, qui nouit quo tempore metat. Et ideo quasi bonus agricola hic arat agrum suum quodam rigidioris abstinentiæ vomere, hic stirpat quadam falce uirtutum amputatrice uitiorum, hic stercoret humiliando se usque ad terram, sciens quia Deus de terra suscitauit inopem, & de stercore erigit pauperem. Denique Apostolus Paulus nisi & se astimasset ut stercorea, numquam Christum potuisset sibi acquirere. Hic custodit fructus suos, ut illic securius recondat.

Semper itaque ei bonus Deus, quia semper quæ bona sunt de Deo sperat. Accipe aliud: *Quam bonus* (inquit) *Deus Israel rectis corde?* Non ergo omnibus bonus est Deus. Ille quidem omnibus bonus est, quia saluator est omnium, maxime fidelium. Et ideo uenit Dominus Iesus, ut saluum faceret quod perierat. Venit enim ut peccatum mundi tolleretur, uulnera nostra curaret. Sed quia non omnes medicinam expetunt, sed plerique refugiunt, ne medicamentis compungatur vis uulneris, ideo uolentes curat, non adstringit inuitos. Accipiunt igitur sanitatem qui medicinam expetunt: illi autem qui refutant medicum, nec requirunt, bonitatem medici quam non experiuntur, sentire non possunt. Qui autem curatur, etiam sanatur. Ideoque his bonus est medicus quos sanauit. His igitur bonus est Deus quibus peccata donauit. Qui autem insanabile peccatum habet mentis suæ uulnere, quomodo potest medicum bonum æstimare, quem refugit? Pulchre autem Apostolus, ut præmissimus, explanauit quia & omnibus bonus est Deus, qui uult omnes homines saluos fieri: & maxime fidelibus diuinæ pietatis prerogatiua seruat, quibus & uoluntas Dei opitulatur & gratia. Sed & Psalmista dicendo: *Quam bonus Deus Israel rectis corde;* ad ipsorum sententiam retulit, qui aliter de Deo sentire non norunt, nisi quia bonus ad omnia & in omnibus est. Denique & in sequentibus exponit ipse quid senserit, dicendo.

Mei autem penè moti sunt pedes, paulominus effusi sunt gressus mei:

Quia zelauit in peccatoribus, pacem peccatorum uidens.

Quia non est reclinatio morti eorum: nec firmamentum in plaga eorum.

In laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.

*Mei autem penè moti sunt pedes.* Non utique pedes corporis appellat gressus, sed directionem mentis & gressum, de quo alibi dicit: Non ueniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me. Ideo semper petendum est ut dirigat Dominus nostrorum animorum uestigia, ne labantur, & lubrico quodam erroris effusa, stabilitatem sui tenere non possint. Prolapsionis autem ea causa est, quod pacem amulatus est peccatorum. Amulari autem debemus quæ bona sunt, non ea quæ plena dedecoris, sicut & Paulus Apostolus expressit, dicens: Bonum est autem amulari in bono semper. Nec te moueat quod pacem in malo posuit: quia & in Euangelio habes esse pacem quam respuit Christus, ut ipse ait: Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis. Non quomodo mundus dat ego do uobis. Est enim pax quæ non habet offendiculum, est quæ habet. Quæ ex dilectione est, non habet offendiculum: quæ ex simulatione, habet. Ideo & Propheta ait: Pax pax, & non est pax. Refugiamus ergo pacem peccatorum: conspirant enim aduersus innocentes, cocunt ut iustos opprimant, uiduam exterminent, uel expugnent eius pudorem. Et ideo non est reclinatio morti eorum. Non declinatio, ut plerique codices Latini scripti sunt, sed reclinatio. Quando

Quando enim laboramus, & incuruamur ad opus aliquod, atque inclinamur, nos reclinare consueuimus. Peccatores autem grauium scilicet delictorum, & maxime impij se reclinare non possunt, de quibus dictum est: Et dorsum eorum semper incurua. Non enim se erigunt ad caelestia, qui Christo non adhererunt. Et ideo non resurgunt cum eo, quorum mors pessima, sicut scriptum est: Mors peccatorum pessima. Qui autem Christo commoritur, & conspeliatur cum illo, non solum reclinatur, sed etiam resuscitatur. De quo pulchre illud conuenit dictum: Vniuersum stratū uersasti in infirmitate eius, maxime si martyr sit, cuius infirmitas passione soluitur, mors resurrectione. Vidimus illum diuitem qui indutus purpura & bysso in hoc saeculo recumbebat, & epulabatur quotidie splendide, de cuius mensa quæ cadebant pauper Lazarus colligebat, quemadmodum in tormentis positus in inferno se reclinare non poterat, sed uix ad Abraham, non totum se, sed oculos erigebat, rogās ut mitteret Lazarum qui extremum digiti sui in aquam intingeret, & linguam eius refrigeraret. Ergo illius morti reclinatio non erat, nec firmamentum in plaga eius. Nil enim profuit flagella post mortem. Et ideo David dum esset in istius corporis uita, in flagella se præparabat, ut cum Dominus reciperet castigatum. Considera iterum mihi sanctum Iob, qui perfusus erat uulneribus, & concuriebatur omnibus membris, & plenus erat totius corporis sui doloribus, glebas terræ uulnerum suorum sanie & humore dissoluens, quemadmodum cum se in hoc corpore positus reclinare non posset, requiem mortis inuenit, ideoque conscius sui dixit: Mors uero requies. Is igitur in plaga non motus est, nec nutauit sermone sui lubrico, qui in illis omnibus nihil peccauit labijs suis, sicut scriptura testatur, sed magis plagæ suæ reperit firmamentum, per quam confirmatus in Christo est. Ergo & Iob & David, quia flagellati hic sunt, firmamentum habuerunt in plaga sua, quia flagellat pater filium quem recipit: qui autem hic non flagellatur, ibi non suscipiuntur ut filij. Ideoque in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ut in perpetuo cum diabolo flagellentur.

Ideo obtinuit eos superbia, cooperiti sunt iniquitate & impietate sua.

Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transferunt in dispositionem cordis.

*Cooperiti sunt iniquitate.* Malum uestimentum iniquitas, quod si quis uoluerit in nobis tenere, remittere nos oportet, ne incipiat in iudicium uenire nobiscum: & si quis tunicam nostram quam accepimus spiritalem auferre conetur, remitte pallium iniquitatis, sume operimentum fidei atque patientiæ, quo se David operiebat in ieiunio, ne amitteret tegumenta uirtutis. Ipsius ieiunium operimentum est. Denique nisi sanctum Ioseph texisset sobrietas ieiuna, adulteræ proteruitas exuisset. Quo ieiunio si se tegere uoluisset Adam, nudus non fuisset effectus. Sed quia de ligno scientiæ boni & mali contra interdictum caeleste gustauit, & imperatum

ieiunium præuicatus est incontinentiæ cibo, nudum se esse cognouit. Quod si ieiunasset, fidei seruasset exuias, nec se aspexisset in cæcum. Non ergo nos induamus iniquitate & impietate, ne de aliquo nostrum dicatur: Et induit se maledictione. Male se induit & Adam, qui dum quærit integumenta foliorum, maledictionis excepit sententiam. Induerunt se maledictione Iudæi, de quibus scriptum est: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transferunt in dispositionem cordis.* Adeps dicitur pingue. Sicut enim anima bonis pasta, & referta uirtutibus, tamquam adipe & pinguedine repletur, ut scriptum est: sic iniquitas quæ quasi ex adipe procedit, non tenuis & exilis significatur, sed plena uitiorum. Denique non fortuito quodam lapsu in errorem incidere, sed consilio & dispositione in sacrilegium transferunt.

Cogitauerunt & locuti sunt nequitia: iniquitatem in excelsis locuti sunt.

Posuerunt in caelum os suum; & lingua eorum transiit in terra.

Ideo reuertetur huc populus meus; & implebit dies uitæ suæ.

Et dixerunt: Quomodo scit Deus? & si est scientia in altissimo?

Ecce ipsi peccatores & abudantes in saeculo, obtinuerunt diuitias.

*Posuerunt in caelum os suum.* Ponere in caelum os suum quid sit, docet nos ille ex fratribus adolescentior, qui regressus ad patrem dixit: Pater peccaui in caelum, & coram te. Ponunt autem in caelum os suum, qui sibi criminum auctores, natiuitatibus putant quadam necessitate deferri. Hi nec caelo nec terris parcere solent, ut cursu quodam stellarum arbitrentur uitam hominis gubernari. Nihil prouidentia, nihil bonis moribus derelinquunt. Atque utinam & isti, sicut ille unus de duobus adolescentibus, reuertissent: bonus Dominus remedium non negasset: & tamen etiam ipsis si uolunt sanari, reseruat Dominus regressionis gratiam, ut qui in Israel expulsi sunt per cordis proprii cæcitate, per plenitudinem Ecclesiæ reuertantur, & non uacuos dies uitæ istius ducant, sed plenos habeant bonæ operationis & fidei, quum repleuerit eos Dominus gratia spiritali. Quomodo autem reuertantur, accipe. Quia cæcitas, inquit, ex parte Israel contigit, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Sed quia mysterium oportebat impleri, ut concluderet Deus omnia in incredulitate, id est, redargueret atque conuinceret (cum enim duo contendunt, si unus superior sit, dicitur, Concluserit alterum) ideo per suam misericordiam ut subditus fieret Deo mundus, regressus quidem est populus in hæredibus, sed is celeri errore traductus est ut Deum non crederet occultorum esse præcium. Sed Dominus illis, ut quandoque redimantur, salutis futuræ gratiam reseruauit, dicens: *Ideoque reuertetur huc populus meus.* Quid est hoc? Id est, ad me, ad æquitatem & iustitiam meam, ad cultum meum. *Et implebit dies uitæ suæ.* Quod utrumque sic accipies, ut populus quidem

1. Paral. 1. 6.

1. b. 2.

Luc. 16.

2. Tim. 2.

1. Petr. 2.

1. Ioan. 4. Rom. 8.

2. Cor. 4.

Psal. 112. Philip. 3.

1. Tim. 4. Luca 19. Ioan. 1.

psal. 68. ijob. 1.

psal. 139. ijob. 6.

psal. 40.

1. Tim. 2.

psal. 37. ijob. 7.

1. b. 3.

1. b. 2.

1. b. 11.

psal. 35.

Galat. 4.

Matth. 5.

Ioan. 14.

psal. 68.

Gen. 39. Gen. 3.

1. Ezech. 13. Prouer. 1.

psal. 108. Gen. 3.

psal. 62.

Luc. 15.

Rem. 11.

1. b. 11.

1. b. 11.

Rem. 3.

redimatur qui crediderit in eo. Et si non redimatur qui non crediderunt, tamen redempti populi Deo prerogatiua defertur. Isti ergo in errorem positi dixerunt: *Quomodo scit Deus? Et si est scientia in altissimo?* Putant enim non esse in Deo scientiam, quia peccatores abundant prosperis secularibus. & adhuc inducit eos loquentes: *Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo, obtinuerunt diuitias.* Habes hoc in Euangelio planius expressum, ubi Simon ille Pharisaeus videns quod mulier illa peccatrix venit in domum eius, & super pedes Christi effudit unguentum, dicebat intra se: *Hic si esset propheta, sciret utique quae & qualis est mulier quae tangit eum, quia peccatrix est.* Sed patientia Dei non praedicit veritati, & praescientia eius & prouidentia hoc ipso amplius probatur, quod in peccato positus successu affluit secularium prosperitatum. Quod fortior videns ridet, incautus traducitur & mouetur. Denique Psalmista dicit:

Et dixi, Ergo sine causa iustificauit cor meum, & laui inter innocentes manus meas:

Et fui flagellatus tota die, & vindex meus in matutinis.

Si dicebam, Narrabo sic: ecce generationi filiorum tuorum sic disposui.

*Et dixi, Ergo sine causa iustificauit cor meum.* Hoc est, Video illos abundare, video illis commoda omnia secundari, me autem conteri atque exagitari tentationibus plurimis. Frustra ergo dedi me innocentiae atque ad studia sobriae conuersationis intendi. Et pulchre ait: *Lauit inter innocentes manus meas: ut non arrogare sibi summam innocentiae, sed sedulum deferre studium videretur.* Interea non impunè huiusmodi à se sermonem exisse testatur. Nā tota die flagellatū se memorat, quia frustra iustificare se Domino cor suum dixerat: post flagella autem continuo secuta est prauae opinionis correctio. Statim enim *vindex meus* (inquit) *in matutinis:* id est, in aperto & perspicuo. Lux enim veritatis comprehendens eum, nō sinit hanc sentire quae dixit. Reuincebat itaq; & redarguebat me veritatis lumen offusum animo meo, eo quod non rectè dixerim: *Sine causa iustificauit cor meum.* Locutus sum enim illa tamquam in tenebris constitutus, & recordanti illa mihi cor compungebatur. Compuncto autem corde illuminabatur affectus, ut fieret in corde meo ignis flammigerans, qui faciebat in me dei spiritalis principium. Illuminata itaque oriente mihi die, & quasi in multis matutinis positus intelligebam quia extra constitutionem generationis filiorum Dei factus sum. Qui cum primò credidisset, eo quod operator mundi prouidens generationi humanae, omnia ad vtilitatem nostri vel tristitia, vel ea quae parum delectent fecerit, tam bonam sententiam postea prauis opinionibus turbatus amiserim. Conferebam itaque cum corde meo, & dicebam mihi: *Si narrabo sic, quia sine causa iustificauit cor meum, occurrebat mihi Dei vox, dicens: Ecce generationi filiorum tuorum sic disposui:* id est, Ecce his scripturis inuenis o tu Adā, quia disposui generationi filiorum tuorum, quia fortuito dinitiae ad impios, non aliquo merito deferantur, nec praemia virtutis sunt emolumenta thesauri; nec e contrariis inopia poena peccati est,

Luc. 7.

Hier. 20.

sed indiscretè veniunt ista, quae modo fluminis quodam saeculo profluio volutantur. Et existimabam & videbar mihi cognoscere hoc esse verum, hoc congruere diuinæ prouidentiae & conuenire, me autem frustra in iis turbatum esse, in quibus adhærere non debui. Ideo sequitur:

Existimabam me cognouisse: & hoc labor est ante me, donec introeam in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimo.

Quia propter eorum tergiuersationes posuisti eis bona: deiecisti eos cum alleuantur.

Itaque quia videbar mihi veram scientiam comprehēdisse, & cognitionem rei ipsius esse assecutus, dicebam mihi: *Hoc labor est ante me, donec introeam in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimo.* Id est, solus mihi superest labor ut ingrediar in sanctuariū Dei, ubi est Cherubim, id est, cognitionis profundum, & non labor qui est in incertis & vanis opinionibus.

Narratio enim fatui, sicut sarcina in via. Ideo ingrediamur aditū cognitionum sacrarum, atq; interiora penetrabilia veritatis, ut non sit nobis labor. sapientia enim nos à sensu laboris abducit. Deniq; non est labor in iacob. Causa autem laboris ignorantia est, quoniam qui nescit iustis reposita esse praemia, non reficitur à laboribus, sed magis imprudentiae suae labore curuatur & frangitur. Ingre diamur igitur sanctuarium Dei, ubi sunt Cherubim, in quibus est recordatio sacrae cognitionis, & veri illius atque aeterni luminis. In illo candelabro imago respicēdet, quo possumus intelligere in nouissimo. Sanctus etenim in ultimo cognoscit, & perfectam sapientiam processu aetatis adipiscitur, dicens: Notum fac mihi Domine finē meum, & numerum dierū quos est, ut scia quid desit mihi. Quis est finis, nisi ille cum traditur regnū Deo patri, quādo reuelatur occulta sapientiae? Hūc finē nostri certaminis requirebat Propheta, cupiēs cognoscere quid suae deesset perfectioni. Finis enim disciplinae nostrae & studiorū, perfectio est. Hae ergo prima vera ratio cognitionis, quia fortuito accidant quae in saeculo sunt secunda illa: *quia propter eorum tergiuersationes posuisti eis bona,* id est, successus profluos secularium commodorum, & abundantiam diuitiarū: ne causarentur propter inopiam, seu acerbitatē alicuius doloris & luctus, minus fuisse deuotos atq; in culpā latrociniij, & directionis studij, necessitate egestatis impulsos. Non enim ad tranquillitatē vitę vtrūq; letitiae diuitiis opimati, aut honoribus eleuati sunt, sed ut querela excluderetur, coacerbaretur ærumna. Deiciuntur itaque dū alleuantur huiusmodi. Non enim viri gratia, sed ruina est, ubi nec diuturni vsus muneris reseruat, & adimitur excusatio delinquendi. Quod enim grauioris pondus querelae, quam illud diuinū quod habes in Michae prophetæ libro: *Popule meus quid feci tibi? aut in quo contristauit te? aut quid molestus fui tibi? Responde mihi. Nōne eduxi te de terra Aegypti, & de domo seruitutis liberaui te? Ecce quomodo deiciuntur impij dum alleuantur, querela eorum excluditur, poena acerbat. Caelestibus enim beneficiis inuitati, deserere non debuerunt vitæ securitatis & prosperitatis datorē, cui magis debuerāt obtēperare.*

Exod. 25. Ecl. 21.

Num. 25.

Exod. 25.

1. Thess. 5. Sap. 11. 7. Gal. 7. 5.

Psal. 38.

1. Cor. 15.

Psal. 48.

Hier. 22. Esai. 49.

1. Cor. 15.

Micha. 6.

Gen. 3. Rem. 5.

Sed sicut iustitia Dei magna, ita etiam seuera vindicta. Quando enim impius perseuerare consuevit? de quo & alibi habes scriptum: *Vidi impium super-exaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, & transfui, & ecce non erat: & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Incredibilis celeritas extinctionis eius. Vides subito impium in hoc saeculo potentem: dum tu transis, ille iam non est. Quanta est enim ymbra in terra? quam non diuturna? Transpone vestigiū, & ymbra praeterit. Aut si hūc aliquid mouet, ad ea quae futura sunt attolle mentis vestigiū, & inuenies illic impium non futurum, quem hūc esse credebas. Non enim est, qui nihil est. Denique Dominus eos cognouit qui sunt eius: qui autē nō sunt, eos non agnoscit, quia ipsi eum qui est non agnouerunt. De ipsis ergo & hūc dicit:

Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt, & exterminati sunt propter iniquitatem suam, velut somnium exurgētis.

Domine in ciuitate tua imagines ipsorum ad nihilum rediges.

*Velut somnium exurgētis:* Id est, ita deficiunt & euanescent impij sicut somnium exurgētis à somno primū: quia in tenebris sunt, & in tenebris ambulauerunt, nec resedit aliquid eorum boni operis vestigiū, sed similes eorum qui somnū vident. Qui autem somniat, in nocte somniat, nox autem in tenebris. Filij tenebrarū sunt priuati sole iustitiae, & splendore virtutis, dormientes semper, & non vigilantes, de quibus bene dicitur: *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenierunt.* Etenim cum animarum eorum à corpore separatae, tamquam resoluti à corporis somno nihil inuenierint, nil tenebunt: & quod se tenere arbitrabantur, amittent: quoniam stultus & insipiens quum diuitiis exundauerit, relinquet alienis diuitias suas, neque simul ad inferna descendet cum eis gloria eorum. Sequentia quoque demonstrant quomodo impius non inueniatur, sed intereat. Quoniam imago eius in ciuitate Domini illa superiore Hierusalem non inuenitur. Dominus enim pinxit nos ad imaginem & similitudinem suā, sicut ipse docet, dicens: *Ecce ego Hierusalem pinxi muros tuos. Si bene egerimus, manet in nobis ista imago caelestis: & si malè quis agit, deletur in illo haec imago (illius utique qui descendit de caelo) & est in eo imago terreni.* Vnde & Apostolus dicit: *Sicut portauimus imaginem illius terreni, portemus imaginem huius caelestis.* Bonorum ergo imagines perseuerant, & in illa Dei ciuitate resplendent. Si quis autem ad grauiora peccata deflexerit, nec egerit poenitentiam, imago eius abolerit vel deicitur, sicut Adam de paradiso eiectus est & exclusus. Qui cumque autem piè honesteque se gesserit, intrat in ciuitatem Dei, & infert imaginem suam, ut in illa Dei fulgeat ciuitate. *Domine in ciuitate tua imagines ipsorum ad nihilum rediges.* Quia isti in lumine fulgere non possunt, qui tenebrosos se operibus induerunt. Exemplum accersamus de saeculo. Vide quemadmodum in ciuitatibus bonorum principum imagines perseuerent, deleantur verò imagines tyrannorum. Hae ergo considerans, animoque intendens

A sanctus Propheta delectatus est, qui fuerat antè turbatus. Vnde ait ipse:

Quia delectatum est cor meum, & requieuerunt renes mei.

Et ego ad nihilum redactus sum, & nesciui: & velut iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.

*Delectatum est cor meum.* Nam cum cognouissem quia Deus humana curat & respicit, *requieuerunt renes mei,* hoc est, ex maxima fatigatione veteris imprudentiae requieui per agnitionem boni caelestis & gratiae. Sunt enim quidam renes animae, qui vexantur in nobis per ignorantiae laborem: hi resoluuntur ad requiescendum caelestis agnitione doctrinae, & quasi pulchro quodam fulcro caelestium praecceptorum subnixi fouentur. Tunc, inquit, intellexi quia vanè fatigabar, quoniam id quod verum est nesciebam, & *velut iumentum factus sum.* Pulchre addidit, *Apud te.* Comparatione enim caelestium homo quid est, nisi iumentum irrationabile? Nam stellae cum sint lucidae, vanescunt solis exortu. Et Moyses ait: *Non sum idoneus ab hesternio die, ex quo coepisti loqui cum seruo tuo; tenui (inquit) voce, & tardiloquus sum.* Ita ergo & homo, non dicam Christi, sed angelorum comparatione mutum videtur esse iumentum. Sed tamen nemo desperet, quia homines & iumenta saluos facit Deus. Et ideo quia non ex me, sed ex te didici, tibi adhærebo semper, ut desinā esse iumentum, & dicas mihi: *Tu autem hūc sta mecum.* Circumfusus enim Dei gratia homo incipit esse, qui per imprudentiam praetendebat insensibilitatem, & inscientiam bestialem. Homo enim probatur, si capax sit rationis & gratiae.

Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria assumpsisti me.

*Tenuisti manum dexteram meam.* Itaque à mutis animalibus separatum se esse gaudet, & in hominum affectum esse confortia, quae Deus visitat & tuetur. *Quid enim est homo, nisi quia memor est eius Dominus, aut quia à Domino visitatur?* Vnde quasi visitatus ab eo dicit: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria assumpsisti me.* Sic accepimus, & secundum Graecum sic conuenit. Dixit autē Graecus: *ἐπέλασεν τὴν ἄρσεν τὴν δεξιὰς μου,* id est, *tenuisti manum dexteram meam.* Bene dirigitur, cuius dexterā manu sua tenet. Potest dicere: *Dominus à dextris meis, ne commouear.* Adā si à dextris suis Dominū habuisset, nō esset à serpente deceptus. Sed quia oblitus est mandatū Dei, & voluntatē serpentis impleuit, manum eius diabolus tenuit, & ad lignū sciētiae boni & mali extendi fecit, ut interdicta deciperet. Praedictum est in illo omnibus, & coepit vniuersis aduersariis à dextris stare. Vnde & illa in Iudā maledicti forma processit: Et diabolus stetit à dextris eius. Si illud maledictum graue, maxima est ista benedictio, qua maledictionis durae vincula laxantur. Ideo Dominus Iesus ad dexterā sibi diaboli statuit, sicut in Zacharię libro legimus. Hominis enim

Exod. 4.

Psal. 35.

Deut. 5.

Psal. 8.

Psal. 15.

Gen. 3. Rem. 5.

Psal. 108. Zacha. 3.

causam locumque susceperat. Ibi ergo stetit, ubi A-  
 dæ stetit hæreditas. Quasi bonus athleta permisit  
 eum ad dexteram sibi stare, vt eum retrorsum repel-  
 leret, dicens: Vade retrò satana. Itaque aduersarius  
 loco deiectus recessit: tibi autem ne diabolus à dex-  
 tris staret, ait: Veni sequere me. Præuidens igitur  
 Dauid aduentum Domini, qui nos à potestate ad-  
 uersarij liberaturus descendit è celo, ait: Domi-  
 nus à dextris est mihi, ne commouear. Cui autem  
 à dextris erat diabolus, mouebatur. Meritò ergo &  
 hîc ait: *Tenuisti manum dexteram meam*, id est, vt iâ pec-  
 care non possim: vt ille lubrico antè fluctuabundus  
 vestigio, fida iam possim statione consistere. Quàm  
 bene hoc Apostolus dixit, quando eum turbatum  
 Dominus vidit, & extendens dexteram manum  
 suam turbari non passus est, atque intrepido firma-  
 uit incessu? Liberatus itaque Petrus quid aliud est  
 locutus, nisi hos propheticos versus: *Tenuisti manum  
 dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum  
 gloria assumpsisti me?* Quæ est dextera, nisi actiuosa ani-  
 mæ virtus? Quæ si Domini voluntate dirigatur, ni-  
 hil aliud desiderat, nil quærit, nullas mundi huius  
 opes, nulla adiumenta deposcit: Ideo dicit sanctus  
 Dauid:

Quid enim mihi restat in celo; & à te quid  
 volui super terram?

Defecit cor meum & caro meâ, Deus  
 cordis mei, & portio mea Deus in æter-  
 num.

Quoniam ecce, qui elongant se à te, pe-  
 ribunt: perdidisti omnes qui fornicantur  
 abs te.

Mihi autem adherere Deo bonum est, po-  
 nere in Domino spem meam:

Vt annuntiem omnes prædicationes tuas  
 in portis filiæ Sion.

Quid enim mihi restat in celo? Hoc est: Tu portio  
 mea es, abundas mihi ad omnia, nihil quæsiui a-  
 aliud nisi vt te partem haberem, nulli me cælesti, vt  
 gentiles, subdidi creaturæ, nullas sæculi huius diui-  
 tias, & voluptatum illecebras concupiui. Nullius e-  
 geo, qui à te assumptus sum: nec superest in cælesti-  
 bus quod amplius quærâ. Nihil habens, omnia ha-  
 beo, quia Christum habeo, cui pater altissimus non  
 pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illi. quo-  
 modo ergo non cum illo omnia nobis donauit? si-

cut Apostolus dixit: Omnia enim in Christo, per  
 quem omnia, & in quo constant omnia. Omnia ergo  
 in illo habens, aliam non quæro mercedem, quia i-  
 pse merces est vniuersorum. Ideoque perfectò di-  
 xit: Tolle crucem tuam, & sequere me. Qui illum  
 sequitur, non præmio ducitur ad perfectionem, sed  
 perfectione consummatur ad præmium. Imitatores  
 enim Christi non propter spem boni sunt, sed pro  
 amore virtutis. Christus enim per naturam bonus,  
 non propter præmij cupiditatem. Ideo passus est,  
 quia bene facere eum delectauit, non quia incre-  
 mentum gloriæ ex sua passione quærebat. Ideo qui  
 illum imitari cupit, non quod sibi, sed quod aliis  
 proficit operetur. Vnde non immeritò deficit sibi, a-  
 liis autem virtutis incremento valescit. Et conue-  
 nienter dicit: *Defecit cor meum & caro mea, Deus cordis  
 mei.* Neque enim possunt perpetua succedere, nisi  
 terrena defecerint. Deficit ergo caro, quando mor-  
 tificatur quæ sunt carnalia. Deficiunt & illi qui mor-  
 tificationem Iesu Christi in sua carne circumferunt.  
 Mors enim Christi in illis operatur vt omnis erro-  
 rum moriatur illecebra. Vnde colligitur quia & cor  
 hominis deficit quando mortificantur cogitatio-  
 nes malæ quæ à corde procedunt, vt terrena omnia  
 abscondat obliuio, & fiat Deus cordis eorum, qui  
 mundo corde Deum videre mereantur, vt appropi-  
 nquent ei, & non se segregent. Deus enim appropi-  
 ans, non repulsor appropiantium est. omnibus  
 enim vult salutis causâ esse, non mortis. Denique  
 neminem repellit, nisi qui se ab eius conspectu pu-  
 tauerit sequestrandum. *Quoniam ecce* (inquit) *qui elon-  
 gant se à te, peribunt.* Vnusquisque enim operibus  
 suis pietati tuæ sese aut iungit aut separat. Fugit enim  
 Deum qui operatur ea quorum cognitione metuat,  
 deprehendi; sicut ille qui tectus parietibus & cir-  
 cumfusis tenebris à Domino Deo sese existimat  
 non videri. videtur autem, cum dicitur: *Perdidisti om-  
 nes qui fornicantur abs te.* Sicut enim mulier quæ for-  
 nicatur, non adhæret viro suo, nec vna caro efficitur  
 cum eo, nec vnus spiritus est, sed diuidit sese ac  
 separat fornicando: ita quæcumque anima non ad-  
 hæret Deo, sed vanis idolorum cultibus inseruiens  
 fornicatur & diuidit se sacrilegij obscenitate, &  
 longè fit à Domino, quæ propè esse deberet. Per-  
 rit autem qui separat à Domino. Vnde sanctus  
 qui Dei iudicium reformidat, semper adhærere  
 vult Christo, & in eo spem suam ponere, vt laudet  
 Deum: cui est honor, gloria, perpetuitas à sæculis  
 & nunc & semper, & in omnia sæcula sæculorum.  
 Amen.

SANCTI AMBROSII IN PSALMVM LXXII. ENARRATIONIS FINIS.

SANCTI

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
 MEDIOLANENSIS, EX VERBIS PSALMI  
 DAVID CIIII. TRACTATVS.

Psalmus David CIIII.

Alleluia.

Confitemini Domino, & inuocate no-  
 men eius: annuntiate inter gentes ope-  
 ra eius.

Cantate ei, & psallite ei: narrate omnia mi-  
 rabilia eius.

Laudamini in nomine sancto eius: lætetur  
 cor quærentium Dominum.

Quærite Dominum, & confirmamini:  
 quærite faciem eius semper.

Mementote mirabilium eius quæ fecit,  
 prodigia eius & iudicia oris eius,

Semen Abraham serui eius, filij Iacob ele-  
 cti eius.

Ipsè Dominus Deus noster, in vniuersa  
 terra iudicia eius.

Memor fuit in sæculum testamèti sui, ver-  
 bi quod mandauit in mille generationes,

Quod disposuit Abraham, & iuramenti  
 sui Isaac:

Et statuit illud Iacob in præceptum, & Israel  
 in testamentum æternum:

Dicens, Tibi dabo terram Chanaan, funi-  
 culum hæreditatis vestræ.

Cum essent ipsi numero modici, paucissi-  
 mi & incolæ in ea:

Et pertransierunt de gente in gentem, & de  
 regno ad populum alterum.

Non reliquit hominem nocere eis, & cor-  
 ripuit pro eis reges:

Nolite tangere christos meos, & in pro-  
 phetis meis nolite malignari.

Et vocauit famem super terram, omne fir-  
 mamentum panis contriuit.

Misit ante eos virum, in seruum venunda-  
 tus est Ioseph.

Humiliauerunt in compedibus pedes eius,  
 ferrum pertransiuit anima eius,

Donec veniret verbum eius, eloquium Do-  
 mini vssit eum.

Misit rex, & soluit eum: princeps populi, &  
 dimisit eum.

Constituit eum dominum domus suæ, &  
 principem omnis possessionis suæ:

Vt erudiret principes eius sicut semeti-  
 ipsum, & senes eius prudentiam doceret.

Et intrauit Israel in Ægyptum, & Iacob ac-  
 cola fuit in terra Cham:

Et auxit populum suum vehemèter, & fir-  
 mauit eum super inimicos eius.

Conuertit cor eius vt odirent populū eius,  
 vt dolum facerent in seruos eius.

Misit Moysen seruum suum, Aaron quem  
 elegit sibi.

Posuit in eis verba signorum suorum, & pro-  
 digiorum suorum in terra Cham.

Misit tenebras, & obscurauit, quia exacer-  
 bauerunt sermones suos.

Conuertit aquas eorum in sanguinem, &  
 occidit pisces eorum.

Edidit terra eorum ranas, in penetralibus  
 regum ipsorum.

Dixit, & venit cynomya, & cinifes in om-  
 nibus finibus eorum.

Posuit pluias eorum grandinem, ignem  
 comburentem in terra ipsorum.

Et percussit vineas eorum & ficulneas eo-  
 rum, & contriuit omne lignum finium eo-  
 rum.

Dixit, & venit locusta, & bruchus cuius nõ  
 erat numerus:

Et comedit omne scenum in terra eorum, &  
 comedit omnem fructum terræ eorum.

Et percussit omne primogenitum in terra  
 eorum, primitias omnis laboris eorum.

Et eduxit eos in argento & auro: & non e-  
 rat in tribubus eorum infirmus.

Lætata est Ægyptus in protectione eorum:  
 quia incubuit timor eorum super eos.

Expandit nubem in protectionem eis: &  
 ignem vt luceret eis per noctem.

Petierunt, & venit coturnix: & pane cali-  
 saturauit eos,

Dirupit petram, & fluxerunt aquæ: abierunt  
 in siccis flumina.

Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod  
 ad Abraham puerum suum:



Et eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia. Et dedit illis regiones gentium, & labo-

res populorum possederunt: Ut custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant.

De vera libertate ac seruitute eleganter disputat: solumque sapientem illa gaudere, hac verò insipientem tantum seruire validissimis argumentis comprobat.

AMBROSIVS SIMPLICIANO.

ROGATUM cum veteris amoris vsu familiaris inter nos sermo caderetur, delectari te insinuasti mihi cum aliquid de Psalmissa mysteriis, vel de Pauli Apostoli scriptis coram populo ad disputandum assumerem, quod eorum profundum in consiliis vix comprehendatur, sublime in sententiis audientem erigat, disputantem accendat: tum quia in plerisque ita se ipsi suis exponant sermonibus, ut is qui tractat, nihil inueniat quod adiciat suum, ac si velit aliquid dicere, grammatici magis quam disputatoris fungatur munere. In eo tamen, tum quonia & veteris affectu amicitia, & quod plus est, paterne gratia amorem recognosco: (nam vetustas habet aliquid cum pluribus consociabile, patrius amor non habet) tum quia non ieiunè me fecisse iam quod postulas arbitratus es, parebo voluntati tuæ: admonitus præsertim & prouocatus exemplo meo, quod mihi non difficillimum, quia non magnum aliquem sed me ipsum imitabor, cum in meos non magnos aliquos vsus reuertor. Et de consiliis quidem, cum beatorum vitæ imago atque effigies nostro sermone exprimeretur, putamus eam factam complexionem, ut pluribus fortasse aliis, tibi certè amanti nostri nõ inprobemur; licet difficilior sit tuo iudicio quam plurimum non displicere, sed iudicij pondus affectu abluas, eoque mihi blandior. Hæc autem epistola quoniam te absentem offendit, de Psalmo est CIII. qui hoc die lectus est, & de sententiis Pauli Apostoli, qui nos à seruitute in libertatem vocat, dicens: Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum: ostendens libertatem nostram in Christi esse sapientia. Quæ sententia magno à philosophis fluctuata atque iactata est disputationis molimine, dicentibus quia omnis sapiens liber, omnis autem insipiens seruus. Sed multo hoc prius David filius dixit, qui ait: Stultus sicut luna mutatur. Sapiens enim non metu frangitur, non potestate mutatur, non attollitur prosperis, non tristibus mergitur. Vbi enim sapientia, ibi virtus animi, ibi constantia & fortitudo. Sapiens ergo idem est animo, non minuitur, non augetur rerum mutationibus: nec ut paruulus fluctuat, ut circumferatur omni vento doctrinæ, sed manet perfectus in Christo, fundatus charitate, radicans fide. Sapiens ergo defectus rerum ignorat, & varium animu nescit, sed fulgebit sicut sol iustitiæ, qui in regno patris sui fulget. Vnde tamen hoc plenus hauserit philosophia, de qua patrum disciplina & prudentia, consideremus. Nonne primus Noe, cum aduertisset quia insipienter filius suus Cham niserat nudatum patrem, maledixit ei, dicens: Maledictus Chanaan, seruus domesticus erit fratribus suis: & præposuit ei fratres eius dominos, qui sapienter

patris senectutem honorandam putarunt? Nonne etiam fons ille disciplinarum omnium Iacob, vbertatem disputationis huius omnium pectoribus infudit, qui sapientiæ merito prælatus est fratri seniori? Denique pater pius qui inter duos filios affectu certaret paterno, sed discreparet iudicio) affectus enim necessitudini defertur, meritis autem iudicia formantur) cum diuideret alteri gratiam, alteri misericordiam: sapienti gratiam, insipienti misericordiam, quia ad virtutem se propriis viribus erigere non poterat, nec spontaneum gressum attollere, benedixit eum ut seruiret fratri suo, & esset ipse seruus: ostendens ita deteriorem esse insipientiam, ut remedio ei seruitus sit, quia stultus regere se non potest: & nisi moderatorem habeat, præcipitatur propriis voluntatibus. Diligens ergo pater & consulens, seruum eum fratris sui fecit, ut eius regeretur consilio. Ideo inconsultis populis sapientes qui que adhibentur rectores, qui plebeiam insipientiam vire proprio regant, ut potentia specie dominentur, quod vel inuitos auctoritate potestatis subiiciant ad obediendum prudentioribus, & obsequendum legibus. Imposuit igitur insipienti velut indomito iugum, & cui in gladio suo viuendum dixerat, libertatem negauit, ne temeritate laboraretur: præfecit ei fratrem, cuius auctoritate & moderatione subiectus proficeret ad conuersionem. Et quia seruitus habet discretionem (est enim necessitatis infirmior, voluntatis fortior, quia pulchrius est bonum quod non ex necessitate fit, sed ex voluntate) ideo ei primò iugum imposuit necessitatis, postea benedictionem ei voluntariæ subiectionis impertiuit. Non igitur natura seruum facit, sed insipientia: nec manumissio liberum, sed disciplina. Denique Esau liber natus est, & seruus factus est: Ioseph venditus in seruitutem est, & electus est ad potestatem, ut suis emptoribus imperaret. Non dedignabatur tamen obsequium sedulitatis, sed tenebat virtutis fastigium, conseruabat libertatem innocentia, integritatis auctoritatem. Vnde pulchrè Psalmissa ait: In seruum venundatus est Ioseph: humiliauerunt in compedibus pedes eius. In seruum, inquit, venundatus est, nõ seruus factus. Humiliauerunt pedes eius, non animam eius. Quomodo enim humiliata est anima, de qua dicit: Ferrum pertransiuit anima eius? Nam cum maiorum animas peccatum transeat (ferrum enim peccatum est, quod est penetrabile) Ioseph sancti anima ita nõ patuit peccato, ut magis peccatum ipsa penetraret. Denique nec herilis illecebræ flexus est delinimento: nec immeritò flammæ non sensit libidinis, quia maiore diuinæ flagrabat ardore gratia. Vnde & hoc pulchrè de eo dictum est: Quia eloquium Domini vsit eum: quo restinxit ignitas diaboli sagittas. Quomodo

1. cor. 7.

Cicero in P. radaxo. 5.

Eccl. 23.

Ephes. 4.

Matth. 13.

Gen. 9.

Gen. 25.

Gen. 27.

Gen. 25. et 27.

Gen. 39.

Gen. 45.

Gen. 39.

do hic seruus, qui erudiuit principes populi in illa frumentaria dispensatione, ut futura inopia cõsulerent & prouiderent? Aut quomodo seruus, qui totam terram acquisiuit, & vniuersum populum Aegyptiorum in seruitutem redegit? Non ut conditionem seruitij ignobilis irrogaret, sed ut tributum constitueret, præter possessionem tamen sacerdotalem, quam à tributis immunem reseruauit, ut apud Aegyptios quoque inuolabilis haberetur religio sacerdotalis. Nõ fecit igitur eum seruum venditio, nam utique negotiatoribus erat venditus, verum si pretium spectes, multos inuenies qui emere sibi puellulas forma elegantioris, quarum amore capti turpi seruitio se dederunt. Videbatur Ape-me concubina Darij regis sedens ad dexteram eius, auferens de capite eius diadema, & suo imponens vertici, palmis faciem eius sinistra manu verberans, quam rex aperto ore intuebatur, gaudens si quãdo arideret ei mulier: quod si ea indignaretur, miserum se atque afflictum putaret, ut potestate submissa blanditias obtexeret, & conciliari sibi eam deprecaretur. Sed quid ista magno allegamus ambitu? Non videmus plerumque in potestatem piraticam vel immanium Barbarorum redactos parentes à filiis redimi? Numquid leges pecuniæ potiores quam leges naturæ? Numquid leges in seruitute accersitur pietas? Plerique emptores leonum sunt, & tamen non dominantur leonibus, sed ita subiiciuntur versa vice, ut si exasperatos eos excutere ceruice toros viderint, fugiant & delitescant. Nihil ergo præiudicat pecunia, quæ plerumque sibi dominos emit: nihil tabulæ auctionales, quibus empor frequenter adiudicatur atque addicitur. Cõtractus non mutat genus, nec sapientiæ libertatem adimit. Denique famulo sapienti multi (ut scriptum est) seruiunt liberi: & est seruus intelligens qui regat dominos stultos. Quem ergo magis liberum censes? Sola est sapientia libera, quæ diuitibus pauperes præficit, & quæ seruos propriis scenerare dominis facit, scenerare non pecuniã, sed intellectum, scenerare talentum illius dominici æternique thesauri qui numquam corrumpitur, cuius & vsura pretiosa est, scenerare illud intelligibile eloquiorum argenti caelestium, de quo lex dicit: Scenerabis gemitibus, tu autem nõ mutuaberis. Quod Hebraus scenerauerit gentibus, ipse autem nõ accepit à populis doctrinam, sed tradidit, cui aperuit Dominus thesaurum suum, ut gentes pluuia sermonis sui faceret humescere, & fieret princeps gentium, ipse autem supra se principem nullum haberet. Liber est ergo qui sapiens est, pretio emptus oraculorum caelestium: illo auro, illo argento sermonis diuini, pretioque emptus sanguinis (non enim minimum est emptorem agnosceret) pretio emptus gratia, qui audiuit & intellexit dicentem: Qui sitis ite ad aquam: & quicumque non habetis argentum, ite, emite, & bibite, & manducate. Liber est ille, qui progrediens in bellum, si viderit mulierem bonâ aspectu, & depradatus opes inimicorum suorum, repertam illic concupierit eam, demptis superfluis, & indumento captiuitatis detracto, in vxorẽ eam sibi copulauerit, iam non seruam, sed liberam, intelligit enim famulatum prudentiam & disciplinam non subiicere. Ideoque lex dicit: Non veni dabitur pecunia. Omne enim

Esai. 6. Gen. 41. Gen. 47.

Ibid.

Gen. 37.

3. Esai. 4.

Eccl. 10.

Prover. 17.

Prover. 22.

Luc. 12.

Matth. 25.

Deut. 15.

Deut. 28.

Esai. 55.

Deut. 21.

Ibid.

pretiosum non est dignum. Et Iob dicit: Attrahe sapientia in interiora. nõ illi comparabitur Aethiopiæ topazion, quod auro habetur argenti que pretiosius. Sed non ille solum liber qui dominum licitatore non pertulit, aut tollentem digitum nõ vidit: sed ille magis liber, qui intra se liber est, qui legibus naturæ liber est; legem sciens naturæ præscriptam esse moribus, non conditionibus, & mensuram officiorum consentaneam non hominis arbitrio, sed naturæ disciplinis. Vtrum igitur iste liber tibi tantummodo, an quidam censor videtur, & præfectus moribus? Vnde verè ait scriptura, quia pauperes diuitum præpositi erunt, & priuati utique administrantium. An tibi liber videtur qui pecunia suffragium sibi emit? qui plausum populi magis quam iudicium requirit prudentium? Ille ergo liber est qui popularibus auribus mouetur? Ille qui reformidat sibilum vulgi? Sed non ista libertas, quam manumissus accipit, & palma licitoris donatus acquirit. Non enim munificentiam, sed virtutem libertatem esse arbitror, quæ non suffragiis defertur alienis, sed magnanimitate propria vendicatur ac possidetur. Sapiens enim semper liber est, semper honoratus, semper is qui præsit legibus. Denique iusto non est posita lex, sed iniusto. Iustus enim ipse sibi lex est, non habens necessesse longius sibi arcessere formam virtutis, quam corde inclusam gerat, scriptum habes opus legis in tabulis cordis sui, cui dictum sit: Bibe aquam de tuis vasis, & de puteorum tuorum fontibus. Quid enim nobis tam proximum quam Dei verbum? Hoc est verbum in corde nostro, & in ore nostro, quod non videmus & tenemus. Sapiens ergo liber, quoniam ea facit quæ vult, liber est. Sed non omnis bonæ voluntatis, sed sapientis tantum est, omnia quæ bona sunt velle. Odit enim malum, quia quod bonum est elegit. Ergo si quod bonum est elegit, arbiter electionis, & eligens operationis liber est, quia quod vult facit. Liber ergo sapiens. Sapiens omnia quæ facit, bene facit. Qui autem bene facit omnia, rectè facit omnia. Qui verò rectè facit omnia, utique inoffensè, & irreprehensibiliter, & sine damno & commotione sui facit omnia. Cui igitur hoc subest, ut inoffensè faciat, faciat irreprehensibiliter, faciat sine commotione sui, sine damno; nihil insipienter facit, sed sapienter omnia. Qui autem sapienter facit, nihil habet quod metuat. Metus enim in peccato est. Vbi autem nulla formido, ibi libertas: vbi libertas, ibi potestas faciendi quod vult. Solus ergo sapiens liber est. Etenim qui neque cogi potest, neque prohiberi, is nequaquam seruus: sapientis autem est neque cogi, neque prohiberi: non est igitur seruus sapiens. Prohibetur enim qui non fungitur iis quæ desiderat. Quæ autem desiderat sapiens, nisi ea quæ virtutis & disciplina sunt, sine quibus esse non potest? In ipso enim sunt, nec diuelluntur ab eo. Quod si diuelluntur, iam non sapiens, qui sit sine virtutis vsu ac disciplina, quibus ipse se fraudet si non sit voluntarius virtutis interpres. Quod si cogitur, manifestum est quod inuitus faciat. In omnibus autem factis aut à virtute correctiones sunt, aut à malitia prolapsiones, aut media ac indifferentia. Virtutis nõ coactus, sed voluntarius executor est sapiens, quoniam omnia quæ placent agit: malitiæ fugitãs, nec somnium

Prover. 3. Iob. 28.

Prover. 22.

1. Tim. 2. Rom. 2.

Prover. 5. Deut. 30.

Cicero in P. radaxo 5.

eius admittit. Indifferentibus ita non mouetur, vt  
vllis momentis sicut vulgus hominū huc atq; illuc  
inclinetur, sed tamquam in statera mens eius æqua  
lance p̄deat, vt neq; ad voluptaria propendat, neq;  
omnino ad ea quæ sunt auerſanda, vel leuiter studiū  
inclinet suum, sed immobilis maneat affectu. Vnde  
liquet quia nihil inuitus facit sapiēs, neque cogitur:  
quia si seruus eſſet, cogeretur. liber igitur est sapiēs.  
Apostolus quoque sic definit, dicens: Non sum ego  
liber? non sum Apostolus? Sed adeo liber, vt cum  
subintrassent quidam tentare libertatem eius, nec  
ad horam (vt ipse ait) cederet subiectioni, vt veritas  
Euangelij prædicaretur. Qui ergo non cessit, volēs  
prædicauit. Vbi voluntas, ibi merces voluntatis.  
Vbi necessitas, ibi obsequium necessitatis. Melior  
ergo voluntas quam necessitas. Velle ergo sapientis  
est; parere & seruire, insipientis. Hæc etiam Apostoli  
definitio dicens: Si enim volens hoc ago, mercede  
dam habeo: si autē inuitus, dispensatio mihi credita  
est. Sapienti igitur merces defertur, sapiens autem  
ex voluntate facit: liberaque secundum Aposto-  
lum sapiens. Vnde & ipse clamat: Vos enim in liber-  
tatem vocati estis, tantum ne libertatem in occa-  
sionē carnis detis. Sequens frat̄ a lege Christianum,  
ne inuitus videatur legi succumbere, vocat in Euā-  
gelium, quod volētes & prædicant & operantur. Iu-  
dæus sub lege, Christianus per Euangelium. In lege  
seruitus, in Euangelio libertas, vbi cognitio sapien-  
tiæ. Omnis ergo qui Christū recipit, sapiens: qui au-  
tē sapiens, liber: omnis igitur Christianus & liber &  
sapiens. Docuit me tamen Apostolus quod vltra ip-  
sam libertatē sit, vt & seruire libertas sit. Cum liber,  
inquit, eſſem, omnium me seruum feci, vt plures lu-  
crificerem. Quid est, vltra libertatē, nisi habere spi-  
ritum gratiæ, habere charitatem? Libertas enim li-  
berum facit hominibus, charitas amicum Deo. Vn-  
de ait Christus: Vos autem dixi amicos. Bona chari-  
tas, de qua dicitur: Per charitatē spiritus seruite in-  
uicē. Seruiuit & Christus, vt omnes liberos faceret.  
Manus eius in cophino seruiuerunt: qui non rapinam  
arbitratus esse se æqualem Deo, formam serui accep-  
pit, & omnia omnibus factus est, vt omnibus salu-  
tē afferret. Cuius imitator Paulus, & quasi sub lege  
erat, & quasi sine lege vivebat pro eorum vtilitate  
quos cupiebat lucrari: & infirmis volens fiebat in-  
firmus, vt eos confirmaret: & currebat vt compre-  
henderet, & corpus suum castigabat, vt potestates  
aereas in Christo triumpharet. Est ergo sapienti &  
seruire libertas. Vnde colligitur quia stulto & impe-  
rare seruitus est: & (quod p̄ius est) cum paucioribus  
præsit, pluribus dominis & grauioribus seruit. Ser-  
uit enim propriis passionibus, seruit cupiditatibus  
suis, quartū dominatum nec nocte potest fugere, nec  
die, quia intra se dominos habet, intra se seruitium  
patitur intolerabile. Gemina enim seruitus est, altera  
corporis, animorū altera. Domini autē corporis  
quidem homines, animorū autem malitiæ & passio-  
nes, a quibus sola animi libertas sapientem vendi-  
cat, vt seruitio ei liceat exire. Queramus igitur illum  
verē sapientem, verē liberum, qui quamuis sub plu-  
rimorum dominatu deget, liberē dicit: Quis est qui  
mecum iudicio contendat? Tu solus manum tuam  
a me abſtine, a cuius conspectu non potero me ab-

1. Cor. 9.

Galat. 2.

1. Cor. 9.

Galat. 5.

1. Cor. 9.

Ioan. 15.

Galat. 5.  
Psalm. 80.  
Philip. 2.

1. Cor. 9.

ibid.

Philo in lib.  
quod omnis  
p̄vibus lib.

Iob. 13.

scendere, & timor tuus non me percellat. Quem se-  
cutus David rex ait: Tibi soli peccaui. Regali enim  
subnixus fastigio, quasi legū dominus legibus reus  
non erat, soli Deo obnoxius tenebatur, qui domi-  
nus est potestatum. Alium audi liberum: Mihi au-  
tem pro minimo est vt a vobis diiudicer, aut ab hu-  
mano die: sed neque me ipsum diiudico. nihil enim  
mihi sum conscius. qui autem diiudicat me, Domi-  
nus est. Vera libertas hominis spiritualis, quia diiudi-  
cat omnia, ipse autem a nemine diiudicatur, nec a  
quocumque creaturæ particeps, sed soli Deo se sub-  
ditum nouit, qui solus sine peccato est, de quo dicit  
Iob: Viuit Dominus, qui sic me iudicat. Solus enim  
ille potest iudicare iustum, cuius in cōspectu cælum  
non est mūdum, nec stellarum pura & clara lumina.  
Quis est qui Sophoclea in mediū ferat carmina di-  
cētia: Iupiter mihi præest, nullus autem hominum?  
Quanto antiquior Iob, quanto vetustior David? Ag-  
noscant ergo de nostris se habere, quæcumq; præ-  
stantiora locuti sunt. Quis igitur sapiens, nisi qui ad  
ipsa peruenit diuinitatis secreta, & manifestata sibi  
cognouit occulta sapientiar? Solus igitur sapiēs, qui  
duce Deo vsus est ad cognoscenda veritatis cubilia,  
& mortalis homo immortalis Dei hæres & succes-  
sor est factus per gratiam, & quidem iucunditatis  
particeps, sicut scriptū est: Propterea vixit te Deus,  
Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Si quis  
igitur propius ipsa introspectiat rerum negotia, cog-  
noscat quanta sapienti adiumenta, & quanta in ip-  
sis insipienti refragia sint; quod huic adiumento li-  
bertas, illi impedimento seruitus sit. Insurgit enim  
sapiens quasi victor de bellis: a se ac triumphatis li-  
bidine, timore, ignauia, mœlitudine, cæterisque vi-  
tiis, donec ea de possessione sua mentis eliminat, &  
omnibus terminis finibusque suis propulset atq; ar-  
ceat: quoniam dux cautior nouit excursus cauere  
latrocinantiū, & quadā furta belli, quæ iniquissimi  
animæ nostræ aduersarij ignitis sæpe perantāt spi-  
culis. Sunt enim nobis quadam & in pace prælia, &  
in bello pax. Vnde & ille ait: Foris pugna, intus ti-  
mores. Sed in his omnibus superamus propter eum  
qui dilexit nos. Dicit hoc, quia neque angustiis, ne-  
que persecutionibus, neq; fame, neq; periculo mor-  
tis terretur. Qui verō hæc timet, qui mortem reformi-  
dat, quomodo non seruus? Seruit profectō, &  
miseram quidem seruitutē. Nihil enim sic animam  
ad omnē seruitutē deiicit, quomodo formido mortis.  
Quomodo enim se erigar abiectione & vilis sen-  
sus atque ignobilis, demerſus in omnem infirmita-  
tis voraginem vitæ huius cupiditate? Vide quā  
seruus: Abscondam me, inquit, & ero gemēs & tre-  
mens super terram: & erit, omnis qui inuenit me,  
occidet me. Itaque quasi seruus signū accepit, nec  
sic tamen necem potuit euadere. Seruit igitur pec-  
cator formidini, seruit etiam cupiditati, seruit a-  
uaritiæ, seruit libidini, seruit malitiæ, seruit iracun-  
diæ, & videtur sibi liber: sed magis seruit, quā si  
sub tyrannis positus. Illi autē liberi sunt, qui legibus  
viuunt. Lex autē vera sermo rectus, lex vera non in-  
sculpta tabulis, nec ere incisa, sed impressa mētibus,  
atq; infixis sensibus, quando sapiens non sub lege,  
sed ipse sibi lex est, opus legis in corde suo continēs,  
naturali sibi stylo & quadā inscriptione formatum.  
Tantum

Psalm. 50.

1. Cor. 4.

1. Cor. 2.

Iob. 27.  
Iob. 15. & 25.

Philo ibidem.

Psalm. 50.

Psalm. 44.

Ephes. 6.

2. Cor. 7.  
Rom. 8.

Gen. 4.

2. Cor. 3.  
Rom. 2.

Tantumne igitur cæcitatē est, vt nō videamus ma-  
nifestas rerum expressiones, & virtutum imagines?  
Et quā indignum, vt populi integri obediant hu-  
manis legibus, quod sint libertatis particeps: sapien-  
tes autē veram legē naturę expressam ad imaginem  
Dei, veramq; rationem signiferam libertatis negli-  
gant & derelinquant, cum in ea tanta libertas sit,  
vt paruuli seruire vitii nesciamus, alieni ab ira, ex-  
ortes auaritiæ, ignari libidinis? Quā miserū igitur,  
vt qui nascimur in libertate, moriamur in seruitute!  
Sed hoc fit leuitate animi, atq; infirmitate morum  
quia curas inanes volumus, & operamur superua-  
cua. Sapientis autē cor, actūmq; & opus radicatum  
esse decet atq; immobile. Hoc docuit Moyses quādo  
Iesus Naue. Ideoq; vincebat populus quando non  
perfunctoria gerebantur opera, sed plena ponderis  
atque virtutis, non nutantis animi, nec titubantis  
affectu, sed fundatæ mentis stabilitate. Ergo sapiēs  
extendit manus suas, stultus autem contrahit; sicut  
scriptum est: Quia stultus cōplexus est manus suas,  
& vorauit viscera sua, carnalia magis cogitās quā  
spiritualia. At non filia Iuda, quæ expandens manus  
clamauit ad Dominum: Tu scis quia falsum testi-  
monium aduersum me dicunt. Melius est arbitrata  
non peccare, & incidere in calumnias accusantium,  
quā peccatum subire sibi impunitatis velamine.  
Ea ergo contemptu mortis seruiuit innocentiæ.  
Sed nec filia Iephthe, quæ votum patris de immo-  
latione sua proprio atque hortatorio firmavit assen-  
su. Non enim ego de contemptu mortis libros philo-  
sophorum depromo, aut gymnosophistas Indo-  
rum, quorū præ cæteris Calani laudatur responsum  
Alexandro, cum eum iuberet sequi: Qua me, inquit,  
laude dignum Græciā petere poscis, si possum cogi  
facere quod nolo? Et verē plenus auctoritatis ser-  
mo, sed magis mens libertatis. Denique & episto-  
lam scripsit. Calanus Alexandro: Amici persuadent  
tibi manus & necessitatem inferre Indorum philo-  
sophis, nec in somnis quidem vidētes nostra opera.  
Corpora transferes de loco ad locum: animos non  
magis coges facere quod nolunt, quā saxa & ligna  
vocem emittere. Maximum ignis viuentibus cor-  
poribus dolorem gignit & corruptionem: super  
hunc nos sumus. viui enim exurimur. Non est rex  
neq; princeps qui extorqueat a nobis facere quod  
non proposuimus. nec similes sumus Græciæ philo-  
sophorum, qui verba pro rebus meditati sunt ad o-  
pinionis celebritatem. Nobis res sociæ verbis, &  
verba rebus: res celeres, & sermones breues. in vir-  
tute nobis libertas beata est. Præclara verba, sed ver-  
ba: præclara constantia, & viri præclara epistola, sed  
philosophi. Apud nos autem & puellæ de mortis  
appentia sublimes vsque ad cælum erere virtutis  
gradus. Quid Theclam, quid Agnē, quid Pela-  
giam loquar, quæ tāquam nobilia vitulammina pul-  
lantes, ad mortem quasi ad immortalitatem festi-  
nauerunt? Inter leones virgo exultauit, & rudentes  
bestias expectauit intrepida. Et vt nostra cum In-  
dorum gymnosophistis conferamus: quod ille ver-  
bis gloriatus est, sanctus Laurentius factis probauit,  
vt viuus exureretur, & flammis superstes diceret:  
Versa, manduca. Haud degner Abrahamidarum,

Exod. 17.

Ecdi. 4.

Dani. 13.

Iudic. 11.

Plutarchus in  
vita Alexan-  
dri magni.  
Philo in lib.  
quod omnis  
prober liber.

& Machabæorum concertatus puerorum, quo-  
rum alij super flammam caneant, alij cum exure-  
rentur non rogabant vt parceretur, sed inuehebantur,  
vt amplius persecutor inflāmaretur. Liber igitur  
sapiens. Quid autem sublimius sancta Pelagia, quæ  
vallata persecutoribus, priusquam tamen in eorum  
conspectum veniret, aiebat: Volens morior, nemo  
me continget manu, nemo oculo proteruo violabit  
virginem. mecum feram pudorē, mecum incolumem  
verecundiam: nullum prædones lucrum suæ capiet  
insolentiæ. Pelagia Christum sequetur, libertatem  
nemo auferet, nemo captiuam videbit liberam fi-  
dem, insignemque pudicitiam, & prospiciam pru-  
dentiæ. Quod seruum est, hinc manebit nullos in  
vsus debitum. Magna igitur piæ virginitatis liber-  
tas, quæ septa agminibus persecutorum, inter ma-  
xima pericula integritatis & vitę nequaquam incli-  
nata est. At non ille cui dominatur ira: subiicitur  
enim iugo peccati. Homo enim iracundus pecca-  
tum effodit. Qui autem peccatum facit, seruus est  
peccati. At non ille liber, qui seruit auaritiæ, non  
potest enim possidere vas suum. Non ille liber, qui  
seruiens desideriis & voluptatibus vago fluitat er-  
rore. Nō ille liber, qui curuatur ambitu (seruit enim  
alieno imperio) sed ille liber, qui potest dicere: Om-  
nia mihi licēt, sed ego sub nullius redigar potestate.  
Esca ventri, & venter escis. Ille liber, qui ait: Quid  
enim libertas nostra iudicatur ab infideli conscien-  
tia? Libertas igitur sapienti conuenit: quoniam qui  
illigat lapidem in fundibulo, similis est ei qui dat  
imprudenti claritatem: seipsum vulnerat, sibi que  
potius dum intorquet iaculum, affert periculum.  
Cerrē sicut tormento acerbatur, & germinatur ma-  
lum saxi ruina, sic insipientis in libertate ruina ve-  
hementior est. Recidenda igitur insipienti potestas,  
non adicienda libertas est. Seruitus enim ei conue-  
nit. Ideoque addidit: Spina nascuntur in manu e-  
briosis, seruitus autem in manu imprudentis, quia fi-  
cut ille suis vulneratur poculis, ita insipiens suis fa-  
ctis. Ille bibendo se peccato inserit, iste operando  
se culpæ adiudicat, & factis suis trahitur in seruitu-  
tem. Videbat se Paulus in captiuitatem trahi a lege  
peccati, & ideo vt liberaretur, confugit ad liberta-  
tis gratiam. Non sunt igitur liberi insipientes, qui-  
bus dicitur: Nolite fieri sicut equus & mulus, qui-  
bus non est intellectus. In fræno & chamo maxillas  
eorum confringe, qui non appropinquant tibi.  
Multa flagella peccatorum: quia multis flagellis  
opus est vt eorum imprudentia coerceatur. Disci-  
plina hoc exigit, nō inclementia. Denique qui par-  
cit baculo suo, odit filium suum: quia vnusquisque  
grauius suis peccatis flagellatur. Grauius enim deli-  
ctorum pondera, grauius criminum verbera, sicut  
onus grauius graue, & infligunt animæ cicatrices,  
& putrescere faciunt mentis vlcera. Deponamus  
igitur tam grauem seruitutis sarcinam, renuntiemus  
luxuriæ ac deliciis, quæ nos quibusdam adstringūt  
nexibus cupiditatum, & vinculis ligant. Nihil enim  
profunt deliciæ stulto. Et qui a pueritia dederit se  
deliciis, manebit in seruitute, vt viuens mortuus  
sit. Recidatur ergo luxuries, deliciæ rescedentur. Et  
si quis fuit luxuriosus, valeat superioribus. Re-  
cisa enim vinea fructū affert, semipurata frondescit,

2. Mach. 7.

Prou. 29.  
Ioan. 8.

1. Theff. 4.  
1. Cor. 6.

ibid.

Prouer. 26.

ibid.

Rom. 7.

Psalm. 31.

Prouer. 13.

Psalm. 37.

Prouer. 19.  
Prouer. 29.

1. Tim. 5.

Prover. 2. 4.

neglecta luxuriat. Ideoque scriptum est: Tamquam agricultura homo imprudens, & tamquam vinca homo egens sensu. si reliqueris eum, desertus erit. Colamus ergo corpus hoc nostrum, castigemus illud, redigamus ad seruitutem, non illud despiciamus. Sunt enim membra nostra arma iustitiae, sunt & arma peccati. Si eleuentur, arma iustitiae sunt, ut peccatum in his non dominetur: si mortuum fuerit peccatum, non regnabit in eo culpa, & erunt membra nostra a peccato libera. Non obediemus igitur cupiditatibus eius, neque exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato. Si videris mulierem ad concupiscendam eam, membra tua arma peccati sunt. Si locutus es ad sollicitandam eam, lingua tua & os tuum membra peccati sunt. Si abstulisti terminos a patribus positos, membra tua arma peccati sunt. Si festinasti velocioribus pedibus ad effundendum innocentium sanguinem, membra tua arma iniquitatis sunt. Contra si vidisti egenum, & induxisti in domum tuam, membra tua arma iustitiae sunt. Si eripuisti iniuriam accipientem, vel eum qui ducebatur ad mortem; si scidisti chirographum debitoris, membra

1. Cor. 9.  
Rom. 6.

Ibid.

Matth. 5.

Prover. 22.  
Esai. 59.  
Esai. 58.  
Esai. 1.  
Prover. 24.  
Iob. 31.

tua arma iustitiae sunt. Si confessus es Christum (arma enim intellectus labia sapientis) labia tua membra iustitiae sunt. Qui potest dicere: Oculus eram caecorum, pes claudorum, pater infirmorum; membra eius membra iustitiae sunt. Ergo liberati a peccato, quasi pretio empti sanguinis Christi, non subiciamur seruituti hominum vel passionum. Non erubescamus peccatum nostrum fateri. Vide quam liber qui poterat dicere: non reueritus sum multitudinem populi, ut non annuntiarem in conspectu omnium peccatum meum. Qui enim confitetur Domino, exiit a seruitute. Iustus enim accusator est sui in principio sermonis. Non solum liber, sed etiam iustus: sed iustitia in libertate est, & libertas in confessione. Simul enim ac confessus quis fuerit, absoluitur. Denique: Dixi, pronuntiabo aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Mora ergo absolutionis in confitendo est, confessionem sequitur peccatorum remissio. Sapiens est igitur qui confitetur: liber cui peccatum dimissum est, nullam contrahens aera peccati. Vale, & nos dilige, ut facis, quia & ego te diligo.

Prover. 14.  
Iob. 29.  
Rom. 6.1. Cor. 7.  
Iob. 31.

Prover. 18.

Psal. 31.

Matth. 25.

Apo. 14.

Ephes. 1.

ritum sanctum, sicut promisit Dominus, in discipulis exultare. Ait ergo propheticus Psalmus: *Dixit Dominus Domino meo: Sede ad dexteram meam.* Secundum consuetudinem nostram illi confessus offertur, qui aliquo opere perfecto victor adueniens honoris gratia promeretur ut sedeat. Ita ergo & homo Iesus Christus passione sua diabolus superans, resurrectione sua inferna referans, tamquam perfecto opere ad caelos victor adueniens, audit a Deo patre: *Sede ad dexteram meam.* Nec mirum si vnus sedis offertur filio confessus a patre, qui vnus est substantia & natura cum patre. Cur autem ad dexteram filius esse dicatur, moueat aliquem fortasse. Licet enim dignitatis gradus non sit, ubi plenitudo diuinitatis est: tamen ideo ad dexteram sedet filius, non quod praeferratur patri, sed ne inferior esse credatur. Et ideo ad dexteram filius, quia secundum Euangelium ad dexteram oues, ad sinistram vero constituentur haedi. Necessse est ergo ut ouium partem primus agnus obtineat, & secuturo immaculato gregi locum dux immaculatus anticipet, sicut ait Ioannes in Apocalypsi, dicens: Hi sunt qui sequuntur agnum quocumque vadit, qui se cum mulieribus non coinquinauerunt. Refert ergo propheta David: *Dixit Dominus Domino meo: Sede ad dexteram meam.* hoc est Dominus pater Domino Deo Christo filio throni sui offert sublimem confessionem, & honoris gratia ad dexteram

situm illum aeterna sede constituit. Legimus in Actibus Apostolorum, dicente beato Stephano cum lapidaretur a Iudaeis: Ecce video caelos apertos, & Iesum stantem ad dexteram Dei. Videamus ergo quae sit ratio quod idem Dominus a David sedens prophetaatur, stans vero a Stephano praedicatur. Primum omnium Deus qui incorporeus & inuisibilis est (est enim spiritus, sicut ait Dominus: Deus autem spiritus est; sedere aut stare quomodo potest; deinde autem quali subsellio sedeat Deus, qui infinitus est & immensus, intra se ipse magis creaturam cunctam continet? Haec autem propterea a sanctis viris dicta arbitror esse de domino, non quod sint contraria sibi, sed ut modum eius potentia, modum misericordia describatur. Nam utique pro potestate regis sedere dicitur, pro bonitate intercessoris stare suggeritur. Ait enim beatus Apostolus: Quia aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum. Iudex ergo est Christus, cum residet: aduocatus est, cum assurgit. Iudex plane Iudaeis, aduocatus Christianis. Hic enim stans apud patrem, Christianorum licet peccantium causas exorat: ibi residens cum patre Pharisaorum persequentium peccata condemnat. Illis indignas vehementer ulciscitur, his interueniens leniter miseretur. Hic stat, ut suscipiat Stephani martyris spiritum: ibi residet, ut condemnet Iudae proditoris admissum.

Act. 7.

Ioh. 4.

1. Ioh. 2.

S. AMBROSII IN PSALMVM CIII. TRACTATVS FINIS.

## SANCTI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, EX PSALMO DAVID

CIX. SERMO PRO DIE PENTECOSTES.

*Psalmus David CIX.*

**D**ixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis emittet tibi Dominus ex Sion: & dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuae, in splendoribus sanctorum tuorum: ex utero ante luciferum genui te.



**N**osse vos credo, fratres, quae sit ratio quod venerabilem hunc Pentecostes diem non minore laetitia celebremus, quam sanctum Pascha curauimus: & quod eadem deuotione huius solemnitatis obseruantiam decurrimus, sicut illius obsequia festiuitatis impleuimus. Tunc enim, sicut modo fecimus, ieiunauimus sabbato, vigilias celebrauimus, orationibus pernoctantes institimus: unde necesse est, similis obseruatio similem laetitiam subsequatur. Est laetitia plane consimilis. Tunc enim ab inferis resurgentem suscepimus Saluatorem, modo autem Spiritum sanctum expectamus a caelis. Tunc anxij & solliciti Christi precabamur aduentum, modo trepidi & ieiuni Paracleti desideramus aduentum.

Act. 1.

Iurauit Dominus, & non penitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedec.

Dominus a dextris tuis confregit in die ire suae reges.

Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet, propterea exalabit caput.

**I**n omnibus enim Deus saluti prouidit humanae. Tunc enim nobis ad resurgendum tartara Saluator aperuit, modo nobis ad regnandum Paracletus caelestia reseruit: & quibusdam quasi profectuum gradibus, tunc de morte ad vitam didicimus remeare, modo autem de terris ad caelos meditamur ascendere. Haec autem omnia operatur in nobis Christus Dominus, qui priusquam rediret ad caelos, promisit discipulis suis, dicens: Cum autem ascendero, rogabo patrem meum, & mittet vobis alium Paracletum, qui vobiscum sit in aeternum, spiritum veritatis. Unde credendum est, ad patrem peruenisse Christum, cum videmus ad Apostolos descendisse Paracletum. Credendum inquam est, sicut ait de Saluatore David, in Dei dextera considerare: quia cernimus Spiritum

Ioh. 14.

S. AMBROSII IN PSALMVM CIX. SERMONIS FINIS.

## SANCTI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, EX PSALMO DAVID

CXVII. PRO SANCTO DIE PASCHAE SERMO.

*Psalmus David CXVII.*

Alleluia.

**C**onfitemini Domino quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius. Dicat nunc domus Israel quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius. Dicat nunc domus Aaron, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius.

Dicant nunc omnes qui timent Dominum, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius.

De tribulatione inuocavi Dominum, & exaudiuit me in latitudine.

Dominus mihi adiutor, & non timebo quid faciet mihi homo.

Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in Domino, quam

confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.

Omnes gentes circueverunt me, & nomine Domini ultus sum in eos.

Circumdantes circumdederunt me, & nomine Domini ultus sum in eos.

Circumdederunt me sicut apes fauam, & exarserunt sicut ignis in spinis, & nomine Domini ultus sum in eos.

Impulsus euerfus sum ut caderem, & Dominus suscepit me.

Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera



Domini exaltauit me.

Dextera Domini fecit virtutem: non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini.

Castigas castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.

Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino.

Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.

Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

**G** Hic dies quem fecit Dominus: exultemus & lætemur in eo.

O Domine saluum me faciam, ô Domine bene prosperare iam.

Benedictus qui venit in nomine Domini: benediximus vobis de domo Domini.

Deus Dominus, & illuxit nobis: constituite diem solemnem in cõdenis, vsque ad cornua altaris.

**H** Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.

**N**ON immeritò fratres hodierna die Psalmus hic legitur, in quo Propheta exultandum præcipit & lætandũ. Omnes enim creaturas ad huius diei festiuitatem Dauid sanctus inuitat. Nam in hac die per resurrectionem Christi aperitur tartarus, per neophytos Ecclesiæ innouatur terra, cælum per Spiritum sanctum referatur. Apertus enim tartarus reddit mortuos, innouata terra germinat resurgentes, cælũ referatũ suscipit ascendentes. Denique ascẽdit latro in paradisiũ, sanctoꝝ corpora ingrediuntur in sanctã ciuitatẽ: ad viuos mortui reuertuntur, & profectu quodã in resurrectione Christi ad altiora cũcta elemẽta se tollit. Tartarus quos habet, reddit ad superos: terra quos sepelit, mittit ad cælũ: cælum quos suscipit, repræsentat ad Dominum. Et vna eademque operatione Saluatoris passio eleuat de imis, suscitatur de terrenis, collocat in excelsis. Resurrectio enim Christi defunctis est vita, peccatoribus venia, sanctis est gloria. Omnem ergo creaturam ad festiuitatem resurrectionis Christi Dauid sanctus inuitat, dicens: *Hic dies quem fecit Dominus: exultemus & lætemur in eo.* Ait ergo exultandum in hoc die, quem fecit Dominus, & lætandum. Sed dicit aliquis: Si in hoc die gratulandum est, iis vtique gratulandum est, quos dies ipse completitur: cælum autem & tartarus extra huius mundi diem sunt constituta. quomodo igitur possunt ea elementa ad festiuitatem huius diei vocari, quæ huius diei ambitu non tenentur? Sed hic dies quem fecit Dominus, penetrat omnia, vniuersa continet, cælum & terram, tartarũque complectitur. Lux enim Christi non parietibus obstruitur, non elementis diuiditur, non tenebris obscuratur. Lux inquam Christi dies est sine nocte, dies sine fine, vbique splendet, vbique radiat, vtique non deficit. Quod autem iste dies Christus sit, Apostolus dicit: Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Præcessit, inquit, nox, non sequitur: vt intelligas superueniente Christi lumine, & diaboli tenebras effugari, & peccatorum obscura non subsequi, & iugi splendore præteritas caligines depelli, subrepẽtia delicta prohiberi. Nam quia hic dies Christus, cælum, terram,

tartarũque collustret, scriptura testatur. Quod enim super terram fulgeat, dicit Ioannes: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum. Quod in inferno luceat, ait Propheta: Qui sedebant in regione vmbrae mortis, lux orta est illis. Quod in cælis dies iste permaneat, refert Dauid dicens: Ponam in sæculum sæculi semen eius, & sedem eius sicut dies cæli. Quis autem est dies cæli, nisi Christus Dominus, de quo dicitur per Prophetam: Dies diei eructat verbum? Ipse est enim dies filius, cui pater dies diuinitatis suæ eructat arcanum. Ipse inquam est dies, de quo ait Propheta: Et ambulemus in lumine Domini. Sicut ergo diem cæli nox omnino non sequitur, ita & Christi iustitiam peccatorum tenebræ non sequuntur. Semper enim dies cæli splendet; lucet, & fulget, neque aliqua potest obscuritate concludi: ita & lumen Christi semper micat, radiat, coruscat, nec aliqua potest delictorum caligine comprehendi. Vnde ait Euangelista Ioannes: Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. In resurrectione ergo Christi elementa omnia gloriantur. Nam & solem ipsum arbitror esse in hac die solito clariorẽ. Necessè est enim vt sol in eius resurrectione gaudeat, in cuius passione condoluit: & cuius mortem lugubri quadam caligine prosequutus est, eiusdem vitam nitidioris lucis splendore suscipiat: & tamquam bonus minister, sicut tunc obscuratus est ad exequias sepulturæ, modò coruscet in resurrectionis obsequium. In passione enim Christi caliginum se nocte circumdedit, & Iudæorum facinus mundo teste congemuit. Indicium enim quoddam doloris in sole est, tanto sceleri officium luminis denegasse, & vltionẽ quadam Iudæorum oculis tenebras infudisse: vt quorum mentem cæcitas inuaserat, eorum oculos cæcitas occuparet; nec lucret eis mundi lumen, à quibus fuerat lumen salutis extinctum. Damnatio igitur quædam ingeritur Pharisæis, vt tenebras in die iudicij peccatoribus reprobis iam apud superos patiantur. Apud superos ergo crucifixo Christo immorantur tenebræ. Quid mirum si apud superos sunt tenebræ, cum lux descendit ad inferos? Igitur fratres, omnes in hoc die sancto

sancto exultare debemus, nullus se à cõmuni lætitia peccatorum conscientia subtrahat, nullus à publicis votis delictorum sarcina reuocetur. Etenim peccator in hoc die de indulgentia non debet desperare: est enim prerogatiua non parua. Si enim latro paradisiũ meruit, cur non mereatur veniã Christianus?

Et si illi Dominus cum crucifigitur miseretur, multo magis huic miserebitur cum resurgit. Et si passionis humilitas tantum præstitit contenti, resurrectionis gloria quantum tribuet deprecanti? Largior enim ad præstandum solet esse, sicut ipsi scitis, læta victoria, quàm addicta captiuitas.

S. AMBROSII IN PSALMVM CXVII. SERMONIS FINIS.

# SANCTI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, IN PSALMVM DAVID

CXVIII. ENARRATIONES.

Argumentum in Psalmum CXVIII.

**I**CET mystica quæque veluti tubæ sono increpauerit Dauid propheta: tamen in eo quantum excellat ethica, Psalms huius declarat gratia. Siquidem cum suauis omnis doctrina moralis sit, hæc tum maximè suauitate carminis, & psallendi dulcedine delectat aures, animũque demulcet. Vnde plerisque locis moralium sententiã Psalms tamquam stellarum lumina, quæ lucet atque emicat in orbe, sanctus Propheta diffundit. Centesimũ verò & octauum decimum Psalmum, velut pleni luminis solem meridiano feruentem calore, in perfecta libri constituit arate: vt neque matutini ortus semiplena exordia, neque vespertini occasus perfecti splendori defectus, claritatis aliquid perfecti splendori deciperent. Quem per singulas Hebræorum digessit litteras, vt quemadmodum paruulorum ingenia primis litterarum elementis legendi vsum addiscunt: ita nos huiusmodi elementis vsum discamus viuendi. Litteris autem singulis octonos versiculos adscripsit, vt simul & vnitate doceret (vnitas enim coeret omnia & regit, cui subiecta sũt); & purgationẽ legitimã sanctificationis adstrueret. Octaua enim die solemnis purgatio ex lege est: & octaua die circumcisionis solemnitas impleri statuta est: quia totus mundus coinquinatus erat peccatis nostris, & totis septem pollutus diebus. Vbi autem resurrectionis dies aduenit, cõiuuificati Domino Iesu surreximus, & erecti sumus, in nouitate vitæ ablutionis gratiam præferentes. Meritoque primogenita offerimus Deo in figura primogeniti filij Dei, & pro eis castitatis & simplicitatis animantia (spiritalia sacrificium Deo acceptum) non quarta aut quinta die, ne immundum aut inconsummatum sit; sed octaua qua omnes in Christi resurrectione nõ solum resuscitati, sed etiam confirmati sumus. Vnde licet in baptisinate plena sit statim purgatio: tamen quia ablutionis ipsius sacrificijque rationem baptizatus debet cognoscere, nõ offert sacrificium, nisi octauum ingrediatur diem: vt inuauat quod informatus agnitione sacramentorum cælestium, & nõ quasi rudis, sed quasi rationis capax, tunc demum suum munus altaribus sacris offerat, cum coeperit esse instructor;

ne offerentis inscitia contaminet oblationis mysterium.

Titulus Psalmi CXVIII.

Alleluia.

Titulus Psalmi, *Alleluia* est: hoc est, laus Deo. In iis enim verè Deus laudatur, in quibus est peccatorum remissio. Denique in superiore Psalms passio Domini quæ totum abluuit mūdum, præmissa est, vt dignos faceret populos qui Deum immaculato ore laudarent. Ipsa quoque litterarum elemẽta, vt omnia Hebræa nomina, non sunt rationabilis interpretationis vacua atque immunia, quorum significationes locis suis aperiemus. Psalms centesimus decimus mihi ita scriptus videtur: & centesimus vndecimus per has litteras in Hebræo in principiis versiculorum digestus est, & est totus ethicus. Denique vicenos & binos versus habet, & singulis versibus singulæ explicantur sententiæ. Vnde & per metra asseruntur esse descripti.

In primum octonarium enarratio.

» Aleph.

Prima littera Aleph dicitur, cuius interpretatio doctrina est. Sollicitus ergo auditor plenos doctrinæ versus esse qui sequuntur, debes præsumere.

**B**Eati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum.

Quam pulcher ordo, quam plenus doctrinæ & gratiæ. non prius, *Qui scrutantur testimonia eius*, dixit (potuit enim conuenire secundum litteram) sed prius, *Beati immaculati in via*. Antè enim vita quam doctrina querenda est. Vita enim bona etiam sine doctrina habet gratiam, doctrina sine vita integritatem non habet. In maleuolã etenim animã non cadit sapientia. Ideo quærit me mali, & non inuenient: quia improbitate cæcatur mentis

Aa

Luc. 23.  
Matth. 27.

Rom. 13.

Luc. 23.

Ioan. 1.

Esai. 9.

Psal. 88.

Psal. 18.

Esai. 2.

Ioan. 1.

Ad. 17.

Luc. 12.

Psal. 119.

Nom. 8.

Luc. 12.

Luc. 12.

Coloss. 2.

Coloss. 2.

Coloss. 2.

Coloss. 2.

Coloss. 2.

Coloss. 2.

Coloss. 2.

Sapient. 2.

oculus, & caligante sibi iniquitate mysteria profunda inuenire non potest. Primum ergo exercenda est vitæ militia, corrigendi mores. Cum hæc instituerimus ad cursum debitum, vt sit offensionis correctio, puritatis gratia: tunc ad studia percipiendæ cognitionis veniamus suo ordine & via. Prima igitur sunt moralia, secunda mystica. In illis vita, in his cognitio: ita vt si perfectionem requiras, nec vita sine cognitione, nec cognitio sine vita sit. Vtrumque ad stipuletur alteri. Ideoque ait scriptura: Seminate vobis ad iusticiam, vindemiate ad fructum vitæ, illuminate vobis lumen cognitionis. Nō prius illuminate, sed seminate: nec solum seminate prius ad iusticiam, sed etiam vindemiate, inquit, ad fructū vitæ, & sic illuminate lumen cognitionis: vt perfectio non solum consistit, sed etiam receptis fructibus approbetur. In primo quoque Psalmo hunc ordinem tenuit vt in via ambulandum doceret prius, & tunc in lege meditandum. Qui enim non abiit in consilio impiorum, vtique de pietatis via & iustitiæ semita non recessit: meritoque in via ambulans beatus pronuntiatur: & die ac nocte meditationem legis exercēs, habet gratiam beatitudinis. Quam institutionem secutus Salomon, librum de Prouerbiis scripsit, in quo moralem locum vberius expressit, naturalem in Ecclesiaste, mysticū in canticis canticorū: quamquam si diligēter discutias, & in Prouerbiis mystica pleraque reperies, & in Canticis moralium suauitatem. Nam vtique mysticum est: Sapientia ædificauit sibi domum, & subdidit columnas septem, interfecit suas hostias. In Canticis canticorum & mysticum, & morale, in quo blāditiarum suauitas & affectus amantis exprimitur. Osculetur me ab osculis oris sui, quoniam optima vbera tua super vinum, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Constitue ergo virginem desponsatam multo tempore, & iusto feruentem amore, quæ multa præclara opera dilecti probabiliū testium assertione cognouerit, desideris suspensam, dilatam frequenter iam non ferentem moras, quæ omnia fecisset vt sponsum videret, aliquando votis potitam suis, ad improuissum sponsi aduētum gaudio turbatam, non querere primordia salutationis, non verborum vices, sed statim quod desiderasset exigere. Ita ergo & sancta Ecclesia quæ in primordiis mundi desponsata in paradiso, præfigurata in diluio, annuntiata per legem, vocata per prophetas, diu redēptionem hominum, Euangelij decorem, dilecti expectasset aduentum, impatiens moræ in oscula ruit, dicens: Osculetur me ab osculis oris sui. Et delectata osculis adiicit: Quoniam optima vbera tua super vinum. Et vt moralis dicamus, intellige mihi carnē illam quæ in paradiso, in Adam serpentis veneno, quæ criminum marcebat foetore, quæ procedebat in filiabus Sion alta ceruice, & nutibus oculorum, & itinere pedum trahens tunicas, & pedibus suis ludens, crinium cincinnis & compositis vultibus, atque redimiculis & omni affectato decore plus de decens: eandem plurimis edoctam oraculis quod venturus esset qui serpentis illecebris excludis, sancti Spiritus infunderet gratiam, vt omnis caro videret salutare Dei, omnis caro ad Deū veniret, inarsisse desiderio: sed metuentem ne vt impatiens, vt

osee 10.

psal. 1.

Prouer. 9.

Cant. 1.

Ephes. 5.

Cant. 1. Ibid. Gen. 3.

Esaiæ 3.

Esaiæ 40.

psal. 64.

lasciua, vt luxuriosa, vt querula, sicut antè fuerat, displiceret, & lōgiore quàm ferre iam poterat, morantis aduentus Dominici expectatione quateretur: non immurmurantem tamen, nec trāsgridientem, sed leuātem in omni loco puras manus sine ira & disceptatione, in habitu ordinato, cum verecūdia & sobrietate ornantem se, nō intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa, sed iis quæ castitatis & bonæ conuersationis decerēt gratiam, orare dicentē: Osculetur me ab osculis oris sui, quoniam optima vbera tua super vinum. Iam volebat adherere Christo caro, iam festinabat innubere, vt esset vnus spiritus, & fieret caro Christi, quæ erat antè meretricis. Osculetur, inquit, me. Osculetur nos Dei verbum, quādo sensum nostrū spiritus cognitionis illuminat. Et tamquam despiciens omnes iucūditates & delectationes suas, cælestibus cupiēs inhæreret mādatis, ait: Quoniam optima præcepta testamentorum tuorum super omnem appetētiā carnis, & seculi voluptatem. Meminerat enim se in Eua antè sic lapsam: vt dum voluptatem corporis præfert mandatis cælestibus, ait: Vnguentum exinanitum nomen tuum. hoc est, totus immundis impuritatibus diuersorum facinorum fœtebat hic mundus; nunc spirat vbique suauitas pudicitæ, vnguentum fidei, flos integritatis. Et à moralibus venit ad mystica, dicens: Introduxit me rex in cubiculum suū, exultemus & lætemur in te, diligamus vbera tua super vinum. Simplex est enim osculū, negotiosum autem cubiculū secretū. In ipso quoque Euangelio pulcherrimus de moralibus locus est, vt vnusquisque vas suum mundaet, dicente Domino: Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis & paropididis, vt fiat & id quod foris est, mundum. Nam nisi se vnusquisque intus mundauerit, etiam si foris speciosus videatur & iustus, similis erit dealbatis sepulcris, vt foris quidem iustus videatur, intus verò sit fœtidus. Sic est doctrina sine vitæ innocētia. Sed nec ipsa doctrina potest mercedem habere, vbi gratiam non habet innocentia. Peccatori enim dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas? Sed reuertamur ad propositum Psalimum.

*Beati* (inquit) *immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum.* Primus versus moralis, secundus mysticus. Quis hoc dicit? Propheta vtique, quiungebatur carnis alloquio, & dicit hoc post eum Psalmū quo descripta est Domini nostri Iesu Christi passio. Vbi ergo & diuina sacramenta reuelata sunt, & induit Dominicæ resurrectionis lætitiā, & passionis degustauit gratiam, vidit iustorum congregationes, populorum redemptionem, perditorum salutem, mortuorum resurrectionem, sanctificationem sacramentorum, exclamauit dicens: *Beati immaculati in via.* hoc est: Ecce maledicta terra in Adam cœpit habere beatitudinē, si tamen legem Domini nō derelinquat. Ecce immaculatus est homo, qui erat antè pollutus. Quam pretiosum est custodire præceptum Domini, quàm pretiosum etiam præcepti ipsius scire mysterium? Sed quis est immaculatus? Non vtique qui in quacumque via ambulat, sed qui in Christo ambulat. Ipse enim dixit: Ego sū via. In hac via qui ambulat, errare nō nouit, si tamē ab hac

Matth. 23.

1. Tim. 2.

Cant. 1.

1. Cor. 6.

Cantic. 1.

Ibid.

Matth. 23.

Ibid.

psal. 49.

psal. 117.

Genes. 3.

Prouer. 3.

Ioan. 14.

ab hac

Prouer. 6.

Prouer. 5.

Philipp. 1. Rom. 10.

Rom. 5.

Apo. 1. psal. 33.

1. Cor. 7.

Eccl. 23.

Esaiæ 43.

psal. 43. Eccl. 33.

ab hac via numquam recedat. Est & lex via: & ideo dum qui in lege Domini ambulat, immaculatus est; nec ambulare in hac via desinat, ne immaculatus esse desinat. Non declinet in dexteram aut læuam, non titubet, non resistat, non expectet, sed ambulet superiora obliuiscēs, & ea quæ sunt anteriora appetens, ad destinatum sequatur brauium: festinet, contendat vsq; in finem. Finis enim legis est Christus. Multi volunt ambulare in via, sed nō vsq; ad finem. Non ambulant Iudæi vsque ad finem, qui nō vsque ad Christum ambulant. Non ambulat Manichæus in via, qui legem refutat: sed ambulat vera fides, quæ & legem suscipit, & plenitudinem legis agnoscit. Si quis ergo in via ambulat, scrutetur testimonia Domini. Quod licet mysticum sit, tamen etiam moralia in se habet: quoniam melius potest ambulare in via qui scrutatur Domini testimonia. Nam vt quis intemperantissimo captus adulterinæ cupiditatis æstu, & victus libidine, vel indulgens flagitiis, qui repugnare nolit appetentiæ suæ carnis, cōuersus huc atq; illuc, si neminē forte videat flagitij sui testē, in facinus ruit: idem tamen quomuis inueniat paratam occasionem potiendi, explorat diligenter omnia, in diuersum oculos suos, incuriosus iustitiæ, sollicitus famæ, detorquet frequenter, erubescens testimoniū erroris, qui non erubescit errorem: ac si quem forte spectatōrē cognouerit facinoris sui, verecundia sequestrat intēperantiā: & quāuis cum ancilla vel meretrice vulgari, vbi nullum sit deprehendendi periculum, tentamenta moliat libidinis, pudore tamen inceptum deserit: quanto magis si quis alleuet mētis oculos, & consideret plena esse angelorum omnia, aera, terras, mare, ecclesias, quibus angeli præfunt (mittit enim Dominus angelos suos ad defensionem eorum qui hæredes futuri sunt promissorum cælestium) concepto potest renuntiare peccato? Vnde ista turba innocētium, nisi ex illis peccatoribus? Eadem natura est omnium, sed diuersa disciplina. Circūcisio nihil est, & gentilitas nihil est: sed obseruantia mandatorum Dei, naturæ ipsius auget gratiam; merita commutat ille qui dicit: Tenebræ in circuitu, & parietes me operiunt, peccatorum meorum non erit memor altissimus. Non reueritus esses angelorum præsentiam, si præsentem esse crederes? Non metures non dicam face, sed loqui, aut etiam cogitare quod prauum est, si tibi diuina scriptura suauisset, quia Deus cogitationum arbiter, secretorum testis est verax, sicut ipse ait: Estote mihi testes, & ego testis, dicit Dominus Deus, & puer meus quem elegi? Hominem vereris præsentem, Dei patris & filij nō vereris præsentiam? sed non vis credere, ne possis cauere: non vis audire cum legitur quia Deus nouit occulta hominum, ne incipias scire quod timeas, & timere ne pecces. Audi ergo scripturam diuinam, vt conuertaris à via praua & maligna. Noli sicut cæcus oculis corporalibus, aut sicut surdus (qui eo quod non potest videre nec audire præsentem, solum esse se credit, & in plurimorum cœtu, dum putat nullum esse præsentem, perpetrare adoritur quod arbitratur esse secretum, non potest enim videntes videre qui non videt,) similiter & tu mentis cæcatus oculis æstimare quod sine teste delinquas, quia homi-

nis præsentiam declinare potuisti. Plures sunt qui redarguunt, quàm quos cauere potuisti. Ipsum te fugere tui accusatorem non potes, quem conuenit propria conscientia. Et si negas aliis, tibi non negas. Et si homini inficiaris, Deo fateris. Et si uolueris negare, tuæ te cogitationes reuincunt. Elisæo assistebant angeli, quos videbat: & ideo agmina hostiū non timebat, sed timebat puer eius qui angelos non videbat. Aperuit oculos eius ad vocē prophetæ gratia Dei, vidit angelorū exercitus, & credidit esse præsentem, quos antea, quia non videbat, putabat absentes. Et tu lege prophetam vt videas, lege vt aperiat oculos tuos, nec te hostilis legio perterreat, & obsessum esse te credas, qui liber es, qui munus es spiritualibus turmis, si prophetam non derelinquas. Cum tibi propheta loquitur, quia Deus dixit: Ego cælū & terram cōpleo: cum tibi propheta dicit, quia plures nobiscum sunt, quia in circuitu nostro angeli sunt: attolle oculos mentis, & videbis non solum angelos, sed etiam Deum, qui dicat tibi: Aperi mihi foror mea, proxima mea. Pulsat ad ianuam etiā quando tu dormis: si tamen vel excitatus exigiles, vel uocatus ianuam tui pedoris aperias, introibit. Quod si fugias lectionē prophetiā, si domi non legas, in ecclesia audire nolis: nōne sicut ille qui auerso conuiet obtutu ne videat quod possit videre, claudit oculos ne aspiciat, cui potestas videnti est: aut sicut in furore pleriq; iniectere manus oculis suis: ita & tu primò auerteris cōnuienti magis dissimulatione, quàm refragatione prærupta? Nam cum ad ecclesiā venis, & Christianum te asseris, sanus videris, aperis oculos quibus possis videre: sed dū audire dissimulas quæ leguntur, claudis ne videas tibi, etsi aliis videre videris: iniicis etiā qualdā perfidiā & intemperantiā manus oculis animæ tuæ, & cæcitatē infers cordi tuo (quod est grauius) voluntariā, vt videns non videas, audiens non audias. Putas te solum esse cum fornicaris, & non recordaris quia oculi Domini vident orbem terrarum? Non audis dicentē: Ecce venit hora vt dispergamini vnusquisque in sua, & me solū relinquatis: sed nō sum solus, quia pater mecum est? Adest ergo pater, adest & filius, adfunt ministri, adfunt Cherubim & Seraphim, qui dicunt: Sanctus, sanctus, sanctus: plena est terra maiestatis tuæ. Plenus est enim mūdus sanctarum virtutū, quia plenus est nequitiarū. Plenus est orbis terrarum remediis, quia plenus est laqueis. Putas quod in lupanari Christus te nō videat, quem videt lupanar ingrediētē? Putas quod in adulterio te non deprehendat, quem videt adulterium cogitātem? Num parietes refugit, qui spectat errores? & secretū criminis auerfatur, qui scenam criminis intuetur? An putas tunc primū te intrare meritorium, cum fornicem meretricis ingrederis? Intraisti iam, quando cogitationes tuas meretrix introiuit. Intraisti iam, quādo ad potiendæ prostituli cupiditatē gressu mentis intraisti. Pulsasti lupanaris fores, quando ad mulieris concupiscendæ decorem oculos mētis aperuisti. Et si verū audire vis, quomodo te in lupanari non vidit Christus, quando te vidit qui adulterando in corde tuo te ipsum lupanar effecisti? Denique ipse dicit Dominus Iesus: Qui viderit mulierem ad cōcupiscendū eam, iam adulterauit eam in cor-

Rom. 2.

4. Reg. 6.

Hiere. 32. 4. Reg. 6.

Cant. 5. Apoc. 3.

Esaiæ 6. Matth. 13.

Prouer. 15.

Ioan. 16.

Esaiæ 6. 1. Ioan. 2. Eccl. 9.

Matth. 5.

de suo. Vnde tamen tam religiosus in opinione, qui tam probrosus in crimine? Sed acquiesce tibi quod Iesus te nolit videre, nolit reuincere, qui nolit accusare, nolint videre & angeli: sed videt diabolus, qui tecum introiuit, immo qui te introduxit. vident ministri eius qui te circumdederunt, ne videres angelos Dei, vidit Belial, vidit legio, qui te impulerunt, ne quis reuocaret, ne quis teneret. Noli putare quod colludium tibi praestet silentij, qui vult tecum supplicij habere consortium. Studet plures similes sui videre, & in eo habet gloriam quod plures perditos fecerit. Ipse est incensor, ipse accusator, ipse in Iudam introiuit, ipse cum ad prodicionem impulit, ipse misit ad laqueum. Quanti dicturi sunt in illo die aduersus eum: Tu nos circumuenisti, tu impulisti. Exemplum quaeris? Accipe dicentem Euam, prauaricationis suae auctorem fuisse serpentem. Sed illum implicuit, non se absoluit. Cui respondit Dominus: Non praeceperam ne gustaretis de ligno solo quod est in medio paradisi? Respondet & pluribus: Diabolum audistis suadentem noxia, me non potuistis audire vitalia mandantem? Et ideo operemur iustitias.

Non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt.

Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.

Non solum mandasti, inquit, custodiri mandata tua, sed etiam custodiri nimis. Quando hoc mandauit? In paradiso quidem mandauit Adae ut custodiret mandata. Sed fortasse non mandauerat nimis custodire: & ideo lapsus est, ideo inflexus voce mulieris suae, ideo deceptus erat a serpente, putas quod si in parte recederet a mandato, non penitus erraret. sed quia femina a femina mandatorum recessit, totam deseruit viam, inuenit eum serpens extra viam, & expoliavit, omnibusque nudum reliquit. Ideo Dominus, quia lapsus erat qui in paradiso erat, postea te per legem, per prophetas, per Euangelium, per Apostolos monuit, ut nimium custodias mandata Domini Dei tui. Omne, inquit, verbum otiosum quod locutus fueris, reddes pro eo rationem. Noli dissimulare: ab aliquo mandato iota vnum aut vnus apex non praeterit. Noli recedere de via. Si in via ambulans vix tutus es a latrone, quid facies si te extra viam vagantem inuenit? Dirigantur gressus tui: & ne infirmus sis ad dirigendum, precare ut dirigat Dominus vias tuas, sicut hic propheta optat.

Vtinam dirigantur viae meae ad custodienda iustificationes tuas.

Tunc non confundar, cum perspiciam in omnia mandata tua.

Vtinam dirigantur viae meae. Alibi dicit: Expectans expectaui Dominum, & exaudiuit me: & statuit pedes meos in petra, & direxit gressus meos. Roga ergo & tu ut Dominus dirigat vestigia metus tuae, quod possis Domini custodire iustificationes. Non confunderis cum respexeris in omnia mandata eius. Ante enim confusus es in Adam & Eva. Denique nudus factus es, operuisti te folijs, quia confundebaris: abscondisti te a conspectu Dei, quia erubescabas, ita

ut tibi diceret Deus: Adam, ubi es? Cum ille dicit, tibi dicit. Adam enim interpretatione Latina homo dicitur. hoc est, Homo, ubi es? Et Adam respondit: Timens, quia nudus eram, & tota mente confusus, ante conspectum tuum venire non ausus sum. Ergo ne confundamur, custodiamus mandata Domini, & custodiamus omnia. Nam si quis vnum mandatum custodiat, & aliud prauaricetur, nihil ei prodest. Custodiuit se aliquis a sanguine, non custodiuit ab adulterio, utique in vno conuictus, punitur etiam legibus saecularibus: nec prodest ei alterius criminis abstinentia, si in altero fuerit deprehensus.

Confitebor tibi in directione cordis, in eo cum didicero iudicia iustitiae tuae.

Iustificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaque.

In directione cordis. Aduertis quas vias dirigas. In eo cum didicero iudicia iustitiae tuae. Iustificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaque. Hoc loco mystica plenius cognoscere se velle testatur, ut ingrediat penetrabilia mysteriorum caelestium, & aperiantur sibi thesauri sapientiae & scientiae in Christo absconditi. Vnde & Salomon ait: Attrahite nos post te: in odorem vnguentorum tuorum nos curremus. Introduxit me rex in cubiculum suum. Et fortasse illud quod ait supra: Osculetur me ab oculis oris sui: significat Spiritus sancti superuenientis gratiam, sicut angelus ad Mariam dixit: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Quando autem introduxerit eam rex in cubiculum suum, passionis tempus, lateris compunctio declarat, sanguinis effusio, sepulturae vnguentum, resurrectionis mysterium: ut osculum quasi sponsa acceperit, in cubiculum autem Christi sit introducta Ecclesia, non iam quasi tantummodo desponsata, sed etiam quasi nupta: nec solum thalamum sit ingressa, sed etiam legitimam clausam copulae consecrata sit. Ideoque quasi in thalamo sita ait: Colligatio guttae frater meus mihi, inter media vbera mea requiescit. Quod si cubiculum quaerimus, ipse nos edocet qui ait: Tu autem cum orabis, intra in cubiculum tuum: & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito. Cubiculum Ecclesiae, corpus est Christi. Introduxit eam rex in omnia interiora mysteria, dedit ei clausas ut aperiret sibi thesauros scientiae sacramentorum, clausas antea fores panderet: cognosceret quiescentis gratiam, defuncti somnum, virtutem resurgentis. In illo cubiculo iustitias Domini Iesu nupta reperit. Quae sunt illae iustitiae? Vtique sacramenta baptismatis, sicut legimus, qui cum venienti ad baptismum diceret Ioannes: Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me? respondit Iesus: Sine modo: sic enim decet nos adimplere omnem iustitiam. In illo cubiculo iustificationes Domini didicit, cognouit consilium Dei, sicut scriptum est: Quia omnis populus audiens, & publicani iustificauerunt Deum, baptismo Ioannis: Pharisei autem & legisperiti consilium Dei spreuerunt in se, non baptizati ab eo. Quod illi spreuerunt, nos eligamus, & sequamur

sequamur consilium Dei, quo nihil potest esse sublimius: hoc enim diuinum, quo fit remissio peccatorum. Cum didicerit itaque iustitias Domini, Deum timens non confundetur. Denique & Paulus ait: In nullo confundar. Et quia nullus potest perfectus esse sine favore Dei, neque tutus: ideo rogare debet ne penitus eum relinquat Deus. Nam supra rogauit Dauid ne derelinqueretur, dicens, Ne derelinquas me usquequaque: hoc est, multum. Supra forte quasi adhuc imperfectus, & in magnis perturbationibus positus se derelinqui timebat: hic autem iam fortior non timet derelinqui ut tentetur, sed rogat ne penitus derelinquatur. Plerumque enim derelinquit Deus quos vult probari: penitus autem derelinquit quos deserit. Derelinquit penitus Iudam: non derelinquit autem sanctum Iob, in cuius patrimonium ius tyrannidis aduersario tribuit, in cuius corpus potestatem diabolo dedit, in animam autem non dedit. Nam si dedisset in animam, penitus dereliquisset eum. Numquid non ideo derelictus est Iob, ut relictus probaretur, probatus coronaretur? Derelinquit igitur Iudam, cui ait: Quod facis, fac celerius. Derelinquit enim penitus quem sceleris sui permisit effectui. Alios autem non derelinquit Apostolos, quos cum vidisset esse turbatos, quia dixerat: Quo ego vado, vos non potestis venire; addidit, Non turbetur cor vestrum. Et infra: Iterum venio, & accipio vos ad me ipsum, ut vbi sum ego, & vos sitis. Denique turbatus Petrus qui derelinqui timebat, ait: Domine, quo vadis? Vidit Dominus turbari eum, & respondit ei: Quo ego vado, non potes me modo sequi: sequeris autem postea. Sic & in mari cum titubaret, clamauit ad Christum, & porrexit ei dexteram Christum ne penitus derelictus periret. Nemo autem debet inflari quod numquam derelinquatur, vel dolere quod aliquando derelinquatur. Siquidem ipse filius se dicit derelictum, sicut habes: Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? Et ille quidem numquam derelictus a patre est, cum quo pater semper est. Scriptum est enim: Ecce iam venit hora ut dispergami in vniuersisque in sua, & me solum relinquantis: sed non sum solus, quonia pater mecum est. Sed secundum corpus in quo est traditus passioni, vox ista processit, quoniam derelinqui nobis videmur quando sumus in periculis constituti. Vnde & Paulus ait de patre Deo: Qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Dereliquisse videtur, quia non pepercit qui tradidit morti, sed non penitus derelinquit, cui dicitur: Quia non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

In octonarium secundum enarratio.

= Beth.

Superiorum octo versuum non absurda nobis accidit disputatio: ideoque & sequentia persequi studium fuit. Et primum littera secundae, hoc est Beth, interpretatio consideranda est, quae in Latium conuersa, confusio dicitur. Sed qui viam suam corrigit, non confundetur. Verum quia is qui corri-

git, ante in errore fuit (quomodo enim corrigitur, nisi quod ante deflexit?) utique in lapsu positus, & adolescentiae luxu, ac lasciuiae aetatis captus illecebris, ubi ad iuuentutis prouectus confinia sobria mente respicit, tamquam confusus animo, quomodo erubescenda deponat, & plena probitatis assumat, diu secum voluit, & diuersis fluctuans cogitationibus librat atque examinat, quae retro sunt obliuiscens, & ea quae sunt anteriora appetens, quemadmodum viam suam corrigat, offensionemque adolescentioris aetatis serua iuuentutis fronte praetextat. Vnde ne diu dubitet huiusmodi, & in incerto haereat, dat Propheta consilium, quasi cum eo ipse deliberans. Tunc enim salubriora consilia credimus, si propensiore meditatione examinata videantur. Sed ipsa deliberationis susceptio docta definitione distinguitur, ut diuersarum cogitationum anfractus conuersus auferat, dicens:

In quo corrigit iuuenior viam suam? In custodiendo verba tua.

In quo corrigit, &c. Hic deliberantis est finis, quo viam suam corrigat. Et respondet: In custodiendo verba tua. Et bene ad Deum conuersus respondit deliberanti, quasi prece atque oratione delata consilium hoc Domini inspiratione reperiret, ut non praesumptionis humanae, sed dignationis diuinae remedium crederetur. Mens enim nostra verborum caelestium conspersa seminibus, quae ante degenerabat in stirpibus, meliores cultus edere, fructusque afferre incipit. Dirigamus igitur semitas nostras, nec tortuosi serpentis sequamur anfractus. Vig enim Domini rectae; peruersae autem viae errantium, de quibus dicitur: Vae qui reliquerunt semitas rectas. In ordinem seges laeta porrigitur, atque in versum quendam vinceta ponuntur, ceruorum cursus directior, vulpeculae flexuosus. Ideo de Herode dicitur: Ite, dicite vulpi illi, quia deflexerat a via recta, nec iter suum in iuuentute correxerat: dignus Hieremias threnorum, quo deflentur peccatores, qui iugum verbi in iuuentute suscipere recusarunt. Ideo captiui ducti sunt, ideo deploratur tamquam mortui, quia vitae nescierunt semitas, & digna opera cadauerum busto non declinauerunt. Flēs ergo mortē perpetuam Iudaeorum dicit Hieremias: Bonū est viro cum tollit iugum in iuuentute: sedebit singulariter, & silebit, quia tulit in se. Nō solum tollere iugum verbi, sed in iuuentute debemus tollere. Si enim sero tollamus, incipimus paenitentiam superiorum magis habere, quam tenere gratiam. Praueniamus ergo iuuentutis annos correctione congrua, ut magis dicamus singuli: Deus qui pascit me a iuuentute mea. quam recordationem habentes lapsum deseamus, dicentes: Delicta iuuentutis meae, & ignorantiae meae ne memineris. Hoc debilitatis est remedium, illud robur salutis. Salutis medicina vulnere quaeritur: gratia sanitarum, ideoque ait: Bonū est viro cum tollit iugum in iuuentute. Ei autē qui post decursu iuuentutis annos iugum tulerit, non est statim perfectum bonum. Stimulant enim eum peccata sua, exagitant conscientiam consuetudo peccandi, & vltus erroris instabilis facit. Lutandum est diu huiusmodi viro, ut abolefaciat inueterata atque diuturna. Huic in periculo res est, illi in



*ibid.* bono. Denique sedebit ille singulariter, quasi is qui facile non inueniat æqualem, singularibus donatus præmiis: & silebit quietus & feriatu ab omni interpellatione mundanæ sollicitudinis aut voluptatis, & diuinis vacabit oraculis, quæ solent singulariter sedentibus reuelari, sicut sancto Dauid, qui ait: Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. Et hic quidem non in secreto solus sedebat, cum præfesset populis; singulari tamen gratia præmunebat. Elias solus sedebat, cum ab angelo, vel etiam coruis cibum deferentibus pasceretur. Solus, non solum secretus à turbis, verum etiam segregatus à meritis plurimorum. Denique reuelationes illi diuinæ gratiæ resfulgebant, cuius muneris fructum pro mercede adipisceretur: quia à iuuentute sua iugum verbi suscipiendum putauit, nec trahenda longo diutius fuit peccata. Potest iuuenior iste qui fecit bonum, tollendo in iuuentute iugum verbi, nondum perfectus, segregans verò se à colloquiis æqualium (quæ plerumque corrumpunt bonos mores) & contagia volens fugere peccantium, ita intelligi singulariter sedere & silere, ne rudis ætatis facilitate labatur: sed intendere seniorum dictis, prophetarum oraculis, Apostolorum magisteriis: laudandus eo, quia prius vult loquenda cognoscere, quam profere quæ sentiat antequam loqui discat, timens ne multiloquio peccatum contrahat. Vnde puto & Pythagoram illum philosophum imitatore iuuenis huius prophetici instituisse sectam, ut discipuli sui quinquennio non loquentes tanto silentio loqui discerent: cum præsertim & Dauid superioris ætatis quam Pythagoram fuisse non dubium sit, qui ait: Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. posui ori meo custodiam. Et quia forte aliquando aliquid locutus esset incautus: ideo postea à Deo poni ori suo custodiam postulauit. Etiam quoque Pythagoricis anteriorē fuisse quis nesciat? qui cum audisset, Clama: non prius clamauerit, quam audiret quid clamare deberet. Respondit enim: Quid clamabo? Et dictū est ei: Omnis caro fœnum: verbum autem Domini manet in æternum. Et prophetica voce clamauit. Vterque igitur iuuenis prædicandus: ille tamen serius, hic cautus: ille seipso contentus, & numquam sibi solus; iste pulchram ætati lubricæ disciplinā ad discens silentij: nec adhuc sibi abundans, sed aliis se timēs credere: quærens tamen à iuuentute congregare quæ in senectute et sibi & proximis suis proficiat, ne dicatur ei: Quæ in iuuentute non collegisti, quomodo inuenies in senectute? Ergo is si in concilio seniorum sederit, manum adhibebit ori suo: ut audiens sententias colligat, quod sibi ad maturiorem feruet ætatem: quemadmodum Maria cum verba Christi audiret, conferebat ea omnia in corde suo. Quemadmodum Ioānes cum caput suum supra pectus Iesu Domini reclinaret, hauriebat profunda secreta sapientiæ. En tibi iuuenem qui viam suam in iuuentute correxit. Piscator erat cum fratre suo, vidit dominum Iesum cum plicaret retia sua, & audiuit dicentem: Venite, faciam vos piscatores hominum: & relictis retibus suis, & patre, secutus est eum, viam sæculi ceperat currere, sed auditis Christi imperiis deseruit viam mundi, secutus est Christum: probauit quia in eo corrigat iuuenior viam suam.

si Christi verba custodiam, dicens ad eum: Diligamus vbera tua super vinum. Sic tamen bibebat, ut non absorberetur vino: sed gratia eius lætitiā cordis hauriret, non corporis ebrietate titubaret. Denique bibens hoc vinum aperuit oculos suos, & vidit viam rectam, reliquit tortuosas vias, dicens: Æquitas dilexit te; hoc est, non flexuosa itinera te sequitur, sed solus ad te potest iustitiæ trames peruenire. Qui enim diligit iustitiā, non se auertit à Christo. Quomodo enim arbitriū iustitiæ, remuneratoremque meritorum innocens metuat conscientia? In hoc ergo iuuenē viā suā corrigente spectato magna mysteria, quæ in Canticis canticorum sanctus Salomō repletus Domini spiritu resultauit. Cōstitue Dominum Iesum recumbentem in conuiuio, reclinantem se Ioannem supra pectus eius; mirātes alios quod feruus se supra Dominum reclinaret, quod caro illa peccatrix supra templum verbi recumberet, quod anima illa carnis vinculis innexa, aulam diuinæ plenitudinis scrutaretur. Hæc ergo mirantibus aliis, respondit anima Ioannis: Fusca sum, & decora filia Hierusalē. Fusca per culpā, decora per gratiā. Dicit & caro: Fusca sum & decora. Fusca puluere sæculari, quem certando collegi: decora oleo spiritali, quo mundi huius pulucrem squaloremque deterfi. Fusca per vitium; sed decora iam per lauacrum, quod abluuit omne delictum. Fusca sum, quia peccauit: decora, quia iam me diligit Christus. quam relegauerat in Eua, recepit ex virgine, suscepit ex Maria. Dicit etiam synagoga, cuius mysteria hoc loco plerisque videntur exprimi: quæ cum se reiciam videret propter totius plebis impietatem, solabatur se tamen, quia ipsum Christum de populo suo, non tantum, sed & Petrum, Ioannem, Iacobum, Christo adherentes videbat: quia habebat eloquia sibi credita. & ideo dicebat: Fusca sum & decora filia Hierusalē. Fusca per incredulitatē, decora per legem: fusca per lapsū; decora, quia dilexit me sol, & prior facta sum cōgregatio Dei. Nolite refugere me quia fusca sum. ideo fusca sum, quia sol me reliquit iustitiæ, qui antē illuminare consueuerat. amissi colorem vultus mei, obtusa facta est acies oculorum meorum, quibus antē solem videbam. in tenebris ambulo, quia diem Christi nescio. Nolite tamen despiciere me, quoniam qui reliquit, potest rursus aspiciere, misereri iterum. Solet congregare dispersos, desertos requirere, colligere destitutos. Omnes tribus Israel cōuenite, aspiciete me decoram antē, dilectam: Nolite aspiciere me quoniam obfusca sum, hoc est, non hoc solum aspiciatis quia obfusca sum. Non est intuitus me sol, & ideo obfusca sum. Sed lucet sol super iustos & iniustos. Super iustos pro gratia, super iniustos pro misericordia: illis mercedē meritorum tribuēs, istis peccata dimittens. Et gētibus nō lucebat antē, nūc lucet. Nūc illis oritur, qui oriebatur mihi: qui illis remisit, remittet & mihi. Nolite arbitrari quoniam obfusca sum quod penitus reliquerit me sol, & iam non intueatur, nec reuifcat nigram. Dissimulauit à me, quia non seruauit mandata eius: reconciliabitur cum viderit meorum penitentiam delictorum. Non vidit me sol, quia non recepi adueniētem. nō aperui fenestras ut lumē vitæ intraret. Cum aperuero, illuminabit oculos

*Cantic. 1.*  
*Psalm. 103.*  
*Cantic. 1.*  
*Esaiæ 5.*  
*Psalm. 70.*  
*Ath. 13.*  
*Esaiæ 5.*  
*Psalm. 13.*  
*Cantic. 1.*  
*Cantic. 3.*  
*Cantic. 1.*  
*Psalm. 13.*  
*Rem. 3.*  
*Cantic. 1.*  
*Malach. 4.*  
*Ioan. 11.*  
*Gen. 45.*  
*Esaiæ 39.*  
*Matth. 5.*  
*Ioan. 11.*

los meos, qui venit ut totum mundum illuminaret, & videant etiā non videntes. Filij matris meæ pugnaverunt aduersus me, posuerunt me custodem in vineis: vineā meam nō custodiui. Purant aliqui hoc de illis dici, qui synagogam ad legis præcepta constringunt, ut legem custodiat, vineā suam tucatur, quā custodire non potuit. Denique custodiebat ut faceret uvas, fecit autē spinas. Quæ sit igitur vinea, venit Dauid testificari nobis, dicens: Vineam ex Ægypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam. Possunt & Apostoli esse filij matris eius, qui verē impugnaverunt synagogam, dicentes: Ecce conuertimur ad gētes, & nationibus verbū Dei seminare cœperunt. Possunt & prophetæ intelligi, qui monendo denūtiandōque ut vineam suam custodiret synagoga, nihil profecerunt. Fecit enim spinas improbitatis, quæ virtutis vberes fructus deferre debuerat. Et ideo confitetur, quia populum suum custodire non potuit. Meritoque serō quærit tenere, quem cum teneret amisit, multo dissimilior eius quæ dicit: Inueni quem dilexit anima mea, tenui eum, & non relinquam eum. Denique illa inuit in hortum suum sponsum, hæc vbi pascat requirens, dicit ad ipsum: Annuntia mihi quem dilexit anima mea. Cur quem dilexit anima mea dicis, & non quem diligit? Cur dimisisti quem tenebas? Dilexisti patrum fide, amisisti incredulitate: tenebas charitatis vinculis, amisisti lōgo fure perfidia. Ideo nescis vbi pascat, vbi maneat. nam si scires, non quæreres. Dicit enim: Vbi pascis? vbi manes in meridie? Meridiem nostri esse Ecclesiam, quæ tenet Christum: & tu eum in noctibus quæris? Dic, inquit, mihi Christe, responde vel propter id quia antē carus fuisti atq; dilectus mihi, etsi ego tantæ prærogatiuam charitatis amisi: tu tamen quasi pius respōde mihi, Vbi pascis? vbi manes? Reliquisti me, abiisti ad gentes, recessisti lōgè à me: & illis propior factus es, à quibus longè eras: sed factus es prope, quia crediderunt in sanguine tuo. A me recessisti, quia ego crucem tuam non suscepi ut mundi redemptionem, sed ut noxij damnationem. Qui autem receperunt te Domine sicut salutis auctorem, in meridie sunt. Illis lucet, illis resfulges, illis calet gratia tua sicut meridies. Mihi matutinus eras cum adhuc crederem: sed non credebam plenè, quia non sum inuenta in meridie, sicut Ioseph qui cum fratribus suis cœnabat meridie. Illis meridies factus es, qui pascūt in diuitiis tuis, & in te sperāt. Ideo ut dixit Dauid, Deduces eorum iustitiam tamquam lumen, & iudicium eorum tamquam meridiem. Quærīs ergo tamquam aliena, quæ proxima eras: tamquam pauper, quæ diuus fuisti. Vis sequi quæ præcedebas: atque vrinam vel sequaris quos præcedere debuisti. Mercenaria esse desideras, quæ antē mercenarios colligebas. Mercenariæ vtiq; vox ista dicentis est: Ne forte siā circumducta super greges sodalium tuorum. Quæ profelytos ex gētibus antē suscipiebas, nūc ipsa in nationibus vis te profelytis suscipi, & tamquam aduena congregari. Respōdit Iesus: Nisi noscas te decora inter mulieres. Quid est se noscere, nisi ut sciat vnusquisque hominē ad imaginem & similitudinem Dei factum, rationis capacem, qui terram suam excolere tamquam bonus agricola debeat aratro quodam, & falce sapien-

tia, ut vel dura findantur, vel luxuriātia recidantur: qui inferiorem sui portionē animi imperio debeat gubernare? Vnde etiam in lege scriptum est: Attende tibi ne fiat verbum absconditum in corde tuo. Tibi, inquit, attende, non utique dicit pecuniæ tuæ, non possessionibus tuis, non viribus corporis, sed animo tuo ac menti tuæ, vnde omnia consilia, facta, cogitationesq; dimanant. Tibi ergo attende ibi, vbi potiorē esse te nosti. Nosce te ipsum, quod Apollini Pythio assignant gentiles viri, quasi ipse auctō fuerit huius sententiæ, cum de nostro vīrpatū ad sua transferant, & longè anterior Moyses fuerit, qui scripsit librum Deuteronomij, quam philosophi qui ista finxerunt. Vnde & Salomon oraculum diuinū secutus scripsit in Canticis canticorum: Nisi scias te decora inter mulieres, hoc est, nisi cognoscas te mortalem, rationalem, & citò tua peccata fatearis, citò dicas iniquitates tuas ut iustificeris, nisi cōuertaris, & prior accuses delicta tua; venit dies mortis, & iam nullum cōuersionis remedium est, præueniris dum non cogitas. Accende facem tuam priusquam sponi tibi claudatur ianua, qui expectare diu non solet negligentes. Nisi scias te, inquit, decora inter mulieres, & dicas: Fusca sum, sed decora. Fusca sum, quia peccauit: sed decora, quia diligo, quia genus sum Abraham, electum genus, dilectum Deo: nihil tibi proderit patrum gratia, potēs est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham. Et alibi in Euangelio legisti, quia Abraham filiam ligauit diabolus nequitia suæ vinculis, quam soluit Dominus die sabbati. Nisi ergo scias te, nihil tibi proderit. Et si dicas: Abraham sum filia, quæ non credis, quæ errorem non corrigis: Abraham quidem saluatur: sed te nobilitas generis nō iuuabit, nisi fidē seruaueris. Nō te decipiat data patribus repromissio. Non suscipio personam hominis, non suscipio prærogatiuā generis, nisi videro congruentē generi morū nobilitatē, ut fiat iusti generis electio. Quod si scias te, & cognoscas quia peccato obnoxia es: exeuadū in calcaneis gregū est tibi. Exi ergo nuda pedes, & pascet hæc dos tuos in tabernaculis pastorū. Quæ sine peccato est, agnos pascit, oues pascit. Quæ autem peccato obnoxia est, pascit hæc dos, qui à sinistris sunt. Non enim potest esse in dextera pastoris boni, sequatur magis dicentem Petro: Veni retro me satana. Sequendo Petrus in dextera meruit collocari. Ideoque ei dicitur: Pascet agniculos meos. Sed quod exeat, audi. Ad tabernacula, inquit, pastorum. hoc est, ad gentes, ad dispersionem. Ideoque dixit: Percute pastorem, & dispergentur oues gregis, ut repleatur totus orbis terrarum grege Christi, significans tunc fore saluam synagogam, cum se huic dispersioni & ipsa sociauerit, quæ repleuit omnem mundum. Tabernacula enim pastorum, regna sunt terræ. Ideoque propheta Dauid nationes annuntians credituras ait: Regna terræ cātate Deo. Ergo sciat se iuuenior, ut corrigat viam suam. Sed dicis: Qui potest cognoscere viam suam iuuenior ut corrigat, cum Propheta dicat: Tria sunt impossibilia mihi intelligere, & quartum quod non agnosco: vestigia aquilæ volantis, viam serpentis in petra, & semitas nauis nauigantis, & vias viri in iuuentute? Si Salomon fatetur quod non cognoscat vias viri in iuuentute, quomodo potest iuuenior

*Cantic. 1.*  
*Esaiæ 5.*  
*Psalm. 70.*  
*Ath. 13.*  
*Esaiæ 5.*  
*Psalm. 13.*  
*Cantic. 1.*  
*Cantic. 3.*  
*Cantic. 1.*  
*Psalm. 13.*  
*Rem. 3.*  
*Cantic. 1.*  
*Malach. 4.*  
*Ioan. 11.*  
*Gen. 45.*  
*Esaiæ 39.*  
*Matth. 5.*  
*Ioan. 11.*  
*Gen. 1.*  
*Esod. 12.*  
*Cantic. 1.*  
*Gen. 1.*  
*Gen. 2.*

cognoscere? Cui respondebitur quod illa via viri in iuuentute non cognoscantur, quae sunt secus vias serpentis in petra, & secus semitas nauis fluctuantis, & vestigia volantis aquilae, quae vngues asperos habet, praedam includit, & supra nubes volat, in aere errat, in mari piscem interficit: & tamen impossibile non est hoc quartum sicut illa tria. Cognoscit enim Dominus qui sunt ipsius, & vult ut sciat se vnusquisque, sicut se populus Dei. Sed esto non cognoscantur errantiam viae, sicut dicit Dominus: Non noui vos, discedite a me operari iniquitatis. hic autem iuuenior qui potest corrigere viam suam, fortasse iuuenior sit aetate, non moribus, & habeat in primo flore iuuetutis suae senilem intellectum, do quo ait: Canities autem est intellectus hominibus, quibus maturitas consilij, grauitasque suppetit. Vnde & Hieremia dicitur: Noli dicere quia iuuenis sum. Et vtiq; erat aetate iuuenis, sed prohibet eum iuuenem se dicere, qui esset maturioris prudentiae. Daniel quum puer esset, accepit spiritum quo dignus senectutis primitiis haberetur, vt redargueret senes, ipse non senior longaeuitate, sed gratia. Erat enim in illo aetas senectutis vita immaculata. Cui bene competit Dauidicum illud dicere: Super seniores intellexi, ideoque tamquam de veterani consilij, & senilis scientiae viro diuinum pronuntiauit oraculum: Quis prudentior quam Daniel? Nunc illud aduertamus, si possibile est vt corrigat iunior viam suam, annon. Si non est, ergo meretur Propheta: sed quia non mentitur, possibile est. Ita tamen possibile, vt quod impossibile videatur, fiat possibile, si custodiat iunior verba Dei: si autem non custodiat, impossibile. Vnde illud euangelicum: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum caelorum. Quod quamlibet impossibile esse dixit, sic tamen intelligimus impossibile esse, quia diuites non custodiunt mandata Dei: si autem custodiant, fit possibile quod impossibile videbatur. Hic est camelus qui intrat per angustam viam: quae illum antea capere non poterat concupiscentem, caput custodientem mandata diuina. custodientem autem verba Dei Moyse quasi senior elegit: & nunc quibus hoc spiritu Dei committitur officij, vt eligat seniores viros, eligunt sine dubio inter seniores iuuenem corrigentem viam suam in custodiendo verba Dei. Et si senioris aetatis virum elegerint: non quasi longaeuum vtiq; elegerunt, sed quasi custodientem verba Dei. quod si reperitur in iunior, vtiq; & ipse est eligendus. Liqueat igitur ex his quod non senectutis longaeuitas eligatur, sed custodia verborum Dei. Denique ipse Moyse Iesum Naue & Caleb iuuenes praeter ceteris approbat, quorum consilium in terrae electione magis quam multorum seniorum & ipse sequutus est, & Deus praetulit. Vnde & illud de Iacob quod supra diximus: Deus qui pascit me a iuuentute mea, manifestat nobis de eo dictum, qui tulerit iugum verbi in iuuentute sua, & recedens ab Esau & similibus eius, sedit singulariter, in se tempus expectans, quo possit cum disciplina proferre sermonem, & propterea spiritali est donatus alimento, adhuc aui integer, sed veteranus consilio. Neque enim dignum est vt credamus quod tantus patriarcha de corporali cibo dixerit: Deus qui pascit me a iuuen-

tute mea: qui nec corporalem panem desiderabat quum diceret: Si Dominus Deus mecum est, & det mihi panem manducare, & vestem indui, omnium quae das mihi, decimabo tibi. Nam si patres nostri spiritalem escam manducauerunt, & spiritalem potum biberunt; quanto magis sanctus Iacob cibo pascus est spiritali? Ille quoque intellectus hoc loco suppetit, nec alienus a vero est: quia iuuenior ex congregatione gentium populus: qui antequam in Christo crederet, tortuoso errabat anfractu, in eo corrigit viam suam, quia Dei verba custodiuit, quae noluit custodire populus Iudaeorum: & ideo ille viam salutis inuenire non potuit. Consideremus & sequentem versum.

In toto corde meo exquisiui te, ne repellas me a mandatis tuis.

Si Deus repellit vnumquemque quem repellendum putat, videamus ne exultationem ei tribuat, qui cum sequi Deum velit, repulsus sit. Et primum quemadmodum bonus Deus non repellit sequentem, nisi ipse mereatur repellere, sicut ipse Dominus ait: Vulpes foueas habent, & ideo quasi vulpem repellit. Et alibi: Quia omni habenti dabitur: ab eo autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Cui addendum, nisi ei qui toto corde exquirat Deum, vt quod deest naturae, id Dei operatione acquirat & gratia: sicut Salomon, qui ex toto corde exquirens Deum, sapientiam postulat: & quia non opes sibi regias, sed diuinae munus gratiae depoposcit, accipere meruit sapientiae disciplinam, repletus est Dei spiritu, vt cognosceret mandata omnia. Qui autem non habet, vt in corde suo exquirat Deum, & facit quidem opus Dei, sed negligenter facit, maledicto subiectus est, sicut legimus: Quia maledictus omnis qui opus Dei facit negligenter. Merito ergo repellitur, quia maledicto dignus est: quia polluit magis & impedit opus quod negligenter putauerit exequendum. Consideremus ergo vtrum bonitas sit, repellere ab opere negligentem, an vero retineri. Et imaginem rei huius ex aliis sumamus artibus. Curat medicus egrotorum, sed negligenter: desidia medici virus alta vulneris serpit. Quanto igitur melius remoueri huiusmodi medicum qui tempus terit, cum profectum nullum sentiat vulneratus, vt curandi officium ad eum medicum transferatur qui maturius possit aegroto sua diligentia subuenire? Nonne elementior est qui repellit nihil proficientem, quam qui retinet ad discrimen aegroti? Constitue aliquem prepositum aedificantibus, vel etiam textentibus, qui debeat summam operis explicare, vtrum is tibi probabilior videtur si in id diligenter insistat, ac si quem forte incuriosum aduerterit de iis qui operantur in domo aliqua construenda, repellat eum, melius credens non aedificare, quam hiantibus rimis aedificata dissolui, atque aliquem in eius substituat locum qui cum diligentia aedificet? Similiter etiam textentium prepositum repulso negligentium, vt substituat diligentes, ne longa textentium corrumpat incuria, non magis probabis quam illum qui desides in sua negligentia perferre patiat? Transi nunc ad eos qui mandata aedificant, & legem intexunt, & animam vniuscuiusque receperunt sanandam. Nonne si quis

quis eorum aedificat domum Dei cum iustitia, texit A indumentum cum diligentia, sanat animam cum gratia, opus bonum facit? Si vero incuriosus ac remissus aliquis fabri, textoris, medici, spiritalis locum occupet, vt sacerdos summus, vt presbyter, vt minister altaris sacri: nonne commodius est non subire vnumquodque id muneris quod implere non queat, quam subeire neque ipsum strenue suscepto fungi munere, & eripere locum alteri qui nauiter eum possit tueri? Quid quod etiam ipsi consulitur, qui remissior cum sit repellitur, ne plus offensionis contrahat? Quid sit autem repellere, consideremus. Lectum est enim: Sicut vulnerati dormientes proiecti in monumentis, quorum non meministi amplius, & quidem ipsi de manu tua repulsi sunt. Aduertamus igitur quos vulneratos & proiectos in monumentis repellit, quorum non meminerit amplius. Isti sunt qui a mandatis Dei repelluntur. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas? Et qui a mandatis Dei repelluntur, repelluntur vtiq; de manu Dei. Et bene prospexit ne quis de manu Dei videatur eripi: quia nemo potest quemquam rapere de manu Dei. Qui ergo priuatur muneris suscepti officio vel gratia, non rapitur, sed reicitur, vt dixit Dominus Iesus ad Hierusalem: Quotiens volui congregare filios tuos, & noluit? Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta. Abstulit illis sanctificationem, altare thymiamatis, & orationis sacrarium, propitiatorium, altare sacrificiorum, sacerdotum & leuitarum ministeria: & tamen cum haec sublata essent omnia quae secundum legis mandata habebant, ait Apostolus, Numquid repulit Deus haereditatem suam? Non, inquit, repulit, sed conclusit omnia in incredulitate, vt omnium miseretur. Sunt ergo qui ad tempus a mandatis propter misericordiam repelluntur, sicut & illis consulitur qui vomuntur. Nam quemadmodum manens in corpore quod vomendum est, plus accescit: ita qui debet excludi, si retineatur, nec se corrigat, totum corpus exulcerat. Merito itaque angelo Laodiciae dicitur: Haec dicit testis fidelis & verus: Scio opera tua; quia neque frigidus es, neque calidus, vti nam frigidus es, vel calidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Aperte negligentiam grauiori damnat iudicio quam imprudentiam. Frigidus est enim qui fidem nescit: calidus est qui spiritus sancti seruiore successus est. Qui enim calorem fidei non habet, tolerabilius illi fuerat fidem non accepisse, quam neglexisse. Est enim tepidus peior frigidus, vt Iudaeus qui sibi videtur fidem habere quam non habet. Quanto tolerabiliorem causam gentilis habet, qui potest dicere: Non cognoui legem, non audiui prophetas, ideo non credidi: quam ille qui legit omnia, ex quibus veterum Iesum crederet, & non credidit? Neuter quidem excusatur, nec ille qui legit, nec ille qui legere noluit: sed plus delinquit qui negauit quod legerat, quam qui opera non fecit quae facienda non nouit. Quanta autem fidei & iustitiae gratia est, vt in ore Dei sit qui fidem tenet, & opera exercet iustitiae: & quantum amittit quem euomuerit ex ore suo Dominus Iesus, & ex suis visceribus eiecerit? quam pius tamen, qui & iustos in ore suo tenet, & iniustos non ante euomit quam denuntiet euomendos, vt vel huiusmo-

di admonitione conuersi, dignum aliquid efficiat quod non vomantur. Nunc tertium versiculum consideremus.

In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.

Propterea ergo mysterium regis bonum est abscondere. Peccat enim Deo, qui commissa sibi mysteria putauerit indignis esse vulganda. Periculum itaque est non solum falsa dicere, sed etiam vera, si quis ea insinuet quibus non oportet. Quod vitium quadripartitum est, vel adulationis, vel auaritia, vel iactantiae, vel loquacitatis incauta: quia dum adulari vult aliquis ei cui loquitur, effundit mysterium. Nonnulli etiam studio lucri mercedem proditionis sequuntur, vt tegenda silentio vendant loquendo. Alij, vt plura nosse videantur, & scientiam suam iactent, aperiunt quod celare deberet. Plerique dum sine iudicio loquuntur, verbum emittunt, quod reuocare non possunt. Ideo vir laudatur serius, & non otiosus. Erat homo abscondens sermones suos, vt Apostolus Paulus, qui nouit quid loquatur singulis, & quando quid loqui debeat. Vnde & Corinthiis dicit: Lae vobis potum dedi, non escam, non dum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis. Ideo hos in transitu vidit: manet autem apud Ephesios, quod ostium sibi magnum apertum esset, notum facere gentibus mysterium Christi. Ideo & Salomon tempus tacendi, & tempus esse loquendi docet. Praeter ceteris autem Dominus Iesus in Euangelio declarat suo, dicens simile esse regnum caelorum thesauro abscondito in agro. Vtiq; non aurum, non argentum, non pecunia comparari potest regno caelorum: sed eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, quibus ipsum regnum acquiritur. Hunc ergo thesaurum sapientiae & cognitionis absconditum in agro, in quo plantata sunt verba scripturarum caelestium, quum inuenit homo, abscondit illum in corde suo, nec diuulgat eum, sciens quia si diuulgauerit Babylonis thesaurum Dei, magnam offensam contrahet, vt dicatur ei sermone prophético: De semine tuo accipient & facient spadones in domo regis. Per quae significatur, quia is qui prodiderit diuina mysteria, posteritatem animae suae, feminariumque meritorum habere non possit. Caue ergo ne diuitias tuas perfidis prodas: & si amicitiam simulent non illis aperias interiora domus tuae, non referes thesauros regios, quos Babylonij scire non debent, ne veniant & capiant posteros tuos, & seminarium virtutis abscondant. Hoc est quod etiam in Euangelio dicit Dominus: Nolite mittere margaritas vestras porcis. Ideo bene facit qui abscondit eloquia Domini in corde suo, sicut abscondebatur propheta Dauid, sicut Maria quae conseruabat omnia verba Domini Iesu in corde suo. Etenim si bonum est viro sermones suos abscondere, quanto magis sermonem Dei cordis nostri gremio debemus operire, debemus abscondere? Quarto versum dicit:

Benedictus es Domine, doce me iustitias tuas.

Non enim quicumque dixerit: Domine Domine, ipse intrabit in regnum caelorum, sed qui voluntatem Dei fecerit. Ideo iste qui correxerit viam suam

2.Tim.1.  
Luc.13.  
Sapient.4.  
Hierem.1.  
Dan.13.  
Sap.4.  
Psal.118.  
mf.2.  
Eccl.28.  
Matth.19.  
Exod.7.  
Num.14.  
Gen.48.  
Timen.3.  
Ecl.12.  
Esai.50.

Gen. 28.  
1.Cor.10.  
Psal. 87.  
Psal. 49.  
Ism.10.  
Matth. 23.  
Rom.11.  
Hier. 48.  
Apo. 3.  
1.Petr. 2.  
Rom. 2.  
1.Petr. 2.

Tob.12.  
Matth.7.  
Iob.38.  
Prou.10.  
Esai.50.  
1.Cor.3.  
1.Cor.16.  
Ecl.3.  
Matth.13.  
Psal.17.  
Matth.13.  
Esai.39.  
Ibid.  
Matth.7.  
Luc.2.  
Prou.25.  
Matth.7.

à iquentute sua, custodierit verba Dei in toto corde, quæsierit Dominum Deum suum, nec repulsus sit à mandatis Dei, & dignus habitus cui committeretur arcana sapientiæ, absconderit ea in corde suo, ne peccaret Deo; quasi habens eloquia Dei, gratias agit dicens: *Benedictus es Domine.* & sic desiderat ipsum doctorem habere, cupiens cognoscere secreta legis. Et quemadmodum interpretationem habeat: Si emeris puerum Hebræum, & seruerit tibi annis sex, &c. quibus præmissum est, has iustitias discere, quas proponit in conspectu filiorum Israël: hæc à Domino quaerit discere, quæ homines docere non poterant, nisi Deus ante docuisset: quæ posteaquam à Christo didicerunt Apostoli, Ecclesia dicit: Introduxit me rex in cubiculum suum, hoc est, in illud secretum suum, in quo sunt thesauri scientiæ & cognitionis suæ. Ideo tibi dicitur: Cum oras, intra in cubiculum tuum, quod significat mentis animique secretum. In hoc cubiculum iustitiarum sponsa se potest induci, cum post odorem vnguenti excurrerit, quod semper fluit, & nunquam deficit. Ideo quasi edoctus Propheta iustitias quinto versu dicit:

In labiis meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui.

Et quomodo alibi dicit: Iudicia tua sicut abyssus multa? Quomodo Apostolus ait: O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei: quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit sensum Domini? Si inscrutabilia sunt iudicia, quomodo ait Propheta: *Pronuntiaui omnia iudicia oris tui?* Sed fortasse non eadem sunt iudicia Dei, quæ iudicia oris eius. Si alia sunt, bene dicitur: Cogitationibus tuis quis similis erit? Et ideo inscrutabilia sunt iudicia eius: quia ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Si autem eadem, nullus nisi Christus hoc dicit, qui potest dicere: Ego & pater vnum sumus. Distinguiamus tamen, nec vereamur ne impugnet se velut contrariis scriptura venerabilis. Consideremus enim quia non dixit: Iudicia oris eius sicut abyssus multa: sed, iudicia tua, dixit, nec Apostolus posuit, Inscrutabilia iudicia oris eius: sed, Inscrutabilia iudicia eius. Possimus enim iudicia Dei æstimare, quæ occulta nobis non patefecerit: iudicia autem oris eius, quæ annuntiauerit, id est, quæ per os prophetarum loquutus est. Os enim Dei propheta intelligitur, cui dicitur: Clama. Et ille ait: Quid clamabo? Et inspiratum est ut diceret: Omnis caro scenum. Quod utique loquutus, oris Dei functus officio est, quia loquutus est iudicium Dei. Ergo prophetica oracula iam non sicut abyssus, sed etiam ipsa abyssus: quia nemo potuit in cælo & in terra aperire librum, nisi Christus. Veniamus nunc ad sextum versum.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis.

Alij in auro, alij in argento, alij in vestibus, alij in possessionibus, vinetis, oleis, fegetibus, alij in operibus picturæ, marmorum, in diuersis denique singuli delectationes habent: spiritalis in via testimoniorum cælestium delectatur, tãquam omne possidens patrimonium: in omnibus diues, sicut Apосто-

lus dicit: Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Iesu, quia in omnibus diuites facti estis in ipso, in omni verbo, & in omni scientia. Tantum doctrina Apostoli Corinthij profecerunt, ut qui antè non poterant nisi, sicut paruuli, lac solum bibere, postea in omnibus diuitiis abundaret cognitionis & verbi. Delectabatur ergo, Dauid in omnibus diuitiis cognitionis, scientiæ, sapientiæ, & in omni actu bonorum operum. Et si quis nunc intentus diuinis, triplicem illam sapientiæ hauriat disciplinam, *θεωρητικὴν, πρακτικὴν, λογικὴν*, bonus studio percipiendæ cognitionis, pulchrior erit exequendæ rationalis moralisque doctrinæ gratiam tenens. Qui prophetica ænigmata Dei spiritu reuelante cognouerit, Euangelij altitudinem in operibus cõprehenderit & consiliis, apostolici sermonis moralitatem aduerterit: is tamquam in omnibus diues, vberem capiet voluptatem. Et quia suavis est corporalis voluptas, ideo non quasi pro gratiæ qualitate cum spiritalibus comparatur, sed quasi ad testimonium suauitatis arcessitur. Siquidem & Apostolus docet inuisibilia & sempiterna Dei à nobis per ea intellecta esse quæ facta sunt. In Canticis quoque habemus scriptum: Equæ meæ in curribus Pharaonis assimilauit te proxima mea. In quo dum velocium equorum cursui similitudo Ecclesiæ cõparari videtur, æstimatur diues eius gratia. Non igitur vnam equam diuitis regis accipias, sed absolute pro equitatu, ut sæpe diximus, qualis ouis illius est pro grege ouium. Pharaon igitur ut potentissimus rex, & prædiues habebat equos potentes: vnde & scriptura dicit: Currus Pharaonis, quasi potentissimum genus ad bellorum usum, & subsidium prælandi. Denique his curribus Pharaon fugientes Hebræos facile comprehendit. Sicut ergo equi iuncti concorditer trahunt currum, & patienter suscipiunt iugum, & portant congrua cum gratia, & iugum illius susceptione mansuescunt: sic & congregatio nationum gentilius in domita moribus se antè iactabat. Vbi verò suscepit iugum dicentis: Tollite iugum meum super vos, quia leue est: & onus meum, quia suauis est: & cepit sponsa Christi concordia & mansuetudine populorum esse sublimis, & toto circũferri orbe: tamquam currus equis velocibus supra mundum raptâ ascendit ad sponsum. Denique & in posterioribus Canticorum partibus dicit: Posui te sicut currus Aminadab. Multos currus habet in se Ecclesia, quos omnes spiritalibus habentis Dominus regit: & vna anima multas cogitationes habet, quas Domini habena restringit & reuocat, ne quod in præruptum noster hic currus feratur. Aminadab autem interpretatione, significatur Pater beneplaciti, cuius filius legitur in Numeris Naafon princeps populi. Quis sit, intelligis interpretatione, serpentinus: & agnoscis istud, si repetas: quia sicut serpens, pependit in ligno qui te redemit. Ergo anima currus est Dei, ut ira eius, & libido, & timor, & omnes sæculares concupiscentiæ refrænentur. Ecclesia quoque, currus est Dei, quæ regenda est gubernaculis Christi, ne diuersorum populorum motus eam disensionisq; perturbent. Ille quoque Naafon bene intelligitur Christus, quia virga Aaron conuersa in serpentem, illos serpentes Ægyptios deuorauit. Has ergo diuitias habeamus, his delect-

delectemur, ut currant nobis equi rationabiles, & & commoremur in præceptis eorum. Et ideo ait:

In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas:

Et in tuis iustitiis meditabor, non obliuiscar verborum tuorum.

In mandatis tuis exercebor. Qui exercetur in verbis Apostolorum, Iesu Domini mandata cognoscit, & considerat vias eius, quibus finis est Christus, qui ait: Ego sum via. Et in tuis iustitiis meditabor, non obliuiscar verborum tuorum. Admonet hic locus memores scripturarum nos esse debere, & iustitias eius non solum sermone, sed etiam operis imitatione meditari. Non enim qui disputat legem, & non faciunt quæ legis sunt, sed qui factores legis sunt, iustificantur.

In Octonarium tertium enarratio.

Gimel.

Tertia littera secundum Hebræos est Gimel, quæ Latinè retributio dicitur. Denique primo statim versu hoc dicitur:

Retribue seruo tuo, viam, & custodiam verba tua.

Retribue seruo tuo. Quomodo supra ipse Dauid ait: Non secundum peccata nostra reddas nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis: & hic poscit retributionem? Illa videtur vox peccatoris esse, hæc bene sibi conscij, qui præmia boni operis exposcat. Vnde possumus etiam hoc intelligere, quòd de eius persona Psalmus iste formetur, qui natus ex Virgine pro totius mundi redemptione ad dexteram patris sedere præsumat, sicut ipse ait: A modo videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis. Non est tamen alienum, nec arrogans, si etiam Dauid remunerationem à Domino Deo suo pro egregijs laboribus postulet. Prærogatiua est fidei atque iustitiæ, de Domini fauore mercedem usurpare. Denique reprehenditur Petrus, quia super fluctus ambulans, humano magis dubitauit affectu, quàm apostolica auctoritate præsumpsit. In Euangelio quoque docemur habere fidem, & non habitare de iis quæ supra hominem sunt gerendis. Merito ergo Dauid in superioribus quasi adhuc imperfectus, secundum peccata sibi reddi refugit atque declinat: in hoc autem Psalmo qui est posterior, quasi fundatus virtutis processu, retribui sibi secundum fidei operisque certamina deprecatur. Siquidem etiam Paulus, qui ante dixerat: Non sum dignus vocari apostolus, postea ait: Reposita est mihi corona iustitiæ, quæ reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius. Et Apostolus ibi pollicetur, hic autem verecundius adhuc precatur: quod utique non insolentis arrogantia, sed innocentis est conscientia, ab ipso cui seruieris, petere mercedem: quæ desperare, segnitiei est materia: sperare autem, in cætium laboris est. Pete igitur confidenter, si merita suffragantur, ut talia petendo studiosius elaboras,

quòd ea petitione sis dignior. Quis athleta si desperet coronam, descendat in stadium: aut si eam postulet victor, offendant? Probatio spem facit, spes confidentiam. Iusti ergo talis oratio est, delectatur Dominus tali precatione, ut pro puritate conscientia vtaris auctoritate. Tamen quò minus videatur petitio arrogans, bene addidit, *Seruo tuo*: in quo & humilitatis est gratia, & præmium seruitutis. Qui enim vocatus est in Domino seruus, libertus est Domini. Quare non præsumat fauorem Domini, tam pretioso emptus sanguine? Magnum tibi est vocari puerum meum, quasi ad seruum dicitur. Si quis ergo est seruus, & bene seruit Domino, & nihil facit quasi seruus peccati, sed qui dicit: Seruus inutilis sum; quod debui facere, feci: bene is dicit, *Retribue seruo tuo*. Gloriosa seruitus, qua pro nobis seruiuit & Christus. Beata seruitus, qua & tu seruis: sed ita, si nihil possit aduersarius de tuo sibi seruitio vindicare. Amat ergo Christus boni libertatem seruuli. Denique in Canticis dicit: Quàm speciosæ factæ sunt genæ tuæ sicut turturis, ceruix tua sicut redimicula. Vultus liberior est ubi est castitatis cõscientia: & portare Christi iugum suauis est, si ornamenta putes ceruicis tuæ esse, non onera. Attolle ergo oculos semper ad Dominum Deum tuum, & quære Deum, & inuenies. Eri-ge ceruicem, redimicula non vincula geris. Muta quoque animalia redimiculis gaudent, & phalerari sibi magis quàm nudari videntur. Genæ sicut turturis præferent insignia verecundiæ, redimicula ceruicis libertatis attollent fiduciam. Leue est enim iugum Christi, & ideo ceruix eo non premitur, sed leuatur. Similitudines, inquit, auri faciemus tibi ex distinctionibus argenti, quoad usque rex est in declinatione sua. Ex iis enim qui ex lege sunt & prophetis, medio crite antè crediderant gloriam Domini Iesu: sed hæreditas eius diffusa per populos, quo frequècius examinata, hoc amplius est approbata. Crebræ enim persecutiones Ecclesiæ, iustorum nobis titulos, martyrij victorias ediderunt. Itaque sicut aurum bonum, ita Ecclesia quum vratur, detrimenta non sentit, magis fulgor eius augetur, donec Christus veniat in regnum suum, & reclinet caput suum in Ecclesiæ fide. Qui quum venisset ad oues perditas domus Israël, non habebat ubi caput suum reclinaret: nunc autem iam redolet fides, ideoque dicit Ecclesiæ: Nardum meum dedit odorem suum. Et dicit cum præsumptione, expectans retributionem. Fragrat vnguentum gratiæ, ex quo Virgo generauit, & Dominus Iesus sacramentum incarnationis assumpsit. Colligatio, inquit, guttæ consobrinus metis mihi: inter vbera mea requiescet. Corpus enim suscipiens Dominus Iesus, charitatis se vinculis illigauit, & non solum se membris nostris & passionibus naturalibus, sed etiam cruci vinxit: ideoque, sicut colligatio in Ecclesiæ fide, & morali requiescit gratia. Botrus Cypri, consobrinus meus in vineis Engaddi. Engaddi, si locum querimus, regionis cuiusdam quæ in Iudæa est, locus sic dicitur, in quo opobalsamum gignitur: si interpretationem, tentatio Latinè significatur. In illis enim vineis lignum est, quod si quis compungat, vnguentum emittit. hic fructus est ligni. Si non incidatur lignum, non ita fragrat & redolet: quum autem cõpunctum fuerit artificis manu, tunc lacrymam di-

Exod. 21.

Cant. 2. Coloss. 2.

Matth. 6.

Cant. 1.

Psal. 35. Rom. 11.

Psal. 39. 1. Cor. 13.

Ioan. 10.

Psal. 35.

Rom. 11.

Esai. 40.

Apoc. 5.

1. Cor. 1.

1. Cor. 3.

Exod. 7.

Apoc. 1. Ioan. 14.

1. Tim. 2.

Rom. 1. Cant. 1.

Exod. 15.

Exod. 14.

Matth. 11.

Cant. 1.

Cant. 6.

Num. 2. Ioan. 3.

Matth. 26.

1. Tim. 4. Matth. 14.

Luc. 17.

Psal. 102.

1. Cor. 15.

1. Tim. 4.

Rom. 5.

1. Cor. 7.

Esai. 8. Ioan. 8. Luc. 17.

Cant. 1.

Matth. 11.

Cant. 1.

Matth. 11.

Cant. 1.

1. Cor. 3.

Matth. 14. Matth. 8.

Cant. 1.

1. Tim. 2.

Philip. 2.

Cant. 1.

Ioan. 15.



fillat: sicut & Christus in illo tentationis ligno crucifixus illacrymabat populum, ut peccata nostra dilueret, & de visceribus misericordiae suae fundebat unguentum, dicens: Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Tunc ergo in ligno punctus est laecea, & exiuit de eo sanguis & aqua, omni unguento suauior, accepta Deo hostia, per totum mundum odorem sanctificationis effundens: & quasi balsamum ex arbore, sic virtus exibat de corpore. Unde ait: Sermo virtutem exisse de me. Inde opobalsamum expressus dicitur, eo quod compunctione ligni balsamum per cauernam punctationis erumpit. Compunctus igitur Iesus odorem remissionis peccatorum & redemptionis effudit. Nam & constrictus erat, verbum cum esset, homo factus: & pauper factus, cum diues esset, ut nos illius inopia ditaremur. Potens erat, & despiciendum se praebebat, ita ut Herodes sperneret eum, & illuderet ei. Terram mouebat, & hiebat in ligno: caelum obducebat tenebris, mundum crucifigebat, & crucifixus erat: inclinabat caput, & exhibat verbum: exinanitus erat, & replebat omnia. Descendit Deus, ascendit homo: verbum caro factum est, ut caro sibi verbi solum in Dei dextera vendicaret. Vulnus inflatum erat, & flebat unguentum. Scarabaeus audiebatur, & Deus agnoscebatur. Respondit & Christus: Ecce es bona proxima mea, ecce es bona. Quoniam cognouerit Ecclesia mysterium, & pro totius mundi redemptione crucifixum Dominum Iesum praedicabat, meruit audire: Ecce es bona, quae me bonum dicitis: & ipsa bona es, quae vidisti gloriae meae decorem, & ipsa speciosa es & decora. Quid est autem Christum dicere? Bona es, & decora es, nisi illud euangelicum: Confans esto filia, remissa sunt tibi peccata tua? Ergo cui Christus peccata donauit, recte dicit: *Retribuere seruo tuo, viuiam, & custodiam verba tua.* Non habet in retributione quod desperet, quia Dominus Iesus venit in mundum saluare, non perdere. Ideoque immemor est iniuriae, memor gratiae, sicut in prophético libro testificatur ipse, dicens: Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero. tu autem memor esto, & iudicemur: dic tu prius iniquitates tuas, ut iustificeris. Quicumque ergo dicit iniquitates suas Deo, iustificatur: & quicumque iustificatur, retributionem non timet, sed exposcit: qui retributionem non timet, viuet. Sed quare dixit, *Viua: & non dixit, Viuo?* Quia haec vita non est loco praemij, quae in loco mortis est. Dolet Propheta in puluere mortis se esse deductum. Apostolus cupit ex hoc mortis corpore liberari: & putamus quod de hac vita sibi blandiatur Propheta? Omnia hic plena mortis sunt. Intrat mors per fenestram, intrat per ostium, nisi Dominus ostio tuo ponat custodiam. Denique ex multiloquio peccatum nascitur. Lege mandata legis, inuenies scriptum: Qui viuens mortuum contigerit, inquinatur. Quatos tagimus mortuos? inter quatos mortuos versamur? Ideo tibi auctor vitae dicit: Relinque mortuos sepelire mortuos suos. Ideo tibi alibi dicitur: Surge qui dormis, & exurge a mortuis. Quomodo tibi diceretur: Surge a mortuis, nisi inter mortuos viueres? Ponamus te mundum esse ab operibus mortuis, & peccati colluione. Quomodo mundus es, qui in corpore mortis es, qui inter sepulcra viuus mortuorum? Oportebat

primu loqui mortuis, ut prodiret de sepulcris suis. Indigemus ergo purgatione, quia tetigimus mortuos. Lex nos mudari iubet. Quis tantus, ut supra legem sit? Ipsum Nazaraeum sanctum Dei lege, si is tetigerit in ortuum, lex immundum pronuntiat. Ideoque radit caput suum, & deponit capillum quasi non sanctum, & iterum orat ut exaudiatur, qui ante propter mortui attactum orare non potuit, irrationabiles duxit dies, quia irrationabili appropinquauerat. Deponit igitur mortua, & superflua capitis sui, ut Christo recocilietur. Ergo si Nazaraeus purificatur, & nos purificari oportet, omnes contigimus mortuum. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? aut quis audebit dicere purum se a peccatis? Sit aliquis fortasse qui in sermone non deliquerit, licet rarus sit iste, de quo Deus dicat, sicut de sancto Iob: ille non peccauit labiis suis: tamen non semper habere potuit mudas cordis sui cogitationes. inuicit se diabolus in cor hominis. Pone, parata semper & per uigili custodia quisquam cor suum sepeferit, tamen in medio peccatorum versatur, necesse habet etiam ipse purificari, ut Esaias cum dixisset: Miser ego, quoniam immunda labia habeo, & in medio populi versor immunda labia habentis: statim descendit vnus de Seraphim, & contigit labia eius carbone, ut immunda eius labia mundaret. Non vnus est baptisma: vnus est quod hic tradit Ecclesia, per aquam & spiritum sanctum, quo necesse est baptizari catechumenos. Est & aliud baptisma, de quo dicit Dominus Iesus: Baptismo habeo baptizari, quod vos nescitis. Et utique iam baptizatus in Iordane fuerat, sicut superiora declarant: sed sicut et baptismum passionis, quo etiam sanguine suo vnusquisque mudatur. Est etiam baptismum in paradisi vestibulo, quod antea non erat: sed posteaquam peccator exclusus est, coepit esse romphaea ignea, quam posuit Deus, quae antea non erat, quando peccatum non erat. Culpa coepit & baptismum coepit, quo purificentur qui in paradisum redire cupiebant, ut regressi dicerent: Transiuimus per ignem & aquam. Hic per aquam, illic per ignem. Per aquam, ut abluantur peccata: per ignem, ut exurantur. Sed quod est grauius, & hic ignem, & illic sustinemus. Quis est qui in hoc igne baptizat? Non presbyter, non episcopus, non Ioannes, qui ait: Ego vos baptizo in poenitentiam: non angelus, non archangelus, non dominationes, non potestates, sed ille de quo Ioanes ait: Qui venit post me, fortior me est, cuius non sum dignus calcamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne. Habet ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Non de hoc baptismate, quod fit per sacerdotem Ecclesiae, dictum ipse Dominus testificatur. Si quidem post consummationem saeculi missis angelis qui segregent bonos & malos: hoc futurum est baptisma, quando per caminum ignis iniquitas exuret, ut in regno Dei fulgeant iusti sicut sol in regno patris sui. Et si aliquis ut Petrus sit, ut Ioannes, baptizatur hoc igni. Venit ergo baptista magnus (sic enim eum nomen, quomodo nominauit Gabriel, dicens: Hic erit magnus) videbit multos ante paradisi stantes vestibulum, mouebit romphaeum versatilem, dicit iis qui

qui a dextris sunt, non habentibus grauius peccata: Intrate qui praesumitis, qui ignem non timetis. Pradixeram enim vobis: Ecce venio sicut ignis. Et per Ezechiel dixeram: Ecce proficiscar in Hierusalem, & insufflabo in vos in igne irae meae, ut tabescatis a plumbo & ferro. Veniat ergo ignis consumens, exurat in nobis plumbum iniquitatis, ferrum peccati, faciatque nos aurum sincerum. Vrat renes meos, & cor meum, ut bona cogitem: ea quae castitatis sunt, concupiscam. Sed quia hic purgatus, iterum necesse habet illic purificari: illic quoque nos purificet, quando dicat Dominus: Intrate in requiem meam, ut vnusquisque nostrum vltus romphaea illa flammae, non exustus, introgressus in illam paradisi amenitatem, gratias agat Domino suo, dicens: Induxisti nos in refrigerium. Qui ergo per ignem transierit, intrat ad illa incorruptibilia atque perpetua. Alius iste ignis, quo exuruntur peccata non voluntaria, sed fortuita, quem parauit serualis suis Dominus Iesus ut eos ab ista commoratione, quae permixta est mortuis, emundet: alius ille ignis, quem deputauit diabolus & angelis eius, de quo dicit: Ite in ignem aeternum, quo ille diues ardebat, qui stillari sibi de Lazari digito poscebat humorem. At vero Lazarus in Abrahae sinu recumbens, vitam carpebat aeternam, quam sibi promittit Propheta, dicens: *Viuiam, & custodiam verba tua.* Viuiam, ait, quasi nondum viuens. hic enim in vmbra viuimus. Ergo ista vita in corpore, vmbra est vitae atque imago, non veritas. Denique in imagine ambulat homo, & in regione vmbrae mortis consistimus. Sed si quis non ad terrena oculos mentis intendat, sed ad spiritualia erigat, ut possit dicere: Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus: dignus erit qui dicat: In vmbra eius viuemus, Christus enim vita est: & ideo qui in vmbra Christi viuunt, in vmbra vitae est. Meritoque alibi dicit sanctus Dominus: In vmbra alarum tuarum protege me. Omnes ergo, etiam sancti, in vmbra sunt quam diu sunt in corpore: non perfecte vident, sed ex parte cognoscunt. Ipse Paulus ait: Ex parte enim cognoscimus. Ipse illi illuminauit gratia, non facie ad faciem, sed per speculum videbat. Et David reuelari oculos suos petit, ut remoueretur vmbra, quae integrum oculorum impediebat obtutum. Regionem autem hanc mortuorum esse quis dubitet, cum sanctus ipse dicat: Placebo Domino in regione viuorum? Quia perfecte hic placere nemo potest, ubi etiam si fieri possit ut sua peccata non habeat, in ipsa tamen mortuorum regione viuendo, purificatione indiget, quae a contagione eius regionis huius absoluat. In vmbra igitur hic viuimus, & ideo in vmbra custodimus verba Dei. Et ut exemplo vtamur, utique ante eramus sub vmbra legis, quando custodiebamur neomenias & sabbata, quae sunt vmbra futurorum: sicut hodieque Iudaei, qui verum sabbatum non vident, qui exexplari & vmbrae deseruiunt. Nos quoque secundum Euangelium nunc viuimus, vmbrae sequimur verborum Dei. Nathanael sub arbore ficus videtur, David in vmbra alarum Domini Iesu sperare se dicit, Zacchaeus in arborem symcomori ascendit ut Christum videret. Nobis quoque expandit manus suas Iesus, ut totum mundum obumbraret. Quomodo non sumus in vmbra, qui crucis eius protegimur velamento? Quomodo non sumus in vmbra, quos crucifixus a malignitate saeculi, & corporis ardore defendit? An necimus quoniam verbum Dei veniens in hunc mundum, non sicut verbum aduenit, quale in principio erat, quale erat apud Deum, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens? Venit in nube leui: & cum esset virtus altissimi, obumbravit Mariae, ut transfiguraret corpus humilitatis nostrae conforme fieri corpori gloriae suae. Sicut ille ergo mutauit formam, cum ex Virgine nasceretur: ita & nobis sermones Dei transfigurati videntur cum leguntur in Euangelio, cum species eorum videtur in scripturis quali per speculum, quia tota veritas hic non potest comprehendere. Cum autem venerit quod perfectum est, non iam per descensionem, non per speciem vt transfigurati, sed integra atque expressa veritate resplendent. Neque te moueat quod ait: *Et custodiam verba tua.* quasi multa, & non vnum verbum. Nam qui vnum verbum cognouerit, multa verba custodit. In vno enim multa sunt, & in multis vnum est. Probandum est igitur quomodo vnum verbum multa sint, & multa verba vnum verbum sit. Nec est difficile doceri, cum dixerit Apostolus, quia ipse est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturae, in quo creata sunt omnia in caelestibus & in terra, siue visibilia siue inuisibilia, siue sedes, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt. Vnum est igitur verbum quod operatur in singulis: & cum in singulis operatur, operatur omnia in omnibus. Hoc verbum vnicum apud patrem se diffudit in plurima, quia de plenitudine eius omnes accepimus. Itaque si videas singula omnium quae creata sunt in ipso, videbis in singulis vnum verbum esse omnium, cuius pro captu nostro participes sumus. In me verbum est humanum, in alio verbum caeleste, verbum angelorum, plerique sunt qui habent verbum dominationum & potestatum. Verbum est iustitiae, verbum castitatis, verbum prudentiae, verbum pietatis, verbum etiam virtutis. Sic vnum verbum multa sunt, & multa verba vnum sunt. Nec vero arduum istud estimari, cum legerimus quia omnia potest spiritus sapientiae. Itaque sicut alij datur per spiritum sermo sapientiae, & alij sermo scientiae secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij gratia curationum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij spiritus cognitionis, alij spiritus consilij plenioris, alij spiritus fortitudinis, alij pietatis spiritus, & in omnibus vnus atque idem spiritus est, diuidens singulis prout vult: ita est spiritus prophetarum, est spiritus Apostolorum, est etiam artificum spiritus, sicut & Beseleel & Ooliab, quos impleuit Dominus spiritu diuino sapientiae & scientiae, & omnis artis, ut facerent amicum & tabernaculum atque altare secundum sensum quem dedit his Deus, sed etiam ceteris sapientibus intelligere & facere omnia opera secundum omnia quae Deus imperabat. Itaque fecerunt quae non didicerant, nec viderant, secundum ea quae his spiritus Dei demonstrabat. Et plerisque videtur alius Apostolorum spiritus, alius prophetarum, & diuersus in singulis: sed non est diuersus, sed vnus est spiritus, diuidens genera di-

braret. Quomodo non sumus in vmbra, qui crucis eius protegimur velamento? Quomodo non sumus in vmbra, quos crucifixus a malignitate saeculi, & corporis ardore defendit? An necimus quoniam verbum Dei veniens in hunc mundum, non sicut verbum aduenit, quale in principio erat, quale erat apud Deum, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens? Venit in nube leui: & cum esset virtus altissimi, obumbravit Mariae, ut transfiguraret corpus humilitatis nostrae conforme fieri corpori gloriae suae. Sicut ille ergo mutauit formam, cum ex Virgine nasceretur: ita & nobis sermones Dei transfigurati videntur cum leguntur in Euangelio, cum species eorum videtur in scripturis quali per speculum, quia tota veritas hic non potest comprehendere. Cum autem venerit quod perfectum est, non iam per descensionem, non per speciem vt transfigurati, sed integra atque expressa veritate resplendent. Neque te moueat quod ait: *Et custodiam verba tua.* quasi multa, & non vnum verbum. Nam qui vnum verbum cognouerit, multa verba custodit. In vno enim multa sunt, & in multis vnum est. Probandum est igitur quomodo vnum verbum multa sint, & multa verba vnum verbum sit. Nec est difficile doceri, cum dixerit Apostolus, quia ipse est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturae, in quo creata sunt omnia in caelestibus & in terra, siue visibilia siue inuisibilia, siue sedes, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt. Vnum est igitur verbum quod operatur in singulis: & cum in singulis operatur, operatur omnia in omnibus. Hoc verbum vnicum apud patrem se diffudit in plurima, quia de plenitudine eius omnes accepimus. Itaque si videas singula omnium quae creata sunt in ipso, videbis in singulis vnum verbum esse omnium, cuius pro captu nostro participes sumus. In me verbum est humanum, in alio verbum caeleste, verbum angelorum, plerique sunt qui habent verbum dominationum & potestatum. Verbum est iustitiae, verbum castitatis, verbum prudentiae, verbum pietatis, verbum etiam virtutis. Sic vnum verbum multa sunt, & multa verba vnum sunt. Nec vero arduum istud estimari, cum legerimus quia omnia potest spiritus sapientiae. Itaque sicut alij datur per spiritum sermo sapientiae, & alij sermo scientiae secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij gratia curationum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij spiritus cognitionis, alij spiritus consilij plenioris, alij spiritus fortitudinis, alij pietatis spiritus, & in omnibus vnus atque idem spiritus est, diuidens singulis prout vult: ita est spiritus prophetarum, est spiritus Apostolorum, est etiam artificum spiritus, sicut & Beseleel & Ooliab, quos impleuit Dominus spiritu diuino sapientiae & scientiae, & omnis artis, ut facerent amicum & tabernaculum atque altare secundum sensum quem dedit his Deus, sed etiam ceteris sapientibus intelligere & facere omnia opera secundum omnia quae Deus imperabat. Itaque fecerunt quae non didicerant, nec viderant, secundum ea quae his spiritus Dei demonstrabat. Et plerisque videtur alius Apostolorum spiritus, alius prophetarum, & diuersus in singulis: sed non est diuersus, sed vnus est spiritus, diuidens genera di-

uerfa virtutum. Vnde non dubium videri debet, si  
 alius verbum apostolicum, aliis propheticum, aliis  
 euangelicum, aliis verbum operatorium est datum:  
 & vnum est verbum diuidens se singulis pro nostra  
 possibilitate, vel pro sua voluntaria largitate. Hoc  
 verbum igitur, quod est caput omnium, hic per spec-  
 culum video, & ideo verba Dei hic custodire non  
 possum: sed cum videro gloriam eius reuelata facie,  
 tunc viuam, & ita viuens etiam verba diuina custo-  
 diam. Ideo ergo secundo versu dicit:

Adaperi oculos meos, & considerabo mi-  
 rabilia de lege tua.

Qui adaperiri sibi oculos petit, vti que & grauari  
 intelligit. Neque enim medicum rogat, nisi qui re-  
 medium aegritudini suae poscit. Dicit ergo iste ad  
 medicum venientem de caelo: *Adaperi oculos meos.* Si  
 turbatus est oculus, facile dolor omnis sedatur col-  
 lyrio. sin vero acies eius humoris suffusione praeter-  
 xit, maiora remedia quaeruntur. Est ergo sicut in  
 oculis corporis, ita etiam in oculis animae huiusmodi  
 quaedam passio, quae ingrauescat necesse est, nisi bo-  
 nus medicus velamen illud abstulerit, & nebulam  
 quandam concretam humoris, quae impedire, vel po-  
 tius operire, ne videat quae videbat, mentis aestima-  
 tur obtutum. Irrepsit aegritudo veteris fermenti, eo  
 quod non exuimus vel getilem, vel Iudaicam suffu-  
 sionem, quum primum veniremus ad Ecclesiam, non  
 audiuitur dicentem boni medici discipulum: Expol-  
 iantes veterem hominem cum actibus suis, in-  
 duite nouum, qui renouatur in agnitione secundum  
 imaginem eius qui creauit eum. Superuestruit ergo  
 se aliquis, non expoliavit: serpsit grauior aegritudo,  
 grauat oculos diuturnum velamen, non potest quis-  
 quam illud auferre, non angelus, non virtutes, non  
 dominationes, non potestates. Manet velamen, le-  
 ctionem impedit, visionem obducit, quod non re-  
 uelatur, inquit Apostolus, hoc est, a quocumque alio,  
 nisi in Christo fuerit euacuatum. Quum vero con-  
 uerteris huiusmodi fuerit ad Dominum, auferetur vela-  
 men. Habes igitur quomodo auferas velamen quod  
 manet supra oculos cordis tui. Conuertere ad Do-  
 minum, & velamen cadet. Conuersus est Paulus, ad  
 benedictionem Ananiae velut squamae ceciderunt  
 ab oculis eius: & vidit, qui per triduum ante non vi-  
 derat: simul oculus corporis animaeque sanatus,  
 quia medicamentum ei medicus demonstraerat  
 ille de caelo, de quo scriptum est: Misit verbu suum,  
 & sanauit eos, & ex omnibus infirmitatibus suis li-  
 berauit eos. Non est medicus iste de terris, qui om-  
 nes curat infirmitates, & populos integre sanat.  
 Mitte ergo pater medicum istum, veniat verbum  
 tuum, aperiat oculos meos. Et Apostolorum oculi  
 clausi erant, nisi eos Iesus aperuisset. Denique duobus  
 ex his euntibus in castellum cui nomen Emmaus,  
 quum interpretaretur scripturas, & benediceret eos:  
 Aperti sunt, inquit, oculi eorum, & cognouerunt eum.  
 Ergo nisi Iesus sustulisset velamen, nulli Euangelij gra-  
 tia reuulisset. Et Petrus clausos habebat oculos, &  
 Ioannes clausos habebat oculos, & Iacobus clausos  
 habebat. Denique in monte grauati erant somno, sed  
 excitante maiestatis fulgore diuinae, oculos cordis

fui aperuerunt. Et quia siti in corpore, plene videre  
 non poterant, obumbravit eos nubes, ne corporis  
 oculos gloriae caelestis fulgor hebetaret. Quis igitur  
 tantus ut aperiat oculos, & legis videat sacramenta,  
 nisi ei Christus demonstraret? Non Moyses tantus,  
 Denique iubente Domino virgam proiecit, & facta  
 est serpens, & fugit ab ea: apprehendit iterum caudam  
 serpentis, & facta est virga: & adhuc non cognosce-  
 bar mysterium, quo declarabatur descensurum in ter-  
 ras Dominum Iesum, qui quum se exinanisset, poni  
 in crucem, & proici pateretur in tumulum, quasi  
 serpens de virga factus: quia in tumulum proiectus,  
 de quo secundum oracula legis resurgens, in gloriam  
 Dei, diuinaeque sedis regale consortium de serpente  
 remearet. Apprehendamus ergo & nos caudam ser-  
 pentis illius crucifixi, ut potestatem eius regiam pos-  
 simus agnoscere. Et illa quae in pedes eius misit vn-  
 guentum, tenuit eum. Caudam ergo serpentis ap-  
 prehendit Moyses, & apertum est os eius. Non ergo  
 locutus esset de eo, nisi ipse Dominus os eius ape-  
 ruisset. Dauid adaperiri sibi oculos hic petit, & in su-  
 perioribus dixit: Quis ostendit nobis bona? Erat sub  
 lege nutritus, sciebat quia lex vmbra habet futu-  
 rorum bonorum: ipsa bona iam non per vmbra, sed  
 apertis oculis videre cupiebat. Nouerat quia exem-  
 plari & vmbrae caelestium mysteriorum seruebant,  
 qui secundum legem Moysi deseruebant. Volebat  
 ipsam cultus diuini comprehendere veritatem, & ideo  
 vt ab oculis suis velamen decuteret, conuersus ad  
 Dominum deprecabatur, dicens: *Adaperi oculos meos,*  
 & *considerabo mirabilia de lege tua.* Intelligebat vere  
 militiam esse caelestem, quam possit vnusquisque ex  
 lege cognoscere, cui tamen Dominus reuelasset.  
 Quis enim de terrenis ad caelestia, de vmbra ad cla-  
 ritatem, de exemplari ad penetralia veritatis huma-  
 no gradu sine diuino ductu posset ascendere? Quis  
 potest considerare altare illud caeleste, verumque il-  
 lud templum, sacerdotes & leuitas, non istos secun-  
 dum carnis officia, sed illos secundum spiritus gra-  
 tiam? Denique hanc solam sibi gratiam pro maxi-  
 mis optauit Dauid, dicens: Vna petij a Domino, hac  
 requiram, vt inhabitem in domo Domini omnes dies  
 vitae meae: & vt videam delectationem Domini, &  
 considerem templum eius. Quis poterat cognoscere  
 quod offerret diues magnu munus, secundu quod  
 potest manus eius, vt soluatur eius peccatum? Quis  
 poterat intelligere, si non haberet quis offerre, verbi  
 gratia, arietem, quia non soluebatur eius peccatum?  
 Quis poterat aduertere quae essent illae immundi-  
 tiae, quas soluit non lex quam putant Iudaei, sed lex  
 spiritalis, quae Paulus agnouit? Quis poterat videre  
 remissiones peccatorum veras, quarum exemplar  
 in lege, veritas in Euangelio est, dicente Domino  
 Iesu: Dimissa sunt tibi peccata, non per hircoru san-  
 guinem, sed per hostiam sui corporis? Ille vtiq; diues  
 in lege, qui perfectae maiestatis in Christo plenu-  
 dine confitebatur, & quasi eam quibusdam ad illud  
 altare caeleste fidei manibus offerendo, peccatum  
 suum soluerit. Ille videt verum sacerdotem, qui videt  
 principem sacerdotum: ille templum verum consi-  
 derat, qui audit dicentem: Soluite templum hoc, &  
 in triduo excitabo illud. Magnum templum, de quo  
 virtus exibat, & curabat omnes. Mirabile illud alta-

Ibidem.

Exod. 4.

Philipp. 2.

1. Cor. 15.

Luc. 7.

Matth. 28.

Exod. 4.

Psal. 4.

Hebr. 10.

Hebr. 8.

2. Cor. 3.

1. Cor. 7.

Esai. 66.

Psal. 26.

Deut. 16.

Leuit. 14.

Leuit. 11.

Rom. 7.

Leuit. 25.

Luc. 7.

Hebr. 9.

Gen. 3.

re, in quo vnus agni sacrificium tulit peccata mun-  
 di. Ille praestantissimus leuita, qui venit vt non mini-  
 sterium exigeret, sed vt omnibus exhiberet suae mi-  
 nisterium passionis, cui portio Deus, qui hic nihil  
 possederit, vt omnia possideret. Quid autem dicam  
 de Hebraeo, quem lex sex tantummodo iubet seruire  
 annis, & septimo anno exire a seruitio? Quis iste He-  
 braeus seruus? Quis Hebraeus liber poterat intelligi?  
 Quis tantus, vt annos aeternos in mente habens, vi-  
 deat verum Hebraeum, qui non in perpetuum man-  
 net seruus: sed sex annis seruili functus obsequio,  
 septimo anno gratiam libertatis adipiscitur? Cuius  
 videtur Isaac patriarcha seruitus & libertatis non  
 ignorasse mysterium, qui ait: Seruus fratri tuo, & e-  
 rit cum deposueris & solueris iugum eius a collo tuo.  
 significans fore tempus, quo & si quis seruerit, hic  
 positus, fratri suo, postea tamen exactis annis, qui sex  
 istis diebus, atque istis quos hic exigimus mensibus  
 colliguntur, soluat iugum a ceruice sua, quod sit se-  
 ptimo anno remissionis. Coniicere possumus verum  
 Hebraei typum in Ioseph, qui portauit seruitutis iu-  
 gum, sed cum culpa non cepit, non carcer inclusit,  
 non Aegyptus decolorauit. Coniicimus in Petro, C  
 Ioanne, Iacobo, qui creati & instituti sub iugo legis,  
 soluerunt tamen fratris sui Iudaicum iugum, vbi legi-  
 timae tempus quietis aduenit, quando resulsit his  
 remissio peccatorum: & hoc tamen hic in vmbra ad-  
 huc gestum comparatione caelestium. Quanta autem  
 quietis illa, quae ex lege conuicitur, in Euangelio reue-  
 latur, dicente Domino Iesu: Volo vt vbi ego sum, &  
 isti sint mecum? Quam beatus, qui istius habitatio-  
 nis fructum, quietis consortium illic potuerit prom-  
 ereri? Tunc intelligit quid sit aperuisse oculos vt  
 videret mirabilia de lege Dei. Bene admonuit lectio  
 Euangelij quae decursa est, in qua sanatus est lepro-  
 sus ille, qui ait: Si vis, potes me mundare: in volun-  
 tate Domini constituens potestatis effectum. Cui  
 respondit similiter: Volo, mundare. Praemissa pietas  
 voluntatis, sequuta potestatis auctoritas est. Omni-  
 bus dicit Iesus, Volo: qui non vult esse peccatum.  
 Velle Christi, commune in omnes est: mundari, fidei  
 est credentis in Christum. Et tetigit eum. Tigit eos,  
 quorum fide tangitur. Denique dicit: Tetigit me al-  
 liquis, sentio enim virtutem exisse de me. Habes o-  
 perationem immaculati corporis, habes remissio-  
 nem diuinitatis. Sed vt plenius sanaretur, aperuit o-  
 culos eius, dicens: Vade, ostende te sacerdoti. Mul-  
 tos sacerdotes habebat synagoga: sed qui oculos a-  
 perit falsos non vidit sacerdotes, verum aspicit. Quis  
 est verus sacerdos, nisi ille qui est sacerdos in aeter-  
 num? Et ideo pater dixit ad eum: Tu es sacerdos in  
 aeternum. Aperuit ergo oculos eius, & vidit, & intel-  
 lexit quale munus pro emundatione sui deberet of-  
 ferre. Beatus qui audit haec, quanto beator qui vi-  
 det, qui se vero potest ostendere sacerdoti, vt non  
 habeat quod timeat in se videri, qui se prius aspicit  
 facie reuelata? Nam nisi ipse se prius viderit, non au-  
 debit se ostendere, sicut Adam qui se occultare cupie-  
 bat, quia se non agnoscebat. Sed iam etiam id  
 quod sequitur consideremus.

Aduena ego sum in terra: ne abscondas a  
 me mandata tua.

Non cuiuscumque vox ista est, sed eius qui terre-  
 nis renuntiauerit voluptatibus, & omnis mundanae  
 cupiditatis exuerit affectum. Ille est in hac terra ad-  
 uena, qui potest dicere: Nostra autem conuersatio in  
 caelis est, qui suam habet in Domino portionem, qui  
 potest dolere quod diutius viuat in terris, qui vitam  
 huius longauitate lassatur, cui prolixitas habitatio-  
 nis huius fastidio sit, quam sanctus aueratur, & di-  
 cit: Vae iis qui habitant in terra. Qui dissolui non ti-  
 met: & si soluatur, praesumat se cum Christo futurum:  
 hic verè peregrinus in terra est, quia sanctorum est  
 ciuis, & domesticus Dei, & thesaurum sibi condidit in  
 caelo. Non vti que is exiens de Aegypto, in hanc in-  
 telligibilem Aegyptum remeare desiderat, nec de-  
 positae senectutis & mortis pauescit confinia, nec  
 horrea struit messibus recondendis iam alienis vi-  
 cturus aetatibus, sed sola diues virtutum fecundita-  
 te, ea congregat quae sibi nec senectus perditum da-  
 re, nec mors possit auferre. Meritoque dicit:

Concupiuit anima mea desiderare iudicia  
 tua in omni tempore.

Quod vti que non facit nisi liber a vinculis, nec  
 solum a vinculis sollicitudinis saecularis, sed etiam a  
 vinculis charitatis humanae. Vincula complura sunt  
 in hoc saeculo: vincula sunt desideria viuendi, vincula  
 sunt oblectamenta voluptatum, vincula sunt hono-  
 rum, vincula coniugij. Denique dicit tibi bonus ma-  
 gister: Solutus es ab vxore? ne quaeris vxorem.  
 Nec tamen peccat qui vxorem acceperit, sed in ne-  
 ctit sibi vincula mentis, quia sollicitus est quomodo  
 placeat vxori. Beatior esset, si Deo soli placere desi-  
 deraret. Cernis autem quia ligatus est, quia sui non  
 habet corporis potestatem. Ergo quia mandatum  
 Dei est, quod legis, oraculo, & apostolico sermo-  
 ne depromptum est, ne quis vxorem, diuitias, hono-  
 norem, necessitudines Deo praeferat: qui autem  
 praetulerit, sit obnoxius iudicij Dei: ideo prius  
 poposcit ne abscondat ab eo Deus mandata sua.  
 Qui enim mandata Dei cognouerit, & custo-  
 dierit, non refugit iudicia diuina, sed desiderat, me-  
 ritoque tamquam reuelatis sibi mandatis ait: *Con-  
 cupiui desiderare iudicia tua in omni tempore.* Non dixit,  
 Concupiui iudicia: sed, *Concupiui desiderare.* Sicut  
 enim vita viuere plus est quam viuere (viuere nam-  
 que commune etiam huius est vitae, vita autem  
 viuere beatorum est) sic concupiscere vt deside-  
 remus iudicia Dei, plus est quam desiderare iu-  
 dicia. Concupiscimus enim desiderare, quasi non  
 sit potestatis nostrae desiderium, sed gratiae Dei.  
 Cum enim Dominus oblectari nos viderit cupi-  
 ditate desiderij iudiciorum suorum, sobrium au-  
 get affectum. Cum autem peccamus, non concu-  
 piscimus desiderare iudicia Dei. Neque enim  
 argrotus vti desiderat, vel incidi, vt possit recipere  
 sanitatem. Refugit qui grauius argrotat, ne vratur,  
 ne incidatur, ne alligerur, ne abstineat a cibo. Qui  
 autem salutarem habet valetudinem, medico securus  
 occurrit. Vnde etiam Dominus non otiose ait: *De-  
 siderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.*  
 non solum desiderans, sed etiam geminato deside-  
 rio concupiscens remissionem tribuere peccatorum.  
 Concupiscamus ergo & nos desiderare iudicia Dei.

2. Cor. 3.

Matth. 9.  
Psal. 106.

1. Cor. 5.

Coloss. 3.  
2. Cor. 5.  
2. Cor. 3.

Ibidem.

Act. 9.

Psal. 106.  
Ecli. 38.

Luc. 24.

Ibidem.

Matth. 17.

Philipp. 3.  
Psal. 147.  
Psal. 119.

Apsc. 8.  
Philipp. 1.  
Ephes. 2.  
Luc. 12.  
Num. 14.

Luc. 12.

1. Cor. 7.

Ibidem.

Deut. 6.  
Matth. 10.

Esai. 22.

1. Cor. 11.

Bona cōscientia quæ cum examinatur, probatur. Et concupiscamus desiderare in omni tēpore, ut nullū momentum bonæ prætereat vacuum cupiditatis.

Increpasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.

Philip. 2.

Cum Dominus Iesus per obedientiam genus humanum redemerit, iustitiam reformauerit, serpens autem per inobedientiam peccatum introduxerit, quid vitij habeat superbia, hinc æstimare possumus, cuius auctor diabolus est, quem inducit Propheta dicentem: Ponam thronum meum super nubes, & ero similis altissimo. Itaque cum sit nequissimus, ut honorem non dederit Domino Deo nostro, peiores tamen discipulos erudiuit. Ille enim se sic exaltauit, ut vellet æquari & similis esse altissimo: discipulus autem eius, ut significatur ab Apostolo, indignaturus est æqualem se similemque æstimari Deo.

Genes. 3.

1. Ioan. 1.

Esa. 14.

2. Thess. 2.

Ioan. 14.

Ibidem.

Luc. 18.

Luc. 12.

Coloss. 2.

Luc. 18.

Galat. 1.

2. Cor. 12.

Ibidem.

Luc. 18.

Ibidem.

Matt. 23.

Scriptum est enim: Cum reuelatus fuerit homo iniquitatis, & filius interitus, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus. Magister igitur similem honorem præsumit, hic superiorem. Ideo quæ & Dominus ad discipulos suos dixit: Maiora his facietis, ut quibus serpens plus ademerat, quam ipse amiserat, maiora Christus facere donaret, quam ipse in terris fecerat. In se enim voluit principē mundi fallere, in discipulis triumphare. Itaque à tātō volens crimine vindicare humanum genus, introduxit Phariseum & publicanum in templo orantes: & docuit, etiam si bona cetera habeat, quod magis superbis offendat, quam humilis, qui nulla virtutum dote subnixus sit. Studet enim supplantare diabolus bonis operibus intentos. Quantum laborauit Phariseus ille ne raperet aliena, ne iniustus esset, ne adulteraret? Quantum laborauit ne peccaret, sicut peccabat publicanus? Quantum laborauit ut bis in sabato ieiunaret? Quantum laborauit ut decimam daret omnium quæ acquireret? Quis nostrum hæc facit? Quanti habent possessiones, & soli incubant fructibus, & solis sibi messes reconduunt? Aduertit hoc diabolus, & perfudit eum vlcere graui, ut non teneret caput, mente inflatus: & in eo in quo laudabilis fore crederetur, ibi reprehensibilior iudicaretur. Agebat enim gratias Deo quod non esset raptor, adulter, iniustus. Quam noxiè ei iudicatus est serpens, & grauibus eum spiritis ligauit? Superiorem fecit, ut de altiore deiiceret: inferiorem se præbuit, ut sublimiorè casu grauiore prosterneret. Mala ruina est arrogantiæ, quæ superiorem subruit. Mala hæc iudicia serpētis, quæ se in plurimos torquet anfractus. Inflare volebat & Paulū. Quem Paulū? Illum utique Apostolum, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum. Et pene deceperat, ita ut stimulū carnis suæ, qui se humiliabat, rogaret auferri. Sed bonus Dominus, qui Paulum in similitudinibus vellet facere fortiosem, adhibuit ei angelum satanæ, ut suis diabolus artibus vinceretur. Nō mentiebatur Phariseus, immò etiam vera dicebat: sed omnis qui se exaltat, etiā si vera dicat, offendit. Denique probatior Phariseus ingressus est templum, quam publicanus: & tamen condemnatus exiuit. Quantum crimen superbi, ut ei etiam adulteri præferantur. Denique Dominus, qui aliis donat, super-

bis resistit, & tamquam concreditur iis qui se exaltant, sibi; hoc certamen vendicat: & qui aliis comparitur, arrogantes increpat: quia nihil grauius, quam ut fratres nostros pauperes superbo oculo despiciamus; conformes nobis intolerabili repellamus fastidio, nostra indignos gratia iudicantes, quia sunt inopes: quum paupertas facilius sit Deo quam thesaurus acceptior. *Maledicti* (inquit) *qui declinant à mandatis tuis*. Suprà dixerat: Ne abscondas à me mādāta tua. & ideo quasi reuelata sibi mādāta cognoscens, condēnat eos qui declinauerint à mandatis cælestibus. Et bene dixit: *Qui declinant*, directum enim mandatum est: ideo ab eo nemo desecrat. Monet autem qua ratione hic dixerit: Ne abscondas à me mandata tua. Quod enim absconditur, obscurum fit & occultum; cum suprà dixerit: Mandatum Domini lucidum, illuminans oculos. Si lucidum mandatum, quomodo absconditur, cum lucernam nemo ponat sub modio? Nisi fortè lucidum est vnum mādātum, multa autem mandata abscondita sunt. Nam iudicia tua, inquit, sicut abyssi multa, non iudicium sicut abyssus, sed iudicia dicuntur. Vide autem ordinem. Suprà ait: Ne repellas me à mādātis tuis, in sequenti ait: Ne abscondas à me mandata tua. hic ait: *Maledicti qui declinant à mandatis tuis*. Verè maledicti qui declinant à mandatis tuis, qui referre gratiam debuerunt: primò, quia non sunt repulsi: secundò, quia non abscondi à se diuina mandata meruerunt. Declinat ergo aliquis quod optauit.

Aufer à me opprobrium & contemptum: quoniam testimonia tua exquisiui.

Si contemptus opprobrii loco ducitur, quomodo scriptum est: Cōtemptibilia mundi elegit Deus? Sed considera quia mundi contemptibilia dixit, non Dei. Quod enim in hoc mundo contemptibile, hoc pretiosum est apud Deum. Denique humilitas in hoc mundo contēnitur, sed Dei iudicio comprobatur. Et si publicanus se humiliauerit, exaltatur. Audi quem pro nihilo non habeat Deus. Quicumque sanctus est, qui sine macula viuuit, veritatem custodit, nō appetiuit proximum suum, ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, omnia quæ malitiæ sunt reprobanuit: talis etiam si sit gentilis, deuotione humilitatis à Deo comprobatur. Superbi autem velut phariseus, arrogantia sua pro nihilo ab illo æstimantur. Denique gentilitas nō est, deuotio autem manet in aternū. Caue ergo ne Christo opprobrio sis. Nolo mihi quicumque maledicat, & quasi peccatorem despiciat. Quam graue, si Christus dignum opprobrio ducat? Væ tibi, inquit, Corozaim & Bethsaida, quæ condemnantur quia non egerunt pœnitentiam delictorum suorū. Nos ergo agamus, ut à nobis auferatur opprobrium. Quis autem est qui non est opprobrio dignus? Qui exquisiuit Domini testimonia. Multi quidem sunt qui volunt inferre opprobriū seruis tuis, sed ipsi sunt magis probrosi: quia pro nomine tuo pati opprobrium, gloriosum est. Et ideo ait:

Etenim sederunt principes, & aduersum me detrahebant: seruus autem tuus exercebatur in iustificacionibus tuis.

Etenim sederunt principes, & aduersum me detrahebant: seruus autem tuus exercebatur in iustificacionibus tuis.

Sapient. 5. Matt. 5.

Matt. 26. Matt. 27. Luc. 19.

Psal. 18. Luc. 11.

Psal. 35.

Psal. 49.

Luc. 10.

Mat. 4.

Mat. 5.

Esa. 2.

Hiere. 37.

1. Paral. 24.

Daniel. 13.

Ephes. 6.

Sapient. 2.

Vox martyris est, qui perducus ad iudicium persecutorum, cum cogere idolis immolare, & constanter resisteret: iudices autem sedentes in tribunalibus stipati officiis, indignantes quod suis non obsecundaretur imperiis, cum conferrēt quo dignum supplicio censerent, stabat intrepidus dicens: *Sederunt principes, & aduersus me detrahebant*. Est etiam Domini vox ista, cum conuenisset presbyteriū plebis, & principes sacerdotum & scribæ, & ad concilium Iudeorum deductus esset dicentium: Quid adhuc desideramus testes? audiuimus enim de ore ipsius. Et cum staret ante præsidem, & duceretur ad crucem, quid pulchrius diceret, quam, *Sederunt principes, & aduersum me detrahebant*? hoc est, me stante sederunt principes. Et quia tribunalium fulcro sublimes erat, Dominum non videbant. Sedebant ergo e-lati fastigio principatus, nec principem principum cogitabant. Sed parum hoc. *Aduersus me* (inquit) *detrahebant*. Ego eorum redemptor adueneram, ego veneram ut omnium peccata mundarem, ut recuperarem amissos, restituerem paradiso sancti Iacob hæreditatem: & illi *aduersus me detrahebant*. Et ideo imitatorum mei, discipuli mei, nolite iniuriam erubescere, si steteritis ante principes pro nomine meo, cum ego steterim pro vestra salute. Denique traditus in custodiam Petrus cum cæteris Apostolis, & postera die statutus ante concilium, constanter dicebat: Principes populi, & seniores Israel, si nos hodie diiudicatur quod benefactum sit homini infirmo, in quo iste saluus factus sit, notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quod in nomine Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus. hoc est, vos estis qui statuistis & Christum. Gloriæ loco ducimus istam iniuriam, quia arguimur pro ægroti hominis sanitate: hanc hæreditatem seruulis Saluator omnium dereliquit. At illi conferebant inter se, dicentes: Quid faciemus istis hominibus? Et dimiserunt eos. Gloriabatur ergo Petrus, & vnusquisque Apostolorum, quia digni habitati sunt qui iniuriam pro Christi nomine sustinerent. Recte ergo tunc dicerēt singuli: *Etenim sederunt principes, & aduersus me detrahebant*. Sederunt principes aduersus Esaiam, & disputauerunt ut secaretur: sed non timebat eos qui dicebat: Audite principes Sodomorum. Sederunt aduersus Hieremiam, ut mitteretur in lacum. Sederunt aduersus Zachariam, qui occisus est inter templum & altare. Sederunt aduersus Sufannam, & contra castitatis feminam iudicabant. Sed ut ostenderetur principum bonum non esse cōcilium, excitauit pueri spiritum Dominus, & quæ principes reā mortis pronuntiauerant, eandem propheta totius innoxia criminationis absoluit. Sūt & alij principes qui aduersus nos detraçant, de quibus dicitur: Quoniam nō est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinē, sed aduersus principatus & potestates, aduersus mundi huius rectores tenebrarū harum, aduersus spiritalia nequitia, quæ sunt in cælestibus. Isti sedent & explorant qui iustus sit in hoc sæculo, qui Christianus intentè Deo seruiat, studiosus boni operis & facti. Detraçant de eo, dicentes: Infidicimur illi, impediamus eū, prohibeamus eum efficere quæ desiderat: conteramus eius mentem,

frangamus animum eius aduersis frequentibus ac repentinis: & si Deo probatus est propter iustitiam, rogemus dari nobis tentationes eius. Neque enim tantum prophetā, tentationum eius quas plurimas subiit, potestatem habere potuissent, nisi Dominus probandi sui militis ansam dedisset, ut maiore cum gloria coronaret. Quis igitur regem Saul excitauit in eum, nisi spiritus malus, sicut legimus, qui se dolebat excludi quotiescumque David vel cithare sonno, vel bonorum consiliorum operūmq; fidibus ac neruis mentem regis animūque mulcebat? Quis excitauit Doeck Syri nequitiam, ut sanctum virum proderet, & hospitalem humanitatem deduceret in periculum sacerdotis? Quis inflammauit ardorem Ammon, ut domum incitaret propheticā, & contristaret animū patris alterius incæsti libidine, alterius iniuria, & qui aliis prophetabat, domus suæ mala providere non potuerit? Quis armauit furorē Abessalon, ut patrem domo excluderet, & parricidali persequeretur prælio? Sed cum propè viribus regni iam esset sanctus inferior, hoc vno incēsa aduersum se diaboli restinxit spicula, quod cum filius necem peteret patris, ille tamen salutē filij pietatis mandabat affectu. Ergo principes populi, ut Achitophel, & ceteri bellantium duces sederunt. Trahebant principes populi cum Abessalon aduersus prophetam. Et ideo dicit: *Etenim sederunt principes, & aduersus me detrahebant: seruus autem tuus exercebatur in iustificacionibus tuis*. Aduertimus arma iusti, quibus omnes aduersariorum repellat impetus. Alibi ait: Circuierunt me, & expugnauerunt me gratis: pro eo ut me diligere, detrahebant mihi, ego autem orabam. hic ait quod studium ei non exercendæ ad belli artes fuerit iuuentutis, non decipiendi aduersantis astutia vlla cordis, ut illum vinceret quem videbat: sed aduersum eos præliabatur quos non videbat, maiorque in eo pietas quam virtus corporis militabat. Itaque in Dei exercebatur iustificacionibus, ut contrario icū diabolus vulneraret. Ille eum ab intentione iustitiæ & studio deuotionis, occupationibus bellicis conabatur abducere, hic magis se diuini operis & cultus meditatione occupabat. Itaque Dominus protexit eum, in quem sperauit, cum quo loquebatur, cui toto adharebat affectu. Iustus enim aut cum Deo loquitur orando, aut diuina loquitur opera laudando: & semper loquitur opera Dei, ne loquatur os suum opera hominum. Nihil tertium iustus loquitur, nihil mortale agit. Ideo quæ dicit:

Etenim testimonia tua meditatio mea est, & consilia mea iustificatio tua.

Aduertis quid doceat, quod hæc debeant esse consilia iusti, ut meditetur mandata Dei, & exerceatur in Dei laudibus & oraculis, ut iustificet Dominum semper. Qui facit quæ Deus mandat, quæ credit Deo placere, Deum iustificat. Quod exlectione Euangelij possumus intelligere, dicente Euangelista, quia Pharisei spernerunt consilium Dei, non baptizati baptismo Ioannis: Publicani autem iustificauerunt Deum, baptizati ab eo. Ideo Dominus ad Ioannem dicentem: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? respondit: Sine modò, sic enim oportet nos implere omnē iustitiā.



Qui ergo facit mandata Dei, iustificat Deum, quia facit eius iustitiam: & bonum est ut consilium Dei sequantur hominum consilia: quia Dei consilium certum semper, nostra autem plerumque incerta consilia ex rerum probantur eventibus.

In octonarium quartum enarratio.

Daleth.

Quarta littera secundum Hebræos Daleth, significat Latine timorem, vel (ut alibi inuenimus) natiuitatem. Sed utrumque potest congruere & conuenire sensui. Natiuitas enim eorum est quæ generantur in hoc sæculo, per quam intelligimus corporalia & materialia, quæ sunt caduca: & ideo à timore non distat. Ex corporalibus enim & materialibus nascitur timor. Quid enim est terrena natiuitas, nisi timor? Denique inde cepit versus:

Adhæsit pavimento anima mea: viuifica me secundum verbum tuum.

Per pavementum terram intelligimus, per terram materialia. Peccatori autem dictum est: Terra es, & in terram ibis. eo quod diuinis mandatis inhærendum non putauerit, sed in materialia & corporalia deflexerit, cui impressa fuerit vitæ huius secularis delectatio. Denique eiectus de paradiso, hoc est, ex illo sublimi & cælesti loco, ad quæ raptus est Paulus, siue in corpore, siue extra corpus nesciens: ex illo ergo eminenti loco deiectus in terram, deplorat Adam dicens: Adhæsit pavimento anima mea. Sicut alibi ait: Humiliata est in puluere anima mea, adhæsit in terra venter meus. Pœnitentiam gerentis hæc vox est, qui meminisset adhærentem se Deo nescisse nec potuisse discernere (quod non discreuit & Paulus) utrum in corpore esset an extra corpus: ita infirmitatem pigritiamque corporis minimè sentiebat, cui Domini adhærebat præsentia. Spiritus ergo propheticus, qui dolorem expressit, vel Dominus, qui suscepit eius infirmitatem, personam representat Adæ, & assumit eius affectum. Loquatur ergo Adam: Adhæsit pavimento anima mea. Qui autè beatissimam auram carpebat ætheream, curas vitæ huius & tædium nesciebat: is nunc sollicitudine mundi huius, luxuriæ studio, pecuniæque cupiditate curuatus, ut vulpis foueis se inserit, laribusque terrestribus. Merito adhærebat pulucri, qui se leuare non poterat, nisi cum supra crucem suam Christus leuasset. Merito adhærebat pavimento, qui se abscondebat à Christo. Non adhæret pavimento, cui dicit Iesus: Sequere me. Non adhæret pavimento qui audit & sequitur legem dicentem: Post Dominum Deum tuum ambulabis, & ipsi adhærebis. Quomodo ergo pavimento adhæreat vnusquisque, quomodo Deo, audi dicentem: Qui adhæret meretrici, vnus corpus est: qui autem adhæret Deo, vnus spiritus est. Terra ista quam gerimus, meretricis quibusdam nos illecebris capit, & quasi vultus quosdam voluptatum, corporaliumque delectationum fucis illinit, ut lateat in his veritas, & forensi quadam specie decipiant appropinquantes. Sed quum interiorem oculum mentis ad tempus obduerint, postea tamen decussio velut quodam puluere voluptatum

huiusmodi decore, quam sit inanis gratia: sæculi huius aut corporis, faciliè deprehenditur. Bonum est igitur adherere Deo, nec inflexam ceruicem habere ad mundi. Ideoque Ecclesiæ vel forti animæ dicit Sapia: Sicut turris David ceruix tua, quæ ædificata est in Talphioth, mille clypei pendentes in ea, omnia iacula potentium. Erecta enim ad Deum ceruix, & iugo Christi habilis, quæ nulla in terras illecebrarum inflexione curuetur, sicut Christi regalis est turris, cui iugum suum Nabuchodonosor non possit imponere. Condidit enim turrim illam David, ille manu fortis, & supra murorum ædificauit excelsa, ut subsidio pariter & decori sit. Subsidio, quia hostem præuidet & repellit: decori, quia non solum inter humilia, sed etiam inter excelsa supereminet. Ita tamen subsidio vel decori, si habeat in se verbi dogmata velut quædam phalerarum monilia: habeat etiam iacula potentium prophetarum, quæ aduersus omnem extollentem se altitudinem laceratis quibusdam fidei diriguntur. Noli igitur in puluere mortis deducere animam tuam, cui Dominus etiam naturalem altitudinem tribuit, & vigorem quo se excitet & affurgat. Vnde etiam de hac coniunctione animæ & corporis dictum oportune accipitur, eo quod in naturali vitæ nostræ mysterio connexa anima corpori velut humi reptet, & pavimento adhæreat: partim propter hoc terrenum habitaculum, partim quia corpus istud de terra est. Et regionis igitur diuersorium, & materia ipsa corporis nostri huic concurret sententiæ. Ideoque pulchre Apostolus de mortis huius corpore liberari cupit: quia carcere quodam claudimur, & in quodam luxuriæ gurgustio siti, tenebris inuoluimur delictorum. Ergo secundum voluntatem Dei ambulemus, ut adhære dicamur Deo. Nam qui secundum corporis appetentiam viuunt, caro est: qui secundum præcepta Dei, spiritus est. Non ergo fiat anima nostra caro, hoc est, ut dicamur caro, sicut & illi qui in diluuiio perierunt, de quibus dictum est, Quia caro sunt: sed magis caro nostra obediens animæ gubernaculo, fiat anima, & hoc appellari mereatur nomine, sicut appellata est familia patriarchæ Iacob, & generationis eius sancta posteritas. Sic enim scriptum est: Hi filij Balæ quam dedit Labâ Rachel filix suæ: peperit hæc Iacob animas septem. Et ibidem: Omnes autem animæ quæ intrauerunt cum Iacob in Ægyptum, quæ exierunt de femoribus illius, præter uxores filiorum, sexaginta sex. Et in principio Exodi legimus: Erant autem omnes animæ de Iacob quinque & septuaginta. Ergo illi qui habitabât cum Ioseph, & de Ægypto exierunt, animæ sunt. Qui autem cum essent angeli Dei, hoc est, vitæ probitate angelorum imitantes gratiam (qui enim non ducunt uxores, & quæ non nubunt, erunt sicut angeli in celo) qui ergo cum angeli viderentur, capti sunt decore fœmineo, hi caro sunt, sicut Dominus Deus dixit: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis in æternum, propter quod caro sunt. Et merito expertes libidinis angelis comparantur, caro non sunt, quia non sunt in carne, sed in spiritu, quales erant illi qui doctorem Apostolum sequebantur, quibus ait: Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Qui autem corporea fœminarum capiuntur

tur libidine, caro sunt: atque vitam caro tantum, & non etiam equi adhinnentes, quia in uxorem, inquit, proximi sui adhinniebant. Rogat ergo qui deiectionem animæ suæ sentit ad pavementum visque curuata, ut viuificetur secundum verbum Dei, quod animas ad se trahit qualcumque, & miseratione sui leuare cupiens abducit à terris. Viuificatur autem anima quæ vias ambulat Christi, peccato mortua, Deo viuens, ita ut mors peccati dominatum in ea post hæc habere non possit, posteaquam consepulta cum Christo iustificata est à peccato. Sed qui viuificari cupit, vias suas antè pronuntiet. Ideoque secundo versu ait:

Vias meas pronuntiaui, & exaudisti me: doce me iustificationes tuas.

Pulchro ordine ad iustificationes Dei perueniendum putat, ut primum sua peccata fateatur. Sic enim docemur & alibi: Dic iniquitates tuas, ut iustificeris. Itaque scire debemus quid sit vias suas ambulare hominem, & vias Dei. Qui facit voluntates carnis, & viuunt secundum concupiscentiam mundi huius, vias suas ambulat, quibus delectatur & gaudet. Qui autem venit voluntatem facere patris sui qui in cælis est, cuius cibis est ut mandatum Dei compleat, qui non querit quod sibi voluptati sit, sed quod placeat Deo: ille viam Domini pergit, illam viam quæ ait: Ego sum via, veritas, & vita. Vides ergo quia ille viuunt secundum verbum Dei, qui viam ambulat Christi. Ipse etiam Dominus Deus in Deuteronomio docet quomodo in viis suis ambules, dicens: Et nunc Israel quid Dominus Deus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, & seruias Domino Deo tuo ex corde tuo, & ex tota anima tua custodias mandata eius & iustitias eius: Liqueat igitur alias vias esse carnis, alias Dei: & si quis velit ambulare vias Dei, sciat ei prius esse vias carnis & corporis & sæcularis sapientiæ deserendas. Relinquens itaque eas David, pronuntiat, & apud Deum non tacet. Confiteatur errores, non tacet lapsus. Simile illi hoc dixit: Annuntiabo aduersum me iniquitatem meam Domino. Si enim se accusauerit iustus, vocem parati accusatoris excludit, qui solet aceriare peccata, & vniuulculisque exaggerare flagitia. Obstruit ergo os eius, qui ipse de se fuerit antè confessus, & præstruit veniam contentis. Verecundia excusat reum, pudor suus accusat auctorem. Qui enim sua delicta non tacuit, videtur in se doluisse quod fecit, in diabolo prodidisse quod suavit. Ideoque ait scriptura: Iustus in exordio sermonis accusator est sui. Qui se accusat, etsi peccator est, iustus esse incipit, quia nec sibi parcat, & Dei iustitias confitetur, quem putat latere nihil posse. Vitam Adâ se prius accusare quam celare voluisset. Sed non satis est ut confiteamur errorem: verum etiam si corrigi volumus, à Domino postulemus ut doceat nos iustificationes suas, ne postea errare possimus. A Domino igitur doceri petit, quia vnus est magister noster, ut ait Christus. Nec otiose hoc petit, non enim ille beatus quem docet homo: sed quæ tu erudieris Domine. Vbi que meminit sui, nec putat satis esse ut doceat eum iustificationes suas Dominus Deus noster, sed addidit:

Viam iusticiarum tuarum insinua mihi, & exercebor in mirabilibus tuis.

Vide ordinem. Prius est ut discamus Domini iustificationes, deinde ut gradus quosdam iustificationum & ordinem nouerimus, quid prius, quid consequens esse debeat. Nam scire quid facias, & ordinem nescire faciendi, non est perfectæ cognitionis. offendunt plerumque præpostera. Denique iustus est qui se in exordio sermonis accusat: iniustus autem, qui quod prius negauerat confitetur. Ille veracundia inuenit gratiam: hic notam incurrit impudentiæ. Ita ordinis ignorantia conturbat negotiorum naturam, formamque meritorum. Ille autem qui didicerit primò mysteria Dei, deinde ordinem mysteriorum, exercetur in mirabilibus Dei. Græcus ἀδολοχῆσαι posuit, quod dicit Latinus, hallucinabor. In quo videtur esse aliqua sermonis offensio secundum vulgarem consuetudinem, quia ἀδολοχῆσαι vulgo æstimatur, vel hallucinari, plus quam oportet aliquid loqui, & superfluum dicere quod audienti fastidio sit: & videtur esse præter ordinem, quum ordo rerum videatur afferre fastidium, ut si causam velis enarrare aliquam, & ordinem non serues, auditor autem ad rerum festinet exitum, superiora fastidit. Sed nõ potest plenè instrui, nisi qui ordine sui cuncta cognouerit, vnde non solum factum deprehenditur, sed etiam facti pondus, & facientis affectus. Ideoque David quasi bonus sui iudex atque arbiter, prope vsque ad fastidium vult doceri, & vel superfluo immorari tempore, quam necessarium ordinem præterire. ἀδολοχῆσαι enim vel hallucinatio, videtur longa quædam esse meditatio, & morosa quædam mentis intentio: à quo non longè abest exercitium vel animi vel corporis. Nam ut ille qui exercet membra sua palæstra, diutius exercet ut roboret: ita qui exercet mentem suam in scripturis diuinis vel in consiliis, diutius exercere debet. Exiuit in campum Isaac. Græcus dixit ἀδολοχῆσαι, Latinus deambulare, vel exerceri. Rebecca veniebat, typus in ea præfigurabatur Ecclesiæ, parabantur nuptiæ, in quibus sacramentum foret magnum. Videns patriarcha ista mysteria, exiuit in campum, diffundens acrimoniam suæ mentis, & deambulans in innocentia cordis sui. Diuersis utique cogitationibus exercebat animum, & in mirabilibus mysteriis delectabatur: cuius ut imitator euaderet sanctus Propheta, doceri iustificationes Dei, & viam iusticiarum celestium cognoscere gestiebat, ut non dormiret anima eius sæculi istius somnum, nec in mundanæ captus vanitatis illecebris, à persequenda veritatis intentione difflueret. Qua ratione ergo doceri velit, subtexuit dicens:

Stillauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.

Stillauit. Aliqui codices habent, dormitauit, quia ἐνύπναιον & ὑπναιον duabus litteris diffonant. Potuit interpres vel antiquarius scriptor hic falli. ὑπναιον dormire est, ἐνύπναιον stillare. Perfectus non dormitat, qui diuinis animum intendit mysteriis. denique ipse alibi dicit: Si dederò somnum oculis meis, aut palpebris meis dormitationem, sed vigilat semper: & si

*Cant. 5.* caro dormit, cor vigilat. Non ergo dormiebat, qui templum condere Domino cogitabat verborum caelestium exaedificatione, non lapidum. Verbum enim Dei repulsorium tardiorum est, quo somnus animae, sopor mentis excluditur. Ex tristitia enim & sollicitudine saecularium somnus irrepit. Qui autem adhaeret Deo, curarum fugitans, voluptatem capit cognitionis aeternae, nullam illic mutationem rerum saecularium pertimescens. Qui facilius igitur laborum vtuntur compendiis, dormitavit, accipiunt: sed Origenes, qui multorum interpretationes diligenti discussit indagine, stillavit, secutus est, eo quod perfecti anima quasi bene composita & confirmata non stillat, vt fastigia culminum quae bene tecta atque munita sunt: ceterum incomposita cito stillant. Inde vsurpatum est: Stillicidia eiciunt hominem in die hyemali de domo sua: in qua frigoris asperitate, & frequenti aeris mutatione tentamur. Denique docemur providere, ne fuga nostra fiat hyeme vel sabbato. Paratos enim iam nos dies debet reperire vel iudicij vel mortis, ne viduatos viriditibus prosperorum, & omni spoliatos secundorum flore successuum exitus mortis inueniat. Caueamus ergo ne vnusquisque nostrum eiciatur de statu mentis suae, & naturali quadam mansione, si habet foramina mansionum, e quibus fluentia stillicidia tamquam ex fundamentis subruant hominem nulla sapientiae soliditate fundatum. Ideoque ait Propheta: Fili ne desinas. Confirmanda est igitur anima nostra ne stillet, & indiuidua virtutum compage solidanda, vt possit regis aeterni seruire mysterium. Ceterum is quicumque est facilis in verbis, velut plenus rimarum, hac atque illac effluens, interiora euacuat sua, & exterioribus passionibus inundatur, tegere se nesciens, nec tenere verbum quod accepit, sicut sancta Maria quae conseruabat omnia verba in corde suo, ne quod ex eius ore deflueret. Tali se munitam dote virtutum Ecclesia loquitur, vt digna videatur in cuius inuitatus sponsus succedat hospitium. Hinc primum se praesumit esse placitum, si bene testam, & fida seruantem silentia Christus aspiciat. Ecce es, inquit, formosus consobrinus meus, & quidem pulcher: acclinatio nostra opaca, trabes domorum nostrarum cedri, lacunaria nostra cupressi. Laudat sponsi decorem Ecclesia, quem plus vnusquisque tacito laudat affectu, & fidus mysteriorum interpres tacendo plus praedicat. Nam qui arcana diuulgat, imminuit Christi decorem. Ideo nemo mittat margaritas suas porcis, ne conculcari faciat ornamenta pretiosa. Non ergo in tabernaculo loquacis & garruli, quia multiloquio peccatum admittitur: sed in viri serij, qui sit parcus alloquij, nec sermonis intemperans, & verborum sobrietate remulentiā loquacitatis euitans, caput suum Christus reclinat. Et merito opacam significat acclinationem, quia in Ecclesia constitutus virtus obumbrat altissimi. Hac vmbra Dauid protegi se postulabat, ne cum per diem sol vreret, vel luna per noctem. Hanc vmbra spiritualis ministrat gratia, torrida saeculi huius, & mundi aestiua fugientibus. Opaca igitur reclinatio Christi & Ecclesiae sunt, quibus Dei patris aeterna illa requies aspirat. In hac ergo requiescamus vmbra, peccatorum nostro-

rum aestibus fatigati. Si quos adussit libido, hos Domini crux refrigeret, in qua se reclinauit vt nostra delicta susciperet. Si quos culpa lassauerit, hos Iesus gremio suscipiat suo, & molli foueat amplexu. Vnde audeo dicere quod caro Christi acclinatio sit Ecclesiae. Trabes domorum nostrarum cedri. Cedri specie, maiorum qui iusti fuerunt, gloria declaratur. Iustus enim vt palma florebit, & sicut cedrus, quae in Libano est, multiplicabitur. Sicut enim cedrus non putrescit, ita nec maiorum gloria vlla vultate corrumpitur. Lacunaria nostra cupressi. Genus hoc arboris numquam amittit viriditatem suam, hyeme iuxta, vere atque aestate comā pascit, nec diuerso colore mutatur. Solā hanc arborem ventus suo numquam honore despoliat, sola numquam veteri exuitur amictu, aut nouo flore vestitur. Sic apostolica quoque gratia nescit defectum, sed venustate sui floret. Anima ergo corrumpi nescit, quae florentibus meritis vigens, semper iustitiae ceterarumque virtutum culmina patienti magnanimitate sustentat: & ideo non defuit neque deficit, quia nihil in carissimo est ac remissum, nihil mobile, nihil lubricum, nihil quod vitio sermonis ex ea possit effundi. Ideoque confirmari se petit in verbis suis Propheta, ne moueantur pedes eius, ne effundatur gressus eius. Quae, si quis recto vigeat corde, non patitur, sed radicans atque fundatus aduersus omnes passionum fluctus immobilis perseuerat. Confirmatus igitur in verbis ait.

Viam iniquitatis amoue à me, & lege tua miserere mei.

Non dixit, Amoue me à via iniquitatis: sed, *Viam iniquitatis amoue à me*: quasi in nobis sit, & nobis inesse videatur. Quamdiu enim exercemus aliquod improbum, via iniquitatis interior manet, & non recedit à nobis: ideoque studiosè agamus vt eam à nobis separemus. Sed quia haereditarium iniquitatis glutinum mentibus inhaesit humanis, opus est liberantis auxilio. Precare & tu, dicito: Infelix ego homo, quis amouebit à me iniquitatis viam? Gratia Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum. Et pulchre viam dixit iniquitatis, non iniquitatem, eo quod non quasi naturalis iniquitas sit in nobis, sed maiorum post peccata currentium sit attrita vestigiis. Meritoque, quia vulnus grande ac vetus est & diu serpens, perfectioris medicinae remedia deponit, obsecrans vt Domini legitima miseratione curetur. Cito enim refricatur vulnus quod sanatum medicinae lege non fuerit, immò etiam feriosem curatio sentit profectum. Ideoque si virus in interiora proserpit, medicamenta foris apposita non sentit. Exigit ergo medicinae ratio, vt aut sectione, aut aduisione curetur. Nisi enim putrefacta recidantur, aut humor inutilis decoquatur, frustra medicinae manus adhibentur ad vulnera. Ideoque bonus medicus huiusmodi aegrum legitime dicit esse curandum, vt possit medicina proficere. Lege ergo miseretur, qui cum iustitia sapientiaque miseretur, vt ea dimittat quae scit iure posse dimitti: ne cum alterius miseretur, seipsum legi faciat obnoxium. Agag postquam miseratione donatus est, fecit peccare Saul. Peccauit enim in ipsa misericordia, & ideo peccauit post

post misericordiam. Consideremus etiam ne & ipsum deteriore faciamus, cuius miseremur iniuste. Plerumque enim non coercere delinquentes, maioris austeritatis est, quam si vlciscaris. Traduntur enim in passionem ignominiae, qui cum aliquid inhonestum commiserint, nullum culpae pretium ferunt. Denique eos qui cognitorem Deum suorum scelorum non putabant, & quasi sine iudice & sine lege vivebant, tradidit illos, inquit, Deus in reprobum sensum, quia elegerunt viam iniquitatis, viam autem veritatis eligere noluerunt. Sed Propheta qui sincero conuerti voluit affectu, inquit:

Viam veritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus.

Non potest hoc dicere qui errat in vano dogmate. Non potest Arianus hoc dicere, non potest Sabellianus, non Manichaeus, non potest dicere auarus, qui saecularia & materialia concupiscit, non potest dicere qui negotiatur, non est enim via veritatis, habendi studium, cupiditas possidendi. Quomodo via veritatis, cum ille diues in saeculo nequeat secum suas transferre diuitias, & incipiat mendico illo Lazaro egentior esse post mortem? Non est via veritatis honor saeculi, sollicitudo mundi. Denique qui viam veritatis elegit, paulo post dicit: Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Vanitas temporalium est, veritas aeternorum. Si volumus igitur ambulare viam veritatis, peregrinemur saeculo magis quam Deo, & ambulemus per fidem. Qui enim per fidem ambulat, Deo praesens est: qui autem ambulat per speciem, adest saeculo, peregrinatur à Domino: sed hic cito confunditur. Vnde refugus ab huiusmodi viro dicit Dauid:

Adhaesi testimoniis tuis Domine, ne confundas me.

Adhaeret testimoniis Domini qui eius mandata non respuit, iudicia non obliuiscitur, nec voluptatibus indulget suis. Qui adhaeret Domini testimoniis, renuntiat mundo, superiora obliuiscitur, ad priora contendit, vt perueniat ad brauium, quod est insigne victoriae. Non ergo confunditur quem mundi huius illecebrosa non ceperint: non confunditur, etiam si erubescenda commiserit, qui veniam delictorum poscit à Christo. Ideoque respondetur ei: Dimissa sunt tibi peccata tua, vade in pace. Sed ita non confunditur, si fuerit in eo operata peccatorum remissio, vt non solum peccata, sed etiam peccandi affectum auferat. Iustitia remittat iniquitates, fortitudo timorem, temperantia impuritatem, vt non solum temporalis, sed etiam perpetua fiat remissio peccatorum. Intret in animam tuam Christus, inhabitet in tuis Iesus metibus, vt in tabernaculo virtutis peccato locus esse non possit.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataris cor meum.

Neque enim poterat viam currere, si cor eius coartaretur angustiis. Denique currentibus viam Domini ait Apostolus: Dilatamini & vos, & nolite iugum ducere cum infidelibus. Et de se ait: Os nostrum

patet ad vos, o Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Ideo & de Salomone dicitur: Latitudo cordis eius, sicut arena maris. Et vide distantiam: Via fit angustior, cor latius, vt patris, & filij, & spiritus sancti sustineat mansionem: ne veniat verbum Dei, & pulset, & videns cordis eius angustias dedignetur habitare. Denique sapientia in exitu canitur, in plateis autem cum fiducia agit. Plateae latae sunt. Non igitur in viis, sed in cordis latitudine sapientia decantatur. In hoc igitur campo interioris hominis, non in angustiis mentis currendum nobis est vt comprehendamus. Scriptum est enim: Sic currite, vt comprehendatis. Denique comprehendit qui ita cucurrit vt diceret: Cursum consummaui. Cucurrit enim vt bonus equus. Siquidem habet equos suos Christus, de quibus dicit Propheta: Immisisti in mare equos tuos, turbantes aquas multas, eo quod gentium populos, qui mouentur vt aquae multae, & excitantur vt fluctus aquarum multarum, euangelizando commouerint Apostoli, vt assurgentes à terrenis idolorum ceremoniis in Christum crederent. Et supra ait: Ascendisti in equos tuos, equitatus tuus sanitas. O bonorum equorum duodecimugum mirabile, quibus frana pacis, habentur sunt charitatis, constructi inter se concordiae vinculis, & iugo fidei subiecti, quatuor rotis Euangelij mysterium totius orbis finibus inuoluentis, bonum aurigam portantes Dei verbum, cuius flagello fugatae sunt illecebrae saeculares, exterminatus mundi istius princeps, iustorum cursus impletus est. O rationabiliu equorum grande certamen, o mirandum mysterium: rota intra rotam currebat, & non impediabatur. Nouum testamentum in veteri testamento erat, intra illud currebat per quod annuntiabatur. In quattuor partibus ibant rotae, & non conuertebantur retrorsum, quia spiritus vitae erat in iis qui currebant in quattuor partes totius mundi, & sine offensione currebant, quia bona equorum via quadrabat. Currebant igitur equi, quia non dormiebat qui ascenderat equos. Animarum igitur nostrarum auriga Iesus, qui nos quoque vult ascendere equos nostros, hoc est, nostra corpora, & vigilare semper, ne dicatur nobis: Dormitauerunt qui ascenderunt equos. Transcendum est hoc mare impigrè, vix transitur à vigilantibus. Si quis autem dormierit, transire non poterit, sed demergitur vt Aegyptius, cuius & anima & corpus interiit. Equum enim & ascensorem proiecit in mare, qui non sequebantur legem, sed persequebantur.

In octonarium quintum enarratio.

He.

Sequitur quinta littera He, quae Latine significat, est, vel vt alibi inuenimus, viuit. Conuenit sibi vtraque interpretatio. qui enim est, viuit: & qui viuit, est. Denique gentiles non sunt, & ideo non viuunt, sed mortui sunt. Iesus autem heri & hodie ipse est, & in saecula: & qui est, viuit. Viuo enim ego, dicit Dominus. Quomodo enim potest non esse qui viuit? Viuit autem Iesus, qui mortuos viuificat, & vocat quae non sunt, tamquam ea quae sunt. Nihil mirum si Domino cedit natura, vt viuificentur & mortui,

*3. Reg. 4. Ioan. 14.*  
*Apo. 3. Prouer. 1.*  
*1. Cor. 9. 2. Tim. 4.*  
*Habac. 3. Psal. 92.*  
*Habac. 3.*  
*Ezech. 1.*  
*Ioan. 14.*  
*Ezech. 10.*  
*Psal. 75.*  
*Idem.*  
*Exod. 15.*  
*Isaia 40.*  
*Heb. 13. Ezech. 33.*  
*Rem. 4.*

*1. Reg. 15.*  
*Prou. 1.*  
*Job 22. 1. m. 1.*  
*Cant. 1.*  
*Psal. 91.*  
*Cant. 1.*  
*1. m. 12. Luc. 16.*  
*Psal. 72.*  
*1. m. 18. inf. 1. Cor. 5. 1. Cor. 13.*  
*Rem. 7.*  
*Philip. 3.*  
*Luc. 7.*  
*1. Cor. 6. Ibidem.*

1. Tim. 4. Galat. 2.

Psal. 113.

Ioan. 11.

Deut. 5.

Numb. 20. Numb. 33.

Exod. 13.

Psal. 98.

Exod. 13.

Esai. 19.

Luc. 1. Esai. 19.

& incipiant esse qui non erant. Et ideo quia via etiam vita est, secundum illum qui ait: Ego sum via, veritas, & vita: viam quaeramus, ut vitam habere mereamur. Audiamus ergo illum qui vivit in Christo. Vivit autem qui ait: Sed nos qui vivimus, benedicimus te Domine. In Christo enim Iesu etiam quicumque mortuus fuerit, vivit. Audiamus, inquam, quid dixit ut viveret.

Legem mihi constitue, Domine, viam iustitiarum tuarum, & quaeram illam semper.

Miles qui ingreditur iter, viandi ordinem non ipse disponit sibi, nec pro suo arbitrio viam carpit, nec voluntaria captat compendia, ne recedat a signis, sed itinerarium ab imperatore accipit, & custodit illud, praescripto incedit ordine, cum armis suis ambulat, rectaque via conficit iter, ut inveniatur commeatu parata sibi subsidia. Si alio ambulaverit itinere, non nam non accipit, mansionem paratam non inveniunt, quia imperator iis iubet haec praeparari omnia qui sequitur, nec dextera nec sinistra a praescripto itinere declinat, meritoque non deficit qui imperatorem sequitur suum. Moderate enim ambulat, quia imperator non quod sibi vile, sed quod omnibus possibile, considerat: ideo & statuas ordinat, triduo ambulat exercitus, quarto requiescit die. Eliguntur civitates, in quibus triduum, quatrimum & plures interponantur dies. si aquis abundant, commerciis frequentantur: & ita sine labore conficitur iter, donec ad eam urbem perveniat, quae quasi regalis eligitur, in qua festis exercitibus requies ministratur. Hanc legem viandi esse praescriptam Christo ducente sanctis commeatibus recognoscas velim. Profecti sunt enim & patres nostri de terra Aegypti per longa spatia terrarum, quorum statuae omnes, mansionesque descriptae sunt, donec Cades, id est, ad sanctam terram perveniretur. Ista sunt statuae filiorum Israel, quas descripsit Moyses ex praeccepto Domini. Aduertimus ergo quis has ordinauerit mansiones, quomodo ambulare oporteret filios Israel. Praebat enim illos Deus per diem in columna nubis, ut refrigeraret viantibus: noctu autem in columna ignis, ut viam ostenderet ambulatibus, & tenebras dimoveret. Lex viarum columna erat & ignis & nubis. Denique in columna nubis loquebatur ad eos, ubi volebat exercitum requiescere labore itineris, non movebatur columna ignis, nec transibat nebula lucis. Quando autem volebat exercitum movere, prouehabatur & columna ignis in nocte, columna autem nubis in die. Illa autem columna nubis specie quidem praecedebat filios Israel, mysterio autem significabat Dominum Iesum in nube venturum leui, sicut dixit Esaias, hoc est in virgine Maria, quae nubes erat secundum hereditatem Euae, leuis erat secundum virginitatis integritatem. Leuis erat, quae non homini quaerebat placere, sed Domino. Leuis erat, quae non in iniquitate conceperat, sed spiritu superueniente generabat: nec in delicto, sed cum gratia parturiebat. Aliter quoque hanc interpretationem sumere licet. Venit in nube leui Christus in Aegyptum, hoc est, venit in susceptione corporis in hoc saeculo. In nube venit, quem nebula corporis obumbrabat. Sed leuis erat caro,

quam nulla sua gravabant delicta. Quomodo enim peccatis gravaretur suis, qui aufererat omnium peccata populorum? Ecce, inquit Ioannes, agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Ante hesternum lectum est, quia stabat Iesus, & habebat vestimenta sordida: mea enim peccata portabat. Superstit vestimenta nostra, ut nos splendore immortalitatis indueret. Venit in nube leui quasi iustitia: iniquitas enim in talento plumbeo sedet, Christus in corde iustorum, quos peccata non onerant. Et ideo bene lectum est hodie: Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Pro nobis verbum suscepit carnis infirmitatem, pro nobis esuriit, vapulavit, crucifixus est, mortuus est, ut nobis, in quibus ante vita ignobilis & degener habebatur, inciperet mors esse pretiosa. Sed revertamur ad confectionem itineris, & ordinem mansionum. Et tu sequere spiritualiter hanc legem viandi, ut ex eas ex Aegypto; & inde promouens fige tabernaculum in Socoth, haec prima tibi statio sit. Socoth prima mansio est, significans tabernaculum. Fige ergo tabernaculum quod in te est, mentisque tuae stationem confirma, ut radicans atque fundatus maneat in fide Christi. Sequitur mansio in Mara, hoc est, in amaritudine. Non omnes mansiones aequales sunt. Inde ventum est in Helim, ubi fontes duodecim sunt, & septuaginta arbores palmarum. Post amaritudinem, ne populus deficeret, debuerunt amena & fecunda succedere. Inde Raphidin, quod est laudatio iudicij, inde sequitur Sina, habens in se & populi tentationem, & legis promulgationem. Variantur merita mansionum, quia nulli iugis in hoc saeculo vivendi potest esse successus. Bonus igitur imperator alibi manna esurienti populo ministravit, alibi potum de petra fluere, quo sitim populi restingeret, angusta prouisione praecipit, alibi legem dedit, alibi triumphos donavit, ut his beneficiis foris exercitus nullum prolixi itineris sentiret laborem. Itaque in illo populo typus fuit, in nobis veritas. Nos igitur committamus iter nostrum ductui Domini Iesu, qui legem primo introduxit, & antea per Iesum terram repromissionis in possessionem populo suo dedit. Sed etiam quando Moyses videbatur ductor esse, aderat illi Iesus: aderat autem illi non palam, nec aperte ductorem aut principem populi sese gerens. Expectabat enim donec Moyses templum expleret suum, quo completo successit Iesus. Itaque si consideres scripturam dicentem: Erunt dies eorum anni centum viginti: videbis mysterium plenitudinis temporum ex centum viginti annis, post quos & Moyses in monte requieuit, & Iesus manifeste mansionum suscepit principatum, ut iam non sub legis timore sit populus, sed resuscitatus a mortuis fructu vitae fruatur aeternae. Ambulemus igitur secundum legis doctrinam: via nobis lex Dei sit. Hanc viam ambulans Ecclesia dicit: Ego flos campi, & lilium conuallium, sicut lilium in medio spinarum. In totam enim terram fides populi credentis exiuit, & in spatiose posuit pedes suos Christus. Et ideo pulchre ait flos in se esse campi. Flos erat etiam Paulus, qui dicebat: Bonus odor Christi sumus Deo. Et vere flos, qui poterat noua & vetera de sui cordis proferre thesauro. Pulchre etiam lilium dicitur Ecclesia.

Ioan. 11.

Zach. 3. 1. Petr. 2.

Zach. 5.

Psal. 115. 1. Petr. 3.

Exod. 12.

Coloss. 2. Exod. 15.

Exod. 17. Exod. 19.

Exod. 16. Exod. 17.

Exod. 19. Exod. 17.

1. Cor. 10.

Genes. 6.

Deut. 34.

Cantic. 2.

Psal. 30.

2. Cor. 2.

Matth. 13.

Ecclesia

Cantic. 2.

Cantic. 5. Esai. 63.

Cantic. 1. Cantic. 2.

Ibidem.

Ibidem.

Hebr. 12. Coloss. 2. Exod. 20.

Numb. 28.

Deut. 15. Leuit. 25.

Cantic. 2. Leuit. 25. Leuit. 23.

Ecclesia. Sicut enim lilium fulget, ita etiam splendent opera sanctorum. Pulcherrime etiam dictum est, Lilium conuallium, quia in humilibus magis elucet gratia. Sed hoc lilium in medio spinarum, hoc est, inter Iudaeos & haereticos, hoc est, inter sollicitudines huius saeculi, quae mentem hominis animamque compungunt. Possumus etiam aliter accipere, quia sicut lilium inter spinas eminet, ita super omnes conuentus Ecclesiae Dei resulget. Refert etiam considerare quod hoc lilium splendore circumfusum sit, intus autem quod habet, rubeum sit, boni & ipsi odoris, eo quod caro Christi velut morali diuinitatis claritudine circumseptus, caelestis habuerit protectionem gratiae. Denique in posterioribus ait: Fraternalis meus candidus & rubeus. Candidus claritate diuina, rubeus specie coloris humani, quem sacramento incarnationis assumpsit. Meritoque & ipsum quod est rubeum, bene olet, quia caro Christi sine peccato est, quam perfidi contrectantes, manus suas inquinauerunt, sancti venerantes, pietatis odore fragrantur. Accepit hunc odorem Dominus Iesus fragrantis Ecclesiae suae, & ait: Ecce proxima mea bona. Et Ecclesia dicit ad Christum: Ecce bonus fraternalis meus, ecce es bonus tamquam malum in lignis siluarum. Huiusmodi pomum odorem gratum habet, ut caeterorum pomorum fragrantiam vincat. Christus ergo affixus ad lignum sicut malum pendens in arbore, bonum odorem mundanae fundebat redemptiois, quae peccati graue deterfit scelerem, & vnguetum potus vitalis effudit. Tamquam malum, inquit, in lignis siluarum, ita consobrinus meus in medio filiorum; eo quod super prophetas & Apostolos intima corda hominum verborum suauitate mulcebat. Sed non solum odor, verum etiam cibus suauis in malo est. Ergo cibus suauis est Christus. In vmbra, inquit, eius concupiui & sedi. Legem enim acceperat, hanc sequebatur, hanc eurrebat viam. In lege itaque requiescens, in vmbra Christi requiescebat. Bona vmbra, quae nos ab iniquitatis sole defendit. Cui autem dubium quod lex vmbra sit Christi? Quid est lex diei festi, neomeniae, sabbatorum, nisi vmbra futurorum? Qui dies secundum legem Moyse, ut videamus sex dies, & iterum septimum diem, & sic perpetua saecula? Qui mensis secundum legem Moyse, ut sciens mensem, sciam primam mensis neomeniam, & vera sancta in neomeniis offerenda? Qui secundum legem Moyse annus, sex illis diebus constat, de quibus ait: Sex annis seruiet Hebraeus, & septimo anno liberabitur: ut inueniantur sex anni quibus aliquis operatur terram, septimo autem anno remittit illam profelytis, & pauperibus, & bestiis terrae? Qui septimus annus quo conceduntur debita omnia Hebraeis? In hac vmbra requiescebat patrum fides, prophetarum sancta deuotio. Dicit ergo congregatio religiosa, vel sancta anima: In vmbra eius concupiui & sedi. Vmbra eius est iubilaeus annus. Quis enim eius mystica videt, ut facie ad faciem cognoscat, quae anno quinquagesimo complenda lege praescripta sunt? Vmbra sunt dies festi secundum legem primo mense, decima die mensis usque ad quartamdecimam, & inde usque ad vigesimam primam mensis. Quae vmbra est celebritas illa inter primum & septimum mensum,

in tempore illo anonymo: Vmbra est, sanctificata libertas in sabbato. Vmbra est dies festus septimi mensis, dies decimus, dies expiationis. Vides quia monas & decas duo festi dies. Item quintusdecimus dies, dies tabernaculorum per octo dies. In vmbra haec omnia. In vmbra prima dies vocata, & octaua dies vocata in vmbra, quae in scenopegiis praescripta secundum legem. Constitue mihi aliquos ex circumcisione credentes, in lege doctos, obseruantiae sollicitos viros, & nunc Euangelij agnitione illuminatos, spiritali saginatos gratia. Dicit in his Ecclesia quae videt Christum, quae sponsum recipit, quae cibo eius pascitur: In vmbra eius concupiui & sedi, & fructus eius dulcis in faucibus meis. Qui fructus eius dulcis, nisi praedicatio Dominicae passionis, ut ipse ait: Ecce haereditas Domini, filij, merces fructus ventris? Qui enim dulcior fructus potest esse in faucibus nostris, quam remissio peccatorum? Et bene flos est Ecclesia, quae fructum annuntiat, hoc est, Dominum Iesum Christum, de quo dictum est Maria: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Ergo ubi gustauit fructum suauitatis, impatiens ad perfectiora festinat, dicens: Introducite me in domum vini, constituite in me dilectionem, confirmate me in vnguentis, stipate me in malis, quia vulnerata charitatis ego sum. Læua eius sub capite meo, & dextera eius complectetur me. Adiuravi vos filiae Hierusalem in virtutibus & fortitudinibus agri, si suscitaueritis & excitaueritis dilectionem vsquequo voluerit. Merito querit eum, merito desiderat, quia bene omnia in hoc cursu atque itinere disposuit imperator noster. Primum omnium fidei fundamentum tabernaculum hoc confirmandum putauit. Deinde si qua est nobis aspera atque arida & praerupta mansio, imperator aspera iste turbata discernit, arida irrigat, deserta fecundat. Si quid amaritudinis, si quid tentationis, si quid infirmitatis est, ductor noster & amara temperat, & sollicita mitigat, dura dissoluit, & inualida confirmat. Sicut ubi vult requiescere rex terrae exercitum suum, non ignobile vicum, non commeatibus indigentem, non arenosa & nuda gignentium, sed urbem aedificiis nobilem, refectam & vberem copiarum, aut agrum amœnum & virentem pascuis, aut nemorosa & campestris statuis oportuna decernit. Ergo si reges terrae norunt commoda prouidere sequentibus se, quanto magis Deus qui bonus est, nouit quemadmodum profutura disponat diligentibus se? Ac primum si incognitum carpendum est iter, duces eliguntur viarum, qui praercurrant agmini. Sed hoc imperatores isti iniuriosum sibi arbitrantur: Deus autem praebat cum Hebraei facerent iter. Denique in columna nubis loquebatur ad eos. Et ut scias quia praebat: Deus, inquit, praebat illos: interdum quidem in columna nubis ostendens illis viam, noctu autem in columna ignis: & non deficiebat columna nubis interdum. Hanc praecedentem nobis columnam sequens Ecclesia, non deficientem, ne ipsa deficeret, vmbra eius refrigerabatur, & ideo dicit: In vmbra eius concupiui, & sedi, & dulcis eius fructus in faucibus meis quia a Domino pascebatur, & deducta in locum

Ibidem.

Ibidem.

Cantic. 2.

Psal. 126.

Luc. 11.

Cantic. 2.

Luc. 11.

Exod. 13. Psal. 98.

Exod. 13.

Cantic. 2. Psal. 22.



*Cantic. 2.* pascuum, & aquam refectio-  
*Ibidem.* nis. Introducite me in  
*Ibidem.* domum vini. Iis copiis preparatis  
*Ibidem.* querit progredi ad aliam mansio-  
*Ibidem.* nem, in qua mysteriorum gratiam,  
*Ibidem.* & latitiae capiat suauitatem. Hinc  
*Ibidem.* quoque promouens verum iter, ait:  
*Ibidem.* Constituite in me dilectionem.  
*Ibidem.* Bona statiu, ubi plenitudo est  
*Ibidem.* charitatis. Confirmate me, inquit,  
*Ibidem.* in vnguentis, stipate me in malis.  
*Ibidem.* Habes alias mansiones, ad quas  
*Ibidem.* Ecclesia cum delectatione succedit.  
*Ibidem.* Ista mansiones sunt crucis  
*Ibidem.* Christi & sepulturae, in quibus  
*Ibidem.* vulnerata est Ecclesia, sed vulnere  
*Ibidem.* charitatis. Vulnus enim est quod  
*Ibidem.* Christus excepit, sed vnguentum est  
*Ibidem.* quod effudit. Pomum est quod  
*Ibidem.* pependit. Hoc pomum gustauit  
*Ibidem.* Ecclesia, & ait: Et fructus eius  
*Ibidem.* dulcis in faucibus meis. Et ut  
*Ibidem.* scias quia pomum est Dominus,  
*Ibidem.* legisti supra: Tamquam malum  
*Ibidem.* in lignis siluae, ita consobrinus  
*Ibidem.* meus. Nos quoque vulnus fa-  
*Ibidem.* temur cum praedicamus Christum  
*Ibidem.* crucifixum: sed bonus odor sumus  
*Ibidem.* Deo, quia crux Christi Iudaeis  
*Ibidem.* scandalum, Graecis stultitia, nobis  
*Ibidem.* autem virtus Dei atque sapientia  
*Ibidem.* est. Hoc vulnere Ecclesia vulneratur,  
*Ibidem.* cum Saluatoris sui praedicat  
*Ibidem.* mortem, sed hoc vulnus est  
*Ibidem.* charitatis. Denique qui non credit,  
*Ibidem.* negat: qui diligit, confitetur. Manichaeus  
*Ibidem.* negat, Christianus fatetur, & ideo  
*Ibidem.* scriptum est: Vtiliora vulnera  
*Ibidem.* amici, quam voluntaria oscula  
*Ibidem.* inimici. Pulchrè ergo dicit  
*Ibidem.* Ecclesia: Quia vulnerata charitate  
*Ibidem.* ego sum. Nudemus membra  
*Ibidem.* nostra bono vulneri, nudemus  
*Ibidem.* sagittae electae. Sagitta haec,  
*Ibidem.* Christus est, qui dicit: Posuit  
*Ibidem.* me sicut sagittam electam. Bonum  
*Ibidem.* est ergo hac vulnerari sagitta.  
*Ibidem.* Non mediocri mansio-  
*Ibidem.* nis iste processus: non omnes  
*Ibidem.* possunt dicere quia vulnerati  
*Ibidem.* sunt dilectione. Dicebant  
*Ibidem.* Apostoli cum pro Christo  
*Ibidem.* lapidarentur, & Christum  
*Ibidem.* praedicarent. Dicebat Paulus  
*Ibidem.* cum ter virgis caederetur,  
*Ibidem.* & die ac nocte Christum  
*Ibidem.* adorandum gentibus  
*Ibidem.* disputaret. Dicunt hoc  
*Ibidem.* martyres, qui vulnerantur  
*Ibidem.* pro Christo: & quia  
*Ibidem.* vulnerari pro eius meruerunt  
*Ibidem.* nomine, plus diligunt. Ad  
*Ibidem.* hanc ergo veniens mansio-  
*Ibidem.* nem Ecclesia, ad hunc  
*Ibidem.* processum, ut pro Christo  
*Ibidem.* filios suos offerat, ut excipiat  
*Ibidem.* vulnera charitatis, quasi  
*Ibidem.* bona fidei alimenta reperiens,  
*Ibidem.* pietatisque fructus, gustauit  
*Ibidem.* ipsa, & hortari cepit  
*Ibidem.* ceteros, dicens: Gustate,  
*Ibidem.* & videte quoniam  
*Ibidem.* suavis est Dominus sicut  
*Ibidem.* malum. Et in malo vulnus  
*Ibidem.* est, sed tamen suauis est.  
*Ibidem.* Venit iterum ad vallem  
*Ibidem.* Botryonis, vidit ingentis  
*Ibidem.* vuae magnitudinis, quam  
*Ibidem.* dno portare vix poterant,  
*Ibidem.* vnus qui praecederet,  
*Ibidem.* alius qui sequeretur. Gustauit  
*Ibidem.* mysterium in Iesu Naue,  
*Ibidem.* gustauit in Caleb, qui  
*Ibidem.* dicebant populo: Vidimus  
*Ibidem.* terram profluentem mel &  
*Ibidem.* lac. Gustate, & videte  
*Ibidem.* quoniam suavis est Dominus.  
*Ibidem.* Et addidit Ecclesia dicere:  
*Ibidem.* Læua eius sub capite meo,  
*Ibidem.* & dextera eius complectetur  
*Ibidem.* me. Adiuuauit vos filiae  
*Ibidem.* Hierusalem in virtutibus  
*Ibidem.* & fortitudinibus agri, si  
*Ibidem.* suscitaueritis & excitaueritis  
*Ibidem.* charitatem vsquequo voluerit.  
*Ibidem.* Et istae mansiones sunt  
*Ibidem.* via regali incedentis  
*Ibidem.* Ecclesiae. Multae enim  
*Ibidem.* sunt mansiones apud  
*Ibidem.* patrem meum: testificatur  
*Ibidem.* Dominus Iesus. &: Ecce  
*Ibidem.* venio, & accerso vos. Bona  
*Ibidem.* mansio sapientiae, & siue  
*Ibidem.* in læua eius, siue in dextera,  
*Ibidem.* bona mansio, quia via  
*Ibidem.* regalis est. Ideoque sapientes  
*Ibidem.* nuntij dicunt: Via regali  
*Ibidem.* ibimus, non di-

uertemus in dextera neque  
 in sinistra, quoad usque  
 transeamus terminos tuos.  
 Hoc dixerunt missi à  
 Moysè nuntij ad regè  
 Edom, hoc est, terreni:  
 quia terrena omnia, siue  
 in dextera siue in sinistra,  
 mala sunt. Mala mansio  
 insipientia, mala mansio  
 intemperantia, & ideo  
 pertransit has mansiones  
 Hebraeus, non diuertit  
 ad eas, sed pertransit  
 ut perueniat ad sinistram  
 sapientiae & dexteram,  
 & in ipsis maneat,  
 ubi diuinitas simplicitatis,  
 ubi gloria. Longitudo  
 enim vitae in dextera  
 eius, ut ait Salomon: in  
 sinistra autem eius diuinitas  
 & gloria. In dextera  
 vita est, in sinistra  
 requies. Vtinam super  
 sinistram eius requiescam,  
 ne quaram ceruicalia.  
 Vae enim iis qui alluunt  
 ceruicalia, Ezechiel dicit.  
 Has mansiones praeparat  
 Ecclesiae suae bonus ductor,  
 & per vias sapientiae  
 dirigit iter eius. Denique  
 laudat sapiens vias eius.  
 Via eius viae bonae, &  
 omnes semitae eius in  
 pace. Sed quia sapientia,  
 honestas, claritas, ita  
 perfecta sunt, si habeant  
 charitatem (plenitudo enim  
 legis charitas est) suscitari  
 & excitari vult charitatem.  
 Suscitari in veteri  
 testamento, excitari in  
 nouo. Charitas Deus est,  
 ut legimus, charitas  
 Christus est. Suscitatur  
 ut leo, & catulus leonis,  
 ut Iudaea ascendat  
 ex germine. Resuscitatur  
 ut dormiens, ut recumbens:  
 quia non humana, sed  
 sua & patris maiestate  
 est suscitatus à mortuis.  
 Vnde ait scriptura: Quis  
 suscitabit illum? Non enim  
 poterat illum aut angelus,  
 aut potestas suscitare  
 aliena, cum ipse alios  
 resuscitaret. Ergo cum  
 hic dicit: Si suscitaueritis  
 aut excitaueritis charitatem  
 vsquequo voluerit: de  
 iis dicit qui resurrectionem  
 eius possunt congruè  
 praedicare, ut audientibus  
 ardorem fidei & deuotionis  
 accendant. Vel suscitatur  
 Christus in iis qui primum  
 accedunt, excitatur in  
 iis qui postquam accesserint,  
 dormierunt. Dormit ergo  
 Christus negligentibus,  
 suscitatur in sanctis.  
 Habet ergo Ecclesia per  
 quam gradiatur, habet  
 tabernacula mansionum,  
 in quibus requiescunt  
 sancti, de quibus iste est  
 qui dicit: Legem mihi  
 constitue Domine viam  
 iustitiarum tuarum. Bene  
 ait: Constitue, ut in  
 pectore eius immobilis  
 & fixa permaneat, nec  
 aliquo saeculi turbine  
 ab eius conuellatur  
 affectu, ut ipse lex sit  
 sibi, opus habens legis  
 scriptum in corde suo.  
 Et quæram (inquit) illam  
 semper. Non est enim  
 mediocre quoddam  
 requiritur paradisi gratia,  
 Dei regnum, angelorum  
 consortium, immortalitatisque  
 domicilium. Non ergo  
 vno die quaeritur, nec  
 duobus, aut paucis mensibus,  
 sed quaeritur semper,  
 & quaeritur per omnia:  
 ut meritorum multa  
 concurrant suffragia. *Αγωνιστής*  
 enim & omne tempus  
 significat, & per omnia.  
 Cum dicit igitur: *Quæram  
 semper*, sine fine dicit  
 esse quaerendum. Sed  
 non satis est quaerere,  
 nisi intelligas etiam quod  
 requiris. Ideoque ait:

Da mihi intellectum, & perscrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.

Quaerendum primum, deinde intelligendum perscrutandumque legis omne mysterium, & in corde custodiendum. Quis autem potest custodire legem Dei, nisi intellectum acceperit? Qui autem

autem intelligit & scrutatur, scrutando in semitam  
 mandatorum deducitur. In quo illud aduertendum,  
 quia lex est iustitia, mandatum iudicium, sicut  
 & in hac littera legimus. Est legis via: State in viis  
 legis. Est via iustitiarum, secundum primum versiculum.  
 Est & testimoniorum via: In via testimoniorum tuorum  
 delectabar. Est & via mandatorum: Viam mandatorum  
 tuorum cucurri. Interrogemus ergo has vias, ut dicatur  
 nobis: State in viis legis, & interrogate semitas  
 aeternas, & videte quae via melior, & ambulata  
 in ea. Quum omnes igitur ambulauerimus vias, veniemus  
 in omnium finem viarum, qui ait: Ego sum via.  
 Christus ergo finis viarum, ipse enim est finis legis  
 ad iustitiam omni credenti. Hinc audeo dicere, quia  
 finis iustitiarum Christus, qui est iustitia: finis  
 testimoniorum Christus, de quo dictum est: Estote  
 mihi testes, & ego testis, dicit Dominus, & puer  
 meus quem elegi. Aduertimus igitur quantum nobis  
 ambulandum sit ut veniamus ad Christum. Ambulandum  
 in lege, quia finis legis Christus est. Sine lege ergo  
 non peruenitur ad Christum. Vnde manifestum est  
 quod haeretici qui legem veteris non accipiunt  
 testamenti, etsi dicant quod Christum teneant,  
 tamen non possunt tenere finem qui initium non  
 tenuerunt. Ipse Iesus est initium & finis. Oportet  
 igitur ut ambulemus secundum legem spiritalem, ut  
 veniamus ad legis finem Dominum Iesum. Oportet  
 ut sequamur testimonia, ut peruenire possimus ad  
 magni testimonij Dominum Iesum. Oportet etiam ut  
 in praecipis Domini ambulemus, ut perueniamus ad  
 magnum praecipuum, de quo legisti: Dicitum est  
 antiquis, Non occides: ego autem dico vobis: hoc  
 est, super omne praecipuum dico. Itaque non usurpatoriè  
 dixerim, sed verè, quia sicut sunt sancta sanctorum,  
 ita praecipuum est praecipuum. Sed ut ista seruari  
 possimus, intellectum petamus à Domino. Intelligamus  
 quid sit circumcisio. Circumcidit Iesus petrinis  
 gladiis, & abstulit opprobrium Aegypti à filiis  
 Israel: Petra Christus est. Circumcidat te verbum  
 Dei, & gladius oris eius, & sic Aegypti carebit  
 opprobrio. Non igitur corporis, sed cordis  
 intelligenda est circumcisio. Si intellexeris legem,  
 seruabis eam in corde tuo. Iudaeus in corde legem  
 non seruat, sed in labiis legem recitat, & legem  
 ignorat. Denique populus hic, inquit, labiis me  
 honorat: cor autem eorum longè est à me. Quomodo  
 potest legem tenere, qui longè est à legis auctore?  
 Tertius versiculus quid habeat, consideremus.

Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quoniam  
 volui eam. Quis hoc dicit, nisi qui sequitur  
 Christum? Non potest alius hoc dicere, nisi qui  
 illud exequitur quod scriptum est: Post Dominum  
 Deum tuum ambulabis, & ipsi adhaerebis, quia  
 ipse te deducit. Quomodo deducat, audi: Nisi  
 quis tulerit crucem suam, & post me sequutus  
 fuerit, non est me dignus. Praecedit ergo  
 Christus, ut nos sequamur, praecedit verbum.  
 Principium Christus est, ideo sapientia dicit:  
 Dominus creauit me principium viarum suarum.  
 Aduertimus quod & principium Christus, &  
 finis viarum sit. Nò vereor ne quis dicat: Creatum  
 ergo Christum asseris? Respondebo: Ita creatum  
 dico, S. Ambr. tom. 2.

quemadmodum factum legi, hoc est, factum ex  
 muliere, factum sub lege: hoc est: secundum  
 susceptionem carnis creatum, secundum quod  
 est natus ex Virgine. Creatus est, ut redimeret  
 creaturas: homo factus est, ut homines à  
 morte perpetua liberaret. Creatus est ut  
 vias mihi demonstraret aeternas, quibus  
 homo redire possit ad Dei regnum. Ergo  
 quia principium est viarum Dei, hoc  
 principium sequamur. Primus viam noui  
 ingressus est testamenti, ut viam deuotionis  
 sterneret nobis. Si ieiunamus, ante nos  
 ille ieiunauit: si pro nomine eius sustinemus  
 iniurias, prius ille sustinuit pro nostra  
 redemptione. Cervices suas posuit in  
 flagella, maxillas suas in palmas: ascendit  
 crucem, ut doceret mortem non esse  
 metuendam. Denique quasi praecedens  
 ait Petro: Tu me sequere. Et ideo Petrus  
 cursum consummauit, quia secutus est  
 Christum. Sequitur versus quartus.

Inclina cor meum in testimonia tua, & nò  
 in auaritiam. Vtilitatem alij habent: & puto  
 quod ideo mutatum sit, quia vtilitas bonae  
 rei videtur esse expectanda potius quam  
 declinanda. Sed quia plerique lucrum  
 pecuniarum vtilitatem suam putant esse,  
 ideo i legimus vtilitatem, non animae  
 vtilitatem accipere debemus Prophetam  
 declinare, sed vtilitatem pecuniae. Sanctus  
 enim lucra ista nò nouit, sed omnia haec  
 detrimentum arbitrat, ut Christum lucretur,  
 & redè. Quod enim putamus lucrum esse  
 pecuniae, damnum est animae, quia virtutis  
 est detrimentum. Ergo secundum eos qui  
 ita acceperunt, ut optet Prophetam  
 inclinare cor suum in testimonia, & non  
 in auaritiam, & nos congruimus assensu  
 atque vtinam precem sancti sequentes &  
 oremus quod ille orauit, & quod oramus  
 imitemur effectu. Quid enim mihi prodest  
 si orem ut auertat cor meum Deus ab  
 auaritia, & ipse diebus ac noctibus  
 pecuniae quarà compendia? Si oramus  
 sermone, compatiatur & mente. Audit  
 sensum nostrum Iesus, & cognoscens  
 duobus istis non conuenire, sermone, &  
 cupiditati, non exaudit loquentem. Et  
 ideo qui bene volebat orare, dicebat:  
 Orabo spiritu, orabo & mente: psallam  
 spiritu, psallam & mente. Ita magis  
 audit orantem, si aspernetur auaritia.  
 Sed quia inualidi sumus, & plerumque  
 volentes auertere cor nostrum à pecunia  
 vel auro, vel argento, capimur aspectu,  
 & agrum aut aedificium videntes  
 alienum concupiscimus, bene addidit  
 Propheta, dicens: Auerte oculos meos  
 ne videant vanitatem: in via tua  
 viuifica me. Etenim qui in via est  
 Dei, vanitates non aspicit. Via perfecta  
 Christus est. Qui igitur in Christo est,  
 quomodo potest vanitates aspiciere, cum  
 Christus in carne sua omnes mundi  
 huius crucifixerit vanitates? Auertamus  
 igitur oculos nostros à vanitatibus,  
 ne quod oculus viderit, animus concupiscat.  
 Mystica enim differamus interim. Vtinam  
 hac interpretatione possimus reuocare ad  
 diuersa Circensium ludorum atque  
 theatralium spectacula festinantes.  
 Vanitas est illa quam cernis. Pantomimam  
 aspicias, vanitas est, quia cernis eos  
 de vili luctantes corona. Illi enim veri  
 sunt luctatores, C 6

qui aduentus huius seculi luceantur illecebras. Nō capiat oculos tuos palestra membrorum. Equos currentes aspicias, vanitas est: quia vanē currunt, qui ascendentes saluare non possunt. Denique recursus ipse te doceat, quia vanē currunt, qui nō directū faciunt iter, obliuiscetes superiora, & ea quae anteriora sunt appetentes. Ante nos est Christus, ante nos brauiū eius, ad quod peruenit qui non in incertū currit, nec reuocauit cursum suum, sed incitauit. Ad hunc dirige oculos tuos, auerte ab spectaculis, auerte ab omni saeculari pōpa. Sicubi populares cognoueris plautus, auerte oculos tuos ab his, inflece, deprime, & serua eos, vt erigas melioribus. Erige ad caelum, vel nocte stellarum monilia, orbem lunae decorum, vel die solem aspice. Specta mare, terram circumpice, vt opere facta diuino omnis creatura te pascat. Quae formarum gratia in ipsis bestijs? Quanta decor in hominibus? Quanta in aurbus pulchritudo? Hae intueri, & non videbis iniquitatem & contradictionem in ciuitate. Hae vide, & non introibit mors per fenestras oculorū tuorum. Si videris mulierem ad concupiscendum cā, intravit mors per fenestram. Si videris possessionē minoris aut viduar, & concupieris diripere eam, intravit mors per fenestram. Si videris aliena monilia, aurum, argentum, & concupieris vt extorqueas, intravit mors per fenestram. Claude ergo hanc fenestram, cum videris alienae mulieris pulchritudine, ne mors possit intrare. Oculi tui ne videant alienā, nec lingua peruersum loquatur. Tuā ergo fenestram claude, ne morti pateat intranti. Sed etiā alienam fenestram caue. A fenestra enim domus suae intrat fornicaria. A fenestra sua intrat, cum aliquem petulantis oculi tentat lasciuia. Occlude igitur hanc fenestram verbi ostio, ne capiaris oculis meretricis, & abripiaris palpebris eius. Sed non est vna fenestra per quam mors cōsuevit intrare. Est & fenestra verborum, per quam sermones commeant meretricis. Et ideo te ab aliena vxore custodi, ne te sermonibus gratiosis adoriatur, a fenestra enim domus suae intrat. Intrat mors per oscula, & ideo caue, ne te laqueis labiorū suorū malliget. Intrat mors si meretrix te osculetur. Intrat mors si cito acquiescas loquēti. Intrat mors si multum loquaris. Multiloquio enim peccatum incurritur. Intrat mors etiam si non loquaris, & Christum timeas confiteri. Ore enim confessio fit ad salutem. Intrat mors etiam per caernas aurium: & ideo aures sunt spinis sepiendae, vt illecebras meretricij sermonis excludas. Hae moralia. Sunt etiam mystici oculi: quos auertere debeas a vanitate. Est enim & sensuum vanitas, quam oculi animae tuae videre non debeant, quia illi eam vident, quos Apostolus damnat. Vnde ipso magis auctore discamus quae vanitas, & qui oculi sint. Manifestum est enim esse plerosque qui vanitate sensus sui obsecrati sunt corde, & alienati a via Dei propter ignorantiam quae in ipsis est, propter caecitatem cordis eorum: illos tamen gentes Apostolus dicit. Ignoret igitur gētilis ille quod non didicit, ignoret quod non credit, tibi ignorare non licet quod confiteris. Christus non in vanitate venit, sed in virtute; non in antiquitate, sed in nouitate: non inflauit sensum hominis, sed viuificauit: non caecitatem cordis,

sed illuminationem mentis operatus est. Inflauit enim cor tuum, vt comprehenderes quae mandatorum caelestium ratio, quae animae substantia, quae vitae futurae gratia, in quo statu post haec erimus. Erige igitur mentem, vt ere naturali ingenio. Ad imaginem Dei factus es, vt superna aspicias, & terra non queras. Noli curuare cervicem tuam mundi premendam pondere, noli inhiare auro atque argento, ne te saeculi vinculis alligandū prebeas. Ideo dixit Dominus: Nolite possidere aurum atque argentum, ne nos auri atque argenti cupiditas auara possideat. Noli ergo in scire collū tuum diaboli laqueis. Strangulat auaritia pauperem in hoc saeculo, sed in perpetuum diues suis laqueis suffocatur: cuius sensus in vanitate est, in tenebris ambulat, qui in iis laborat quae sibi prodesse nō possunt. Vanitas est sollicitudo vitae huius. Vnde non in crapula & ebrietate, non in deliciis corporis, sed in cognitione praceptorum caelestium delectationem nostram debemus ponere. In vanitate currit, qui sibi successibus videtur affluere saecularibus, qui tamquam umbra praetereunt. Auerte igitur oculos tuos, ne vanitatem videant. Sed non satis est vt tu auertas, ne forte velis & non possis, si offundat tibi diabolus vanitatum spectacula, in centiuia inferat volupratum, pene vt Dominus auertat oculos tuos. Et haec gratia Dei, & hoc munus est Domini, vt oculos animae nostrae a negotijs mundi huius auertat. Beatitudo enim omnis a Domino est. Beatus autem vir, cui nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas. Qui non respicit haec, beatus est: qui autem respicit, insanus atque furiosus est: & ideo respiceat vnusquisque a furore saecularium cupiditatum, quae ita mentē animūque perturbant, vt cōpositū esse non possit. Si in nauigio fluctuante sis cōstitutus, auertis a sentina oculos, ne vomitū moneat tibi. Si in ciuitate ambulans aliquid fecerit odoris offendas, longē refugis atq; declinas. Si quid occurrat quod horreat oculus tuus, clauditur aut auertitur. In saeculo huius fluctuas, influit sentina vitiorū. In hoc nauigio tui corporis mouetur aestus cupiditatum, & non auertis oculos animae tuae ne videat sentinam libidinum, ne aspiciant mundi huius stercorea, ne fœtor immundus nares repleat tuae mentis, in quibus Spiritus sanctus esse consuevit, vt possis dicere: Spiritus diuinus qui est in naribus meis? Nares igitur animae tuae a fœtore auertantur criminū diuersorū. Est enim in his velut quoddā insigne iudicij. Vnde dicitur sponsae: Nares tuae sicut turris Libani, prospiciens facie Damasci, eo quod vnguentum veri sacerdotis, quod descendit de capite in barbā, hoc est, odor ille diuinus, odor gratiae spiritalis, qui de patre in Christo erat, & sacramento incarnationis descendit in terras, vt omnia suis repleantur vnguento, emineat praecelsi potestate iudicij, & nares repleat animae, vt benevolentia discernat, & fecunda: olentia sanctorum (qui possunt dicere: Christi enim bonus odor sumus Deo) a fecundis peccatorū. Haec sunt nares sicut turris Libani praecelsae supra mundam, & ideo prospicit faciem Damasci, gentilem scilicet populum, odorans fidem eius, cuius gratia delictorum suorum derergit fœtorem. Facies igitur Damasci, fides est gentium nullo obumbrata amictu,

amicū, nullo adoperta vestitu, nuda ac libera, caelo magis intenta quam terris. Hanc speculantur & prospiciunt nares Ecclesiae, quod suaue in ea & odoratum est aspirationis & gratiae colligentes. Et bene nares eius sicut turris Libani, quia in sacrificijs odor suaui Ecclesiae est, in quibus est boni odoris hostia, remissio peccatorum. Sume igitur has nares, o homo, vt a graecolentibus florulenta fecernas, & tunc viuificabit te Dominus. Cū enim aduerterit quod de ipso petis, vt auertat oculos mēris tuae a vanitate, cooperatur animae tuae, vt si specie aliqua capitur, aut duritia aut infirmitate nō fleat, fleat eā iugo verbi, & habentis suis regat, vt voluntate Dei abducatur a vitijs, & vitae odorē capiat aeternae. Nō enim haec vita perfecta est, sed est vita in umbra. Ideo vt homo Christus Iesus ex Virgine nasceretur, obumbravit virtus altissimi matrem futuram, quia in umbra descendit, ab umbra incipiens operari salutem hominis, & consummaturus claritate solis aeterni. Umbra est ergo vita haec: festina ad solem, vt te defendat ab umbrae huius frigore, & calorem tibi profundat aeternum. Et ideo suadet orandū ne fiat fuga nostra hyeme vel sabbato, non tempus diemq; significans, sed frigere nos meritis prohibens, & bonorum operum esse ieiunios. Disce nunc quemadmodum auertat oculos eius cui misereatur Dominus, a vanitate. Ex his enim quae sequuntur, hoc intelligere possumus. Subiecit enim:

Statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo.

Initium esse sapientiae timorem Domini dicit Propheta. Quid est autem initium sapientiae, nisi saeculo renuntiare? Quia sapere saecularia, stultitia est. Denique sapientia huius mundi, stultitiam esse apud Deū, Apostolus dicit. Sed & ipse timor Domini nisi secundū scientiam sit, nihil prodest, immo obest plurimum. Si quidem Iudaei habent zelum Dei, sed quia non habent secundum scientiam, in ipso zelo & timore maiorem contrahunt diuinitatis offensam. Quod circūcidunt infantulos suos, quod sabbata custodiunt, timorem Dei habent: sed quia nesciunt legem spiritalem esse, circumcidunt corpus, nō cor suum. Ignem sabbato adolere formidant, cum lex sanctificationis die libidinum ignē prohibeat accendi. Et quid de Iudaeis dico? Sunt etiam in nobis qui habent timorem Dei, sed non secundum scientiam, statuantes duriora praeccepta, quae non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur sibi consulere disciplinae, opus virtutis exigere: sed inficitia in eo est, quia non compatiuntur naturae, non aestimant possibilitatem. Non sit ergo irrationabilis timor. Etenim vera sapientia a timore Dei incipit, nec est sapientia spiritalis sine timore Dei: ita timor sine sapientia esse non debet. Basis quaedam verbi est timor sanctus. Sicut enim simulacrum aliquod in basi statuitur, & tunc maiorem habet gratiam cum in basi statua fuerit collocata, standique accipit firmitatem: ita verbum Dei in timore sancto melius statuitur, fortius radicatur in peccatore timentis Dominum, ne labatur verbum de corde viri, ne veniant volucres, & auferat illud de incuriosi & dissimulantis affectu. Sed etiam verbo Dei timor

ipse aptari ad vtilitatem & constabili videtur, vt non sit alienus scientiae, sicut basis accepta statua nō est aliena gratiae. Timor ergo verbi est locus, sicut in pace locus eius. Timor quadam statio verbi, verbū timoris est disciplina. Plenus enim disciplina timor non nutat ad lapsum. Et quia basim verbi timorem diximus: ne quid alienum a scripturis posuisse nos quisquam putet, accipiat lectum de Dei verbo in Canticis canticorum: Crura eius columnae marmoreae fundatae super bases aureas, significans columnas esse Ecclesiae Apostolos, qui fundati sunt in timore sancto. Nam sicut Petrus, Iacobus, Ioannes & Barnabas columnae esse videbantur Ecclesiae, sic & quicumque vicerit hoc saeculum, fit columna Dei, quam confirmat qui dicit: Ego confirmavi columnas eius: ita & basis aurea timor plenus disciplinae, quia initium sapientiae est. In timore ergo sapientium apostolica praedicatione tamquam super basim auream columna firmatur. Christi igitur eloquio & apostolico sermone tribunal est timor iusti, & basis aurea plena prudentiae, simulacrum autem bonū tamquam effigies veritatis, sermo sanctorum. Et vide tamquam basim auream esse sanctorum timorē: Lege Esaiam: vide quantis subiecerit timorē, vt faceret irreprehensibilem & bonum timorem. Spiritus, inquit, sapientiae & intellectus, spiritus consilij atque virtutis, spiritus cognitionis atq; pietatis, spiritus timoris Domini. Quātimorem subiecit, vt haberet quod sequi possit: Informatur per sapientiam, instruitur per intellectum, consilio dirigitur, virtute firmatur, cognitione regitur, pietate decoratur. Tolle timori Domini ista, & est irrationabilis & insipiens timor, vnus ex illis: Foris pugnae, intus timores. Quibus afflicus esset & Paulus, nisi habuisset Dominum consolantem. Nec otiosum est in Prouerbis: Tunc intelliges timorē Domini. Quid est tunc? Cum sapientiam inuocaueris, & prudentiae dederis vocem tuam: & si quaesieris illam vt pecuniam, & vt thesauros scrutatus fueris eam, tunc intelliges timorem Domini. Et ideo tamquam super basim bonam dicit: Statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo. Plena disciplinae oratio, per quam docemur, quemadmodum debeamus orare vnusquisque. Sermo doctrina est deprecandi. Et quia docuit nos orare, qui sit istius orationis effectus, ostendit septimus versus.

Aufer a me opprobrium meum quod suspicatus sum: iudicia enim tua dulcia.

Quod suspicatus sum. Subobscurē dictum videtur, sed explanauit Apostolus quod hinc videbatur obscurum, vbi ait: Nihil quidem mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Sciebat enim se esse hominem, & sibi cauebat vt poterat, ne post susceptam baptismi gratiam peccaret: ideoque delicti cōfitebatur sibi non erat, sed quia homo erat, peccatorē se fatebatur, sciens vnus esse Iesum lumen verū, qui peccatum non fecit, nec est inuentus in ore eius dolus, ipsum solum iustificari qui verē alienus esset a lapsu. Similiter ergo Propheta et si peccatum declinare cupiebat, tamen quasi Deum repulsiorem peccati esse sui cupiebat. Volebat auferri opprobrium quod suspicatus est, vel quia cogitauerat in corde, & non

fecerat, & pœnitentia licet abolitum, suspectus tamē erat ne fortē adhuc maneret eius opprobrium, & ideo Deū precatur vt illud auferat, qui solus nouit quod nescire potest etiā ipse qui fecit. Denique alibi ipse dixit Propheta: Scis opprobrium meum. Quamquam istud opprobriū Christi sit, quod non est verum opprobrium, sed gloria Dei. Crux enim Christi Iudæis scandalū, Græcis stultitia. Illis ergo opprobrium, mihi virtus est, per quam aduersarium repello, sæculum vinco. Mihi sapientia, per quam insipientiæ laqueos euado. Hoc opprobriū thesauri Ægypti Moyses prætulit, maius æstimans Ægypti thesauris opprobrium Christi. Si opprobrium tuum gloria est, Domine Iesu, quanta est gloria tua? Tuæ igitur gloriæ participatione quid erimus, cuius sumus opprobrio gloriosi? Dorsum meum posui in flagella, maxillas meas in palmas, os autem meum nõ auerti à cõfusione sputorum. Ecce opprobriū tuum Domine, in quo salus est vniuersorum, in quo mundi redemptio: per quod opprobrium cœpimus non erubescere qui erubescēbamus: non confundi, qui confundebamur. Denique scriptum est: Accedite ad eum, & illuminamini, & vultus vestri non erubescunt. Hoc opprobrium auferri à nobis nolumus, opprobrium crucis Domini Iesu, quo nostra auferuntur opprobria. Sicut enim maledictum factus est, vt nostra maledicta deleteret, homo factus est, vt leuaret hominis infirmitates: ita opprobrium factus est, vt omnium auferret opprobria. Non vno tēpore, non semel abstulit opprobria: auferit quotidie, peccatum incidimus, non vnum, sed multa, cooperit sumus opprobrio & confusione. Venimus ad baptismum, dilutum est omne peccatum, & cum peccato opprobrium. Abstulit opprobrium meū Dominus Iesus opprobrio suo, quia crucifixus est mihi: quia quicūque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus. Nõ habeo igitur quod auferri petam, sed si post baptismum incidi opprobrium, debeo agere pœnitentiā, vt dicam: *Aufer à me opprobrium meum*. Si non agā pœnitentiā, quomodo dicā: *Aufer à me opprobrium meum*: cum hoc ipsum peccati opprobrium sit, quia non ago pœnitentiā? Si autē pœnitentiā vt oportet ago, rectē dico: *Aufer à me opprobrium meum quod suspicatus sum: iudicia enim tua dulcia*. Quid timeo cõfiteri? quid timeo dicere peccata mea? Quid vereor opprobrii mei mentionem facere apud eū, cuius iudicia dulcia sunt? Quod leuētū in aliis, in Christo dulce est, in Christo suaue est, quia ipse suauius est. Deniq; gustate & videte quoniam suauius est Dominus. Dulcia iudicia cõfiteri, quia ipse dicit: Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero: tu autem memor esto, & iudicemur: dic iniquitates tuas, vt iustificeris. Dulcia iudicia agentī pœnitentiā, quia ipse dixit: Gaudium erit in cælis super vno peccatore pœnitentiā agēte, quā in nonaginta & nouem iustis qui non indigent pœnitentiā. Si dulcia sunt igitur iudicia Domini, suauius fructus percipere elaboremus. Vis scire quā dulcia iudicia Domini? Non resurgunt impij in iudicio. Qui autem in iudicio resurgunt, habent spem veniæ: quoniam crediderunt. Impij nõ sunt, peccatores esse possunt, fidem habent: & si culpam non declinarunt, per fidem credūt. Qui au-

*Psal. 68.*

*1. Cor. 1.*

*Hebr. 11.*

*Esaiæ 50.*

*Psal. 33.*

*Galat. 3.  
Philip. 2.  
Psal. 21.  
Psal. 43.*

*Rom. 6.*

*Psal. 33.  
Esaiæ 43.*

*Luc. 15.*

*Psal. 1.*

*1. Cor. 3.*

tem credit in ipsum, non iudicatur. Dulcia ergo iudicia credentibus. Qui autem non credunt, non Christi iudicio damnati sunt: qui venit non vt iudicet mundum, sed vt saluet & redimat: sed impietatis suæ subire iudicium, qui in remissionem peccatorū credere noluerunt. Non enim possunt ad eius pertinere beneficium, quem cognoscere refutarunt. Ergo qui non crediderunt in eum, iudicio eius videntur indigni. Iudicium enim eius quid sit, agnosce dicente ipso: Hoc autem iudicium est, quia lux venit in hunc mundum. Dulce ergo, quod lux est: dulce iudicium, quod præcepit misericordia. Sic enim scriptum est: Misericordiam & iudicium cõtabo tibi Domine. Et quia cognouit dulcia iudicia, dicit:

Ecce concupiui mandata tua, in tua iustitia viuifica me.

Bona iudicia auctoritate agit. Ecce amat libertatem fidei, qui libertatem dedit. Diligi se gaudet, qui ideo venit in hunc mundum, quia hunc mundum dilexit. Amari exigit, qui omnes amat, quia charitas est. Cõcupiuit mandata Dei vt bonus seruus, vt cultor sedulus. Concupiuit nõ vt amator meretriciam copulā, non vt auarus pecuniā, non vt luxuriosus lasciuia. De illis enim lex dicit: Non concupisces. Dominū autem Deū præcepit diligēdum, & tenero, id est, tenaci quodā atque materno amandū cupiditatis affectu. Et quia amicus est qui diligit, seruus est qui timet, quasi amicus qui omnia fecerit quæ præcepit ei Dominus: Vos, inquit, amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. *In tua iustitia viuifica me*, audeat & dicit, eo quod illa sit vera vita, quæ viuunt secundū Dei iustitiā, qua viuēbāt Apostoli, immo qua viuunt. Sunt enim qui viuētes, mortui sunt: & qui mortui, viuunt. Denique alij descēdunt in infernum viuētes, alij cum sint corpore mortui, meritis suis viuunt. Sunt enim qui non gustabunt mortem, donec videāt filium hominis die iudicij reuerentem, quando cum gloria sancti resurgent.

*In Octonarium sextū enarratio.*

Vau.

Sexta littera Vau, cuius interpretatio est, Est & ille. Alius interpretes ait, Non est alius.

Et veniat super me misericordia tua Domine, salutare tuum secundum eloquiū tuum.

Quid significet interpretatio litteræ, quoniam subobscura est, ex Psalms serie colligendum putauit. Nam cum Propheta postulet: *Veniat super me misericordia tua Domine, veniat salutare tuum*: non est dubium quem videre deposcat, hoc est, in quo fructus & misericordiar veniat & salutis. Denique in superioribus idem poposcit in Psalmo octogesimo quarto, in quo euidentius Domini Iesu prophetauit aduentum. Nam terram quā benedici postulet, satis notum est, illam videlicet quæ peccatum in Adam contraxerat, cui dicitur: Terra es, & in terram ibis. Maledixerat autem Deus non elementū terræ,

*ibid.*

*ibid.*

*Psal. 100.*

*1. Cor. 3.  
1. Cor. 13.*

*Exod. 20.  
Deut. 6.*

*1. Cor. 15.*

*1. Tim. 5.*

*Psal. 54.*

*Matth. 16.  
1. Cor. 15.*

*Psal. 84.*

*67. 3.*

*Rom. 3.*

*Psal. 84.*

*ibid.*

*Rom. 4.  
1. Cor. 11.*

*Matth. 27.*

*1. Cor. 1.*

*Psal. 84.  
Ephes. 1.*

*Psal. 33.*

*Psal. 84.*

*1. Cor. 1.*

*Matth. 3.*

*Hebr. 1.*

*Matth. 1.*

*Esaiæ 58.*

*1. Cor. 2.*

*ibid.*

neque substantiam aut naturam carnis, sed in elemento carne præuaricatricem. Benedicatur ergo in Christo terra, hoc est caro, vt à priore maledicto soluatur. Benedicatur caro, quam benedictus filius Dei assumpta hominis conditione suscepit. Et ideo subdidit: Deus tu conuertens viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniā loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui conuertunt ad ipsum cor suum. Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius, vt inhabitet gloria in terra nostra. Torus hic locus Iesum Dominū sonat, qui viuificauit mortuos, Lazarū antē passionem, plurimos tēpore propriæ passionis. Ipse est misericordia, vt pote remissio peccatorum. Ideo dicit: Ostende, quem videre posses in corpore. Nam Deum in maiestate sua videre non poterat, quia Deum nemo vidit vnquam. Auidus Propheta desiderat videre, quem sperat tenere: quē si viderit, desiderat propriis manibus comprehendere. Ideo quæ ait: Et salutare tuum da nobis. Salutare Dei virtus est, salutare Dei Christus est, & ideo prope timentes hoc salutare. Longē erat Christus à nobis, longē erat à nationibus: descendit in terras, factus est prope, cœpimus non timere. Nā qui Christū timet, nõ timori est subditus, sed deuotioni. Pietatis hic timor, non infirmitatis est. Denique nihil deest timentibus eum. Quomodo autem factus sit prope, audi: Vt inhabitet, inquit, gloria in terra nostra. Quis est gloria, nisi Dominus Iesus? Vnde & Apostolus Paulus ait: Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ. Meritò complacet in eo pater, quia patris gloria est. Hunc qui à patre separat, maiorem patri iniuriā facit, quem vult esse sine gloria. Hunc quisquis æqualem patri non putat, inferiorem & patrem iudicat, cum alio verbo patre plus laudare nõ possit, cuius summa laus gloriæ Christus est. Rogatur ergo vt veniat salutare Dei. Ille est qui rogatur, hoc est, Dominus Iesus, & non est alius, sicut habet litteræ interpretatio: & vel sic non solus pater rogatur. Est & ille, hoc est, & filius qui rogatur, & rogatus aduenit, & salutare mundo dedit. Ideo *oarhp*, hoc est, saluator, ideo Iesus, sicut angelus dixit: Quia saluum fecit populum suum. Quam inuocaret igitur Propheta, aderat: vt probaret illud, Quia adhuc loquentibus nobis dicit, Adsum. Adest, quia suscitatus à filiabus Iudæ, quasi excitatus à filiabus Hierusalem, audit Ecclesia sonum vocis eius, & dicit: Vox consobrini mei. Ecce hic aduenit saliens super montes, transliens super colles. Manipularis est liber, multas habens personas nobiles, velut manipulos triumphales: multoque actus significans, quos intelligere magis quā expressos tenere possumus. Nam quasi aduenientem sponsum audierit, cum aliquibus pariter viantibus colloquentem dicit sponsa: Vox consobrini mei. Dum loquitur cū filiabus Hierusalem, & rogat vt excitent & suscitent sponsum, subito tamquam de longinquo missæ vocis sonum sentiens, dicit: Vox consobrini mei, annuntians quem nuntiare sibi antē querebat, quem cupiebat ab aliis suscitari, sua prece resuscitatum à patre venire iam credens, læta dicit: Vox con-

sobrini mei. Bene addidit, consobrini mei, vt non alia, sed consobrino sola sibi eius vendicaret aduentum. Ecce, inquit, iste aduenit. Adhuc ego cum quero, & ille iam venit, adhuc ego suffragia capto vt veniat, & ille iam proximus est. Ego suscitari mihi charitatem cupio, ego me vulneratam charitate puto, & ad me plus charitas ipsa festinat. Ego dixi: Veni, ille salit & translit. ego rogo eum venire cum gratia, ille gratiarum operatur augmenta: & dum venit, incrementa gratiæ secum vehit, & veniendo acquirit, quia studet etiam ipse suæ placere dilectæ. Salit super excelsa, vt ascendat ad sponfam. Sponsa enim thalamus tribunal est Christi. Salit super Ecclesiam, translit super synagogam. Salit super gentes, translit super Iudæos. Videamus salientem. Salit de celo in Virginē, de vtero in præsepe, de præsepio in Iordanem, de Iordane in crucem, de cruce in tumulum, in cælum de sepulcro. Proba mihi Dauid salientem, proba currentem. Tu enim dixisti: Exultauit tamquam gigas ad currendam viam, à summo cælo egressio eius, & occursum eius vsque ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius. Ergo & nunc salit, & nunc currit de corde patris super sanctos suos, de Oriente super Occidentem, de Septentrione super Meridiem. Ipse est qui ascendit super Occasum, ipse super cælus cælorum ad Orientem. Ipse ascendit super montes, ipse super colles. Vinam ego miser dicam, dicat anima mea: Ecce iste aduenit, & aduenit non super terrena, non super valles, sed aduenit saliens super montes. Deus enim, Deus motium est. Vbi ergo salit? Super montes salit. Si sis mons, salit super te. Salit super Esaiam, salit super Hieremiā, salit super Petrum, Ioannem, Iacobum. Montes in circuitu eius. Si non pores mons esse, nec præuales, esto vel collis, vt super te Christus ascendat, & si translit, ita transliat, vt te transitus eius vmbra custodiat. Diximus de Christo & Ecclesia, dicamus de anima & verbo. Anima iusti sponsa est verbi, hæc si desideret, si cupiat, si oret, & oret assiduò, & oret sine vlla disceptatione, & tota intendat in verbum, subito vocem sibi videtur eius audire quem non videt, & intimo sensu odorem diuinitatis eius agnoscat: quod patiuntur plerumque qui bene credunt. Replentur subito nares animæ spiritali gratia, & sentit sibi præsentia eius statū aspirare quem quærit, & dicit: Ecce iste quem requiro, ipse quem desidero. Nõne cum aliquid de scripturis cogitamus, & explanationē eius inuenire non possumus, dum dubitamus, dum quærimus, subito nobis quasi super montes altissima dogmata videntur ascendere: deinde quasi super colles apparens nobis, illuminat mentem, vt infundat sensibus quod inuenire posse difficile videbatur? Ergo quasi ex absente fit præsens verbum in cordibus nostris. Et rursus cum aliquid nobis subobscurum est, tãquam subducitur verbū, & tamquam absentis aduentum desideramus. Et cum iterum apparet, ostendit se nobis, tamquā præsens sit nobis in iis quæ requirimus cognoscendis. Salit ergo in vniuersiufq; corde frequenter: translit & exit, & reuertitur, si se quæris, si tibi fidelis gratia disceptatione doctorum verbū quod exierat atque transierat, postules exsuscitari, sicut illa quæ quasi fuit & inuenit, quæ dixit: Frater meus

*ibid.*

*Psal. 18.*

*Psal. 67.*

*1. Cor. 2.*

*3. Reg. 20.  
Psal. 124.*

*Sap. 8.*

*1. Cor. 2.*

*1. Cor. 9.*



transiit, anima mea exiit in verbo eius. Ergo & si super montes salit, sequere: & si super colles, sequere. Reperitur enim in montibus & in collibus venatores Domini, qui inuestigant eos qui capiuntur ad vitam. Sic enim dixit per Hieremiam Deus: Ecce mitto multos piscatores, & multos venatores, & venabuntur eos super omnem montem, & super omnem collem. Ibi ergo populus Dei quaratur, & inueniatur in Petri & in Pauli doctrina, gratia, disciplina, vt non in conuale sint, vbi stertus, sed in montibus, à quibus vnumquemque Christus illuminat. Et cum Petrum legimus, Christus illuminat. Et cum Paulum legimus, Christus illuminat. Curauit Paulus, Christus illuminauit, quoniam inuocato Domini Iesu nomine resurrexit, cuius sanatus est munere. Suscitauit mortuam Petrus, Christus illuminauit. Et ideo ait: Illuminans tu mirabiliter à montibus aternis. Nos igitur qui montes esse non possumus, stemus in montibus vel in collibus, vt cum miserit piscatores suos Dominus, & venatores, vt venentur eos qui super omnem montem sunt, vel super omnem collem, id est, in legis & prophetarum præceptis, & noui & veteris testamenti cognitione omnem habentes conuersationem, inueniant nos paratos, & velut bonas colligant spicas oportuno missi messorum tempore: quia si quis extra montem aut collem fuerit repertus, colligi velut bona spica non poterit ab iis, qui (vt comparationis faciamus alterius mentionem) triticum à paleis separare nitentur. Plurimarum igitur operationum solertes ministros Dominus habet. Iidem piscatores, iidem etiam venatores sunt, atque messorum. Si in tempore messis, quo diriguntur isti metere, maturus expectes, salientem in montibus poteris intueri, & videbis Dominum Iesum similem capreolæ, aut hinnulo ceruorum super montes Bethel. Salit enim super Ecclesiam, quæ est domus panis, eo quod fidelium corda confirmet. Merito sicut capreola, quia caprea in altis pacitur. Dorcas dicitur à vidèdo. Dorcadon etenim visus acutior est. Quid hoc aptius Christo, qui patrem vidit, quem vidit nemo? Aut si quis vidit in Christo, ipse filius reuelauit. Merito sicut hinnulus: ceruorum hinnulus quasi filius, cui paternæ inoleuerit vis naturæ, vt eum occulta non lateant, serpentes fugiant, venena non lædant. Denique ductus de latibulis suis serpens qui educabatur ex homine, dicebat: Quid venisti ante tempus torquere nos? Spectemus ergo salientem hunc hinnulum, vt non possimus timere serpentem. Non timebat Dauid. Denique de his dicebat serpentibus:

Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speravi in verbis tuis.

Quasi bonus ceruus qui bibisset de fontibus aquarum, nequaquam humanorum serpentinum spiras, & maledicorum venena metuebat. Coluber illi non erat noxa, sed præda. Cibum erat serpenti virus alloquij, & cibum laudis, de quo dicebat: Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est. Saginabatur venenatorum sermonibus. Illi sibila obtreccationum ora tollebat, & sermonibus odij circumdabant innocentem. Bonus ceruus inter multos colubros positus non ti-

mebat, ceruus amicitie, & pullus gratiarum. Simulabant charitatem, fundebant obtreccationem: ego autem, inquit, orabam. Bonus ceruus in medio viperarum innocuus pascebat. Illi trifidulis ore linguis micabant, hunc autem sancta pascebat oratio, immò cibum obtreccantibus offerebat. Respondit obtreccantibus sibi verbum. Verbum enim cibum est. Denique non in pane solo viuit homo, sed in omni verbo Dei. Viderunt me, inquit, & mouerunt capita sua. Maledicebant, ego autem benedicebam. Maledicebant qui obtreccabant: benedicebam, qui verbum Domini prædicabam. Quam bonum est ferre conuicium, & non referre: Deum præfulem acquirat, qui conuicanti nescit irasci. Denique quanta patientiæ gratia dicentis: Maledicet ipsi, & tu benedices? Beatus qui maledicta non sentit. Beatus quem maledicta non permouent. Non enim potest maledictio moueri, qui maledicta hominum diuinæ munere benedictionis excludit. Non potest sentire maledictum, qui habet verbum: & non potest referre maledictum, cui in ore semper est verbum. Sed est etiam bonus serpens, quem iste ceruus non lædat. Estote, inquit, astuti sicut serpentes. &: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. In serpente genio figuratus est meus serpens. In ligno illo exaltatus est meus serpens. Bonus serpens, qui de odore suo remedia, non venena fundebat. Potest non timere serpentes, qui hunc nouit adorare serpentem. De hoc serpente dicit illa quæ diligit: Ecce hic stat post parietem nostrum prospiciens per fenestras, eminens super retia. Respondit consolator me, & dicit mihi: Surge, veni proxima mea, formosa mea, columba mea, quia ecce hyems præterit, imber abiit, discessit sibi, flores visi sunt in terra. Serpens profecto est, qui decursa hyeme amictu corporis se volebat exuere, vt specioso decore vernaret. Idem ergo est ceruus & serpens. Ceruus habet cornua legis & gratiæ. Cornua eius duo sunt testamenta. Velox gressu, impiger incessu, qui totum facile orbem percurrat vno momento, vbique celebrabilis. Serpens quoque bonus cuius priora dætes legis immordeant, posteriora non vulnerent Euangelij lenitate. Caput defendit à vulnere, qui legem venit non soluere, sed tueri ab interpretationibus perfidorum. Caudam in flagella diffundit liberam, cupiens aduersarios magis flagellare quam perdere. Bonus coluber in gremium dilectæ, atque in ipsum intimam sinum mentis facilis illabatur, & tactu nullo implicans ignem ossibus, præcordia ipsa depascitur. Pulchrè lectum est hodie: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Celebramus enim diem quo reuelata sunt populis corpora sanctorum martyrum, qui velut boni serpentes depositis carnis exuuiis, tentationum hyemalium rigore superato, & Spiritus sancti renouati gratia, æstiuo mundo luce fulgere, missi verò vt agni in medio luporum. Lupi enim persecutores, lupi sunt hæretici omnes: docere nesciunt, vlulare consueverunt. Sed nemo moueatur si in medium luporum mittitur. Beneficio Christi & lupus ipse mutatus est. Bèiamin lupus rapax, Apostolus Paulus factus est, non iam insidiator ouium Christi, sed defensor & custos. Cum hoc lupo versari libet, per hunc lupum factum est vt simus tui

tuti in medio luporum. Nemo iam veretur lupos, cum his pascat, sicut scriptum est: Tunc lupi & agni simul pascentur. Sed iam consideremus quid sic quod ait Propheta:

Et ne auferas ex ore meo verbum veritatis vsquequaque, quia in iudiciis tuis speravi.

Viderat Ecclesia vel anima iusti salientem sicut hinnulum super montes: repente proximum aspiciens post parietem domus suæ, prospicientem per fenestras, eminentem super retia, exultat & gaudet, quia etiam ipsa amatur a sponso, qui tamquam & ipse vulneratus charitatis decore, dilectæ primo cum abesset, ad oscula rogatus affuerit. Rogatur enim cum dicitur: Osculetur me ab osculis oris sui. Deinde preces sponsæ blanditiæque non spreuerit, dilectæ sibi vbera præbentis, atque in interiora domus eam benignus induxerit. Deinde tamquam lasciuientem ludens amore, quia velit pertentare sensus amanti, sæpe egressus vt quereretur à sponsa, sæpe regressus vt inuiteretur ad oscula, adfuerit post parietem, prospexerit per fenestras, emines super retia, vt non totus abesset, nec quasi totus intraret, & ipse ad se sponsam vocaret, vt venienti ad se inuicem fierent grauiora cõmercia, amorisq; vim mutuis adolerent sermonibus. Exurge, inquit, veni proxima mea, formosa mea, columba mea. Et tu si habeas fundatum parietem, non illum mediū qui domus vnius separet mēbra, sed ædificatum supra fundamentum Apostolorum & prophetarum, vt cõpaginata eius structura crescat in templum, nec distermineat eius interna, sed muniat. Si habeas ergo in te ædificationem Dei, & ad Orientem pateant semper fenestrate tuæ, venit verbum, stat post tuum parietem (oculi enim Domini super iustos) prospicit per fenestras tuas. Quæ sunt fenestrate istæ? Legimus fenestras, de quibus dicit Hieremias: Intrauit mors per fenestras, per quas intrauit auaritia, intrauit libido. Oculus tuus fenestra est. Si videris mulierem ad concupiscendum eam, intrauit mors per oculum tuum. Si videris possessionem viduæ vel minoris, & concupieris inuadere, indefensam putans ætatem esse vel sexum (sed non sunt indefensi, quos Dominus vult esse defensos) intrauit mors per fenestram. Si videris decorem mulieris, aut thesauros minoris, & tuas excitaueris cupiditates: intrauit mors per fenestram. Sicut ergo per hæc intrat mors, intrat & vita. Si decorem puellæ aspiciens sacræ, veneris Dominum Iesum, quod in teneris annis venerit ætas senectutis, vita immaculata: & ipse filium tuam offeras, vt pio consecratur velamine: si possessionem minoris non tamquam sollicitus inuatores aspicias, sed quasi parës sedulus religioso tuearis affectu: per has fenestras prospicit Christus, vt vocet sponsam eminentem super retia. Bene eminent, quia solus est quem retia non inuoluerint peccatorum. Omnes intra retia erant, immò adhuc intra retia sumus: quia nemo sine peccato nisi solus Iesus, quem non coguoscens peccatum, peccatum pro nobis fecit pater. Etenim tradidit eum laqueis, tradidit eum retibus, mittens eum non in peccato, in quo erant omnes homines, sed in similitudine carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne. Peccatum erat caro

secundum illud, quin hæreditario erat damnata maledictio. Peccatum erat illecebra & ministra peccati. Venit Dominus Iesus, & in carne peccato obnoxia militiam virtutis exercuit. Facta sunt mēbra nostra iam non arma libidinis, sed arma virtutis. Nāque vbi erant incentiua libidinis, ibi nunc sunt domicilia castitatis. Hic ergo venit ad laqueos, sed voluntarius: venit ad retia, sed securus. Plena erant omnia laqueis, referta retibus. Audi dicentē: In via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi. Et in libro Sapiētiae Syrah moneris vt cognoscas quia in medio laqueorum ambulās. Quot vitia, tot retia: quot peccata, tot laquei hæreditarij iam te nexus tenebant. Venit ad laqueos Iesus, vt Adam solueret: venit liberare quod perierat. Omnes retibus tenebamur, nullus alium eruere poterat cum seipsum non posset eruere. Talis ergo necessarius fuit quem vincula generationis humanæ delictis obnoxia non tenerent, non cepisset auaritia, non ligasset dolus. Is solus erat Iesus, qui cum huius carnis se circumdedisset vinculis, captus non erat, non erat alligatus: sed dirumpens ea atque dissoluens, ad se magis vocauit Ecclesiam, prospiciens per laqueos, emines super retia, vt & ipsa disceret vinculis non teneri. Denique eouersus non longè à vinculis fuit, vt pro nobis subiret & mortem: sed tamen non seruus mortis effectus, sed liber inter mortuos. Liber enim erat, qui soluendæ mortis potestatem habebat. Denique ipse te doceat, qui ait: Soluite hoc templum, & in triduo suscitabo illud. Audiamus itaque quid dicat: Exurge, veni proxima mea. hoc est, surge à mortuis, exurge à vinculis, quibus circumdata tenebaris. Exurge, quia ego resurrexi tibi: tolle vincula iniquitatis, quia ego iam solui tibi: veni, quia iam retia tibi soluta sūt. Virgo peperit, puer natus ex virgine est. Nihil debet muliebri hæreditati, quia quæ si filius mulieris non teneret. Cerne medium partem maceræ iam solutum, qui internorum affectuum concordiam diuidebat, & in diuersum excitabat dissensiones corporalium passionū. Veni ergo secura, cupio videre faciem tuam, & audire vocem tuam: veni vt iam me non per retia videas, sed faciem ad faciem vultibus amatoris dilectæ potiaris. Ethicè ista decursa sūt. Mystica autem illa, si possumus, vel lineam intueamur extrema. Sedebat intra domū sponsa deuota Domino, intra parietem legis & prophetarum spiritualium lapidum ædificatione fundamentum, qui claudere atq; vallabat domū regiam plenam incunditatis atque lætitiæ. Mirabatur thesauros regios, & intuebatur sollicitè, cupiens sapientiam, quæ has sibi diuitias demonstraret, adificiscere. In secreto erat, sed secreti ipsius interpretem requirebat. Venit dominus Iesus saliens super montes. Nobis serò videbatur venire, sed ille properabat. Saliebat denique & transiliebat, vt Iudæorum corporalia & faxosa dogmata transilieret. Adstitit post parietem domus, quæ erat in veteri testamento, prospiciens per legis fenestram, prophetarū cauernas. Nondum erant domus illius aperta vestibula, nondum clauis scientiæ portarū claustra patefecerant, quibus legis clauderentur interna. De superiore tamen, hoc est, spiritali parte prospectans, Ecclesiam vocat, vt per legem & prophetas, Euangelij vertice sublimis assus-

Rem. 10.

Cantic. 2.

Matth. 2. 4.  
Luc. 14.  
2. Cor. 2.

Cant. 2.  
Ioh. 4.  
Psal. 83.  
Luc. 13.  
Psal. 79.  
Esaia. 5.  
Zach. 8.

1. Tim. 4.

Prover. 27.

Psal. 49.

Luc. 8.  
Ibid.

Psal. 49.

gens, retia Iudaica interpretationis & nodos intre-  
pido calcet vestigio. Ideoque proxima vocatur, vt  
adhareat Christo, mundana non quarat: ideo for-  
mosa, vt speciosos euangelizantium pedes proterat:  
ideo columba, vt spiritalia petat, terrestria derelin-  
quat. Ecce, inquit, hyems prateriit, imber abiit, di-  
scessit sibi, flores vili sunt in terra. Ante aduentum  
Christi hyems erat, venit Christus: fecit astatem.  
Tunc omnia erant florum indiga, nuda virtutum:  
passus est Christus, & omnia ceperunt noua gra-  
tia fecundari germinibus. Imber abiit luxurie pro-  
fluentis, & nubila tetris ora flagitiis, estiuam iam purae  
conscientiae serenitate laxantur. Ideo non euadunt,  
quorum fuga hyeme fit, quia non sequuntur Domini  
passionem: non tollit crucem suam, & Christum  
sequuntur. Imber impedit flores, at nunc flores vi-  
detur in terra. Boni flores Apostoli, qui diuersorum  
scriptorum atque operum suorum fuderunt odorem.  
Tempus secandi aduenit, quo matura in horreis fru-  
menta conduntur: & qui metit, mercedem accipit.  
Vox turturis audita est, quia inuenit sibi nidum. Ec-  
clesia enim domus est castitatis. Ficus, quae propter  
infecunditatem iubebatur excidi, fructus iam ferre  
cepit. Vineam translata ex Aegypto, iam non mace-  
riis destructa depositis, incuratur a bestiis, nec in-  
formis sentibus, sed odora iam floribus, quae solebat  
facere spinas, fructu curuescit vuarum. Merito igitur  
sanctus Dauid pascha Domini celebrans, & feruenti  
spiritu tempora ingressus aestiuam, qui in verbo  
Dei fructus varios colligebat, hyemis aduersa decli-  
nans ait: *Et ne auferas ex ore meo verbum veritatis vsque-  
quaque, quia in iudiciis tuis speravi.* Quantus labor est,  
vt verbum percipias? Quantum iterum periculum,  
si amittas? Et ideo tibi dicitur: Noli negligere gra-  
tiam quae in te est. Excole diligenter quasi bonus  
agricola campum tuum, vt pascantur agni tui, & sa-  
ta tua floreat. Non auferatur ex ore tuo verbum,  
ne forte factis verba tua non congruant, & defor-  
met iniquitatis opera magisterium disciplinae. Tol-  
litur ex ore verbum, cum dicitur peccatori: Quare  
tu enarras iustitias meas? Et ipsa obmutescit facun-  
dia, si agra sit conscientia. Veniunt aues caeli, etiam  
ipsae tollunt verbum ex ore tuo. Sunt enim tempora  
tentationum, quae tollunt verbi semen de saxo, ne ra-  
dicem habentes, nec etiam fructum afferant. Nunc  
consideremus, vtrum etiam ex corde possit auferri  
verbum veritatis. Radicatum enim verbum atque  
depressum, & infixum mentibus nostris, difficile auferri  
potest. Denique dictum est a Domino: Quare tu enar-  
ras iustitias meas? Non dixit: Quare cogitas iustitias  
meas? Et assumis testamentum meum per os tuum? non  
dixit, Per cor tuum. Sermo mihi cohibetur indigni  
animi, non obstruitur penitentia: insolentiam pro-  
hibet, non excludit correctionem. Cauendum tamen  
est ne & ipsa interiora corda turbentur, & offundat te-  
nebras malitia, vt cor vanis cogitationibus obca-  
catum luce veritatis amittat, fulgoremque verbi capere  
non possit. Si igitur Dauid orat ne auferatur ex ore  
suo verbum, & si auferatur, non vsquequaque, id est,  
non penitus auferatur: quis tantus est, qui in pote-  
state sua gratiam disputationis esse commemorat,  
praesertim si vita redarguat quod doctrina praesum-  
mat, & iudicio Dei damnanda committat? Is enim

qui in iudiciis Dei sperat, seruare potest verbum  
veritatis: quia dum veretur poenam, custodit gra-  
tiam. Ideoque ait:

Et custodibo legem tuam semper, in aeternum,  
& in saeculum saeculi.

*Semper in aeternum, & in saeculum.* Duo dixit, cum  
vnum satis esse posset, si vnum significare voluisset.  
Sed quia non solum in praesenti vitae huius tempore,  
sed etiam in futuro post huius vitae curriculum  
custodienda lex promittitur: ideo arbitror quia &  
secundum eos qui exemplari & vmbrae seruiunt ce-  
lestium, & secundum eos qui in caelestibus siti se-  
cundum veram legem cultus Deo deferunt, polli-  
cetur sibi esse viuendum, vt & hic & ibi legem custo-  
diat. Hic in exemplari, in speculo, in aenigmate: illic  
in ipsa facie veritatis. Possumus & illud intelligere,  
quia *ὁ γὰρ πῦρ*; non solum id significat quod dicitur,  
Semper, sed etiam id quod, Per omnia: quia ille  
per omnia legem custodiat, qui cum sit eruditus in  
lege, sub lege natus, & supra legem deuotionis suae  
gradum promouens, liberatur a lege. Christus enim  
nos redemit a maledicto legis: & ideo non sine lege  
Dei, sed in lege factus est Christi. Aut certe sic per  
omnia legem custodiamus, si legitimam pueritiae atque  
adolescentiae disciplinam, iuuentutis conuersationem,  
senectutis maturitatem, tramitemque singulis  
praescriptum aetatibus nequaquam vitae nostrae vltus  
excedat. Similiter etiam animae nostrae quaedam esse  
videntur aetates, per quas percurrit & transit, vt pos-  
sit dicere: Cursum consummaui. Denique animae  
aetas est illa, de qua dicitur: Et aetas senectutis vita  
immaculata. Per omnia ergo legem custodit, qui &  
in his corporis nostri aetatibus, & in illis animae no-  
strae processibus non deuiat a lege.

Et ingrediebar in latitudine, quia testimo-  
nia tua exquisiui.

Qui secundum mandata angustam & artam gra-  
ditur viam, ambulat in latitudine. Vnde legimus: In  
tribulatione dilatasti mihi. Et alibi: In tribulatione  
inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine.  
Sapiens enim in cordis sui ambulat innocentia, &  
de eius fonte superestruunt aquae super eius plateas,  
qui mentem suam non intra corporalia & terrena  
concludit, sed dirigit ad caelestia, vt conuersatio eius  
in caelo sit. Audi nullas angustias sentientem: Pressu-  
ram, inquit, patimur, sed non angustiamur. Et quo-  
modo coangustari poterat, cuius os semper pate-  
bat, ne credentes coartarentur? Ipse exponit quid  
sit ingredi in latitudine. dicit enim: Quia et si cor-  
pus angustatum est, cor nostrum dilatatum est. Non  
angustamini in nobis: coartamini autem in visceri-  
bus vestris. Coangustari in Paulo non poterat, in  
quo erat altitudo sapientiae, & fidei latitudo. Quo-  
modo enim poterat coartari in eo, qui erat vas ele-  
ctionis aeternae? Sed coartabatur in semetipso: quia  
improbis in seipso coartatur, malitia suae laqueis  
stragulatus. Constitue mihi auarum, villarum quo-  
tidie terminos proferentem, excludentem vicinos.  
vtrum is tibi dilatari, an coangustari videtur, quem  
terra ipsa non capit? Quantumcumque spatia domus  
suae

Hebr. 8.  
Philip. 3.

1. Cor. 13.

Aff. 22.  
Galat. 3.  
1. Cor. 9.

2. Tim. 4.  
Sapient. 4.

Matth. 7.  
Psal. 4.  
Psal. 117.  
Psal. 100.  
Prou. 5.

Philip. 3.

2. Cor. 4.  
2. Cor. 6.  
Ibid.

Aff. 9.  
Esaia. 5.

suae porrexit, clauditur angustis opinionis suae fi-  
nibus, cui, quod habet, non est satis. Sed non talis est  
qui potest dicere: *Et ingrediebar in latitudine.* Addi-  
dit etiam causam: *Quia testimonia* (inquit) *tua exquisi-  
siui.*

Et loquebar de testimoniis tuis in conspe-  
ctu regum, & non confundebam.

Grate conuenit ista vox martyri, qui vocatus ad  
facilegium, exprobrantibus sibi regibus crucifixum  
Iesum non erubescerat: sed magis gloriabatur in  
cruce Christi, & illam mundi salutem esse testimo-  
niis caelestibus adstruebat. Hos vocat Christus in  
sponsa dicens in Canticis canticorum: Et veni o col-  
lumba mea in tegimento petrae iuxta praemunitio-  
nem. hoc est, veni iuxta Euangelium. Propugnacula  
fidei tuae gesta sunt Christi: muri tui subsidia ver-  
ba sunt Domini: passio dominici corporis tua vir-  
tus est. Ostende mihi faciem tuam, & insinua vo-  
cem tuam: quia vox tua suavis est, & facies tua pulchra.  
Suavis est vox, quia ore confessio fit ad salutem: &  
decora facies, quae non erubescit auctorem, non con-  
funditur redemptorem. Ostendit ergo faciem suam,  
signaculum crucis preferens: & insinuat vocem suam,  
auctoritatem praedicationis assumens. In tegimen-  
to enim corporis Christi, quo redempta est a pec-  
cato, munimentum gratiae spiritualis inuenit, vt salu-  
taria sibi & sentiat & loquatur. Suavis ergo vox quae  
in diuinis testimoniis loquebatur: decora facies,  
qua in conspectu regum non confundebatur. Possu-  
mus & illos reges intelligere, quibus dicitur a Petro:  
Vos autem genus electum, regale sacerdotium,  
gens sancta, populus in adoptionem. Sunt enim re-  
ges qui offerunt in Hierusalem sapientiae suae munera,  
quibus data est gratia verbum loqui, & quadam po-  
testate regali flectere populos, & animas mulcere  
sacerdotum, non erubescetes in eo, quia nihil alienum  
ab honestate loquuntur: quos nemo redarguat &  
repellat, quasi non sint digni quos idoneos Christus  
ministros noui fecerit testamenti, & iam in illo non  
erubescetes, eo quod non metuerent ne confun-  
derentur disceptatione contraria assertione supera-  
ti. Rex igitur est qui non erubescit, ne in actu re-  
prehendatur, redarguatur in sermonibus, eo quod  
& vita debeat esse fundatus & verbo. Itaque quam-  
uis perfectus ita esset Propheta, vt non erubesceret  
in conspectu regum: tamen meditabatur in praec-  
ptis Dei omni vitae suae tempore, & opera sua eleua-  
bat, nihil agens quod terrenis cupiditatibus adhaer-  
erret. Ideoque ait:

Et meditabar in praecipis tuis, quae dile-  
xi nimis.

Pulcherrimus ordo iste, vt primo meditemur, &  
eorum praecceptorum quae diligimus, sit nobis assue-  
ta meditatio. Meditatione enim mandatorum cele-  
stium operis boni vsus inolefcit. Nam sicut medita-  
tioni verborum finis memoria est, vt quae medita-  
mur verba, teneamus: sic meditationis praecpto-  
rum caelestium intentio vel finis operatio est, actus-  
que directus ad implenda praeccepta diuina: quae nisi  
quis diligit, implere non poterit: nec solum diligit,  
sed etiam nimis diligit. Ideo prius posuit: *Et medita-*

1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

Ibid.

1. Cor. 10.

1. Pet. 2.

Psal. 67.

1. Cor. 4.

bar in praecipis tuis, quae dilexi nimis. Et subiecit:  
Et leuavi manus meas ad praeccepta tua  
quae dilexi nimis, & exercebar in iustifica-  
tionibus tuis.

*Et leuavi manus meas.* Post meditationem etenim  
bonum est leuare actus nostros ad praeccepta Dei,  
atque id facere cum charitate & gaudio, vt non ex  
necessitate sit bonum nostrum: non cum moerore  
atque molestia, sed voluntarium: quia seruus inuitus  
facit, amicus voluntarius. Nos autem studeamus vt  
dicatur nobis: lam non dicam vos seruos, sed ami-  
cos: quia quasi amici mandatum Dei ex volun-  
tate fecistis. Qui autem meditatatur & diligit, & a-  
ctus suos leuat, vt faciat quae placeant Deo, is de-  
bet non negligere nec transcurrere mandata diui-  
na, sed exercere se in his, immorari plurimum,  
iustificationes Dei crebro reuoluens sollicitae men-  
tis affectu.

In octonarium septimum enarratio.

1 Zain.

Littera secundum Hebraeos Zain, significat latinè,  
duc te; alibi significat, huc. Quid sibi velit ista  
interpretatio, non satis liquet, nisi forte vt vnusquis-  
que se regat, & ipse sui ductor sit. Vel huc, id est, quò  
litterae huius versiculi vocant, dirigat iter. Merito-  
que in primo statim versu requiem suam postulat,  
quia ipsius litterae septimus numerus est quateris.  
Quae autem maior requies, quam vt in verbo Dei  
requiescat, atque eius se gratia & consolatione de-  
mulceat?

Memento Domine verbi tui seruo tuo, in  
quo mihi spem dedisti.

Verbum Dei deiecit nos atque depresso ad cae-  
lestem gratiam prouocauit, vt desideremus aeterni-  
tatem, despiciamus praesentia, temporalia recuse-  
mus, futura & inuisibilia requiramus. Vocat igitur  
nos ad se Dei verbum, sicut habes scriptum: Venite  
ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego  
reficiam vos. Ideoque sequamur vocatem Dominum  
Iesum, vt à saecularibus ad perpetua trāscamus, nos-  
que ipsos regere valeamus. Ergo Dauid vocatus  
erat verbo Dei, & spem in eo habuit, quoniam saepe  
respondit. erat inuitatus caelestibus quibus remunera-  
tionē fidei meritumque speraret fore, sicut habes  
scriptum dicente Deo per Nathan prophetam: Acce-  
pi te de ouili ex vno grege, vt sis in principem super  
populum meum Israel, & eram tecum in omnibus qui-  
bus ingrediebaris: & exterminavi omnes inimicos  
tuos à facie tua. Et infra: Et requiem tibi dabo ab  
omnibus inimicis tuis. Quo responso accepto ait  
Dauid: Quis sum ego Domine Deus meus, & quae  
domus mea, quoniam dilexisti me in his, & mino-  
rata sunt minima haec in conspectu tuo Domine, &  
locutus es pro domo serui tui in longinquum: Et in-  
fra ait: Et nunc Domine Deus meus, Domine tu es  
Deus, & verba tua sunt vera, & locutus es pro seruo  
tuo bona haec: & nunc incipe & benedic domum  
serui tui, vt sit in aeternum in conspectu tuo, quoniam  
tu Domine Deus meus locutus es, & benedictione

2. Cor. 9.  
Philem.  
Ioh. 15.

2. Cor. 4.

Matth. 11.

2. Reg. 7.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

tua benedicetur domus serui tui in aeternum. Hoc igitur responso & aliis inuitatus Dauid sperare non desinit, & propheticae fidei auctoritate conuenit Dominum, ut meminerit promissorum suorum, quorum immemor esse non solet. Sanctis enim quodeumque sponderit, implere consuevit, nostram immemor iniquitatum, suarum non immemor sponsonum. Denique scriptum est: Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero: tu autem memor esto, & iudicemur. Vult obliuisci quicumque inuitatus fuerit peccatoribus, si vias aliquando conuertant: vult etiam conueniri, ut si quis proposita secutus virtutibus praemia bene certauerit, fructum remunerationis expectet, quin etiam exigit, sicut habes scriptum: Certamen bonum certavi, cursum consummaui: reposita est mihi corona iustitiae. Non est enim arrogans usurpatio, sed fidelis: quia verum Deum non posse fallere confitetur. Ideoque ad monet & Dauid, dicens: Ut meminerit Dominus verbi sui, quo nos ad sperandum prouocet, ut terrenis renuntiemus, inhaereamus caelestibus. Dicit ergo Dauid: Certamen certatus sum, brauium peto verbi tui, quod promissisti mihi: memor esto promissorum tuorum, quae spondesti seruo tuo. Non usurpatoriè speraui, quae ut sperarem ipse fecisset. Seruus sum, expecto alimentum à Domino: miles sum, exigo ab imperatore stipendium: vocatus sum, postulo ab inuitate promissum. Verecundè autem auctoritatem suae fidei temperauit, dicendo se seruum: quia oculi seruorum in manibus dominorum suorum. Haec ex persona Dauid propria bene prompta sunt. Ceterum si quis informatione cuiusque hominis considerat, potest Leuitis communia promissa librare, sicut habes: Date Leui veros eius, date Leui manifestos eius. Potest etiam populis credentibus, populis electis alloquium istud aptari, potest & surrecturae Ecclesiae conuenienter aptari, cui per typum Ioseph primo in typo eius nominis, deinde per tribuum in primae electionis haeredes transfusa est diuina promissio, dicente Moyse: Primogenitus tauri decor eius, cornua unicomui cornua eius, in ipsis gentes ventilabit simul usque ad terminum terrae. Unicum enim verbum Dei hoc prophetatum oraculo, toto per gentes orbe fundendum. Hoc ergo surrecturae Ecclesiae promissum Dauid verecundus sui, impatiens verò communis profectus morantis exigere videtur. Et addidit.

Haec me consolata est in humilitate mea, quoniam verbum tuum viuificauit me.

Haec spes, quae verbo tuo obuenerit mihi, consolata est me, ut tolerarem acerba praesentium. Dum facit Paulus contra nomen, non habet spei consolationem: dum patitur pro nomine, haurit de spe consolationem; & fidelis factus quomodo nos consoletur accipe. Quis nos separabit, inquit, à dilectione Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an periculum, an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te morti tradimur tota die, aestimati sumus ut oves occisionis. Et qua ratione illa patietur tolerari possint, addidit: Sed in his omnibus superamus, propter eum qui nos dilexit. Ergo si quis vult aduersa superare, si est persecutio, si est periculum, si

mors, si aegritudo grauis, si incurfus latronum, si facultatum proscriptio, si quidquid eorum quae putantur in isto aduersa saeculo: facile superantur si sit spes quae consoletur. Nam etsi illa acciderit, tamen graua esse non possunt dicenti: Existimo enim quod indigna sint passiones huius temporis ad futuram gloriam. Quisquis enim meliora sperat, nunquam leuioribus frangitur. In tempore igitur humilitatis nostrae spes consolatoria est, quae non confundit: tempus autem tentationum, tempus humilitatis animae nostrae arbitror. Humiliatur enim anima nostra dum traditur tentatori, duris examinanda laboribus, ut luctetur & exerceat, congressum contrariae experiens potestatis: sed in his tentationibus viuificatur alloquio Dei. Haec est enim animae nostrae vitalis substantia, qua alitur, pascitur, gubernatur. Nec quidquam aliud est quod viuere faciat rationabilem animam, quam alloquium Dei. Sicut enim augetur sermo Dei in anima nostra, dum suscipitur, dum intelligitur, dum comprehenditur: ita etiam vita eius augetur. Et quemadmodum è contratio alloquium Dei deficit in anima nostra, ita & incurrit eius vita defectum. Itaque ut connexio ista animae & corporis nostri spiritu vitali animatur atque alitur & tenetur: ita verbo Dei & spiritali gratia anima nostra viuificatur. Vnde omni genere studere debemus, ut reliqua omnia posthabentes, congregemus nobis alloquia Dei, & congeramus in principale nostrum, in sensus, in sollicitudines, considerationes, actusque nostros: ut alloquiis diuinarum scripturarum facta nostra conueniant, nec à serie praecceptorum caelestium actus nostri discordare videantur, quod possumus & nos dicere: Quoniam eloquium tuum viuificauit nos.

Superbi inique agebant nimis: à lege autem tua non declinaui.

Maximum peccatum in homine superbia est, quandoquidem inde manauit nostri origo delicti. Hoc telo nos primum diabolus vulnerauit, & percussit. Nam nisi homo serpētis persuasionem deceptus sicut Deus esse voluisset, & verum falsumque cognoscere, quod penitus discernere humana fragilitate non poterat: ideoque quod sequeretur acceperat, ne temeraria usurpatione de illa paradisi felicitate decideret: nisi, inquam, homo suis non contentus finibus, interdicta temerasset, numquam feralis culpa ad nos transisset haereditas. Et quid de homine dicam? Ipse diabolus per superbiam naturae suae amisit gratiam. Denique dum dicit: Ponam thronum meum super nubes, & ero similis altissimo: consortiis excidit angelorum, cuius criminis digna mercede damnatus, hominem sibi participem requisit, in quem consortiū suae transfunderetur offensae. Quid igitur hoc peccato potest esse deterius, quod à Dei ceptis iniuria? Ideoque scriptura dicit: Dominus superbis resistit. Tamquam suae contumeliae impulsator, veluti quoddam suscepit aduersus superbiam speciale certamen. Tamquam dicat: Meus iste aduersarius est qui me iacessit, mihi debetur ista congressio. Vnde & Apostolus multiplicis culpae materiam esse superbiam declarauit, dicens de haeretico: Quia ei quae secundum pietatem est doctrina non acquiescit

acquiescit superbus, nihil sciens, sed languescens circa quaestiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiae, contentiones, sacrilegia, suspiciones male, confidationes hominum mente corruptorum, & à veritate alienorum, existimantium quatum esse pietatem. Quatorum itaque expressit causam esse delictorum superbiam? Vnde Dauid commendare volens deuotionem suam nonnulla superbiorum iniquitate attentatam, ait: Superbi inique agebant nimis. Non solum iniquitatem agentium, sed etiam nimiam iniquitatem pariter declarauit, quae conueniret superbis. Quorum ne aliquo tentaretur contagio, audi alibi dicentem: Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam. Itaque quoniam quanta vis mali in superbis esset, expresserat: quemadmodum vinceretur, debuit nos docere. Meritoque quasi bonus doctor demonstrat remediū, qui exaggerauit venenū. Audi ergo quomodo excludas virus superbiam: A lege (inquit) tua non declinaui. Lex igitur Dei sola potest superbiam virus hebetare, quae informauit virum deuotioni deditum, docens quali se regere debeat cautione. Multi enim non solum alieniā fide, sed etiam qui videntur non mediocria scripturarum praeccepta gustasse, tentari solent praesertim superbiorum processibus, videtes eos qui praueuantur legem, impietatis arbitros, arrogantes, contemptores fidelium, extollentes se aduersus eos qui humiliant cor suum secundum timorem Dei, & praeccepta caelestia, abundare in hoc saeculo diuitiis, praeconiis, honoribus, potestatibus, eisque quo grauiora commiserint, affluentiores successus commodorum saecularium laborare: contra autem iustos viros plerumque laborare inopia, amissionibus filiorum, sterilitatibus coniugum: quo exagitati atque turbati, sensum mentis inclinant, ut putent Dei in hoc quoddam errare iudicium, non tenentes caput veritatis: quo euidentissimè comprehenditur non in hoc saeculo, sed in futuro repositam nostrorum remunerationem esse meritorem. Sed paucorum est istud aduertere. Denique in principiis etiam Dauid ipse tentatus est, sicut habes scriptum: Ecce ipsi peccatores & abundantes in saeculo, obtinuerunt diuitias, & dixi: Ergo sine causa iustificauit cor meum, & laui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die? Ita igitur & nostrum vnusquisque, qui perfecti non sumus, haec vidēs dicit: Vbi est prouidentia Dei? vbi iustitia? Superbus iste abundat, arrogans iste locupletatur, impius iste beatus & potens est: iustus autem ille vides quemadmodum iacet deiectus atque despectus, quemadmodum ipso victu indiget, afficitur contumeliis ab isto impio, ab isto insolente conculcatur, excluditur? Non mediocris vtiq; ista tentatio est, nisi ad ea quae sunt ventura prospicias, nisi praecceptis plenius caelestibus instruaris. Denique & Dauid putabat se ante haec cognoscere, sed nesciebat: & ideo anxius fluctuanti animo laborabat. Vnde ait: Et aestimabam me cognouisse, & hoc labor est ante me, donec ingrediar in sanctuarium Dei, & intelligā in nouissimis. In quibus per id quod se extulerunt superbi, vidit propheticis spiritu deiectiones fore, & ait, Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, & exterminati sunt propter iniquitatem suam, sicut somnium exurgentis?

Cognouit igitur impiorum successus in hoc saeculo somnii esse similes, non veritatis, quorum emolumenta tamdiu videntur esse, dum dormiunt. Vbi dormierint somnum suum qui videbantur sibi portare, iam sicut: qui epulabantur, esuriunt: nihil solidum ex isto somno perfectumque referentes. Et bene somnum suum dormiunt saeculares viri, qui licet saeculo vigilent, Deo dormiunt. De quibus bene sanctus Iob, qui eorum ante affluentiam mirabatur, ait: Quia sicut palea iactantur à vento, & sicut puluis turbine dissipantur: moriuntur autem cum amaritudine animae suae, nihil manducantes, nihilque boni habentes. Iustus autem habēs bonae fiduciam conscientiae, in suis magis nouissimis gratulatur, & se vitae huius exitu à laboribus intelligit liberari, mercedemque boni operis & factorum requirit, dicens: Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Non solum autem mihi, sed & omnibus iis qui diligunt aduentum eius. Sed hoc ille ait, qui poterat dicere: A lege autem tua non declinaui. In quo non solum boni operis elucet gratia, sed etiam intimae puritas conscientiae. Lex enim non solum agendi munus informat, verum etiam fecerit emundat mentis affectum. Non enim solum in operibus, sed etiam in ipsis oculis secundum legem Domino militamus, quia lex dicit: Non fiat verbum occultum in corde tuo, iniustitia: ut non solum nihil in opere factitque delinquas cum superbos videris gloriari, nec sermone labaris, sed ne in corde quidem intimo, dum de Dei iudicio disceptas, contrahas iniquitatis offensam: quae quo putatur occultior, frequentior esse consuevit: quia puto hoc viri sancti esse propositum, quo putat vnusquisque, quod huiusmodi disceptatione velut septus visceribus suis, conscientiae suae credat, cum ipse sui accusator in die iudicii sit futurus; qua reuelantur cordis abscondita, testimonium perhibente conscientia accusationibus nostris. Cuiusmodi igitur sit propositum viri sancti, hoc euidentius loco exponitur. Primum enim memor esse debet promissorum caelestium, secundum quae viuentibus merces statuta debetur. Deinde aliud propositum viri sancti est, ut etiam si in periculis & in aduersis positus sit: spe tamē quam haurit ex serie diuinarum scripturarum, se debeat consolari. Tertium propositum, ut etsi impios & sacrilegos videat, & superbos inique agentes, abundare diuitiis in hoc saeculo: non quasi incredulus declinet à lege, sed in eius semitis perseueret, & fugiat superbiorum contagia. Contaminat enim omnis immundus: immundus autē superbus, de quo scriptum est: Immundus ante Deum omnis tumidi cordis. Quartum propositum viri sancti, ut memor sit iudiciorum caelestium, sicut Dauid asserit, qui dicebat.

Memor fui iudiciorum tuorum quae à saeculo sunt, & me consolatus sum.

Nisi enim vnusquisque legis instruetus & formatus exemplis, credat semper vera esse Dei iudicia, cito declinat à lege. Qui autem praeterita repetit, & diligenter colligit seriem vetustatis, cognoscit quod neque peccator praenam suae improbitatis euadat, neque iustus equitatis suae praemiis defraudetur. Re-

Exch. 13. Leuit. 16.

Esai. 43.

Esai. 1. 2. Tim. 4.

Hebr. 6. 2. Reg. 7.

Psal. 122.

Deut. 33.

Ibid.

Act. 9. 2. Tim. 1.

Rom. 8.

Psal. 43.

Rom. 8.

Ibid. Rom. 5.

Deut. 8.

Ephes. 4.

Gal. 6.

Him. 11.

Psal. 72.

Coloss. 2. 2. Cor. 5.

Psal. 72.

Exch. 18. Esai. 14.

Iacob. 4.

Psal. 72.

Ibid.

2. Tim. 6.

Esai. 29.

Iob. 21.

2. Tim. 4.

Deut. 15.

Rom. 20.

Psal. 72.

Prover. 16.



Genes.3. texit enim animo quod ab initio Adā propter man-  
 dati cælestis præuaricationem de paradisi eiec-  
 tus sit incolatu; & Cain parricidalis sceleris pretium diu-  
 næ sententiæ auctoritate damnatus exoluerit: quod  
 Genes.4. Enoch propter deuotionem raptus ad cælum, ter-  
 Genes.5. renæ malitiæ virus euaserit: quod Noe propter iu-  
 Genes.7. stitiam diluuij victor, generis factus superstes huma-  
 Genes.15. ni sit: quod Abraham propter fidem seminarium  
 Genes.32. posteritatis suæ toto orbe diffuderit: quod Israel  
 propter laborum tolerantiam, populum credētium  
 proprij nominis signaculo consecrauerit: quod ipse  
 1. Reg. 15. Dauid propter manufacturam regali honore do-  
 4. Reg. 3. natus, senioribus fratribus antelatus sit: quod Elias  
 propter zelum Dei, curru eleuatus in aerem, cæle-  
 stis sedis hospitium noui generis acquirerit inco-  
 latu. Hæc qui nouit retexere, habet vnde gratiam  
 suæ consolationis acquirat: econtra, qui non nouit,  
 non habet vnde consoletur. Quapropter custodia-  
 mus iudicia Dei, quia iudicia Dei vera, iustificata in  
 femetipsa, desiderabilia super aurum & lapidem pre-  
 tiosum, & dulciora super mel & fauū: etenim seruus  
 tuus custodit ea. Custodiētī igitur dulcia sunt diu-  
 na iudicia, negligenti autem ea amara esse non du-  
 bium est: quia non aduertit in opprobrij turpitudi-  
 ne peccatorum propositum sibi diuinæ euentum  
 esse sententiæ. Qui autem bene sibi conscius est,  
 non turbatur vtique, dicens: Hæredes sumus Dei,  
 cohæredes autem Christi: si tamen compatiatur,  
 vt & simul glorificemur. Sed quis nostrum huius-  
 modi, vt se diuinorum iudiciorum serie consoletur?  
 Terribilia sunt peccatoribus etiam humana iudicia,  
 quanto magis diuina formidini sunt? Denique vt  
 hoc illa quæ æterna sunt, colligamus exemplo, vi-  
 demus in hoc sæculo innocentes lætos ad iudicium  
 festinare, odisse moras, celeritatem affectare iudicij:  
 reos autem refugere & pauere, differre, vitare, mœ-  
 stificari denique cum diem iudicij audierint consti-  
 tutum. Beatus itaque ille qui illud cæleste iudicium  
 lætus expectat. Scit enim sibi regnum cælorum, an-  
 gelorum confortium, coronam quoque bonorum  
 repositā esse meritorum. Consideremus nunc quod  
 sit aliud propositum viri sancti, & ex sequentibus æ-  
 stimemus.

Puſſanimiras detinuit me à peccatoribus  
 derelinquentibus legem tuam.

Non est hoc commune cum multis, nam pluri-  
 morum est contristari si quam ab aliquo patiantur  
 iniuriam, si læsi, si appetiti, si decolorati sint. Nostra  
 enim causa est: nos infirmiores fraudi nobis aliquos  
 dolemus fuisse. At verò qui fortior est, non propriā  
 contumeliam dolet, sed aliena peccata: & in sua in-  
 iuria lapsum alterius ingemiscit: & causam se fuisse  
 deplorat lædentis erroris. Exemplum accipe apo-  
 stolicum. Paulus enim peccatum stebat alienum, sicut  
 ipse ait: Nam ex multa tribulatione & angustia  
 cordis scripsi vobis per multas lacrymas. Et cum ip-  
 se tristaretur, eos ipsos quos arguebat, contristari  
 nolebat. Denique addidit: Non vt contristemini,  
 sed vt sciatis quā charitatem habet in vobis abun-  
 dantius. Contristari enim volebat vsque ad pœni-  
 tentiam lapsos, nō vsque ad mœstitiam profundio-  
 rem, tantum vt eorum qui arguebantur, mœstitia

Gaudium fieret arguenti. Vnde ait: Si enim ego con-  
 tristo vos, quis est qui me lætificet, nisi qui cōtrista-  
 tur ex me? Arguit itaq; vt alleuet diuturnitatē mœ-  
 stitiæ, quo pœnitentia fieret in salutem: damnat, vt  
 absoluat: excludit, vt recipiat: non ignoscit, vt libe-  
 ret. Ideo talis Paulus, quia bene peritus in lege, co-  
 gnouerat præceptum dicentis: *Puſſanimiras detinuit  
 me à peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Dolebat  
 Dauid, non quia contemebatur, non quia ipse ap-  
 petebatur, sed quia lex Dei relinquebatur: & eorum  
 qui hoc faciebant, dānum dolebat, quod perirent  
 Deo. Sicut bonus pater in phrenesi constituti filij,  
 cum ab eo maledicatur, verberetur, afficiatur iniu-  
 riis, non suam sed ægroti desert ærūnam: & contu-  
 meliam dolet, nō quod sibi sit irrogata, sed quia per  
 furorem quid faciat eger ignorat: ita vir bonus cum  
 videt peccatorem nō reuereri, non honorare etiam  
 canos senioris, quo præſente faciat aliquid indignū,  
 non agnoscere quadam peccandi infantia, quā in-  
 decora & inhonesta committat, quasi moriturum  
 dolet, quasi desperatum à medicis ingemiscit: & vt  
 bonus medicus primò monet, deinde etiam si gra-  
 uia patiatur, tamen tamquam ille ægrum, et si cæda-  
 tur, sustinet: & si maledicatur, nō relinquit: & quid-  
 quid potest medicinæ adhibere, non denegat: nec  
 tamquam contumacem deserit, sed tamquam bene  
 de se meritum omni studio sanare contendit: exer-  
 cens non solum artis peritiam, sed etiam mentis be-  
 nignitatem. Ita ergo etiam iustus & cum contem-  
 nitur à peccatore, non auertitur: & cum læditur, fu-  
 roris illud putat esse, non improbitatis: magisque  
 vulnere eius medicinam afferre desiderat, & com-  
 patitur & dolet: non propter se, sed propter illum  
 qui desperato laborat incommodo, & dicit hunc v-  
 num ex fratribus sic laborare, sic affici, vt faciat mi-  
 hi iniuriam: qui si agnosceret me, honoraret vtique,  
 non læderet. Quid enim? Læsus est meo facto, vt  
 habeat lædentis affectum? Ergo cum non suppetit  
 causa lædendi, non potest culpa esse propositi. Er-  
 go si iustus sum, afficior propter charitatem, propter  
 dilectionem, propter Ecclesiæ damnum, propter  
 corporis detrimentum. Possū etiam illud dole-  
 re, quod etiam si ego lædentem non læserim, &  
 non sum mihi conscius quod eum in me aliquibus  
 iniuriis excitauerim, tamen causa illi fuerim lapsus  
 eius, quod innocentē me lædendo delinquat, quod  
 factus sim ei materia peccati. Hoc ergo dolet Da-  
 uid, & ideo dolet, quia cum vnum membrum pati-  
 tur, & cætera membra compatiuntur. Ideo fortē &  
 illud positum est: Iustus in exordio sermonis accu-  
 sator est sui. Nam et si possit iustus habere nihil in se  
 quod accuset, & iustus nō esse (quia nemo sine pec-  
 cato præter vnum Deum) & possit etiam peccator  
 hoc ipso iustus esse, quia accusator est sui, secundum  
 illud: Dic iniquitates tuas, vt iustificeris: attamen  
 forsitan etiam aliquibus non videatur absurdum vt  
 etiam de illo dictum sit, quod iustus sit qui se accu-  
 sat pro alio, etiam si in se nihil habeat quod accu-  
 set. Quā igitur in his omnibus sancto Dauid viri  
 iusti persona conueniat, consideremus. Accusauit  
 se nullo accusante, peccatum confessus est prop-  
 prium, quando percussus est in corde, eo quod nu-  
 merauit plebem. Qui & dixit ad Dominū: Peccaui  
 Domine,

ibid. 2. Cor. 7.

Act. 22.

Sapient. 2.

1. Cor. 11. Prover. 13.

Marc. 10.

Esaiæ 43.

1. Paral. 21.

Domine, quod fecerim hoc verbum: & nunc Do-  
 mine aufer iniquitatem serui tui, quod deliqui ve-  
 hementer. Itaque quamuis scriptura habeat quod  
 apposita est ira Dei vt irasceretur in Israel, quod regis  
 prolapsio excusari videretur: tamē cum vidisset an-  
 gelum qui stragē plebis efficiebat, percussus iētū  
 seipsum obiecit, dicens: Ecce ego peccaui, & ego  
 peccator malignum feci: & hic grex quid fecit? Fiat  
 manus tua in me, & in domum patris mei. Quasi ius-  
 tus ergo accusator sui fuit in ipso sermonis exor-  
 dio, & peccatum suum agnouit, & iniquitatem prop-  
 priam confitendo, iustificatus est in femetipso. Alibi  
 quoque de Viriæ morte coargutus à propheta ait:  
 Peccaui Domino, cui responsum est, propter pœni-  
 tentiā ablatum à Domino eius esse peccatum. Item  
 alio loco cum Semei malediceret ei, & lapidaret  
 eum septū bellatoribus, per quos vindicare se pos-  
 set, patienter ferebat, ne verbo quidē referens con-  
 turneliam: quinetiam cum Abessā dux eius caput  
 maledicentis vellet auferre, ait rex: Quid mihi & ti-  
 bi est fili Samiæ? Quod maledixit mihi, Dominus  
 dixit ei maledicere Dauid. Primum igitur culpam  
 eius excusauit, & causam ad Domini retulit volun-  
 tatem. Secundo in suam meritum retorſit, vt non  
 illum errasse, sed se meruisse significaret. Tertio ma-  
 ledictionē illius sibi non solum nō nocere, sed etiam  
 prodesse memorauit, sicut scriptum est: Et dixit Da-  
 uid ad Abessā, & ad omnes pueros eius: Ecce filius  
 meus qui exiuit de semine meo, quarit animam  
 meam: quanto magis filius Iemina? Granditer im-  
 petram fregit vltoris. Quomodo enim maledictum  
 extranei pro regis iniuria vindicaret, cum filij ad-  
 huc parricidium inultum maneret? Nō vtique extra-  
 nei maledictum, & filij parricidium æqua esset læce-  
 pensandum. Et addidit: Sine illum maledicere, quo-  
 niam dixit illi Dominus, donec videat humilitatem  
 meam, & retribuatur mihi Dominus bona pro maledi-  
 cto. Est & aliud iusti propositum longē omnibus  
 perfectius & potentius, interuenire pro persequen-  
 tibus, & excusare peccantes; quod legimus in Euā-  
 gelio dicente Domino Iesu cum crucifixus esset à  
 perfidis: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faci-  
 unt. Liqueat igitur his magisteris doctrinæ cæle-  
 stis quod iustus se accusare malit, quā aliū desor-  
 mare. Denique de Ioseph cui desponsata erat Maria  
 mater Domini, scriptum est quod cum eam gra-  
 uem vtero vidisset, cum esset iustus, noluit eam tra-  
 ducere: & vtique nullum adhuc audierat oraculum.  
 Ita non solum ab vltionis atrocitate, sed etiā ab ac-  
 cusationis ferocitate persona iusti aliena est: potiūſ-  
 que ducit suam remissionem accusari quod nō vin-  
 dicauerit, quā alienum crimen vrgere. Sed di-  
 ces, Quomodo dixit ipse Dauid: Lætabitur iustus  
 cum viderit vindictam impiorum? Mihi videretur  
 quia læteretur quod ipse euaserit, non quia impij pu-  
 niantur. Queramus aliud propositum ex sequenti-  
 bus. Itaque dicit:

Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ,  
 in loco peregrinationis meæ.

Meritò peregrinationibus non frangebatur, su-  
 perbos declinabat, eorumque prosperis successi-  
 bus non mouebatur. Conſolabatur se in iudicij ca-  
 S. Ambr. tom. 2.

lestibus,angebatur in alienis peccatis, quia cantabi-  
 les habebat iustificationes Dei. Quæ enim bene re-  
 nemus, cantare consueuimus: & quæ melius cātan-  
 tur, melius nostris adhærent sensibus. Nō ergo per-  
 functoriē tranſeamus quæ legimus, vt tunc tantum  
 cum legimus ea, in memoriam eorum redire videam-  
 mur: sed etiam cum abest codex manibus, tāquam  
 animantia quæ probantur & mūda habentur in lege,  
 etiam quando non pascuntur, ruminare consuevit,  
 ex semetipsis alimenta sibi recondita proferētia, ita  
 & nos de nostræ memorię thesauro, de interioribus  
 nostris ruminandū nobis pabulum spirituale proma-  
 mus. Hymni nobis, canticum nobis, psalmi nobis  
 iustificationes Domini sint. Psallamus spiritu, psal-  
 lamus & mente: ne si obliu fuerimus, in tēpore ne-  
 cessitatis dicatur vnicique nostrum: Abieciſti ser-  
 mones meos post te. Ideoq; vt expelleretur & eli-  
 minaretur obliuio à domo sancta sua; cantores sibi  
 fecit rex verus Salomon, qui toto spiritu inquirēda  
 cognitioni diuinitatis intēderent, ne psallētes dees-  
 sent Ecclesiæ suæ, quorum cantu nequam spiritus  
 fugaretur, sicut Dauid sancti docemur exēplo, quo  
 psallente malus ille spiritus expellebatur, qui Saul  
 regis corda vexabat. Propheta quoque vt prophē-  
 tarent, psallendi peritum iubebant psallere, quō sca-  
 ui inuitata dulcedine spiritalis infunderetur gratia.  
 Et in Euangelio legimus in domo patris illius filium  
 recuperantis percipuisse symphoniam, qua epulan-  
 tes delectabantur fideles, perfidus autem impacien-  
 ter audiebat. Dulcis igitur cantilena, quæ non cor-  
 pus effocinat, sed mētem animūque confirmat.  
 Ideoque canticum dicitur Domini testamentum,  
 quia remissionem omnium peccatorum, Dominiq;  
 iustitias in scripturis Euangelij suauis mentis exulta-  
 tione concinimus. Ipse quoque Dominus nō dedi-  
 gnatus est dicere: Cantauimus vobis, & non salta-  
 stis. Cantauit nobis in Euangelio veniam delictor-  
 um: debuerunt Iudei mentem attollere, nō histrio-  
 nico corporis motu, sed sancto spiritu. Non fecerūt,  
 ideo reprehenduntur. Sed etiam corporis saltatio  
 in honorem Dei laudabilis habetur. Denique salta-  
 uit Dauid ante arcam Domini, & vidit Melchol filia  
 Saul cum saltantem, & percussentem in organis  
 in conspectu Domini, & ait ad eū postea-  
 quā se domum recepit: Quid vtique honorifica-  
 tus est rex Israel, quia denudatus est hodie in oculis  
 puellarum suarum ancillarum, sicut vnus ex saltato-  
 ribus? Et dixit Dauid ad Melchol: Saltabo in con-  
 spectu Domini. & Benedictus Dominus qui elegit  
 me super patrem tuum, & super omnem domum il-  
 lius, vt constitueret in principem super plebem eius  
 Israel & Iuda: saltabo in conspectu Domini, & de-  
 nudabor adhuc sic, & ero nugax in conspectu tuo;  
 & cum puellis cum quibus dixisti me nudatum,  
 glorificabor. Et Melchol, inquit, filia Saul non erat  
 filius vsque in diem mortis eius. Euidēs itaq; exem-  
 plum quod Propheta qui & percutebat in organis,  
 & saltauit ante arcam Domini, iustificatus est: &  
 illa quæ reprehendit eum, sterilitate damnata est.  
 Sed non fatis est vt aliquis cantabiles habeat iusti-  
 ficationes Dei, nisi terrenarum exuat se vitio soli-  
 tudinum. Ideoque addidit: *In loco peregrinationis  
 meæ.* Cōcūnit sibi, siquidem & alibi ait: *Aduena sum*  
 D d

psal. 18.

1. Reg. 8.

Apo. 2.2.

Luc. 21.

2. Tim. 4.

2. Cor. 2.

ibid.

3. Reg. 24.

1. Reg. 12.

2. Reg. 16.

ibid.

ibid.

ibid.

Luc. 13.

Matth. 1.

psal. 57.

ibid.

Leuit. 11.

Matth. 12.

1. Cor. 14.

psal. 49.

2. Paral. 5.

1. Reg. 16.

4. Reg. 3.

Luc. 15.

Luc. 7.

2. Reg. 6.

ibid.

psal. 38.

Ephes. 2.

2. Cor. 5.

Dani. 3.

Psal. 70.

Exod. 15.

Psal. 1.

Eccl. 7.

1. Cor. 12.

Psal. 6.

Psal. 118. inf.

Eccl. 23.

Psal. 33.

Rom. 2.

ego in terra hac. Vnde & Apostolus non vult nos in domo Dei, fidei vocatione aduenas esse & peregrinos, sed ciues sanctorum & domesticos Dei. Qui enim domesticus Dei est, exul est mundo: qui conuersatur in caelestibus, peregrinus est terris. Peregrinabatur in hoc mundo Hebraei tres illi pueri, naturam incendij non sentientes. Cantabiles habebant iustificationes Dei, cum hymnum Deo de creaturarum laudatione cantarent. Deinde qui cantat, vacuus est, & diuersarum cogitationum curas releuat, culpas relegat, sequitatur auaritiam, & non solum corporis voce, sed etiam metis suauitate se mulcet. Non enim tamquam mcestus inopiae sollicitudine, sed tamquam liber ab omnibus corporalium affectibus passionum caneat idem Propheta: Psallam tibi in cithara sanctus Israel. Gaudebunt labia mea cum cantauero tibi, & anima mea qua redemisti. Cantabat haec laetus tamquam his melioribus epulis pasceretur. Epulabatur enim animus pia deuotionis alimento. Non solum itaque hymni & psalmi, sed etiam legis praecipua cantabilia sanctis sunt. Denique cantauit Moyses qui legem accepit, cum praetergressus pedibus mare seruati populi ductor iustificationes Domini praedicaret. Superest adhuc propositum egregium viri iusti: quia omni tempore circa Dei laudes esse debet intentus, non solum die, sed etiam nocte. Ideoque addidit.

**Memor fui nocte nominis tui Domine, & custodiui legem tuam.**

Videamus si & ille memor est qui vocat Dominum verbo, non custodit autem mandata diuina. De quo dictum est satis, quia non quicumque dicit, Domine domine, acceptus est: sed qui operibus bonis fidelem suum probare potuerit affectu. Fides ergo, probitas, innocentia memorie probant. Quod autem ait: *Memor fui nominis tui*, plena deuotio est: quia nemo dicit Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. Hoc nomen inuocetur diebus ac noctibus, nullum tempus praedicandi vacuum sinat sancta deuotio praeterire. Si studentes igitur doctrinis saecularibus perparum somno indulgent: quanto magis qui Deum cupiunt cognoscere, non debent somno corporis impediri, nisi quantum naturae satis est? Dauid per singulas noctes lectum suum lacrymis diluebat: surgebat etiam noctis medio, ut Domino confiteretur: & tu totam noctem sopori existimas deputanda? Tunc magis tibi orandum est Dominus, tunc praesidia postulanda, culpa cauenda, quando videtur habere secretum: tunc maxime quando tenebrae in circuitu meo, & parietes me operiunt, considerandum quia Dominus omnia intuetur abscondita. Ne dixeris ergo circumfusus tenebris: Quis me videt? Et quem vereor septus parietibus & inclusus? Quia vultus Domini super facientes mala. Deinde si arbitrum non vides, te ipsum non vides? Tuae conscientiae testimonium non vereris? Nescis illam calliginem noctis, non oportorium, sed incertium esse peccati? Cum somno & cibo feruent corpora, tunc etiam vigor mentis sopore laxatur, somno resoluitur, tunc irrepit impuri libido concubitus, tunc perturbatur cor, squalor immunditiam non veretur, castitatis puritas non consideratur, pudicitiae gloria non

recensetur. Nox erat quando Iudas prodidit, quando Petrus negauit. Illo igitur praecipue tempore iustificationes Dei animo retendenda sunt, relegenda mandata hortatoria. Illa de castitate praecipua non absint, ut his occupata mens flagrantiam libidinis, carnis restinguat ardorem. Tene illud animo: Lauabo per singulas noctes lectum meum. Quis enim stupris deditus, flagitiis inuolutus, lauat per singulas noctes lectum suum? Nescit flere qui secula committit: & cum sit ipse lacrymabilis, non habet culpa lacrymas suae. At ille qui castigat corpus suum, & sui sollicitus gubernator est, atque ingemiscens & dolens lapsus superioris offensam, quaerit quomodo abluat fletibus poenitentiae: hic lauat per singulas noctes lectum suum. Non dormiamus ergo totis noctibus, sed maximam partem earum lectioni & orationibus deputemus. Audi Ecclesiae vocem quaerentis etiam in noctibus Christum: In cubili, inquit, meo in noctibus quaesiuimus quem dilexit anima mea. Accipe secundum litteram. Quaesiuimus in noctibus orando, deprecando, etiam lacrymis deplorando. Quaesiuimus in noctibus, quia posuimus tenebras latibulum suum, ut quaerere eum sollicitius disceremus. Quaesiuimus igitur in prophetis Ecclesia ex gentibus congregata, & ideo credit. Denique aduentus dominici testimonia de prophetis Euangelistae psalmisque posuerunt. Vnde scriptum est, quia nox nocti indicat scientiam. Quaesiuimus in noctibus, in persecutionibus & aduersis, in tribulationibus & laboribus duris. Nox est omnibus quibus non est perfecta securitas. Vnde ait Dominus: Veniet nox, quando nemo potest operari. Cum in hoc mundo sum, lux huius mundi sum. Non ergo operemur in tenebris. Si enim lucent opera nostra, non operamur in tenebris, sed in lumine. Dies est quibus adest Christus: nox est quibus se denegat. Non magnum ergo si tunc Domino gratias agas, quando in prosperis & secundis es: sed si tunc adhaereas Christo, quando te persecutor exagitat, quando aliqua procella perturbat. Amisisti filium? In illo dolore, in illa nocte, in illa destitutione memento Domini Dei tui, ne quasi non exauditus, ingratus sis, & in tua prauariceris erumna. Pulsus es in exilium? Memento Domini Dei tui, ne patriae interdicta charitatem Deo praeferas. Alicuius diuitis oppressus potentia amisisti proprias facultates, indiges sumptu? Memento Domini Dei tui, ne nox te egestatis abducatur a deuotionis affectu. Hoc est enim mandatum legis, ut in nocte magis quaeras, quando magis exaudiaris a Domino, & possis dicere: In tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine. Sed nec quaerere perfunctorie abundat ad gratiam, sed ut insistas & intendas muneris. Denique ista vel Ecclesia vel anima quaerit requisitum in cubili, quaesiuimus in noctibus: primo non inuenit, quia fortasse in cubili quaesiuimus: sed posteaquam surrexit, & abiit in ciuitatem (vide ne illa ciuitatem in qua Dominus celebraturus pascha discipulos destinauit, dicens: Ite in ciuitatem ad quendam (posteaquam in foro, ut dixi, quaesiuimus, inuenit quem dilexit, ubi oleum venditur, quod expectantes spiritum emere consueverunt, ubi ius, ubi leges. Si lex spiritalis, & forum est vtrique spirituale, ubi disputant periti legis aeternae. Quod forum non litibus tumultuosum est,

Ioan. 18.

Psal. 6.

1. Cor. 9.

Psal. 6.

Cant. 3.

Psal. 17.

Psal. 18.

Ioan. 9.

Ioan. 3.

Ephes. 5.

Psal. 117.

Cant. 3.

Genes. 15.

Psal. 117.

Psal. 18.

Eccl. 1.

Psal. 93.

Math. 25.

Rom. 7.

est,

1. Cor. 9.

Cant. 3.

Eccl. 1.

Eccl. 1.

Eccl. 1.

Eccl. 1.

Eccl. 1.

Eccl. 1.

Eccl. 1.

Eccl. 1.

Eccl. 1.

Eccl. 1.

Eccl. 1.

Eccl. 1.

Eccl. 1.

Eccl. 1.

Eccl. 1.

Eccl. 1.

Eccl. 1.

Eccl. 1.

est, sed Christi tribunalibus gloriosum. Vbi quaesiuimus, inquam? In foro, & post quaesiuimus in plateis, de quibus hi qui ad patris familias euangelici praedium conuenirent, colligebantur: qui vocati excusandum se ab huiusmodi epulis non putarunt. Posteaquam in foro, inquam, & plateis quaesiuimus, incidit in eos qui circumueunt ciuitatem, & tunc demum potuit inuenire quod quaereret, fortasse quod in tribulatione & metu posita magis inueniat gratiam. Denique posterius ait: Inuenierunt me qui circumueunt ciuitatem, tulerunt mihi pallium. Habuit ergo certamen, sed qua ratione supra non tulerint pallium, haec reo reperire, nisi forte quia ibi interrogasse se dixit: Numquid quem dilexit anima mea, vidistis? Quae Christus loquebatur, nec exuta est pallio, & quem quaerebat inuenit. Disce quemadmodum quaeratur Christus. Ab his vtrique qui non perfunctorie quaerunt, violenter retinet: sicut ista quaerit ait: Tenui eum, & non dimisi eum. Fide inuenit, meditatione constrinxit. Si bonos custodes accipimus, vtrique angeli sunt. Qui vero angelos transiit, verbum inuenit: ideo non multum interualli fuit cum transiit ab his & inuenit Iesum. Quomodo ergo infra tulerunt pallium, nisi forte quia processu operis siue fidei Ecclesia dum nudatur, a Domino plus amatur, expolians se veterem hominem, ut nouum induat, quem non operiunt indumenta, sed mentis secreta clarificant: aut quia amictum sapientiae saecularis ad Christum ventura deposuit? Et Noe exutus est pallium posteaquam cepit esse perfectior. Simus ergo memores iustificationum caelestium, ut dum eas secreta mentis voce cantamus, memores simus in nocte nominis Domini, & dicamus ut scriptum est:

**Haec facta est mihi, quoniam iustificationes tuas exquisiui.**

*Haec facta est mihi.* Hoc est, haec memoria facta est mihi, ut memor essem & in nocte nominis tui, non ebrietate sopitus, non epulis resolutus in somnum, non curis saecularibus occupatus, ne obliuia mihi tuae venerationis irrepent: sed quotidiana meditatione membra castigans, & intentionem mentis exercens, ut assiduitate fiat nobis cursum iste solemnem, ut Dominum Iesum etiam in noctibus toto veneremur affectu, cui est gloria, laus, perpetuitas a saeculis, & nunc, & semper, & in saecula saeculorum. Amen.

*In octonarium octauum enarratio.*

**Heth.**

**O**ctava littera Heth, quae interpretatione Latina dicitur pauor. Sanctorum pauor esse confucit. Denique pauor cecidit in Abraham, cum sacrificium offerret plenum mysterij spiritualis. ipse quoque Dauid ait: Ego dixi in pauore meo, omnis homo mendax. Religionis enim reuerentiam significat magis quam infirmitatem timoris: licet etiam ipse timor secundum Deum sanctus sit. Initium enim sapientiae timor Domini. Ergo qui timent Deum, sapientes sunt: qui autem sapientes, beati. Beatus enim quem tu erudicis Domine, & de lege tua docueris eum. Hi quoque qui timet Deum, beati sunt,

A sicut exempli extat auctoritas, quia beati omnes qui timent Deum. Hoc ita colligitur, quia timentes Deum, & sapientes sunt, & beati. Sanctus igitur timor Domini, quia verè sanctorum est pauor. Denique praemissa hac littera, statim sequitur persona iusti, dicens:

**Portio mea Dominus, dixi custodire legem tuam.**

Codices plerique hunc versiculum qui primus est litterae octavae, ultimo loco litterae habent septimae. Sed secundum Hebraeos emendatus apud Gregos Psalmodum liber hunc versum docuit nos octavae litterae copulandum. Deinde ordo ipse & numerus versuum ita conuenit, ut ab eo incipiat octava littera. *Portio* (inquit) *mea Dominus*. Quam rarus in terris qui potest dicere: *Portio mea Dominus*; quam alienus a vitiis, quam segregatus ab omni labe peccati, qui nihil habeat commune cum saeculo, nihil mundi huius vendicet sibi, cui non sit corporalium possessio cupiditatum, quem non inflammet libido, non stimulet auaritia, non lasciuia effoeminet, non luxuria decoloret, non sternat ambitio, non maceret inuidia, non aliqua negotiorum saecularium cura sollicitet, verus minister altaris, Deo non sibi natus. Leui enim (ut habet interpretatio) significat ipse mihi assumptus, significat & ipse meus, significat & tantum assumptus, significat & assumptus mihi. Ipse idè & mihi Leui & Deo est: quomodo idem & mihi sacerdos & Deo est, & mihi aduocatus, & Domini deprecator; pro me offerens sacrificium, & idè se offerens Domino. Denique & alibi Leui interpretatione dicitur, pro me. Etenim si a me nominetur Leui, pro me est. Si pro me offerat, pro me est: si pro me interueniat, pro me est. Sin autem vocetur a Domino, ipse mihi dicitur: hoc est, non alij tributarius, non decimarius, non de possessione munificus. ipse mihi, hoc est, tamquam abundans: pro his omnibus, non ab hoc decimas, non fructus, non dona quaero, non munera, ipse mihi pro munere est, ipse est pro tributo, non in possessione sua munificus mihi, sed ipse mihi possessio, ipse meus fructus, ipse meus sensus, assumptus mihi, vel assumptus a me. Non potest hoc sine diuina esse gratia. Sicut enim possessio non potest mea esse nisi emero eam, sic non potest esse Leui, nisi fuerit assumptus a Domino. Cum enim assumptus fuerit, rectè dicitur ipse meus. Denique cum Moysi dictum esset ut populo Iudaeorum per tribus singulas diuideret incolatus, & distribueret singulis tribubus portiones, tribu Leuiticam excepit Deus, dicens: Filiis Leui non erit portio neque fors in medio fratrum suorum, quia Dominus Deus pars eorum est. Et alibi: Ego Dominus portio eorum. Negatur his terrena diuisio, ut ipsi dum saecularem sibi non vendicant portionem, fiat caelestis possessio. Vel hoc solum nouerint possidere, hoc est, fidei & deuotionis obsequium, multo ditiores quam qui possessionum suarum spatia amplius diffundunt. Quantumlibet fines suos extendant, & terra deficit, & mare includit infanas cupiditates, & pendunt tributa maiora quam fructus sunt. At verò iste nihil possidens, nulli nisi Deo militat, supra terram eius est portio, non cum terra deficit.

D d ij

non mari clauditur. Cui portio Deus est, totius pos-  
 sessor est naturæ. Pro agris igitur ipse sibi factus est,  
 habens bonum fructum, qui numquam possit perire.  
 Pro domibus factus est sibi, ut sit habitatio Domini,  
 & templum Dei, quo nihil potest esse pretiosius. Quid  
 enim pretiosius Deo? Aut quid deest ei viro qui po-  
 test dicere: Non contingat mihi gloriari nisi in cru-  
 ce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mun-  
 dus crucifixus est, & ego mundo? Non potest in hoc  
 princeps mundi huius sibi cōsortium vindicare, in  
 quo nihil suum inuenit. Ideo quæ Dominus qui ve-  
 nit docere ut fieret nobis Deus portio, ait: Venit  
 enim huius mundi princeps, & in me inuenit nihil.  
 Merito quæ imitatores sui esse volēs, ait: Nolite pos-  
 sidere aurum, neq; argentum, neque pecuniā. Vnde  
 Petrus ostendens in Deo portionem sibi esse, non  
 in sæculo, ait: Argentum & aurum non habeo, sed  
 quod habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi  
 Nazaræi surge & ambula. hoc est, Hæc est fors mea,  
 id est, portio mea Christus est. In nomine igitur  
 Christi Iesu surge & ambula. hoc est, in portione  
 mea diues sum, in portione mea potens sum: meri-  
 to tales præsumo fructus istius portionis, ut salus &  
 vita donetur: quia hoc est istius patrimonium por-  
 tionis quam elegi mihi. Dixit hoc claudus, & surre-  
 xit qui erat claudus ab utero matris suæ. Quomodo  
 ergo Petrus poterat portionis suæ damna sentire,  
 qui naturæ damna reparabat? Quare non habeas ar-  
 gentū atque aurum Petre, dic nobis: dic etiam quid  
 sit istud quod habere te dicis, quia omnia quæ habe-  
 bas, te reliquisse dixisti. Sic enim loquutus es Do-  
 mino: Ecce nos omnia dereliquimus, & secuti su-  
 mus te. hoc est, nō quæsiuimus quæ sæculi sunt, non  
 quæsiuimus partē de possessionibus, sed te elegimus  
 portionem. Reliquisti ergo omnia Petre quæ habe-  
 bas, vnde habes quod habere te dicis? Surgit clau-  
 dus, & sono tui sermonis erigitur. Sanitatem aliis  
 donas, qui indigebas ipse tuæ salutis auxilio. Reli-  
 quisti ergo quæ habebas, & cepisti quæ nō habebas.  
 Christus tibi portio, Christus tibi possessio est. Illius  
 nomen tibi munificū, illius nomen tibi est fructuo-  
 sum, illius nomen tibi tributa dependit, & bona tri-  
 buta, nō pecuniæ, sed gratiæ. Portio tua non aridi-  
 tate siccat, non imbre diluitur, non frigore vratur,  
 non tempestate quassatur. Per diem sol non vret te,  
 neque luna per noctē. Serua portionem quā elegi-  
 sti. Ea est enim portio, quam terrenæ partes æquare  
 nō possunt. Quid enim est quod conferri possit his,  
 de quibus Deus dicit: Et inhabitabo in illis? Quid  
 magnificentius hospite cælesti? Quid beatius posses-  
 sione diuina? Et deambulabo, inquit, inter eos. Alij  
 querūtur de sui turis angustiis, in te Deo est ampla  
 possessio, in quo deambulare se dicit, hoc est, laxæ  
 spatia habitatio inueniens, qui terrā includit ma-  
 nu. Sic enim scriptū est: Quis mēsus est manū aquā,  
 & cælū palmo, & vniuersam terrā clausā manu? Cui  
 mundus angustus est, tu ei ampla es domus. Portio  
 (inquit) mea Dominus. Dicit hoc martyr. Ipsi ergo vi-  
 uamus, cui mori est gloriosum. Aliis verbis quām  
 bene dixit hoc Paulus ostendens nullā habere se in  
 hoc sæculo portionem. Sic enim scriptū est: Vtique  
 ad hanc horā & esurimus, & sitimus, & nudī sumus,  
 & colaphis vapulamur, & instabiles sumus, & labo-

1. Cor. 3.  
Colap. 6.

Ioan. 14.

Ibid.

Matth. 10.

Act. 3.

Ibid.

Matth. 19.

Psal. 120.

Ierim. 26.  
2. Cor. 6.

Ibid.

Psal. 40.

1. Cor. 14.

ramus, operando manibus nostris. Maledicimur, &  
 benedicimur: persecutionē patimur, & sustinemus:  
 blasphemamur, & obsecramus. Tamquā purgamē-  
 ta huius mundi facti sumus omnino lustramēta vs-  
 que adhuc. Fortasse moueat quod purgamentum se  
 esse dixit. Nō enim est, sed hoc secularibus videtur,  
 qui putant summam in diuitiis esse gloriam, vel de-  
 corē. Nōne isti vniuersos purgamenta esse putant,  
 quicumq; illis obsequuntur propter diuitias, & mi-  
 rantur eos propter opes, timent propter potētiam,  
 laudant propter nobilitatem? Sed hæc omnia Pau-  
 lus detrimenta magis putabat esse, quām cōmoda.  
 Ideo quæ ait: Quæ mihi lucra fuerūt, hæc duxi propter  
 Christū detrimenta esse, propter eminentem scien-  
 tiam Christi Iesu Domini mei, propter quæ omnium  
 detrimentū passus sum, & æstimor stercore, ut Chri-  
 stū lucrifaciam. Æstimor, inquit, non est hæc mea,  
 sed aliena sentētia. Frequenter enim æstimatur pau-  
 per ille irridendus & execrandus propter illuicem  
 vestium, aut vulnerum cicatrices, eo quod in terra  
 nullam habeat portionem, & tamen portio eius in  
 cælo est. Anima eius ibi sibi patrimoniu collocauit,  
 quia audiuit Iesum dicentem: Nolite thesaurum vo-  
 bis condere in terra: sed thesaurum, inquit, vobis  
 condite in cælo. Sed hoc diuites audire nō possunt.  
 Clausas aures habent, & sono aris obtusas: num-  
 mus magis illis resonat, quām verba diuina. Deni-  
 que accessit quidā diues ad Dominū, qui portione  
 Dominū nō habebat. Habebat enim multas posses-  
 siones, sed Dominus nō inter multa numeratur. nō  
 enim dignatur habere cum sæculo cōsortium. Quæ  
 enim portis iustitiæ cum iniquitate? Dicit ergo hic  
 diues: Quid faciens vitam æternam possidebo? Re-  
 spondit ei Dominus: Mandata nosti? Non homici-  
 cidium facies, non adulterabis, non falsum testi-  
 monium dicies: ostēdens vitam æternam in his esse  
 mandatis. At ille iustificare se volens, dicit: Hæc  
 omnia feci, quid mihi restat? Ad quem Dominus  
 ait, volens ei se fieri portionem, non pecuniā, non  
 possessiones, sed vti que verum Deum: Si vis perfe-  
 ctus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus,  
 & habebis thesaurū in cælo, & veni sequere me. Ve-  
 rum ille cui portio aurū atq; argentum erat, sine qui-  
 bus esse nō poterat, & cū quibus Dominus illi por-  
 tio esse non poterat, contristatus est. Vnde Domi-  
 nus pronuntiauit impossibile esse vt diues intret in  
 regnum cælorum: sed quod impossibile per huma-  
 nas cupiditates, hoc per diuinam gratiam solā posse  
 esse possibile. Alibi quoque ait: Quicūque reliquerit  
 patrem aut matrem, domum aut fratres aut sorores,  
 centuplum accipiet in hoc sæculo, & vitam æter-  
 nam possidebit. Forsitan dicas: Vtique qui relin-  
 quendo domum (per domum autem totum cen-  
 sum intellige) qui relinquendo propinquos Deum  
 secutus fuerit, portio Domini est, & portio Deus  
 illi est; habet etiam vitam æternam: & quia accē-  
 pto centuplo fit in hoc sæculo diues: diues, in-  
 quies, intrat in regnum cælorum. Deinde si cen-  
 tuplum dat Dominus eorum quæ etiam simpla im-  
 pedimentum afferre consueverunt ad perceptionem  
 hereditatis æternæ: centū ergo possessiones reddidit  
 pro vna possessione, centum pondera auri pro vno  
 pōdere. Multos quidem in hoc sæculo qui sua pau-  
 peribus

Philip. 3.

Sapient. 5.

Matth. 6.

Luc. 13.  
2. Cor. 6.  
Luc. 18.

Ibid.

Matth. 19.

peribus donauerunt, vberiore thesauro locupleta- A  
 tos fuisse cognouimus. Est pulcherrimus locus, vt  
 etiam ad misericordiam prouocentur. Sed non de-  
 beat à Domino secularē huiusmodi exigere mer-  
 cedem, nec sperare quæ mundi sunt: sed magis quia  
 iis qui omnia reliquerint, Deus portio est. Ipse  
 est vti que merces perfecta virtutum, qui non cen-  
 tupli enumeratione, sed perfecta plenitudinis æsti-  
 matione censetur. Ego, inquit, Deus tuus sum. Non  
 dixit ero, sed iam sum, iam in habito, iam possideo.  
 Auferit dilationem, vbi inuenit iusti confessionem.  
 Sanè alibi ait: Hodie mecum eris in paradiso. Futu- B  
 rum promittit, sed id quod futurum est, vnus diei  
 spatio non patitur proclari. Denique potuit dice-  
 re: Mecum eris in paradiso: sed addidit, hodie, ne  
 dilatione gratiæ minueretur. Sed non illi soli dicit  
 Dominus Iesus, Hodie mecum eris in paradiso: sed  
 & tibi dicit, Mecum eris in paradiso: si confitearis  
 Dominum Iesum, si eius patrociniū tibi pōcas, si  
 & ipse dicas: Memento mei Domine dum veneris  
 in regnum tuum. Sed tibi non dicit, Hodie mecum  
 eris: dicit martyri, Hodie mecum eris in paradiso.  
 Tibi non dicit, quia adhuc in hoc febrienti corpore C  
 constitutus es, in hoc concupiscenti, in hoc terrena  
 adhuc desideranti, sed cum potueris dicere: Dirupi-  
 sti vincula mea. hoc est, soluisi cursum istius vitæ,  
 liberaisti me ex hoc mortis corpore, tunc tibi dicit:  
 Hodie mecum eris in paradiso. Habes igitur homo  
 inter multa proposita etiam huiusmodi portionem.  
 Proposuit tibi Dominus in portione possessiones, in  
 portione aurum, in portione argentum, in portione  
 honores, in portione nobilitatem. Proposuit etiā in  
 portione seipsum. Habes igitur plurimas portiones,  
 elige quam putas. Non te numerus perturbet, sed D  
 excitet gratia: non te labor auertat, sed fructus inui-  
 tet. In portione diuina gemitus & labores sunt. Vn-  
 de & sanctus Apostolus, cui portio Deus erat, ait:  
 Heredes sumus Dei, coheredes autē Christi: si ta-  
 men compatimur, vt simul glorificemur. Vides quia  
 vbi hereditas Christi est, ibi debeat esse compassio.  
 Qui autem compatitur, nō perfunctoriē cōpatitur:  
 sed vt passiones Christi in corpore suo impleat, sicut  
 implebat & Paulus. Implebat & Hieremias, qui ait  
 sub hac ipsa littera: Misericordia Domini est quod  
 non desecimus, quia non sunt consumptæ misera-  
 tiones eius, renouabit illas sicut lux matutina. Multi  
 sunt gemitus mei, & cor meum defecit. Sors mea  
 Dominus, dixi: ideo sustinebo eum. Qui ergo susti-  
 nuit Dominum, fors Domini est. Vnde & Dauid  
 qui ait: Sustinui Dominum, & respexit me. hoc loco  
 portionem sibi Deum esse profiteretur. Quām rarus  
 qui istud vsurpet sibi, non nobilitate, non diuitiis v-  
 surpatur. Denique rex ille diues ait: Sum quidem  
 & ego mortalis homo similis omnibus, ex genere  
 terreno illius qui prior factus est, & in ventre matris  
 figuratus sum caro: decem mensium tempore co-  
 agulatus sum in sanguine ex semine hominis, & dele-  
 tamento somni conuenientis, & ego natus hausi  
 communem aerem, & in similiter factā decidi ter-  
 ram, & primam vocem similem omnibus emisi plo-  
 rans, in inuolumentis nutritus sum, & curis ma-  
 gnis. Et addidit: Nemo enim ex regibus habuit al-  
 liud natiuitatis initium. Vnus ergo omnibus est in-

Matth. 5.  
Colap. 7.

Luc. 23.

Ibid.

Psal. 119.  
Ierim. 7.

Rom. 8.

Class. 1.  
Ierim. 3.

Psal. 39.

Sapient. 7.

Ibid.

troitus ad vitā, & similis exitus. Et quia vidit com-  
 mune esse natiuitatis exordium, elaborauit esse por-  
 tio Dei, & inuocauit, & venit in eum spiritus sapien-  
 tiæ. Sed luxuriosi aliam partem eligunt, qui dicunt:  
 Vino pretioso & vnguentis nos impleamus, & non  
 pratereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis  
 antequam marcescant. Et infra: Quoniam hæc pars  
 nostra, & hæc fors. Quām magnum contemnere  
 diuitias, sed quām rarum hoc ipsum est. Vtique & E  
 Moyses potuit regis esse successor, nutritus à regis  
 filia. Potuit ergo esse non solum quasi Pharaō, sed  
 ipse Pharaō potuit esse. Vterque enim homo, sed  
 omnis potentia hominis in affectu est. Moyses no-  
 luit rex esse cū posset, sed opprobrium Christi  
 thesauris Ægypti arbitratus est præferēdum: & fu-  
 giendo potentiam, potentior factus est. Factus est  
 enim in deum regi Pharaoni. Rex erat Pharaō, sed  
 deus non erat: Moyses factus est illi deus, hoc est,  
 regi ipsi terribilis, quem rex metueret & timeret.  
 Sed hæc erat potentia sanctitatis. In talium con-  
 gregatione deorum Deus stat atque discernit. Et  
 tu si vis tamquam Deus peccatoribus esse terro-  
 regibus reuerentiæ, vt tamquam Deo tibi videan-  
 tur esse subiecti, quia operaris in Dei nomine: con-  
 temne quæ sæculi sunt, & Dominicæ passionis op-  
 probrium contende omnibus præferre diuitiis.  
 Opprobrium dico quod illis videatur opprobrium,  
 hoc est Iudæis scandalum, gentibus stultitia, nobis  
 autem virtus Dei atque sapientia. Sed hoc Pharaō  
 opprobrium putans, hoc est, inopiam, ignobilitatē,  
 contumelias, maluit diaboli esse quām Dei portio:  
 & ideo qui Deo subiectus esse volebat, intercessioni  
 hominis ipse se subiecit. Ergo quia portio Dei erat  
 sanctus propheta Dauid, rectē ait, Dixi custodire le-  
 gem tuam. Spiritalem vti que legem dicit, sicut &  
 Paulus ostendit. Nam qui corporaliter legem in-  
 terpretati sunt, non custodiunt legem, sed prauaricantur.  
 Veniamus ad secundum versum, qui  
 ita est:

Ibid.  
Sapient. 2.  
Ibid.

Exod. 2.

Hebr. 11.

Exod. 7.

Psal. 81.

Hebr. 11.  
1. Cor. 11.

Rom. 7.

Deprecabor vultum tuum, Domine, in  
 toto corde meo: miserere mei secundum ver-  
 bum tuum.

Legimus in veteri testamento quod deprecatus  
 sit Moyses vt vultum Dei videret, & responsum sit  
 ei: Nemo videbit faciem meā, & viuēt. Mysticē hoc  
 primū intelligamus. Moyses legis figuram acce-  
 pit: lex per occulta mysteria nuntiavit Christum,  
 non autem facie ad faciem sicut Euangelium demon-  
 strauit. In ipso enim facie ad faciem loquebatur.  
 nam licet in Euangelio homo natus ex Virgine ap-  
 paruerit: verbū tamen se per opera demonstrauit. &  
 fortasse hoc declaratum fuit Moyse, quod populus  
 Iudæorum moriturus esset, & quod cū facie ad  
 faciem Christum vidisset, non crederet. Quod si ad  
 legem referas, etiam finis legis Christus est, secun-  
 dum illud apostolicum: Finis enim legis est Chri-  
 stus ad iustitiam omni credenti. Et mortua est legis  
 interpretatio corporalis, vbi Dominus Christus le-  
 gis spiritalem eius gratiam demonstrauit. Vel certē  
 quia omnes qui Christum vidimus, & baptizati in  
 Christo sumus, mortui sumus peccato, quia viuen-  
 tes legis vinculis tenebamur. Vbi autem in Christo

Exod. 33.

Galat. 3.

Philip. 2.  
Ioan. 15.

2. Cor. 5.

Rom. 10.

Rom. 6.



Rom. 7.

Exod. 33.

Gen. 1. Exod. 3.

Ibid.

Ecdi. 13.

1. Cor. 15.

Matth. 18.

2. Cor. 12.

Rom. 8. Philip. 3.

mortui sumus, mortificati utique; sumus legi per corpus Christi, ut simus alterius qui ex mortuis resurrexit. Sed hoc mysticum est. Morale autem historiae veteris facit nos meminisse debere, quae est de sancto Moysse, qui rogavit Deum ut se demonstraret ei, & facie ad faciem eum videret. Norat utique; sanctus vates Domini quod inuisibile Deum facie ad faciem videre non possit, sed deuotio sancta mensuram supergreditur, & putauit Deo etiam hoc esse possibile, ut corporeis oculis faceret id quod est incorporeum comprehendere. Non reprehensibilis hic error, sed etiam grata cupiditas atque inexplicabilis, quod Dominum suum velut manu tenere, & obtutu oculorum videre cupiebat. Sciebat enim ad imaginem & similitudinem Dei factum esse hominem. Quando enim electus a Domino Deo est ad populum liberandum, impletus est spiritu sapientiae. Viderat angelum illum & faciem eius in gloria. Denique fulgente eius lumine pauefactus est, & vidit rubum vri, & non exuri. Visu cepit fulgorem, quem miratus accessit, cupiditate & gratia prouocatus, ut diligentius fulgorem illum in rubo consideraret. Itaque si tantum accepit ardorem, tantam subiit cupiditatem cum angelum vidisset in flamma ignis de rubo, ut licet pauore apprehensus considerare non auderet, considerare tamen vellet: quanto magis vultum Domini corporaliter videre desiderabat, dicens intra se: vultum illum plenum lucis, plenum gloriae, plenum virtutis, plenum diuinitatis quem esse dicam? Non plus possum dicere vel sentire de Deo. Cum enim consummauerit homo, tunc incipit: & cum finierit, tunc aperiatur, ut scriptum est, quia incomprehensibilis est Dei aeterna maiestas. Irritus quidem erat postulationis effectus, sed affectus probabilis serui, qui ultra naturam suam deuotione progressus de Domini angelis aestimabat, quantum de Domini vultu plus desideraret, quo cupiditatem suam gestiret explere. Nouerat in ipso homine aliam post mortem futuram gloriam, aliam claritatem. Sicut enim stella differt a stella in claritate, ita & resurrectionis mortuorum. Quae est seminatur in corruptione, surgit tamen in incorruptione, surgit in gloria, surgit in virtute, surgit corpus spiritale. Qui ergo haec scire poterat, merito praesumebat ut vultum Dei videre cuperet, quem esset obita corporis morte visurus. Talem certe etiam formam receperat, talem Dominus iam probabat, ut non distaret ab angelis caelestis minister & executor oraculi. Et ideo cum sciret quia angeli pusillorum quotidie viderent faciem patris qui in caelis est, putauit quod iam eam videre deberet, tamquam oblitus corporis, & carne deposita, sicut ille qui in corpore adhuc positus, cum raperetur in paradysum, vtrum in corpore, siue extra corpus raptus esset ad tertium caelum, nescire se dixit. Sancti enim etiam eum gerunt corpus, non sunt tamen in carne, sed in spiritu, quoniam qui in cupiditate & conuersatione sunt carnali, Deo placere non possunt. Sancti autem conuersatione in carne non sunt, sed in caelo, sicut Paulus ostendit. Et quid dicamus de probabili desiderio vultus diuini? Homines qui sunt, si quem nobilem, si quem fortem, si quem sapientem esse audiunt, tamquam supra hominem arbitrantur, concupiscunt videre. Proccedit imperator, cui ius regiae datum est potestatis,

cui commissa pars est orbis terrarum, concurrunt omnes, & in tanta multitudine illum solum aspiciere gestiunt, & de fulgore purpurae plus quiddam esse in vultu imperatoris existimant. Miraris si Dei desiderabilis vultus est, cum conformem sui hominem humanus omnis miretur affectus? Hinc datur intelligi etiam illud, quod imperatori vnusquisque nullius reus criminis gestit occurrere. Nam & si crimine habeat conscientia, tegunt illud tamen cordis occulta, dummodo publico non sit inuolutus reatu, nec sit aliquod eius crimine expressum. Denique ubi rei aliqui fuerint adnotati, & imperatori se & ipsi iudicibus offerre prohibentur, quemadmodum turpes lenonum meretricumque personae a conspectu iudicis, vel imperatoris arcentur, ne turpissimorum visus offendat vultus regis claritate. Qui autem bene sibi conscius est, nullius criminis reus, quasi innocens prodit in medium. Ex his ergo sancti Moysi comprehendamus affectum. Videre Dei vultum quasi innocens volebat, velut quodam vultu conscientiae desiderabat aperire ei faciem mentis internae. Cognosci plenius gestiebat & Moyses, & ipse sanctus Dauid, qui alibi ait: Proba me Domine, & teta me. Non enim vellet probari si in se crimen agnosceret, nec teterati si passionibus grauibus se sciret obnoxium. Liber igitur a peccato, Deo se cupidus offerebat. Sed fortasse quia adhuc frequentioribus Dei visitationibus mundus a vitio non foret, nec fuerit in principio perfectus, utpote cui ante paululum dictum erat, Solue calceamentum pedum tuorum: illud utique calceamentum quod de Aegypto detulerat, hoc est, corpoream conuersationis inuoluturam. Quando autem id dictum sit, considera. Nondum ei dictum erat: Faciam te in deum regi Pharaoni. Adhuc homo erat: processu ei debebatur, ut in deum fieret, & ideo dictum est ei: Solue calceamentum. De homine dixit: Desiste hominis habere peccata, & videbis faciem meam. Qui enim faciem meam videt, debet esse sine peccato. Sed quia homo sine peccato esse non potest, ideo ut in Dei appellatione possit exerescere, commonetur. Et quid de Dei appellatione dicam? Ego angelus, hoc est, diuini minister imperij, obsequere mandatis Domini. Cum fueris angelus, videbis faciem Domini. Magnum esse videre Dei vultum. Lex tibi dicit ut tertio te offeras coram Domino. Ipse Dominus Iesus ait: Beati mundo corde: ipsi enim Deum videbunt. Aduertis quid a te exigatur, ut videas Deum; cui vitae proposita sit praerogatiua videndi Deum. Emunda igitur cor tuum, ut quasi nouus crearis renouato spiritu. Omnes pollutas cogitationes de corde tuo abiice, nihil sit quo tuus inquinetur affectus: simplex mens, pura sinceritas sit. Talibus se Dominus cum inuolucrum corporis deposuerint, demonstrare dignatur. Nunc de reliqua ipsius versus parte dicamus. Miserebere (inquit) mei secundum verbum tuum. Misericordia quidem iustitiae portio est, ut si velis donare pauperibus, haec misericordia iustitiae est, secundum illud: Disperfit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in aeternum. Deinde quia conformis tuus, iniustum est si non adiuuetur a socio, quam praesertim Dominus Deus noster terram hanc possessionem omnium hominum voluerit esse communem, & fructus omnibus ministrare: sed auaritia possessionum

1. Cor. 13.

Coloss. 1.

1. Tim. 5.

Rom. 11.

Ibid.

1. Tim. 5.

Rom. 11.

Ibid.

1. Cor. 3.

1. Petr. 1.

1. Cor. 13. 1. Tim. 5. Rom. 11. 1. Petr. 1.

1. Cor. 13.

1. Petr. 1.

1. Cor. 13.

1. Petr. 1.

1. Cor. 13.

1. Petr. 1.

1. Cor. 13.

1. Petr. 1.

1. Cor. 13.

1. Petr. 1.

1. Cor. 13.

sessionum iura distribuit. Iustum est igitur, ut si aliquid tibi priuatim vendicas, quod generi humano, immo omnibus animantibus in commune collatum est, saltem aliquid inde pauperibus adspargas: ut quibus iuris tui consortium debes, his alimenta non deneges. Est etiam misericordiae donare peccatum: & misericordiae est, & iustitiae est. Denique iustitiam adscribit scriptura diuina veniam peccatorum, secundum illud quod hodie lectum est: Benedictum lignum per quod fit iustitia; maledictum autem quod fit per manus hominum. Superius ad crucem Domini retulit, posterius ad errorem gentilium, qui ligna venerantur, iustitia autem quae est crucis, nisi quod ascendens illud patibulum Dominus Iesus Christus, peccatorum nostrorum chirographum crucifixit, & totius orbis peccatum suo cruore mundaui? In quo ergo iustus Deus, nisi in eo quia sciuit quod de limo terrae hominem figurauit, quae terra utique corruptelae obnoxia est, ac vitio lubricae passionis? Propterea ergo Dominus, qui secundum animam te ad imaginem & similitudinem sui fecit, hoc est, rationalem, iustum, pudicum, (in eo enim ad imaginem Dei es, si sis iustus, ut sis imago iustitiae, si sis castus, ut immaculata in te figura praefulgeat.) sciens ergo secundum corporis fragilitatem corruptelae patere hominem, quasi iustus fragili lubricaeque naturae delicta concessit. Ac ne forte dicat aliquis: Cur ergo Adam maledicto sententiaeque subiacuit? numquid iniustus Deus? Non utique: sed quia quasi fragili atque infirmo quid caueret ante praescripsit, (infirmus enim non usurpare debet sed obedi mandatis) ideo praeruaricationis reum tenuit, quem prolapsioni addidit. In illum igitur iusta seueritatis processit sententia, quia scire voluit quod scire non profuit. Nobis autem qui haereditario vinculo tenemur adstricti, qui in hac carne sumus, quae priorum praerudicio detrita iam atque assuefacta peccatis non poterat emergere, quasi iustus indulgit. Iuste enim ignouit heredi, qui praerudicio laborabat auctoris. Est ergo iusta misericordia, est etiam iniusta misericordia. Denique in lege scriptum est de quodam: Non misereberis illius. Et in libris Regnorum legis, quia Saul propterea contraxit offensam quia miseratus est Agag hostium regem, quem prohibuerat sententia diuina seruari. Ut si quis latronem filiis deprecantibus motus, & lacrymis coniugis eius inflexus, absoluendum putet, cui adhuc latrocinandi aspiet affectus: nonne innocentes tradit exitio, qui multorum liberat exitia cogitant? Certe si gladium reprimat, vincula dissoluit, laxat exiliu; cur latrocinandi qua potest clementiore via non eripit facultatem, qui voluntatem extorquere non potuit? Deinde inter duos, hoc est, accusatorem & reum pari periculo de capite decernentes, alterum si non probasset, alterum si esset ab accusatore conuictus, non id quod iustitiae est iudex sequatur, sed dum miseretur rei, damnet probantem: aut dum accusatori faueri quod probare non possit, addicat innocentium. Non potest haec dici iusta misericordia. In ipsa Ecclesia, ubi maxime misereri decet, teneri quam maxime debet forma iustitiae, ne quis a communionis consortio absentus, breui lacrymula atque ad tempus parata, vel etiam vberioribus stetitibus commu-

nionem quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate sacerdotis extorqueat. Nonne cum vni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium prouocari? Facilitas enim veniae, incensiuum tribuit delinquendi. Hoc ideo dictum est, ut sciamus secundum verbum Dei, secundum rationem dispensandam esse misericordiam debitoribus. Medicus ipse si serpentis interius inueniat vulneris cicatricem, cum debeat refecare vlceris vitium, ne latius serpat, tamen a secandi vrendique proposito lacrymis inflexus egroti, medicamentis tegat quod ferro aperiendum fuit: nonne ista inutilis misericordia est, si propter breuem incisionis vel exustionis dolorem corpus omne rabeat, vitae vsus intereat? Recte ergo & sacerdos vulnus graue, ne latius serpat, a toto corpore Ecclesiae quasi bonus medicus debet abscondere, & prodere virus criminis quod latet, non fouere: ne dum vnum excludendum non putat, plures faciat dignos quos excludat ab Ecclesia. Iure ergo Apostolus diuino nos hortatur exemplo, dicens: Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem, si permaneris in bonitate. ostendens Iudaeorum populum iure esse a corpore Ecclesiae separatum, ne perfidia virus contaminaret Ecclesiam: populum autem gentium bonitate Domini receptum, & obedientiae munere gloriari. Iure igitur huic diuina pietas suffragatur, quamdiu in diuina bonitate permaneat. Si vero & ipse desciscat, pro criminis sui qualitate damnabitur. Qua gratia Dominus & lux & ignis esse describitur, ut in tenebris ambulanti luceat quasi lumen, ne diutius possit errare qui quaerit luminis claritatem. Ei autem qui multa fuerit operatus quae manere non debeant, sed ardere, ignis est Dominus, ut operis nostri foenum stipulamque consumat, atque vtili nos faciat saluos detrimento, sicut aurum quod dum excoquitur, plus probatur. Fortasse dicat aliquis, qua ratione scripserit Propheta: Miserebere mei secundum verbum tuum: Verbum enim Dei iustitia est. Si igitur iustitia fictus erat, cur misericordiam ante praemissit? Aut si misericordiam requirebat, cur eam ad mensuram iustitiae putauit esse poscendam? Qui enim bene agit, & bene viuit, opus non habet misericordiam, quia misericordia a peccato liberat. Denique non diuitibus, non fortibus & felicitate subnixis misericordia conferri consuevit a nobis, sed egentibus vel debilibus, vel iis qui ex diuitiis in paupertatem aut captiuitatem, aut necessitatem aliquam deciderunt. Ergo qui eget misericordia, peccator est: qui autem peccator non est, utique iustus est, & non eget misericordia Dei. Secundum quid igitur vnusquisque, hoc est, secundum quem statum egeat misericordia, aut iustitiam habeat, considerandum est. Aliter enim eget iustitia Dei angelus, aliter homo. Angelica enim natura non utique ita corruptelae obnoxia est, ut natura generis humani: & ideo illa eget misericordia Dei, ne possit errare, & auersa a se Dei gratia labatur in vitium. Homo autem est iam firmiore proposito est, tamen propter contractorum seriem peccatorum, misericordiam Dei quaerit. Itaque est vterque misericordia Dei indiget, aliter tamen angelo

miseri cordia, aliter homini debetur. Leue enim vi-  
tium in angelo iudicio grauiore celsetur. Peccatum  
quoque adolescentia in homine, miriore sententia  
quam peccatum senectutis astringitur, & citius re-  
laxatur. Propheta igitur in isto versiculo diuidit cau-  
sas, vt & misericordiam quasi homo postulet, quia  
nemo sine sordē peccati: & iustitiam quasi propheta  
deposcat: vel certē, quoniam licet peccauerit sicut  
homo, & quasi peccator misericordia egeat, tamen  
correxerit errorem, penitentiam gessit, abstinuit à te-  
mulentia delinquendi sobrietate virtutis. Petit ergo  
iustitiam secundum verbum Dei, quia verbi Dei  
sententia est, vt conuersis venia donetur, si legitime  
est facta conuersio.

Cogitavi vias meas, & conuertī pedes meos  
in testimonia tua.

Diuiduus sensus; aut quia vias superiores meas  
cogitavi plenas lapsus atque peccati, & ideo vt  
remissionem peccatorum possim mereri, morum  
conuersione, studioque virtutum conuertī pedes meos  
in testimonia tua, vt non iam meis gressibus, quibus an-  
tē sum lapsus, sed testimoniorum tuorum itineribus  
ambulare, quo tuorum semitā mandatorum me  
errare non sineant, nec vestigiū in deuia & tortuo-  
sa deslecerem. Frequenter enim ignorantes iter, si  
strata viarum sequantur, perueniunt quō desiderant  
peruenire, & carent erroris anfractu. Sin autem v-  
surpent scire quod nesciunt, & putent aliqua se-  
quenda compendia, à publici actus itinere recedē-  
tes, erroris labyrinthos frequentē incurrunt, vt eos  
de itinere deflexisse poeniteat: & ideo post multa la-  
borum dispendia ad iter quod reliquerāt redire cō-  
tendunt. Hic ergo sensus vnus est: alius autem ita.  
*Cogitavi vias meas*, non superiores, sed futuras, vt an-  
tē in eos actus cogitationibus praeuenirem, ne in-  
consulta operatione progressus, aliquid in ipsis ac-  
tionibus offensionis inciderem: vt si agere aliquid  
velim, antē cogitem vtrum agendum sit illud quod  
desidero, aut quo agendum modo: similiter si allo-  
quendum, vtrum alloqui debeam, deinde publicē  
an secreto loqui, praeferentibus aliquibus, aut nullis:  
sicut illud est, vt si velis fratrem corripere, primō so-  
lus corripias, secundō praeferentibus duobus aut tri-  
bus testibus; tertio, si non audierit, coram Ecclesia.  
Itaque si praefermissō ordine velis corā ecclesia fra-  
trē increpare, quem antē monere debueras, erratū  
ipse cognoscis. Omnia igitur cum cogitatione facio,  
vt non te poeniteat operis tui. An verō si viā in-  
gressus, cum veneris ad compitū aliquod (ita enim  
appellatur plurimarum velut quidam concursus via-  
rū) si nescias quod iter ingredi debeas, stas tamen  
& cogitas ipse tecum, vtrum primam, an secundā,  
an tertiam, an quartam, vel certē quintam, si ita est,  
viam eligas quam sequaris, nec putas prius ado-  
riandū iter, quam animo definieris, & pleniore mē-  
ris intentione decideris. Stas igitur cogitans quā sit  
via quae in ciuitatem ducat, ad quam tibi putas esse  
pergendum. Quanto igitur magis animo debes  
ac mente consistere qui ad regnum caeleste contē-  
dis, & cogitare tecum, quia non omnis via illō du-  
cit, non omnis via illō dirigit ad Hierusalē illā quae  
in caelo est: Sunt viae quae malos exitus habēt, quas

G diaboli tentamenta trincerunt: & ideo exitus earum,  
exitus mortis sunt. Hae nempe sunt viae, de quibus  
legisti in Proverbiis: Quia sunt viae quae videntur  
viro rectae esse, vltima autem earum aspiciunt in  
profundum inferni. Est autē via angustior illa quae  
ducit ad Dei regnum. Volens ergo eam ingredi  
viam quae ad Deum ducit, non circumspicies, non  
tecum ipse tractabis, non considerabis, ne facili ca-  
piaris affectu, si viā latitudine pronocatus ingredia-  
ris iter quod ad inferna deducat: Cogita ergo antē  
atq; perpēde quid facias. Qui viderit, inquit, mulie-  
rem ad concupiscendum eam, iam adulterauit eā in  
corde suo. Hic vtiq; cogitavit vt videret mulierē, vt  
videret ad concupiscendum: sed mala hęc cogitatio  
relinquat vias suas. Alius non cogitavit quidem, sed  
subitō aspexit, & captus est, & vidit, & concupuit, &  
ideo lapsus est. Quod si fragilem suum considerasset  
affectū, & ante timuisset ne cum vidisset mulierē o-  
culo, caperetur animo, vtiq; non prospexisset ad  
mulierē, ne concupisceret eam. Videns ergo mulie-  
rem nō direxit pedē suū in testimonia Domini: qui  
si ante lapsum suum cogitare potuisset, forsitan di-  
rexisset. Vnusquisque ergo prius cogitet quo modo  
videat mulierem, vt non videat ad concupiscendum  
eam, aut non attendat in eam. Si autē videns repen-  
te, vel bona cogitatione fundatus dirigat pedem  
suū ad testimonia Domini, ne in captiuitate perman-  
eat: vtiq; ei profuit cogitatio. Postremō amās mu-  
lierem, si auerterit non tantū pedem, sed & men-  
tem, vt diligens & concupiscens Christum, confi-  
deret iudicium eius, testimonia eius de praeiis ca-  
stitatis, & relinquat vias concupiscentiae, sequatur  
vias Christi: & habebit laudem in eis, si contemplat-  
us Dominum letum contemnat carnis ardorem, fla-  
mmāque libidinis quasi quodam fonte restin-  
guat, allidat teneras & infirmas cupiditates ad petrā  
Christi. Cogitet ergo, vt eadem repetam, quemad-  
modum videat, quemadmodum loquatur. Bene co-  
gitavit qui dixit: Pone Domine custodiam ori meo:  
ne fortē dum mens inflammat ardorē, lingua sermo  
ne labatur, aut multiloquio incauto etiā quod mēs  
non cogitavit, incurrat loquendi facilitate: cogitet  
quemadmodum pedem suum dirigat, manum ad se  
ferat, ne impetu indignationis impulsus, cum repe-  
lere debeat iniuriam, ipse alteri ictum notabilis cer-  
dis illidat. Cogitandum est igitur quid geramus. V-  
bi enim praecedit cogitatio, maturitas operationis  
adhibetur. Itaque pes iste, fidei vestigium est, quem  
meditatione perpensa à corporalibus motibus ad  
testimonia diuina deflexit. Quid igitur profuit cogi-  
tare antē, quod postea facturus sis, docet versiculus  
qui sequitur.

Paratus sum, & nō sum turbatus, vt custo-  
diam mandata tua.

Vbi cogitatione quis praeuenit quod acturus est,  
semper paratus ad agendum est, semper fixus &  
validus, vt non queat subita aliqua accidentiū ob-  
fensione turbari. Nulla enim saba scopulosa nimis  
ambitionis excutiunt, nulla procella atq; tempestas  
iniusta inuasionis exagitat, non petulantis oculus  
meretricis illaqueat. Oculus enim meretricis, ha-  
queus amatoris est. In aliena miser capitur possessio-

ne qui improviso igne praeuentus, possessionem suā  
mentis amittit. Si persecutio ingruit, inuenit iam  
paratum, vt vbi possit esse perturbatio salutis incer-  
ta, ibi sperata sacri corona certaminis, prouida futu-  
ri meditatione demulceat. Sed maledictis obrecta-  
torū frequenter obroditur. Cogitet quia non est di-  
scipulus super magistrū, neq; seruus supra Dominiū.  
Si supra Dei filium opprobria exprobrantium ne-  
fanda ceciderunt, quemadmodum seruus exortem  
corum sperare se poterit? Ideoque mentem suā pre-  
parare debet, vt cum ista acciderint, turbare se non  
queant. Praeparet animum, & meditatione compo-  
nat, vt possit dicere, si tamen possit: Quis nos sepa-  
rabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an  
fames? &c. Quare autem non separetur adiecit: Sed  
in his omnibus superamus, inquit, propter eum qui  
dilexit nos. Meritoq; confirmatus ait: Cōfido enim  
quia neque mors, neque vita, neque angeli, neq; po-  
testates, neque praesentia, neque futura separe nos  
poterunt à charitate Dei, quae est in Christo Iesu.  
Multa Apostolus dixit, contra quae lucta nobis est,  
sed alia facilia sunt, vel certē nō huius temporis aut  
loca, vt discutere omnia debeamus quae sint quae  
nos separe posse à charitate Dei, nisi diligentius  
resistamus. Illud nunc quod videtur obscurius, non  
praetermittimus, quia ait: Neque altitudo, neq; pro-  
fundum: quae sunt grauiā tentamenta. Denique ha-  
bes in Esaiā scriptum ad regem Achaz: Pete tibi si-  
gnum à Domino in profundum, aut in altum. Res-  
pondit ille: Non petam, neque tentabo Dominum.  
Mysticum illi propositum est, sed non intellexit, &  
veritus est ne tētare Dominum videretur si signum  
peteret in altum, aut in profundum, Dominus autē  
volens grauiā tentamenta remedio supplantare di-  
uino, ait: Ecce virgo concipiet in vtero. Hoc est ma-  
gnū signum, quod altitudinis & profundū tenta-  
menta destruxit. Dominus enim Iesus non rapinam  
arbitratus est esse se aequalē Deo, neque quae suā  
sunt requisit, sed formam serui accepit, humiliavit  
se vsque ad mortem. Itaque neque clatus est pote-  
state, neque mortis quadam deiectione turbatus.  
Hoc igitur signum proponitur regi, vt petat sibi re-  
medium, per quod nec regiae potestatis extolleretur  
supercilio, nec certē arumnā alicuius exceptione  
perturbaretur, vt erat corde turbatus cum bellum  
sibi videret ab Assyriis inferri. Diuini igitur exem-  
plo oraculi volumus ostendere quae essent hęc gra-  
uia tentamenta, quibus remedii solus potuit Chri-  
stus afferre. Verum tamen & propheterico sermone fa-  
cile est docere sarcinam quandam horum tentamē-  
torum. Hęc enim tentamenta duo maxima sanctus  
Salomon oratione propria declarauit, & rogauit vt  
posset excludere, dicens: Diuitias autem & pauper-  
tatē ne dederis mihi, sed ordina mihi quae opus sunt,  
& quae abundant: ne repletus mendax fiat, & dicā,  
Quis me videt? aut pauper rapiam, & perirem no-  
men Dei. Potes igitur tu ista tentamenta contem-  
nere, quae formidauit Salomon, qui sapientiam po-  
stulauit & meruit? Diues erat, timuit extolli: pauper  
fieri formidauit, ne paupertatis necessitate abstine-  
tiae gratiam non teneret. Quam multi qui videban-  
tur sancti esse, ceciderunt ab altitudine cordis sui?  
Quam multi aliqua necessitate deiectione non potue-

runt contenti esse in iniuria, qui fuerant virtutum  
exercitio roborati? Rarus Iob inuenitur in terris, qui  
& diuitias amisit & filios, & viciibus corporis exa-  
rabatur, cum vermes toto corpore fluerent: à Dei  
tamen charitate non potuit separari. Paremus igitur  
affectum nostrum, ne imparatum vis repentina per-  
turbet. Denique sciens Dominus citō nos frangi  
solere, ait etiam Apostolis: Non turbetur cor vestrū,  
neque formidet. Si te cupiditas appetentiāque ten-  
tauerit, lege Euangelium, dicat tibi Iesus: Non tur-  
betur cor tuum. Si quis terror ingruerit, dicat tibi  
Christus: Non turbetur cor tuum, neque formidet.  
Si qua supplicia persecutor inflixerit, lege Euange-  
lium, dicat tibi Iesus: Non turbetur cor tuum, neq;  
formidet. Lege Apostolum dicentem: Indignae enim  
passiones sunt huius temporis ad superuenturā glo-  
riam. Si in mari nauiganti grauis fluctus infurgat,  
tempestas atra defauiat, tibi dicat Iesus: Ego sum,  
noli turbari. Veniens igitur in certamē aliquod ma-  
gnū & graue, dic prius: Paratus sum, & non sum tur-  
batus, vt custodiam mandata tua. Et quid de seculari-  
bus dicam? Esto paratus non solum aduersus ea quae  
vides, sed etiam aduersus ea quae non vides. Foris,  
inquit, pugna, intus timores. In te ipso tibi bellum  
est, bonum est vt in tranquillitate sit animus tuus, &  
in quadam serenitate. Sed gubernator ille melior  
est, qui in tempestate nauim gubernat. Rege igitur  
te ipsum, quando turbatur animus, mens fluctuat.  
Laudauerim virtutem gubernatoris qui nullas pro-  
cellas senferit, & cursum nauigij direxerit nulla tem-  
pestate iactatus? Sed illum laudauerim, qui aduersus  
ventos renititur, insurgit aduersus fluctus, nō timet  
vel cum in altum eleuatur vndis nauigium, vel cum  
ad profundū ima deponitur. Ita & ille laudandus  
est gubernator sui qui ea quae aduersa sunt, vincit  
patientia, virtute superat, secundis non extollitur,  
aduersis non frangitur. Bellum tibi est etiam aduer-  
sus nequitas spiritales. Aduertis cum quantis ti-  
bi est praedium? Et ideo meditare ista tuo animo,  
vt procedens ad praelia dicas: Paratus sum, & non  
sum turbatus, vt custodiam mandata tua.

Funes peccatorum circumplexi sunt me,  
& legem tuam non sum oblitus.

Funes peccatorum, &c. Hoc est, funibus me cir-  
cumdederunt peccatores, vt mea implicarent ve-  
stigia, ne possim in cursu eorum prauidentē celeritate  
euitare. Non ergo illi funes sunt, de quibus scri-  
ptum est: Funes ceciderunt mihi in praeclearis. Sunt  
etiam funes illi quibus vtuntur qui terminos me-  
tuntur agrorum, limitēque distinguunt, & posses-  
sionum spatia determinant. Tenduntur ergo illi  
funes quoad possessio vniuscuiusque diffunditur.  
Sic factus est funiculus hereditatis suae Israel. Boni  
ergo illi funes. Isti autem funes quibus trahuntur  
peccata, vt fune longo, & vt loro iugi vitulae, ini-  
quitates. Vitula enim indomita plus se iactat &  
excitit cum tenetur, nec acquiescit imperio, nec  
adstringitur vinculo, sed magis cum loro retrahit-  
ur, exasperatur. Itaque nec coacta se subiicit, nec  
tamen libera vinculorum est. Sicut ergo trahit vi-  
tula lorum iugi, quae eius non tenetur à proximo,

Iob. 14.

Eccl. 18.  
33.

Eccl. 33.

Matth. 18.

Eccl. 18.

Eccl. 32.



Eccl. 12.

Prout. 14.

Matth. 7.

Matth. 5.

Eccl. 8.

Ibid.

Ibid.

Ephes. 6.

Eccl. 8.

Eccl. 7.

Psal. 136.

Eccl. 33.

Psal. 140.

Prout. 10.

Eccl. 32.

Prout. 10.

Prout. 30.

Eccl. 3.

Prout. 10.

tenetur tamen, nec se explicat, & absoluit: ita trahit vnusquisque peccatorum indomitis moribus iniquitates, qui putat se liberum, quia non est iugo subditus, subiectusque iudicio: & nescit quod non sit exutus, sed magis ut illa vitula & ipse se implicat suorum nexibus peccatorum. Hi sunt ergo funes delictorum nostrorum, quibus inuoluimur & ligamur. Et ideo Saluator, qui habet in potestate peccatum dimittere, dicit iis qui sunt in vinculis: Exite. Vtinam & mihi dicat: Exi de vinculis tuis, exi de nexibus peccatorum tuorum: solue funes erroris tui, quibus circumdatus & ligatus es. Et si enim nequissimus sim omnium, & derestabilis sim vsu peccatorum, illo tamen iubente liber ero, qui sub vno momento latrocinij damnatum reum supplicio eripuit, constituitque in regno suo. Sunt ergo vincula quibus constringimur, et si videamur nobis liberi. Beatus qui hac soluit sibi vincula. Et ideo Dauid ait: Dirumpamus vincula eorum: & abiciamus a nobis iugum ipsorum. Non manu utique visibilia vincula dicit esse rumpenda, sed inuisibiles criminum nexum conuersione & fidei professione soluendos. Aut si manu, & tunc opera manus tuae eroga pauperibus, debiles eleuato, redime captiuos: & soluisi vincula tua. Eleemosyna enim a peccato liberat. Eripe eum qui ducitur ad mortem: hoc est, eripe eum intercessione, eripe gratia tu sacerdos, aut tu imperator eripe subscriptione indulgentiae: & soluisi peccata tua, eruisi te a vinculis: Vinculis enim peccatorum suorum vnusquisque constringitur, sicut ipse legisi. Ligat nos vinculis carnis illecebra. Vinculum nostrum auaritia est, vinculum nostrum ebrietas est, vinculum nostrum concupiscentia est, vinculum nostrum superbia est. Sicut & diaboli vincula. Denique scriptum est: Hanc autem filiam Abraham, quam ligauit satanas decem & octo annis, ligat nos diabolus criminum nexu, ligat nos vinculo fornicationis, vinculo adulterij, vinculo perfidiae, qua Christus negatur: vinculo inuidiae, qua frequenter etiam frater appetitur: vinculo crudelitatis, qua nonnumquam socius & conformis occiditur. Haec sunt vincula quibus ligatus vnusquisque ita inclinatur, ut animam suam leuare non possit, nec obtutus ad caelum mentis erigere, nisi ei dixerit Dominus: Dimissus es ab infirmitate tua; & munere eum suae benedictionis crexerit. Haec sunt sceleratorum vincula, quibus dure peccatores ligant diabolus & ministri eius: vel certe Neroth, hoc est amaritudo: vel certe Esau, hoc est, terrenus & callidus. Isti enim venatores erant, qui feras laqueis captare consueverunt, & muta animantia vinculis illigare. Inutiles venatores, qui capiunt bestias, quae in pompa spectaculo populari praebent ministerium crudelitati. Denique nullum inuenimus in diuinarum serie scripturarum de venatoribus iustum. At verò alia vincula sunt Domini Iesu, quem sequuntur, inquit, alligati vinculis: hoc est, vinculis adstricti charitatis, fidei vinculis alligati. Licet sic possit intelligi: Alligati vinculis Christum sequuntur: hoc est, peccatorum & criminum remissorem, fontem indulgentiarum, redemptionis auctorem. Sequamur ergo vincula Christi, fugiamus vincula venatorum: ne dum incedimus, dum ignoramus, laqueos eorum pes nostrae

Luc. 5. Esai. 49. Esai. 52.

Luc. 23.

Psal. 2. Hebr. 3.

Esai. 58. Tob. 4.

Prou. 24. Psal. 5.

Luc. 1. Rom. 7.

Luc. 13.

ibid.

Gen. 10. Gen. 25. Gen. 27.

Esai. 45. Osee. 11.

mentis incurrat: ne animae nostrae ceruicem nexibus ineramus. Insidiantur enim quasi pessimi venatores: & quando prosperorum euentu animum relaxamus, ac secundis rebus remittimus, nec excubias cautionis habemus intentas, tunc plus iactant laqueos suos, aut in via qua ambulamus abscondunt ut cum fuerint eorum laqueis innexa vestigia, trahant quod securum supplantent viantem, vel collo adstricto strangulent commeantes. Noli ergo alta ambulare ceruice, sicut filiae Iudae. Altis enim ceruicibus citò laqueus innodatur. Noli ad saecularia metem animumque defigere, sed circumspecte oculis animae diligenter (quia pluit laqueos super peccatores) ne cadentes illigare te possint: quos poteris euitare, si legem Domini non obliuiscaris. Etenim etiam qui ligatus est, si sibi sit conscius libertatis, obliuisci libertatem suam non desinit, & causam nonnumquam dicit è vinculis, eamque sibi legum praescripto defendit, ac iudicio frequenter absoluitur. Ergo & tu si peccaueris, memor esto legis. Si peccaueris, memor esto Christi, qui te liberat, dicēs: Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero. Ipsum diebus ac noctibus tenes, ipsi tua confitere peccata. Docet te Propheta quomodo teneas Dominum Iesum.

Hierr.

Psal. 141.

Esai. 3.

Psal. 10.

Esai. 43.

Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustitiae tuae.

Non satis est dies ad deprecandum, surgendum est & nocte, & media nocte. Ipse Dominus pernoctauit in oratione, ut te proprio ad deprecandum inuitaret exemplo: & utique peccatis tuis ille indulgentiam postulabat. Postulabat a patre, operabatur propria potestate. Non tibi dicit Propheta, ut tantummodo media nocte surgas, sed ut surgas nocte, & maxime nocte media. Nocte enim surgendum ante praemisit dicens: Memor fui in nocte nominis tui Domine. Potest vnusquisque memor esse, & non surgere: potest vnusquisque & surgere, & cum surrexerit, ea quae proprio arbitrio sederint, postulare. Ad didit: Media nocte surgebam, docens te surgendum esse media nocte. Nec otiosum est quod adiunxit: Ad confitendum tibi, hoc est, ut illo maxime tempore deprecari Deum, & propria debeamus desistere peccata: nec solum praeteritis veniam postulare, sed etiam praesentia declinare, futura cauere. Multa enim illo in tempore tentamenta proserpunt. Tunc feruet carnis illecebra, tunc tentator illudit: coquitur cibis, potusque digeritur. Stomachus aeger, mens somnolenta, animus occupatus est. Itaque aut quiescenti calor soporis augetur, aut vigilanti nondum plenior refusus est vigor, qui errorum caue re possit incursum. Tunc igitur tentator assistit, tunc retia iacit, quibus turbare possit mentem improuidam. Tunc spirituales nequitiae tenebras offundunt, tunc omne nefas suadere contendunt, quando nullus arbiter culpae, nullus criminis conscius, nullus potest esse erroris testis. Tunc varias disceptationes peccatori dormitantis infundunt, vt primò de statu mentis deiciant reluctantem, & aliorum qui sancti habentur, proponatur exemplum, quod illi aliquando deliquerint, sed postea veniam sint adepti, & texerint superiora delicta. Nam et si omnem emendario-

Luc. 6. Hebr. 7.

Supra.

Ephes. 6. Eccl. 23.

Ed. 5.

Ed. 23.

Ed. 12.

ibid.

Luc. 6. Hebr. 7.

Supra.

Ephes. 5.

Psal. 16. Psal. 49.

Act. 16.

dationem nostri inimicus exosus sit, tamen ad tempus, ut sobriae mentis virum possit elidere, praetendit futuram indulgentiam, ut praesentia peccata persuadeat: & cum impulerit aliquem ad erroris assensum, si viderit eum iam non amore virtutis à culpa, sed poenae contemplatione reuocari, inserit varias disceptationes, ut dicat sibi: Quis me videt? Et tenebrae circumdant me, & parietes: quem vereor? Non videt altissimus, non ad eum peccata nostra perueniunt, non dignatur spectare quae turpia sunt. Haec utique vsu exemploque cognoscimus. Nemo enim potest esse expertus tentationis. Itaque ut tempus habile hoc tentamentis, ita etiam tempus est poenae: quod ex lectione diuina possumus edoceri. Non enim otiosè Dominus Deus noster cum posset quo cumque momento primitiua Aegyptiorum extinguere, hoc tamen tempus dolori & luctui peccatoribus oportunius iudicauit. Sic enim scriptum est: Quia media nocte primogeniti Aegyptiorum ab exterminatore sint interempti. Ideoque sanctus Moyses propheta, ut hoc praenunciaret tempus, ac sine Hebraeorum fraude transiret, agnum antè immolauit, hoc est vespere, ut manducantes eum, & pascha Domini celebrantes, non occuparentur exterminatoris insidiis, ne inermes & vacuos spiritalis alimèti nocturna spicula tenebroso hostis opprimeret. Haec diligenter intende, prudenter intellige, sollicitè require. Non perfunctoriè ista dicuntur, sed diuina tibi mysteria declarantur. Praueni & tu insidias tentatoris, instaura prius caeleste conuiuium. Inditum est ieiunium, caue ne negligas. Et si te fames quotidianum cogit ad prandium, ut intemperata declinet ieiunium, tamen caelesti magis te seruato conuiuio. Non epulae paratae extorqueant, ut caelestibus sis vacuus sacramentis. Differ aliquantulum, non longè finis est diei: immò plerique sunt eiusmodi dies, ut statim meridianis horis adueniendum sit in ecclesiam, canendi hymni, celebranda oblatio. Tunc utique paratus assiste, ut accipias tibi munimentum, ut corpus edas Domini Iesu, in quo remissio peccatorum est, postulatio diuinae reconciliationis, & protectionis aeternae. Suscipe antè Dominum Iesum tuam mentis hospitio. Vbi corpus eius, ibi Christus est. Cum hospitium tuum aduersarius viderit occupatum caelestis fulgore praesentiae, intelligens locum tentamentis suis interclusum esse per Christum, fugiet ac recedet, & tu mediam noctem sine vlla offensione transibis. Admonet etiam sacrificium vespertinum, ut numquam Christum obliuiscaris. Non potes obliuisci, cum lectum ascendes eius Domini, cui in occasu precem fuderis diei, qui e-surientem te sui corporis epulis expleuerit. Etenim quod vespere cogitaueris, citò cum euigilaueris recensabis. Excitabit te ipse Dominus Iesus, admonabit ut surgas, & eo tempore arma orationis assumes, quo solet incurfare tentator. Vnde non otiosè Paulus Apostolus & Silas trusi in carcerem, cum in neruo pedes haberent, media tamen nocte surgebant mentis vestigio, exorabant Dominum, & laudis sacrificium deferebant. Ideoque ubi non defuit deuotionis officium, adfuit etiam solutionis remediū. Subitò enim media nocte terramotus factus est gradis, ita ut mota sint fundamenta carceris, valuae apertae,

omnium vincula soluta sint. Audis quemadmodum si ligatus fueris, quibus manibus, quibus operibus ipse te soluas, quemadmodum custodes timere non possis? Surge igitur ad precandum. Ea hora est, qua tentator nocere consuevit, & nequitia consuevit irruere. Ea hora est, qua solet aduersus tentationes graues remedium venire caeleste. Excubandum tibi est, ne qua fraude vincaris: prouidendum ut eo tempore quo potes vincere, nequaquam vincendi tempus amittas. Et quia orationem subeundam media nocte diximus, non minus etiam de eiusmodi hora diei dicendum videtur, contraria enim diei nox est. Quid enim luci commune cum tenebris? Et ideo aduersa sibi eadem nocturna est diurna. Sicut enim media nocte primitiua Aegyptiorum exterminator occidit, & ex eo cognoscitur quod ea maxime hora operetur aduersarius: ita è contrario quod meridiano tempore virtus diuinae lucis operetur. Vnde & Abraham circa meridiem sobrias tendebat excubias, & boni aliquot expectabat euentus, leuans oculos suos, ac finitima perlustrans, quod eo tempore aduenientem gratiam sibi quaereret. Illo igitur tempore cum duobus angelis suis diuinus ei hospes aduenit, illo tempore Christum suscepit hospitio: illo tempore illa quae legis & intelligis, celebrata mysteria sunt. Quando enim magis debuit fidelem virum diuina illuminare praesentia, quam quo lux diei plenior refulgeret? Meritoque etiam sanctus Ioseph receptis fratribus, & accersito iuniore germano, quem maxime diligebat, meridiem instaurat conuiuium. Erat enim meridies in sancti Ioseph peccatore, quando laetas epulas fratribus splendidis gratiae ministrabat, suauissimisque cibis alloquij diuidebat: ut cum illi poenae fratris metuerent appetiti & venditi in seruitutem, ille diuino iudicio ipsis diceret esse prouisum, ut in Aegyptum deduceretur, qui famem sustinentibus alimoniam non negaret. Habeamus ergo in nobis meridiem. Meridies est ei, cui iustitia sol refulget, & cuius opere bono, vel cogitationibus innoxius, & pura mente atque sincera pascitur Christus. Disce igitur quemadmodum tibi ipsi fias meridies. Reucla, inquit, Domino viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet, & educet sicut lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum sicut meridiem. Vbi enim vera est fides, ibi veri luminis gratia est. Vbi innocentia prolixior custodia, virtutumque longa meditatione processus: ibi splendor bonae conscientiae diu permanens, ibi intelligibilis est meridies, ibi & tu Christo mentis tuae epulas exhibebis, & in diuitiis eius etiam ipse pascetur: ita ut non luminis praematurus veri sequatur occasus, nec quidam studiis tuis tenebrosus citò vespere incumbat, & opera bona interiectus impediat. Quod si tentationum nox aduenerit, non immerito media nocte surgendum, & orandum diu, & protrahenda psalmis tempora, donec veniat dies, & illucescat tibi Christus. Vide igitur ne & per diem tibi media nox fiat, quo mundi princeps tenebrosus & squalidus plenitudinem tibi tentationis offundat. Surge igitur, & excita tuam mentem, non dormitat qui custodit te, si te non reperiat dormientem: sed surget, si & ipse fuerit tuae animae vigiliis excitatus: & imperabit vento, & fiet tranquillitas in tuo peccatore, quod diuersarum procellarum turbine stua-

2. Cor. 6. Exod. 12.

Gen. 18.

Gen. 43.

Gen. 45.

Malach. 4.

Psal. 36.

Iob. 3.

2. Petr. 3. Ioan. 14.

Ephes. 5. Psal. 120.

Matth. 4.



*Matth. 25.* Et uabat. Surgendum igitur nobis est media nocte. Soter enim sponsus media nocte venire. Caue ne te dormientem inueniat, caue ne faciem tuam non queas somnolentus accendere. Surgendum, inquam, & Domino confitendum est, ut gratias agas. Confitenda etiam eius iudicia aeterna, & quidquid nobis boni accidit, eius iustitiae deputemus: ac siue diuites sumus, siue salubriter ualeamus, iustitiae Domini deferamus: quia iustus est, ut opus suum tueatur ac seruet, ut quos nudos in dotata quadam natura sorte in hanc proiecit corporis infirmitatem, vigore animi, & misericordiae suae dote pauperes vestire dignetur. Quod utique omni agendum tempore manifestum est, ut nec die, nec nocte, nec ullo tempore a gratiarum actione debeamus vacare.

Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

*Psalm. 44. Rom. 8.* Habet & Christus participes atque consortes suos. Denique David probat, dicens: Unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae praefertur confortibus tuis. Habet participes carnis, quia carnem suscepit: habet prophetiam, quia prophetam, inquit, uobis suscitabit Dominus Deus uester de fratribus uestris: tamquam me, ipsum audietis per omnia quaecumque loquetur uobis. Erit autem, omnis anima quae non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe. Ipse est uerus propheta, qui sine alterius munere futura cognoscit: qui ea quae uentura erant, locutus est in prophetis. An non est propheta, qui facit alios prophetare? Ipse est qui auditur sicut lex, quia & lex est ipse. Denique si *Deut. 18.* Moysen, inquit, & prophetas non audiunt: nec si quis ex mortuis ad illos abierit, credent. Ideoque populus Iudaeorum quia non audiuit hunc prophetam, de plebe exterminatus est: ut populus Dei esse desineret, qui ante populus Dei dicebatur. Habet confortes baptismi, quia baptizatus pro nobis est: habet confortes iustitiae, quia ipse iustitia est, & nobis de suo dedit sui habere consortium: habet consortes ueritatis, quia ipse ueritas est, & nos tenere uoluit ueritatem: habet consortes resurrectionis, quia ipse est resurrectio: habet confortes immaculatae uitae, quia ipse immaculatus est. Et quicumque in nouitate uitae ambulauerit, quicumque tramitem iustitiae tenuerit, participes Christi est. Habet etiam tribulationis suae participes: ideoque qui participes eius esse cupiebat, dixit: Nunc gaudeo in passionibus pro uobis, & adimpleo ea quae defunt tribulationum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia. Sepultura quoque eius participes sumus. Quisquis enim conspuitur est cum ipso per baptismum in mortem, participes eius est. Ideoque ipse Apostolus adstruens quam nobis gratiam dederit Dominus Iesus, ait: Participes enim Iesu Christi facti sumus. Sed & ille participes Christi est, qui lugentem moesto consolat affectu: qui in carcere constitutum proprio non defraudat officio: qui lecto aegrotantis affidet, non ut capiendae hereditatis tendat aucupium, sed ut morbi uim sollicito mitiget ministerio, ut sedulo tectum sermone demulceat: qui nudos uestiat, estu- rientes reficiat. In his enim frequenter est Christus, sicut ipse ait: In carcere eras, & uenisti ad me: nudus

eram, & operuisti me. Quod enim uni eorum fecisti, mihi fecisti. Si oderim mendacium, participes Christi sum: quia ueritas Christus est. Si fugiam iniquitatem, participes Christi sum: quia Christus iustitia est. Beatus qui hoc potest dicere. Sicut enim membrum participes esse dicimus totius corporis, sic coniunctum omnibus timentibus Deum, qui non dicat alteri, Non es de corpore meo: hoc est, non dicat pauperi diues, non ignobili nobilis, non aegro sanus, non fortis debilis, non imperito sapiens dicat: Non estis mihi necessarij. Participes corporis Christi est, quod est Ecclesia. Sed qui sciat quod in iudicio in Ecclesia debiles, pauperes, imprudentes, etiam peccatores, abundantiori indigeant honestate, & maiore praesidio fulciendi sunt? Qui hoc nouerit, ipse potest dicere: *Particeps ego sum omnium timentium te.* Qui compatitur magis huiusmodi hominibus, quam fastidiat eos: compatitur infirmis, ut sciat quod unum corpus omnes sumus, & membris membra connexa, ut alterum sine altero esse non possit: & cum alterum dolet, compatitur alteri. Iste ergo recte potest usurpare huius uocis auctoritatem. Vide autem quam uerecundè Propheta dixerit: *Particeps ego sum timentium te.* Non dixit imitantium, sed timentium. Initium enim sapientiae est timor Domini. Inter rudes se constituit humilitate, cum ueteranos deuotione superaret. Sed tamen & timere uirtutis est, quia scriptum est: Timete Dominum sancti eius. Sed ne aliquibus timor iste non sanctus uideatur (quia sunt qui ignaua formidine pertimescunt, & hebeti trepidant metu) addidit: *Et custodientium mandata tua.* ut ostenderet se sancti timoris esse consortem. Aut sic: Potest quidem timere corde deuotus, sed opere piger, ut sit religiosus affectu, otiosus actu. Non tamen potest piger esse, qui mandata Domini custodit. Qui ergo timet, custodit: ergo eius est custodire, qui timeat. Sanctus itaque hoc dicit: ego autem hoc mihi usurpare non possum. Quanti enim sunt qui timeant Deum, & non illis compatiatur? Querunt opere, & ferre nolo misericordiam: indigent sumptu, & non adiuuo. Quisquis autem haec facit, ipse potest dicere se timentium Christum esse consortem.

Misericordia tua Domine plena est terra, iustificationes tuas doce me.

Quomodo misericordia Domini plena est terra nisi per passionem Domini nostri Iesu Christi, quam futuram prauidens quasi promissam Propheta concelebrat? Prophetis autem ea quae uentura sunt prauidentibus, motus est ut quasi iam decursa memorent quae posterioris aetatis sunt. Plena est ergo terra misericordia Domini, quia omnibus est data remissio peccatorum. Super omnes sol oriri iubetur. Et hic quidem sol quotidie super omnes oritur. Myrticus autem sol ille iustitiae omnibus ortus est, omnibus uenit, omnibus passus est, & omnibus resurrecti. Ideo autem passus est, ut tolleretur peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: ut si quis clauis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore eius se ipse fraudauit: sed quod solis est, praerogatiuam suam seruat: quod imprudentis est, communis a se gratiam lucis excludit. Super

Super omnes pluuia est, & hoc diuinae misericordiae deputatur, quia pluit super iustos & iniustos. Aut certe sic interpretandum, quod misericordiae diuinae plena sit terra, quia Domini est terra, & plenitudo eius: ipse super maria fundauit eam, & super flumina praeparauit illam. Etenim per Ecclesiam in omnes gentes diffusa est misericordia Domini, in omnes gentes diffusa est fides. Fortasse dicas: Quia ratione non dictum est, Misericordia Domini plenum est caelum? Quia sunt etiam spirituales nequitiae in caelestibus, sed non illae ad commune ius indulgentiae Dei, remissionemque pertinent peccatorum, quibus ignis seruatur aeternus: & illa quae caelestium uel potestatum uel ministeriorum sunt, licet auxilio Domini fulciantur, tamen non tanta eius indigent misericordia, quanta ea quae sunt inferiora atque terrena. Non enim illa carnis inuolucro uestiantur, in qua est frequentis erroris illecebra. Ideoque in superioribus ait idem Propheta: Quia caelum caeli Domini, terram autem dedit filiis hominum. Unde & caelum purius & defaecatius ab omni labe peccati est, longèque remotius ab illo de quo scriptum est: Sicut uolatilia caeli. Hoc enim caelum uelut medius quidam inter caelum & terram aërius locus dicitur, in quo sunt etiam spirituales nequitiae in caelestibus. Nam in illo non appellatiuo, sed uero caelo, etiam si diabolus legerimus in conspectu Dei angelorum non defuisse concilio, uero tamè nulla operari tentamenta nequitiae. Denique scriptum est, quia angeli amauerunt filias hominum, eo quod terrenis capti detineantur illecebris princeps mundi istius ac ministri eius, in quibus nequitia spiritalis uenenis quibusdam carnis huius imbuta, & humanis infecta criminibus. Ideoque Dominus in Euangelio suo ait: Fiat uoluntas tua sicut in caelo & in terra. Non eadem est illic iniquitas uicini possessionis finitimo rure depellere, uicini hereditatis fraudare compendii, minores consortij iure detrudere, intra lignum denique & quodcumque argenti atque auri uel aeris metallum uelut effigiem quandam caelestem includere potestatem. Haec cum sint maximi plena sacrilegij, in caelis vacant, in terris frequentantur. Verbo Domini caeli firmati sunt, non terra firmata est: & ideo iustificationes Dei ab ipso Domino uult doceri, quia difficile est in terra magistrum huiusmodi reperire, qui ea doceat quae ipse non uiderit. Ad illum igitur doctorem intimo Propheta contendit affectu, qui solus magister est uerax. Quomodo enim potest homo quas uerum docere quod nesciat, cum ipse sit mendax? Meritoque ait Dominus, ut nemo super terram uocet sibi quemquam magistrum, quia unus est magister omnium. Et quomodo possit David alium doctorem querere, cum ipse de Deo dixerit: Qui docet hominem scientiam? Docet autem Deus, & mentes illuminat singulorum, & claritatem cognitionis infundit, si tu aperias ostia cordis tui, & caelestis gratiae recipias claritatem. Quando dubitas, diligenter inquiras. Qui enim quaerit, inuenit: & ei qui pulsat, aperitur. Multa obscuritas est in scripturarum prophetis: sed si manu quadam mentis tuae scripturarum ianuam pulsas, & ea quae sunt occulta, diligenter examines, paulatim incipies rationem colligere dictorum, & a

perietur tibi non ab alio, sed à Dei uerbo. Quae legisti in Apocalypsi quod agnus librum scriptum aperuit, quem nullus ante aperire poterat: Quia solus Dominus Iesus in Euangelio suo prophetae uenigmata, & legis mysteria reuelauit: solus scientiam clauum detulit, & dedit aperire nobis. Dicunt se Iudaei habere clauum scientiae, sed non habent. Nam si haberent, ipsi ingrederentur, ipsi agnoscerent penitentialia scripturarum. Nunc autem uae uobis scribae & pharisaei, qui abstulistis clauum scientiae, & ipsi non introistis, & introeuntes prohibuistis. Quomodo enim clauum potestis habere scientiae, qui scientiae negastis auctorem? Et ideo ad ipsum conuersus Dauid, ait: *Tu me (inquit) doce iustificationes tuas,* quia tu es uera iustitia. Tu doce quae sapienter dicta sunt, quia tu es sapientia. Tu aperi cor meum, quia aperuisti librum. Tu aperi illud ostium quod in caelo est, quia ipse es ianua. Per te si quis introierit, regnum illud possidebit aeternum. Per te si quis intrauerit, non decipietur: quia falli non potest quicumque domicilium fuerit ueritatis ingressus.

In octonarium nonum enarratio.

Teth.

Non a littera Teth, cuius interpretatio est, Exclusio. Quid est exclusio? Numquid sicut domo aliquis excluditur, hospitioque deicitur, ita qui excluditur à Dei regno, bonis illius fraudatur, sicut illae exclusae sunt uirgines, quae secum oleum non tulerunt: & dum uenit sponsus, extinctae sunt faces earum, atque emendo oleo instamman dique facibus occupata fecerunt moram, & ingresso iam sponso introire cupientes leguntur exclusae? Non arbitror. Nam quomodo diceret bonis sanctus Propheta, si esset deiectus atque exclusus à Dei regno: Iucunditatem fecisti cum seruo tuo? Nec Prophetae meritum huiusmodi intellectum uidetur admittere, nec series subditorum. Audis dicentem: Suauis es Domine, & in iucunditate tua doce me iustificationes tuas. Audis dicentem: Bonum mihi lex oris tui super milia auri & argenti. & potest dicere quod sit exclusus à regno, qui non est exclusus à lege? Quid ergo intelligimus? Haeret interpretatio. Obiicitur sensus sui sermo uidetur offundere. Vocant merita Prophetae, uocat eius gratia, uocat subiectorum series, & altioris intellectus aliquid debeamus eruere, & occurrit in interpretatione quod interdum excludamur in bono. Scriptum est enim: Perfecta charitas timorem excludit foras. Et generaliter quidem charitas excludit timorem. Ut miles qui imperatorem diligit, bella pro imperatore suscepta non metuit: ut seruus amans dominum, quamuis per deum & praerupta mittatur, tamen omnia pericula Domini amore contemnit, ac si quis dominum petat, seipsum offerre non trepidat: ut qui trans mare positos filios uidere desiderat, non metuit naufragia liberorum charitate, ingreditur maris fluctus, subbit incerta nauigij, & metu non discriminis leuanti desideria filiorum. Quam pulchre etiam de martyribus dicitur, qui uere militat Christo, qui persecutiones, uingulas, gladios, incendia non timentes, infestis se regibus obtulerunt? Timore etenim quem pote-

rant habere poenarum, excluderunt amore martyrij. Hunc plium autem esse interpretationis huius, etiam Threnis Hieremias possumus approbare. Nam et ibi sub hac littera scriptum est: Bonus est Dominus sustinentibus eum, animae quae quarit eum. Bonum est sustinere & sperare in salutare Dei. Bonum est viro cum portauerit iugum graue a iuuentute sua: sedebit singulariter, & silebit, quia tulit iugum graue. Hæc utique quid aliud adstruunt, nisi bonæ exclusionis hanc interpretationem videri? Quis enim sustinet Dominum nisi studio charitatis? Quis est qui sperat, nisi qui quod optat, & diligit? Quod enim speramus, per patientiam expectamus. Ergo qui sperat, sustinet: qui sustinet, impatientiam utique excludit affectum. Quis est qui portat iugum graue a iuuentute sua, nisi qui deliciis renuntiat, luxuriam fugit? Quis est qui singulariter sedet, nisi qui secularibus voluptatibus abdicatis, molestiarum omnium excludit tumultus? Ille ergo nil timere poterit, qui charitatis gratia vim timoris absorbit. Est & alius qui excludatur in bono, ut ille qui apostolica auctoritate sublatum est medio plebis est: & quia malum opus fecit, traditus est in carnis interitum, ut eius spiritus saluaretur. Ex quo intelligimus, quia in bono excluditur qui iubetur agere poenitentiam ut humilietur, & compungatur corde. Hæc enim reconciliationis solent esse suffragia. Denique etiam Hieremias scripta sub hac littera id videntur significare. Sic enim legimus de Hierusalé illa terrena: Immunditia eius ante pedes eius. Non fuit memor nouissimorum suorum, & cecidit validè, non est qui consoletur eam. Vide Domine humilitatem eius, quia magnificatus est inimicus. Et quia humiliatur Hierusalém, merito postea ei dicitur: Defecit iniquitas tua, filia Sion. Et omni qui poenitentiam egerit, lacrymisque propriis peccata defleuerit, bene dicitur: Defecit iniquitas tua. Alibi quoque sub hac littera dicit Hieremias: Boni erant vulnerati gladio, quam vulnerati fame. Abierunt compuncti a natiuitate agrorum. Compungimur igitur, quando nostrorum agimus poenitentiam delictorum, compungimur etiam recordatione delictorum. Vnde ait propheta David: Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Qui autem compungitur, utique delectationem excludit erroris: & qui agit poenitentiam, excludit pudorem, sequestrat verecundiam flagitij confitendi, ut recuperandæ spem salutis inueniat. Meritoque & ipse David ubi cognouit errorem: Peccaui, inquit, Domino. Tantus rex, tantus propheta non erubuit peccatum proprium confiteri, & ideo dictum est ei: Et Dominus abstulit peccatum tuum. Sublato igitur peccato, ait:

Iucunditatem fecisti cum seruo tuo, Domine, secundum verbum tuum.

Multi videntur in hoc sæculo iucunda esse, que non sunt: multa suauia, bona plurima. Luxuries videtur esse iucunda, sed exhausto fit amara patrimonio. Dulcis libido cum feruet, sed eadem horrida & execranda cum prodit. Suauis epula cum sumitur, sed foetida cum egeruntur. Bona multa in hoc sæculo, dum viuimus, estimantur, quia vni nobis sunt, ut pecunia, honor, aurum, argentum, possessiones:

eadem nihil possunt prodesse defunctis, hic omnia relinquuntur. Quinetiam maiori dolore quis moritur, cum his se fraudari copiis ingemiscent. Non est ergo iucunditas vera, nisi illa quæ secundum verbum Dei est, ut quis bonorum meritorum atque virtutum subsidiis gaudeat esse munitum. Hac David iucunditate vel bonitate Dei laetatur, quia iugum graue a iuuentute portauit & sustinuit, atque expectauit Domini in se gratiam, non præripuit, qui sæpe occidendi regis Saul tributa sibi copia, maluit tam expectare a Domino deferendi tempus imperij, quam occiso rege præripere. Semper Deus bonus est: ideoque & Paulus ait: Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei. Bonitas enim in omnes est, seueritas in paucos. Denique subdidit idem Apostolus: In eos quidem qui ceciderunt, seueritatem, in te autem bonitatem. Si enim non cecidissent, utique vterentur & ipsi bonitate Dei. Nam & tibi ideo bonus est, quia permanes: quod si non permanseris in bonitate, & tu excideris. Non ergo Deus propterea bonus esse desisset quia tu lapsus es, & indiges seueritate. Si quidem est & seueritas Dei in bonitate, ut recurrat vnusquisque castigatus, pedè referat à peccatis, & ad virtutum tramitem, bonamque conuersationem recurrat. Denique docet & de illis qui ceciderunt, Apostolus: Quia si non permanerint in incredulitate, inserentur. Potens enim est Deus iterum inserere illos, ut quemadmodum inserta virgulta, ita & homines velut caudicibus quibusdam virtutis inserti, bonorum fructus possint ferre meritorum. Accusentur medicum crudelitatis, quia putrefactas vulnerum fibras ferro putauerit excelandas: quia noxia & serpentina vlcera igni adusserit, ne virus in vteriora proferperet: vel quia magister discipulum verberauerit negligentem, ut metu verberum indueret diligentiam? Castigare enim amantis est, non execrantis: & ideo bonitatis est, non crudelitatis. Rectè ergo & Dominus ubique est bonus, & cum remittit flagitia, & cum peccata castigat. Castigat enim Dominus quem diligit. Castigatus est etiam David. Vnde ait: Et fui flagellatus tota die. Sed vir sapiens, qui intellexit castigationem illam sibi Domini profuisse, ait: Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine, secundum verbum tuum. hoc est, Et si ad tempus amara visa est mihi castigatio secundum carnem, secundum castitiam corporis, tamen secundum verbum tuum castigatio illa fructus bonitatis attulit. Illam mihi castigationem intelligo profuisse, illa castigatione me à vitis esse reuocatum, illa castigatione non diu aliquid in me licuisse flagitiis, per illam castigationem Domini nihil in me aduersario licuisse, nil morti. Denique castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me, ipse Propheta memorauit. Castigatur enim qui recipitur: qui autem non recipiuntur, non flagellantur. In laboribus enim hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideoque supra ait: Quam bonus Israel Deus rectis corde: Ergo bonus omnibus, quia omnes recto vult esse corde. Qui autem cor declinauerit, ipse à se gratiam diuinæ bonitatis auertit.

Iucunditatem & disciplinam & scientiam doce me, quia in mandatis tuis credidi.

Iuxta Apostolum, bonum intelligimus, quia dixit:

dixit: Vide ergo bonitatem Domini. Iuxta Euangelium, suauem accipimus. Dixit enim: Tollite iugum meum, quia leue est: & onus meum, quia suauem est. Dixit enim, ut oportet ut suauem. Vnde merito bonitatem Dei ab ipso querit doceri, ne forte quis perfunctorie accipiens bonum Deum esse, in erroribus perseveret, quod per misericordiam Dei sciat impunitatem suis dari posse peccatis, quæ etiam indulgeat Dominus, tamen sceda est conuersatio, in criminibus semper hære. Non ergo bonitas ista vulgaris est, sed quæ semper disciplinam expectet profectum. Ideoque qui intelligit altam Dei esse bonitatem, doceri desiderat etiam disciplinam. Nam plerique auertuntur a studio disciplinæ, dum eam seueram & tristem arbitrantur: sed perspicacior sensu intelligit quod disciplina si tristis ad tempus sit, posterioribus fiat iucunda temporibus. Sed est disciplina vel correptio seuerior, est etiam moderatio. Moderatio, de qua dicit Dominus: Corripiam eos in auditu tribulationis eorum. Est seuerior, quæ est in ira & furore correptio. Vnde refugiens eam correptionem dicit: Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripas me. Et Hieremias: Corripe nos Domine in iudicio, & non in furore. Omnis ergo disciplina, etiam ad tempus habeat amaritudinem, habeat perturbationem, postea tamen pacificos fructus generare consuevit. Sed qui petit doceri bonitatem & disciplinam, debet petere etiam scientiam doceri. Nisi enim habeat scientiam molesta est disciplina, molesta correptio. Quid sit scientia, doceat te Salomò, qui ait de Domino Deo nostro: Ipse enim mihi dedit eorum quæ sunt cognitionem veram. Et alibi hic idem Propheta ait: Qui docet hominem scientiam. Qui autem petit scientiam, credit mandatis Dei. Aliud est autem in mandatis Dei credere, aliud mandatis credere. Qui enim mandatis Dei credit, citò efficit ut sit in mandatis Dei, & in ipsis conuersetur. Per fidem igitur scientia assumitur, per scientiam disciplina. Quod enim scimus placere Deo posse, in eo nos conuersatio ipsa delectat. Denique scriptum est: Nostra autem conuersatio in calis est. Præcessit scientia, sequuta est conuersatio. In mandatis autem Dei credere, est in ipsis esse, & credere quia vera sunt. Nisi enim credideris mandatis Dei, eorum utique scientiam, quæ per mandata Dei docemur, habere non poteris.

Priusquam humiliarer ego deliqui, propter hoc verbum tuum ego custodiui.

Priusquam humiliarer ego deliqui. Alia editio habet, Priusquam humiliarer, ego nesciui. Vnde putat aliqui quod hominis anima hoc dicat: Priusquam humiliarer, ut in hoc lutum corporis introirem, tua quæ non legeram, mandata nesciui. Sed quia Septuaginta virorum sententias magis sequitur Ecclesia, & hic sensus est planior, & nihil offensionis admittens quod possit aliquibus scrupulum commouere: ideo accipiamus, humiliarer ita dictum, eo quod peccato videatur humiliatus. Propter peccatum enim tentationes sæpe nascuntur. Denique Adam & Eua post culpam utique eiectionis sunt. Ergo humilitatis nostra causa peccatum est, vel humiliationis, non enim hoc fugio. Potest enim de aduersis plerumque in-

telligi humilitas, ut est illud: Bonum mihi quod humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. Nisi lex tua meditatio mea sit, tunc forsitan perissem, in humilitate mea, & humiliatus sum valde. Hic ego ostendit humilitatem ortam esse de culpa. Et quæ culpa præcessit, ideo humiliatum se ostendit, hoc est, attritum tentationibus & aduersis, & traditum anxietatibus: quemadmodum & ille qui traditus est Paulo in interitum carnis, humiliatus utique est, ut postea posset reconciliationem mereri. Sed quamuis humilitas ista, hoc est, velut quædam deiectionis perturbationis, non virtutis sit, virtutem tamen sæpe generat, & fit non poena, sed remedium delinquentis. Nam si peccatis tuis tribuas quod humiliatus es, quid quid acciderit, in te retorques, & ex eo incipies esse iustus, quia te ipse condemas. Iustus enim acculator est sui in exordio sermonis. Nec potes indignum te iudicare humilitate, qui propria errata cognoscis, in quibus erubescendo non utique extolleris, sed humiliaris. Vides ergo quia ideo humiliatus es, quia deliquisti, & non seruasti eloquia Dei. Vnde serua diligentius, ne pecces, ne iterum quia deiectionis sis, tristitia absorbearis, & fiat tibi deiectionis tua incrementum iniquitatis, quæ deberet correctionis esse occasio. Etenim in tentationibus homo, sicut aurum in conflatorio comprobatur, Vides Propheta quid dicit: Priusquam humiliarer (inquit) deliqui. Iure ergo tentationibus traditus est, quoniam delinquebat. Delinquebat autem, quia Dei eloquium non tenebat. Verum inde ordinem emendationis inuenit, vade culpa processerat. Cœpit esse subiectus eloquio diuino, & culpa defuit.

Bonus es Domine, & in bonitate tua doce me iustitias tuas.

Etiam vsus disciplinæ secularis accepit, ut vnusquisque iudicè suum laudet. Vnde Apostolus sequens diuinarum ordinem scripturarum, cum diceret causam, ita cœpit: De omnibus quibus accusor, rex Agrippa, à Iudæis, æstimo me felicem, apud te incipiens rationem reddere. Et infra: Credis rex Agrippa prophetis? Scio quia credis. Ergo si laudantur homines, in quibus plerumque aliena laudantur: quanto magis vnusquisque Dei sibi gratiam conciliare debet, ut dicat: Bonus es Domine. Nam si hoc dicatur homini, ut esse admoneatur quod forsitan non sit, & bonitatis etiam ipse prædicatione mitescat, terroremque immitis deponat affectus: quanto magis Deo laus sua est deferenda, qui nisi bonus esset, super terram stare quis posset? Proprium autem Dei est ut bonus sit. Denique in Euangelio habes quia arbor bona fructus bonos facit. Fructus eius angeli sunt, fructus eius homines sunt: hoc est, rationabiles sancti, si Domini præcepta custodiunt. Fructus eius sunt ij qui nascuntur in terris, fructus eius sunt virtutes hominum. Merito ergo arbor bona bonos fructus facit. Prius igitur radix laudetur, ut fructus possit probari. Sed & alibi ait idem Dominus Iesus: Et pater vester, qui bonus est, dabit bona data petentibus se. Sed quamuis bonus Deus sit, cuius etiam amara plus profuit (non enim inferuntur ut noceant, sed ut corrigant) rogatur tamen ut in bonitate sua doceat nos iustitias suas. Considera medicum vtilia appo-

Thren. 3.

Rom. 8.

Thren. 3.

1. Cor. 5.

Thren. 1.

Thren. 4.

Ibidem.

Psal. 4.

2. Reg. 12.

Ibidem.

Prov. 5.

Sapient. 5.

Ecd. 4.

Thren. 3.

1. Reg. 13.

26.

Rom. 11.

Ibidem.

Ibid. 12.

Psal. 7.

Psal. 6.

1. Cor. 10.

Ibid. 12.

Ibidem.

Heb. 11.

Prov. 3.

Psal. 71.

Philip. 3.

Heb. 31.

Psal. 117.

Heb. 11.

Psal. 71.

Ibidem.

Genes. 3.

Infra. Psal. 141.

Cor. 5.

Prover. 18.

2. Cor. 2.

Sapient. 3.

Act. 26.

Ibidem.

Psal. 105.

Luc. 18.

Matt. 7.

Rom. 11.

Matt. 7.

Hebr. 12.

mentem medicamenta vulneribus, ea tamen quæ G  
 mordeat vlcis virus: aut certè ferro putrefacta  
 refectem: cum in eo ipso bonus sit medicus, quia  
 vtilitatem operatur ægroti, & facit quod prodesse  
 non potest: tamen quia æger dolorem aut non vult aut  
 nec potest sustinere propter infirmitatem affectus  
 sui, rogat vt medicus eum quadam bonitate & sua-  
 uitate sua curet, & non asperitatem adhibeat medi-  
 camentorum, non ferro incidat vulnerum fibras:  
 aut si aliter non potest, vt cum moderatione faciat,  
 & quadam subtilitate mitiget vim doloris. Et ideo  
 in Euangelij bonitate melius docentur iustificatio-  
 nes Dei, quam in legis seueritate. Opus autem iusti-  
 tiæ iustificatio est. Vnde scriptum est quia Pharisei  
 se iustificare noluerunt, non baptizati baptismo Io-  
 annis. In eo enim iustificationem nõ fecerunt, quia  
 noluerunt agere pœnitentiam delictorum: quam  
 Propheta in bonitate vult agere, vt ei fiat peccato-  
 rum remissio sine atrocitate damnationis, cum re-  
 missionis gratia.

Multiplicata est super me iniquitas super-  
 borum: ego autem in toto corde meo scruta-  
 bor mandata tua.

Quanto magis quis Deo seruire desiderat, tanto  
 magis in se excitat aduersarios: & tamquam athleta  
 fortis coronam iustitiæ reportare desiderans, irritat  
 in se plurimos & laceffit, qui inuidet nostro profec-  
 tu. Quod etiam in posterioribus euidenter ostendit.  
 Cum odio habentibus pacem, eram, inquit, paci-  
 ficus. Nihil tamen tranquillitas eius proficiebat,  
 vt eos qui pacem oderant, sua tranquillitate com-  
 poneret, & eorum studia comprimeret. Cum lo-  
 quebar illis, impugnabant me gratis: hoc est, cum  
 causas impugnandi non haberent, tamen impug-  
 nandi studium non deponebant. Ita ergo multi-  
 plicantur siue nequitia spiritalis, siue homines, &  
 multiplicatur iniquitas eorum super iustum. Verbi  
 gratia, si filium iustus amittat (quod sæculi vsu sæpe  
 contingit) si amittat patrimonium, vel diuersis affi-  
 ciatur incommodis rerum, vel corporis infirmitati-  
 bus, tunc dicunt superbi: Vbi est iustitia eius? vbi mi-  
 sericordia? Ecce quia sic multatus est, ecce quia ei  
 innocentia sua nihil prodest. Ideoque ad vitam huius  
 specimen extrahendum, tres illi sancto Iob specie  
 amici, obrectatione autem inimici, probitatis at-  
 que iustitiæ eius inuidi, exprobrantes graua oppro-  
 bria congerebant: & qui venerant ad consolandum,  
 insultare cœperunt. Sed iustus his non mouetur, i-  
 deoque nec Iob frangebatur. Denique in amissioni-  
 bus filiorum vel patrimonij dicebat: Dominus de-  
 dit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedi-  
 ctum. Ergo & in aduersis positi dicamus: Bonitate  
 fecisti cum seruo tuo. Potest enim Dominus in me-  
 lius mutare quæ facta sunt, vt Iob sancti habemus  
 exemplum: & quæ amissa sunt, reddere. Potest quis  
 & amissis filiis generare meliores. Nũquid Deo est  
 difficile meliora donare? Potest etiam si nihil denet,  
 hoc ipso tamen iusto esse prospectum, si forè futuri  
 improbi capti sunt, ne mutaret malitia cor eorum.  
 Similiter & de patrimonio, quasi nõ videamus plu-  
 rimos propter opes patrimonij in periculum salutis  
 esse deductos, plurimis ex diuitiarum abundantia

ortam esse causam peccandi. Qui enim non habet  
 quod donet, adscribi ei culpa non potest quod non  
 donauerit. qui autem habet quod donet, & nõ dat,  
 vtique obnoxius esse incipit peccato.

Coagulatum est sicut lac cor eorum: ego  
 autem legem tuam meditatus sum.

Subtile cor sanctorum, coagulatum est verò cor  
 superborum. Vt enim lac natura sui purum, specio-  
 sum atque sincerum est, sed corruptione coalescit:  
 sic mētis & cordis humani natura pura, sincera, per-  
 spicua est prius quàm vitiorum admixtione coale-  
 scat. Coagulato enim lacte fit quadam concretio,  
 nec suauitatem habens eandem, nec gratiam. Ita  
 homines, qui ante sedulitate gratiæ, suauitate ver-  
 borum, lactis speciem præferrebant nulla inuidia cor-  
 ruptam, si cœperint inuidere, coagulatur in vitium  
 cor eorum, & fit de suauitate amicitia amaritudo  
 malevolentia, & insuavis quidam horror inuidia.  
 Ergo coagulatum est cor per superbiam, per inui-  
 diam, quæ lenitate naturæ fluētē benevolentiam  
 malitia concretione vitiarunt. Iniquorum ergo cor  
 coagulatur, iustus autem humiliatur, legis præcepta  
 meditando, qui habet humilitatis magisterium.

Bonum mihi quod humiliasti me, vt di-  
 scam iustificationes tuas.

Hoc sequutus Apostolus: Placeo mihi, ait, in in-  
 firmitatibus, in iniuriis, in necessitatibus, in persecu-  
 tionibus, in angustiis. Cum enim complacet in in-  
 firmitatibus, & non frangitur animo, nec cedit iniu-  
 rie, discere iustificationes Dei & meruit & impleuit.  
 Ergo hic, humiliasti me, hoc est, diuersis tētationibus  
 & incommodis exercuisti. Quod aperuit & Sym-  
 machus, scribens: Profuit mihi quod afflictus sum,  
 vt discerem iustitias tuas. Ergo qui humiliatur, non  
 deiciat animum, neque frangat, sed magis humi-  
 liando proficiat, vt superbum humilitate sua miti-  
 get, insolentes morum seueritate confundat, con-  
 tumeliosos patientia sua frangat, auaros nonnum-  
 quam etiam æquanimitate dispēdit ad iurgij inten-  
 tione deducat. Sic enim legisti: Quia iustificata est  
 sapientia à filiis suis, dum Christus se offert suppli-  
 cio, dedit iniuriis, non subducit opprobriis, nec à  
 confusione sputorum auertit faciem suam: & ideo  
 omnes sapientia sua instruxit, & liuore sanauit.

Bonum mihi lex oris tui, super milia auri  
 & argenti.

Non quicūque hoc dicit, immo rarus hoc dicit:  
 id est, qui legem Dei auro atq; argento præfert, qui  
 potest propter legē Dei omnia relinquere. Sed nec  
 Christus hūc reperit, nisi de iis quos ipse docere di-  
 gnatus est. Petrus hoc dixit, & probauit effectū,  
 quia plures legem quàm aurum habuit. Ideoque ait:  
 Aurum & argentum non habeo. Non auarus hoc  
 dicit, qui desolito auro incubat. Non dicit pecunio-  
 sus, qui quotidiana emolumenta sollicito rimatur af-  
 fectu, qui quotidie opes aggerat, qui hereditatis  
 tendit aucupia, qui circa ægrotantis leſulum inde-  
 fessas exercet excubias. Hic aliqui legem oris Dei  
 tamquam legem verbi Dei accipiunt, vt si dicas:  
 legem

legem dexterae Dei. Bene ergo & hoc conuenit Pe-  
 tro dicenti: Verba vitæ æternæ habes, & nos relin-  
 quemus te? hoc est, Lex oris tui super milia auri & ar-  
 genti est, & possumus tantum deserere bonum, & sæ-  
 culi huius emolumenta captare? Sed Moyses lex o-  
 ris Dei potest dici, per quem Dominus loquutus  
 est, & dedit legem.

In octonarium decimum enarratio.

Iod.

Decima littera apud Hebræos Iod, quæ Latina  
 significatione confessio dicitur, vel certè deso-  
 latio. Nec discors ac dissonans videtur interpreta-  
 tio. Siquidem qui desolati sunt, citius consentunt.  
 Magis enim secūdis rebus animus extolli solet: cum  
 autem vrgetur aduersis, tunc demum implorat au-  
 xilium. Nam in iis quæ humana sunt, hunc vsum esse  
 cognoscimus, vt cui succedunt prospera, animus e-  
 latio: cui mundi huius infesta sunt ex potentia  
 alicuius aduersi, tunc confugiat, tunc opem querat,  
 vt vel rogando superioris mitiget potestatem, vel se  
 viribus armet adiunctis, ne quasi inferior potentio-  
 ris viribus opprimatur. Denique Hieremia sub hac  
 littera sic ait: Manus suas extendit qui tribulat in om-  
 nia desideria eius. Vidit enim gentes introeuntes  
 in sanctificationem suam, quibus mandasti ne in-  
 troirent in ecclesiam tuam. De Hierusalem vtique  
 hoc dicit Propheta, cuius deplorat ærumnam, cuius  
 præcessit desolatio ac destitutio, vt postea sequere-  
 tur confessio. Castigat enim Dominus omnem fi-  
 lium quem recipit. Acceptorus igitur Hierusalem,  
 antè captiuitatis flagellauit ærumnis. Nimum e-  
 nim insoluerat, & inflato sese corde iactauerat, vt  
 caput tenere non posset Dominum Iesum, id est,  
 humilitatem, gratiam, iustitiam, sapientiam: hoc est,  
 veræ fidei magisterium non teneret. Et ideo Domi-  
 nus castigauit eam, qui moderator omnium nouit  
 quemadmodum vnumquemque castiget. Vt enim  
 medicus grauiora vulnera asperioribus medicamen-  
 tis curare cõsuevit, ita & Deus noster grauiora pec-  
 cata maiore seueritate castigat. Sed ipsa castigatio  
 ad salutem proficit. Dixit enim Dominus: Percutia-  
 mus, & ego sanabo. Denique de Hierusalem spem  
 cepit Hieremias propheta promittere. Nam in po-  
 sterioribus sub hac littera ait: Dabit percutienti ma-  
 xillam suam, & satiabitur opprobriis. Dabit in sepul-  
 turam os suum, si tamen est spes. In Euangelio Do-  
 minus Iesus docens virtutem insignem patientia,  
 ait: Qui te percusserit in maxillam, præbe ei & alteram.  
 Vult enim discipulos suos & iniuriarum esse  
 patientes, nec referre facile, ne dum ferire potens  
 iniuriam faceret, indicium humilitatis non exhibe-  
 ret. Patientia enim humilitatis indicium est. Et ideo  
 quoniam desolata erat ac destituta Hierusalem: Da-  
 bit, inquit, percutienti maxillam suam, vt non se sub-  
 duat iniuriæ, nec declinet ex dōis dolorem, sed per-  
 cutienti maxillam offerat. Vtrumque intelligi po-  
 test, siue ei qui percutere incipiat, siue ei qui iā per-  
 cusserit, vt illud euangelicum compleatur: Qui te  
 percusserit in maxillam, præbe ei & alteram. Et pro-  
 pheticè hoc positum est, vt doceret Hierusalem,  
 hoc est, plebis Iudaicæ ecclesiam non aliter esse ser-  
 uandam, nisi per Euangelij disciplinam: vt cum cœ-

perit Euangelij præcepta seruare, & operibus im-  
 plere mandatum Domini Iesu, tunc iugum captiui-  
 tatis de sua anima ceruice deponat, & se subdat iugo  
 Christi. Et satiabitur, inquit, opprobriis. Non dixit,  
 Subibat opprobrium. Facile est enim vnā aut  
 alteram contumeliam sustinere. Addidit, Satiabitur  
 opprobriis; quo facilius Domini moueat misericordiam,  
 opprobriorum complurium deformitate mi-  
 serabilis. Quod vtique ex libro Regnorum potes in-  
 telligere. Quipe cum conuiciaretur Semei filius  
 Gera sancto Dauid, virum sanguinarium appellans,  
 & malediceret ei quando fugiebat filium suum A-  
 bessalon: parricidalia ad tempus bella declinans ta-  
 cebat rex, & summum patientiæ insignem præstabat.  
 Etenim cum tentationis suæ tempus intelligeret, vt  
 ei parricidale prælium moueretur, magis humilem  
 se volebat videri, quò Domini mitigaret offensam,  
 quàm exasperandum eius arbitrabatur in sua tenta-  
 tione iudicium, si forè suas iniurias vltū iret. Vnde  
 & populi duci Abessa vindicare cupienti ait: Quid  
 mihi & tibi est fili Saruiz? Ideo maledixit mihi, quo-  
 niam Dominus dixit illi vt maledicat. Ecce filius  
 meus qui exiit de ventre meo, quarit animam meam.  
 Si autem modò extraneus maledixit mihi, dimitte  
 illum vt maledicat, quoniã Dominus dixit illi, vt vi-  
 deat humilitatē meam: & retribuet mihi Dominus  
 bona pro maledicto hoc. Quod & propheticè dixit  
 spiritu, & probauit euentu. Cum enim repleta fuerit  
 humilitas, peccatū soluitur. Deniq; & in Esaia libro  
 habes quia dixit Dominus: Sacerdotes loquimini  
 ad cor Hierusalē: consolamini eam, quia repleta est  
 humiliatio eius, solutum est peccatū eius: quia accepit  
 de manu Domini duplicia peccata sua. Aduertis  
 igitur quia vbi desolatio, ibi humilitas. Desolatio  
 enim sequitur humilitas iusto ordine, humilita-  
 tem patientia, patientiam probatio, probationem  
 cõsolatio. Quod habes & in Apostolo scriptū: Quia  
 tribulatio patientiam operatur, patientia autem proba-  
 tionem, probatio autem spem: spes autem non  
 confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus  
 nostris per Spiritum sanctum, qui vtique nostrum  
 consolator est affectuum. Quod autem ait: Da-  
 bit in sepulturam os suum, ostendit quandam supra  
 modum patientiæ taciturnitatem, vt tamquam se-  
 peliat os propriū ne loquatur, & velut quodā aggere  
 virtutum obstruat, ne vocē doloris emitat, tantum  
 pondus asserens patientiæ quam spes foueat, vt vo-  
 cem ipsam velut busto quodam ac tumulo sepeliat  
 ac includat, quam nulla extorquere, nulla excitare  
 possit iniuria. Huius ergo litteræ interpretationem,  
 vt potuimus, explicauimus: veniamus ad Psalimum.

Mantis tuæ fecerunt me, & parauerunt  
 me: da mihi intellectum vt discam manda-  
 ta tua.

Magno commédationis exordio vñs est, vt opus  
 Dei esse se diceret, quò facilius circa operis sui gra-  
 tiam fauor inclinaretur auctoris. Grandis enim pre-  
 rogatiua est in rebus humanis, vt aliquis operibus  
 & beneficiis fauceat suis: nec meritum spectet alicu-  
 num, sed in suæ gratiæ munus intendat, ne videatur  
 abrogare quod ipse donauit. Itaque etfi de luto cor-  
 poris nostri substantia sit, & carne induamur, corpus  
 E e iij

Luc. 7.

Eccles. 2.

Psal. 119.

Ibidem.

Ephes. 6.

Iob. 4.

Iob 35.

Iob 2.

Iob 16.

Iob 19.

Iob 32.

Iob 1.

Supra.

Iob 42.

Ibidem.

Sapient. 4.

Eccles. 5.

Eccl. 11.

Luc. 6.

Mat. 12.

Eccl. 19.

Psal. 77.

Ibidem.

2. Cor. 12.

2. Cor. 12.

Hier. 31.

Luc. 7.

Esa. 50.

1. Petr. 2.

Dent. 32.

Ibidem.

Mat. 5.

Mat. 5.



Genes. 2.  
Sapient. 7.  
Iob 10.  
Ecl. 17.

omnibus intaxatur & neruis, tamen quod simus pretiosissimum opus Dei, nemo dubitauerit. Nam & fabricam plam humani corporis si quis considerare velit, nihil poterit in terra pretiosius iudicare. Est enim homo statu celsus, vultu decorus, castarie gratus non in alium ceterorum more curuatus animalium, sed ipso natura iure sublimis, qui in caelum libero spectet obtutu, nulla captiuae seruitute cervicis depressus in terram, sed tamquam propria consciscus liberatis, & locuples sui testis auctoris. Verum tamen in ceteris animantibus membrorum forma laudetur, in quibus praeter gratiam corporis nihil est aliud quod requiratur. Homo in eo est pulchrior, quod non videtur non in corpore, quod videtur: in se habens aternitatis gratiam, & praesentium venustatem. Quae enim videntur, temporalia sunt: quae autem non videntur, aeterna. In hoc terrestri hospitio indutus habitatione caelesti, cui simul competit & in terris videri, & Deo coniungi. Magnum sane munus, si se ipse cognoscat, & quaedam forma iustitiae, mundo magis quam sibi nasci. Vnde Salomon ait: Grande homo, & pretiosum vir misericors: virum autem fidelem opus est inuenire. Et verè magnus est qui diuini operis interpret est, & imitator Dei. Homo est enim qui potuit dicere: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Terram excolit, mari tamquam possessione vitur, caeli ornamenta grandis miratur assertor. Euanuerat rerum natura, nisi qui ea vteretur, diuina prouidentia effet adiectus. Denique postquam fecit Deus caelum & terram, & maria, posteaquam omnia reptilia, volatilia, animantia protulit, hominem fecit, quem animantibus viuentibus anteferebat. De quo non immerito caelestis sententia resultauit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Cetera dixit, & facta sunt: mandauit, & creata sunt: vt homo fiat, specialis quidam Dei accedit hortatus, vt tamquam laborantis Dei in huius munere creaturae significetur operatio. Deus quidem expers laboris est, sed tamen scripturae verba quid aliud, nisi studiosam tui ob gratiam operationem eius ostendunt? Ergo si Deus maiore quodam studio te creauit, cur ipse tui studium derelinquis? Si Deus in te laborauit, qui laborare non nouit, cur ipse fugitans sis laboris? *Manus tuae fecerunt me, & paraauerunt me.* Clamat ad Deum Propheta: Opus tuum, Domine, ne deserat, non derelinquas. Te auctorem conuenio, te teneo conditorem, praesidia aliena non quero. In adiumentum accingere, qui accinctus es vt creares. Dic ipse Dauid quid senseris, cur dixeris: *Manus tuae fecerunt me.* Sed dixisti inferius: Domine retribues pro me, Domine misericordia tua in saeculum, opera manuum tuarum non omittas. hoc est dicere: Bestias non fecerunt manus tuae, sed dixisti: Producat aquae reptilia animarum viuentium: & produxit terra secundum genus quadrupedia, & reptilia, & bestias terrae. Me autem, inquit, fecisti, me tuis manibus figurasti: hoc est, non figurasti bestias manibus tuis, non reptilia, non volatilia: *me autem fecerunt manus tuae, & paraauerunt me.* Non mediocre opus est quod paratum est, cum sapientia vnum quodque disponitur & paratur. Denique sapientia dicit: Cum pararet caelos, cum illo eram. Quod de homi-

nibus dicit idem Propheta: Vox Domini preparantis ceruos. Quae vox Domini Dei est, nisi, Faciamus hominem? Qui sunt isti cerui, nisi inimici serpentibus, qui super aspides ambulant, & venena non sentiunt? Non vile igitur, non corporale arbitror quod parauit Deus. Nosce te ipsum homo, tuae animae dicitur in Canticis canticorum: Nisi cognoueris te formosa in mulieribus. Cognosce te anima, quia non de terra, non de luto es, quia insufflauit in te Deus, & fecit te in animam viuentem. Opus magnificentum est homo, Dei inspiratione formatum. Attende tibi, vt lex dicit: tibi, id est anima: tuae. Saecularia te & mundana ne teneant, terrestria non morentur. Ad illum tota intentione festina, ex cuius inspiratione consistis. Grande, inquit, homo, & pretiosum vir misericors: virum autem fidelem opus est inuenire. Disce homo vbi grandis, vbi pretiosus sis. Vilem te terra demonstrat, sed gloriosum virtus facit, fides rarum, imago pretiosum. An quidquam tam pretiosum quam imago est Dei? Quae primum tibi fidem debet infundere, vt in corde tuo resurgat quaedam auctoris effigies: ne qui mentem tuam interrogat, non agnoscat auctorem. An quidquam tam pretiosum, quam humilitas, vt naturam corporis animaeque perspicies, altero te subiicias, altero te recognoscas? Prona in vitium carnis illecebra, misericordia suadet quia quod alteri contuleris, tibi soluis: quidquid a te procedit, in te recurrit: & quidquid feceris, tibi proficit. Viuacis animae vigor, sensus rationis & intellectus capax atque iudicij, vt digna domus tanto habitatore videatur, non amittet suae prerogatiuam naturae, vt hominis nomen amittat. Scriptura enim eum hominem dicit, qui est ad imaginem & similitudinem Dei: peccantem autem non hominem, sed aut serpente, aut equum ad hinc inuenit feminis, aut vulpeculam, aut iumentum vocare consuevit. Nolite fieri sicut equus aut mulus, quibus non est intellectus. In campo & fraeno maxillas eorum constringe, qui non appropinquant tibi. & Dicite huic vulpi, de Herode inquit. Et generatio viperarum a Ioanne plebs hominum dicitur. Magnum ergo opus Dei es, o homo, & magnum est quod dedit tibi Deus. Vide ne quod Deus tribuit, amittas. Magnum illud munus, quod es ad imaginem Dei: & hoc in te punitur magis. Deus enim non punit similitudinem suam, sed eum punit qui ad similitudinem Dei factus, hoc quod accepit, seruate non voluit. Punitur ergo illud quod ad similitudinem Dei esse desistit, hoc est, peccatum tuum. Nam suam Deus non damnat imaginem, nec illam in incendium mittit aeternum, sed magis vindicat imaginem suam de eo qui imagini illi fecit iniuriam, vt per malitiam quod eras, homo esse desineres, & non fieres mulus ex homine. Vindicatur ergo imago, non condemnatur. Vindicatur quasi expulsa, non condemnatur quasi rea. Postquam enim peccasti, aliud esse coepisti: & illud quod eras, esse desisti. Quomodo igitur punitur in te, quod in te non inuenitur? Nam si inueniatur in te imago Dei & similitudo, non supplicio incipis dignus esse, sed praenatio. Ita imago illa qua ad imaginem & similitudinem Dei factus es, non condemnatur, sed coronatur. Condemnatis autem in eo, quod ipse mutatus

Psal. 28.  
Genes. 1.  
Psal. 90.  
Cant. 1.  
Genes. 2.  
Deut. 4.  
Ieron. 20.  
Ecl. 17.  
Genes. 8.  
Sapient. 2.  
Ecl. 5.  
Psal. 48.  
Psal. 31.  
Lucas 13.  
Lucas 3.  
Ieron. 20.  
Psal. 31.  
Genes. 2.  
Psal. 31.  
Genes. 1.  
Genes. 2.  
Genes. 2.

es vt fieres ex homine serpens, mulus, equus vulpecula. His enim nominibus iam nos scriptura damnauit, quia exuti caelestis imaginis ornamento, etiam nomen hominis amittimus, qui gratiam hominis non tenemus. In aliquibus tamen codicibus inuenimus: *Manus tuae fecerunt me, & plasmauerunt me.* Nec istud alienum, quia & Iob dixit: *Manus tuae plasmauerunt me & fecerunt.* Vnde & hic edicitur, vt meminerit Deus quia puluis sumus: vt vberioris gratiae munus infundat, nec infirmum opus deserat. Gubernator fluctuante nauigio plus laboris impendit, quam cum secundo labitur fluctu, aut ventorum flatu supparo prosperante procurrat. *Manus tuae* (inquit) *plasmauerunt me.* Manus dicit pluraliter, non manu. At verò alibi ait: Ego manu mea solidavi caelum. & Manus mea fecit haec. In hominis constitutione videtur non abundare, quod toti mundo vt fieret abundauit. Caelum vna firmavit manus, vt scriptum est: & vtraque Dei manus hominem figurauit, vt legimus. Caelum non ad similitudinem, homo ad similitudinem. Angeli ad ministerium, homo ad imaginem. Esto vt & angeli ad imaginem, scriptura tamen de homine locuta est quod sit ad imaginem. Habemus enim aliquid quod fortasse angeli non habeant. Vbi enim abundauit peccatum, superabundauit gratia. Nobis est natus Christus ex Virgine. Legimus enim: Puer natus est nobis, filius datus est nobis. Nobis carnem suscepit, immo potius nos in illa carne suscepit, quando filium hominis in Dei sede constituit. Non lego angelos in Dei sede nisi stantes, nisi ministerium deferentes. Non lego angelos, sed homines consecutos Christo, & in Christo resuscitados. Denique ait Apostolus, Quia conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluificati, & simul suscitauit, simulque sedere fecit in caelestibus in Christo Iesu. Filius ergo hominis ad dexteram Dei, non angelus, non archangelus, nec Cherubim & Seraphim. Illi laudant, filius hominis sedet. Filius hominis angelorum ore laudatur, quod angelos malos vicerit, de nequitia spiritalibus quae sunt in caelestibus, triumphauerit: quod fecerit similes angelorum homines, in quibus ante erant contagia mortuorum. Verbo, inquit, Domini caeli firmati sunt, & spiritu uerbo eius omnis virtus eorum. Homo quoque spiritu Domini perfectionem vitae, consummationemque virtutis accepit. Inspirauit in eum Dominus spiritum vitae, & factus est homo in animam viuentem. Vita ergo nostra coepit ex inspiratione diuina: sed vita haec secessione animae corporisque dissoluitur, inspiratio autem diuina non soluitur. Et ideo intellige aliud esse quod figuratum est, aliud quod factum est vel paratum. Meritoque dupliciter habes scriptum de homine. Primum enim scriptum est: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & dominabitur, inquit, vel principatum habebit. & fecit Deus hominem ad imaginem Dei. Secundo autem loco ita scriptum est: Quia accepit Deus puluerem de terra, & plasmauit hominem. Vbi puluis, ibi plasmatio: vbi autem non puluis, ibi non terra, non materia, sed incorporeum, sed admirabile: ibi non materia, sed immateriale. Quod enim secundum imaginem est, non est in corpore, nec in materia, sed in anima ra-

tionabili. Ibi operatur, ibi ostenditur homo ad similitudinem & imaginem Dei, vbi iustitiae, vbi sapientiae, vbi omnis forma virtutis assumitur. Si intelligas imaginem, videbis ad imaginem. Homo enim non est imago Dei, sed ad similitudinem factus. Alius est imago Dei inuisibilis, primogenitus vniuersae creaturae, per quem facta sunt omnia. Ille non ad imaginem, sed imago: tu non imago, sed ad imaginem. Habes ergo in tua substantia aliquid de imagine & similitudine Dei, quod sit diuine simile imagini. Propterea imago ad eum qui est ad imaginem venit, & querit imago eum qui est ad similitudinem sui, vt iterum signet, vt iterum conformet, quia amisisti quod accepisti. Insufflauit enim tibi Deus, vt inspirationis suae dono haberes gratiam, quam tibi tua culpa sustulerat: factus eras in animam viuentem. Audi quid dicat: non in carnem, sed in animam viuentem. Sed quia peccator signaculum tenere non potuit, & in crimine positus non sapiebat quae Dei sunt, sed quae hominum; propterea venit Dominus noster Iesus Christus, vt legisti in Euangelio, & a mortuis resurgens cum clausos discipulos reperisset, claustris ingressus est manentibus, & dixit: Pax vobis. Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Cumque hoc dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum. Videte ergo quae manus fecerint hominem, aut quem hominem fecerint? Illum utique quem secundum Christum induimus, expoliantes veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, qui renouatur ad agnitionem secundum imaginem eius qui creauit eum, vbi non est seruus & liber, sed omnia & in omnibus Christus. Christum ergo induimus, sicut & alibi dictum est: Christum induistis. Accipimus Spiritum sanctum, qui non solum nostra peccata dimittit, sed etiam nos facit sacerdotes suos aliis peccata dimittere. Ideo ait Propheta: Tu finxisti me, & posuisti super me manum tuam. Finxit per lutum, posuit per gratiam spiritalem. licet plerique hunc Psalmum ex persona dictum Saluatoris accipiant. Audi quia manus Domini etiam spiritus dicitur. Clamat Iob: Spiritus diuinus, qui fecit me. Ista sunt ergo manus quae hominem parauerunt, Christus & spiritus. Ergo Dominus Iesus & corporis auctor est nostri, qui primum fecit hominem ad imaginem, & postea de luto finxit, & voluit saluare quod fecerat, saluare quod plasmauerat, vt totum hominem saluum faceret, sicut ipse dixit in Euangelio: Mihi irascimini quia totum hominem saluum feci in sabhato? Quod specialiter Ecclesia docet, quia non solum anima, sed etiam caro nostra saluatur. Anima per cognitionem Dei, caro per resurrectionem: quorum alterum docuit diuini auctoritate sermonis, alterum propriae resurrectionis exemplo. Hic est ergo homo geminae substantiae. Alia est enim facti substantia, alia insufflati. Ista de Dei spiritu, illa de limo. Propterea ait Iob: Resuscitabit corium meum, quia quod de limo est, resuscitatur. Terra enim in terram redit: quod autem statutum est vt principatum haberet super cetera animantia, id praestantius esse intelligis. Luti etiam bestias nobiscum commune consortium est, & ideo animae specialis prerogatiua donata est, vt homo ceteris animantibus imperet: sed vt possit

Sapient. 2.  
Coloss. 1.  
Ezech. 34.  
Genes. 2.  
Matth. 16.  
Iob 20.  
Coloss. 3.  
Galat. 3.  
Iob 33.  
Genes. 1.  
Genes. 2.  
Iob 7.  
Iob 19.  
Iob 19.  
Genes. 1.  
Genes. 2.

Genes. 9.  
Rom. 14.

Psal. 8.

2 Tim. 2.  
Esaie 11.  
1. Cor. 12.

ibidem.

2. Reg. 5.

Mat. 13.

Mat. 5.  
Ibidem.  
Mat. 7.

imperare, debet Deo esse subiectus. Docetur igitur G  
feruire, ut ad regnum peruenire mereatur. Qui enim  
seruit Christo, placet Deo. Qui seruit Christo, seruit  
vrique veritati, ideo debet nescire mendacium. Qui  
seruit iustitiae, debet repellere iniquitatem. Qui ser-  
uit immaculato, debet tenere castimoniam discipli-  
nam. Qui seruit luci, debet odisse tenebras peccato-  
rum. Ergo quia corpus infirmum est, visitationem  
Domini postulemus. Vnde Propheta ait: Quid est  
homo quod memor es eius? aut filius hominis, quo-  
niam visitas eum? Et nunc in reliqua versiculi por-  
tione ait: *Da mihi intellectum ut discam mandata tua.*  
Spiritualem igitur se esse cognoscit Propheta per  
gratiam Spiritus sancti. Etenim intellectum dari à  
Domino, in apostolica lectione didicisti. Propheta  
verò primo loco sapientiae, inde intellectus donum  
inter munera gratiarum constituit. Et quia unicui-  
que datur manifestatio spiritus ad utilitatem, ideo  
Dei donum petit Propheta. *Da mihi intellectum ut di-*  
*scam mandata tua.* Sed vide ordinem. Intellectus pre-  
mittitur, ut scientia sequatur. Nam nisi quis intel-  
lexerit, doctus esse non poterit. Doctrinam igitur in-  
tellectus facit, non memoria. Nihil enim prodest  
multa legisse, nisi intelligas ipse quae legeris. Et in  
Apostolo post manifestationem spiritus, sermonem  
scientiae legisti postea substitutum, ut scias intel-  
lectum memoria praefendum, & illum posse habe-  
re scientiam, cui ante intellectus affulserit. Simul &  
humilitatem considera. Si Propheta intellectum  
dari sibi postulat, quis tam arrogans, qui profiteatur  
in sua potestate esse intelligentiam? Intellectum pe-  
tit, ut ipse se nouerit, & naturae suae possit scire ratio-  
nem. At illi qui de rerum natura disputant, caeli ser-  
uantur plagas, qui seipso scire non possunt, putant  
intelligentiam sine Dei dono posse concedi. Vnde  
& nos humilitatem debemus assumere, ne extollamur  
si forte vnam aliquam de scripturis parabolam  
cognouerimus: aut quia interdum secundum litteram  
planè legimus, si forte secundum litteram ali-  
quid intellexerimus, doctrinam nobis assumamus  
scientiam. Propheta ille qui accepit Spiritum san-  
ctum, postquam vnctus est in regnum, vnctus est in  
prophetam, centesimum octauum decimum Psal-  
mum scribens, intellectum sibi dari poscit ut man-  
data Dei intelligat: & scit, nisi à Domino accepit  
gratiam, intelligere eius se mandata non posse. In  
Euangelio quoque lego quia proponebat parabolas  
Dominus Iesus, & Apostoli non intelligebant.  
Denique explanationem propositae parabolae pos-  
tulabant. Ipse Dominus Iesus cum diceret, ut legi-  
sti in libro Euangelij secundum Matthaeum scriptum:  
Beati pauperes spiritu, subiicit in posterioribus: Qui  
autem fecerit & docuerit, magnus vocabitur in re-  
gno caelorum. & in alio loco: Omnis qui audit verba  
haec, & facit ea, similis erit viro sapienti. Nō ergo qui  
audit tantūmodo, similis erit, sed qui facit quae au-  
dierit. Ergo neque qui facit sine auditu, neque qui au-  
dit sine facto potest esse sapiens similis, sed qui audit  
& facit. Audiam igitur, ut intelligamus, faciamus,  
ut intellexisse nos quod audiuius, comprobemus.

Qui timent te, videbunt me, & letabun-  
tur: quia in verba tua supersperaui.

Fortasse aliquibus videatur hoc esse contrarium,  
quia iustus dicit: *Qui timent te, videbunt me, & letabun-*  
*tur.* Multis enim iustus grauis est cum videtur. De-  
nique in Euangelio plerique Dominum Iesum vi-  
dere non poterant, sicut Geraseni rogabant eum ut  
abiret de regionibus eorum: & alij ei transitum de-  
negabant, quando tantum per eos transire volebat.  
Vnde puto quod sicut illic Iudaica forma impieta-  
tis exprimitur, ita hic Ecclesiae gratia reuelatur. Pro-  
phetat enim totum orbem replendum esse timore  
diuino, & ideo quasi timentes Deum sanctorum di-  
cit cognitione letari. Qui enim videt iustum & gau-  
det, etiam ipse vult esse iustus. Pulchrum est enim ut  
eo in aliis deleatur, quod vult ipse in se seruire si  
possit. Est enim insitum bonis, ut castum pudicus,  
prudentem sapiens affectu pio diligit, misericors li-  
beralis, & virtutes suas in aliis amat. Plerisque enim  
iusti aspectus, admonitio correctionis est, perfectio-  
ribus verò letitia est. Quam pulchrum ergo ut vi-  
dearis & profis? Bonum ergo vir iustus. Propterea  
denique Paulus Apostolus ascendit Hierosolymam,  
ut iustos videret: & cum Petro mansit diebus quin-  
decim, ut ex eius aliquid cohabitatione proficeret.  
Propterea ipse Paulus & Barnabas, cum Hierosoly-  
mam ingrederentur, magnifice excipiebantur ab  
Ecclesia, ab Apostolis, & maioribus natu. Cum au-  
tem abire vellent, ne discederent rogabantur: & ut  
postea de Paulo legimus, cum lacrymis deduceba-  
tur. Nam si est tanta vis in naturalibus, ut animal vi-  
sum profit ietericis, ita ut mortui quoque corpus e-  
ius animantis prodesse dicatur, si fuerit demonstra-  
tum iis qui huiusmodi inciderint passionem: dubi-  
tare possumus quod iusti sanet aspectus? Ergo vile  
animal irrationabile tantam virtutem habet, ut san-  
nare possit hominem momento exiguo, quo vide-  
tur: homo iustus, si tamen cum fide ab eo conspiciat-  
ur qui utilitatem ab eo percipere desiderat, nihil  
conferet? Nōne vel ipsi oculorum radij virtutem  
quandam videntur infundere iis qui fideliter eum  
videre desiderant? Sed quemadmodum iustus laci-  
ficat cor innocentium cum videtur: ita & improbi  
iustorum cognitione torquetur, quia vel tacitis san-  
ctorum moribus arguitur. Torquet castitas incon-  
tinentiam, auaritia liberalitas, impietatem fides.  
De hoc quoque parile vilis animantis sumamus ex-  
emplum. Nam sicut prodesse diximus mutum ani-  
mal cum videtur, ita obesse percipimus lupum si a-  
liquem videndo prauenerit. Vocem enim feruntur  
amittere quos prior lupus viderit. Basiliscus quo-  
que (hic est noxius serpens) si quodcumque prior vi-  
derit animal, fertur occidere: & allegatur statim ne-  
cari, qui potuerit à serpente huiusmodi prauideri.  
Ipse quoque serpens mori dicitur si fuerit hominis  
prauentus aspectu. Ergo si tanta virtus vel in oculis  
serpētis vel in oculis est hominis, ut si alter alterum  
prior viderit, possit occidere: non est virtus in oculis  
iusti, qui repletus virtutis est gratia, cum praesertim  
tantum operetur fides, ut & illa quae fimbriam Do-  
mini tetigit, sanaretur, & ille cui intendit Dominus  
Iesus, statim ex eius oculis gratiam sanitatis hauri-  
ret? Sed qui videt iustum, debet scire quid videat.  
non illum videt in corpore, non in vestimento, non  
in patrimonio, non in vultu, sed intus videt. Non in-  
quam

Sapient. 2.  
Luc. 8.  
Luc. 9.

1. 27.

Mat. 25.

Prover. 20.  
Galat. 1.  
Act. 15.

Act. 20.

Plin. lib. 30.  
hist. natur.  
c. 11.

Prover. 17.

Mat. 23.

Ibidem.

Plin. lib. 8.  
cap. 22.

Ibidem lib. 29.  
cap. 4.

Mat. 9.  
Luc. 9.

quam illum videt, nisi eius viderit mentem, nisi eius A  
sermonē intenderit, nisi sensum illius potuerit com-  
prehendere, sapientiam de tractatu eius assumere.  
Tunc igitur letabitur, cum ista perspexerit, cum ista  
cognouerit. Ita ergo & nos sicubi audiuerimus ius-  
tum, festinemus videre, sicut illa mulier quae audi-  
uit in domo Pharisei discumbere Dominum Iesum,  
& ingressa est, & eius pedes perfudit vnguento. Illius  
imitatores simus: quia Ecclesia in illa muliere figu-  
ram esse quis dubitet? Sicubi ergo iustus sedeat, si-  
cubi accumbat, festinemus videre eum. Pretiosum  
est videre virum iustum, ut videas eum secundum B  
imaginem Dei. Quod fors est, nihil prodest: quod  
intus est, sanè & in eo qui foris est, illum qui  
intus est frequenter aspiciamus: ut si viderimus pau-  
perem, illum ad cuius similitudinem factus est, ho-  
noremus in paupere, de quo ait: Deditis mihi man-  
ducare: quia quod vni eorum deditis, mihi deditis.  
Qui enim coronat imaginem imperatoris, vtrique  
illum honorat, cuius imaginem coronauit: & qui  
statuā cōtempserit imperatoris, imperatori vtrique,  
cuius statuā conspuit, fecisse videtur iniuriam.  
Gentiles lignum adorant, quia Dei imaginem put-  
tant: sed inuisibilis Dei imago non in eo est quod  
videtur, sed in eo vtrique quod non videtur. Vides  
ergo quia inter multas Christi imagines ambulamus?  
Cauemus ne coronam imagini detrahare videamur,  
quam unicuique Christus imposuit. Cauemus ne aliquid  
detrahamus iis quibus debemus adiungere. Sed, quod  
peius est, non solum non honestamus pauperes, sed  
etiam dehonestamus, destruiamus, persequimur: &  
ignoramus quae Dei imagini congeramus iniurias, cum  
factos ad imaginem Dei putamus esse laudandos. Qui  
enim irridet pauperem, exacerbat eum qui fecit illum.  
Sed aderit ille qui dicat: Esuriui, & non deditis mihi  
manducare: sitiui, & non deditis mihi bibere: arger  
eram, & non visitastis me. Et quanto ista leuiora sunt,  
quàm si dicat: Iniurias mihi fecistis, nudastis me,  
verberastis me? Quem si quis interrogauerit: Quando  
tibi iniurias fecimus? quando spoliauimus? quando  
etiam verberauimus? dicit: Quando vni horum minimo-  
rum fecistis, mihi fecistis. Propterea cauemus dili-  
gentius ne cui vel minimo contumeliam irroge-  
mus: ne ipsi Domino in illis minimis contumeliosi  
fuisse videamur. Qua ratione autem dixerit: *Qui ti-*  
*ment te, videbunt me, & letabuntur:* ipse exposuit  
dicēs: *Quia in verba tua supersperaui.* hoc est dicere:  
Intus me viderunt, intus me tetigerunt, intus me  
aspexerunt, vbi spem assumpsi de tuis verbis, vbi tua  
verba percepi. Beati ergo qui vident iustum, & latantur,  
quia sperant in Dei verba. Quam multi autem sunt  
qui oderunt iustos: quia perscrutantur Dei verba  
qui insi sunt, & cum aliquos doctos audiunt, im-  
pediunt eos propter doctrinam vitare consueverunt.

Agnoui Domine, quoniam iusta iudicia  
tua, & in veritate tua humiliasti me.

Quoniam iusta iudicia tua. Qui potest intelligere  
que sunt diuinae prouidentiae, vtritur eo sermone  
quo v-  
sus est propheta sanctus David: quia omnia iudicio  
Dei sunt, ut agrum corpus aliquis habeat aut salu-  
bre, ut diues, ut pauper sit, ut moriatur iuuenis, vel

senex. Si quis intendat scripturis diuinis, intelliget  
haec fieri iudicio Dei. Nihil enim est praeter Dei sci-  
entiam. Exemplum quaerimus? Non est abscondi-  
tum. Siquidem Iob numquam amisisset proprias fa-  
cultates, nisi esset traditus aduersariae potestati. De-  
dit enim Dominus diabolo potestatem in facultates  
eius, ut tentaret qualem amisso patrimonio haberet  
affectum. Dedit in filios, dedit in corpus eius, ut  
probaret, num defunctorum dolore liberorum, aut  
cruciatu corporis à constantia mentis animique  
defatisceret. Dominus quidē nouerat fortem, sed  
in illo docere atque examinare nos voluit vtrum  
imitatores eius esse possimus. Denique & Abra-  
ham tentauit, quando filium senis vnicum sibi petiit  
immolari. Sciebat vtrique mentem Abraham. Sed  
sciens tentat Dominus, sicut legisti in Euangelio,  
quia cum interrogasset Dominus Iesus discipulos  
quot panes haberent, & illi respondissent quia quin-  
que tantum, ait: Quid sunt inter tantos homines? &  
subiecit Euangelista: Hoc autem dicebat tentans  
eos, sciebat enim quid facturus esset. Qui ergo ius-  
tus est, examine iustitiae suae agnouit, quia Dei iusta  
iudicia sunt: vel secundum Graecum, quia Dei iudi-  
cia sunt ipsa iustitia. Sed hoc ut agnosceret, fecit  
praemissa precatio, quoniam intellectum sibi dari  
poposcit ut mandata Dei disceret. Accepta ergo in-  
tellectus & cognitionis gratia, agnouit iusta esse  
Dei iudicia. Agnoscere autem perfecti est. Denique  
aliud est credere, aliud agnoscere. Fides timentis,  
agnitio est sapientis. Qui enim timet, rationem non  
querit: sapiens autem & agnitionem eorum inuesti-  
gat quaecumque percipere desiderat. Credidi, in-  
quit, propter quod locutus sum. Cognouit autem  
intelligēs quod locutus est. In quo iusta iudicia Dei  
sunt: quia per labores & tribulationes & afflictiones  
ad caeleste primum peruenitur. Sicut enim certan-  
tibus athleticis corona defertur iusto iudicio homi-  
ni, ita legitime certantibus Christianis diuino iudicio  
palma decernitur. Vincenti, inquit, dabo se-  
dere mecum in sede mea. Vita ergo nostra exami-  
natur igne sicut splendor argenti, ut virtus certami-  
nibus approbetur. Transiimus, inquit, per ignem  
& aquam, & induxisti nos in refrigerium. Per haec  
igitur vera iudicia tua esse cognoui. Humiliatus enim  
sum ut haec viderē: quia iij qui exaltati sunt corde,  
oculos ad veritatem aperire non possunt. Cum au-  
tē humiliamur, peccata nostra cognoscimus, & ipsa  
humilitate delicta nostra purgamus. Humiliatus sum,  
inquit, & saluum me fecit. In veritate ergo humiliatus  
est qui humiliatus est ad salutem: nec vanè perulit  
passionē, qui salutē veritatis secutus est. Distat igitur  
inter cognoscere & timere, ut eò reuertamur. Deni-  
que Euangelij lectio docere nos debet. Ait enim Do-  
minus ad eos qui credebant ei ex Iudaeis: Si manse-  
ritis in verbo meo, cognoscetis veritatem, & veritas  
liberabit vos. Si manseritis, inquit, cognoscetis. Vi-  
des ergo quia non à principio potuit cognoscere  
quicumque Deum timens verbum eius audiuit. Non  
solum autem nō idem est timor & cognitio, verum-  
etiam non idē est fides & cognitio. Siquidem etiam  
Apostolus docuit diuersa esse munera gratiarum. Alij  
enim, inquit, per spiritum datur sermo sapientiae, alij  
sermo scientiae secundum eundem spiritum, alij fi-

Iob 3.

Iob 2.

Genes. 22.

Ioh. 6.

Ibidem.

Psal. 117.

Act. 14.  
2. Tim. 2.

Apo. 3.

Psal. 16.  
Psal. 65.  
Prover. 6.

Psal. 124.

Ioh. 8.

1. Cor. 12.

des in eodem spiritu. Si ergo alij fides datur, alij cognitio: vides quia ubi fides, non statim cognitio. Vbi autem cognitio, & fides est & prudentia, nec ab ea possumus separare. Habuit ergo cognitione sanctus David, utpote propheta perfectus, quandoquidem ita perfecte cognouit, ut humiliaretur in ipsa veritate. Sive ergo in aduersis positus, agnouit probationis gratiam: ea quae laboriosa & aduersa sunt, sustinenda: iustum autem esse Dei iudicium: & ideo bene certantes numquam deseri vel relinqui, & coronam his post laborem posse deferri: sive in secundis & prosperis positus, cognouit etiam diuitias rerum, diuersis que successus, tentationis causam solere suppetere, ut is qui his vititur, reru prosperitate teneretur. In eo igitur propheta David laudandus, quia cum illa agnosceret, humiliabatur, ut humilitate sua vel prosperorum excluderet tentamenta, vel aduersorum subiret constanti aequanimitate tolerantiâ. Non ergo magnopere laudabilis esset propheta, si laudaret iudicia Dei vsus affluentia secundorum. Quid enim magnum facimus, si quando in secundis sumus, laudamus Deum, quando in diuitis sumus, quando nullis vexamur iniuriis? Illud est magnificum, si subiectus iniuriis, cõtmeliis, iudicium Dei laudes: si vexatus aegritudine, iudicia Dei praedices: si te inopia non reuocet quo minus laudes iustitiam Dei. Ergo semper laudanda sunt iudicia Dei, sicut scriptum est: Exultauerunt filiae Indae propter iudicia tua. Quae sunt filiae Indae, nisi animae religiose, animae Ecclesiae quae Iesum Christum Dominum conuertuntur, quae videntes rationem iudiciorum tuorum semper exultant? Qui enim non ex aliquo secundorum prouentu, sed ex cognitione rationis induit letitiâ, is in exultatione perpetua contentus est.

Fiat nunc misericordia tua ut exhortetur me, secundum verbum tuum seruo tuo.

*Ut exhortetur me.* Aliqui codices habent in hoc loco: Ut consideretur me. Sed etiam in Apostolo legitur exhortationem pro consolatione dictâ, & consolationem pro exhortatione. Magna est ergo misericordia Dei, quae non solum remissionem tribuit peccatorum, sed etiam certantibus adhibet exhortationis calcaria, ne suscepti certaminis passiones inbelli formidine derelinquant. Non ergo misericordiam quasi is qui victus cedat, aut ut veniat precator implorat, sed ut Dei miseratione succinctus, maiora viribus tanto munere sultus expediat. Egregiam & singularem Prophetâ spectato virtutem. Alius enim humiliatus arünis posceret ut circa tentamenta desinerent, & fedare Dominus aduersa dignaretur, ne tribulationum procella in eum sauiret: autem tamquam athleta fortis & patiens, qui exerceri & angere animam suam tribulationibus nosset, non tristitia dimouere, non impugnatia declinare desiderat, non omne illud desinere quod fatigationem & laborem afferret, expolcit, sed magis in tempore laboris sui aduersus tentationum procellas dari sibi verbum consolationis expolcit, ut possit forti qua ingruunt mente tolerare, ne aliqua mœsticia perturbatione lassetur. In eo igitur obsecrat misericordiam Dei, ne auxilio destitutus, ceptam mili-

tiam derelinquat. Denique adhortationem diuinam esse misericordiae, cuidens testimonium docet. Moyse enim dicit Deus: Miserebor cui miserus ero, & misericordiam praestabo cui misericordiam praestitero. Igitur non est volentis neque currentis, sed miserantis Dei est. Fortè dicas: Ergo non debemus vel velle vel currere? Atqui negligentes Deus deserere consuevit. Non ergo hoc dicit, sed quid dicat consideremus. Non volentis neque currentis hominis perseuerantia est. Non est enim in hominis potestate, sed miserantis Dei est, ut possis complere quae coeperis. Denique iterum Moyse dicit: Quia in hoc ipsum te suscitavi, ut ostendam in te virtutem meam. Colligitur igitur adhortationem diuinam misericordiae deputandam. Vnde sequitur: Ergo cui vult miseretur, & quem vult obdurat. Hunc miseratus hortatur, illum non reuocat exaceratus. Et verè misericordia est Dei nostratum militum passio, per quam nobis peccata minuuntur. Denique Lazarus pauper quia in hac vita tolerauit mala complurima, in gremio Abrahâ requiem consolationis inuenit: ille autem diues qui consolationem habuit in saeculo, post curricula vitae huius fructum quietis amisit. Quem si miseratus esset Deus, castigasset potius in hoc saeculo, ut postea non flagellaretur. Denique Iob licet grauiter flagellatus, & quidem flagellis plurimis inopiae, amissionis filiorum, doloribus corporis, opprobriis amicorum, consolatione tamen fruitur aeterna. Ergo quanto maiores tribulationes fuerint, tanto verberior consolatio referuatur. Et tamen ne cadas atque succumbas: quanto maiores tentationes videris, tanto magis roga verbum Dei, ut adhortationem tibi afferat: sicut rogauit & Paulus, qui ait: Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis, qui nos exhortatur in omni angustia, ut possimus & ipsi consolari eos qui sunt in omni tribulatione, per exhortationem qua & ipsi aduocamur à Deo: quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat etiam consolatio nostra. Tanta vi apostolicae petitionis rogat ut consolationem accipiat à Domino in omni tribulatione, quo non solum ipse induat tolerantiam, verum etiam alios consoletur, ut & ipsi possint propriae mentis angustias sustinere. Si igitur ipse in omni tribulatione idoneus fueris approbatus, tunc demum dignus eris qui consolationem accipias in omni tribulatione. Et tamen non omnis passio digna consolatione est: sed quae passio pro Christo est, haec consolationem Christi meretur. Pulchrè autem addidit: secundum verbum tuum seruo tuo. Ipse enim Dominus pro suo nomine praeriantibus auxilium pollicetur, dicens: Cum ergo tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed pater meus qui loquitur in vobis. Ergo ne impares simus certamini, diuinum semper oremus auxilium, ut nobis tribuat adhortationem. Si enim habeamus eum qui nos exhortetur, non facile cedimus. Plerique autem habent: Qui consolatur nos: nec abhorret à vero. Instigantis enim aliquem blanda quaedam est exhortatio,

Exod. 33. c. Rem. 9. Exod. 9. c. Rem. 9. Ibidem. Luc. 16. 1. Cor. 11. Iob 1. Iob 2. 1. Tim. 4. Iob 19. Iacob. 5. 2. Cor. 1. Matt. 10. 2. Cor. 1. quae

quae certantem studio laudis accendat, & velut quadam consolatione demulceat, ne laborum asperitate reuocetur.

Veniant mihi miserationes tuae, & viam: quia lex tua meditatio mea est.

Cui lex Dei meditatio est, huic praesto sunt misericordiae, ut viuat in aeternu. Quomodo enim beatus quis potest esse sine miseratione diuina? Beatus autem qui in Domini lege dic ac nocte meditatur. Sed qui meditatur in lege, eruditur in lege: & quem lex erudit, Dominus erudit, qui locutus est legè. Ideo que scriptu est: Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Discamus ergo & nos in lege meditari, non auocemur saecularibus illecebris, non occupemur impedimentis, sed semper ad legem sumus attenti. Scriptum est enim: Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Hoc in veteri testamento. Audi dicentem & in nouo: Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Et maximè hanc meditationem sacerdotibus necessariam ostendit, ad Titum scribens: Quia debet episcopus amplecti eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Quod utique sollicitè atque intentè meditationis est, non perfunctoriae lectionis. Et ad Timotheum scribens ait: Attè de lectione, exhortatione, doctrinè. Lectio enim frequens, nec intermissione aliqua destituta, doctrinae munus operatur. Quod autem potest ut viuat, frequenter ostendimus huius corporis vitam verae vitae gratiam non habere, sed illam veram vitam fore, cuius bona vnusquisque sanctorum credit se videre in terra viuentium. Quod credimus nos visuros, non praesens utique, sed futurum est.

Confundantur superbi, quoniam iniuste iniquitatem gesserunt in me: ego autè exercebor in praecipis tuis.

*Confundantur superbi.* Superius ait idè Propheta: Si reddidi retribuētibus mihi mala. Nūquid hic maledicit iis qui in se iniqua gesserunt? Non utique. Videbat enim charitatè etiā inimicissimis deferendam cum venisset Euangelij praedicator. Vnde arbitror, quia quasi medicus velit eos ipsos sanare qui laeserint, ut iniquitatis suae contemplatione conuerti, de propriis flagitiis erubescant: in quo non solum prophetica incipiunt probare patientiâ, verum etiam emendare suam insolentiâ. Pudor enim plerumque corrector est nostri: & dū incipit nos pudere commissi, ne diutius pudeat, deserere quae erubescenda sunt, admonemur. Non ergo maledicit Propheta, sed quasi bonus medicus vult illos cognoscere quid fecerint, ut cum in suam conscientiam receperint, quanta suorum sit colluues delictorum, incipiant erubescere, erubescentes autè possint prioribus renuntiare peccatis. Consideremus nunc aliquos fornicantes, & in his non solum nō erubescere, sed etiam gloriari solere, tamquam vel pulchritudinis vel potentiae suae titulos deferentes: de quibus bene dixit Apostolus, quod eorū gloria in cõfusione ipsorum: eo detestabiliores ipsis criminibus suis, quod cum

Psal. 1. Psal. 93. Psal. 36. Rom. 10. Tit. 1. 1. Tim. 4. Psal. 26. Rom. 8. Psal. 7. Matt. 5. Hinc. 5. Rom. 2. Philip. 3.

tanta committant, non confundantur. Verū eorum si quis postea veniat in Ecclesiam, credat in Dominum Iesum, audiat Euangelium, compungatur corde, tunc demum incipiet quam atrocia & grauiadeliquerit agnoscere, & in iis quae agnouit, erubescere. Quid sit autem exerceri in praecipis Domini, quomodo existimarem, nisi quia quod dixit: *Ego autem exercebor in praecipis tuis*, in lege didicisti: hoc est, si bos aduersarij ceciderit vel iumentum, ut non deserendum existimes, sed potius eleuandum. Quod autem ait, *Iniuste iniquitatem gesserunt*: in quem hoc dicatur cõsidera; si in eum qui fortè iuste iniquitatem gerat, id est, si laesus per legè se cupiat vindicare, iuxta praecipia Moyse iuste videtur facere iniquitatem, sed non secundum Euangelij praecipia. Et ideo ait: Non veni vocare iustos, sed peccatores, quia Iudaei ad vindicandum se auctoritate legis vtuntur. Habes hoc & in Apostolo: Sobrii estote iuste. Non solum sobrios nos, sed etiam iuste sobrios esse debere docuit. Etenim potest aliquis & sobrius esse, & non iuste sobrius, ut sobrius sit à vino, & non sit sobrius aequitate atque iustitia. Est enim crapula iniquitatis. Potest & aliquis ebrietati & luxuriae semper indulgens, dum aliena tamen diripere conatur, eo occupatus studio sobrius esse à vino, & non sobrius à rapina: nec iste iuste sobrius. Ideo Apostolus admonet ut sit in nobis iusta sobrietas. Denique addidit: Et nolite peccare. Qui enim peccat, et si sobrius sit, non potest tamen tamquam iuste sobrius praedicari. Ideo supra: Nolite, inquit, seduci; hoc est, ne alicui erroris ebrietas vos faciat temulentos. Corruptum bonos mores colloquia mala, eo quod ore & labijs infidelium tamquam ebrietas quaedam moribus audictis infunditur. Meritoque addidit: Sobrii estote iuste, & nolite peccare. Ignorantiam enim Dei quidam habent: ut sobrius ille sit qui non habet ignorantiam Dei, nec titubet ebrietate perfidiae: iuste autem sobrius, in quo operum gratia cum fidei sobrietate resplendet.

Conuertantur ad me qui timent te, & qui sciunt testimonia tua.

*Conuertantur ad me.* Alius habet, maximè iuxta Graecum: Conuertantur mihi. Si ad me legimus: conuertantur qui timent Deum, ne commissis propriis erubescant, vel certè luant supplicia delictorum: conuertantur autem ad Dei seruilium, propheticaeque doctrinam, ut dediscant pudenda committere, & tanti emendatione doctoris exuant mores suos, delictorumque labe deterfa, virtutum induant disciplinam. Si autem ita legimus: Conuertantur mihi: hoc est, quoniam exercebor in praecipis tuis, conuertantur mihi iam non peccanti, iam non erranti. Conuertantur, inquit, qui timentes te propriis renuntiauerunt peccatis, ut confortio iustorum Propheta ad vberius prouocatur, & ipse de ea gratia quae in ipso est, plurimum conferat audientibus. Conuertantur igitur iam non peccante me, iusti ad iustum. De testimoniis autem puto iam non opus esse repetere, cum antè iam dictum sit.

Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, ut non confundar.

L. b. 3. sent. dist. 2. 4. 5. post hoc.

Psal. 47.

2. Cor. 1. 2. ut.

Exod. 23. Exod. 21. Matt. 9. 1. Cor. 15. Esai. 51. 1. Cor. 15. Ibidem. Ibidem. Ibidem.



*Psal. 50.* Quanto excellior est Propheta vel munere prophetia, vel regni gratia, tanto magis sequitur humilitate, & docet quid nos debemus imitari, eo quod propheta tantus immaculatum cor fieri sibi deposcit. Supra postulat: Cor mundum crea in me Deus. Non dixit fac, sed crea, ut de integro cor eius instaret & munderet. Maior quidam in hoc sermone ambitus est. Grande enim cor est à Domino creatum, quod recipiat verbum de caelestibus virtutibus ac potestatibus. Grande cor quod recipiat ipsum Dominum dicentem: Inhabitabo in illis, & deambulabo in ipsis. Ut hæc igitur recipiat, creator sibi cordis sui non angelum fieri, sed ipsum Dominum deprecatur, qui caelum creavit & terram. Et bene ait, Immaculatum: quia cor hominis quadam velut indecentium cogitationum colluione maculatur. Si cogitatio ipsa polluit, quanto etiam facta ipsa contaminant? Noli extraordinariis cogitationibus aduersa natura contaminare penitralia, ne id inquinamento graui polluas quod putas habere te mundum. Manus lauas quasi possis crimina eluere, cum metem tuam vel nudis cogitationibus inquinatam lauare non possis. Et Pilatus manus lauit, sed cor suum lauare non potuit. Mansit scelere pollutus, quamuis manus suas aquae infusione lauisset. Audi quia & cogitatio inquinat: Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod exit de ore. De corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae. Hæc sunt quae coinquinat hominem. Si ergo intus coinquinatus, prius munda quod intus est. Si quod intus est mundaeris, & exteriora mundasti: ut si aqua turbida inluat, frustra putas lacum esse mundandum. Si fons profluat cœnolentus, receptacula terfisse nihil proderit, cum in fonte sit vitium. Ipse tibi ante purgandus es, ut fluat omne quod purum est. Cor tuum cogitationum tuarum est scaturigo. In illo fonte vel turbida aqua impuritatē enomitur, vel sincera pietatis vnda prorumpit. Didicisti cor esse mundandum, discere quemadmodum munda. Munda hunc fontem iustificatio legitima, hoc est, confessio peccatorum. Denique publicanus ille qui peccata propria fatebatur, iustificatus magis de templo quam pharisæus exiuit, quia ieiunia sua & munera pharisæus atque innocentiam præferebat. Munda ergo aquam tuam, illam aquam de qua dictum est: Aqua alta consilium in corde viri. Bonam tibi aquam natura dedit, nisi eam cœno tuo polluas: ipsa te diluit, si pura, si simplex, si etiam naturalis sit, si nihil habeat sordidum atque terrenum. Quid mali est si ea aqua quæ mundare debeat, polluat? Sed non est aqua tua quæ te polluit. Ista aqua aliena est. Denique dictum est tibi: Ab aliena aqua abstine te. Alienam aquam mentitur & fallit, & contrarium naturæ profluat. Ideo ait: Filij alieni mentiti sunt mihi. Nam si alieni non fuissent, utique non fecerissent. Nemo enim gloriatur cultum se habere cor, quemadmodum Salomon dixit: sed qui gloriatur, in Domino gloriatur, qui sanctis suis cor mundum creare dignatus est, & immaculatum facere iustificationibus suis. Quæ sunt iustificationes, audisti dicentem: Dic iniquitates tuas, ut iustificeris. Ergo qui iniquitates suas dicit, iustificatur: qui autem iustificatur, non con-

funditur, quia pudorem peccatorum matura confessione præuenit. *In octonarium undecimum enarratio.*  
 = Caph.  
 Undecima littera Caph, quæ Latina interpretatione significat, Curuati sunt. Sonus interpretationis ipse nos docet quid sit curuari. Qui enim inclinatur in terram, curuari videtur. Vnde ait Propheta sub hac littera: Paulo minus consummauerunt me in terra. Curuatur autem qui agit penitentiam, eo quod ceruicem suam curuat dum humiliatur ad Dominum, & interiorē magis ceruicem, id est, ceruicem mentis & cordis. Nam de hac ceruice dictum est: Nec si flectas ut circulum collum tuum. Qui enim cor suum non flectit, frustra ceruicem suam flecterit. Docet etiā Hieremias propheta humilitatem hac interpretatione signari. Ait enim sub hac littera in Threnis: Quia non repellet in aeternum Dominus; quia cum humiliauerit, miserebitur secundum multitudinem misericordiae suae: quia non humiliavit ex toto corde suo, neque repulit filios hominum. Bonum ergo curuari, ut humiliemur Domino, & Dominus misereatur. Denique & in superioribus sub hac littera idem Hieremias propheta ostendens gemitus & humilitatem plebis, ait: Omnis populus eius ingemiscens, quærentes panem, dederunt desideria sua in escam vt reficiat animam. Vide Domine & aspice quia facta est sine honore. Ergo qui animam suam quærit refectioem, humilitate curuetur, quod possit citius ad Domini peruenire misericordiam. Ideoque tamquam curuatus multo amplius anima ac mente quam corpore, exorsus est Dauid, dicens:  
 Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum speraui.  
 Non vtitus sermo nos capiat, ut tamquam corporceas fatigationes defectioem huiusmodi iudicemus. Neque enim hoc solum dixit, Defecit anima mea, sed, defecit in salutare tuum. Itaque ut de vfu capiamus exemplum, si verbi gratia dicamus: Deficit ille in illam, videtur exprimi hoc verbo quod totus in mulieris desiderium cupiditate transferit. Et quidquid est quod vehementer expetimus, nisi eius maturiorem habeamus effectum, id nos videtur longa quadam intentione lassare. Amor impatiens die noctique meretricias fores pulsans, si diutius potiendi desideria differantur, ipsa deficit expectatione dum sperat: in quo utique non finis amoris, sed incrementum est. Et quidquid est desiderabile, si non contingat desideranti, deficit in illud, & quasi ipsam deponit animam qui desiderat: si tamen spes propior assurgat, dat vires spes proxima. Si autem absentia sit dilecti, eo ipso quo absentem desiderat quæ concupiuuit, animæ suæ patitur defectioem. Itaque quanto longius est illud quod desideratur, tanto magis deficit qui desiderat. Id ergo deficere est, in id vnumquemque totis studiis migrare quod diligat: illud cogitat, illi adhæret, illud personat quod receperit diligendum, in id quadam animæ defectioem transfunditur: ut si mater filij expectet præsentiam, quemadmodum expectabat Tobie vxor filium peregrinantem, deficiens à desiderio, & in angustiis constituta,

constituta, & tamquam resoluta viribus. Quid enim aliud nisi defectum quendam eius verba significant? Sed quo magis lassatur affectus, eo amplius amor crescit: & quo diutius abest qui desideratur, eo expectantis desideria maiore quadam vi amoris ignescunt. Caro deficit, sed cupiditas alitur & augetur. Hinc ergo colligere possumus quid sit: Defecit in salutare tuum anima mea. Etenim spiritui adhærens anima deficit ab eo quod est anima, & fit vnus spiritus: quoniam qui adhæret Domino, vnus spiritus est. Itaque sanctus & timens Deum, nescit aliud desiderare, nisi salutare Dei, quod est Christus Iesus. Illum concupiscit, illum desiderat, in illum totis intendit viribus, illum gremio mentis fouet, illi se aperit & effundit, & hoc solum veretur ne illum possit amittere. Itaque quanto maiore desiderio excitata fuerit anima cupiens adhære saluari suo, tanto magis deficit. Ergo ista defectio imminutionem quidem fragilitatis, sed assumptionem virtutis operatur. Denique ipse alibi dicens: Sitiuit in te anima mea; subiicit infra: Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua. Qui enim sitit, cupit semper adhærere fonti, nec aliud nisi aquam expetere & contingere videtur, ut ipso pascat affectu. Suscipiens ergo me Dei dextera, animæ meæ inhians, & de sua virtute mihi impartiens, facit eam esse quod non erat, ut dicat: Vivo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. Discere autem etiam hoc exemplo defectioem istam nimiam esse cupiditatis. Concupiscit, inquit, & deficit anima mea in atria Domini. Antè concupiscens, & quasi totam se effundens in concupiscenciam, longo sine suspensa defectioem dissoluitur. Denique quomodo deficiat anima in salutare Dei, Hieremias docet. Et factum est, inquit, in corde meo ut ignis ardens, flammam in ossibus meis, & dissolutus sum vndique, & ferre non possum. Hoc igitur inflammatus desiderio, ait Dauid: Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum speraui. Rectè sperari dixit in verbum. Antè enim spes præcedit, & inde sequitur defectio. Speraui autem in verbum quod prædicatum est esse venturum, quod potest intelligi de Dei verbo: Aut certe in verbum speraui, qui verbo caelesti credidit, quo Domini nostri Iesu Christi annuntiatur aduentus, vel quo eius gloria declaratur. Ergo Propheta considerans quæ legerat, & cernens quod cum adesset corpori velut quibusdam ligatus vinculis huius vitæ, aberat à saluari Dei, concupiscit, desiderabat, deficiebat, & toto dissoluebatur affectu, ut totus illius fieret quod desiderabat: sicut etiam in posterioribus ipse dicit: Effundo in conspectu eius orationem meam, tribulationem meam ante ipsum pronuntio, in deficiendo ex me spiritum meum. Deficit enim eius spiritus, immodè ab eo deficit spiritus meus, qui se ipsum negat ut adhæreat Christo. Vnde semitæ eius cognoscuntur à Domino, quia non sunt carnis, sed Christi semitæ. Etenim requirerem Deum via Christus est. Et nos igitur concupiscamus illud aeternum salutare Dei, non concupiscamus pecuniam, quam auarissimi concupiscunt, non concupiscamus alienam vxoris decorem, non ambitionis exagitemur desiderio, non seculari intendamus gloria, non fallacis circumscriptionis studiis occupemur, non proximum circum-

uenire iniquitate cupiamus, non postremo partes vulpium sumus in terrenæ voluptatis interiora demersi, tamquam exules aeternorum, & de illa superbiæ spei præsumptione deiectioni. Attollat igitur se anima nostra deficiens viribus suis, ut adhæreat saluari Dei, qui est Christus Dominus Iesus, quod interpretatione dicitur Domini salus. Ipse est enim salus vera, veritas, virtus atque sapietia. Qui igitur deficit sibi, ut virtuti adhæreat, amittit quod suum est, accipit quod aeternum est.  
 Defecerunt oculi mei in verbum tuum, dicentes: Quando consolaberis me?  
 Supra *επαρητιλο*, hic *θεωρητιλο*: ibi in salutare defecit anima, eo quod concupiscit eum cuius passione seruata est; hic in verbu Domini Propheta oculi defecerunt. Et videamus ne quemadmodum illic adhærens Christo anima deficit, & fit vnus spiritus, ita & deficiant oculi ut fiat vna mens. Oculi enim mentis isti sunt, oculi scilicet interioris hominis, non hi oculi qui ministerio funguntur obtutus. Est enim oculus & mentis & carnis. Sed ille cæcus est oculus qui non videt quæ diuina sunt, qui frustra mète carnis inflatus est. Est & alius oculus, sensus Christi, quo Ecclesia videt Christum, sicut ipse dicit ad spolum: Corde nos cepisti ab vno oculorum tuorum. Merito vno oculo Christus videtur, quia non videtur oculo carnali: aut quia duos oculos habens Ecclesia, moralem & mysticum, fidei oculo plus videt Christum. Mysticus enim oculus acutior est, moralis dulcior. Et fortasse isti oculi sunt, quibus Paulus videbat eterna, vbi cepit corporalia non videre. Denique qui Christum non videbat priusquam oculos amitteret, vidit eum posteaquam visum amisit oculorum. Vidit eum qui dixit: Quis es Domine? Videbat utique Christum, quem etiam Dominum fatebatur. Et infra: Domine, inquit, quid me vis facere? Non ergo videbat eum, cuius expectabat imperium? Quibus igitur oculis videre Paulus plus cepit, nisi iis quos nobis ipse monstrauit, dicens: Orabo spiritu, orabo & mente? Denique ut scias quia vidit orando: Factum est, inquit, reuergente me in Hierusalem, cum orarem in templo, pauorem habui, vidi illum dicentem mihi: Festina, & exi citius de Hierusalem: non enim recipient testimonium tuum de me. Isti ergo oculi in verbum Dei deficiunt, & dicunt: Quando consolaberis me? Istis oculis prophetæ dicebantur videntes, quia per reuelationem ea quæ erant abscondita, mente cernebant. Quid est oculus deficere? De corporalibus dicamus, ut intelligamus de spiritualibus. Nonne quando aliquem desideramus & speramus adfore, eo dirigimus oculos, vnde speramus esse venturum? Itaque contenti diu quotidiana expectatione deficiamus. Sic Anna circumspiciens in via, sollicitis aduentum filij explorabat excubiis. Sic Dauid propheta currete de prælio altero post alterum qui nutiaret, positus in turce exploratoribus interrogare de salute filij pater sedulus gestiebat. Sic tenera vxor ætatis de specula litoralī, indefessa expectatione coniugis præsolatur aduentum, ut quicumque nauim viderit, illic putet coniugem nauigare, metuatque ne videdi gratia dilecti alius anteuertat, nec ipsa possit prima dicere: Videtis  
 S. Ambr. tom. 2.

*Psal. 62.*  
*Ast. 28.*  
*1. Cor. 1.*  
*1. Cor. 6.*  
*Coloss. 2.*  
*Can. 4.*  
*Ast. 9.*  
*Ibid.*  
*1. Cor. 14.*  
*Ast. 22.*  
*1. Reg. 2.*  
*Tob. 10.*  
*2. Reg. 8.*

Job. 11.

te marite, sicut Anna dicebat ad filium: Video te fili, amodò libentius moriar, mortis videlicet dolorem exoptati conspectus suavitate non sentiens. Ergo ut illa quæ aduenienti viro se optat offerre, ablegatis omnibus domesticis occupationibus, semitas viantis aut pedum vestigia legit: sic Propheta curis exutus sæcularibus, interiorum oculorū in verbum Dei peruigil custos vsque ad defectionem sui intendebat obtutus, corpus suum redigēs seruituti, & animam suam ad humilitatis patientiam arancæ modò tabescentis erudiens. Desiderabat enim sicut ceruus fontes aquarum, & sitiebat in Dominum Deum suum, cupiens eius videre præsentiam, & apparere ante faciem Dei: nimioque desiderio & vehementi cupiditate deficiens, tunc se habiliorem iis quæ à Domino posceret impetrandis, prophetica gratia præsumebat. Et nos igitur intendamus cor nostrum, ut possimus intelligere series scripturarū, & verbum vitæ nobis venire à Domino postulemus, atque intellectum dari. Si quis de longinquo verbum Dei obtutu mentis aspexerit, nondum planum atque distinctum, is velit quibusdam oculis interioribus verbi nauigium appropinquare animæ suæ cernit. Quo autem expressius videre cœperit, eo magis quasi ad portum veritatis festinat accedere, ut sit proximus inuehendæ. Defecerunt ergo oculi Propheta in verbum Dei, dicentes: Quando consolaberis me? Si oculi isti significati sunt, quibus cernimus & videmus, dicere debuerunt: Quando consolaberis nos? hoc est, non singulariter, sed pluraliter. Sed quia oculus mentis & oculus carnis vnus oculus sūt, & tunc homo cōsolatione fulcitur, cum caro & mens diuersa non cupiunt, sed vnum desiderant, vnum requirūt: ideo intenti ad eum qui ait: Ego & pater vnum sumus: isti quoque oculi vnum esse se confitentur, quia vno atque eodem desiderio officioq; funguntur. Deficiebat ergo in verbū Propheta. Nos autem otiosos nos putamus, si verbo tantum modò studere videamur: & plaris æstimamus eos qui operantur, quàm eos qui studium cognoscendæ veritatis exercent? Dicunt enim pleriq;: Ecce homo, & opera eius, quasi qui verbo studeat, non operetur: cum magis opus istud quàm cætera sint. Si enim opus iustitia est, si opus temperantia, si opus fortitudo: utiq; opus est etiam sapientia. Istæ enim quattuor principales virtutes habētur. Nam si operatur Christus secundum quod iustitia est, utique operatur secundum quod verbum est. Et operabatur cum esset in principio apud patrem. Deniq; per ipsum omnia facta sunt, ut scias operatorem omnium esse, & opus nostrum esse Christū Iesum. Etenim secundum quod verbum est, verbum inquirētibus, grande opus verbum est. Vnde cum Martha festinaret circa ministerium, Maria autem verbum Domini audiret: ea quæ audiebat, ei quæ ministrabat meruit anteferri. Dicēti enim Martha: Domine non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adiuet, respondens dixit Dominus: Martha Martha, Maria bonam partem elegit, quæ non auferetur illi. Ita verbum cognoscere maius opus esse quàm ministrare, diuinæ auctoritate sententiæ definitur. Sed fortasse dicat aliquis dictum esse ab Apostolo: Quia nō in ser-

1. Cor. 9. Psal. 38. Psal. 41.

Joan. 10.

S. Ignatius in epist. ad Smyr. naos, & Origenes homil. 35. in Lucā.

Joan. 1.

Luc. 10.

Act. 6. 1. Cor. 4.

mone regnum est Dei, sed in virtute. Scriptum non nego, sed in quo sermone, cognosce. nempe quæ inflatus effuderit, qui audientibus sermo prodesse nō possit, qui sine ostensione sit spiritus atque virtutis, hunc sermonem Paulus non dignatur cognoscere. Vult enim magis virtutem sermonis commendare. Denique nolebat talem suum esse Apostolus sermonem, qui in infirmitate veniebat ut alios saluos faceret, & fortiores in timore & tremore: ut timentes, nihil metuerent nisi Dominum Iesum: tremētes, pacem eius tranquillitatemque seruarent. Audi ergo qualem Apostolus sermonem habebat. Et sermo, inquit, meus & prædicatio mea non in persuasione humanæ sapientiæ verborum, sed in ostensione spiritus & virtutis: quia fides non in forensi sermone sapientiæ, sed in ostensione spiritus, sed Dei virtute firmatur. Ergo in sermone sanctorum virtus est, in sermone autem forensi isto ac philosophico vanitas mundi. Virtutem autem esse in sermone sanctorum, etiam iste Propheta te doceat, qui ait: Dominus dabit verbum euangelizātibus virtute multa. hoc est, ut multa possint virtute Euangelii prædicare. Probatum est ergo quod in Euangelij prædicatione sit virtus. Prædicatio autem Euangelij, sermo sanctorum est. Ita dubium non relidet quin in sermone sancto sit virtus.

1. Cor. 1.

Ibid.

Ibid.

Coloss. 1.

Psal. 67.

Quoniam factus sum tamquam vter in gelicidio: iustificationes tuas non sum oblitus.

Factus sum tamquam vter in gelicidio. Vox ista, vox iusti est, qui mortificauerit suum corpus. Rectè enim vter dicitur iustus, qui expoliatus non nudus inueniatur. Vter namque de exuuis fit animantis mortui. Igitur & nos peccato moriamur, ut viuamus Deo, atque repleti spiritus iucunditate, & suavitate letitiæ, erimus exuuia spirituales, carentes infirmitate corporea, & integro mentis sinu infusam nobis diuinorum mysteriorum gratiā reseruantes. De his vtribus dicit, quia vinum nouū in vtres novos mittūt, qui volunt vtrumq; seruare, & corpus, & gratiā. Non effluat igitur tuus hic vter, non rimosus sit, non terreno inueterascat situ, nec vinum nouū veteres vtres rumpat, quo scindantur vtres, fundatur gratia. Non iterum sole iniquitatis & nimia vi caloris arefiant, sed feruentium viscerum cupiditates diuersę nuali quodam frigore temperentur. Frigescat æstus libidinis, & quodam continentia gelu, ieiuniorūq; restinctus, matutina ratione perficitur: quando sicut ros, ita super terram nostram Dei verba descendunt, sicut imber super gramen: & sicut nix super fœnum. Nescit vter bonum ista nix lædere, nix quæ diuini splendore fulget eloquij. Nix hæc refrigerat, non adurit: fœcundat fata, non internecat. Nix hæc præcepto continentia est, quæ calorem facit corporum frigere, & omnem naturæ interioris restinguit ardorem. Et fortè ideo cum Iesus resurrectionis suæ demonstraret gloriā, vestimenta eius erant candida sicut nix: ut non solum ipse alienus æstimaretur à contagione peccati, verūctiam ut quicumq; resuscitatur, congelatis coniugij cupiditatibus resurgere frigidus videretur. In resurrectione enim neq; nubunt, neq; vxores ducunt, sed

1. Cor. 9. 2. Cor. 5. Rom. 6.

Math. 9.

Esai. 55.

Math. 17.

Math. 2.

Math. 22.

1. Cor. 15.

Gen. 1.

Math. 24.

Galat. 5.

1. Cor. 4.

1. Cor. 9.

Deut. 32.

Eccl. 32.

Deut. 32.

Psal. 112.

Hebr. 13.

Gen. 6.

Gen. 8.

1. Petr. 2.

sed erunt sicut angeli Dei in cælo. Boni ergo vtres frigidi, hoc est, in gelicidio constricti pruinis, non libidinis calore resoluti. Vtrem autem corpus hoc dici, licet ex pluribus locis, tamen etiam inde intellige, quod Adā & Eua vbi imaginem deposuere cælestis, quam antè portabāt, imaginem terreni hominis induētes, tunicas dicti sunt vestiti esse pellicæas. Corporales enim eos de spiritalibus fecerat culpa commissa. Nec illud absurdum ad intelligendum, quod ita se dicat factum Dauid sicut vtre in gelicidio, eo quod in asperitate licet positus glaciali, mortificauerit tamen corpus suū ne sentiret hyemis illius asperitatē, quam Saluator dicit grauem futuram esse fugientibus. Sicut enim glaciem non sentit vter, quia pellis est mortui: ita mortuus peccato Propheta frigus peccati sentire non poterat. vel certè quod non frangatur necessitatibus, nec resistat carmenti, sed molliori ductu animæ se insectat imperiis, & in hoc mundi gelicidio non arefcat, vel quia corpus afflictionis sumus, & mortē Domini Iesu semper in nostro corpore circumferre debemus. Hic est vter qui castigat corpus suū, nō vt ille increpatus & obelus populus, qui sedit manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Hic est vter qui inebriat non vino, sed spiritu. in quo non botryo amaritudinis, non draconum furor, non furor aspidum, sed poculum inebrians quàm præclarum. In hoc ergo gloriatur Dauid, quia factus est sicut vter in gelicidio, operationē peccati non sentiens. Et bene peccatum gelicidio cōparatur. Sicut enim gelicidii nullum vsum vile est, ad nullam operationem: sic culpa nulli prodest vsui, nulli operationi: & ideo sicut gelicidium declinanda est, ne noceat & adurat. Bonum ergo mihi est fieri sicut vtre in gelicidio, vt non possim obliuisci iustificationes Domini, sed earum liquore perfusus refrigeretur omnis feruor internæ cupiditatis. Non ergo vacuum, sed plenum hunc vtre esse oportet, plenum spiritus, plenum iustificationum: vt peccata mea ipse confitear, vt luxuriam carnis meæ comprimam. Moriendum est enim mundo, vt viuamus Deo. Si autē viuamus carni, mors utique est carnis prudentia: viuere nō possumus Deo, quia inimica est Deo carnalis ista sapientia, & vita secularis.

Quot sunt dies serui tui? quando facies mihi de persequentibus me iudicium?

Potest sic accipi: Quot sunt dies serui tui? quasi dicat: Quanti sunt dies humani? quantum tempus, quantum spatium? Cur inuidetur tam breui vitæ, ne tranquillo cursu istius sæculi perfruamur? Cur in breui spatio tam multi persequētium nos laquei tenduntur? Adsit iam iudicium, in quo pœna est perfidorum, in quo persecutoribus digna impietatis suæ prætia redduntur. Vel sic: Quouique insultare poterunt, quousque inquietare, qui nos diuersis modis quærunt affligere? Non serus erit terminus. Etenim Propheta quasi celeritatem transcurrendæ istius vitæ, non annorum, sed dierum æstimatione subducit, dicens: Quot sunt dies serui tui? Et bene dies dixit, vt non solum moras annuas prophetica visione transcurreret, verum etiam splendidum sibi vitæ huius curriculum virtutum lumine declararet.

Meritoque securus ait: Quando facies mihi de persequentibus me iudicium? Mihi, inquit, iudicium de persequentibus facies, non de me persequentibus iudicium dabis: quoniam non resurgunt impij in iudicio. Sed mihi, inquit, da iudicium, vt cum remunereris innocentiam, fidem prouehas, misericordiā coronas, impij persecutores meritorum pœnis prophetiorum iudicentur. Non absurdum etiam illud, vt quia breues dies & pauci sunt istius vitæ, non diutius gratiam suam Dominus circa prophetam suam differat, sed ipsi iudicium de persequentibus faciat. Nam hic quoque iudicium est de persecutoribus. Siquidem qui non credunt in Christo, iam iudicati sunt. Iudicium autem hoc est, quod dedit seruulis suis Dominus Iesus, dicens: Habebitis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Et verum iudicium, in quo torquetur inimicus, sicut ipse confessus est, dicens: Quid venisti antè tempus torquere nos? Hoc ergo deposcit virtutum stabilitate fundatus Propheta, vt subiiciatur sibi non homo, sed ille qui locum sibi in homine vendicauit. Vnde & Apostolus ipsum magis in hominis peccata putauit esse dānandū, ipsum subiiciendū, de quo ait: Cōterat Deus satanā sub pedibus vestris citò. Ex hoc ergo persecutore iudicium sibi fieri gestit, vt fidei propheticę vestigiis aduersarius conteratur, & cōminuat eū sub pedibus suis Propheta sicut puluerē ante faciem veritatis, & in hac corporis sui militia constitutus, quāuis dies vitæ breues sint, triūphum tamen de aduersario adipiscatur, quò reformati hominis in veterem gratiā, quæ antè delictorū vinculis tenebat adstrictū, & feruentis libidinis lassabat estu, libertatem ingemiscat, potestatē sentiat. Subiectus est igitur aduersarius secundum Domini sententiam. Etenim Dominus Iesus veniens in hunc mundū per virginis partū, subiecit animæ nostræ omnes contrarias potestates, vt fide tua, verbo tuo, cōuersatione tua & operibus cōterantur. Si ergo nō cōteris aduersarium, tua culpa est, qui permissa nō vteris potestate. In nobis est igitur vt aut subiiciatur aduersarius, aut resulter. Si enim actus noster Deo displiceat, incipit aduersarius superbiere. si autē bonis inhaeremus operibus, exerceamus studia castitatis, iustitiæ, continentia; calcamus serpentem & scorpionē. Calcamus enim serpentem pedibus castitatis, cōterimus & scorpionē continentia; vestigiis, verecundia; iustitia; q̄ gressibus: ne possit excutere. Possumus ergo & in hac breui vita triumphum de aduersariis habere perpetuum.

Psal. 1.

Job. 14.

1. Cor. 2.

Luc. 10.

Math. 8.

Rom. 16.

Psal. 17.

Job. 7.

2. Tim. 2.

Rom. 8.

Apoc. 12.

Ephes. 3.

Gen. 5.

Psal. 90.

2. Cor. 2.

2. Tim. 2.

1. Tim. 4.

1. Cor. 2.

Tit. 3.

Psal. 49.

Psal. 5.  
Ioh. 14.

Psal. 49.  
Ioh. 10.

Psal. 49.

Ioh. 10.

Eph. 1.  
2. Cor. 4.

Ioh. 10.

1. Tim. 3.

Eph. 6.

Hebr. 12.

1. Tim. 3.

Ioh. 15.

eruditione doctrinæ, heretica ab euangelicis dogmata separare. Ideoque ne multi decipiatur, iubetur à Domino tacere peccator. Peccatori enim dixit Deus: **Quare tu enarras iustitias meas?** Conticefcit igitur perfidia, quæ tramitem veritatis tenere non nouit, quæ Dei præcepta non feruat. Cur enim per os suum assumunt peccatores Euangelium veritatis, in quorum ore veritas non est? Omnia autem præcepta Dei veritas, Christus autem veritas. Non ergo est Christus in disputationibus perfidorum, qui dicit perfido: **Os tuum abundauit nequitia, & lingua tua concinnauit dolum.** Lingua enim quæ vult adstruere mendacium, dolum vtique necit asferre. Sed huiusmodi fur est, & cum fure concurrès. Multi enim fures sunt, qui verbum Dei non ad vtilitatem suam furantur & rapiunt, sed ad fraudem: & patrimonium quoddam cælestium scripturarum in sua furto detorquent, adulterina sibi cõpendia colligentes, dolo magis quàm veritate quæsita. Sed hi sunt qui miscendo aquam vino, tamquam caupones pessimi, adulterantes verbum Dei, & insincerum proferentes quidquid perfido & tamquam ebriore deprompserint: & ideo aliena loquuntur à lege. Vnde eos bene Propheta refutat atque reprehendit, sciens quid præscripto legis acceperit. Rectè ergo ait sequenti versiculo:

**Omnia præcepta tua veritas: iniuste persecuti sunt me, adiua me.**

Quasi bonus miles bella non refugit, nec confictus quamuis grauium præliorum bellator pauescit affuctus: sed fidelis & prouidus aspirare sibi diuinitus orat auxilia, & piæ deuotionis fidelia sibi adiumenta deposcit. Ideoque nõ petit vt persecutiones quiescant, sed in persecutionibus se postulat adiuuari. Sciebat enim quòd omnes qui volũt piè viuere in Christo Iesu, persecutiones patiuntur. Mauult ergo persecutiones pati, vt piè viuere in Christo possit. Et bene non vnã persecutionem, sed multas persecutiones dixit: nec expressit vocabula persequentiũ, quia multi persecutores, non solum quos videmus, sed etiã quos non videmus. Persequuntur nequitie spirituales, persequitur hæreticus, Iudæus, gentilis. Omnes ergo sub persecutoribus, qui volunt piè viuere: quia vbi multi persecutores, nullũ à persecutionibus vacat tempus piè viuere gestiendi. Et fortasse cum persecutiones non patimur, tamquam condemnati habemur, quia nequaquam piè viuere volumus in Christo. Nã vtique cum sit definita sententia quòd omnes qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutiones patiuntur: videtur is qui persecutiones non patitur, abdicatus, quòd non sit piæ intentionis in Christo. deuotionem etenim fidei prælia persequuntur. Si desint certamina, vereor ne deesse videatur qui certare desideret. **Omnia** (inquit) **præcepta tua veritas.** Quæ præcepta nisi illa: Si me persecuti sunt, & vos persequuntur? Hæc præcepta Dauid anterior licet incarnationis sacramento, iã tamẽ audiebat in spiritu, & quasi Christi discipulus non subtrahebat se passionibus, sed certaminibus offerebat. sciebat hoc solum sibi ad gloriam fructuosum, hoc ad custodiã salutis tutũ, vt frequentibus exercitiis iusti pietas cõfirmaretur. Citò enim fides inexer-

citata languescit, & crebris otiosa tentatur incommotis. Remissas excubias callidus insidiator irrumpit: affuetum bello virum externa fraus instruit, & gloriosæ prouehit palma victoriæ. Pax ergo fidei, corruptelæ materia est. Quàm pulchrè nobis persecutionis procellere tempora. Intentus erat intimæ ad Deum mentis affectus, illi adhærebat, nec vllas cogitationes obstrepètes sibi precãtis animus sentiebat; totis visceribus fundebatur oratio, & quidam miscebatur sermo cum Domino: quotidiana meditatio habebat iam contemptum periculi, & vsum calcandæ mortis receperat: quod quia amissimus exercitium, tentant otia quos bella non fregérant. Periculosa igitur & pacis otia. In pace plures persecutiones esse cõperunt. Nullus erat tempore persecutionis adulator, qui callida mentem adulatione tentaret. Non vacabat animo, corporis delectatione dissolui, & huiusmodi quæ secundis rebus excitari solent, admittere passiones. Ideo Apostolus cõciderentur, includerentur, exultabant quòd illis iniuriis æternæ gloriæ meritum lucrabantur, qui digni fuerãt pro Christi nomine iniurias sustinere. Nõ illis erat cura de patrimonio, studium de potestatibus & honoribus; non de prælacione, quæ etiam iustos exagitare consuevit: sed ille se præferri putabat, qui esset pluribus verberibus flagellatus. Meritò ergo Dauid occasiones expetit triumphandi, & certandi copiam pro deuotionis eruditione non metuit, qui nouerit persecutiones iniquorum proficere ad incrementa virtutis. Nõ enim dixit: **Quia persecutiones patior, adiua me: sed, iniuste, (inquit) persecuti sunt me, adiua me.** Potest enim quis & persecutiones pati, sed non iniuste: quia est etiam iusta persecutio, si oderimus obsecenos, si infestisimus iniustis, si iniquos velimus opprimere, ne pluribus noceãt, si auarum fraudis suæ compendiis exuamus, si execremur insolentiam superbiorum. Qui autem pro fide, pro iustitia, pro castitate persecutionem patitur, bene is dicit: **Iniuste persecuti sunt me, adiua me.**

**Paulo minus consummauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.**

Non superfluo diuinum quæsiuit auxilium, qui sciebat sibi aduersus fortes esse certamen, pluraque sibi prælia præparata dimicaturum nunc aduersus nequitias spirituales, quæ sunt in cælestibus; nunc aduersus calorem sanguinis, & innumeras corporis huius illecebras, quarũ nexu vario & diuturna coluclatione lassatus, pudendo corruisset certamine, nisi fidei se radice tenuisset. Discamus cauere quem gerimus. hic nobis hostis domesticus, hic inimicus grauis est nostri ipsius corporis. Inflammatur vino, ardet libidine, decore mulieris occurantis accenditur, spe alitur, desperatione vritur, illecebris exurit, non euaporat affectu, timore turbatur, metu frangitur, luxuria molliuit, lasciuia dissoluitur, labore afficitur, solitudine fatigatur, passione conteritur. Miraris si inter tot aduersarias passionum vires se etiam iustus tenere vix possit, cum impares sinus etiam singularum certamini? **Quem vel sola libido non vendicet? quem non subiuget auaritia? quem formido non quatiat? quem luxuria non eneruet? quem lasciuia non emolliat? quem non sup-**

plan-

Gen. 3.  
Gen. 4.

Gen. 9.

Gen. 19.

1. Ioh. 7.

Luc. 22.  
2. Cor. 11.

Hebr. 12.

Eph. 6.

Supra octon.  
3. Reg. 1.

Gen. 6.

plantet ebrietas? Quasi conscius igitur carnalis infirmitatis, & explorator persecutionis hostilis, dicit: **Paulo minus consummauerunt me in terra.** In hac vtique terra, in qua Adam primus corruit, & pudèda prolapsione deiectus, totius gressum futuræ posteritatis inflexit. In hac terra, in qua Cain munera fraterna dolens suis esse prælata, ruina est stratus inuidia. Deniq; vox fraterni sanguinis clamauit à terra. In hac terra Noe sanctus, quem totius orbis diluua in tantis procellis & fluctibus peruigilem probauerunt: vbi tamen otioso curas laxauit corpore, ibi somno ebrietatis offendit, quando mediastino filio delirante, contumeliam paternæ pietatis incurrit, docens periculosa otia secura esse virtuti. In hac terra Lot reuerendi parentis imitator, quem non luxuriantis Sodomitanæ plebis decolorauit impuritas, non flamma Sodomæ ardentis inuoluit, venialis quidem ignorantia, pudendæ tamẽ commixtionis non euasit incestum. Vritur iste flammis mulierum, quem sulphurea flamma non vssit. In hac terra etiam Dauid propemodum consummatum esse se dixit. Siquidem pene motos pedes suos, & gressus suos paulo minus sensit effulos, quia diuitias sæculares, & successus corporalium prosperorum loco beatitudinis aestimauit peccatoribus abundare. Propter quod etiam flagellatus est, sed flagella iusto remedia salutis sunt. Castigat enim Dominus quem recipit. Vnde etiã Dauid conuersus ad Domini charitatem, atque in eius eruditus præceptis, non ignorans quòd caducis caduca fortuito quodam deseratur euentu, & quia non diuitiarum abundantia, sed virtutum gratia vitæ probabilis merita pensantur, dilexit magis quàm reliquit mandata Dei, quibus folis potuit ingruentes nequitias spirituales, & insurgentes huius corporis appetitus in hac tam fragilis naturæ infirmitate superare. Magna igitur virtus, quæ sub tantis persecutionibus constituta, & penè oppressa, tamen suum non est oblita præsidium, nec mandata Dei dereliquit. Ideo quia solum sibi Deũ profuisse cognouit, preces ad Dominum dirigens, ait versu sequenti:

**Secundum misericordiam tuam viuifica me, & custodiam testimonia oris tui.**

**Viuifica me.** Quam viuificationem sui postulet, supra diximus: quia non id precatus est quod habebat, sed quod desiderabat: id est, vt viueret in æternum, intelligens vitæ beatitudinem in hoc fluctuanti & infido nobis corpore esse non posse, cuius imbecillitas propositum animæ derelinquat. Opus est ergo misericordia Dei, vt continua & perpetua sit in hoc corpore viuificatio, quò quotidie iustus Deo viuat, peccatòque moriatur. Si enim culpa moriatur in nobis, erit vita Deo viuens, & custodia præceptorum cælestium perseuerans: quam vtique ille custodit, qui viuificatur à Domino. Denique viuificari se antè poscit à Domino, & postea custodiam mandatorũ cælestium pollicetur. Nõ enim cõmunis hæc vita custodit cælestem mandatum, sed illa quæ munere fulcitur æterno per operationem gratiæ spiritualis. Possumus etiam sic intelligere, quia iam Propheta quæ erant legis agnouerat, optat aduētus dominici misericordiam, vt accipiat præcepta quibus

lex adimpleatur: vt non solum adulterium sciret esse vitandum, sed etiam concupiscentiam adulterij declinandam. Os enim patris Iesus Dominus locutus est in Euangelio, eum qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, in corde suo adulterium perpetrare. Quantum Euangelio profecerunt studia castitatis, quo non solum turpioris facti, sed etiã studij degeneris ablegatur opprobrium? **Qui sunt autem de quibus dicit quòd paulominus consummauerunt eum in terra, nisi persecutores? De quorũ vno ait Dominus Iesus: Ire, dicite vulpi illi, hoc est, de Herode. Et alibi cum se fraudulenter interrogari aduerteret, dixit: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos vbi requiescant; eo quòd fraudulenter in terrestrium passionum quibusdam latibulis demorentur. Vnde etiam Sãson binas vulpes sibi nexuit, ad quarum caudas alligauit faces, & dimisit eas per messes allophylosum, per hanc figuram significans, quòd improbi ac fraudulentum homines, & maximè hæretici, liberam linguam habeant ad latrandum, sed exitum impeditos: aut religiosa principia, finem verò fraudis suæ incendio deputatum. Ideoque & trecentas vulpes dimisit; eo quòd perfidi crucis quidẽ se prædicatione commendare desiderant, sed mysterium eius tenere nõ possunt, qui hac prædicatione composita & falsa atque simulata vere magis fructus conantur alienos: cum vtique vera crux Domini nõ exurat aliena merita, sed fructu det. Meritòq; scriptum est in Canticis canticorũ: **Pren-dite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas, vt vineæ nostræ floreat.** Quo ostenditur quòd vel Dominus Iesus, vel Ecclesia fraudulentorum dolos à vineis suis exterminandos esse præcipiat, ne pauxillulis vincis noceant, quia adultis iam vitibus nocere non possunt. Hæreticus enim imperfectum tettare potest, non potest supplantare perfectum.**

*In octonarium duodecimum enarratio.*

Lamed.

**L**amed littera duodecima est, cuius interpretatio, cor: vel vt alia interpretatio habet, seruo. Vnde videtur admonere vel prudenter hæc intel ligèda, vel sollicitè seruãda præcepta. nã hoc primus statim versiculus admonet. Cor etenim sibi mundũ creari in superioribus hic Propheta, vt legimus, postulauit. Cor sibi prudẽs dari orauit à Domino filius huius Salomon. Qui ergo habet cor mundum, qui habet cor prudens, ipse intelligit feriem subditorum versuum atque virtutem. Vnde & alibi inuenimus: **Cor vnum, vel cor aliud, quod nulla illecebra huius sæculi impediatur, & carnis possit inturbare sapiẽtia.** Qui autem habet cor, seruat mandata Dei: quẽ admodum legisti de Maria, qua conseruabat omnia Domini Saluatoris in corde suo vel dicta, vel gesta. Circumcidamus ergo cor nostrum: nihil corporeum, nihil vile quæramus: vile autem omne terrenum. Nihil ergo terrenum, nihil sæculare, nihil corporeum, nihil leue atque mutabile in eloquiis cõstituamus cælestibus. Eloquia enim Domini, eloquia casta, vt in his mysteriorũ cælestiũ immaculata & pudica sinceritas spiritali interpretatione resplic-

FF iij



deat. Non adulterina quadam opinione miscamur terrena diuini, & illud inuolabile sacramentum propheticae visionis, aut perennis oraculi, naturae nostrae aestimatione violemus. Ideo enim addidit: Argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum: vt tamquam boni numularij spiritu examinemus prophetici sermonis argētum, secernentes Domini pecuniam, atque ab omni labe terrena salutaris fontis infusione purgantes, vt Christo dignè sentire videamur, qui ait: Nolite thesaurizare vobis in terra, vbi aerugo & tinea exterminat: sed thesaurizzate vobis in caelo. Thesaurus tuus est fides, pietas, misericordia: thesaurus tuus Christus est. Noli cum aestimare de terris, hoc est de creaturis, quia dominus totius creaturae est. Maledictus, inquit, homo qui spem habet in homine. Sed mihi salus per hominem venit. Vide tamè quid scriptura vetus dixerit: Et homo est, & quis cognoscet eum? Ille ergo homo non humana mihi, sed diuina potestate omnia peccata donauit, Deus in corpore Dominus Iesus mundum reconcilians sibi, quem redimebat à culpa. Thesaurus noster pretiosus intellectus est. Si terrenus intellectus fuerit, si fragilis, haeretica cum tinea & impietatis aerugo confumet. Leuemus ergo & erigamus sensus nostros, nec impossibile iudicemus vt haec humani corporis infirmitas ad cognitionem mysteriorum caelestium prouehatur, cum iam ad nos Dominus Iesus, in quo absconditi erant scientiae sapientiaque thesauri, diuina sua miseratione descenderit, vt clausa referaret, aperiret latentia, reuelaret occulta. Veni ergo Domine Iesu, aperi nobis & istius prophetici sermonis ianuam, multis enim clausa est, et si prima specie aperta videatur.

In aeternum, Domine, permanet verbum tuum in caelo.

Vides etiam in te permanere debere quod etiam in caelo permanet ac perseuerat? Serua ergo verbu Dei, & serua in corde tuo, & ita serua, ne obliuiscaris. Serua legem Domini, & meditare, ne iustificationes Domini de tuo corde labantur. Docet te litterae interpretatio vt serues diligenter. Docet Propheta in subditis, dicēs: Nisi quia lex tua meditatio mea est, tunc forte perissem in humilitate mea. In aeternu non obliuiscar iustificationu tuarum. Legis ergo meditatio facit, vt tempora tribulationis, tempora quibus humiliamur aliquibus aduersis, sustinere & tolerare possimus: vt neq; humiliatio nimis, neque deiecto frangamur affectu. Denique Dominus non frangi nos humilitate vsq; ad desperatione vult, sed vsque ad correptionem. Vnde & Hieremias sub hac littera in Threnis ait: Vt humiliaret sub pedibus omnes vincetos terrae, vt declinaret iudicium viri contra faciem altissimi, ad condēnandum hominē cum iudicaret, Dominus non dixit. Et infra: De ore altissimi non exibunt mala. Humilitas ergo quae à Deo est, plena iustitiae, plena est aequitatis, quia non exeunt mala de ore Domini. Deniq; qui humiliabatur à Domino, dicebat: Humiliatus sum, & saluum me fecit. Ergo sicut prudenter considerandum est, quando humilitas à Domino sit causa probationis, quando etiam ipsa ab homine inferēdae humilitatis

Ibid.  
Zach. 11.  
Matth. 6.  
Hier. 17.  
1. Cor. 15.  
Hier. 17.  
2. Cor. 5.  
Sup. 7.  
Matth. 6.  
Coloss. 2.  
Apo. 5.  
Prouerb. 3.  
Infra.  
Ibid.  
Psal. 114.

G impressio, quae tamē ipsa solet patientia & magnanimitate tolerari: ita etiam sapienter considerandum, quid sit in aeternum in caelo verbum Domini permanere, vel sicut aliqui codices habent, in saeculu: quia Graecus eius τὸν αἰῶνα posuit, quod diuersè interpretati sunt translatore. Alij in aeternum, alij in saeculum. In saeculum ergo permanet Domine verbum tuum in caelo. Et quomodo ipse dixisti: Caelum & terra transibunt, verba autem mea non prateribunt? In saeculu permanet verbu, non vltra saeculum & saecula? Saecula enim temporis sunt. Caelum ergo & terra, id est, istius mundi opera prateribunt, & tempora permanent? Alius qui spiritalis est, & iudicat verba legis: In aeternum (inquit) Domine, permanet verbum tuum in caelo. Aeternitas enim verbi manentis, opinione verbi praterentis excludit. Quomodo autem permanet verbum in caelo, si ipsum caelu praterit? Et quomodo possunt stare culmina, si cadant fundamenta? aut quomodo permanet habitator in habitatione sua, nisi & habitatio perseueret? Sed forte illud occurrit, quia scriptum est: Erit caelum nouu. Verum nec sic solubile, quia nec hoc potest permanere quod praterit, nec illud potest dici mansisse, cum coeperit. Tinea intellectum tuum scindet, si putes verbum Dei sicut caelum vel incipere, vel praterire. Vnde si virtutem prophetici sensus cognoscere volumus, primum in his quae visibilia & sensibilia sunt, eum consideremus, vt ex eo quae sunt intelligibilia manifestemus. Si verbum Dei in caelo permanet, imitemur caelum vbi permanet verbum: permanet ordo solemnium caelestium statutorum, & beneficiorum Domini crebrae vices solemnibus muneribus perseuerant. Superis nempe vel pluuiis, vel calore, vel fetu aeris huius infunditur terris, atque alitur larga fecunditas. Caelo annus labitur per dies ac menses, & tempora autumnu atque hyemis, veris quoque & purae digestus aestatis. De caelo vita tuae imaginem cape: etiam quando non germinas fructum, fere tamen semen ad fructum. Sūt semina quae de caelo sunt, & feruntur in terris. Est etiam superna vindemia. vnde ait Propheta: Serite vobis ad iustitiam, vindemiate ad fructum. Et quando non florent opera tua, foue tam en semina tua, ne lasciuendo luxurient. Quod luxuriat in flore sermonis, tenuatur & hebetatur in fructu. Fructus ipso vsque ad maturitatem decoque. Imitatores etiam ipsius caelestis simus elementi. nō semper sole seruet ardēri, frequenter nubibus tegitur, pluuiis vehementibus inhorrescit, iactis niuibus tegit terram. Non ergo sit in te diuturna lasciuia, succedant moesta senilium curaru tempora, & tamquam incana maturitas agroru hunc tui corporis reprimat. Vtilior saepe tristitia est, quae comitem solet habere grauitatem. Nūquid vlla in ipso est sole praeruaricatio: Nōne quotidianos cursus suos seruat? Numquid continuos non nouit luna defectus, & commissi munus deserit ministerij? Hisdem nempe vicibus annus redit, eodē statu reparantur tempora, hisdem obsequiis reformantur. Sol diem illuminat, tempora statuta custodiēs. Fulget splendoribus luna nocturnis, & lux eius in tenebris micat. Stellarum nitentium rutilat globus, solēque statione & conuersione ac demutatione funguntur. Lex vna diuersis, constitutorum semel vices

Matth. 24.  
1. Cor. 1.  
Esaie 65.  
Rem. 1.  
Esaie 55.  
Gen. 1.  
Gen. 8.  
Osee. 10.  
Esaie 66.  
Apo. 3.  
Ioh. 14.  
Apo. 3.  
1. Cor. 8.  
Ioh. 1.

cursum custodire, nec fines transire praescriptos. Manet ipsa immutabilis demutatio, & conuersio vertere ordinem suum nescit. Vna omnium obedientia, discretis muneribus indiscretam praescriptae constitutionis tenet concordiam. In caelo ergo permanet verbum, satanas de caelo cecidit: quia non habebat in caelo locum, propterea cecidit. Quod cecidit nisi in terras? Ideo hic adulteria, homicidia, ebrietates abundare coeperunt. Inde exclusus acrior ad nos venit, & tentationes solito asperiores tamquam iratus exercet. In caelo igitur permanet verbum, quia inde deiectus est diabolus: in terris non permanet, quia huc totus aduenit. Et vide vtrum hic permanere verbum possit in nobis, vbi tātos laqueos diabolus asperxit: qui cum esset in caelo, nec ibi verbum poterat permanere. Deniq; quia & ipse verbu non tenuit, cecidit è caelo. In caelo ergo verbu permanet & quod secundum verbi dispositionem regitur & gubernatur. Sed quia & ipsum caelum praterit, ideo non dixit in saecula permanere, sed in saeculu: quamquā propterea praerereat, vt fiat nouu caelum & noua terra; nouum testamentum, vt facie ad faciem gloriam Domini videre possimus. Verum tamen quia & in caelo fuit vitii locus (nam utique non cecidisset inde aduersarius, nisi in criminibus deprehensus: nā & stultus vt luna mutatur, & caelum ipsum tenebris obducitur) videtur utique non de elemento dictum, sed de virtutibus potestatisque caelestibus. Sunt enim sanctae virtutes in caelo, in quibus nihil lubricum atque terrenum fit. Sunt etiam in terris caeli qui enarrant gloriam Dei. Qui sunt isti caeli? Audi dicentem: Sicut portauimus imaginem illius terreni, portemus & imaginem huius caelestis. Isti igitur sunt caeli, qui etiam in terris positi audent dicere: Nostra autem conuersatio in caelis est. Isti sunt caeli, in quibus fides, grauitas, continentia, doctrina, vita caelestis est. Nam quemadmodu terra dictus est, qui lapsus ex illa praeruaricatione caelestis gratiae, & in hac terrena deiectus, praeruaricationis suae se vinculis religauit: ita econtrario caelum dicitur, qui vitam angelorum custodia integritatis exercet, & corpus suu continentia sobrietate moderatur: mentē quoque suā miti tranquillitate cōponit: pecuniā pauperibus misericordii liberalitate dispensat. Est ergo & in terris caelu, in quo possunt virtutes esse caelestes. Caelum mihi thronus, ego magis iusti affectu quam elementu intelligo. Illu puto caelum, ad cuius animā venit Christus, & pulsāt ianuam, & si aperuerit, ingreditur. Nec solus ingreditur, sed etiam cū patre, sicut ipse ait: Ego & pater veniemus, & mansio ē apud eum faciemus. Vides igitur quod verbum Deus & otiosum prouocat, & dormientem excitat? Qui enim venit, & ianuam pulsāt, vult semper intrare. Sed in nobis est quod nō semper ingreditur, non semper manet. Pateat aduenienti ianuam tua, aperi ianuam tuam, expande gremium mentis tuae, vt videat diuitias simplicitatis, thesauros pacis, suauitatem gratiae. Dilata cor tuum, occurre soli lucis aeternae, qui illuminat omnem hominem. Et illud quidem veru lumen omnibus lucet: sed si quis fenestras suas clauerit, aeterno lumine se ipse fraudabit. Excluditur ergo & Christus, si tu mentis tuae ianuam claudas: & si possit intrare, non vult tamen

A importunus irruere, non vult inuitos cogere. Ortus ex virgine, processit ex aluo, vniversa totius orbis irradians, vt lucret omnibus. Capiunt qui desiderant fulgoris perpetui claritatem, quam nox nulla interpolat. Soli enim huic quem quotidie cernimus, nox tenebrosa succedit: sol autē iustitiae numquam occidit, quia sapientiae numquam succedit malitia. Beatus ergo ille, cuius pulsāt ianuam Christus. Ianua nostra fides est, quae totam domum, si fuerit robusta, communit. Per istam ianuā Christus ingreditur. Vnde & Ecclesia dicit in Canticis: Vox fratris mei pulsāt ad ianuam. Audi pulsantem, audi introire cupientem: Aperi mihi soror mea sponsa, columba mea, perfecta mea: quia caput meū repletum est rore, & crines mei guttis noctis. Considera quādo maximè pulsāt ianuam tuam Deus verbum, cum repletu est caput eius rore nocturno. In tribulatione etenim & tentationibus positos visitare dignatur, ne quis forte succumbat victus ærumnis. Repletur ergo caput eius rore vel guttis, quādo corpus eius laborat. Tūc ergo vigilandū, ne cūm sponsus venerit, recedat exclusus. Si enim dormias, & cor tuum non vigilet, discedit antequā pulsēt. Si cor tuum vigilet, pulsāt, & aperiri sibi ianuā poscit. Habemus ergo animae nostrae ianuam, habemus & portas, de quibus dictum est: Tollite portas principes vestras, & eleuamini portae aeternales, & introibit rex gloriae. Est ergo & caelum in iis in quibus portae sunt aeternales. Si has fidei tuae portas velis attollere, intrabit ad te rex gloriae, triumphu portas propriae passionis. Habet etiā iustitia portas. Nam etiam de his legimus scriptum, dicente Domino per Prophetā suum: Aperite mihi portas iustitiae. Et infra ait propheta David: Lauda Hierusalem Dominum, Lauda Deum tuum Sion: quoniam confortauit sedes portarum tuarum. Est ergo anima quae habet ianuam, est quae habet portas. Ad hanc ianuam venit Christus & pulsāt, pulsāt & portas. Aperi ergo illi: vult introire, vult sponsam inuenire vigilātem. Noli ergo bono amatori facere moras. cito recedit, & tu somno corporis tui videris exclusisse pulsantem. Excludis enim cūm desidiosus es, cūm piger, cūm somnolentus. His repagulis Christus excluditur. & si castus, & si sobrius sis, caue ne negligens sis. Maiorem Christo facit iniuriā, qui aduenientem repellit. Nonnumquam etiam, si moraris, mittit manum suā per fenestram, sicut ait sponsa: Frater meus misit manum suam de prospectu, & venter meus conturbatus est super eum. Exurrexi ergo aperire fratri meo. Manus meae distillauerūt myrrham, digiti mei myrrha pleni. Primum ergo tamquā de prospectu mittit manum suam, quando Deus esse operibus aestimatur. Vnde ait: Si mihi non creditis, vel operibus credite. Deinde augetur amor, & intimis visceribus conceptus inolefcit. Inde intelligibili vtero, in quo est receptaculum verbi, seminibus eius infusus, plenitudinem eius corporaliter inhabitantem haurire anima nostra desiderat. Non enim turbatur vterus foeminarum, nisi quae fuerint aluo graues. Surgit igitur anima, vt aperiatur Dei verbo: sed dum se expandit atque aperit, vt opera mundi istius verbi receptione mortificet, sicut ille qui ait: Mortificationem Domini Iesu in corpore nostro circum-

Malach. 4.  
Apo. 3.  
Cant. 5.  
Ibid.  
Ibid.  
Psal. 23.  
Psal. 117.  
Psal. 147.  
Apo. 3.  
Cant. 5.  
Ibid.  
Ioh. 10.  
Coloss. 2.  
2. Cor. 4.

ferimus, ergo dum aperit, transit sponfus. Vult enim G semper quæri, frequentius inueniri: & si clausam inuenit ianuam, pulsatur: & si per moram fuerit exclusus, recedit: Sed citò redit, & iterum pulsatur, ut vel postea sponfam inueniat præparatam. Potest quidem & sic accipi: Frater meus trāsiiuit, sicut legimus quòd penetrauit dilectæ intima medullarū, & quæ admodum ad Mariam dictum est: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur multorum cordium cogitationes. Denique addidit sponfa animam suam exisse in verbo eius, quod fit quando anima peregrinatur à corpore, & Deo præsens est. Explanauimus igitur ut potuimus, quid esset: *In æternum Domine, permanet uerbum tuum in celo.* Possumus tamen & sic intelligere, quia in celo magis permanet in æternū, ubi angeli & archangeli, Cherubim & Seraphim: quoniam homines quamuis sancti sint, tamen affectus eorum sæpe mutatur. Nunc gaudemus, continuò mœremus, irascimur, ingemiscimus. In ipsa pœnitentia non vult nos satis contristari Apostolus, ne tristitia absorbeamur. Vbi ergo iracundia, ubi tristitia grauis, non permanet ibi verbum. Denique de solo Domino Iesu dictum est à Ioanne, quia vidit Spiritum sanctum descendentem de celo sicut columbam, & manentem super eum. Nam & prophetæ non semper propheta-bant, sed cum infunderet his gratiam spiritus prophetandi. Denique nec Dauid præseiuit quid annuntiaret Nathan propheta missus à Domino: & vti que inferior Nathã propheta cognouit quod Dauid præstantior nesciebat. Et alius dixit propheta: Celauit à me Dominus. Vnde & plerique accipiunt in celo permanere Dei verbum, in potestatibus cælestibus, in quibus non sunt affectuum varietates. Aliqui autem de ipsa accipiunt Trinitate, quæ sola immutabilis sit: & ideo in celo permanet verbum, id est in patre, quia verbum dixit: Ego in patre, & pater in me.

In generatione & generationem veritas tua: fundasti terram, & permanet.

*In generatione & generationem veritas tua.* Multi sunt qui dicuntur dij, sed non sunt. Ergo in gentibus mendacium est, in Ecclesia veritas. Hanc tamen L veritatem habuit primò synagoga, quæ habebat eloquia Dei. Est enim veritas & in veteri testamento, quæ fuit ante in populo Iudæorum. Norus enim in Iudæa Deus. Deus autem veritas est: ergo in Iudæa veritas. Fuit igitur veritas in patribus, Moyse, & Iesu Naue, in Samuel, in Dauid, Elia, Elisæo, & in illis septem milibus virorum qui non curauerunt genua ante Baal. Sed quia posterior soboles Iudæorum à patrum moribus deuiauit, recessit ab illis veritas, & ad Ecclesiam venit. Recessit enim ab illis quando dixerunt de Domino Iesu: Tolle, tolle, crucifige eum. Tradiderunt enim veritatem, & elegerunt iniquitatem. Omnes ergo aliæ generationes veritatis exortes, omnium hæreticorum generationes non tenent veritatem: sola Ecclesia veritatem pio affectu possidet: quia generatio Iudæorum, quæ ante eam possidebat, amisit. Populus ergo Iudæorum, prior fidei generatio, & ideo infantior & infirmior, quia lubrico adolescentiæ stare non potuit: populus

autem Christianus, fidei secūda generatio, ideo robustior & venerabilior, quia maturior senectute. illa generatio legis, hæc gratiæ. Vnde & alibi ait: In generatione & generationem annuntiabo veritatem tuam. Fundasti terram, & permanet. Quomodo fundauerit Deus terram, scriptura nos docuit, dicente Propheta: Deus sapientia fundauit terram, parauit autem celos in intellectu. Terra autem tamquam fundamentum est, in qua consistimus: licet ipsam in meditullio cæli esse, & is qui foris est sermo cõcelebret, & scriptura significare videatur, dicente Iob: Suspendens terram in nihilo. Includitur ergo orbe cælesti: & ideo sol noctibus non videtur, quia gyrando in inferiore inuenitur orbis parte cælestis. Sed non est cura sanctis, axem cæli & elementorum spatia philosophico more numerosque describere. Quid enim hoc prodest saluti? Quia sancti spiritalibus semper intendunt, & vitæ æternæ profutura vel cognoscere gestiunt, vel docere. Denique hunc locū pulchrè nobis aperuit Ecclesiastes, spiritalium esse, non materialem dicens: Quæ abundantia homini in omni labore suo quo laborat sub sole? Generatio vadit, & generatio venit, & terra stat in sæculum. hoc est, quæ abundantia spiritali homini laboranti sub sole iustitiæ? Et subiicit: Generatio vadit, & generatio venit. Vadit generatio, quia diuites egerunt & esurierunt. Qui ante abundabant gratia, postea tamen propter perfidiam suam egere ceperunt. Qui autem pauperes erant populi nationum, iam per fidem Christi satiantur & abundant, sicut scriptum est: Edent pauperes, & saturabuntur. Audierunt enim dicentem: Abundantes in omni verbo. non in pecuniis vti que, non in auro & argento, sed in omni verbo, inquit, & cognitione. Et alibi ait: In diuitiis simplicitatis. Hæc diuitiæ sunt salubres: nam copiæ sæculares salutem afferre non possunt. Qui autem habuerit abundantiam spiritali, huius terra fructifera stat in sæculum, bene fundata radice virtutum: vel anima bonos vti que germinans fructus, vel caro nullis cupiditatibus mobilis ad prolapsionem. Hanc terram circuit sol iustitiæ salutaris, de quo scriptum est: Et oritur sol, & occidit, & in locum suum trahit. Ipse Oriens illuc vadit ad Austrū, & gyrat ad Aquilonē: grādo gyrat spiritus, & in gyros eius conuertitur spiritus. Oritur sol iustus, occidit autem iniustus: oritur tranquillitati pietatis, occidit iracundiæ. Vnde ait: Sol non occidat super iracundiam vestram. Hinc potest colligi quia iisdem oritur & occidit, quorum & vitia sepe-liat, & illuminet gratiam. Mortuus est enim peccato, ut Deo viueret: hoc est, peccato sumus in illo mortui, ut Deo in perpetuum viueremus. Vide ipsum mysterium prænuntiatur: Et oritur, inquit, sol, & occidit, & in locum suū trahit. Hoc est quod ait Dominus: Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum. Traxit enim ad se omnium studia, ut vel peccata nostra crucifigeret, vel bonū ingenium ad iustitiam prouocaret. Aduerte quemadmodum trahat ad se: Pater, volo ut ubi ego sum, & isti sint mecum. Et ad latronem ait: Hodie mecum eris in paradiso. Aduerte quomodo omnia trahat. Exaltatus est in cruce, & totus credidit mūdus. Ipse Oriens, inquit, vadit ad Austrum, & gyrat ad Aquilonem. Ille

Ille vti que Oriens, qui ait: Oriens nomen est mihi. A qui semper oritur pius, nūquam occidit. Ipse Oriens populo Hebræorum ad Austrum iuit, ad molliorem populum, luxuria magis feruentis corporis lubricum, quam impietatis immanitate prædurum: aut certè ad nobiliorem plebē, quæ erat genus electum, vendicans sibi patriarcharum profapiam. Sed quia perseverabat in vitiis, nec emēdabat errorem: ideo sol iustitiæ gyrauit ad gentes, quæ ante eloquiis cælestibus defraudatæ, immanes & ignobiles habebantur. Aquilo enim grauis ventus, & populi nationum. Sed qui erant graues ante perfidia, nunc B super aquilas leuiore facti sunt fide atque pietate, postquam venit qui diceret: Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te: dicam Aquiloni, adduc: & Africo, ne prohibeas. Et in Euangelio: Venient ab Oriente & Occidente, ab Aquilone & Austro, & recumbent in regno Dei. Et ecce sunt nouissimi, qui erant primi: & sunt primi, qui erant nouissimi. Denique & ipse Psalmista ait: Mons Sion, latera Aquilonis ciuitas regis magni. hoc est, qui erant Aquilonis latus, populus factus est regis æterni, qui solus est magnus Dominus. Sed C forte dicas: Quomodo in Caticis est dictum: Exurge Aquilo, & veni Auster? Plerique enim accipiunt quasi proiciatur Aquilo, & inuitetur Auster. Quod si ita accipiunt, exturbatur ab Ecclesia perfidia glacialis asperitas, ne fiat fuga nostra hyeme vel sabbato, & inuitatur Australis verna temperies. Aut certè: Exurge Aquilo: hoc est, Surge qui dormis, & exurge à mortuis. Populus nationum, qui diu ante dormisti, euigila aliquando, & illucescet tibi Christus. Postremò omnes inuitantur ad Ecclesiam, & synagoga populus, & gentilium. sed prius synago-gæ, quia priores ex Iudæis Apostoli crediderunt, per ipsos postea nationum populi congregati sunt. Vide ergo venientem solem nostrum ad Austrum, postea gyrauentem ad Aquilonem: Hierusalem, Hierusalem. Venit vti que ad eam, quam etiam vocare dignatus est. Sed hæc Hierusalem terrena est, quæ occidit prophetas, hoc est, synagoga Iudæorum. Quotiens, inquit, volui congregare filios tuos, sicut gallina pullos suos, & noluiisti? Ecce relinquitur domus vestra deserta. Gyrauit igitur ad gentes, gyraudo autem gyrauit spiritus Dei, & in gyros suos conuersus est, ut fieret Deus omnia, & in omnibus. Ideo sanctus cælum dicitur, quia vicinior eum claritas solis semper illustrat. Habet splendorem suum domesticum, ut tenebras noctis non sentiat. Ideo Ecclesia & cælum dicitur, & mundus, quòd habeat sanctos angelis & archangelis comparandos, habeat etiam plerosque terrenos. Dicitur & orbis terrarum, qui est fundatus super maria, & super flumina præparatus. Denique quasi orbis terrarum dicit Ecclesia: Nolite aspicere me, quoniam fusca sum, quia non respexit me sol: eo quòd velut pruinis hyemalibus, gelūque conflictam gentilis erroris congregationem gentium sol iustitiæ diu indignam estimauerit, quam serena vultus sui luce lustret. Nonne tibi videbatur hiberni rigor temporis, quādo notus erat in Iudæa tantummodo Deus? Nunc autem plenitudo lucis effulget æstiuæ, quando omnia & in omnibus Christus. Nonne terra Domini, & plenitudo

cius? Et verè orbis terrarum in Ecclesia, in qua non Iudæus tantummodo aut Græcus, non Barbarus aut Scytha, non seruus aut liber, sed omnes in Christo vnum sumus. Sol omnibus fulget, dies omnibus lucet. Ideo que ait:

Dispositione tua permanet dies, quoniam vniuersa seruiunt tibi.

*Dispositione tua permanet dies.* Nam nisi ita accipias, quomodo permanet dies, cum post bræue momentum diei sequatur occasus, & fiat noctis successio? Sed sunt quibus semper dies est, illis vti que quibus Christus adest, qui dicit: Ambulate dū lucē habetis. Hic est dies quem vidit Abraham, dies remissionis peccatorum, de quo legis: Hic est dies quem fecit Dominus, exultemus & lætemur in eo. Sunt ergo sancti quibus sol numquam occidit, quia Dominus lux eorum est, sicut scriptum est: Et erit illis Dominus lumen æternum. Expressit causam permanentis diei, atque subtexit: *Quoniam vniuersa seruiunt tibi.* Videtur itaque significare futurum illud, quando nox non erit amplius, & non indigebit lucernæ vel solis lumine, quoniam Dominus illuminabit eos. Qui sunt illi? Supra ait, dicens: Et serui eius seruient ei. hoc est, Domini facient voluntatem. Nunc enim nos omnes seruiamus. Quum autem tradiderit regnum Deo & patri, tunc subiecta erunt omnia ei, qui sibi vniuersa subiecit, acquirens omnium fidem per vnigeniti passionem. Subiectio igitur mentium facit sedulam seruitutem. Ergo cum omnes crediderint in Dominum Iesum, tunc vniuersa Deo seruient, ut sit Deus omnia, & in omnibus. Nūc autem non omnes serui Dei, quia plerique serui peccati. Qui enim peccatum facit, seruus est peccati. Dominus autem non vult cum aliis consortium habere dominatus. Permanet ergo dies immutabilis. Potuit ergo dicere, Permanebit: sed prophetis futura pro presentibus præsto esse videntur in spiritu.

Nisi quia lex tua meditatio mea est, tunc forsitan perissem in humilitate mea.

Lucebat Propheta ut dies, cui meditatio lex erat. Etenim oleum luminis accipiebat ex lege. Denique ne in corpore mortis lux diei posset extingui, ambulabat in lege, & ideo ambulabat in lumine. *Alio-quin* (inquit) *perissem in humilitate mea.* Humilitas non semper virtutis est, sed etiam afflictionis: hoc est, non semper voluntaria, sed etiam quæ ex necessitate suscipitur, quando aliqua afflictione tētatur. Alio-quin nemo perit in humilitate, quæ magis seruare consuevit. Ergo quando in afflictionis tētatur, fit, ne imparatos procella tētationis affligat. Athleta nisi exercitio palæstræ prius fuerit assuefactus, non audet subire certamen. Vngamus igitur oleo lectioni nostræ mentis lacertos. Sit nobis tota die ac nocte exercitij vsus in quadā cælestium scripturarum palæstra, artūque animorum nostrorum salubris spiritalium ferculorum esca confirmet, ut cum aduersariis assistere cœperit, & puluere nos suæ tentationis asperserit, stemus intrepidī: nitamur non ut in incertum, nec ut aera cædentes. Melius percussimus verberati, si percussenti maxillam alteram præ-

Cant. 5.  
Luc. 2.  
Cant. 5.  
2. Cor. 5.  
2. Cor. 2.  
Marc. 1.  
2. Reg. 12.  
4. Reg. 4.  
Iacob. 1.  
Ioan. 14.  
1. Cor. 8.  
1. Tim. 3.  
Rom. 3.  
Psal. 75.  
3. Reg. 19.  
Rom. 11.  
Ioan. 19.  
Luc. 15.

Zach. 6.  
Ephes. 2.  
Psalm. 27.  
Iob. 26.  
Psal. 43.  
Iac. 13.  
Matth. 20.  
Psal. 47.  
Ibid.  
Cant. 4.  
Matth. 24.  
Ephes. 5.  
Iob. 1.  
Matth. 23.  
Ibid.  
1. Cor. 15.  
Matth. 22.  
Psal. 23.  
Cant. 1.  
Malach. 4.  
Psal. 75.  
Coloss. 3.  
Psal. 23.

Coloss. 3.  
1. Ioan. 2.  
Ioan. 12.  
Ioan. 8.  
Psal. 117.  
Esaie 60.  
Apoc. 22.  
Ibid.  
1. Cor. 15.  
Ibid.  
Ioan. 8.  
2. Cor. 6.  
Prouer. 6.  
Rom. 7.  
Psal. 37.  
Ecclesi. 2.  
1. Cor. 9.  
Matth. 7.

Deut. 32.

1. Cor. 9.

Iob. 2.

Iob. 1.

Genes. 3.

Iob. 2.

Iob. 19.

Genes. 37.

Genes. 39.

Ibid.

beamus, si vindictam non requiramus, sed ei qui dixit: Mihi vindictam, ego retribuam: causam vindictæ integram referuimus. Cadimus acris potestates, si nos ipsos castigare nouerimus. Castigabat carnem suam Paulus, ut aduersarios verberaret: & seruituti redigebat corpus suum, ut dominaretur inimicis. Exerceamur igitur indefesso meditationis vsu, exerceamur ante certamen, ut simus certamini semper parati: & cum frequentior aduersarij ictus ingruerit, nunc inopia, nunc rapina, nunc orbitate, nunc corporis aegritudine, nunc mœrore animi, nunc terrore mortis, & acerbitate pœnarum, dicat vnusquisque nostrum qui potuerit iustinare ac perpeti: *Nisi quia lex tua meditatio mea est, tunc forsitan perissem in humilitate mea.* Quanta simul coaceruata sunt ut in illa afflictione Iob sanctus periret? Sed quia patriarcharum moribus informatus, oraculo-rumq; caelestium & naturalis legis erat institutione firmatus, ideo in tentationibus tantis perire nõ potuit. Denique cum amisisset tam amplas subito facultates, charissimos filios: quasi is cui meditatio quotidiana esset in lege diuina, ait: Nudus exiui de ventre matris meæ, nudus ibo eò. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Perfusus etiam corporis totius vlceribus, cum tentaretur vxoris alloquii, qui meminisset Adam sic esse deiectum dum propriæ credit vxori, respondit: Sicut vna ex insipientibus mulieribus locuta es. Quod si illam quasi sapientem voluisset audire, ipse sapiens non fuisset. Tentatus etiam diuersis alloquiis amicorum, cum fidei stabilis, immobilisque patientiæ præmia meruisset à Domino, nõnne dicebat: *Nisi quia lex tua meditatio mea est, tunc forsitan perissem in humilitate mea?* Quam gratè hoc dicit hodie qui in martyrio plurima flagella sustinuit, equuleo & vngulis, plumbo, laminis ardentibus, gladioque comprobatus? Potuit enim perire, nisi meditatus in lege, grauiora presentibus futura supplicia credidisset. Quanta sanctus Ioseph pertulit, quam acerba, quam dura? Primum fratrum odia, degeneris seruitutis ærumnas, parentibus defraudatus, ablegatus exilio, negotiatorum vernula, & Ægyptij ignobilis vile mancipium. Quæ potuit nobilis prolapsa puero grauior esse tentatio, quam ut tanto familiaris splendore deiectus, seruiret apud Ægyptios? Est consolabilis seruitus, seruire vel iustis. Æquitate Domini leuatur iniuria seruitutis. Tanto igitur genere deiectus, satis gratum habebat si ministro regio suum obsequium probaretur. Nec hoc quidem satis fuit ad tentationis acerbitem: redit aduersarius ad suas artes, totasque vires suas omni fraude cõmouit, ut per mulierem laqueos innoxia neceret cõscientiæ. Concitauit in eum libidinis stimulis vxorem domini sui, quæ adulterinos à seruulo concubitus flagitaret: ut si acquiesceret, crimen impleteret: si recusaret, incidere offensum, noxam calumniæ nõ euaderet. Denique trusus in carcerem, & innocens inter noxios estimatus, ab eo amplius cepit vrgeri, cui fidẽ suam cum periculis præstitisset. Sed quia contumeliæ virum frangere nequieuerunt, mutata est tentatio, longè asperior specie prosperorum. Plurimos enim supplantauerunt secundæ res, quos supplicia acerba

non fregerant. Produciuntur è carcere nutu regio, interpretatur somnium, eligitur ut honore præstator omnibus Ægyptiis, ut regi secundus, esurientibus populis alimenta diuideret. Obiiciuntur ei fratres, qui eum ad seruitutis iniuriam non fraterno amore vendiderant, ut vel contumeliæ & appetitæ salutis dolore tentatus excuteret germanitatis affectum. Sed vir iustus oblitus est contumeliæ, cum lauit gratiam: eoque se magis fratrem voluit exhibere, quo fratres ipse non fuisset expertus. Denique hoc munere & fratres recepit, & patrè pia fraude quæsiuit. Quid igitur aliud melius diceret sanctus Ioseph, quam istud ad Dominum: *Nisi quia lex tua meditatio mea est, tunc forsitan perissem in humilitate mea?* Fertur propheta cuidam (& plerique ferunt de Esaia in carcere posito) cum mole imminentis vrgeretur exitij, dixisse diabolum: Dic quia non à Domino locutus es quæ dixisti, & omnium in te mentes affectusque mutabo: ut qui indignantur iniuriã, absolutionem cõferant. Sed ille gratius iudicauit pro veritate supplicij, quam pro adulatione beneficium. Quod utique non fecisset, nisi meditatione legis fuisset exercitatus. Sit ergo nobis quotidiana lectio pro exercitio, ut quæ legimus, meditemur imitari. In hac dedudemus virtutum palæstra, ut cum increperint tentamenta, non tamquam inexercitatos, non tamquam inexpertes spiritalium ciborum, & attenuatos ieiunio lectiois tentationum tempus inueniat. Quod si athleticis epulis pastam animam nostram potuerit inuenire, si sit euangelicus succus in nobis, si apostolicis escis maturitas nostræ mentis toros, animæque robusta solidauerit: si frequenti meditatione memoria tenax præceptorum caelestium parata ad tempus exempla depromperit, nulla tentationum poterit nos perturbare congressio.

In æternum non obliuiscar iustificationum tuarum: quoniam in ipsis viuificasti me.

Lex secundum Apostolum pædagogus est paruulorum, donec ad perfectæ fidei maturiorẽ quandam veniamus atatem. In lege autem niã data sunt iustificationes, testimonia iustitiæ præcepta. Viuificabimur ergo in lege. Vnde ait Apostolus: Lex autem non est ex fide, sed qui facit illam, viuere in ea. Sed quia idem supra ait: Quoniam in lege nemo iustificatur: intelligis utique quia iustificatio legis, species est & imago, non veritas. Secundum veritatem ergo & perfectionem nemo iustificatur in lege, secundum speciem iustificatur. Ergo sanctus Propheta, qui adhuc in legis iustificatione viuebat, viuebat autem fulgorem Euangelij, quasi memor veteris disciplinæ legis, tamquam pædagogo vtili gratiam referuabat. Considera aliquem excedentem ex ephelis in diuitiis & honoribus constitutum, pædagogo suo honorificentiam referuatam habere, cuius officij informatũ se esse cognosceret, ut maturiorẽ regere possit atatem. Monet siquidem etiam ipsa lex, ut his quæ nobis aliquando profuerunt, nequam esse debeamus ingrati. Nam sicut habemus in veteri testamẽto, pascha celebratũ est in Ægypti finibus, cum adhuc sub rege Pharaone positi patres nostri deploraret miseræ seruitutis iniuriã: & postea liberati

Genes. 41.

Genes. 42.

Genes. 43.

Ezal. 48.

Iofu. 1.

1. Tim. 4.

Galat. 3.

Ibid.

Ibid.

Ibid. 10.

Rom. 4.

Galat. 3.

Exod. 17.

Iofu. 5.

Exod. 17.

Psal. 6.

Iun. 1.

Iob. 9.

Iun. 14.

Iob. 14.

Genes. 1.

1. Cor. 6.

Iun. 14.

Genes. 1.

Matth. 19.

Ibid.

Matth. 10.

Iun. 13.

Iuc. 22.

Malach. 26.

liberati rursus in terra repromissionis pascha celebratũ: superius ad cõmonitionẽ, posterius ad recordationẽ. Si quis ergo interroget Hebræũ, qua ratione in Ægypto pascha celebratũ est, respõdebit: Quia regi Pharaoni adhuc seruitutis vinculo obnoxij tenebamur. Ille agnus patrum populum liberauit, ille agnus vocauit ad libertatem, ille agnus maris profunda solidauit, ut Ægyptũ trãsire possemus. Quotiens ergo pascha celebramus, meminisse debemus veteris seruitutis, & nouæ libertatis: quid fuerimus, & quid acceperimus. Non enim potest plenè quis intelligere quid acceperit, nisi meminerit antè quid fuerit. Non ergo obliuiscamur, quia Dominus Iesus agnus Dei, mundi hostia, soluit nos grauium nexibus delictorum, quibus Pharaõ ille teterrimus, non vnus Ægypti, sed sæculi istius princeps vinculo seruitij grauis nos tenebat adstrictos. Non obliuiscamur in æternum, ut cum venerimus in illam verè terram repromissionis, vbi est regio viuorum, meminerimus quanta hic nobis Pharaõ dirus intulerit, quid perpeffi in hoc sæculo sumus, quibus tandem erepti malis, & agamus gratias eripienti nos Domino Iesu, qui perturbatorem omnium fecit esse captiuum.

Tuus sum ego, salua me Domine: quoniam iustificationes tuas exquisiui.

*Tuus sum ego. Facilis vox, & communis videtur, sed paucorum est.* Satis rarus est enim qui potest dicere Deo: *Tuus sum.* Ille enim dicit, qui adhæret Deo totis sensibus, qui aliud cogitare non nouit. Ille hac voce vitur, qui potest dicere Domino: Ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Numquid hac voce vitur audis pecuniæ, honoris, potestatis? Multis non est satis Deum scire, & quidem pluribus. Tanti populi, tantæ nationes, tanti diuites paupertatem putant Domino seruire, & qui supra omnes est, illis exiguus & angustus est: illis non est satis Dei filius, in quo sunt omnia. Denique ille diues in Euangelio, cui dictum est: Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: Deum sibi non sufficere iudicauit. Denique & contristatus est, quasi pluris esset quod relinquere iuberetur, quã quod eligere. Ille ergo dicit, *Tuus sum,* qui potest dicere: Ecce omnia reliquimus, & sequuti sumus te. Apostolorum itaque vox ista est, nec omnium tamen Apostolorum. Nam & Iudas apostolus fuit, & in conuiuio Christi inter Apostolos recumbebat. Dicebat & ipse, *Tuus sum:* sed voce, non corde. Venit & introiuit in eum satanas, & cepit dicere: Non est tuus Iesu, sed meus est. Denique ea quæ mea sunt, cogitat: quæ mea sunt, in pectore suo voluit: tecum epulatur, & tecum pascitur: à te panem accipit, à me pecuniã: tecum bibit, & mihi tuum sanguinem vendit: tuus est apostolus, & meus mercenarius. Nõ potest dicere sæcularis, *Tuus sum.* plures enim dominos habet. Venit libido, & dicit, Meus es: quia ea quæ sunt corporis, concupiscis: in illius adolescentulæ amore te mihi vëdidisti, in illius cõcubitu meretricis pretium pro te annuerai. Venit auaritia, & dicit: Argentum & aurum quod habes, seruitutis tuæ pretium est: possessio quam tenes, iuris tui emptio, venditio libertatis tuæ est. Venit luxuria, & di-

cit: Meus es, vnus diei conuiuium, pretium tuæ vitæ est. Ille sumptus epularum, tui capitis licitatio, tui est summa contractus: & quod peius est, caro emptus es pretio, vilior cibo es tuo: pretiosior est vnus diei mensa tua, quàm totius temporis vita. Inter calices te redemi, inter epulas acquisiui. Venit ambitio, & dicit tibi: Planè meus es. Nescis quòd ideo imperare aliis feci, ut mihi ipse seruires? Nescis quòd ideo potestatem in te contuli, ut meæ te subiicerem potestati? An ignoras ipsi Domino Saluatori dictum esse ab huius mundi principe, cum ei ostendisset omnia regna mundi: Hæc omnia tibi dabo, si procedens adoraueris me? Ante ergo ipse subiicitur, qui alios vult habere subiectos. Veniunt omnia vitia, & singula dicunt: Meus es. Quem tanti competunt, quàm vile mancipium est? Quomodo ergo tu qui huiusmodi es, potes Christo dicere: *Tuus sum?* Respondebit tibi ille. Non quicumque dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum: non quicumque dicit mihi, *Tuus sum,* meus est. Meus planè es, si vocem non redarguat conscientia, si sermonem tuum animus aut opera non refutent. Ego non nego meum esse eum qui ipse se non neget, aut certè si pro me seipsum sibi abneget. Nolo habere seruum plurimis dominis seruicem. Nam quomodo meus est, si mihi dicat verbo, *Tuus sum:* & operibus neget, & factis se diabolo adiudicet & obstringat? Non est meus quem libido succendit, quia mea est castitas. Non est meus quem cura spoliandi minores exagitat, quia mea largitio est. Non est meus quem aura mobilitatis inquietat, quia mea tranquillitas est. Non est meus vini crapula temulentus, illuic ambitionis impurus, gloriæ sæcularis cupidus, ebrius in periculum, qui non potest sobriæ moderationis seruare vestigium. Pax sum ego, litigare nõ noui. Ut quid mihi eum de quo veniat diabolus, & dicat: Meus est? Nam mihi sua colla curauit, & meum munus. Non est ergo Christi, nisi qui est alienus à crimine: non est Christi, nisi qui potest semper se Christi seruum demonstrare. Nam si quis mutabilis est, ut ego, qui aut mœrore mutor, aut indignatione; non est Christi. Venit ira, & dicit: Meus est. ante horam meus erat, spero quòd iterum meus fiat. Venit tristitia, & dicit: Meus est. ante horam in mea possessione fuit, in meo iure: rigere animum præ mœrore non poterat, nec oculos leuare: & si triste aliquid acciderit, ad me illico reuertetur. Quis ergo est Dei, nisi qui potest dicere: Nihil mihi conscientius sum? Ideo dicebat Paulus Apostolus, seruum Iesu Christi, quia nulli alij obnoxius tenebatur. Ego autem nunc Dei mei sum, nunc tristitiæ, nunc iracundiæ, nunc verbi otio si: & ideo qui plures dominos habet, non potest dicere: Domine Iesu, tuus sum. Vnde arbitror etiam de huiusmodi dominis dixisse Paulum: Nam etsi sunt qui dicantur dii, sicut in calo, sicut in terra: nobis tamen vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in illo: & vnus Dominus Iesus, per quem omnia, & nos per ipsam. Verbi igitur totus erat Apostolus Paulus: ideo dicebat: Quoniam experimentũ queritis eius qui in me loquitur Christus. Ille ergo dicebat, Christi sum: & respondebat ei Dominus, Meus es. Qui verè dicit, *Tuus sum:* audit

Matth. 4.

Matth. 7.

1. Iuan. 3.

Luc. 9.

Luc. 16.

Tit. 1.

Ephes. 2.

1. Cor. 4.

Rom. 1.

1. Co. 8.

2. Cor. 13.



à Domino, Meus es. Deniq; Dominus ad Ananiam G cum mitteret eum ad sanandum Paulum, ait: Vade, quoniam vas electionis est mihi. Et quia perseueravit Christi esse, quasi impleto certamine coronam meruit inuenire iustitiam. Rectè ergo propheta David dixit: *Tuus sum*, qui semper in Deo mansit. Et qua ratione dixerit: *Tuus sum*, addidit: *Iustificaciones tuas exquisiui*. hoc est, nihil aliorum quæsiui, sed id solum quod tuum est desideravi. Alij quærunt monilia pretiosa, ego solas iustificaciones tuas quasi quædam ferta iustitiam. Alij domum ad domum, villam ad villam iungunt, quasi soli habitare possint in terra hac, & elementum volunt occupare commune: alij possessionem aeris ipsius vendicare: mihi in tuis iustificationibus omne patrimonium est. Nescio possidere nisi quod tui iuris est. In tuis eloquiis spiritalis mihi cura refulsit argenti. Mihi portio Deus est. *Tuus sum ego*, quia pars mihi hereditatis non in auro, non in argento est, sed in Christo Iesu.

Me expectauerunt peccatores vt perderent me: testimonium tua intellexi.

*Vt perderent me.* Potest vox ista conuenire martyrio, in quo positus sanctus iam de iudicio persecutoris egressus dicat: *Me expectauerunt peccatores vt perderent me.* hoc est, adhibuerunt omnia genera pœnarum, omnes artes persuasionum, sed de proposito abducere nequiverunt. Vicit fides vitæ huius illecebram corporisq; cruciatum, expectauerunt peccatores vt de me triumphum referrent: sed gratias Christo, qui mihi dedit de persecutoribus triumphare. Redite vici, qui sperabatis vos esse victores: redite deiecti, qui veneratis superbi. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors aculeus tuus? Nô tua iam, sed nostra cœpit esse victoria: quia in te vincimus, in qua antea vincebamur. Bene ergo dicit martyr: *Me expectauerunt peccatores vt perderent me.* Post momentum, immò in corpore adhuc positus videt deducentium choros, angelorum gaudia. Qui enim super vnus peccatoris conuersione latantur, quanto magis in passione iustorum? Videt gloriam, & ait: *Me expectauerunt iusti, vt deducerent me.* Videt Dominum Iesum, & ait: *Me expectauit Christus, vt coronaret me.* Aliter qui vult intelligere: Multi, inquit, peccata persuadere, atque ex pectore fidem extorquere conati sunt mihi, alius aduiterium, alius hominis necem, alius oppressionem vidua vel pupilli, alius aliud, & putabant me suis rebus esse capiendum. *Expectauerunt me, vt perderent,* contagione peccati: sed ego non illecebris peccatorum mentem à studio diuinæ cognitionis auerti, nec intentionem meam Domine à mandatorum tuorum serie declinaui, sed *intellexi testimonia tua.* Si enim non intellexissem, peccatores me vtique illi perdidissent. Quæ intellexi vtique sensu, etiam operibus secutus sum. Neque enim nudus intellectus est, sed quem etiam facta testantur. Denique beatus qui intelligit super egenum & pauperem, qui largitur pauperi, nam quid prodest misereri inopis, nisi alimoniam eidem largiaris?

Omnis cõsummationis vidi finem: latum mandatum tuum valde.

Non possumus in omnibus vim Græci sermonis exprimere: maior in Græco plerumque vis & pompa sermonis est. τὸλος dicitur Græcè, quod nos Latine & finem dicimus & cõsummationem. τὸλος autem & cõsummationis ipsius finis est: sicut finis legis est Christus ad iustitiam omni credenti. Habes scriptum: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad cõsummationem sæculi. Cõsummatio ergo sæculi, finis sæculi est: finis autè omnium Christus. Cõsummationes autem multæ. Est cõsummatio, & resurrectio ad salutem. Cõsummatu quoque opus, dicitur perfectum opus. Cõsummata malitia dicitur plena, id est, cui nihil desit ad studiu & artem nocendi. Est cõsummatio hominis, & multæ cõsummationes, donec ad perfectum veniat. Legimus ergo & cõsummationem sæculi, legimus & finem. De cõsummatione sæculi supra posuimus exemplum, quam sequitur resurrectio. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Post resurrectionem cõsummatio: vnusquisq; autè in suo ordine, primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentum eius crediderunt: deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & patri, cum euacuauerit omnem principatum & potestatem. Ergo cõsummationem sæculi sequitur finis, iuxta Apostolum. Vnde colligitur quod sequatur finis omnem cõsummationem. Mundus in maligno positus est, vt dixit Ioannes: ergo & sæculum in maligno est: mundus plenus peccati. Cõsummauerat malitiam suam mundus, sicut consummauerat Saul, cuius videns cõsummatam malitiam Ionathas filius in David prophetam, eidem nuntiauit vt declinaret & fugeret. Est ergo cõsummatio malitiæ, cõsummatio peccatoru. Venit agnus Dei, qui tulit peccatum mundi, qui est Christus Iesus. Finis legis, principium & finis, & remissio peccatorum. Hunc finem cõsummationis vidit Propheta in spiritu, qui cõsummata sæculi aboleret errorem, vidit sanguine eius diuersa omnium peccata mundari. Bene ergo dixit: *Omnis cõsummationis vidi finem.* hoc est, vidi cõsummati adulteriij remissorem, vidi cõsummata luxuriæ atque lasciuia, cõsummata crudelitatis atque sauitiæ, omnis postremò flagitij per crucem suam delicta donantem. Est & etiam cõsummata virtus, cõsummata sapientia, cõsummata iustitia, sed habet finem. Finis omnium virtutum Christus, qui finis est legis ad iustitiam omni credenti. Vides quia finis est fidei? Bene ergo ait: *Omnis cõsummationis vidi finem.* Nunc quia cõsummationis finem agnouimus, agnoscamus quid sit: *Latum mandatum tuum valde.* Legimus quòd angusta sit porta per quam ingrediatur qui æternæ vitæ fructu adipiscuntur. Rara enim virtus, difficilis est passionum tolerantia. Plures sunt qui sæculi huius spatia secentur, qui dicant: Angusta & arcta nobis est via quæ ad Dominum ducit: cõterimur in illa, relinquamus eam. Quomodo ergo dicit Propheta latum mandatu Dei, & valde latum? Ideo quia angusta vie latum mandatum necessarium est. Denique hic ipse Propheta ait: In tribulatione dilatasti mihi. Et iterum: In tribulatione inuocaui Dominum, & exaudivit me in latitudine. Hæc latitudo mandatorum cælestiu cor Prophetæ dilatabat, dilatabat & Apostoli.

stoli. Denique & ipse dicebat: Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatu est. Dispensando enim cælestia mandata cor suum dilatauerat: & quod antè persecutionis perfidia coartabat, hoc Christi amplificauit gratia. Et qua ratione latum mandatum? Ne nos coartaremur angustiis mandatorum. Vnde ait: Non angustamini in nobis. Si hoc Paulus, quâto magis Christus, qui claua reserauit? Ergo dicit: Nolo coartetur in me populus meus in angusto virtutum tramite, debet latitudo præcepti mei viantibus esse solatio, ne quis deficere possit aut cõteri. Ambulemus ergo in Dei mandato, quia satis latum est. Est enim latum mandatu sapientia, quæ in exitu canitur, in plateis autè fiducialiter agit. τὸλος enim Græci sermonis est, quæ Latine dicitur latitudo. Dilatemus igitur cor nostru, vt recipiamus apostolica: vim sententiæ, quæ ait: Capite nos. Recipiamus ergo eius sermones in cor nostrum, induamus viscera misericordie, benignitatem, humilitatem, pacienciam. O homo quàm latus es, si ad amplitudinem præceptorum cælestium finem metis tuæ expandas? Quàm latum mandatum est charitatis? Diligite, inquit, inimicos vestros. Omnes vtique affectu charitatis inclusit, qui non exclusit inimicos. Quis enim videtur exceptus, cum recipiatur inimicus? Vnde Apostolus ait: Si fieri, inquit, potest, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non potest hoc Iudæis dici, non gentibus, vt cum omnibus pacem habeat. Illi vix suos diligunt, Christiano etiam inimicos non licet non amare. Christianum cum dico, perfectu dico. In Christo enim plenitudo diuinitatis est: cuius nomè vsurpas, cuius vocabulum geris, interpretationem vocabuli perfectionemque cur refugis? Audi latum mandatum: *Benedicite eos* qui persecuntur vos, & nolite maledicere. Iste qui latum dicit esse mandatum, probauit supra, dicens: Illi quidem detrahebant, ego autem orabam. Quid orabas David? dicitis nobis ipse. Sed dixisti. Legi enim dicentem: Maledicent illi, & tu benedices.

In octonarium tertiumdecimum enarratio.

Mem.

Mem littera Hebræa terdecima sonat in Latini, Ex intimis, vel vt alij, Ignis ex vltimis. Et vtrumque non discordat à textu. Nam statim primus versus interiorum viscerum charitatem exprimit, quæ vtique ex vltimis procedit medullis, & quodam nexu caloris implicatur ossibus. Deniq; in Threnis Hieremiæ textus litteræ huius hoc continet: Ex alio suo misit ignem in ossibus meis. Bonus ergo Deus qui nobis immittit vnde diligetes eum, meritù sub cõspectu eius inuenire possumus. Quem mittat ignem, ipse nos doceat. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur: Bonus ignis quem desiderat omnium Saluator accendi, cum præsertim ipsum Deum legerimus ignem esse, qui nostra peccata consumat, intimisque pectoribus nostris diuinæ cupiditatem agnitionis infundat, vt ardeat in nobis cor nostrum cum legimus diuinarum seriem scripturarum, si fortè aliquid quo aperiantur prophetice lætionis occulta, intellectu assumamus spiritali. Hoc igne Cleophas cor suum distoli.

cebat ardere, cum ipsi & socio eius Christus scripturas aperiret. De hoc igne dixit Dominus in libro Ezechiel: Ego recipiam vos in medio Hierusalem sicut recipitur argentum, æs, & ferrum, & plumbum in medio, &c. Et insuflabo super vos in igne iræ meæ, & conflabimini in medio eius sicut conflatur argentum in medio fornacis. Profunda in verbis vtitatis videmus mysteria. Totum hoc spiritale. Quibus precibus emereat, vt veniat Dei verbum, intret Ecclesiã, fiat ignis consumens, vt exurat fecerum & stipulam, & quidquid est sæculare consumat: Graue plumbum iniquitatis, quod in plerisque est, liquefiat igne diuino, & ferreus quidam peccati rigor superno mollescat incendio. Meliorentur vasa aurea & argentea, vt omnis sapientiu sensus, omnis sermo prudentium, flagrantium passionum calore recoctus incipiat esse protiosior. Bonus ignis charitatis, quo corpus omne Ecclesiæ in mutuum adolescit gratiã. Bonus ignis dilectionis, quo vnusquisque sanctus ad reuerentiam sui auctoris accenditur. Sed qui Deum diligit, non perfunctoriè diligit, sed diligit legem eius, præcepta custodit, iustificat cor suum, non dictorum sonora prædicatione, sed studiofã imitatione factorum. Doceat igitur nos Deus quemadmodum sanctis suis ipse diligitur. Sic inquit Propheta dicit:

Quomodo dilexi mandatum tuum, Domine, tota die meditatio mea est.

Diligentis circa studium cognoscendæ legis hæc vox est, quæ instruit perfectionem hominis, quam totus hic Psalmus informat. Et quoniã maximum mandatum in lege esse cognouit, vt diligamus Deum nostrum ex toto corde nostro, & ex tota anima nostra: sui imitatione nos quoque, quos erudire studet, vult esse perfectos, dicens: *Quomodo dilexi mandatum tuum Domine.* Hoc ipso charitatis crescit affectu, quòd ipsum testem aduocat, cui munus dilectionis impenditur, nec speciem sed plenitudinem charitatis tali conuentione testatur. Hac vsus est Petrus: Tu scis, inquit, Domine quia diligo te. Sed qui diligit Deum, legem eius diligit, sicut Maria diligens filium, omnia verba eius in corde suo materno conferebat affectu. Diligens te, feci voluntatem tuam, scriptum est. Ideo commisit Christus Petro vt pasceret gregem suum, & Domini faceret voluntatem, quia charitatem eius agnouit. Qui enim diligit, ex voluntate facit quæ sibi sunt imperata: qui timet, ex necessitate. Itaque Dominus operationes seruulorum suorum spontaneas probat, potius quàm coactas. Ideo ex seruis liberos facit, vt magis voluntatum nostrarum munera, quàm necessitatum obsequia conferamus. Non potest dicere Marcionita: *Quomodo dilexi legem tuam:* qui legem non suscipit. Non potest dicere Iudæus, qui legem spiritalem ignorat, & litteram legis nudam, non sensum legis intellectumq; meditatatur. Solus ergo dicit Christianus, qui multum iam legis cognitione profecerit, qui non pœnam legis pauido corde formidet, sed diuina mysteria veri Hebræi, veri sabbati, veræ remissionis intrepido miretur affectu. Verè ergo diligit qui sine tristitia, sine timore, vo-

Gg

luntario potius studio quam coactio præcepta conseruat.

Super inimicos meos intelligere me fecisti mandata tua: quia tu es.

Citò probavit diuturnæ meditationis effectum, quâdo intellexit super inimicos suos Domini mandatum. Sed quos habet inimicos Propheeta, qui aut sui populi viros legitima debet charitate complecti, aut alienigenas euangelica prædicatione inuitare ad Dei gratiam? Feræ consortem naturæ suæ diligunt: quomodo dilectionem cõformis sui Propheeta respuerit? Effè igitur iustam aliquã causam oportet qua ij quos significat, iure videantur inimici. Ea quæ sit, possumus inuestigare si meminerimus quia alibi idem iste dixit: Super inimicos tuos tabescebam, & iusto odio oderam illos. Istos ergo euangelica auctoritate suos inimicos dicit esse, quia inimici sunt Dei. Nam si is qui non relinquit parètes propter Dei nomen, non est Deo dignus: quanto magis qui diligit eius inimicos, acceptus Deo esse non poterit? Quos ergo inimicos habet? Si gentiles, quomodo super eos intellexit, quos prophético credituros spiritu præuidebat? Denique vt benedicant & ipsi Dominum, in superioribus adhortatus est. Et quæ magna laus, super eos intelligere qui metalla & saxa venerando, similem rigorem stuporis attraxerint? Quos igitur habet inimicos, nisi hæreticos? Ipsi enim sunt impugnatores fidei, veritatis inimici. Quos inimicos, nisi Iudæos? Ipsi enim sunt grauiores inimici, qui ex amicis facti sunt inimici. Super eos intelligit, qui legem spiritalem esse intelligit. Quid ergo prodest lex, si finem legis ignores, si mysterium nescias, si sacramenta non noueris? Iudæis ex ouibus agnus occiditur pro celebritate paschali: nobis pro redẽptione mundi vnigenitus Dei partus virginis immolatur. Quid proficiunt Iudæi, quòd sanguine agni domos & postes suos illinunt? Nihil vtiq; , quoniam ligna his aut saxa prodesse non possunt. Nobis proficit omne mysterium, qui abhorre re credimus à gratia spiritali, vt habitationes nostras sanguine pecudis cruẽtemus, ora nostra cruore tingamus; sed corpora nostra sacramento crucis dominicæ consecremus, & confessione mortis Domini nostri Iesu Christi sanctificemus oris alloquia. Corde enim creditur ad iustitiã, ore autẽ confessio fit ad salutẽ. Quid prodest quòd Hebræi autẽ serui pertundunt subula, & præputia sui circumcidunt corporis? Non intelligunt penitus quid lex diuina discernat. Signa sunt ista, non veritas. Sed ille intelligit, qui cor suum spiritali circumcissione castificat, vt colluuiem omnem corporeæ labis emundet. Ille intelligit, qui subulam & aurem mentis vigore transcendit, & illam animam quam pertransiuit gladius ad reuelanda cordis occulta, perpetuæ præmio libertatis attollit: vel examinandis sermonibus sollicitè feruens, quoscunq; virtutis suæ aure susceperit, mysterio sanctificat spiritali. Azyma sibi Iudæus quotãnis facere cõsuevit, & nescit se malitiæ esse fermentum. Sed qui intelligit quid sit, vetus expurgare fermentum, ne totam massam corrumpat: veterem hominem cũ actibus suis expurgat, vt fiat noua cõspersio veritatis. Iudæo ista dicta sunt, & Christianus

audiuit: quia dum aurem suam ille subula pertundit, audire non potuit, vulneratam aurem gerens, non legis; sed stultitiæ suæ subula cruentauit aurem suam, illa audiendo quæ spiritaliter reuelantur. Perforauit aurem suã ferro. Maluit enim in ferrum quàm in verbum credere. Ideo Iudæus seruit, ideo liber esse non meruit, ideo nec completi temporis ei gratia suffragatur, quia plenitudinem temporis non recepit, quo filius Dei missus est ad salutem, & venit ad redemptionem factus sub lege, natus ex virgine, victor mortis, largitor resurrectionis. Manet ergo vulnus illi, cui Christus non resurrexit. O vulnus quod sarciri non possit, nisi fortè relinquat subulã, & sumat sibi gladiũ quo Christi nomen non refutet, vel quo corporalia à spiritalibus, vmbra à veritate distinguat: sumat Dei verbum, gladiũ bis acutum, & ex illo diuino ore doceatur, mandatum Domini præscriptum legis agnoscere, quod non temporalis habeat obseruantiam celebritatis, sed salutaria & sempiterna remedia succo gratiæ spiritalis infundat. Tota ergo die in lege meditare, non perfunditoria tibi debet esse transcurfio. Si agrum emere velis, si mercari domum, prudentiorem adhibes, & quid iuris sit, diligenter consideras: & ne in aliquo fortè fallaris, tibi ipse non credis. At nunc tu ipse emendus es tibi, de tuo pretio tracta. considera qui sis, quod nomen habeas; quid acquiras tibi: non agrum, non pecuniam, non gemmarum monilia, sed Christũ Iesum, cui nulla possint pretia, nulla ornãmẽta conferri. Adhibe tibi consiliarios, Moysen, Esaiã, Hieremiã, Petrum, Paulum, Ioannẽ, ipsum magnũ consiliarium Iesum Dei filium, vt acquiras patrem. Cum his tractandum, cum his conferendum est tibi, tota meditandum est die. Sic meditabatur Dauid, & hæc erat illi sola meditatio. Nõ secularibus animus traducebatur illecebris, non pecuniaria coaceruandi patrimonij cupiditate flagrabat, non proferendi limitis, excludendiq; finitimi anxius curarum æstus, ab studio meditationis intentum reflectebat affectum. Quidquid poterat temporis dies habere, hoc totum sola sibi in lege meditatio vendicabat. Sed etiam hoc parum est diligenti, qui velit ad beatitudinis gratiam peruenire. Beatus enim die ac nocte meditatur in lege. Angustior dies est meditatione doctrinæ. Non tantus dies in tempore, quantus meditatus in lege. Vnde vide ne illud magis videatur significare, quod ei qui in lege meditatur, semper dies est, & lumẽ sine defectu quod nulla tenebræ noctis interpolent. Alioquin, quomodo negligentior in processu operis declararet, quem diligentior in ipsis operis sui Propheeta principis esse voluisset? In die ergo meditatur legis & Euangelij prædicator. Et fortasse illi qui nouum non recipiunt testamentum, in nocte legerunt, & ideo nescierunt neque intellexerunt. Vnde etiam Saluator, ne nos legeremus in tenebris, admonet ambulandum in dei, dicens quia nõ offendit qui in die ambulat. videt enim gratiam lucis. Qui enim ambulat in tenebris, scopulum offensionis incurrit.

Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.

Doctrinam

Doctrinam profitentur scribæ Iudæorum, quia legem & prophetas ipsi priores habere meruerunt. Sed illi profitentur docere, & non docent. Ei autem populo qui ex gentibus credidit, competit dicere: Super omnes docentes me intellexi: quia illi non intellexerunt. Respondet Iudæus: Vnde habuisti intelligere? Scriptum est: Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: seniores, & dicent tibi. Ego sum pater tuus, me interroga. Sed etsi interrogauero, nõ respondebitis mihi, dixit Iesus: & ex illo noui respondere, & ex illo supra illos intelligo quod non intelligebant, quia testimonia didici, quæ illi non nouerant. Didici: Qui sequitur me, tollat crucẽ suam. Didici: Diligite inimicos vestros. Et ideo optat anathema esse Paulus pro fratribus genere, inimicis fide. Videretur inconueniens esse verecundiæ prophetalis huiusmodi vsurpatio, eo quòd præsumpserit dicere quòd super omnes docentes intellexerit, cum vel legem Moyses acceperit à Domino, & populo eius instituta tradiderit; Aaron sacrificiorum omnium decurso ritu sacerdotalem docuerit disciplinam, Iesus Naue significauerit, quemadmodum circumcisio possit iterari, Samuel vnctionis propheticæ pariter ac regni sacramenta monstrauerit. Videretur, inquam, incõgrua præsumptio, nisi præmisisset superiora, quibus non immeritò super docentes intellexisse se comprobaret. Debit hanc assumere confidentiam, qui docebatur à Domino: & mandatum quo docebatur, Domini erat: & ipse Dominus, qui docebat. Meritò super omnes intellexit, quem docebat ipsa sapientia. Vnde & alibi ait, Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Ostendit igitur, quod diuinum est, homines docere non posse: & ideo qui docere præsumunt, nesciunt, sed agnoscit discipulus qui docetur. In quo? Propter donum scientiæ quod de Spiritu sancto fuerat consecutus. Moralis quoque suauis locus est, quòd multi docentes sunt, qui id quod non intelligunt, docere se dicunt: & plurimi sunt discipuli qui studio suo assequuntur & industria quod non didicerunt à magistris. Denique ante nos quidam interesse dixit inter docentes atque doctores, fortasse hoc arbitratus, quia doctores sunt alieno iudicio ad hoc munus electi, docentes autem qui propria vsurpatione hoc sibi munus assumpserint. Sed cedant necesse est ei doctores quoque, quem testimoniorum meditatione celestium doctrina Dei docentis imbuerit.

Super seniores intellexi, quia præcepta tua exquisiui.

Nec hoc quidem difficile, vt is quem Dominus docuerit, super seniores intelligat, siquidẽ Dei gratia eroga doctrina, maturitate atatis supergre diatur senilis. Cùm enim ætas senectutis vitæ immaculata sit, vtiq; doctrina vitæ immaculata senilem præstat atatem. Denique excusanti Hieremiæ quòd iuuenis esset, responsum est: Noli dicere, Iuuenis sũ eo, quòd nõ æstinauerit iuuenis definitione diuina, qui canam haberet prudentiam, quæ sanctificationis celestis gratia relucet. Verum tamen non mihi videtur se ipsum laudare Propheeta, & præferre senioribus, cùm legerit: Non te prætercat

narratio seniorum: & ipsi enim didicerunt à patribus. Nam & alibi Sirach dixit sapientia: Vbi sunt senes, non multum loquaris. Sed nouit quibus se præferat senioribus, inueteratis scilicet in peccato, & veterno impietatis, atque senio perfidiæ delirantibus. Isti sunt seniores plebis qui Dominum Iesum Pilato præfidi tradiderunt. Conuenerunt enim sacerdotes, & scribæ, & seniores, vt ait Marcus. Et iterum: Fecerunt sacerdotes concilium cum senioribus, vt cum traderent. Et aduersum Apostolos, in Actibus eorum, quòd seniores Israel conuenerint, Petrus sanctus & Lucas Euangelista testantur. Non ergo senili derogauit ætati, sed voce populi iunioris, indocilem Dei vetustum illum dierum Iudæorum fore populum prophetauit, qui quod in iuuentute sua nõ adquisierit, & in senectute inuenire non potuit. Namque à principio frequentibus Dominum exasperauit offensis. Cuius igitur gratiam cùm esset iuuenis non poterat emereri, huius aduentum senex non meruit agnoscere, huius donum tenere non potuit. Speciosum autem incanæ iudicium senectutis: & veterani consilij scientia, intellectus maturitate, non vitæ longæuitate præferitur. Exquiramus ergo mandata Dei, vt super seniores intelligamus. Fugiamus viam lubricam peccatorum, vt possimus præcepta custodire celestia. Hoc enim declarant sequentia. Super senioresem Esau intellexit Iacob iunior frater: quia cùm senior Esau prærogatiuam sibi benedictionis priuilegio atatis exposceret, reliquit epulas mitiores, dum quaerit agrestes. Profecto illo in venationem, iunior frater vestimenta eius accepit, & mihi tradidit populo nationum, materno vsus consilio. Illam ergo sapientiæ stolã quam habuit antea populus Iudæorum, induit me Rebecca. Stola eius bona, lex & propheta. Hac stola ille populus est nudatus, nos induti sumus. Induit nos mater illa Hierusalem, quæ in cælo sursum est. Accedimus ergo ad patrem, offerimus illi epulas mitiores, patientiæ cibos, misericordiæ lenitatem, intellectus suauitatem. Accipio benedictionem, præripio fratri seniori gratiam spiritalem. Venit ille, irascitur: non inuenit quod accipiat. Mater occurrit, & pio nos hortatu informat. Residet penes me stola illa bonis intexta mandatis.

Ab omni via maligna prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua.

Verè dignus qui super seniores intellexerit, quandoquidem diuino est honoratus spiritu, vt seniores doceret nõ solum intellectus veritatem, verũ etiam peccati fugam, culpæque cautelam. Itaq; cùm fragilitas humana prona sit vt labatur non ad vnum affectibus malum, sed vnuersum toto vestigio feratur in vitium, & currentem cuncta in præceps suscipiant probra: docet quemadmodum vitæ istius lubricam declinans semitam, itineris huius anfractus viantem implicare non possit. Prohibui (inquit) pedes meos à maligna via, hoc est, ab istius sæculi vanitate, quia sæculum in maligno positum est. Dubium quidquid est, & ancipitis effectus, hoc malignũ est: vt lux dubia, maligna dicitur: ita malignum est, quidquid admiscet malitiæ tenebras veritati. Reuoca ergo ab istius mudi lubrico pedes animi tui, &

Gg ij

Leuit. 19. Aff. 13.

Psal. 138.

Matth. 10.

Psal. 66.

Psal. 113. 1. Tim. 6.

Exod. 12. 1. Cor. 5.

Exod. 12. Habac. 2.

Rom. 10. Exod. 21.

1. Cor. 10. Hebr. 10.

Luc. 2.

Exod. 12. 1. Cor. 5. Galat. 5. Coloss. 3.

1. Cor. 5. Exod. 21.

Galat. 4.

Luc. 22. Hebr. 10. Hebr. 4.

1. Tim. 6.

Esaiæ 9.

Psal. 1.

Psal. 51.

Ioan. 11.

Ibid.

Rom. 3. Matth. 23.

Matth. 31.

Luc. 22.

Matth. 16. Matth. 5. Rom. 9.

Exod. 19. Exod. 28.

1. Tim. 6. 1. Reg. 16.

Supra ver. 2.

Psal. 93.

1. Cor. 12. Supra. 4. Hier. 1.

Ibid. Eccl. 8.

Eccl. 30. Dani. 12.

Matth. 23. Marc. 14. Act. 4.

Eccl. 25. Psal. 94.

Eccl. 25.

Genes. 25.

Genes. 27.

Galat. 4.

Genes. 27.

Genes. 8.

Prover. 18.

1. Ioan. 15.

mentis incessum. Prohibe, inquam, resiste cupiditatibus, obliste motibus, qui videntur irruere sicut bestia atque iumenta, ut teneros fructus & noua ruris huius nostri culta depascant. *Prohibui* (inquit) *pedes meos*. Non utique corporis pedes prohibuit, qui mentis pia plerumque obsequantur arbitrio. Neque enim prohibendi sunt cum prodeunt ad Dei templum, vidua opem ferre festinant, impium praeveneri, supplantare aliquem fraudulentum. Alius igitur est pes qui iure prohibetur. Qui ille sit, ipse Propheta nos doceat. Non veniat, inquit, mihi pes superbia. Est etiam pes iniquitatis, qui citò labitur, & stare non potest, sicut peridorum est, de quibus scriptum est: Ibi ceciderunt operantes iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare. Prohibe ergo pedes tuos ne cadas. Sunt enim non solum criminum, sed etiam infirmitatis pedes. Et videndum ne cadas. Et videris tibi forsitan bene stare, sed dicit tibi Paulus: Er tu qui stas, vide ne cadas. Diligenter attende viam tuam, ut audias: Tu autem hinc sta mecum. Stans enim cum Domino, lapsus timere non poteris. Stans cum Domino, poteris dicere: Erui pedes meos à lapsu, sed ita eruit Dominus pedes tuos ab omni lapsu, si cognoverit quod tu prohibeas pedes tuos à lapsu. Ideo hoc meruit David, ut Deus à lapsu pedes eius crueret, quoniam pedes suos ipse prohibebat, ne precipiti atque incauto peccatorum laberentur vestigio, unde & poruit verba custodire divina. Non enim custodire quis poterit, nisi potuerit prius stare. Quum autem custodierit, ipsi incipit Dei verbum ferre custodiam. Prohibitos pedes suos à via maligna bene dicit, qui Christum viam esse novit.

A iudicii tuis non declinaui, quoniam tu regem posuisti mihi.

Exposuit quid esset à via maligna prohibere pedem, à iudiciis utique non declinare divinis, & firmum atque immobile perseverantis innocentiae tenere vestigium, non desistere gradum, nec de curriculum auertere disciplinæ, sed semitis non solum veteris in Sina, sed etiam novæ legis insistere, secundum Evangelij claritatem. Est etiam Evangelij lex, de qua dixit in superioribus hic Propheta: Constitue Domine legislatorem super eos, sciant gentes quoniam homines sunt. Aduentum utique Domini intelligimus prophetari, vocationem gentium, quæ ante in lutum quoddam corporis huius videbantur infixæ, voluptati corruptionis suæ tamquam faci & libidini inhaerentes, quia Dominum nescierunt. Et ideo iratus: Auertantur, inquit, peccatores in infernum: ut non viderent descendere & ascendere animam Domini Iesu, & conuerterentur ad Dominum, qui conuerti cum viuissent noluerunt. Sed & de illis dicit gentibus, quæ obliuiscuntur Dominum. Scierunt ergo & obliuiscuntur: tamen prophetica benignitate orat, ut exurgat Dominus, non praualeat homo, ut cogitationes terrenæ & motus omnes feruentes huius corporis coquiescant. Iudicetur gentes: quoniam tunc cognoscitur Dominus, cum timentiam conuertit affectus, grauis terrore iudicij: & discant gentes quoniam homines sunt, luti corruptione solubiles, & limo durefcente formati: quod

ante qui legem non acceperant, nesciebant. Unde Propheta quasi & ipse perturbatus terrenæ fragilitatis contemplatione ait: Ut quid Domine recessisti longè? Bene timet, qui hominem se esse cognoscit: sed quia plus timet nobis, qui sumus ex gentibus peccatores, precatur ne longè fiat à suis gentibus: ut qui longè eramus, incipiamus esse propiores, & sciamus quia homines sumus, ad imaginem scilicet & similitudinè Dei facti, quibus per virginis verum etiam Christus nostri conformis est factus. Rectè ergo & ad infirmitatem accipitur, & ad gratiam, Sciatur gentes quoniam homines sunt: altero per commune quoddam atque carnale consortium bestiarum, altero per imaginem Dei, & carnis Domini sacramento, dignitas esse cepit quæ ignobilitas videbatur. Meritò ergo non declinaui à iudiciis Dei populus nationum, qui potest dicere: *Quoniam tu legem posuisti mihi*. Non per Moysen, non per prophetas, sed ipse per Iesu legem posuisti mihi, hoc est, Evangelium. Ideo non declinaui, quia te aspexi, & itinera tua cognoui, & te sequutus veram cognoui viam. Ideo itaque prædicationem audiens Evangelij quam propheticus spiritus præcinebat, ait:

Quam dulcia faucibus meis verba tua, super mel & fauam ori mei.

Et bene dulcia, quibus prædicatur remissio peccatorum, vitæ perennitas, resurrectio etiam defunctorum, quæ perpetuæ mortis & acerbæ amaritudinem temperant. Per hæc mortem cepimus non timere, qui cepimus dicere: Vbi est mors victoria tua? Et bene faucibus dulcia, eo quod intimis infusa visceribus gratia spiritalis sit, *super mel & fauam* (inquit) *ori meo dulcia*. Et ideo quia dulcia nobis verba tua esse ceperunt, dicit ad Ecclesiam: Fauum distillant labia tua spongia. Qui sit fauus, doce nos Salomon. Tu enim dixisti: Fauus mellis, sermones boni. Et verè bonus fauus, quem manducat Ecclesia, multorum prophetarum velut apum spiritali vbertate congesta mella redolentè. Hoc est mel de quo ait: Manducaui panem meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Mysticus sermo celestium scripturarum sicut panis est, qui confirmat cor hominis, velut fortior cibus verbi. Suavior autem ethicus, dulcis & mollior, eo quod ethica prædicatione mentis interna mulcetur. Sicut enim oris amara quæ febribus vel aliis acciderunt aegritudinibus, mel mitificat; ita tristitia delictorum penitentia miti corda sermone dulcescunt. Stillat mel labia prædicantis, quando collisa duris casibus vel ruinis, lapsæ animæ membra refouentur. Est etiam vis feruentior verbi, sicut & vini. Est etiam in lactis specie sermo lucidior. Edite, inquit, proximi mei, & bibite, & inebriamini. Bona ebrietas, quæ ad meliora atque iucunda facit quendam mentis excessum, ut immemor sollicitudinum animus noster vino iucunditatis hilaretur. Bona mensæ spiritalis ebrietas. Denique poculum inebrians quam præclarum. Sed & alibi habes: Riuos eius inebria, multiplica generationes eius, eo quod ebrietas terræ quæ infusa fuerit imbre cælesti, suscitare semina, fructus multiplicare consueuerit. Itaque vbi verbum quod sicut pluuia descendit de cælo, venas terræ nostræ, id est animæ ac mentis, inebriauit

Psal. 64.

Cont. 4. Prouer. 10.

Prouer. 25.

Trin. 23.

Ecdi. 1.

2. Cor. 9. Psal. 22. Ephes. 5. 6.

Psal. 49.

Cont. 4. Psal. 49.

1. Petr. 2.

inebriaui prædicatione diuina, excitantur virtutum studia diuersarum, fructusque fidei & castæ deuotionis adolescit: meritoque ei dicitur: Visitaisti terram, & inebriasti eam. Susceptione etenim corporis visitaui, ut sanaret infirmos: inebriaui gratia spiritali, ut anxios iucunditate mulceret. Rectè ergo sponsa dicitur: Fauum distillant labia tua spongia, mel & lac sub lingua tua. Os enim iusti distillat sapientiam, de ore iusti suauitatis & misericordiæ mella procedunt. In ore iusti nullus dolus, nulla fallacia, nulla est amaritudo peccati. Audit Ecclesia verba iusti, audit plebs Dei præcepta sapientis, delectatur alloquij suauitate, moralis disputationis iucunditate mulcetur, dicens: *Quam dulcia faucibus meis verba tua, super mel & fauam ori meo*. quia mel apum ad horam delectat, sed citò sapor eius euanescit, & plerumque viscera vitiosa læduntur: verborum autem moralium etsi pungunt mella, non lædunt. Cognosce tamè cui illa credantur. Scriptum est enim: In aurem insipientis nihil dicas, ne quando irrideat prudentes sermones tuos. Euomet enim, & reiciet sermonem tuum stultus, qui eius non potest sentire suauitatem.

A mandatis tuis intellexi, propter hoc odio habui omnem viam iniquitatis.

Consequens huic versiculo est: Concupiscens sapientiam, serua mandata. Sed nemo potest seruare, nisi qui intelligit. Denique redduntur quotidie omnia verba legis à quibusdam senioribus Iudæorum, & nemo eorum potest custodire mandatum. Neque enim arborem dixerim custodire fecunditatem naturæ, quæ luxuriat in folijs, vanescit in fructu. Nec terram illam dixerim custodire fructus suos, quæ quum filicè inuisam pascit agricolis, edere frumenta non soleat. Nec pastor custodire videtur pecus, qui eligere pabula profutura non nouerit, lupos cauere, canibus vallare ouilia sua, nesciat potum, quum opus sit, ministrare. Nam producere tantummodo sine vlla cura mutum pecus, tantummodo est quantum scripturas legere populum Iudæorum, & nescire vbi sint spiritalis pascua sacramenti, vbi littera occidat, vbi intelligibiles incurrat lupi, vbi sit requies refectiois, vbi spes resurrectionis, qui sint canes qui pro gregis possint latrare custodia, populus & ipso grege magis mutus ignorat. Itaque si dicat, Mandata custodio: responderetur ei, Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te. Si videbas furem, simul currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit nequitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuum detrahebas. Non est hoc custodire mandata; sed præuaricari: statuti facere contraria, non est intelligere, sed ignorare. Quomodo possunt verba Dei dulcia esse in faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitie? Quomodo mel & lac sub lingua tua, cum dolum lingua tua cõponat, ut aliud pectore concipias, aliud forensi sermone prætendas, ut decipias incautum? cum tibi Petrus Apostolus dicat, ut deponas omnem malitiã, & fucum simulationis abiicias, dicens: Sicut dudum geniti infantes, rationabiles, & sine dolo, lac concupiscite. Ostendens enim nobis quid sit mel & lac habere sub

lingua, docet ut non maledicere maledicentibus, sed benedictionem referre nouerimus: nesciamus odisse nisi viam iniquitatis, ut facere quod execramur, reluctandi caueamus affectu. Ideo Paulus cauebat in carne sua malum, quia oderat. Ideo Ioannes mouet in epistola sua ne diligamus sæculum, quia omne quod in sæculo est, concupiscetia est carnis, & concupiscetia oculorum, & iactantia vitæ. Est ergo in nobis ut & bene aliquid oderimus, & bene aliquid diligamus. Sicut bene enim amare possumus seruos Dei, & bene diligere possumus inimicos nostros secundum mandatum Domini: ita bene odisse possumus inimicos Dei, odisse iniquitatem, odisse perfidiam, odisse turpitudines, odisse mundi istius vanitates. Odio igitur esse debent quæ sæculi sunt, ne securis affectibus & otiosis blanda conciliatricula voluptatis irrepat illecebra. Facile caput oculos pecculantis forma meretricis, nisi eos odia premant iusta, & impuritatem indignatus auertat affectus. Instat plerumque homines, & tumido respiciat fastigio nobilitatis iactantia, & rerum affluentia sæcularium, nisi pudeat in te aliena magis quam propria laudari. Christus cum diues esset, pauper factus est: in paupere, non diuite te redemit. Constititibus Dei filium imperabat tacere, ut operibus magis quam sermonibus Deus agnosceretur: & tu mobilem te dicis, qui es factus à terra? David rex dixit: Memento Domine quia puluis sumus: & tu in hoc caduco atque limoso genere gloriaris, & diuitem te putas, qui cras potes esse mendicus, cum vita tua non in abundantia tua, sed in Dei sit misericordia? Cui honor, gloria, laus, perpetuitas à sæculis, & nunc & semper, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

In octonarium quartumdecimum enarratio. Nun.

NVn littera in Hebræo est quartadecima: cuius interpretatio est, Vnicus: vel sicut in alia interpretatione habetur, Pascua eorum. Ecce ipsa Hebræorum littera testatur Dominum Iesum esse unicum patris filium, verbum Dei. Denique primo statim versu David de vnico filio Dei dicit: *Lucevna pedibus meis verbum tuum Domine, & lux semitis meis*. Unde intelligimus: ideo per litteras Hebræorum Psalmum hunc esse digestum, ut homo noster tamquam paruulus, & ab infantia per litterarum elementa formatus, quibus atas puerilis assuevit, usque ad maturitatem virtutis exerceret. Litteræ autem singulæ velut tituli sunt eorum versuum qui sub iisdem litteris adscribuntur, seriem & continentiam declarantes, sicut hæc vnicu significat littera, & de vnigenito Dei filio, atque eius æterni luminis claritate, Psalmi eius portio prophetatur. Nec sanè ab ista abhorret etiam alia in alio reperta codice litteræ huius interpretatio, quæ est, Pascua eorum, hoc est, fidelium. Quæ sunt pascua, nisi Christus? In cuius pascuis se locatum Propheta letatus est, dicens: In loco pascuæ ibi me collocauit. Ipse enim nos pascit, & reficit. Bona pascua, diuina sacramenta sunt. Carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis. Carpis liliu, in quo sit splendor eternitatis. Carpis rosam, hoc est, Domini corporis sanguinem. Bona etiam pascua libri sunt scripturarum celestium, in quibus quotidiana lectione pascimur, in quibus



Exch. 34.  
cant. 2.  
Psal. 109.

Ioan. 17.

Psal. 83.

1. Reg. 17.

Philipp. 2.

Luc. 14. C.  
Esai. 61.  
Ioan. 6.

Supra.

Ioan. 12.  
Prouer. 6.  
Ioan. 1.

Ibid.

Esai. 9.

Ast. 12.

Ast. 9.

2. Cor. 4.  
Matth. 25.

3. Reg. 19.

recreamur ac reficimur, cum ea quæ scripta sunt degustamus, vel summo ore libata frequentius rumi-  
namus. His pascuis grex Domini faginatur. Bona  
etiam Christi pasqua, montes conuallium (nam & in  
his pascit Christus sicut capreolus aut hinnulus cer-  
uorum) hoc est, in splendoribus sanctorum, qui sicut  
luminaria istius mundi sedula humilitate fulgentes,  
virtutum diuersarum præstant cacumine, & supra  
mundum meritis suis eminent. Isti sunt de quibus  
dicitur: De hoc mundo non sunt, sicut & ego non  
sum de hoc mundo: quia supra mundum sunt qui  
Christum sequuntur. Conuallis autem mundus est.  
Ideoque disposuit in cõualle fetus, eo quod in hoc  
mundo fetus sint lacrymæque. Et prouidens Domi-  
nus disposuit in hoc mundo testamentum suum, vt  
magis hinc fleamus peccata nostra, quam stenda ser-  
uemus. Pasqua nostra etiã isti versiculi sunt, de qui-  
bus hodie tractaturi sumus, in quibus Dauid dicit:  
Pascebam oues patris mei: ostendens veram lucernam,  
docens humilitatem. In talibus pascuis verus  
Dauid, verus humilis, & manu fortis, qui non rapinam  
arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum  
exinaniuit, & homo natus per virginis partum,  
humiliauit se vsque ad mortem, oues patris sui  
diuina prædicatione pascebat, cum secundum scri-  
pturas suam probaret aduentum, cum quinque panibus  
& duobus piscibus quinque hominum milia  
satiaret. Hæc ergo nostra pasqua, hæc eorum  
qui possunt dicere: Quam dulcia faucibus meis ver-  
ba tua. Hæc eorum pasqua sunt qui dicunt:

Lucerna pedibus meis verbum tuum Do-  
mine, & lux semitis meis.

Pascitur os nostrum verbo, cum loquimur man-  
data Dei verbi. Pascitur & oculus noster interior lu-  
cernæ (spiritualis lumine quæ nobis in hac mundi no-  
cte præluet, ne sicut in tenebris ambulantes, incertis  
titubemus vestigiis, & viam veram inuenire ne-  
queamus. Intelligibilis enim pedum gressus, intel-  
ligibilis & lucerna, quia verbum Dei lucerna est.  
Nõne hoc in principio erat verbum apud Deum?  
Quomodo ergo lucerna est? Nõne hoc erat verum  
lumen, quod illuminat omnem hominem venientem  
in hunc mundum? Quomodo ergo lucerna dicitur?  
Esaias clamat: Populus qui sedebat in tenebris,  
lucem vidit magnam. quomodo hinc dicitur  
lucerna? Sed videamus ne forte idem verbum Dei  
aliis magna lux sit, aliis lucerna. Mihi lucerna, ange-  
lis lux est. Petro lux erat, quando adstitit ei angelus  
in carcere, & lumẽ refulsit ei. Paulo lux erat, quãdo  
euntem ad persequendum populum Christianum  
circumfulsit eum lux de cælo, & audiuit dicentẽ si-  
bi: Saule, Saule, quid me persequeris? Et magna qui-  
dem lux. Denique lucernæ Pauli lumẽ euauit, vbi  
diuinæ splendor lucis emicuit. Et verè lucerna est  
mihi Christus, quando is nostro ore recensetur. Lu-  
cet in limo, fulget in vase fictili thesaurus ille quem  
habemus in vasis fictilibus. Lumen lucernæ est: mite-  
re oleum, ne deficiat tibi lumen lucernæ. Et oleum  
non olca: terrestris, sed illud oleum cælestis gratiæ  
quo vngebantur prophætæ. Oleum tuum humilitas  
est, quo ceruicis nostræ dura mollescunt. Oleum  
tuum misericordia tua est, quo etiam collisa scopu-

lis peccatorum fouentur corpora. Hoc oleum vul-  
nerato illi à latronibus descendenti ex Hierusalem,  
euangelicus ille Samaritanus infudit, qui videns  
eum, misericordia motus est, & alligauit vulnera  
eius, infundens oleum & vinum. Hoc oleum curat  
agrotos. Misericordia enim à peccato liberat. Hoc  
oleum luget in tenebris, si operã nostra lucent coram  
hominibus. Hoc oleum luget in Ecclesiæ solemnitatibus.  
Denique quibus oleum non defuit, nec lumen fidei  
defecit, sed cum lampadibus in locum nuptiarum  
introire meruerunt. Quæ autem in vasis suis oleum  
non tulerunt, hoc est, non habuerunt fidem, non  
prudentiam, non misericordiam animæ in hoc cõstituta  
corpore, merito infidelitatis exclusæ sunt. Ideo & tu  
habeto semper lucernã ardentem, vel lucentem facem.  
Si enim neque lucerna, neque lampas tua luceat,  
stulta virgo diceris, nec introibis in thalamum  
sponsi tui superioris, sed remanebis in tenebris  
caecitatis, quasi qui oderis lucem, ne opera tua  
flagitiosa prodatur. Omnis enim qui malè agit,  
odia lucem. Habeto fidẽ, habeto prudentiam, vt  
semper habeas in vasis tuis oleum misericordiæ,  
deuotionis gratiam, quia prudentes acceperunt  
oleum in vasis suis cum lampadibus suis. Vngite  
o homines lampades vestras: cum ieiunatis, vngite  
caput vestrum. Infundamus mentibus nostris  
oleum, vt corpus nostrum lucidum sit. Luget tibi  
semper lucerna verbũ Dei, luget & lucerna corporis  
tui oculus tuus. Conscientia tua lucens bene in  
hoc corpore lucernæ lux est, quia ipsa est oculus  
tuus. Si purus oculus tuus, si conscientia tua munda  
sit, munda est caro tua. Si autem in te est tenebrosa  
conscientia tua, etiam corpus tuum cõscientiæ tuæ  
nocte tenebrosum erit. Lucernæ ergo & nos sumus  
toto operati corpore, vix aliquid exiguum habentes  
vnde lucere possimus. Denique & Ioannes lucerna  
erat, sicut dixit Dominus de eo: Ille erat lucerna  
ardens, & illuminans. Bona lucerna, quæ lumen acci-  
piebat à Christo, vt lucere posset in hoc sæculo. Merito  
ardens, merito illuminans, qui erat nũtius Christi,  
illuminaus prædicatione fidei pectora singulorum.  
Sed & istis lucernis dedit vt lux mundi essent,  
dicens ad Apostolos: Vos estis lux mundi. Ergo si  
gloria sanctorum nunc sicut lucerna, nunc sicut lux  
mundi fulget in hoc sæculo, quid dicimus de verbo  
Dei, quod & lucerna est pedibus meis? Et fortasse  
vbi non sunt tenebræ, non est lucerna verbum Dei,  
sed supra lucernam, quia lux est. Tenebræ iis non  
sunt qui vident lucem. Denique tunc iusti fulgebunt  
sicut sol in regno patris eorum. Et fortasse secundum  
legem lucerna est verbum Dei, secundũ Euangelium  
lux magna est. Iudæis lucerna est, sed lucerna  
sub medio. Lucet lex, sed nõ videtur, quia operata  
eorum doctrina est & contagione vitiorum, & cæcitate  
perfidie: populo autẽ nationum lux est. Denique  
populo qui sedebat in regione vmbrae mortis, lux  
orta est eis. Aperi igitur fenestras tuas, vt splendor  
tibi magnæ lucis introeat. Paratum fac candelabrum  
tuum, vt lux tua non operiatur integumento corporis  
tui, & mensura terrenæ huius fragilitatis, sed supra  
mẽsurã corporeæ infirmitatis animæ tuæ virtute  
præfulgeas. Aut si ad mẽsuram teneris, vide ne  
deficiant ipsæ mẽsuræ, nec superfluant: sed bonis

Luc. 10.

Marc. 6.

Tobi. 4.

Matth. 6.

Matth. 25.

Ibid.

Ioan. 3.

Matth. 25.

Matth. 6.

Ibid.

Luc. 11.

Ioan. 5.

Luc. 1.

Matth. 5.

Matth. 13.

Matth. 5.

Esai. 6. C.

Ast. 28.

Esai. 9.

4. Reg. 31.

Leuit. 24.

Leuit. 19.

Matth. 5.

Exod. 27.

Sup. 7.

Iob. 18.

Exod. 27.

1. Cor. 12.

Philipp. 3.

Rom. 11.

Ioan. 11.

Matth. 16.

Matth. 14.

Luc. 11.

Luc. 12.

Exod. 27.

bonis seminibus sint contentæ. Non sit otiosus sermo  
tuus, non ferietur & vacet verbum tuum, ne fiat  
lucerna sub modio. Potens est Deus qui super candelabrum  
constituit lucernam tuam, vt luceat omnibus qui  
in domo sunt, & qui ingrediuntur vt lumen videant.  
Candelabrum principale nostrum est. Pone sermonem  
in principali tuo, & omnibus luget qui ingrediuntur  
in Ecclesiam. Accipe & aliud candelabrum tuum.  
Nõne os tuum candelabrum est, & verbum tuum  
lucerna est, cum de ore tuo profertur? Hæc lucerna  
semper tibi luget, hoc est, verbũ tuũ quomodo non  
possit extinguĩ? Scriptum est: Lumẽ iusti semper  
inextinguibile est, lumen autẽ impiorum extinguitur.  
Hoc lumen erat lucernæ, quæ lucebat in tabernaculo  
testimonij, & hodie luget in Ecclesia, vir sapiens.  
Hic est oculus Ecclesiæ, qui non dicit manibus, hoc  
est operantibus (cum sit quidem angustius opertus,  
sed non angustus ad intelligendum.) Non estis mihi  
necessarii. Ergo super candelabrum lucebat, qui dicebat:  
Nostra autẽ conuersatio in cælis est. Nam & Dauid  
tota mente iam conuersabatur in cælo, & adhuc tamen  
dicebat: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Aut  
fortasse quasi bonus magister mihi præire cupiebat,  
vt lumen sequerem, & illius pedibus ambularem.  
Ostendit ergo mihi lucernam: hanc sequar in istius  
ignorantiæ tenebris, in istius corpore fragilitatis  
operimento constitutus, vt Christum sequens, nullum  
lapidem offensionis incurram. Errabat Petrus in  
tenebris ignorantie, negabat Christum esse moriturum,  
quia adhuc non videbat moriturum & resurrecturum  
esse pro nobis. Conuersus ad eum Dominus ait: Vade  
post me. Ostendit illi lucernam quam deberet sequi,  
post me, dicens. Sequitur verbum Dei confirmatus  
est: postea cœpit in hære re Christo, timens ne iterum  
aliquo laberetur errore. Nõne & ipse qui dicebat:  
*Lucerna pedibus meis verbum tuum:* ad hanc lucernam  
festinauit cum diceret in mari: Domine iube me  
venire ad te super aquam? Sed quia nõ sequebatur  
lucernam, motus est atque titubauit naturæ vehemẽ-  
toris mole turbatus. Sequamur ergo lucernam hanc,  
& sicut in nocte ambulemus ad lumẽ. Multæ foueæ,  
multi scopuli in istius sæculi caligine non videntur.  
Præfer tibi lucernam quã Propheta monstrauit,  
vide quod debeas transferre vestigium, contuere  
vbi pedem ponere mentis interioris, per singulos  
cura sit gressus, nulli credas tuum nisi præeunte  
lucernæ istius luce processum: nã vbi putas quod  
luceat, ibi gurges est, videtur lucere, sed polluit:  
& vbi putas solidum esse vel sicum, ibi lubricum  
est. Sed & si lucerna tibi longius sit, sit ergo  
fides tibi itineris tui prauia, sit tibi iter scriptura  
diuina. Bonus est cælestis ductus eloquij, Ex hac  
lucerna accende & tu lucernã, vt luceat interior  
oculus tuus, qui lucerna est tui corporis. Multas  
habes lucernas, accende omnes, quia dictum est tibi:  
Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes.  
Quia multæ sunt tenebræ, multæ sunt lucernæ  
necessariæ, vt meritum nostrorum in tantis tenebris  
lumen eluceat. Istas lucernas lex significauit  
semper lucere debere in tabernaculo testimonij,  
non illas quas lu-

dei accendunt quotidie. Illæ sub vmbra lucent,  
& extinguuntur quotidie: quia quod faciunt, non  
vident: quod legunt, nesciunt: accipientes secundum  
litteram quod præcipitur secundum spiritũ. Tabernaculum  
enim testimonij corpus hoc nostrum est: in quo  
Christus aduenit, per amplius & perfectius tabernaculum,  
sicut scriptum est: vt per sanguinem suum intraret  
in sancta, & conscientiam nostram ab omni opere  
mortuo & labe mundaret, quod in corporibus  
nostris quæ suorum testimonio & qualitate  
factorum, cogitationum nostrarum abscondita  
& occulta testantur, lucernarum modo lucent  
nostrarum lux clara virtutum. Istæ sunt lucernæ  
ardentes, quæ die ac nocte in templo Dei lucent.  
Si templum Dei in corpore tuo seruas, si membra  
tua membra sunt Christi, lucent virtutes tuæ,  
quas nullus extinguit, nisi eas tuum crimen  
extinxerit. Hoc lumine castæ mentis, & piæ  
deuotionis solemnitatis nostræ festa resplēdeant.  
Lucent ergo semper lucerna tua. Arguit Christus  
etiam eos qui vtuntur lucerna, si non semper  
vtantur, dicens: Sint lumbi vestri præcincti,  
& lucernæ ardentes. Nõ ad horam exultemus  
in lumine. Ad horam exultat, qui audit verbum  
in ecclesia, & gaudet, egressus autem obliuiscitur  
quod audiuit, & negligit. Iste est qui sine  
lucerna in domo sua ambulat: ideocq; in tenebris  
ambulat, quia opera tenebrarum facit, in  
comestationibus & ebrietatibus, in cubilibus  
& impudiciis, in contentationibus & emulationibus,  
indutus vestimenta diaboli, non Christi. Hæc  
sunt quando verbi lucerna non luget. Numquam  
ergo negligamus verbum Domini, ex quo nobis  
omniũ origo virtutum est, vniuersorumque  
operum quidam processus. Si membra corporis  
nostri sine luce operari rectè non queunt (nam  
pedes vacillant sine lumine, & manus errant)  
quanto magis ad verbi lumẽ dirigenda sunt  
animæ nostræ vestigia, atque mentis incessus?  
Sunt & manus animæ quæ bene tangunt (vt  
tetigit Thomas dominicæ resurrectionis indicia)  
si verbi præsentis nobis lumen luceat. Hæc  
lucerna accensa sit in omni verbo, in omni opere.  
Ad hanc lucernam gressus noster forensis  
internũq; moueatur. Sed iã progrediamur ad  
cætera, & fiat *pedibus meis lucerna verbum  
Dei, & semitis meis lux.* Pedibus lucerna  
satis ad ambulandum, sed semitis non est  
satis ad illuminandum: idẽ verbum tamen &  
pedibus lucerna est, & semitis lux est: quia  
idem vnigenitus Dei filius & delinquentibus  
aduocatus, & remunerator est fortibus, peccatorum  
remissor, præmiorũ largitor. Itaque cui  
lucerna fuerit verbum Dei, huic quocũque  
pergit, lucent semitæ, sicut lucebant sancto  
Dauid: & ideo quasi in lumine ambulans dicit:

Iuravi, & statui custodire iudicia iustitiæ  
tuæ.

Vox ambulantis in lumine est cū auctoritate  
dicere: *Iuravi, & statui.* Qui enim statuit,  
non mouetur, nõ metuit ne cadat: quia plus  
est statuere, quã stare. Stat igitur Dauid  
mētis statione fundatus, nec timet ne in  
his mundi tenebris possit errare. Si enim  
metueret, nõ iuraret: si trepidaret vtrũ  
diuina possit custodire iudicia, nõ cum  
iuraturã statueret sacramento. Nemo bene  
iurat, nisi qui potest scire quod

2. Cor. 3.

Hebr. 9.

Rom. 2.

1. Paral. 13.

2. Cor. 6.

1. Cor. 6.

Luc. 12.

Ioan. 5.

Ioan. 11.

Rom. 13.

Ioan. 20.

1. Ioan. 2.

1. Cor. 10.

Matth. 5.

Ibid.

Psal. 109.  
Hebr. 7.

Psal. 72.

Hebr. 12.

Iob. 1.

Iacob. 1.

Iob. 2.

Ibid.

iat. Iurare igitur, iudicium scientiæ, testimonium conscientiæ est. Et bene iurat, qui ad lucernam verbi pedes suos dirigit, qui lucem in semetipso cernit. Lux tibi præeat, si iurare disponis: id est, cognitio veritatis præcedat, ut vinculum sacramenti tibi non possit nocere. Vbi religio sanctior, ibi fides veritatis est plenior. Denique ideo Dominus qui venit docere paruulos, imbucere nouos, firmare perfectos, ait in Euangelio: Nō iurandum omnino. quia infirmis loquebatur. Denique non ad solos Apostolos loquebatur, sed ad turbas. Voluit enim te non iurare, ne perires. Et addidit: Non iurare neque per cælum, neque per terram, neque per Hierosolimam, neque per caput tuum, per hæc videlicet quæ subiecta non sunt tuæ potestati. Iurauit Dominus, nec poenitebit cum. Iuret ergo ille quem sacramenti sui poenitere non poterit. Et quid iurauit Dominus? Quia Christus in æternum sacerdos est. Numquid incertum, numquid impossibile erat quod iurauit Dominus? Numquid poterat esse mutabile? Noli ergo vsurpare exemplum sacramenti, qui implendi sacramenti non habes potestatem. Quid igitur iurauit Dauid? Custodire iudicia iustitiæ Domini. In nullo videlicet iam perfectum, iam instructum diuinæ iustitiæ mouebat iudicia. Quæti mouentur cum vident iustum aliquem orbatum liberis, dispendiisque frequentibus ad ultimam egestatis deductum necessitatem, ut ipsa alimentorum subsidia habere non possit, fractum ægritudine graui, & perpetua debilitate vexatum, ut obire nequeat communis officia natura? Sed qui firmus est, non mouetur, & is magis intelligit iustitiam Dei prædicandam, quia corripit Dominus quem diligit. Numquid non frequentius corripitur filius quam seruus? Iniusta ergo pietas patris, magis quam Domini seueritas? Asperioribus exercet pater filium, quam dominus vernaculum. Sed dura patris non æstimantur impartita flagella, quia vult filium meliorem esse quam seruum. Eruditio ergo plena iustitiæ est. Orbatum est sanctus Iob liberis suis, in quos Dominus potestatem diabolo dedit. Numquid iniustus Deus? Absit. Immo iustus, quia probaturus iustum suum, per huiusmodi exercitia in quibus eius est probata patientia, magis dignum qui probaretur, effecit. Quo enim clarius meritum coronati, hoc vberior iustitia coronantis. Nudatus est facultatibus cum diues esset, & hæc Deo subiit permittente dispendia. Non erant pecuniæ iam damna, sed vitæ, cum deesset alimonia ademptis omnibus. Quis accuset iustitiam Dei, cum Iob si non omnem amisisset pecuniæ, non tantam inuenisset gratiam? Athletam summi nudum vngere voluit Deus oleo patientiæ, ut & subeundo faceret certamine fortior, & emiendo præmio digniorem. Perfusus totum corpus vlcere graui sedebat in stercore, radens saniem lacrimis vlcerum vibicibus defluentem: & hoc permissu Domini diabolus intulerat iusto viro. Videretur vicisse sibi diabolus, nisi accepta quam poposcerat potestate, esset etiam ipse superatus. Quid igitur fuit illa tentatio, quid inopia facultatum, desitutio filiorum, tolerantia vulnerum, nisi exercitium fidei, infigne patientiæ, eruditio gloriosa virtutis, confessio plena victoriæ, ut qui ante contradicentem habebat diabolum, postea non haberet? Nemo ergo dura pu-

tet esse, quæ iusta sunt. Non videbantur dura ei qui poterat dicere, Nudus natus sum, nudus exibo. Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Benedicxit enim Dominus iustus cum laborat, peccator cum luxuriatur. Non ergo ex infirmitate nostra vis æstimanda iustitiæ est, qui durum putamus esse quidquid per imbecillitatem animi ferre non possumus. Tolle persecutiones, & martyres defunt. Sed & persecutores Deus atque potestates sæculi est passus assurgere, ne deessent qui vincerent Christo. Quis tunc non dixit infirmus: Domine cur dedisti plebem tuam in potestatem persecutorum? Sed quis hodie neget beatiores illos esse qui passi sunt, quam illos quos nulla vexarunt supplicia persecutorum? Iustus ergo operari probari, tentari non timet. Qui enim statuit custodire iudicia Dei, non timet tentationes. Vbi statuit, nisi in corde? Illic enim radicari & fundari esse debemus, non fluitantes, neque mobiles omni vento doctrinæ. Intus ergo statuamus in corde nostro, in pectore, in animo, ut nobis fiat illud propheticum: Cogitationes iustorum semita. In his semitis bene ambulat iustus: ideoque dicit: Proba me Domine, & tenta me. Denique hoc loco auctoritati respondens suæ, qui iurauerat & statuerat custodire iudicia iustitiæ Dei, probari se voluisse dicit, qui humilitatem subeundam credidit esse pro Christo: Ideoque ait:

**Humiliatus sum nimis Domine, viuifica me secundum verbum tuum.**

Non solum humiliatum, sed etiam nimis humiliatum se esse gaudet. Beatus qui gloriatur humilitate magis quam potestate. Potestas decipit, humilitas non desitit. Bona humilitas, quæ etiam in Christo laudem virtutis inuenit. Hanc in illo plus veneror quam creationem: quia creati ad laborem sumus, redempti ad quietem. Denique ipse aduocans populos ad misericordiam suam, de humilitate propria gloriatur, dicens: Palam factus sum non querentibus me, apparui iis qui me non interrogabant. Et alibi: Scapulas meas dedi in flagella, maxillas meas in palmas, faciem autem meam non auerti à confusione sputorum. Rectè ergo Dauid humiliare se voluit, ut tribulationum Christi in se ipso quod deesset impletet. Potest & ipse hoc ex sua persona per os Dauid locutus dixisse, *Humiliatus sum nimis*: qui dixit in Euangelio: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Discamus ergo ab eo, qui docere nos voluit quod proficeret ad salutem, & nobis dicit, Discite à me. Non est mediocre quod dicit, Discite: sed addidit, A me discite. Non facile potest quisquam humilitatem docere inflatus, quamuis sit humana præditus sapientia. mens enim inflatur quam superbia carnis extollit. Et qui paupertate contentus est, non est contentus iniuria: & qui potest ferre verberum poenas, exagitur verborum contumeliis: & qui potest administrationem contemnere, dolet sibi aliquem honorificentiam esse prælatum. Grande est in omnibus humilitatis tenere

Ecd. 10.

1. Iob. 2.

Psal. 50.

4. Reg. 20.

Gen. 37.

Psal. 114.

1. Reg. 18.

1. Reg. 19.

Psal. 114.

2. Reg. 12.

2. Reg. 24.

Ibid.

Ibid.

Supra.

mensuram. Superbia hominem prima deiecit. Quapropter dum plus volumus, etiam quod minus est solemus amittere. Bona humilitas, quæ nihil appetendo, totum quod contemnit adipiscitur. Ipse enim Dominus Iesus se humiliavit, ut nos eleuaret, & humiliavit vsque ad crucem: propter quod exaltatus illi, inquit, Deus, ut in nomine eius omne genu flectatur. Quanta fecit Dominus, audeo dicere, & non flexi ei genu? Sed flexi ei postquam se humiliavit. Sic enim, hoc est, per humilitatem, per crucem sibi Ecclesiam congregauit. Dauid rex erat, incerta & occulta sapientiæ sibi patefacta testatur, & ideo se magis humiliabat. At verò Ezechias cecidit ab altitudine cordis sui. Ille laudabilis rex, qui de obfisione, de egritudine beneficiis Domini mirabilibus est liberatus, cecidit per superbiam, & gratiam meriti superioris imminuit. Quid fuisset Ioseph, si humilis non fuisset? Sciuit sibi ipse obfuisse, quod prælatus erat fratribus: etiam pius amor miseriæ prælationis inuenit. Prælatio armavit fratres, humilitas conciliauit extraneos. Prælatio concitauit germanos, humilitas regem subditum fecit: ut verè quasi ex persona Ioseph dictum putemus, quod hic ipse supra dixit: Humiliatus sum, & saluum me fecit, quamquam si consideremus quæ iste tolerauit, ex persona sua eum dixisse reperiemus. Nam Golia superato occurrerant iuenculæ psallentes: Saul in milibus, Dauid in decem milibus. Commotum est fel regis, & quærebatur eum occidere: & humiliavit se Dauid ante Ionathan filium regis, & conuertit eius affectum, ut quem successorem patrij regni poterat habere suspectum, eundem aduersum studia paterna seruaret, dicens patri: Quid peccas in sanguinem innocentis? Et id voce extorqueret iuuito, quod non mereretur occidi Dauid. Rectè ergo ait: Humiliatus sum, & saluum me fecit. Et iterum cum ad eum propheta venisset, & indignationem Domini in causa Bethsabæe mulieris denuntiasset, humiliavit se, & ait: Peccaui Domino. Et dixit Nathan ad eum: Quoniam poenituit te, abstulit Dominus peccatum tuum, non morte morieris. Bona igitur humilitas. Denique humiliatus est, & saluus factus est. Et alio loco cum propter numeratum populum Dominus esset offensus, & mississet prophetam Gad, qui regi Dauid diceret: Elige tibi quid velis fieri, triennio famem super terram, aut tribus mensibus fugere te à facie inimicorum tuorum persequentium te; aut fieri triduo mortem in terra; respondit Dauid: Angusti sunt mihi hæc tria; sed magis incidam in manum Domini, quoniam magna est misericordia illius valde, quam in manus hominum. Et cum dedisset Dominus mortem in Israel à mane vsque ad horam prandij, septuaginta milibus hominum mortuis, respexit Dauid ad Dominum: & cum vidisset angelum scrientem populū, ait: Ecce ego qui peccaui, ego pastor male feci: & isti in hoc grege quid fecerunt? Fiat manus tua in me, & in domum patris mei. Et propitius factus est Dominus, cum sacrificium reconciliationis ei esset oblatum. Bona ergo humilitas, quæ regem plebemque seruauit. Itaque reconciliato Domino, ait Dauid: Bonum mihi quod humiliasti me. Bona ergo humilitas, præsertim si adiungatur ei deuotio voluntaria. Ideoque se viuificari secundum verbū petiit, ut secundum

verbum viuat, & omnia cum ratione faciat, non secundum carnis voluntatem. Vnde mysticum illud etiam moraliter accipi potest: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum. omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et tu imitator esto Dei. Quomodo imitator? Nūquid cælum potes facere, aut terram, aut mare? Non vtiq; sed ut omnia per verbum facias, nihil sine verbo: omnia cum ratione, nihil sine ratione: quia non es irrationabilis homo, sed rationabilis.

**Voluntaria oris mei comproba Domine, & iudicia tua doce me.**

Qui se humiliat, viuificatur secundum promissum Domini: qui viuificatur spiritu Dei, voluntarius est minister. Plurimum enim refert vtrum ex voluntate quid facias, an ex necessitate quod placeat Deo. Denique voluntarius minister habet præmiū, coactus dispensat obsequium, sicut Apostolo dicente cognouimus. Scripsit enim: Væ enim mihi est si non euangelizauero. Si enim volēs hoc ago, mercedem habeo. Si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. Vide voluntarium executorem cælestis arbitrij. Liber erat ex omnibus, & omnium seruus est factus, voluntate vtiq; non necessitate, ut plurimos lucraretur. Iis quidem qui legis vinculo tenerentur, quasi sub lege esset, se exhibuit, cum sub lege non esset, ut eos seruaret qui sub lege viuēbant. Infirmus infirmus factus est, ut infirmos assumptione infirmitatis proprię sustineret. Omnibus verò omnia factus est, non legitima necessitate, sed voluntatis obsequio. Aperuit mihi huius altitudinem consilij in epistola ad Philemonem scripta, quia quod ipse esset, alium esse vellet, ut voluntate potius quam necessitate detulisset Domino videretur. Itaque pro Onesimo interueniens sic ait: Tu autem illum ut mea viscera suscipere, quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Euangelij: sed sine consilio tuo nil facere volui, ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. Quam sedulus suasor, qui cum esset vas electionis diuinæ, consortium consilij non dedignabatur alieni, ne alterum fructu voluntatis proprię defraudaret. Rectè ergo Dauid ait quasi propheta: *Voluntaria oris mei comproba Domine*, oris sui offerens Domino sacrificium voluntarium, eo quod ut apis illa prophetica bonos flores colligere ore conuenerit, fauos ore fingere, mella ore componere, & ex herbis suauibus ore natos legere, quæ cum sit, inquit, robore infirma, sapientiæ prælatione substantia suæ producit ætatem. Quod sit istud voluntarium oris sacrificium, recognosce: Immola, inquit, Deo sacrificium laudis. Expectat Dominus voluntarios ministros. Denique in libro Esaiæ dicit Dominus: Quem mittam? Vtiq; seruo suo poterat imperare, quem dignum qui mitteretur inuenerat: sed maluit eum spontaneæ oblationis non fraudare mercede, qui ut ipse se offerret, præstolatus est. Et quamuis eius sciret affectum, expectauit tamen vocem, ut cumulare gratiam. Vnde se offerens Esaias ait: Ecce ego, mitte me. & sic postea missus est ad populum. Ideo

1. Cor. 9.

Psal. 55.

2. Cor. 9.

1. Cor. 9.

Ibid.

Philem.

Ibid.

Ast. 9.

Proverb. 6.

Virgilius lib.

4. Georgic.

Psal. 49.

1. Petr. 5.

Esaiæ. 6.

Ibid.

Rom. 10.

de eo dictum est: Quia Esaias audeat & dicit. Etenim quasi volutarium organum vberiore spiritus sui gratia Christus impleuit. Nec otiose hoc positum puto, quia volutaria oris sui placere desiderat Domino. Multi prophetae, sed non in omnibus oris volutaria placent. Excusabat Hieremias, dicens: Quis es dominator Domine? Ecce nescio loqui, quia iuuenior sum ego. Et dixit ei Dominus: Noli dicere, quia iuuenior sum ego: quia ad omnes ad quoscumque miserero te, adibis: & secundum omnia quaecumque mandauero tibi, loqueris. Verendum propheta aetatem corporis praetendebat: ne exequedis caelestibus imperatis impar esse adolescentia deprehenderetur. Sed Deus, ut qui morum magis quam annorum iudicaret aetatem considerandam, & iuuenili corpore maturitatem robusta sapientia in suo serculo prauide-  
ret, ait: noli dicere, iuuenior sum ego. hoc est, prohibuit eum iuuenilis aetatis contemplatione vires suas perpendere, cui fides canicie sapientiae ministraret. Et iterum in posterioribus cum dixisset idem Propheta: Seduxisti me Domine, & seductus sum. Et dixit: Non nominabo nomen Domini, & non loquar in nomine eius ultra: addidit: Et factus est in corde meo ut ignis ardens, flammans in ossibus meis: & dissolutus sum vndique, & ferre non possum. Aduertimus igitur quod iis etiam qui aut excusandum officium suum, aut certa aliqua causa negandum putauerint, Dominus noster aut ratione persuadeat, aut cupiditate propheticae reuelationis inspiret, ut ad subeundum officium voluntate concurrant, non necessitate conscendant, quod merces ad eos integrae deuotionis possit plenior peruenire. Prophetauit & Caiphas, quia expedit vnum hominem mori pro populo: sed hoc volutarium oris ministerium non erat, quia loquebatur inuitus: denique quid diceret, nesciebat. Quae ergo volutaria oris sui Domino Dauid placere desiderat? Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio saeculi. Parauit lucernam Christo meo. Corpus suum, quod erat ante limosum, & coeno haereditariae colluisionis obstruendum, ut oleum spiritale recipere posset, Christo parauit, ut luceat. Christo lucet, cuius opera in Christi lucent lumine. Christo lucebat Petrus, cum diceret: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Christo lucebat idem cum diceret: Sanctus te Dominus Iesus. Christo lucebat martyr Lucerna, qui pro Christo subiere martyrium. Christo lucebat Dauid, qui poterat dicere: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Christo parauerat mentem, cum de eo a quo frequenter ad mortem fuerat appetitus, diceret: Non mihi contingat a Domino, si fecero hoc verbum Domino meo, Christo Domini iniicere manum meam: cum maiorem haberet causam tuendam salutis suae ut occideret persequentem, qui etiam alios qui suadebant inimico non esse parcendum, quem Dominus iuxta promissum suum, in manus ipsius tradidisset, ab eius necandi cupiditate reuocabat. Christo lucebat Propheta, cum de eo qui patris domum turpi maculauerat incestu, qui patris salutem paricidalibus praeculis appetebat, pius tamen pater diceret

ad praelium profecturis: Parcite filio meo Abessalon. Taccebat improbitatis scelus, pietatis autem gradum, & nomen necessitudinis praeferebat, ut pugnatu non aduersarius regis, sed filium cogitantes, dolorem laesa pietatis inhiherent. Et post mortem eius operuit faciem suam, & voce magna clamabat, dicens: Filius meus Abessalon, filius meus. Hanc vocem paricida non meruit, sed Christi prophetabat gratiam. Didicerat Propheta de Christo bonus esse pater, qui bono filio trauebat. Denique ideo dicebat: *Et iudicia tua doce me*: quia iudicia Dei sicut abyssi multa, & inscrutabilia, ut Apostolus dicit. Ideo non poterat ea nisi Christo docente cognoscere, quia vnus magister omnium Christus est. Haec autem Christi iudicia sunt, ut iis qui nobis insidiat fuerint, noverimus non vicem iniuriae rependendam, sed pro iniuria magis defendendam gratiam. Denique male dicentibus non remaledixit, percussit, sed magis etiam crucifixus pro persequentibus se pro intercessionis apud patrem auxilium deferebat, dicens: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Haec igitur quisquis spiritaliter intellexerit, & fecerit legis iudicia, remuneratione donatur a Christo. Sed quis iudicia Dei docere potest, nisi qui animam suam semper intenderit ad Dominum? Qui potest dicere:

Anima mea in manibus tuis semper, & legem tuam non sum oblitus.

*In manibus tuis.* Aliqui habent: *Anima mea in manibus meis semper*: hoc est, in actibus meis; hoc est, in operibus meis. Quamuis in periculis positus dicit iustus ad Dominum: Propter te quotidie morior, quotidie periclitor: periclitor ab insidiatore, periclitor ab obtrectatore, periclitor ab iis quos arguo, quos reuincio, periclitor pro veritate atque iustitia: propterea *in manibus meis anima mea*; ego tamen nec periculis territus, tuae legis oblitus sum. Sed quia plerique habent: *Anima mea in manibus tuis semper*: hoc latius explanandum arbitror. Scit Propheta, scit ubi animam suam praesidium locet, vnde opem speret, in manibus Dei constituit vult animam suam, quia cor regis in manu Dei est. Quicquamque proprium corpus subegerit, nec eius passionibus turbari animam suam rector sui congrua viuacitate permiserit, is bene regia quadam potestate se cohibens, rex dicitur, quod regere se noverit, arbiter sui iuris sit, ne non captiuus trahatur in culpam, nec praecipuus feratur in vitium. Huius anima non perit in aeternum, nec quisquam rapit eam de manu patris omnipotentis aut filij. Manus enim Dei quae solidauit caelum, quos tenuerit non amittit. Quae sint igitur istae manus, consideremus. In Canticis habes: *Legum eius sub caput meum, & dextera eius complectetur me.* Haec loquitur sponsa de Christo, anima de verbo Dei. Christus autem idem est verbum Dei atque sapientia. Beata ergo anima quam complectitur sapientia. Magna est sapientiae manus, magna dextera, totam complectitur animam. Tota enim munita est, quae desponsata Dei verbo est. Plenitudo enim sapientiae, timere Deum. Quae ergo Deum timet anima, pleno se munit ipsa praesidio, mittit sapientiam laeuam suam sub collum eius, dexteram autem in complexum eius. Vtrumque quidem brachium eius ad vitia extenditur.

1. Reg. 13.  
1. Reg. 24.  
1. Reg. 27.  
1. Reg. 28.  
1. Reg. 29.  
1. Reg. 30.  
1. Reg. 31.  
1. Reg. 32.  
1. Reg. 33.  
1. Reg. 34.  
1. Reg. 35.  
1. Reg. 36.  
1. Reg. 37.  
1. Reg. 38.  
1. Reg. 39.  
1. Reg. 40.  
1. Reg. 41.  
1. Reg. 42.  
1. Reg. 43.  
1. Reg. 44.  
1. Reg. 45.  
1. Reg. 46.  
1. Reg. 47.  
1. Reg. 48.  
1. Reg. 49.  
1. Reg. 50.  
1. Reg. 51.  
1. Reg. 52.  
1. Reg. 53.  
1. Reg. 54.  
1. Reg. 55.  
1. Reg. 56.  
1. Reg. 57.  
1. Reg. 58.  
1. Reg. 59.  
1. Reg. 60.  
1. Reg. 61.  
1. Reg. 62.  
1. Reg. 63.  
1. Reg. 64.  
1. Reg. 65.  
1. Reg. 66.  
1. Reg. 67.  
1. Reg. 68.  
1. Reg. 69.  
1. Reg. 70.  
1. Reg. 71.  
1. Reg. 72.  
1. Reg. 73.  
1. Reg. 74.  
1. Reg. 75.  
1. Reg. 76.  
1. Reg. 77.  
1. Reg. 78.  
1. Reg. 79.  
1. Reg. 80.  
1. Reg. 81.  
1. Reg. 82.  
1. Reg. 83.  
1. Reg. 84.  
1. Reg. 85.  
1. Reg. 86.  
1. Reg. 87.  
1. Reg. 88.  
1. Reg. 89.  
1. Reg. 90.  
1. Reg. 91.  
1. Reg. 92.  
1. Reg. 93.  
1. Reg. 94.  
1. Reg. 95.  
1. Reg. 96.  
1. Reg. 97.  
1. Reg. 98.  
1. Reg. 99.  
1. Reg. 100.

tur. Habent tamen propria sua singulari manus: sapientiae in dextera longitudo vitae est; in sinistra autem diuitiae & gloria. Bonis utique manus utraque dotata est dotibus. In eo tamen habent varietate sui muneris, quod & praesentia & futura tempora comprehendunt, ut laeva praesentium remuneratrix, dextera futurorum sit. Possumus hoc etiam de prophetia sancti patriarchae Israel cognoscere. Nam cum dexteram suam posuisset super Ephraim, sinistram autem super Manassen, & conuertere eas Ioseph aetatum consideratione voluisset, ut dexteram patris super caput Manasse senioris filij collocaret, noluit, & dixit: Scio filii. & hic erit in populum, & hic exaltabitur; sed frater iunior maior illo erit. In quo maior? In eo utique quia benedictione praelatus est, dicentibus: Faciat vos Deus sicut fecit Ephraim & Manassen. vel quia semen eius multitudo gentium sit, quae in hoc saeculo laborem elegit, credens in Dominum Iesum, ut consolationem habeat futurorum. Manasses autem semen, est populus obliuionis, qui proprium oblitus auctorem, exaltatus ad tempus in hoc saeculo, est daturus in reliquum poenas graues, quia Deum suum & Dominum denegauit. Hoc ideo diximus, ut probaremus ea esse potiora, quae futura sunt. Denique laeva sapientiae sub capite sponsae est, dextera autem superior, quae totam complectitur sponsam. Itaque illa quasi fulcrum est quietis praesentis, quo anima innixa requiescit. Habet ubi reclinet caput suum, quia in laeva sapientiae sunt diuitiae & gloria. Ad tempus haec demulcent, & ex parte solatio sunt. Et ideo filius hominis non habebat ubi caput suum reclinaret, quia cum diues esset, pauper factus est: nec gloriam aliquam istius saeculi requirebat, quia venerat non ut in portione, sed ut vniverso humano generi subueniret, dicens: Mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabato? Hoc est totum, non ut facultatum collatione ditaret, non ut honorum insignibus, non ut gloriae secularis cumulare augmento: haec enim non habent beatitudinis & gratiae plenitudinem: sed totum, hoc est, quod longitudinem vitae complecteretur aeternae. Neque enim communis vitae similis vita in dextera est sapientiae, sed longitudo vitae est, ut qui accipit vitam a sapientia, non exiguitatem vitae, sed perpetuitatem, & aeternitatem longitudinem adipiscatur. Bonus amictus aeternitas vitae. Hoc pallium caelestis sponsae custodes murorum voluerunt auferre, quo primus homo fuerat exutus: sed anima Deo deuota quaesitum diu tenendo, & non dimittendo dilectum, pretioso charitatis diuinam se vestiuit inuolucro. Beati igitur qui tali pallio vestiuntur, & amictum huiusmodi legis obseruatione meruerunt, quia non sunt legis oblitae, sed quae erant legis operati sunt. Nam qui praeter legem agit legis oblitus est. Et ideo haec anima candida ascendit a terris, quia fulget amicta veste sapientiae, & dicunt de ea virtutes illae quae portas caeli custodiunt: Quae est haec quae ascendit candida, innitens super fratrem suum? Quomodo ea quae posuit caput suum super laeuam sapientiae, ut aperiret manus pauperi ad subueniendum inopi: partitis aut derelictis sibi, non inuasis atque direptis diuitiis vteretur, quae gloriae cupida bonis eam operibus acquisiuit, non inani saecularis iactantia

ambui dignitatis. Hoc est enim caput suum, & quoddam sensuum principale supra manum constituitur sapientiae. Ea, inquam, anima meritis ascendit albetibus ex isto vitae huius (ut habent plerique) deserto, ad illum florentem semper locum iucunditatis aeternae. Ista sunt virtutes quae & in Esaias libro loqui dicuntur: Quis est iste qui aduenit ex Edom, rubor vestimentorum ex Bofor, sic speciosus in stola? Ista, inquam, sunt quae mirantur ex isto confragoso scopulo, & deserto aliquam ascendere animam posse sine magnum labe vitiorum: & ideo gratulantur repectam quae vestimenta innocentiae naturalis non polluerit atramento insipientiae saecularis, sed magis sapientiae spiritualis & gratiae candore mundarit. Dicit ergo ea anima iam secunda, iam laeta:

Posuerunt peccatores laqueum mihi: sed a tuorum mandatorum non declinaui semitis.

Digna vox relinquentis hoc saeculum, eo quod retia persequentium, & insidiatorum laqueos euaserit. Vox digna martyribus, quibus multa supplicia proponebantur, multa etiam offerebantur premia, ut a martyrij studio vel terrore poenarum, & laeva mortis horrore, vel praemiorum reuocarentur illecebra. Grauis laqueus proserptionis, qui saepe frangit sanctos inopiae deformitate, quos mortis formido non fregerit: laqueus alius incedit laqueus carceris, diuturnique supplicij. Gradus laqueus cum diuitiae promittuntur, cum honores, cum amicitiae tyrannorum. Qui ergo haec euaserit, & ad martyrium peruenire potuerit, recte dicit: *Posuerunt peccatores laqueum mihi, sed a tuorum mandatorum non declinaui semitis*; cui despicienti praesentia, futura quarenti, regnum caeleste diuinitatis tuae promissione reseratum est. Qui sunt isti peccatores, qui posuerunt laqueos? Aperuit tibi Apostolus auctorem omnium peccatorum, & demonstrauit, dicens: Qui volunt diuites fieri, incedunt in tentationem & laqueum diaboli. Aduertis laqueum diaboli esse diuitias, quem tetendit etiam Saluatori. Sed ille qui nihil habuit quod posset princeps istius mundi veniens suum dicere, laqueorum eius vincula dissoluit. Ac ne medio crem hunc laqueum putes, hic laqueus Iudam apostolum strangulauit. Qui miser, cum esset illaqueatus ut proderet Dominum, ubi aduertit quantum sceleris esset admissum, laqueo se ipse suspendit. Sed & ipse laqueus diaboli fuit, ut non ageret poenitentiam, sed laqueo se suffocaret. Deus enim etiam in ipsos pius est proditores, ut ad poenitentiam prouocentur, atque a flagitioso proposito reserantur, & respiscant a diaboli laqueis, a quo captiuo tenentur ad ipsius voluntatem. Iam non arumna est incidisse, sed crimen: qui non solum se dedidere capiendos, sed etiam ad voluntatem diaboli tenentur adstricti, cum possint dicere: Dirumpamus vincula ipsorum. Dedit enim tibi scriptura diuina ut non solum caueas diaboli laqueum, sed etiam per poenitentiam eius vincula dirumpas. Quid tibi homo cum deliciis ac voluptatibus? Non capit laqueus, nisi ante esca te ceperit. Dum praedam petis, laqueo ipse te necis. Esca laquei, auaritia est: esca diaboli, luxuria est, quibus nos vult inescare, non pascere.



*Coloss. 2.* Et ideo clamabat Apostolus: Ne attaminaueritis, ne gustaueritis, quæ sunt omnia ad corruptelam ipsò usu. Noli ergo attaminare luxuriam, & illa te contaminare non poterit. Noli gustare auaritiæ corruptelam, & eris immunis à laqueo. Quid tibi postremò cum terris? Qui cum Christo resurrexistis, quæ sursum sunt querite, vbi Christus est: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui sumus terris, vitam nostram cum Christo abscondimus in Deo nostro, non iam nos viuimus, sed Christus uiuit in nobis. Quid iterum ad terrena remeas? Ecce eloqui fugiens, dicit sanctus. Vidi laqueos iniquitatis & contradictionis in ciuitate. Laquei sunt enim, vbi est uisura & dolus. Elongauit ille fugiens terrena dedecora, ideo ad cælestia peruenit præmia. Quid, inquit, te recessit in terram, si in Enoch raptus ad cælum es, in Elia leuatus es curru, in Paulo raptus ad paradysum, conuersatus in cælis, in Dauid exauditus ut pennas columbarum assumeres & volares, in Christo exaltatus volucris factus in spiritu? Quando sicut columba descendit spiritus, illas tibi alas dedit, ut tu disceres euolare de terris. Neque verò cunctandum putes quomodo tibi volandum sit, quibus alarum remigiis. Dixit quidem Dauid: Quis dabit mihi penas sicut columbarum, & volabo, & requiescã? Et quasi dubitasse visus est à quo pennas posset accipere, licet sic soleat diuina gratia declarari, quæ in terris non potest inueniri. idem tamen in posterioribus, quæ sint iste pennarum, docuit euidenter, dicens: Si dormiatis inter ceros medij pennarum columbarum deargètatæ, & posteriora eius in specie auri. Et si dormias, exurgunt tamen pennarum tuarum. Sunt enim qui vigilat dormientes, ut vigilabat illa quæ dixit: Ego dormio, & cor meum uigilat. Et si nox est, uigilat spiritus, de quo scriptum est: De nocte uigilat ad te spiritus meus. Tunc tibi panduntur alarum eloquiis spiritalibus, pretiosarumque auri prudentiarum uolatus assurgit. Vbi ergo laqueos poteris pertimescere, cui remigiis præstito spiritale est? Si sinceritas animi, si puritas mentis affulgeat, columba es. Ideo tibi dictum est: Estote simplices sicut columbarum. Si maiora desunt remigia, uel minora ne spernas. Esto uel passer, ut laqueos sagaci indagine præuideas, & pene captus illecebris peccatorum, tamen aliquando reuocatus possis dicere: Anima nostra sicut passer crepta est de laqueo uenantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus. De quo quoniam alibi putauimus esse tractandum, nunc aliò transeundum uidetur. Satis est tibi ut a uem te esse noueris, assumptum in naturam uolandi, dicente Domino per Prophetam: Liberabit te ex laqueo uenatorum, & à uerbo conturbationis. Non enim iniuste tenduntur retia auibus. Auis es, o homo, qui sicut auis in quandam aquilæ renouatus es iuuentutem. Quid te in terram deiciis, qui iam cælum petebas? Non iniuste renouato tenduntur retia, quia iam Christi esse cœpisti, uenantiu esse desisti. Antè te laqueo uenator, antè quasi prædum suam diabolus suo iure capiebat: nunc Dominicæ crucis mercedem cur alienus incurat? Potes tamen etiam hos laqueos euitare, ne dicas: Venantes ceperunt me sicut passerem: si laqueum cordis euadas, quem misit diabolus in cor Iudæ, & ita cum in facinus prodicionis armauit. Auertat à nobis Deus hos

laqueos, quos super peccatores pluit. Et ideo dicit Propheta: Dabis illis Domine laqueum cordis eorum, quem parauerunt nobis. Nobis autem da Domine auxilium, ut post te sequamur, tuis alligati uinculis. Nulla enim uentura, nulla sunt gratiora, quam uincula charitatis. Qui tibi ligatus est, solutus est mundo.

Hæreditate quæsiui testimonia tua in æternum, quoniam exultatio cordis mei sunt.

Etiam ista uox martyrum est, dicentiu quòd hæreditatem acceperint cælestium testimoniorum. Dicit ergo Propheta: Hæres sum mandatorum tuorum, successione tuam fidei pietatisque iure quæsiui. Non potest dicere istud, nisi qui mandata custodit, cælo & terra testibus acquisita. Dixit enim Dominus: Audi cælum, & auribus percipe terra. Testatur elementa Dominus ad redarguendos eos qui nolunt præcepta diuina seruare, ut refugia omnia exultationis obsepia. Testatur & homines, dicens: Estote mihi testes, & ego testis, dicit Dominus. Mandata ergo Domini plena sunt testimoniis, & ipsa sunt testimonia, quorum satis idoneus testis est qui non mentitur Deus, apud quem & conscientia tua testis est cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, satis fidelis etiã in infido pectore, quoniam arbitrum omnium quæcumque commissa sunt latere non possunt. Nam si in iudicio terrestri etiã is qui ad mentendum uenerit subornatus, tamen si testimonio fuerit conuictus alterius, solet prodere ueritatem: quando magis in iudicio cælesti apud Dominum Iesum necesse habet quæ uera sunt confiteri, quæ nouit scire quòd factu est? Et bene ait: *Hæreditate quæsiui testimonia tua*: quoniam sicut antè hæredes fuimus peccatorum, ita nunc hæredes sumus Christi. Illa fuit criminum, hæc est uirtutum hæreditas. Illa nos obligauit, hæc soluit. Illa obæratos fœnore delictorum adiudicauit inimico, hæc redemptos titulo Dominicæ passionis, Christo acquisiuit. Mala Euæ successio totum hominem denotauit, præclara Christi hæreditas totum hominem liberauit. Non ad unum quidem, non ad paucos, sed ad omnes testamentum suum scripsit Iesus. Omnes scripti hæredes sumus, non proportionem, sed pro uniuersitate. Testamentum commune est, & ius omnium, hæreditas uniuersorum, & soliditas singulorum. Nouum testamentum & singuli adeunt, & omnes possidēt: nec minuitur hæreditas, quidquid à cohæredibus uendicatur. Manet emolumentum integrum: & eo magis singulis crescit, quo pluribus fuerit acquisitum. Alia conditio est hæreditatis humanæ. Si diuisa fuerint emolumenta, minuuntur: & hæredis est damnū, adscriptio cohæredis. Indiuisum regnum Christi est, indiuisa hæreditas. Quomodo fieri poterat ut diuisa esset hæreditas, cum hæreditatis fructus sit indiuisus, quod est regnum cælorum? Aurum, argentum, prædium, ab homine pluribus derelictum distribuitur ac secatur; solida ad singulos Christi dona perueniunt: omnes habent, & nemo fraudatur. Audiamus igitur commoda hæreditaria. Remissio peccatorum, hæreditas Christi est. Certè solida per singulos, & in commune est lucratiua. Quibuscūque enim collata fuerit, solida est, nulli decedit, accedit omnibus. Corpori

*Psal. 100.*  
*Psal. 34.*  
*Cant. 4.*  
*Exod. 20.*  
*Esaiæ 1.*  
*Deut. 30.*  
*Esaiæ 43.*  
*Tit. 1.*  
*Rem. 1.*  
*Esaiæ 49.*  
*Esaiæ 35.*  
*66.*  
*Apo. 21.*  
*Esaiæ 42.*  
*Luce 23.*  
*Esaiæ 25.*  
*Ioan. 7.*  
*Hebr. 1.*  
*Deut. 4.*  
*30.*  
*Hebr. 3.*  
*Hebr. 13.*  
*Hebr. 5.*  
*Mat. 3.*

acquiritur, quidquid uniuersis relaxatur. Nam si angeli super uno peccatore penitentiam agente letantur, quia lucrum suum putant hominis redemptionem: quanto magis lucrum est generis, quod est lucrum naturæ? Hæreditas, Christi est resurrectio. Hanc quisquam damnus suum dixerit, quæ in uno communis gratiæ nomine inuenit? Christus enim resurgens, omnibus surrexit, quoniam per hominem resurrectio mortuorum. Quomodo igitur potest singulorum esse dispendium, quæ est totius corporis & humani generis reformatio? Recitetur igitur testamentum, & institutiones eius consideremus. Testis autem nobis est Spiritus sanctus. Cum enim dixerit: Hoc autem testamentum quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus: Dabo leges meas in cordibus eorum, & in sensibus eorum scribam eas, & peccati & iniustitiarum eorum non ero memor. O uerè testator æternus, qui nostris cordibus leges affigit suas, & scribit in sensibus, ut nihil aliud cogitare nisi diuina præcepta possimus, nihil aliud sentire, nisi Dei oracula debeamus. Dedit gratiam, reformauit naturam, sibi que comminiscens, qui obliuisci nihil solet, memoriam eorum abstulit peccatorum, ad hinc dedit legem præceptorum suorum. Noli ergo tollere de corde tuo legem Dei, & affigere legem peccati. Noli scribere in sensibus tuis diaboli illecebras, & Dei delere mandata. Ecce ego, inquit, pinkiuitos tuos, dicit Dominus ad Hierusalem: hoc est, ad animam studiosam tranquillitatis & pacis, quæ fecit ad imaginem suam. Noli, inquit, auferre imaginem cælestem, & imaginem mortis imponere. Recusasti hæreditatem sæculi, serua Christi testimonia, quoniam in his exultatio atque lætitia est, quandoquidem omnis fletus delebitur, & mors non erit amplius, neque luctus, neque fletus, neque clamor. Passio Christi, imago fuit regni cælestis. Nemo audiuit in plateis uocem eius, quia illo silentio passionis suæ clamor omnem in posterum impiæ uocis abolebat. Nolebat fieri, qui dicebat ad filias Hierusalem: Filie Hierusalem nolite me flere, sed uos ipsas flete. Ablaturus enim omnes lacrymas suæ beneficii crucis, in passione propria futuræ beatitudinis lætitiarum exhibebat, ut nemo fletet, nisi qui Christi beneficia non teneat. Merito igitur uir euangelicus dicit: *Hæreditate quæsiui testimonia tua in æternum, quoniam exultatio cordis mei sunt.* Quis non exulet, quia cælum & terram hæreditate quæsiuit? (quæ duo elementa contestatus est etiam Deus, cum legem daret) quia quæsiuit Deum, de quo dicit sanctus: Portio mea Dominus. Quæsiuit Dominum Iesum, quæsiuit Spiritum sanctum, & post illa quæsiuit angelos, & cum illis uiuit, non hodie tantum & cras, sed in æternum, nec ullis pro nomine Domini constitatur iniuriis. Denique gaudebant Apostoli cum uerberarentur, cum in carcerem traderentur. Exultans autem in testimoniis Domini iure dicebat:

tuum minuitur, culpa laxatur. Et bene ait, *Inclinauit*: ut non sit tibi arduum atque difficile, cum mentem tuam quasi ad humilia & plana conuerteris: aut certe quoniam sapientia carnis legi Dei non est subiecta, uidetur inclinare cor suum, qui legi facit esse subiectum, extollentem se corporis sensum, contuituque religionis inflectit: atque ille dudum extollens se frustra, & inflatus mente carnis suæ, cum se humiliat, inclinatur. Humiliauit enim & ipse se Christus, ut nouum conderet testamentum. Cum lego Euangelium, audio filium Dei carnem sumpsisse de Maria, uideo mihi cum Christo ipse descendere. Lego enim eum qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit. Exinaniuit autem, ut formam serui acciperet, & speciem inuentus ut homo, humiliat se usque ad mortem. Lego cum dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Non dixit: Discite à me quia potens sum, non dixit: Discite quia gloriosus sum: sed, Discite quia humilis sum, quod potestis imitari. Nolite extollere uos, nolite exaltare cornu uestrum. Docuit ergo me humiliari, & inclinare cor meum ad faciendas iustitias, non ad iniquitatem, sed ad acquiratatem inclinare, propter retributionem. Retributio, regnum cælorum, & paradisi est incolatus.

*In octonarium quintumdecimum enarratio.*

Samech.

Samech littera decimaquinta, quæ interpretatio. Nomen habet, Audi. Est & alia eius interpretatio, quæ dicitur, Firmamentum. Quid est, audi? Non otiose dicitur quod commune est omnibus, & suppetit uniuersis ipso iure naturæ. Et ideo non est otiosum quod admoneris ut audias, cum etiam inuiti & alii ad agentes, sonum tamen aut uocem audire soleamus. Sed quia non est solum audire hoc quod suppetit officio naturæ, sed etiam illud quod maius est, ut audias non usu tantum corporis, quantum intellectu mentis: ideo diligentius considera istius litteræ interpretationem, seriè que uersuum qui sequuntur. Ut noueris autem mysticum esse audire, ut audias & intelligas mysteria, de Iudæis scriptum est: Aure audietis, &c. quia mysteria legis audierunt, sed non intellexerunt. Vnde ait Dominus: Audi ergo spiritaliter. Denique qui se sciuit audire, ait: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, id est, ut cognoscã quid locutus in me fuerit Deus. Ideoque alibi ait: Quanta audiuimus, & cognouimus ea, ut comprehenderet non solum audisse se, sed etiam intellexisse. Nemo enim cognoscit, nisi prius intellexerit. Audi ergo, ne si te uideat negligentem, ueniat Petrus, arripiat gladium, abscondat auriculam tuam, quod superfluum habeas aurem corporis, qui audire & examinare non noueris. Et fortasse uirtutem animæ quæ examinat quæcumque; audiuntur, habet amputatã, qui ea altitudine qua scriptum est, audire non possunt. Meritoque hanc litteram firmamentum alij interpretati sunt: quod cum superiore interpretatione concurrat. Nisi enim uniuersus quisque audierit quid sequi debeat, non firmatur. In officio igitur audiendi, omnium firmamentum est.

Inclinauit cor meum ad faciendas iustitias tuas in æternum, propter retributionem.

Qui retributionem bonorum operum sperat à Christo, & ad eum festinat, inclinatur cor suum ut faciat Christi iustitias. Quæ est Christi iustitia? Sine nos, inquit, implere omnem iustitiam: qua peccata.

*Rom. 8.*  
*Coloss. 2.*  
*Philip. 2.*  
*Mat. 11.*  
*Philip. 2.*  
*Mat. 11.*  
*Ibidem.*  
*Psal. 74.*  
*Psal. 74.*  
*Psal. 6.*  
*Psal. 49.*  
*Rem. 7.*  
*Psalm. 84.*  
*Psal. 77.*  
*Mat. 26.*

*Psal. 123.*  
*Ioan. 13.*

Thren. 1.

4. Reg. 25.

2. Cor. 2.

Thren. 2.

Ibidem.

Thren. 4.

Matth. 27.

Pfal. 121.

Mar. 15.

Pfal. 143.

Pfal. 79.

Pfal. 128.

Pfal. 133.

Exod. 3.

Pfal. 36.

Luc. 17.

Pfal. 88.

Dicit igitur tibi in Threnis Hieremias propheta per hanc litteram id est, Audi. & ut scias mysticum esse quod audire debeas, subiicit huiusmodi seriem huic litterae: Abstulit omnes fortes meos Dominus de medio mei. Vocavit contra me tempus, ut conterer electos meos. Lacu calcavit Dominus virgini filiae Iudae. Non tunc abstulit omnes Iudae fortes Dominus, quando in Babylonis regionem captivus ductus est populus Iudaeorum; sed quando Christus aduenit, & libertatem animae suae captiua non vidit, neficiens grauibz incuruata peccatis mentis suae erigere ceruicem, & quadam fidei colla ad lucem cognitionis attollere. Ideo lacus factus est Iudaeis passio Saluatoris, quae gentibus portu salutis ostendit, quia crux Domini non creditibus praecipitium est, vita credentibus. Hac ratione praemisit, Audi, ut futura cognosceres. Alio quoque loco litterae huic ista subiicit: Sonuerunt super te manus omnes transeuntes per viam, sibilauerunt & mouerunt caput suum super filiam Hierusalem. Hae est ciuitas, dicent, corona gloriae, & iucunditas vniuersae terrae? Passionem Domini Saluatoris prophetari liquet & deseri ab Hieremia, non excidium Iudaeorum: quod cum ex aliis, tum ex illo intelligi potest, quia in posterioribus habet: Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, comprehensus est in interitu nostro, sub cuius umbra, diximus, viuemus inter gentes. Quid hoc manifestius, quando & nomen expressum est, & comprehensio inter manus persequentium peridorum est declarata, & umbra viuificans, & gratia gentibus conferenda descripta est? Sed etiam ipsa verba significant quae in Euangelio de passione Domini legimus, quia hoc loco mors eius annuntiata est per Prophetam. Sic enim Matthaeus scripsit: Transcuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruebat templum Dei, & in triduo illud reaedificabat: libera te, si filius Dei es. Vulgus populi cum insultat alicui, sibilare consuevit. simul quia vocem non habebant qui verbum negabant, sicut irrationabilia animalia sibilabant. Et ideo transibant viam, qui in via stare debuerant. Non stabant ergo quasi constantes, sed transibant quasi mobiles. Iusti autem pedes stabant in atriis Hierusalem, in quibus perfidi stare non poterant, & ideo praeteribant, sicut Marcus significauit. Praeterit umbra, non veritas. Dies eius sicut umbra praeteriet, quia obliuiscitur quod delinquit. Sed & transire infideles legimus, sicut est illud: Et vindemiant eam omnes transeuntes viam. Quis enim nisi perfidus despoliat vineam Christi? Sed & alibi scriptum est: Et non dixerunt transeuntes viam, Benedictio Domini super vos. Stantibus enim dicitur: Ecce nunc benedicite Domino. Tamen & in bono legimus transire, ut est illud Moyse: Transiens videbo hoc visum magnum. Et qui vidit impium exaltatum ut cedros Libani: Transiui, inquit, & ecce non erat. Et nemo dicit seruo: Transi, recube. Quae ergo distinctio sit consideremus: nisi forte illa, quia ubi in bono accipitur transire, absolutè dictum est, non dixit, hoc aut illud transiens, sed tantummodo transiēs. Vbi in malo: Transiunt, inquit, viam. Via enim bona est quae a commeanibus frequentatur, non facile incuratur a latronibus, qui aierfa viarū obsidere consueverunt. Iter

regale munitum est. Moyses autē non trāsiuit viam, sed in via stetit, cui dictum est: Tu autem hic sta mecum. Stetit eū illo qui ait: Ego sum via, & veritas, & vita. Hanc qui viam trāsiit, labitur. Moyses autē non lapsus est, sed pertrāsiuit à secularibus ad spiritalia, à temporalibus ad aeterna. Et qui vidit impium, nec remansit, sed pertransiuit, euasit, quia non haesit impio, ne fieret vnum corpus, sed se ab eodem separauit. Et cui dicitur: Transi, recube, euadit vtiq; laboriosam praesentem seruitutem, ut habeat gloriosam futurorum quietē. Et sponsa dicitur: Ades huc à Libano sponsa, ades huc à Libano, trāsibis & pertransibis à principio fidei. Transiit & pertransit, quae festinat ad sponsum. Pertransit saeculum, & festinat ad Christum. Nūc discutiamus quid sit mouere caput. Quis est populi caput, nisi Christus? Caput enim mulieris vir, caput autem viri Christus. Sed etiam lex intelligibilis caput mulieris. Denique mulier sub lege tamquam sub viro fuit. Mortificato autem ritu Iudaico qui erat secundum litteram legis, innupit ei mulier qui à mortuis resurrexit. Vnde quidam mysticè interpretati, mortificato ritu Iudaico tamquam fratris defuncti ritu veteri, euangelico mulierem illam intelligibilem nubere exlegeluerunt, quia lex Euangelium fraternam quadam praedicatione praecessit. Ergo synagoga caput mortuum est, hoc est, caput eius lex mortua est, obseruatio videlicet legis, euacuata est legis littera, spiritalis eius intellectus adstruitur. Huius commotionis meminit Dauid in XLIII. Psalmo, dicens: Posuisti nos in parabolam gentibus, commotionem capitis in populis. eo quod à lege in Euangelium sit facta commotio, quasi transitus quidam. In vicesimo autem & primo Psalmo, in quo & totius prophatur series passionis, sic habetur: Omnes qui conspiciebant me, aspernabantur me, & locuti sunt labiis, & mouerunt caput. Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum. Mouerunt ergo legem quae immobilis videbatur, & finis legis Christus intrauit. Qui mouerant capita, Pharisei fuerunt, id est, à veritate diuisi. Vnde & in veritatem non crediderunt. Sed & sic potest accipi: Mouerunt caput suum Christum, qui in sua venerat. Sed mouerunt eum, quia sui eum non receperunt. Mouerunt autem, dicentes: Tolle, tolle, crucifige eum. Et mouerunt capita sua, qui onera sua mouere volebant, cum ligaret onera grauiā, & aliis imponerent, ipsi autem digito, inquit, ea mouere nolunt. Quod est mysticum, quia corporalis ritus obseruationem numquam mutare voluerunt, & introducere intellectum spiritalem. Digitum enim pro spiritu legimus: ut lex digito Dei scripta est, & ideo spiritalis est. Noluerunt ergo onera sua mouere, quae sunt grauiā, & leue Christi iugum atque onus eius suauē suscipere. Verum quia passio Saluatoris omnes redemit, non ablutum est intelligere ita hoc mouisse capita sua, sicut prophetabat princeps ille synagoga: Expedit vnum mori pro populo. Aliud dicere volebat, aliud significabat. Et isti aliter mouebant caput quasi insultantes, & aliud annuntiabant, quia ipse erat qui venit ut pigrum illud atque terrenum principale hominum commoueret, quod euacuata ob-

Deut. 5. Ioan. 14.

Pfal. 36.

1. Cor. 6.

Luc. 17.

Cant. 4.

Thren. 2.

1. Cor. 11. Rom. 7.

Deut. 25.

2. Cor. 3.

Pfal. 43.

Pfal. 21.

Rom. 10. Matth. 27.

Ioan. 1. Ioan. 19.

Matth. 23.

Deut. 9. Rom. 7. Matth. 11.

Ioan. 11.

Psal. 43.

Psal. 11.

Thren. 2.

Psal. 132.

Ibidem.

Psal. 8.

Cant. 3.

Matth. 25.

Cant. 3.

Luc. 24.

Matth. 15.

Ioan. 1. Ioan. 19.

Matth. 23.

1. Petr. 5. Cant. 5.

Coloss. 1. Cant. 5.

Cant. 6.

Ed. 2.

Pfal. 146. Genes. 48.

ta obseruatione litterae, mysterium quaeremus in verbis. Vnde ait: Posuisti nos in parabolam gentibus, commotionem capitis in populis. Quod in bono vtiq; accipitur, quia praemisit: Et in nationes disperisti nos. Disperisti vnum enim Iudae, ut reliquiae eorum saluae fierent secundum electionem gratiae. In parabolam autem positi sunt, ut ea quae per parabolam dicta sunt, reuelata esse illorum exitu disceremus, vel eorum exemplo admoneremur cauere perfidiam. Tunc enim cognouit magis Hieremias Iudaeam esse desolatam, & ideo Hierusalem captam esse tunc temporis prophetauit, quando redemptorem proprium non recepit. Illi igitur insultatur, de qua dicent: Haec est, inquit, ciuitas corona gloriae, & iucunditas vniuersae terrae? eo quod ubi erat ante fidei iucunditas, ibi nunc sit amaritudo perfidiae. Vel certè mouendo caput suum, & de corporalibus ad spiritalia transeundo mercatur audire, cum crediderit in Christum, quod corona sit gloriae. Quae est autem corona gloriae, nisi Ecclesia, quae caput suum Christum coronat? Quae iucunditas vniuersae terrae, nisi domus populi Christiani, aula sanctorum, de quibus scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrae verba eorum? Ergo quia corona gloriae est Ecclesia, ideo dicitur in Canticis: Egredimini filiae Sion, & videte regem Salomonem in corona qua coronauit eum mater eius in die sponsalium eius, & in die iucunditatis cordis eius. Ad animas dicitur ut è gurgustii & claustris exeant corporalibus, extra corporis cogitationes exeant, egrediantur à cupiditatibus, & à curis & ceteris carnis istius & affectus lubrici passionibus supra mundum ascendant, de hoc mundo exeant, Christo occurrant, paratae adsint facibus ardentibus relucentes. Quasi angeli Christi haec loquuntur: Non potestis videre claritatem eius, gloriam eius, nisi egrediamini humanam fragilitatis curas, filiae Hierusalem. Quasi dicant: Quid viuente inter mortuos quaeritis? Non intra hunc mundum quaeritur Christus, qui supra mundum suos voluit esse discipulos. Quae est corona qua coronatur Christus, nisi corona gloriae? Ioseph coronam habuit castitatis, Paulus iustitiae, Petrus fidei. Singularum virtutum coronae sunt. Solus Christus habet coronam gloriae, qua eum Ecclesia coronauit. In hac corona omnes coronae sunt, qui gloria non partio vnius coronae, sed praemium omnium coronarum est. Tertia traditione mouerunt caput suum, hoc est Christum, qui est caput suae plebis. Caput eius aurum cephas. Vnde & Aquila, petra aurum dixit: Symmachus, lapidum aurum, quod significat stabilem eminentemque sapientiam. Corpus Christi, Ecclesia est. Huius caput aurum, id est, sapientia pretiosa sanctorum est; hoc est, viri iusti atque prudentes. Crines eius abietes nigrae sicut corax, de quo alibi ait: Capillamentum tuum vt grex tonsarum. Ideo capillamentum, quia virtus omnium sensuum in capite est. Oculi eaim sapientis in capite eius. Profunda igitur doctorum prudentia, quae potest ea quae obscura sunt reuelare, & alta aperire sensuum. Et huiusmodi disputatores erines Ecclesiae sunt, sicut pulli coruorum, quibus Dominus escam dat: sicut dedit sancto Iacob à iuuentute eius, & eum paut. Hos alios ac profundos vberitate doctrinae pascit Domi-

nus caelestibus sacramentis. Oculi quoque eius sicut columbae. Oculi sunt viri, videlicet spiritalibus ornatu sensibus, qui ad videnda mysteria sunt acuti, & parati ad penetranda scripturae secreta diuinā, rationabili lacte fulgentes, in quibus non sit aliqua doli maculosa confusio, sed simplicis affectus puri & immaculata sinceritas. Ideo in aquarum abundantia lotas has columbas in lacte memorauit. Dentes & genas, & sicut coccineum resticulū labia sponsae, intelligimus animae esse virtutes, doctoremque diuersitates: qui vel spiritalem menti alimoniam dispensatione sedula subministrant, vel praedicatione Dominicae crucis, sicut verbi quadam linea alligent audientem: vel modestia verecundi, & iuuentutis flore gratissimi. Et si à tactu pudore reuocentur, redoleat tamen in his odor Christi: & sicut in genis, quasi de capite sacerdotali descendit vnguentum, sic & in his eluceat pulchritudo doctrinae. Et hoc caput mouit synagoga, & ideo abstulit Dominus mirabilem consiliarium, & prudentem architectum, & sapientem auditorem. Caput, inquit, & caudam: quoniam qui caput non tenuerant, nouissima habere non possunt. Sed iam ea quae annexa sunt, consideremus.

Iniquos odio habui, legem aurem tuam dilexi.

Quanto Dominus noster perpendat affectum, sanctus propheta Dauid hoc versiculo declarauit, quia cum suis inimicos nequaquam sit persecutus, utpote qui & regis Saul, à cuius insidiis periculum salutis cauere vix poterat, nec vitam putauerit appetendam, & mortem aestimauerit vindicandam, & paritidē filij ingemuerit interitū, & multorum persequentium se flagitiis appetitus ignouerit, ut ipse ait, quia vicē iniuriae laudentibus non rependerit: praeruaricatores tamen diuinā legis exorsus horrefecat: in quo vtiq; & clementia morum eius, mansuetudine pietatis, & vehemens deuotionis aperitur intentio, euangelici praeepti conueniens disciplinae, quae prophético spiritu prauidebat. Etenim Dominus Iesus & nostrorum inimicorum dilectionem nobis experēdam esse praeecepit, & Dei hostes etiam si nobis aut parentum, aut filiorum, aut coniugij germanitatisque necessitate copulentur, odio persequendos. Sic enim scriptum est: Si quis venerit ad me, & non oderit patrem & matrem, & uxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc etiam & animam suam, non est me dignus. Quod si quis otiosis accipiat auribus, fortasse dicat: Tu Domine Iesu legem dedisti, dicēs: Dilige Dominum Deū tuum, dilige proximum tuum. Et vt impleres hanc legē, venisti. Dixisti per legem: Honora patrē & matrē: & in Euāgelio iubes vt parentes oderim? Quomodo sibi conueniunt ista praeepta? Sic mitis & humilis corde venisti? Nō possunt saluo pietatis iure odisse patrem, cui debeo quod d' creatus sum, nec matrē longo decē mensium fastidio pij foetus onera portantē, cui in absolute plus periculi, in delatione plus tædij est. Quid dulcissimi merentur filij, vt paterno excludantur amore, cum sit impiū mori nolle pro liberis? Quid vxor charissima quardā vitē coheres, & consortiū communis naturae? Quid fratres isdem concreti visceribus atque formati eodem naturae hospitiō, in hunc vsūm

Cantic. 5.

1. Petr. 2. Cant. 5. Cant. 6.

Pfal. 132.

Esa. 3. Ibidem. Coloss. 2.

1. Reg. 24. 2. Reg. 1.

2. Reg. 18. 2. Reg. 16.

Pfal. 7. Psal. 131.

Matth. 5.

Luc. 14.

Deut. 6.

Leuit. 19. Deut. 5. Luc. 14. Matth. 11. Tob. 4.

Genes. 2.

lucis emissi? Oderim ergo pignora charitatis? Ita Euangelij lenitate rigorem præduræ legis Indæis inflectis, vt quorum lex condemnat iniurias, eorum tu in Euangelio tuo condemnes gratiam? Video istiusmodi assertioni me respondere non posse, sed tu Domine responde. Nec enim indiges, vt excuseris: qui non eguisti, vt vinceres. Respondebit igitur: Ego ne condempno pietatem, qui odi iniquitatem? Ego parentes præcipio non amandos, qui inimicos iuadeo diligendos? Sed non legisti: Tempus amandi, & tempus odio habendi, & tempus belli, & tempus pacis: De quo hoc dicit Ecclesiastes? Nonne de eo quod ratione temporis fiat, vt piæ & amare & odisse possimus: vt quos dilexeris, odisse: & quos oderis, amare conueniat? Non ego parentum infudi odia peccatoribus filiorum, nec coniugum suasi fastidia mentibus maritorum. Naturam interroga quid exegerim, quæ vtique auctoris arbitrium genitrali singularum necessitudinum testatur affectu. Amare parentes filios, lex naturæ est: maritos coniuges, lex diuina est, quæ coniugij charitatem in naturam vertit, vt fiat vna caro, & vnus spiritus. Diligere fratres, naturæ prærogatiua est, quæ eodem domicilio diu fotos assuefecit ad gratiam charitatis. Non ergo necessitudinum intestina bella mandauit, sed illecebram suspectam habuit. An non iure suspectam, cum serpens ille callidus & astutus ad construendas nequitia suæ artes, quo incorruptæ ac rudis naturæ dote fundatum primogeniti Adam labefactaret affectum, femineis magis illecebris, quam suis commisit venenis? Itaque femina virum quem serpens tentare non ausus est, cibo oris & vi amoris inflexu, molli quadam conciliatricula vxoria sedulitatis affectione traduxit. Et adhuc Eva liberos non habebat, quorum gratia vt dulcis ad amorem, ita esset facilis ad lapsum. Vt plurimos à martyrij consummatione sæpe reuocauit? Denique sæpe cognouimus, quoniam quem formidolosa carnisicium pompa non terruit, nec diuisi lateris sulcus infregit, nec ardentes laminæ à triumphalis fortitudinis rigore abducere potuerunt, cum inter sacra iam præmia constitutum, vxor teneræ sobolis oblatione miserabilis, vnus lacrymæ miseratione decepit. Samson captus est per vxorem, numquid tu fortior? Salomon captus est in vxore, numquid tu sapientior? Igitur cuius sapientia totis celebratur sæculis, factus es insipiens, quia nimium amauit vxorem. Quid de fratribus dicam? Experta est in liberis & Prophetæ domus, detestabiliora inimici oscula, quam odia esse fraterna. Itaque fratricidium pater quidem fleuit, sed magis est indignatus incestum. Denique licet parricidam, percussorem tamen reuocabat incesti. Tempus igitur amandi, tempus odio habendi: hoc est, tempus martyrij, quando ea quæ diuina sunt, omni charitati necessitudinū præferenda sunt. Tempus belli, quo etiam bellū pro Christi nomine perfidis pignoribus inferamus. Tempus pacis, quia in pace locus eius. Denique ipse in Euangelio euidenter exposuit, qua ratione nostros debeamus odisse, dicens: Qui diligit patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Non dixit indignos esse qui parentes suos diligunt, sed eos indignos ait, qui plus parentes quam Christum diligunt. Si enim ideo de-

Matt. 5. Eccli. 3.

Gen. 2. 2. Cor. 6.

Genes. 3.

1. Tim. 2.

Iudic. 16. 3. Reg. 11.

Prout. 27.

2. Reg. 13.

Eccl. 3.

Psal. 75.

Matt. 10.

ferimus parentibus, quia nostræ generationis auctores sunt, quanto magis Christum oportet amare, qui ipsorum est auctor parentum? Isti dederunt quod non potestatis est, sed ministerij sui: Christus donat salutem, qui parentum beneficia conseruat. Pulchrè autem dixit: *Iniquos odio habui, legem autem tuam dilexi*: quia si legem amamus, odisse debemus aduersarios legis, qui operibus suis præcepta legis impugnant. Græcus melius eos, & propriè nuncupauit, dicens, *ἠδύουσι, ἠδύουσι*, exlex vocatur, quia extra legem est. Hos ergo odit qui in lege Christi est, quia legis mandata non seruant. Non solum enim qui legem nescit, sed etiam ille qui non agit secundum legem, exors legis est, quia non auditores legis, sed factores legis iustificabuntur. Redarguit me ipse Dauid si aliter intelligam. Quomodo iniquos homines oderat, qui parricidam filium commendabat praliatoribus, ne eum aliquis occideret? qui Saul regis mortem etiam vindicauit in eum qui à se nuntiauit occisum? Ergo non iniquos homines, sed iniquos sermones oderat. Denique, *iniquos* (dixit) *odio habui*, non addidit, viros. Denique cum dicat Iesus in Euangelio: Diligite inimicos vestros, & dicat Apostolus: Benedicite eos qui persequuntur vos, & nolite maledicere: quomodo excusaretur iste vir sub euangelica viuens disciplina, si iniquos homines odisset: nisi intelligas quod iniquitatem odio habuit, non eos qui est operentur iniquitatem, possent tamen euangelica prædicatione conuertere? Aut certe nisi ita accipiamus, quia sicut ille qui non honorat patrem, iniquus est: idem tamen secundum illud exofus patrem, quod scriptum est: Qui non odit patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, aut animam suam, non potest meus esse discipulus; etiam laudabilis habetur: sic & iste qui iniquos odio habuit, eodem modo & eos oderat, quo patrem præuaricantem, aut animam suam, præferens videlicet vitæ huius suauitati, gratiam Christi.

Adiutor & susceptor meus es tu, & in verbum tuum speraui.

Adiutor & susceptor: Adiutor per legem, susceptor per Euangelium. Quos lege adiuit, in carne suscipit, quia scriptum est: Hic peccata nostra portat, & ideo in verbum eius speraui. Græcus tamen ἠσπασα habet, quod est supersperaui: quod de eo dicitur qui semper addit ad sperandum, & cum sperauerit aliquid, iterum sperat, & spe proficit, extendens se semper ad superiora, & ea quæ præterit obliuiscens. Pulchrè autem ait: *In verbum tuum speraui*, hoc est, non in prophetas speraui, non in legem, sed in verbum tuum speraui; hoc est, in aduentum tuum, vt venias & suscipias peccatores, delicta condones, ouem lassam tuis in cruce humeris bonus pastor imponas. Si quis sperat in Christum, separare se debet à consortio perfidorum. Ideoque dicit:

Difcedite à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei.

Huius versiculi testimonio significatur, quia vbi malignitas est, ibi custodia mandatorum cælestium esse non possit. In maleuolam enim animam non intrat sapientia. Et alibi: *Quærent me mali, & non inuenient*, Simplicem mentem ac defæcatum animum

1. Cor. 6. Gal. 6. Math. 7. Matt. 11.

Luc. 18.

Psal. 50.

Luc. 16.

Coloss. 3. Luc. 16.

Luc. 14.

Coloss. 2.

Rom. 5.

Ibidem.

Philip. 3.

Luc. 15.

Sapient. 1. Prout. 1.

animum diligit Christus, nec potest immaculata virtuti vllum cum maculosis cõtubernium esse: flagitia odit, refugit, aspernatur contagia, qui dicit: Difcedite à me quia mitis sum. Malignos repellit, laborantes vocat. Dicit illis Iesus: Difcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Istis ait: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Nō vtique malignitate mentis, sed infirmitate carnis onerati. Onerati, inquam, alieni hæreditate peccati. Laborantibus subuenio, fraudulentis prodesse nō debeo, ne pluribus noceam. Hos pœna compeccat, illos emendat gratia. Malitia enim, fons peccati est: culpa, infirmitatis est lapsus. Illi deo subuenire, qui laborat: illum etiam odisse, qui decipit. Malas igitur operationes repellit. Nam nisi ita accipias, videtur dicere: Difcedite à me quia mundus sum, quia purus sum. Hoc Phariseus dicebat, & reprehensus à Christo est. Non ergo Propheta dicit, Mundus sum: sed, Cor mundum crea in me Deus. Ideoque relegato consortio malignorum, quasi qui ante permixtus illis suscipi non possit à Domino, dicit:

Suscipe me secundum eloquium tuum, & viuam: & non confundas me ab expectatione mea.

Si viuūt qui in sinu est patriarchæ Abraham, vt ille Lazarus pauper; quanto magis viuūt qui suscipitur à Christo? Quomodo enim potest nō in æternum viuere, quem sempiterna vita suscipit, quem totum sibi Christus assumpsit, qui totus verbi est, cuius vita abscondita est in Christo Iesu? Sed & qui in sinu Abrahamæ sedet, susceptus à Christo est. Intoleranda autem præsumptionis videretur dicere Deo, *Suscipe me*: nisi promissum eius adiungeret: hoc est, Vt hoc auderemus, ipse fecisti, tuo te chirographo conuenimus, quoniam nostrum chirographum sustulisti. Nos fecimus chirographum mortis, tu scripsisti chirographum vitæ. Ergo non confundas ab expectatione sua seruulum tuum, quia in te spero. Spes enim non confundit. Et si tribulamur, patientiâ subministra, vt ferre possimus: vt quia te expecto, non opprimar infirmitatibus, non succumbam tentationibus, nō affligar procellis, in quibus est probanda patientia, vt probatio consequatur sp̄e quæ confirmat & roborat, quæ non confundit. hoc est, Frangimur frequenter laboribus, fatigamur: sed si spes desit, confundimur, & tota mente turbamur. Sed esto, sint aliqui duri ad labores, firmi ad iniurias perferendas: si spem auferas, non potest perpetua esse patientia. Ipsa patientia non probatur si fides desit, cuius radix spes est. Quæ enim potest probatio esse, nisi pro Christi nomine vel incōmoda vel pericula vniuersa sustineas? Ideo spes est sola quæ nostrum non confundit affectum. Vbi est spes, apostolicum illud, Foris pugna, intus timores, nocere non possunt. Alia interpretatio habet: Non erubescere facias. Non erubescet qui sperat in Christum. Ideoque qui bene sperat, dicit: In te confido, non erubescam. Et bene ait, Confido. Robur enim spei nostræ, & quædam sperantis auctoritas, confidentia est. Spera igitur semper, & nemo te ab expectatione confundit. Expectatio nostra, vita æterna est. Expectatio nostra est regnum Dei, an-

gelorum consortium, benedictiones sunt spirituales. Spera quotidie. Finem ista res non habet, nescit inducias. Spera etiam postus in aduersis. Si quis dicat tibi aliqua fortè necessitudinū amissione percusso: Quid tibi prodest iustitia tua? tu tamen spera, non deficiat fides tua. Si quis dicat tibi: Quid tibi quotidiana profuere ieiunia? quid castitas corporis, pudor mentis? ecce sicut iniustus & impius vulneratus es: non deficiat fides tua. nam etiam si infirmus es, fidelis tamen sollicitus est pro te Christus. Dicit ad discipulos: Date illis vos māducare, ne deficiant in via. Habes apostolicum cibum, manduca illum, & non deficies. Illum autem manduca, vt postea venias ad cibum Christi, ad cibum corporis Domini, ad epulas sacramenti, ad illud poculum quo fidelium inebriatur affectus, vt lætitiā induat de remissione peccati, curas sæculi huius, metum mortis, solitudinēque deponat. Hac ergo ebrietate corpus non titubat, sed refurgit: animus non confunditur, sed consecratur.

Adiuua me, & saluus ero: & meditabor iustificationes tuas semper.

Adiuua me. Qui sperat, præsumit iuuari. vbi autem adiuuatum Dei, ibi certum salutis auxilium. Suprà dixit: Adiuutor & susceptor meus es tu: hic iterum iuuari petit, quasi dicat: Sine cessatione me adiuua. Non mihi satis est quod poposci, iterum peto vt saluus fiam. Hic non magna, non vera est salus: tunc saluus ero, cum fuero in ipso paradiso, cum viuere cœpero inter electos tuos angelos, cum laqueos terræ huius euasero. Sed ne fortè adiuti in necessitatibus, postea in prosperis positi negligamus, docet nos immemores beneficiorum cælestium nequam esse debere, sed meditari iustificationes Domini, vt & cum boni operis aliquid fecerimus, semper tamen ei nostra peccata fateamur. Hæc enim est iustificatio Domini. Denique Pharisei non iustificauerunt Deum, qui baptizari baptismo pœnitentiæ noluerunt. Ergo ille iustificatur, quem suorum pœnitent delictorum. Quem enim pœnitent, confiterur, vt est illud: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis. Ideoque publicanus magis iustificatus exiuit è templo, quia Phariseus se iustificabat, suas iustitias prædicando: publicanus autem iustificabat Deum, iniquitates proprias confitendo. Ergo qui meditatur iustificationes, semper humiliatur. Non hodie humiliatur, & cras exaltatur, sed semper humilis corde, & mitis affectu est. Plus est autem semper, quam die ac nocte, vel tota die: hoc enim supra tempus est. Ergo vel inter angelos annumeratus dicas oportet iustificationes Dei semper, & illam quam adeptus es gloriam, non tuis meritis arroges, sed diuinæ miserationi semper adscribas, ne tibi dicatur: Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Omnis enim creatura quæcumque bona habet, accepit à Christo, qui totus est auctor creaturæ.

Spreuisti omnes qui difcedunt à iustificationibus tuis, quia iniqua cogitatio eorum.



*Prover. 16.* Omnis superbus immundus est in conspectu Dei, quia non potest per superbiam suam mundare peccata, qui arroganti spiritu coaceruat errorem. Ideoque spernitur atque despicitur, quia despectui habet diuina mandata. Bene autem caelestis seruator prerogatiua clementiae, quia nullum repellit: sed quicumque noluerint peccata propria confiteri, ipsi discedunt à Domino Deo nostro. Denique ille discessit, qui peregrè profectus, omne quod acceperat à patre, fidei & gratiae patrimonium dissipauit. Et quia cum discessisset poenituit, postea est regressus ad patrem quem reliquerat tunc, cum peccatum proprium nollet confiteri. Non ergo interuallo locorum Deus relinquitur, sed prauitate morum, & deformitate gestorum. Discedit à Domino, qui se elongat ab eo, quemadmodum audita praesentia Dei Adam latere cupiebat. Sed discedens à Domino salutem habere non poterat, quoniam scriptum est: Ecce qui elongant se abs te, peribunt. Vnusquisque igitur suis studiis sese aut iungit aut separat. Denique quod plerosque nec locorum interualla fecerant, vel finitima vel vicina connectant, indicio est quia sunt plerique in corpore siti qui peregrinantur à corpore, & adsunt Deo, vt ille qui dicente Deo: *Quem mittam?* respondit: Ecce ego. Audeat & Paulus adesse Deo, quia nihil in se praeter carnis materiam videbat esse corporeum. Exiuit Cain à facie Dei, postquam commisso parricidio gerendam peccatorum suorum poenitentiam non putauit. Rectè autem ait: *Sprensi omnes qui discedunt à iustificationibus tuis.* vel vt alij: Ad nihilum deduxisti prauaricatos. Non peccatores dixit, sed prauaricatos. Nam quae nobis spes foret, quando omnes sub peccato sumus? Etiam illud pulchrè: Ad nihilum deduxisti omnes prauaricatos. Sive ille diues sit, nihil illi diuitiae suae profunt: sive honoratus, nihil dignitas: sive potens, nihil potentia. Sed aliud est prauaricatore esse discedentem à iustificationibus Dei, aliud prauaricatore esse terrae. Illud grauius, hoc leuius. Ideoque superiora ne turbent, vide quid subiicit his:

**Præuaricatos aestimaui omnes peccatores terrae: propterea dilexi testimonia tua semper.**

Rectè præuaricator dicitur, qui discedit à Domino. Denique Græcè à discedendo apostata nominatur. Vnde & ille: Vinum & mulieres faciunt apostatari. Cauenda ergo incentiua & lenocinia delictorum, ne in scelus vergant. Præuaricator autem Latine & transgressor vocatur, eo quod à lege Domini transeat ad errorem, & transgrediatur mandata caelestia, cui dictum est vt adhæreat Domino Deo suo. Adhæreto igitur indiuiduo semper affectu, ne te ab eo vis vlla possit auellere. Si quid rarum, si quid intermissum aduersarius viderit, statim se immittit in pectus & cor tuum, vt te laqueo teneat suae fraudis, & hostilis vinculo potestatis innexus, à deuotione retraharis. Sed non solus ille præuaricator est, qui posthabita Ecclesia ad cultus transgreditur idolorum, sed etiam quicumque legis madata non seruat. Omnis igitur peccator, præuaricator. Vnde illud: Omnis præuaricatio iustam accipit remunerationem. Nomen commune, sed diuersa merita de-

licitorum, & pretia ergo diuersa culparum. Quid sibi vult quod ait, *Peccatores terrae*? Sunt ergo & caeli peccatores, sicut ille qui ait: Peccaui in caelum & coram te. Sunt qui dicant, quia is qui caelestia non seruat oracula, prauaricator est caeli. Sed siue hoc, siue illud sit, è diuerso vnū significamus peccatorem, alterū prauaricatore, quia minuit gratiam quam accepit è caelo, quam Spiritus sanctus infudit; siue quia auis caeli factus, non debes in terram redire de caelo. In caelum ergo peccas, si caeli incola caelum relinquis. Diuersitas igitur est eorum. Alij peccatores caeli, alij peccatores terrae sunt. In matutinis, inquit, interficiebam omnes peccatores terrae. Quomodo vnus omnes interficere poterat peccatores terrae? Sed si consideres iustum, cui nox praecessit, dies appropinquauit: potes videre quomodo ex oriente tibi sole iustitiae de luce vigilans interficias fomenta omnia delictorum. Vtinam mihi aspiret hæc gratia, vt gladio spiritali, qui est verbum Dei, ab Ecclesia Domini incerta vniuersa possim abolere vitiorum, & terræ auferre delicta, quibus in foueam quandam lubrici praecipitatur erroris, vt de ciuitate Dei expellatur iniquitatis operator. Ciuitas Dei, Ecclesia est; Ecclesia, corpus est Christi. Peccat in caelum, qui caelestis ciuitatis iura contaminat, & immaculati corporis violat sanctitatem suorum collusione vitiorum. Et vide ne forte sint qui caeli & terrae peccatores sint. Nam vtique Adam cum in paradiso esset, caelestis erat: post lapsu autem terrenus est factus, & de paradiso expulsus est & eiecitus. Vnde & Apostolus ait: primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis. Abiiciatur ergo à nobis imago terreni, suscipiatur imago caelestis, non fuce expressa, non ceris, non coloribus adumbrata, sed moribus in qua Christus se agnoscat.

**Confige clauis à timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui.**

Qui diligit Domini testimonia, configit clauis carnes suas, sciens quia vetus homo suus cum Christo confixus cruci, luxuriam destruat carnis, ne cupiditates eius indomito feruore lasciuiant, ne radix auaritiæ serpentibus se fundat radicibus. Confige ergo clauis, & destrue fomenta peccati, moriatur in carne tua omnis illecebra delictorum, libertatem vagandi cupiditas voluptatum cruci affixa non habeat. Est quidam clauis spiritalis, qui patibulo crucis Dominicæ affigat has carnes. Et fortasse sunt carnes quaedam animæ, sicut corpus est animæ. Carnes animæ sunt carnales cogitationes. Configat has carnes timor Domini & iudiciorum eius, & seruituti redigat. Quod si carnes istae reiciunt clauos diuini timoris, haud dubiè dicitur: Nō permanebis spiritus meus in his hominibus, quoniam carnes sunt. Nisi igitur affigatur cruci hæc carnes, & configantur clauis à timore Domini, non permanebit in his spiritus Dei. Sicut sunt aculei timoris, quibus compungimur: ita sunt clauis timoris, quibus configimur. qui compungitur, excitatur: qui configitur, mortificatur, vt peccato deficiat, Deo viuat. Vt sciamus autem clauos spirituales esse, etiam stimuli spirituales sunt de quibus scriptum est: Durum tibi est aduersus stimulum calcitrare. Hoc stimulo Paulus stimulatus surrexit

*Philip. 3. 1. Tim. 20.* rexit è terra, & se leuauit, vt conuersaretur in caelo. Confixus est clauis Apostolus Thomas, vt diceret: Nisi videro in manibus eius fixuras clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum. Clauis erant bonae cupiditates, clauis erant, etiam non perfectæ fidei, tamen fidei incrementa querentis. His configitur clauis, qui Christo commoritur, vt cum Christo resurgat. His configitur clauis, qui mortificationem Domini Iesu in corpore suo portat. His clauis configitur, qui meretur audire dicentem Iesum: Pone me vt signaculum in cor tuum, vt sigillum in brachium tuum, quia valida est vt mors charitas, durus sicut inferi zelus. Infige ergo pectori tuo & cordi tuo hoc signaculum crucifixi, infige & brachio tuo, vt opera tua peccato mortua sint. Nihil in his criminis reuiuiscat, nihil erroris resurgat. Fortasse hanc imaginem clauis non solum timoris, sed etiam charitatis affigunt, quia valida est vt mors charitas, durus sicut inferi zelus. Non te ergo offendant duritia clauorum, quia est duritia charitatis: nec validus clauorum rigor, quia valida est etiam charitas sicut mors. Charitas enim culpam & omnia peccata mortificat. Charitas sicut mortis ictus interimit. Denique morimur flagitiis atque peccato, dum Domini mandata diligimus. Charitas est Deus, charitas Dei verbum est, quod est validum, & acutius omni gladio acutissimo, vt que ad diuisionem animæ ac spiritus, artusque & intima penetrans medullarum. Est durus ergo zelus charitatis, qui non cedat inferis cum pro Dei zelo vnusquisque nec suis parcat. His clauis charitatis configatur anima nostra & caro nostra, vt & ipsa dicat: Quia vulnerata charitate ego sum. Habet ergo clauum suum charitas, habet gladium suum, quo anima vulneratur. Felix qui hoc gladio meruerit vulnerari. Hæc sunt vulnera quæ oculis præferuntur: vitiorum vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici. His nos vulneribus offeramus, quibus quicumque mortuus fuerit, mortem videre non poterit. Talis eorum erat mors, qui Dominum sequebantur, de quibus dictum est: Sunt aliqui de istis adstantibus qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo. Meritò Petrus non timebat hanc mortem. Non timebat enim qui dicebat, quia etsi oportuerit cum pro Christo mori, non cum relinqueret aut negaret. Tollamus ergo crucem Domini, quæ configat carnes nostras, peccatum destruat. Est timor qui configit carnes. Nisi, inquit, quis tulerit crucem suam, & secutus me fuerit, non est me dignus. Ille enim dignus est, qui habet Christi timorem, vt crucifigat omne carnale peccatum. Hunc timorem sequitur charitas, quæ consepulta cum Christo, non diuellatur à Christo, moriatur in Christo, attumuletur Christo, resurgat cum Christo.

*In octonarium decimum sextum enarratio.*

v Ain.

**A**In littera decimasexta, cuius interpretatio est, Oculis, siue fons. Oculo vtimur videndi munere: sed videmus ea quæ complacent, & sæpe quæ displicent: nec in eo oculi est vel culpa, vel probitas, pro eorum qualitate quæ viderit. Oculi est enim of-

ficiam nuntiare quæ viderit. Est sanè vel offensa vel gratia, si aut delectetur suauibus; aut offendatur aduersis. Ideo frequenter oculus suppliciorum dicitur, oculus tentationis, oculi hæcidi, oculus vitulæ, oculus generationis, aut fons generationis. Legimus in Euangelio quia baptizabat Ioannes in Ennon. Ennon oculum suppliciorum interpretati sunt. Itaque nemo venit ad baptismum, nisi qui desiderat sibi propria peccata dimitti, quorum supplicia corde prouido perhorrescat. Itaque licet oculus suppliciorum dicatur, prouidētis est tamen supplicia, non sustinentis: licet baptismum poenitentiae habeat aliquam de suppliciorum susceptione tolerantiam. Oculi est vt intuendi officio fungatur, tuum est cauere quod videris. Denique & oculus tentationis dicitur, quia per oculum sæpe tentamur. Oculus meretricis, laqueus amatoris. Sed oculus nihil delinquit. Ideoque Saluatoris sententia plena iustitiæ est, dicentis: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam adulterauit eam in corde suo. Non dixit, Qui viderit mulierem, sed ad concupiscendum viderit. Oculum absoluit, mentem ligauit. Non dixit, Adulterauit eam in oculo, sed in corde. In oculo visus est, in corde peccatum. Oculus hæcidi ad sinistra est: quod ea quæ dextera sunt, peccator videre non possit. Sanctus autem dicit: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dexteris est mihi, ne commouear. Et Petro sancto Apostolo, cum tota nocte nihil cepisset, vt legimus in Euangelio, à Salvatore dictum est: Mitte in dexteram partem nauis retia. Itaque fretus imperatis caelestibus, misit retia, & plurimum piscium congregauit. In sinistra nox erat, in dextera diuini sermonis claritudo fulgebat diurna. Est & oculus vitulæ: quod æquè ad peccatores refertur: quia sicut iugi loro vitulæ, ita peccatores attrahunt iniquitates, non dirumpentes neque abscondentes proprium, sed longo trahentes fune peccatum. In domita enim vitula serò mansuescit, & trahit lora, non suscipit, quia impatiens est tenendi: & quo diutius traxerit, eo amplius impeditur. Oculus quoque generationis, aut fons generationis dicitur, quia ex oculorum conspectu, aut bona aut aduersa generantur. Vidisti mulieris pulchritudinem, laudasti artificis opus, venustatem naturæ: generatio fidei, deuotionis est partus. Contentus fuisti formæ decore, non census ambitione, sumpsisti in vxorem, genuit filios liberalioris gratiæ: oculus tibi fuit generatio prosperorum. Contemplatus es sacram puellam, pressit oculos tuos augustæ reuerentia castitatis: prædicasti Dominum Iesum, qui similem dedisset in adolescentula ætate grauitatem, immaculatamque vitam inter infirmas tam lubricæ huius carnis illecebras humanis infudisset affectibus; oculus tibi factus fons bonorum est. Vidisti possessiones pupillorum, non ad inuadendum, sed ad tuendum: & paternis ingenuisti visceribus si quid aduerstisti de minoris commodis esse neglectum, repulisti eum qui fines eius volebat inuadere, iudicasti pupillo: oculus tuus fons tibi fuit & origo iustitiæ. Iudicasti viduam. Sicut enim mala drachma, non est drachma: sic malum iudicium, non vtrique iudicium. Iudicasti ergo sicut iustus & bonus iudex. Vidisti vsurpatorem improbum, qui maritali auxilio desti-

turam, suam pradam putaret: iniquitatem non passus es, atrulisti indefensa opse: quo adiuta praesidio, inoffensa opera castitatis exercuit, nec auxilium quaerere maritale compulsa est. dicit tibi Dominus: Venite disputemus, quia iudicasti viduam, oculus tuus fons gratiae tibi factus est. Vidisti nudum corpus inopis iacere defuncti, non praeteristi, ut ille qui exponitur in Evangelio, sacerdos atque leuita: sed continuo miseratus, sepultura te solatiis tradidisti: generauit tibi oculus materiam redemptionis. Contra, si aspiciens agrum pupilli vicinis constitum, latum segetibus, nemoribus umbrosis, aut fluuiis decurrentibus, aut fontibus scaturientibus, aut riparum herbosis amoenis toris, & auaritia facibus accensus transulisti patrum limites, atque in possessionem indefensam improbus irruisti: oculus tuus tibi mortis perpetuae acerba generauit. Vicinae viduae iura temerasti, coegisti eam, quae aut dolorem suum aut pudorem secretis clausa parietibus fouere deberet, prosilire in publicum, inuerecundius quam iniustius litigare: oculus tuus partus iniquitatis est factus. Vidisti inopem superbo oculo, & insatiabili corde, despexisti precem pauperis: & quem miserari debueras, cum fastidio praeteristi: oculus tuus fons tibi fuit & origo peccati. Ideoque oculi tui non lupi oculi sint, & insidiantes ad pradam, sed sicut sponsa dicitur: Oculi tui stagna in Eschbon, in portis filiae multorum: nares tuae sicut turris Libani. Stagna in Eschbon quid est, nisi in cogitationibus rationabilibus abundantia, quae est in portis Ecclesiae, cui merito desertur multitudo doctrinae? Filia enim multorum, plurimarum doctrinarum posteritas est, cuius nares odor est sacrificiorum floribus omnibus praestans. Quid enim Christi odore sublimius, qui aboleuit thuris fragrantiam? Oculus ergo iste prouideat quae futura sunt: & si aduersa imminere praesiderit, fletu lacrymisque emollire ac mitigare non desinat. Ideo Hieremias in captiuitate gentis Iudaeae postus, futuram prauidens perpetuae captiuitatis arumnam, quam perfidiae pretio Iudaeorum populus habebat exoluere, dicebat in Threnis sub hac eadem littera: In hoc ego fleo, oculi mei caligauerunt a fletu, quia elongauit a me qui me consolabatur. Non igitur abductum se esse de terris suis dolebat, sed a Christo populum relinquendum, consolationemque futurae vitae cernebat amissam. Haec est verè dolenda captiuitas, quae aeterna spei libertate priuata videbatur. Alio quoque loco sub hac eadem littera reperitur in Threnis, dicens: Fecit Dominus quae cogitauit, consummauit verbum suum quod mandauit a diebus antiquis. Destruxit, & non pepercit, & laetificauit super te inimicum, & exaltauit cornu tribulantis te. Nonne euidenter futuratione iudicium Christi annuntiat, sicut in Psalmo quoque praesenti declarari certum est? Oculus ergo prauidet quae futura sunt, & ea ut profusione lacrymarum, aut erroris correctione detorqueat. Denique Hieremias flebat, quia malam causam impiae plebis susceperat, quae perfidiae pertinacia proprium negabat auctorem. Dauid autem propheticis spiritu iudicium prauidens Christi, in quo nemo innocens periclitabitur, nemo sceleratus eludet, bona fretus conscientia dicit.

Esai. 1.  
Iob. 2.  
Luc. 10.

Prouer. 22.

Psal. 100.

Ezech. 22.  
Cant. 7.

2. Cor. 2.

Thren. 1.

Ibidem.

Act. 5.

**G** Feci iudicium & iustitiam, ne tradas me nocentibus me.

Non quasi gloriosus ac insolens se ipse laudat, cum utique peritus legis, alterius magis quam proprio ore vnumquemque laudandum esse non ignoraret. Non inquam praedicatoris iactantia est hic vlla virtutum, sed vitae innocentis assertio iure praesumpta, ne dignus aestimaretur qui propter grauiora peccata a Domino relinqueretur, & nocentium potestati traderetur. Defensio est igitur, non arrogancia, quando non excellentia aliqua honoris assumitur, sed formidabilis arumna propulsatur. Denique Petrus hoc genere defensionis vitur, dicens: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? In quo si dicti arrogantis decolor aliquis nauus fuisset, non tantum gratiae de Domini Saluatoris sententia retulisset, ut non solum minimè subdendus ipse iudicio, sed etiam iudicaturus de aliorum meritis ipse nuntiaretur. Neque enim in iudicio, si quis innocentiae suae tuendae gratia quid fecisset aperiret, ad iactantiam potius quam ad defensionem causa dictum aestimaretur. Aliud est dignum se premio dicere, aliud indignum iniuria. Et tamen ille ipse philosophiae summus, ut aiunt, magister, cum accularetur, interrogatus qua tandem poena se dignum putaret, respondit dicitur, ut in prytaneo publico quotidie conuiuio fasciperetur. Ille honorem usurpauit, hic arumnam deprecatus est: ille gloriae arrogauit, hic humilitatem seruauit. Nam quae maior esse humilitas potest, quam ut conscius sibi iudicij & iustitiae reseruatae, tradi potestati diaboli veretur? Hominem se esse cognouit, impar sibi bellum aduersum spiritualia nequitiae in caelestibus, raptum Enoch esse, ne malitia mutaret cor eius, Noe inebriatum, Lot incestatum, sacerdotem primum ipsum Aaron cum Maria sorore tetatum, lepra maculis aspersam Mariam primum, post absolutam, Moysen pene inter necatum, nisi in circumcisione filij, & ciuimodi sanguinis fusione Saphira mulier eius omne ad exitum depulisset. His igitur commonitus exemplis nequaquam se fortitudini suae credit: sed cauta humilitate diuinum sibi precando adhaerens auxilium, petens ne tradatur nocentibus. Scit enim auctorem esse principem mundi omnium delictorum. Ipse indiuiduos proximorum irarum stimulis excitatis scindit affectus, ipse flammam accendit libidinis, ipse adolet auaritia cupiditates: ut quo plus rapuerimus, eo amplius requiramus: ipse suggerit & ministrat fomenta luxuriae, ipse odia exasperat, & immodicae studia ambitionis inflammat. Quod vitium blandum in exordio, saeuum in processu, nec fraternae germanitatis potuit contemplatione reuocari. Quum enim dolet sibi gratiae caelestis ambitore fratrem esse praesatum, de sacrificio processit ad parricidium. Auctorem igitur incontinentiae diaboli esse Apostolus docet: Ne tentet vos, inquit, satanas propter incontinentiam vestram. Incentorem quoque auaritia ipsum esse legimus, dicente Paulo: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli. Et alibi: Mortificate membra vestra quae sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam,

Prouer. 17.

Mat. 19.

Ibidem.

Plato in A. pologia 3. cratis, & Cicero lib. 1. de Oratore.

1. Cor. 5. Ephes. 6. Gen. 5. Sap. 4. Genes. 9.

Genes. 19. Num. 12. Exod. 4.

1. Isai. 1.

Genes. 4.

1. Cor. 7.

1. Tim. 6. Coloss. 3.

& auaritia, quae est idololatria. In his enim diaboli voluntatem facimus, & exequimur potestatem, qui per carnis istius desideria incentiuum suae fraudis operatur. Quemcumque ergo in vitiorum suorum possessione repererit, tamquam obnoxium suo iuri vendicabit. Adulterium qui facit, luxuriam exercet, aliena diripit, portio diaboli est: pudicus autem & continens & misericors, Christi portio est. Christi ergo seruum sibi non potest vendicare, nisi forte lapsum in vitia deprehenderit: nec tum quidē vendicat, sed tamquam suum sibi tradi postulat. Ideo ergo dicit Dauid: Feci iudicium & iustitiam: non ut arroget, sed excuset, ne quasi peccator deferatur a Christo. Exemplo sit nobis apostolica lectio, quam ob rem vnusquisque tradatur. Illum enim qui vxorem patris habuit, quia sic operatus est, tradidit satanae Apostolus. Non ergo esset traditus, nisi opera fecisset diaboli. Vnde non immerito recusat Propheta nocentibus tradi, qui allegat non diaboli opera se fecisse, sed Christi. Dominus enim dicit: Iudicate pupillo, & iustificate viduam. Hoc est ergo: Feci iudicium & iustitiam, in iudicio non contempsi pauperem, non oppressi viduam, personam diuitis non recepi, in omnibus operibus iustitiam seruauit. Iudicij finis iustitia est. In altero veritatis custodia, in altero fructus est aequitatis: vtraque tamen non priuata virtus, sed publica. Nam immaculatum corpus a virili permixtione seruare, & palmam castitatis limoso in corpore vsque ad angelorum conuersationem custodia integritatis euehere, vtilitas priuata, laus publica est. Frugi esse ac modestum, & sobriae parcitatis tenere mensuram, probatur a pluribus, sed sibi soli proficit. Fortitudo in praesiliis eminet, in otio friget: cuius opus in tempore necessarium, in voto aduersum. Malunt enim homines non pugnare, quam vincere. Sola iustitia est quae omnibus temporibus aliis potius nata quam sibi, quotidiano vsu & fructu, publico suo damno alienas custodit vtilitates, quae nihil habeat vtilitatis, & plurimum laudis. Hanc igitur Propheta praetendit ad sui meriti commendationem, dicens: Feci iudicium & iustitiam, ne tradas me nocentibus me. Vbi iustitia, ibi misericordia. Misericordia a peccato liberat. Quomodo ergo peccatoribus trador? Simile illud in Canticis: Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Exui tunicam peccatoris, velamenque terreni: cur quasi peccator atque terrenus adiudicor? Laui pedes meos, ne qua delicti fors posset adhærere vestigio: cur das in me delinquentibus potestatem?

1. Cor. 6.

1. Cor. 5.

Esa. 1.

Iob. 4. Cant. 5.

Reg. 3.

Esa. 14.

**S**uscipe seruum tuum in bono: non calumniatur me superbi.

Quasi iudicij & iustitiae sibi conscius, auctoritate prophetica progreditur, ut seruum Domini se dicere non reformidet. Seruus enim Domini nihil debet alienis. Pretiosa haec seruitus, quae virtutum constat expensis. Cur autem timeat nocentibus tradi, aperit euidenter, quia calumniatores sunt, qui oderint veritatem, impugnant innocentiam, quia superbi sunt. Qualis enim aduersum seruos Dei potest superbus esse, qui aduersus Deum se exaltat, & dicit: In caelum ascendam, super sidera caeli ponam

sedem meam, sedebo in monte excelso, super montes altos qui sunt ad Aquilonem: ascendam super nubes, & ero similis altissimo? Quid igitur mirum, si grauari homines potest, qui peruicaci spiritu nec Deo cedit? Quomodo mensuram veritatis, & fidem in hominem seruabit, qui sacrilego impudentique mendacio omnipotenti se Domino adaequandum esse promittit? Quomodo non calumniatur singulos, qui totam irritauit terram, concussit reges, posuit vniuersum orbem desertum, & ciuitates destruxit: eos qui in abductione erant, non soluit? Caueamus ergo ne muros animae nostrae destruat, ne propugnacula nostrae mentis diruat, ne super sidera thronum suum ponat. Pone super sidera, quando electum decipit, quando iustum circumuenit, cuius opera e-lucent sicut stellae in caelo. Nonne & Iudas proditor inter ceteros audiebat: Vos estis lux mundi? Nonne diabolus lumen eius extinxit? Quinetiam quos non potuerit circumuenire, calumniatur, inuidens regni caelestis gloriae: ut quos illecebris suis a Christo non potuit separare, eos calumniis suis debiti honoris fructu fraudare conetur. Fugiamus ergo malos calumniatores, qui peccatum operantur in nobis: & ipsi nobis calumnias infestissima accusatione componunt, id quod ipsi fecerint arguentes. Ecce manus Domini parata est, quae te fugientem ab aduersariis tueatur ac protegat. Pharao te in patribus tenebat superbus, immitis: fugisti ab eo, suscepit te manus Domini, & de periculis liberauit. Non dimississet te Pharao, nisi tu ad Dominum confugisses. Dicebat Pharao: Dominum nescio, & Israel non dimitto. Vides quam superbus? Merito ergo susceptus in bono est, qui malum fugit. Non patitur ergo Deus in malo nos esse, suscipit in bono: nec patitur suos calumniis subiaccere.

**O**culi mei defecerunt in salutare tuum, & in cloquium iustitiae tuae.

Oculi mei defecerunt. Qui sunt isti oculi considera, qui in Christum deficiunt, dum eius praesolantur aduentum. Anima videlicet oculi, non corporis, tota fidei intentione defixi. In eo enim quem diligimus, totis oculis occupamur, nec quidquam aliud videre delectat. Non potest hoc dicere nisi qui a mundanis sollicitudinibus & saecularibus voluptatibus intentionem omnem suae mentis auertit. Nam quomodo hoc dicit qui theatralibus ludibriis occupatur? Sed ille hoc dicit, qui supra dixit: Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Qui autem sunt oculi qui deficiunt in cloquium Dei, nisi oculi interioris hominis, obrutusque animae, qui tenduntur ut videant Dei verbum, & nimia intentione & expectatione deficiunt in salutare Dei, defectum sui patientes, ut assumant quod verbi est? Et quia cloquium Dei plerumque mouere potest, ideo addidit: Eloquium iustitiae, ut mouere non debeat. Mouere autem poterat, quia scriptum est: Maior seruiet minori. Nam nisi ad mysterium accipias, natura iniuria est. Et dedi vobis praeccepta non bona. Ergo Deus mala dat praeccepta? Et ego Dominus creans mala. Sed & de praecceptis sic soluitur, quia infirmis non dare debuit perfecta praeccepta, quae sustinere non possent. Quando audiret Iudaeus: Dimitte omnia tua, & sequere me?

Ibidem.

Ibidem. Philip. 2.

Mat. 5.

Exod. 14.

Exod. 15. Exod. 5.

Sup. ocl. 5.

Genes. 25. Ezech. 10.

Esa. 45.

Mat. 19.





*Rom. 6.* tionem non sperat. Seruus Domini nō potest idem esse seruus peccati: & ideo intellectum sibi dari potest, ut possit cohibere peccatum. Habebat quidem intellectum, sed ut redundare sibi crederet, vberiorē inquirat. Est autem & intellectus naturæ, & est intellectus non bonus. Ideo & Salomon ait: Intellectus autem bonus dat gratiam. Nam si omnis intellectus bonus esset, non opus fuisset additamento. Iure ergo gratiam Domini sui querit. aliter enim scire non potest secreta Domini, nisi intellectus spiritalis munus acceperit. Habes hoc in Hieremia: Notum mihi fac Domine. Et scio, quia nisi Deus notum fecerit hominibus, mysteriū suum scire non possumus.

Tempus faciendi Domine: dissipauerunt legem tuam iniqui.

*Eusef. 3.* Bene ait tempus faciendi esse. Est enim tempus tacendi, & tempus loquendi. Sed loquendi tempus aduenit, ac per hoc dominici aduentus tempus esse iam memorat: ut quia legis facta est prauaricatio, veniat finis legis, & consummatio eius, & plenitudo Dominus Iesus, qui donet hominibus vniuersā delicta: & abolito chirographo debitorum, absoluat omnes & liberet peccatores. Tempus est faciēdi, ut si ingrauescente aegritudinis alicuius incommodo, curras ad medicum, ut citius veniat, ne postea subuenire non possit. Medicus enim tunc amplius desideratur, quū grauis incuberit aegritudo languenti. Ergo cum videat in spiritu Propheta prauaricationes populi, luxuriā, delicias, dolos, fraudes, auaritiā, & temulentiam, quasi pro nobis interueniat, currit ad Christum, quem solum tantis sciebat subuenire posse peccatis: vrgit et veniat, nec patitur fieri moras. *Tempus* (inquit) *faciendi Domine*, hoc est, ut pro nobis crucem ascendas, mortem subeas. Totus in periculum vltimum mundus vrgetur, veni ut tollas peccatum mundi. Veniat vita morientibus, veniat resurrectio iā sepultis. Factum tuum subueniat, quoniam nec tua praecepta prodesse potuerunt. In lege praeceptum est, in Euangelio mysterium. Cæcus omnis populus proprium nō videbat auctorem. Claudus erat mundus, & titubante vestigio fidei fluctuabat. Non erat qui malagma imponeret, neque oleum neque alligaturam. Omne patrimonium suum in medicos erogauerat mulier illa euangelica, speciem habens congregationis humanæ, quæ coibat ex gentibus, cui nec fluentem sanguinem, & inueteratæ passionis lethale profluuiū poterant sæculi huius medici restringere. Principis populi posteritas interierat, & omnis occiderat eius hereditas. Videns hæc Propheta, dicit ad Christum: *Tempus faciendi Domine*. Non iubendi, inquit, sed faciēdi: quia non legatus, neque nuntius, sed Dominus saluatorus erat populum suum. Et ille quidem tempus sciebat, & non differēbat: & nos nesciebamus quo melius tempore subueniret: & iam venit, & abiit, & iterum vult venire, & tempus nescire. Aut fortasse vult à nobis admoneri, vult rogari: immò si rogatus fuerit, & ante tempus venit, & venit ad scilicet, & ante horam venit, ut dicit ad matrem. Illa rogabat pro nobis, illa festinabat, dicens: Vinum non habent, fili. Respondit ei Iesus: Quid mihi & tibi est,

mulier? Nondum venit hora mea. Et mater quæ sciebat eius affectum, dicit ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Iesus quoque qui horam suam venisse negauerat, fecit quod antè differēbat. Omnia Deus tempore fecit. Quidquid facit, non est extra tempus: sed totum oportunitum est quod fecerit, & mihi tempore suo aduenit. Omne enim tempus oportunitum salutis, nihil praeproperum pro salute periclitantium: sed volebat expectare adhuc synagogæ correctionē: ideo ante tempus ad scilicet venit: hoc est, citò Iudæis venit, oportunitè gentibus. Citò venit perituris, commodè credituris.

Propter hoc dilexi mandata tua super aurum & topazion.

Lex annuntiatrix Christi est: praecepta ergo legis spem futurorum bonorum deferunt. Mandatum est enim Domini: Attende tibi, ne declinuas leuitem per omne tempus quod vixeris super terram. Quis est iste leuitas? Intelligis si consideres qui sit ille qui venit ministrare, qui sacerdos est in æternū. Aliud mandatum audi: Custodi mentem nouorum, & facies pascha Domino Deo tuo. Et infra: In loco quem elegerit Dominus Deus tuus inuocari nomē suum, ibi occidas pascha vespere ad occasum solis in tempore quo existi de Ægypto. Ergo mandata Dei habent futuræ redemptionis indicia, resurrectionis insignia: ideo super aurum & topazion memorat sibi esse dilecta. Quid enim salute gratius, resurrectione pretiosius? Vel quia quæ stulta sunt mūdī, Christi elegit, ut quoniam per sapientiam mundus non cognouit Deum, per stultitiam prædicationis salutem afferret credentibus, ideo ait: Super sapientiam operationis caelestis, & mundanæ constitutionis, & super ornamenta solis & lunæ, stellarumque pretiosa monilia, dilexi obaudientiam dominicæ passionis. Plus enim redimendo mihi contulit, quam creando. Tūc enim sine sensu natus sum, nunc cum voluntate saluatus. Sed nō hoc quicumque dicit: *Dilexi mandata tua super aurum & topazion*. Non dicit auarus, qui auro incubat, diuitiis inhiat, ornamenta desiderat, sed ille dicit, qui potest dicere: Aurum & argentum non habeo, quoniam non requiro, quoniam nihil mihi aurum prodest: praeceptum autem & mandatum caeleste me redemit. Diximus continentiam sensus, nunc de topazio lapide exprimamus historiā. De quo inuenimus scriptum in historia Xenocratis, qui scripsit quasi lithosomon, nasci cum vel inueniri circa Thebaidis ciuitatem Alabastrum, vel Topazion, ut aliqui putat: unde & nominatus est ab eo loco in quo gignitur. Sūt autem qui putauerunt insulam nuncupari Topazion, ad quam appulso Troglodytas, orta subita commotione maritima, quod nauium vsum non haberent, reuerti nequiuisset. Deinde plurimo immorantes tempore, in insula inuenisse lapidem, & delictatos colore eius repetisse domum, & Arabibus negotiatoribus aduenientibus vendidisse, ab illis emisse Philonem, & ad matrem Ptolemæi secūdi, cui nomen erat Berenice, ab ipso esse perlatum: illā autem quamuis regalibus ornamentis abundaret, supra modum tamen colore eius stupefactam, elaborasse

vt diutius

vt diutius species tam pretiosi lapidis non lateret: A ideoque studio eius queritum lapidem, in vsum frequentiores venisse. Diximus quomodo innotuerit topazion lapis, nunc expressius de eius qualitate dicamus. Duorum colorum est in hoc lapide, & chrysochryson, similis chrysopraso, secundū vtrumque velut quasdam extendens colorum figuras, & plenius quidem à peritis fertur extendere. Est autem parychryus, & satis purus, & chrysochryus, & pinguis, resplendenti similis, maximè cum solis splendore percipitur. Est etiam pulcherrimus & mirabilis super omnes chrysoprasos magnitudine, ut dixi, vsum pinguior. Natura huiusmodi, ut si polire & leuigare eum velis, asperetur magis, vsum minuitur. Est autem quodam geniali opere naturæ euglyphus, hoc est, bene figurabilis, & summo studio dignus habetur. Difficile inuenitur, & repertus insignitur: raro tamen in vsum hominum est, quasi is quem diues regina mirata sit. Sed iam sicut Troglodytæ illi quasi pretio suæ mansionis lapide inuenito reperierit domum: ita & nos emolumento moræ huius recepto redcamus eò vnde diuertimus. Nec par est nos ornamentis regis diutius sermonis nostri quædam admoerere brachia, cum habeamus in manibus crucē Christi, quam admonet Propheta super aurum & topazion præferendam, quæ ab omni errore culpaque reuocat & corrigit. Quis enim iustorum non ambiat Christi in morte solatium, in resurrectione confortium? Quis non reflectat gradum, quādo audit sibi superiora omnia peccata donari? Hoc enim plerique ad conuersionis studium reuocari nolent, quod delictorum suorum conscij nullam spem veniæ præsumerent: & Ecclesiæ quanto sanctiora præcepta, tanto sine venia putarent esse peccata. Ideoque ait octauo versiculo:

Propterea ad omnia mandata tua corrigebar: omnem viam iniustam odio habui.

Meritò corrigebatur, quoniam diligebat. Charitas enim operit multitudinem peccatorum. Vide quanta operiat, quanta corrigit. Charitas patiens est, benigna est. Charitas non amulatur, non agit perperā, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: charitas numquam excidit. In inferioribus tria perfecta posuit, spem, fidem, charitatem, maiorem autem dixit charitatem. & rectè: Charitas enim omnia sperat, omnia credit. Cū igitur spes & fides in charitate sint, non est dubium quod maior charitas sit. Et bene sibi respōdit Propheta. Suprà enim dixit: Lex Domini irreprehensibilis, conuertens animam. Si lex animam conuertit, vtique qui diligit, legis dilector est. Deinde in hoc ipso centesimo decimo octauo Psalmo primo posuit: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Si immaculatus est is qui in lege Dei ambulat, vtique conuertitur, qui diligit Dei legem. Ergo si lex immaculatum facit, rectè charitas multitudinem operit peccatorum, quia plenitudo legis charitas est. *Omnem* (inquit) *viam*

*iniustam odio habui*. Si is qui praecepta iustitiæ diligit, facit illa quæ diligit: vtique is qui odit iniquitatē, nō facit quod exosus est. Nec immeritò ad omnia praecepta Domini corrigitur, qui omnem viam odit iniquitatis. Nam nisi omnem viam iniquitatis oderis, non potes in omnibus praeceptis Dei corrigi. Potest enim fieri vt aliquis se tēperet à crudelitatis horrore: lubrico tamen deceptus amore meretricis, & semitas incontinentiæ iuuenilis ingressus, imprefsum semel non queat reuocare vestigium. Multos enim vitia blandiora decipiunt, e contra auertit à se plurimos tristis & nimium seuera crudelitas. Sed iuuentus ad amorem liberior, ad lapsum incautus, ad infirmitatem fragilior, ad correctionem durior est. Alius se restringit à luxu, sed auaritiæ cupiditate raptatur. Plerumque enim peccata huiusmodi sunt, vt si alterum declines, incurras alterum: & naturæ vsum adiuuat infirmitatem. Odis tū luxuriā quasi frugi, sed frugalitatis studio habendi cupiditas frequenter irrepit. Auaritiæ ipsi rapina est subdita. Et quāto tolerabilius est propria profundere, quā aliena diripere? Sunt qui metuētes aliquid proprio minuere de censu, etiam inopi sumptum negent, & misericordiam detrimentum putent. Sunt qui de genere vitantes ignobilitatem, stabro secularis ambitionis agitentur, & sicut quassatæ arundines huc atque illuc ferantur incerti. Sunt etiam qui dum maiorum suorum statum sequuntur, veluti digna conuersatione contenti, ne errores quidem patrios existiment declinandos, vt fide mutādam perfidiam non arbitrentur: cum in melius mutare propositum non leuitas, sed virtus: neque culpa, sed gratia sit. Alius Circensibus ludis, atque theatralibus sollicitatus voluptatibus, aut ceteris vanitatibus occupatus, ecclesiam non frequētat: alium ruris quiete delectant, eaque causā ad ecclesiam rarus accessus est. Itaque diuerso vsum in eundem indeuotionis errorem vterque concurrit. Sed qui omnem viam iniquitatis odit, ad vniuersā corrigitur & emēdatur. Et bene posuit, *Viam iniquitatis*. Ille enim facilius iniquitatem declinat, qui vias eius non fuerit ingressus.

In octonarium decimumseptimum enarratio.

Phc.

**P**He littera decima septima, Latine significat, Er-raui; siue, Os aperui. Meritò hæc lacrymabilis scries Psalmi subiecta est huic litteræ: Respice in me, & miserere mei, & nō dominetur mei omnis iniquitas. Faciem tuam illumina super seruum tuum: vt ei qui erat in vmbra mortis, populo, caelestis misericordię lumen oriretur, adueniret Christus remissio peccatorum, captiuorum redemptio, subsidium laborantium. Sed quia venire tardius desiderantibus videbatur: Exitus, inquit, aquarum transierūt oculi mei. In Hieremiæ quoque Threnis lacrymabilior series sub hac littera est: Expandit, inquit, Sion manus suas, non est qui consoletur eam. Dignam remunerationem recipit, vt quæ expandentem manus audire neglexit, & sub alas eius succedere; ipsa postea expanderet manus, & consolantem inuenire non posset. Nam etsi ante aduentum Domini Hier-

Ii

*Rom. 10.*

*Coloss. 2.*

*Joan. 7.*

*Joan. 11.*

*Esai. 1.*

*Luc. 8.*

*Esai. 63.*

*Esai. 45.*

*Esai. 44.*

*Esai. 11.*

*Joan. 2.*

*Ibidem.*

*Ecd. 3.*

*Mar. 11.*

*Galar. 2.*

*Deut. 12.*

*Mat. 20.*

*Deut. 16.*

*Ibidem.*

*Exod. 12.*

*1. Cor. 1.*

*Act. 3.*

*Plin. lib. 37.*

*nat. hist. c. 6.*

*Esai. 8.*

*Esai. 11.*

*1. Petr. 4.*

*Rom. 13.*

*Matth. 11.*

*Infra.*

*Esai. 9.*

*Esai. 61.*

*Infra.*

*Thren. 1.*

*Esai. 65.*

*Matth. 23.*

S. Ambr. tom. 2.

remias captiuitatem Iudæorum à Babyloniis illatâ deflere videatur, tamen propheroico spiritu istâ magis captiuitatē præuidens, qua eos intelligibilis Babyloniis in perpetui erroris vincula coniecit, & domesticæ virtutis extorres de statu paternæ deuotionis eliminans, longæq; afficiens peregrinationis exilio, miserabili dolore deplorat. Nulla enim patria verior quàm fides: quæ eos qui longe erant, propè esse fecit, & aduenas atq; peregrinos ciuitatis superne iure cõnexuit, sicut scriptum est: Ergo iam nõ estis aduenæ atque peregrini, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei. Alibi quoq; Hieremias dicit sub hac littera: Aperuerunt in te os suum omnes inimici tui, sibilauerunt & fremuerunt dentibus, & dixerunt: Deglutiimus eam, verum tamen hæc est dies quam sperabamus, iuuenimus eam, vidimus. Et hic sicut Iudæorum populus os aperuit in Christum, quæadmodum in vigesimo primo Psalmo de eius passione legisti, quod aperuerunt os suum maledicentes: dignæ sortem remunerationis agnosce, vt ipsi ab inimicis suis talia sustinerent, fremeret in eos dentibus intelligibilis iste peccator diabolus, sicut leo rugiens, & requirens quem deuoraret. Isti igitur non dixerunt: Benedictus Dominus qui non dedit nos in capturam dentibus eorum; quia sperandum de Domino non putauerunt. Ergo excidium eorum diabolus quod præsumebat inuenit. Deglutiuit eos, quoniã decerat pastor offensus, qui extraheret de ore leonis; crura ouis, aur auris cartilagineam. sequi noluerunt, audire noluerunt, acido decedente pastore, vestigia eorum atque aures suis faucibus leo occupauit: quia faciem sacerdotum non receperunt, & nobilibus misericordiam non dederunt; vt Hieremias sub hac littera dicit in Threnis. Qui erant nobiles, nisi qui non obscuram hanc vitam, sed in lumine sanctitatis egerunt? Et omnibus quidẽ misericordia inopibus iure deberet, sed maior quædam cum ex diuitibus atque nobilibus in vltimum statum atque egestatis necessitatem aliquos arumna deiecit, miserationis pulsar affectus. Hieremias ergo flebiliter fatiis, vt pote qui perpetuæ aculeo mortis deploraret amissos: Dauid verò moderatè, quasi qui obreptionem doleret erroris, remedium non desperaret correctionis, vt contristaretur, non absorberetur. Denique confirmatus sobrietate pœnitentiæ, & spe veniæ prouocatus, sic cœpit:

Mirabilia testimonia tua, propterea scrutata est ea anima mea.

Moralis oratio, vt quoniam eum puderet erroris, Deum tamen propriæ miserationis testimoniis conueniret. Hoc est dicere: Ego in exordio sermonis loquens mea peccata, non audeo leuare oculos meos ad te Deum viuum, sed tu Domine me ad sperandam veniam, tantarum indulgentiarum titulis prouocasti. *Mirabilia testimonia tua.* Cũ in Abraham collapsu incuriæ iuuenilis offensus es; dum vt Chaldaeorum errores, patrũque cognationẽ relinqueret, euocatum virtutis exercitiis erudisti: cum Hebræorum populum à paternæ studio nobilitatis auersum, & viles eficas Egypti super diuina munera preferentem, non solum solidatis Rubri maris fluctibus liberaisti, verum etiam cum triumphis plu-

rimis cœxisti ad gloriam, & vberis terra possessione donasti ad quietem. Te fœtus securitate deseruit: te bellorum acerbitate depressus inuocauit; & vt iniurias tuas obliuisceretur, emeruit. Te Iesus Nunc ducem sibi cœlestis militiæ venisse cognouit. Te populus triumphator vt Madian sibi dominaretur, offenderat: te vt Madian vinceretur, orauit. Tibi in Saul rege non obtemperauit, vt de eo alienigenæ triumpharent. Tibi Dauid præcunte seruiuit, vt de alienigenis victoriam reportaret. Ego quoque pastor malignum feci, & confessione peccati veniã reportauit. Pulcherrimus itaque versiculus ad martyrij cohortationem. Denique prophetica anima sic profecit in melius, dum mirabile credit Dei testimonium: & quia credit, diligenti indagine requisit. Profectũ quæris? agnosce ex his versiculis qui sequuntur.

Manifestatio sermonum tuorum illuminat me; & intellectum dat paruulis.

In Euangelio, cum mitteret discipulos suos Ioãnes ad Dominum Iesum, dicebat: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Respondit Iesus cæcos videre, claudos ambulare, audire surdos. Hoc enim aduentus sui testimonium fore, per Esaiam prophetam significauerat. Hæc ergo quæ annuntiauit per prophetas, in Euangelio manifestauit: & quod ipse locutus est per prophetas, in Euangelio ipse compleuit. Ipsi ergo sermo erat propheticus sermo, sicut habes scriptum: Audi cælum, & percipe auribus terra, quoniam Dominus locutus est. Intellectus ergo datus est etiam his qui perfectam sapientiam non haberent, dum mutilo loquuntur, mortui resuscitantur. His enim signis intellectum est ab iis qui rudes erant, & adhuc quasi in cunabulis fidei constituti, vt erat populus nationum, ipsum venisse qui expectabatur. Illuminat igitur fidei claritate, resurrectionis suæ gloria, diuinorum operum potestate, & intellectu dat paruulis. Quibus vtique, nisi de quibus in Euangelio gratias agit patri, in eo quod ipse operabatur filius, quod mysteria sua Deus abscondisset à sapientibus, & paruulis reuelasset: ostendens citius plebem ex gentibus, vel status inferioris viros, quàm scribas & principes Iudæorum, & diuites huius sæculi credituros? Ideo diuites eguerunt & esurierunt: pauper autẽ clamauit, & exauditus est.

Os meum aperui, & duxi spiritum: quoniã præcepta tua concupiscebam.

Habemus in Euangelio quod Dominus Iesus aperuit os suum, cum benedictiones ediceret. Sed ille os aperuit, vt daret aliis spiritum: Dauid aperuit, vt acciperet, Deniq; Iesus dicit: Accipite Spiritũ sanctũ; Dauid dicit: Dilata os tuum, & adimplebo illud, hoc est, hominĩ dicit. Plenitudo enim Christi est. Qui implet omnia, implet os tuum. Scribe ergo quæ dicit in latitudine cordis tui, hoc est, os tuũ clamet ad Dominum. Clamat os tuum & cum tacet, sicut & Moyses cum taceret voce, clamabat spiritu. Ab hominibus non audiebatur, apud Deum personabat. Est enim interioris clamor affectus, qui auditur è cælo. Anna quoque cum oraret, tacita clamabat;

bat: labia non mouebat, & interiori voce piæ mentis excitabat Iesum. Deniq; cum effectũ reddidit, quæ cum silentio precabatur, quia clamabat in ea spiritus Dei, qui etiam tacentibus nobis clamat, Abba pater. Intelligere ergo quid os sit, vtrum cor, an interioris hominis habitus. Habet & os anima, quæ habet membra. Hoc os aperit non solum Christo, sed etiam Christi discipulo, qui os suum Christo implendum præbuit, & ideo dicit, Os nostrum patet ad vos ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Ideo imitatores nos sui esse debere admonet, sicut ipse Christi est. Qui sanctior est, Christo aperuit os suum: qui inferior, Apostolo. Prius propheta legitur & Apostolus, & sic Euangelium, in quo verba lucida, sed validiora præcepta. Lex dicit: Diliges proximum tuum. Et Euangelium dicit tibi: Diliges inimicum tuum. Dauid ergo quasi perfectus propheta os suũ Christo aperuit, & ideo in parabolis aperuit os suũ. Aperuit os, duxit spiritum. Meritò ait: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & fauam orimeo. Sponsa Christi os suum sponso aperuit, percipit omni melle dulciora præcepta. Et ideo testata est, dicens: Fauces eius dulcedines, & totus desiderium. Delectata igitur tenuit eum, & non dimisit eum. Et introduxit, inquit, eum in domũ matris meæ, & in secretũ eius quæ me concepit. Fortassè domus est, in qua præfulget moralium disciplina: secretum autem illud est, in quo sunt altiora mysteria. Meritò ergo concupiscebat præcepta Domini, in quibus diuinæ gratiæ mella redolebant. Annon omni melle dulcior peccatorum remissio? Nonne omni flore gratior resurrectio mortuorum?

Respice in me, & miserere mei, secundum diudicium diligentium nomen tuum.

Pulchrè addidit: *Respice in me, & miserere mei*, quia respicit & iratus, vt respexit super castra Egyptiorum, & ligatis axibus currum, omnes eos deiecit in fluctus. Respexit super Sodomam & Gomorham, quarum vtraque peccatorum suorum luitura supplicium, diuinæ pretium soluit offensiæ. Scriptũ est etiã: Aspicias super terram, & facies eam tremere. Econtrã respexit super munera Abel, super Cain autem munera non respexit. Quo exasperatus Cain, parricidali crimine cruorem fratris effudit. Quid sit autem respicere Deum, euidentissimè illo testimonio declaratur: Quia respexit super filios pauperum, & non despexit preces eorum. Oculum enim Domini non aspernatur iustorum munera. Denique oculos nostros cum in aliquem mouemur, auertimus, quasi indignum eum aspectu iudicemus, quem odimus affectu.

Gressus meos dirige secundum verbum tuũ, & non dominetur mei omnis iniquitas.

Gressus pro profectibus animæ accipiendos frequentibus scripturarum testimoniis admonemur. Nã quis tam stolidus ingenio est, qui putet Dauid de pedum suorum corporalium gressu esse sollicitum, & his diuinæ directionis auxilium postulare? Ille verò vt sanctus vitæ suæ cursum dirigi gestiebat, sicut & alibi scriptura testatur, dicens: A Domino di-

riguntur gressus viri. Deniq; ipsius vtamur testimonio, qui ait in superioribus: Paulo minus effusi sunt gressus mei, quia zelauĩ in peccatoribus pacem. Animi itaque sui ostendit claudicasse vestigium, dum pacem peccatorum putat esse mirandam. Videntur quidem habere tranquillitatẽ, videntur quiete frui: sed non est quies, vbi animus inquietus est: non est tranquillitas mentis, vbi animus exagitur obnoxie stimulis conscientiæ. Quomodo securitas, vbi diuersarum pugna est passionum, vbi conflictus grauium cogitationum? Vnde Dominus definiens quid sit pacem habere, ait: Pacem meam do vobis, pacẽ meam relinquo vobis: non sicut mundus dat, ego do vobis, ostendens pacem quam mundus dat, vere pacis gratiam non habere. Ideoq; nõ in homine esse pacem volens docere, addidit: Pacem meam relinquo vobis. Et iterum: Pacem meam do vobis. Deniq; Propheta dicebat: Pax pax, & vbi est pax? Manifestum est igitur eũ de titubatione suæ dixisse sententiã, in qua animi, non corporis titubauerat gressus. Et Moyses ait: Transiens videbo hoc visum magnum. Etenim vt Deum videret, progressionẽ quadam virtutis ad altiora processit. Pastor erat ouium, & dux factus est ciuium. Et ad sponsam dicitur in Canticis: Speciosi facti sunt gressus tui in calciamentis filia Aminadab: moduli femorum tuorum similes torquibus opere manuum artificis. Non est dubiũ gressus hic quoq; Ecclesiæ, vel animæ profectus significari. Quàm speciosi pedes sunt euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Vtiq; speciosos pedes dicit euangelicæ prædicationis & disputationis progressus, vt alibi dicitur: Transgredere flumina, hoc est fluentia, & lubrica istius mundi transcurrere stabili mentis incessu. Quod de animæ gressibus hic dicit, in posterioribus ipse Dauid euidenter ostendit, asserens quod torrentem iniquitatem sua anima transiret. Sed reuertamur ad sponsæ gressus. Quid sibi vult quod ait in calciamenti speciosos esse gressus Ecclesiæ: Legimus itaque dictũ ad Moysen: Solue calciamentum pedum tuorum. quo videtur admonitus ne corporalibus vinculis teneretur restrictus. Ergo speciosam significat in Canticis animæ pulchritudinẽ, quæ carne tamquã calciamento vititur, & in ipso impedimentum non patitur, sed incessus decore præcellit. Calciat se ergo carnis anima ecclesiastica gratia, vt cursum vitæ huius & transitum cum decore prætereat. Quod sit, si calciamentum suũ non inquinat luto corporali, nec in vitiorũ mersit voragine, si castiget carnem suam ne moretur ad cursum, & aruinæ pinguis pondere prægruetur. Bonum calciamentum animæ, pudicitia est. Bonus gressus, vestigium est castitatis. Sapientiæ autem amictus est animæ. Vnde scriptum est: Honora eam, & amplectetur te. Vtamur ergo corpore tamquam calciamento, ad inferioris opera virtutis: ad ministerium, non ad præcipitium: ad obsequium, nõ ad delectationem: ad obedientiam, non ad dissensionem: & in via sapientiæ vestigium collocemus, ne gressus nostros vis torrentis aliqua concludat. Ideo ad Moysen dictum est: Solue calciamentum. Dictũ est & ad Iesum Nauc. De Christo autem dictum nõ est, sed magis scriptum est, dicente Baptista: Post me venit vir, cuius non sum dignus calciamentã portare.

Ephes. 2. ibid.

Thren. 2.

Psal. 21.

1. Petr. 5.

Psal. 123.

Amos. 3.

Thren. 4.

2. Cor. 2.

Prou. 18. Luc. 18.

Gen. 12.

Exod. 15.

Isa. 5. Iudic. 6.

Judic. 8. 1. Reg. 15.

2. Reg. 8. 2. Reg. 24.

1. Cor. 6. Phil. 3.

1. Tim. 1.9. 1. Tim. 5.

Psal. 77. Epist. 13.

Math. 11. Esai. 55.

Esai. 1. Math. 11.

Psal. 33.

Exod. 14. Gen. 19.

Psal. 103. Gen. 4.

Psal. 33.

Psal. 107.

Math. 5. Ioan. 20. Psal. 50.

Rom. 10. Exod. 14.

Psal. 43. Exod. 3.

Isa. 5.

Psal. 72.

1. Tim. 1.4.

ibid.

Hiere. 8.

Exod. 3.

Cant. 7.

Esai. 52.

Esai. 47.

Psal. 123.

Cant. 7.

Exod. 3.

1. Cor. 9.

Prou. 4.

Esai. 43. Exod. 3.

Isa. 5.

*Matth. 3.* tare. quia illi bene admonentur vt soluant calciamentum suum, qui sine peccato esse non poterant. Hic autem non solum calciamentum non soluit, sed etiam calciamenta aliorum absoluit, quia non solum corpus suum a peccatis immune seruauit, sed etiam omnium dedit indulgentiam peccatorum. Ergo Ecclesia ad imitationem Christi speciosa est, & in calciamentis omni abluta delicto. Et fortasse quando sapientiam inter perfectos loquitur, speciosa est in superioribus membris: quando autem etiam inferioris status aut doctrina: homines verbum sequuntur, fidei seriem non obliuiscuntur, sacerdotis precepta custodiunt, speciosa est in calciamentis. Plerumque clerus errauit, sacerdotis nutauit sententia, diuites cum seculi istius terreno rege senserunt, populus fidem propriam referuauit. Vnde etiam de Domino Iesu bene possumus dicere, quia & in his que corporalia sunt, speciosos gressus verbum habeat, quum de moralibus disputatur. Et Apostoli ideo fortasse nudis mittuntur pedibus, ne obumbretur eorum disputatio, sed eluceat. Itaque Ecclesia filia Aminadab, hoc est, voluntarij vel beneplaciti, quia voluntarius eam & beneplacitus congregauit, & in calciamentis speciosa est. Meritoque additum est in Canticis: Moduli femorum tuorum similes torquibus opere manuum artificis: vt posteritatis Ecclesie ornamenta canerentur. Per femur enim insigne generationis agnoscimus, iuxta illud: Accingere gladium tuum super femur potentissime. quo significatur quod filius Dei cum semetipsum exinanisset, verbi accinctus diuinitatem, & generationem calciatus humanam prodiret ex Virgine, omnibus esset daturus salutem. Moduli autem dicuntur ornamenta pretiosa que suspendi matronarum ceruicibus solent. Tantus ergo processus Ecclesie significatur, vt ornamentis pretiosissimis comparatus sit, & torquibus triumphantium. Hec enim ornamenta sunt bellatorum. Vnde & Symmachus *ἐπιτραχιλία* dixit, hoc est, quae sunt circa collum. Siue ergo generatio Christi ex Virgine, siue Ecclesie propagatio, specie quidem tamquam manu artificis torquibus adornatis, vere autem virtutis insignis spiritualibus ceruices fidelium coronauit. Denique tota ista descriptio membrorum Ecclesie plena decoris & laudis est. Nam & umbilicus eius tamquam crater tornatilis praedicatur, mixto non deficiens, eo quod in omni doctrina tornatus plenitudine cognitionis, & potu non deficiat spiritali, & venter eius non solum aceruo tritici, id est, cibis fortioribus caelestis mysterij saginetur, verum etiam tamquam liliis quibusdam moralium suauitate repleatur. Vnde & ipsa tamquam benemerita regina Christi sanguine coronatur, sicut scriptum est: Et ornatus capitis tui sicut purpura. Sanguis Christi purpura est, qui inficit sanctorum animas, non solum colore resplendens, sed etiam potestate, quia reges facit, & meliores reges, quibus regnum donet aeternum. Meritoque ad tantum Ecclesie decorem, cui Christi sanguis irrutilat, Spiritus sanctus inelamat: Quam pulchra & suavis facta es charitas in deliciis tuis. Pulchra decore virtutis, suavis iucunditate gratiae, remissione vitiorum, quam nulla vexat amaritudo peccati, & ipsa tam charitas quae diligendo Deum ipsum & nomen acceperit,

G quia Deus charitas est. Recte ergo Dauid petit gressus suos dirigi secundum verbum Dei, vt fiant & ipsi speciosi, & non dominetur ei iniquitas: quam iure praecauit. Sciebat enim & Abraham gressus suos secundum praeccepta Domini dirigentem, & appetito speciosa vxoris pudore tentatum, sed non confusum; & in vicini immolatione filij postlata patriae mentis pietate luctatum, sed coronatum; se quoque in furore Saul, incestu Amnon, Abessalon parricidio, iniquitatis improbe feralibus tentationibus appetitum, hoc solo euasisset, quod dirigens gressus suos secundum pietatem Domini a paterno non recessit affectu, intra se gemens crimen incesti, a se relegans odia parricidiae: Filius meus Abessalon, filius meus, inquit, Abessalon, quis dabit mihi mortem pro te? memor naturae pietas, offensae immemor, de quo ante quaesuit: Puerue viuit: Et fortasse quaerendum sit qua ratione ante puerum dixit, postea filium nominauit: cur non in vtroque aut puerum dixit, aut filium? Si uiueret, puer erat, quia parricidio petebat patrem. Non ergo pietatis nomen accipere debebat, sed infirmitatis. Ideoque vir iustus quod religionis fuit, tacuit: quod infirmitatis, aspexit. Vbi vero est mortuus, apud pium patrem personae crimen defecit, naturae nomen remansit.

Libera me a calumniis hominum: vt custodiam mandata tua.

Non vnum genus est nostrae afflictionis: est tentatio, est & calumnia: sed tentatio leuior, calumnia grauior: siquidem tentatio potest esse calumnia, calumnia in se & tentationem habet. Est humana tentatio, quam ferre possumus; calumnia autem grauis est. Et ideo Dominus quae sunt grauiora suscepit, & calumniis appetitus silentium detulit triumphale. Calumnia autem eo grauior est, quia non solum falsa componit, verum etiam quae pie gesta sunt decolorat: vt Ioseph non solum adulterij oblatione tentatus est, & inuitatus ad crimen herili illecebra, verum etiam tentatus calumniis, composito quod ipse adulterium dominae suae inferre voluisset, comprehensumque exuerit vestem, ne ipse vt fraudis indicium, atque insigne criminis teneretur: amictumque ideo fugiens reliquerit, vt laqueos vim ferentis, & nexos illecebrosae artis euaderet. Ipse Dauid senserat quod timebat Saul, & quibus calumniis laborabat: perterritis omnibus, allophyli impetum lustrat, & singulari certamine summam belli, & totius praelij pondus excepit, virtute sua solum commune crimen rescellens, & totius retorquens in hostem plebis opprobrium: etiam quia iuenculae dixerunt: Saul triumphauit in milibus, Dauid in decem milibus: gloria in inuidiam versa, odio coepit vrgeri. Et (vt de posterioribus loquamur) Susanna bene sibi conscia erat, sed apud homines sibi adesse non poterat. Duo presbyteri senes fallum testimonium deferebant, numerus sacerdotum atque senectus vocem auferentem puella, sola conscientia erat apud Deum libera. Denique hominum damnata iudicio, nutu est absoluta diuino. Ideo ait Propheta: *Libera me a calumniis hominum; vt custodiam mandata tua.* Qui enim opprimitur calumnia, non facile potest custodire mandata diuina. Tristitia necesse est plerumque aut timori cedat, & affligatur vel metu calumniae, vel dolore.

Vultum

Vultum tuum illumina super seruum tuum: A & doce me iustitias tuas.

Illuminat Dominus sanctos suos, & lucet in corde iustorum. Itaque cum sapientem videris, cognosce quia descendit super eum Dei gloria, illuminauit eius mentem scientiae fulgore, cognitionisque diuinae. Illuminavit etiam corporaliter faciem Moysi, & transfigurata est gloria vultus eius, quem videntes Iudaei trepidauerunt: & ideo factum est vt Moyses velamen poneret super faciem suam, ne in eam filij Israel intenderent, & superturbarentur. Simul declarabatur mysterium, quod illud velamen quod in facie Moysi corporaliter ponebatur, in cordibus Iudaeorum mystice poneretur, eo quod veram legis claritatem videre non possent. Vultus enim Moysi fulgor est legis: fulgor autem legis non in littera, sed in intellectu est spiritali. Itaque quoad vixit Moyses, & alloquebatur Iudaeorum populum, velamen habebat in facie sua. Mortuo autem Moysse, Iesus Naue iam non per velamen, sed facie reuelata & presbyteros alloquebatur & populum, & nemo trepidabat: cum vtique & ipsi dixerit Deus quod cum ipso ita esset futurus, vt fuit cum Moysse, & eum similiter illuminaret: gestorum vtique, non vultus gloria: hoc significante Spiritu sancto, quod venturus esset verus Iesus, ad quem si quis conuerteretur, & eum vellet audire, de corde suo velamen auferret, & reuelata facie verum Saluatorem videret. Ergo Deus omnipotens pater, qui in Moysi facie excaecauit populum Iudaeorum, non duritia, sed praescientia: nec malitia, sed aequitate atque iustitia (ipsi enim sibi velamen posuerunt, qui legem intelligere noluerunt. Lex enim spiritalis est, sicut dixit Hebraeus ex Hebraeis) is vtique secundum illud quod dat vniciuique nostrum (in quo non tribuentis, sed non diligentis est culpa) iste inquam Dominus illuminauit cor populi nationum in facie Christi Iesu per eius aduentum: quod euidenter apostolico declaratur exemplo, sicut scriptum habemus: Quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Christi Iesu. Ideo ergo dicit Dauid ad Dominum Iesum: *Vultum tuum illumina super seruum tuum.* Faciem Christi videre cupiebat, vt mens eius illuminari posset, Et secundum incarnationem potest accipi. Multi enim prophetae & iusti videre voluerunt, vt ipse Dominus declarauit. Quod autem negatur Moysi fuerat, non querebat, vt corporaliter Dei vultum in corpore videret (si tamen & Moyses tam sapiens & eruditus hoc potuerit simpliciter magis quam in mysterio postulare) humanum tamen est desideria supra nos extendere. Nec immerito facie eius aduenientis ex Virgine querebat videre, vt illuminaretur in corde, sicut illuminabantur etiam illi qui dicebant: Nonne cor nostrum ardebat in nobis cum aperiret nobis scripturas: Quod si quis ad Deum patrem dictum vult videri, potest accipi vultus patris, filius. Qui enim videt filium, videt & patrem. Illuminat tamen vultus Dei, secundum quod oculi eius super iustos habentur. Quod cum spiritaliter sit probandum, tamen quia incidit illuminationis vultus Moysi historia, ne quis putet corporaliter id fieri non

potuisse, cognoscat. Etenim vsu solis, quod multis etiam pallore confectis totius corporis figura mutatur, & ignis vapore calefactis species vultus rutilantis offunditur. oriente die rubent terrae croceo colore perfusae, imaginem de beneficio mutuatae gemmarum quoque monilia coruscantia transfundunt finitimis quod ipsa radiauerint: & miraris si Moysi vultus diuinae infectus sit claritate praesentiae? Miraris si resurgente Dei gratia iusti vaporetur ingenium? Non dubitauit Propheta, qui poposcit illuminari prius, vt iustitias Domini posset addiscere.

In decursus aquarum descenderunt oculi mei, quia non custodiui legem tuam.

Granditer affectum poenitentiam gerentis expressit, dicens quod in aquarum decursu oculi sui descenderint, siue quia per eos tamquam per meatus vndantium fluentorum, ita exuberantium lacrymarum se quidam ductus effuderit, & sletus irrigui per continuum quoddam & iuge profluuium, siue quod ipsi descenderint oculi. Habet enim hoc vis summi doloris, vt cum lacrymis oculi quoddammodo ipsi videantur descendere: eo quod tanta vis lacrymarum sit, vt putentur oculi in sletus resolui, & in lacrymas effundi. Oculi ergo ipsi tamquam in decursu descenderunt aquarum, quo verbo impetus deplorantium vehemens expressus declaratur, secundum illud quod in Canticis scriptum est: Fons hortorum, puteus aquae viuae, & impetus descendens a Libano. Hos impetus Ecclesia deduxit a Libano; hoc impetu diluuntur peccata, hoc impetu puri fontis Spiritus sancti affluit a Libano sponsa, & a principio fidei transfuit saeculum, & pertransiit ad regnum. Aliis fons est, aliis puteus pro captu nostro gratia spiritalis; aliis hortus clausus, fons signatus; aliis hortorum fons, qui in Ecclesia dote numeratur; aliis impetus descendens a Libano; & magnus impetus, qui nunquam deficit. Non enim deficit de petra vbera, neque nix a Libano, neque aqua quae fertur valide ventero virgini Israel. Descendit impetus a Libano, quando collectis in vnum Apostolis & pluribus creditibus, factus est subito de caelo sonus, tanquam vi magna spiritus ferretur, & repleti sunt omnes Spiritu sancto diuersitates donante linguarum. Bonus impetus, qui laedere nesciat, norit implere. Si quis igitur hunc impetum superuenientis de caelo gratiae vult mereri, descendat etiam ipse oculis in decursu aquarum. Qui hunc primum impetum fuderit, illum merebitur. Descendit oculis suis in hos ductus aquarum, quae lacrymis irrigauit in Euangelio Domini pedes: & ideo fidei suae pretio emit animam suam & corporis sanitatem, iam non sanguinis proflua, sed gratiae spiritalis. Descendit ergo Dauid propheta, ideo de peccato gratiam retulit. Descendit in aquarum ductus, hoc est, repleuit eos, & decurrentium aquarum lacrymis suis fluenta cumulauit, aut inanes & vacuos ductus solis repleuit sletibus, aut (quod elocutionis moralis quidam sensus ostendit) descendit in aquarum ductus, transfuit eos. Est possessum dicere: Transcendit eos, & supergressus est: sed minuitur vis eloquij, quo vis maior affluentiae descendens quam ascendens exprimitur. Videro quid de vltis verba habeant, impetum suum sermo pro-

Ii iij



pheticus nō amittat, licet vſus ipſe ſcriptorum ſen-  
ſui ſeruire maiore decore conſueuerit. Diuerſe hoc  
& ſæpe ſignificauit, & propemodū incrementa ſem-  
per aſſumpſit. Dixit enim primò: Lauabo per ſingu-  
las noctes lectum meum, lacrymis ſtratū meū ri-  
gabo. Dixit iterum: Fuerunt mihi lacrymæ meæ pa-  
nes. Dixit etiam: Et potum meum cum ſletu miſce-  
bam. Hic addidit, dicens: *In decurſus aquarum deſcen-  
derunt oculi mei.* Hoc ſecutus in Threnis Hieremias,  
affectum doloris expreſſit, vim oculi deſcendentis  
imitatus. Sic enim habes: Deſecerunt in lacrymis  
oculi mei, conturbatum eſt cor meum. Tamquam  
deſcenderint oculi, qui deſcunt in lacrymis. Et ali-  
bi: Oculi meus abſorptus eſt. Sed plus eſt aquas  
lacrymis vincere, quàm oculos abſorberi ſletibus.  
Et alibi idem Hieremias: Clamauit cor eorum ad  
Dominum: muri ſiliæ Sion deducant vt torrentes  
lacrymas die ac nocte. Noli dare tibi requiem, non  
ſileat pupilla oculi tui. Oculi igitur qui torrentes de-  
ducunt lacrymis ſuis, ipſi in ductus aquarum deſcē-  
dunt; hoc eſt, cumulantur vt faciant eos ſuis augen-  
tes ſletibus impetu exundare torrentium. Sunt ta-  
men codices qui habēt: *διεξόδοος ὑδάτων κατὰ τὴν ἄσσαν*  
*οὐ ὀφθαλμοὶ μὲν.* hoc eſt, Ductus aquarum direxerunt  
oculi mei. Sed ego in Græco codice meo *κατὰ τὴν ἄσσαν*  
legi, hoc eſt, deſcenderunt. in quo poteſt fieri vt in  
vtramlibet partem duarum adiectione aut diminu-  
tione litterarum ſcriptor errauerit. Et habuit qui-  
dem multa quæ ſerret, vel inceſtum ſiliæ, vel interi-  
tum filiorum: ſed hic non hoc ſcuiſſe ſe dicit, ſed  
quia non cuſtodiuit legem Domini. A ſancto viro  
plus culpa quàm ærumna deſletur. Fleuit itaque  
quando ei Narhan de Viræ morte indignationem  
Domini nuntiauit: & peccatum ſuum de præuarica-  
tione legis agnouit. Denique filio in ægritudine  
conſtituto, neque cibum ſumpſit, neque regiū thro-  
num aut cubile conſcendit: ſed ſtratus in terra ieiuna  
ora lacrymis diluebat, non tam filij mortem,  
quàm peccati pœnam in illo lauare deſiderans. Fle-  
uit, quando numerato populo repente corde per-  
cuſſus eſt. Denique, Peccaui, inquit, grauiter, pecca-  
ui ſtultè. Fleuit igitur primò, quia elatus regia pote-  
ſtate, quærendo numerum plebis, meſuram egreſ-  
ſus eſt conditionis humana: deinde quia ſui erroris  
pretio vindicabatur in plebem. Sed à Domino hæc  
propoſita pœna fuerat, non à rege eſt poſtulata: Do-  
mini tamen ſe committendo miſericordiæ, electio-  
nis cauſam probauit: ſimul quia propter eum popu-  
lus laborabat, ipſeque ſe offerendo pro populo, ela-  
tionis ſoluit iniuriam, pietatis probauit affectum.

In octonarium decimum octauum enarratio.

\* Zadic.

ſequitur Zadic littera decima octaua, quæ Lati-  
na interpretatione dicitur Conſolatio. Poſt mo-  
re torrentium lacrymas deſluentem, & graues ſletus  
doloris, oportet conſolationem ſequi. Nam qui  
in doloribus ſunt, conſolatione indigent: & qui gra-  
uibus ærumnis pœnas commiſſorum lucrunt, ſpe-  
rant indulgentiã: & qui ſletibus & lacrymis propria  
delicta lauerunt, requiem promerentur. Hæc om-

nia in ſcripturis diuinis qui quærit, inuenit. Nam &  
primum illud, vt in dolore poſitos conſolemur, do-  
cet illa quæ in libro Hieremiæ ſcibilibiter clamatur ad  
captiuos & exules Iudæorū: Ite, proficiſcimini filij:  
ego autem relicta ſum deſerta. Exui me ſtola pacis,  
indui autem me ſacco precationis meæ; clamabo ad  
excelsum in diebus meis. Animo æquo eſtote filij,  
clamate ad Deum, & extrahet vos de manu princi-  
pū inimicorum. Ego enim ſperaui in illo æterno ſa-  
lutem veſtram. Credentibus igitur in Dominū, eſt  
in Domini miſericordia conſolatio. Eſt etiam aliud  
conſolationis genus iis qui graues ſoluerint pœnas,  
vt habes ſcriptum in Eſaiæ libro: Conſolamini, con-  
ſolamini populus meus, dicit Dominus: ſacerdotes  
loquimini in cor Hieruſalem, conſolamini eam,  
quoniam repleta eſt humiliatio eius: ſolutū eſt pec-  
catum eius; quoniam accepit de manu Domini du-  
plicia peccata ſua. Etiam ſi fides deerat, pœna ſatiſ-  
fecerat. Releuantur ſolutione pœnarum, qui abſol-  
uunt commendatione meritorum. Tertium eſt,  
cū lacrymis crimen abluitur, vt eſt illud: *Diſcedi-  
te à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniã  
exaudiuit Dominus vocem ſletus mei.* Quod etiam  
hoc loco, & plerique aliis, in libro Pſalmorum faci-  
lè reperitur. Conſolatio igitur prima ordine eſt, quo  
niã non obliuiſcitur Deus facere miſericordiam, ne-  
que in æternum proiciat quos putauerit coopercedos.  
Secunda, quòd decurſus ſupplicii quæ propter pec-  
cata noſtra tolerauimus, ad veniã pertinemus. Vn-  
de nonnulli philoſophi diſputauerunt obeſſe im-  
probis abſolutione, prodeſſe mortem: eo quòd in il-  
la ſit inſcientium delinquendi, in morte autem ſinis.  
Hoc ſumptum eſſe de noſtris cui dubium, cū in  
Prouerbis Salomonis ſit: Qui parcat baculo, odit fi-  
liū ſuū: caſtigat enim Dominus quem diligit: Et in-  
frã: Flagellum equo, & ſtimulus aſino, virga autem  
nationi imprudenti. Pœna enim corrigit & emēdat  
errantem. Si talis eſt qui emendari non queat, au-  
fertur è medio, ne grauiora committat. Mortuus e-  
nim iã neſcit errare. Ideòque & Eccleſiaſtes ait: Et  
laudauit ego mortuos magis quàm viuentes; & opti-  
mum iudicauit ſupra hos eum qui nō dum natus eſt,  
qui non vidit hoc opus malum. Mortuus præfertur  
vienti, quia peccare deſiuit. Mortuo præfertur qui  
natus non eſt, quia peccare neſciuit. Nunc dica-  
mus etiam de iis qui pœnas ſclerum ſoluerūt ſuo-  
rum. Nōne iſti tulerunt culpæ pretium, & iam non  
integra hiſ pœna debetur? Clamat per Eſaiam Do-  
minus: Conſolamini populus meus; quia recepit  
de manu Domini duplicia peccata ſua. Diſcite vn-  
de Plato hæc ſumpſerit. Eruditionis gratia in Ægy-  
ptum profectus, vt Moyſi geſta, legis oracula, &  
prophetarum dicta cognoſceret, audiuit cōſolatio-  
nē populū, qui ſupra peccati modum videbatur fuiſſe  
punitus: & hunc locum quadam ad opertum dote  
verborum, in dialogum tranſtulit quem ſcripſit de  
Virtute. Quem locum tamen Dominus in Euāgelio  
plenius comprehendit, & apertius declarauit, dicēs  
per Abraham perſonam ad illum diuitem ſæculi hu-  
ius: Fili recorde quia recepiſti bona in vita tua, &  
Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatio-  
nem habet, tu verò cruciaris: & in hiſ omnibus in-  
ter nos & vos chaos magnum firmatum eſt, vt ij qui

volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde  
huc tranſmeare. Sed iam audiamus quid iuſtus in  
conſolando ſe loquatur.

Iuſtus es Domine, & rectum iudicium  
tuum.

Verè iuſtus vir, qui lacrymis profluens, inuolu-  
tus ærumnis, graui ſupplicio delicta perſoluens, non  
tædio vincitur, non metu frangitur, non labore laſ-  
ſatur, non ingratus aut triſtis eſt. Plerumque enim  
vulgus hominum ſua delicta non repetens, iniuſtè  
ſe putat tolerare quæ patitur. At verò vir iuſtus, qui  
ſeipſum ſtatim in exordio ſermonis accuſat, iuſti-  
tiam Domini prædicat, quòd meritis ſuis digna pa-  
tiatur. Dicendo autem iuſtum Deū, de ſua quidem  
iniuſtitia antè pronuntiat, ſed de iuſtitia Domini  
ſperat & veniam. Iuſtus enim non ſemper iracſcitur.  
ſicut enim vltor culpæ, ita moderator eſt pœnæ:  
ſicut vindex peccatorum, ita remunerator eſt virtu-  
tum, optimorumque meritorū. Qui vult dare præ-  
mium, debet expectare certamen, quia nemo ſine  
certamine coronabitur. Sinit ergo nos ſæpe tētari,  
volens iuſta præmia dare, luſtanti vtique, non dormi-  
enti. Nō decet redimitos floribus corona, ſed pul-  
uerulentos: nec molles deliciis, ſed labore exercita-  
tos ornat victoria. Iuſtus ergo in aduerſis ſuis iuſtitia  
Dei laudat. Sed non hoc ſentit amiſſis teneris pa-  
rentis liberis, non immaturo nuptæ viduatus conſolo-  
rio, non ager in dolore, non naufragus in periculo,  
non reus in iudicio, non captiuus in laqueo. Clamat  
tamen Hieremias, cū futuræ annuntians populis  
captiuitatis ærumnam, in luti voragine turpi ne-  
candus illuue mergeretur: Iuſtus es Domine. Clam-  
abat iterum, cū victæ plebis miſerandis ſeruitiis  
angeretur: Iuſtus eſt Dominus, quia os eius ad ira-  
cundiam irritauit. Et ſub alia littera: Foris ſine filiis  
fecit, vt ab intus mors: hoc eſt, ſicut in paradifo fe-  
cit, ita & in huius ſæculi ærumnam deſeruit. Inuidia  
enim diaboli mors introiuit in orbem terrarū. Clam-  
abant Hebræi cum propter virtutum deuotionis,  
& fidei gratiam, fornacis ardentis ambiturū in cen-  
diis: Iuſtus es Domine in omnibus quæ feciſti: &  
ideo meruerunt vt illæſi ignibus, Domini iuſtitias  
prædicarent. Daniel quoque propheta ſecundo in  
lacum miſſus leonum, & immanſū ferarum ſæuitia  
atque horrore circumdatus, recta omnia in conſpe-  
ctu eſſe Domini imperterrito clamore iactabat. Iona  
incluſus vtero beſtiali, anhelãdi vix habēs com-  
meatum, iuſtus iniuſtorum ſorte damnatus, clama-  
bat de ventre ceti in mari cum voce laudis & con-  
feſſionis: Immolabo tibi. Dauid cum fugeret à facie  
Abſalon, parricidalibus armis & terris pulſus, &  
regno egreſſus, cū pro totius populi ſe offerret ex-  
cidio, dicebat: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.*  
Grex innocens iſte quid fecit? Ego paſtor feci ma-  
lum apud iuſtum Deum, pœna de culpæ auctore ſu-  
matur. Ipſe pater fidei Abraham, cū ad immolan-  
dum vnicus à ſene filius poſceretur, paternæ pieta-  
tis affectum diuinæ cōfeſſione iuſtitia temperabat,  
dicens: *Iuſtus es Domine.* Non enim poſcis alienum,  
ſed tuum repoſcis: ipſum tibi reſtituo quem dediſti.  
Hunc imitatus Iob extinctis liberis, patrimonioque  
nudatus amiſſo, amictum ſui corporis ſcindens, ait:

Nudus natus ſum, nudus, inquit, & moriar. Domi-  
nus dedit, Dominus abſtulit: ſit nomen Domini  
benedictum. Omnes ergo iuſtum Dominum præ-  
dicemus: & qui moribunda ſepulcro ſua membra  
componit, & qui damno feritur, aut funere filio-  
rum, dicat: *Iuſtus es Domine.* Quid enim noſtrum  
amittimus? Clamat Apoſtolus: Quid habes quod  
non accepisti? Quod habemus ergo, accepimus:  
quod igitur amittimus, reddimus, non amittimus.  
Iuſtus Dominus in periculis, iuſtus in damnis, iuſtus  
in vltionibus eſt, non ſolum quia vnusquique iuſtè  
culpæ ſuæ pœnas luit, verumetiam quia dum vnus  
punitur, plurimi corriguntur. Ananias & Sapphira  
in Actibus Apoſtolorū fraudati prærij quod de agri  
venditione perceperant, crimen admiſerunt, qui  
poterant nihil offerre, & crimen euadere. Verum ne  
quis impune circumſcribendos Apoſtolos arbitra-  
retur, aut miſericordiæ ſuæ munus fraude conta-  
minaret perſidiæ, morti addictis æternæ perſidis,  
vniuerſos ad fidei ſtadium iuſto terrore compoſue-  
rūt. Pharao cum populo ſuo fluctibus merſus, mun-  
dana conuerſationis exemplum eſt, ne quis Dei  
populum perſequatur. Denique potuit cum Deus  
voluntati ſuæ facere obediētē, ſed eius pœna om-  
nes voluit emendari. Ideòque dicit ad eum Domi-  
nus: Quia ad hoc ipſum te excitauit, vt oſtendam in  
te virtutem meam, & annuntietur nomen meum in  
vniuerſa terra. Non vtique Dominus ſuæ laudis,  
ſed noſtra correctionis incrementa quærebat. Om-  
nes ergo ſapientes dicunt: *Iuſtus es Domine, & rectum  
iudicium tuum.* Neque enim tradimur aduerſariis ſine  
iudicio ipſius, neque ſine ipſius iudicio in tribulatio-  
nes venimus. Hæc iuſtorum eſt conſolatio, hoc eſt  
Domini iudicium. Denique & ſupra habes: Memor  
fui iudiciorum tuorum, quæ à ſeculo ſunt, & me  
conſolatus ſum. Aduertis ergo quia iudicia Domi-  
ni conſolationes ſunt.

Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua, & ve-  
ritatem tuam nimis.

Vtrum nimis mandaſti, an nimiam veritatem?  
Sed & nimia veritas plena laudis, & nimium man-  
dare, prouidentia atque cautela eſt. Etenim infir-  
mos nouerat, ideo ſapius admonebat, vt non obli-  
uiſcerentur.

Exquiſiuit me zelus domus tuæ, quoniam  
obliti ſunt verborum tuorum inimici mei.

Exquiſiuit me zelus. Eſt zelus ad vitam, & eſt zelus  
ad mortem. Ad vitam zelus eſt diuina præcepta ſer-  
uare, & amore Domini eius cuſtodire mandata, vt  
fecit Phinees, de quo legimus in Numeris, dicente  
Domino ad Moyſen: Phinees filius Eleazar filij Aa-  
ron ſacerdotis ſedauit furorem meum à filiis Iſrael,  
in eo quòd æmulatus eſt zelum meū in illis, & non  
conſummaui filios Iſrael in zelo meo. ſic dic: Ecce  
ego do ei teſtamentum pacis, & erit illi & ſemini  
eius poſt eum teſtamentum ſacerdotij æterni, pro-  
pter quod æmulatus eſt Deū ſuum, & exorauit pro  
filiis Iſrael. Caſa iacebant viginti quattuor millia  
populorum, tendebat pœna in omnes, nec vllus fi-  
nis exitij. Arripuit ſiromalem Phinees, duos occi-  
dit interdicta ſibi conſuetudine copulatos, redemir

omnes, indignationem Domini mitigavit, dedit vi-  
 G toriam quibus negabat salutem. Quam salutaris est  
 igitur Dei zelus? Non vnus temporis illud vitium  
 fuit: & nunc Madianitis miscetur Iudæo. Madiani-  
 tis est quæ nullo est vxoris legitimæ copulata con-  
 iugio, nullo fidei iuncta consortio. Madianitis est  
 hæreticorum perfidia, cum populum Dei tentat.  
 Quam multis populis meretrix ista feralis irrepsit,  
 quæ publico funere totum populum cõmuni morte  
 tumultuauit? Veni & nunc Phinees, arripe gladium  
 verbi, interfice perfidiam, iugulato hæresim, ne propter  
 eam populus vnuerfus intereat. Vrget ira cælestis,  
 percute ipsam vuluam impietatis, generatoriumque  
 perfidiæ, ne partus formetur infelix, ne adulterina  
 conceptio distindat seminarium præuicationis &  
 sceleris, vt Dominus tecum statuat testamētum pa-  
 cis, & testamentum gratiæ, testamentum promissio-  
 num cælestium. Zelum habere debet sacerdos, qui  
 incorruptam seruare studet Ecclesiæ castitatem. Et  
 ideo princeps sacerdotum dicit: Zelus domus tuæ de-  
 uorauit me. Et Phinees sacerdos erat, & nepos sa-  
 cerdotis, & filius sacerdotis. Bonus zelus & utilis in  
 sacerdote, præcipue ne negligēs, ne remissus sit. Me-  
 lius est vt vnus aut duorum damnatione plurimi li-  
 berentur, quam duorum absolutione plures periculi-  
 tentur. *Exquisiuit* (inquit) *me zelus domus tuæ*. Vides  
 quia zelus Dei gratia est, qui exquirat, qui superue-  
 nit, qui se iusti infundit peccatori. Zelus Dei vita est.  
 Denique Dominus ait: Zelus domus tuæ deuorauit  
 me. Sicut enim ante in Adam deuorauerat hominē  
 mors præualens, ita zelus deuorauit quem viuifi-  
 cavit in Christo. Zelum habuit Elias, & ideo raptus  
 ad cælum est. Zelans, inquit, zelauit Dominum. Ze-  
 lum habuit Mathathias bar Ioannis, qui aduersus  
 sacrilegia Antiochi excitauit Dei plebem. Zelum  
 qui habent, omnes sibi inimicos suos putat qui sunt  
 hostes Dei, quamuis patrem, fratres, sorores. Om-  
 nibus dicit: In hostes facti sunt mihi: sicut Dauid ait.  
 Quid multa? Apostolus quoque Domini hoc declar-  
 atus est nomine, vt Simon Zelotes diceretur, sicut  
 legimus in Euangelio. Zelo fidei populus gentiliū  
 vitam sibi acquisiuit æternam, quam negligētia atq;  
 desidia Iudæorum populus amisit. Ideoq; scriptum  
 est: Zelus apprehendet populum ineruditum. Quo-  
 niam populus qui erat eruditus in lege, nullum fidei  
 habebat ardorem. Contulit se zelus ad gētes: cuius  
 tanta est gratia, vt electionis prærogatiuam vicerit,  
 & eruditionis industriā superarit. Denique apprehen-  
 dens populum ineruditum, fecit esse meliorem.  
 Itaque ea gratia operata est in populo nationum, vt  
 hereditatem Domini mereretur, quam operatus est  
 Dominus, vt Ecclesiam sibi ex nationibus copula-  
 ret. Zelus ergo charitas est. Denique valida est sicut  
 mors charitas, durus sicut inferi zelus. Durus ze-  
 lus, quem vitæ huius nulla vincit illecebra. Durus si-  
 cut inferi, per quem peccato morimur, vt viuamus  
 Deo. Angeli quoque sine zelo nihil sunt, & substan-  
 tiæ suæ amittunt prærogatiuam, nisi eam zeli ardore  
 sustentent. Denique in Apocalypsi Ioannis Domi-  
 nus ad angelum Laodiciæ dicit: Scio opera tua, quod  
 neque frigidus es, neque calidus. Vtinam frigidus  
 esses, aut calidus: sed quia tepidus es, incipiam te cuo-  
 mēre ex ore meo: quia dicis, Diues sum & ditatus, &

nullius ego, & nescis quod tu es miser, & miserabi-  
 lis, & mendicus, & nudus, & carcus. Consulo tibi vt  
 emas à me aurum igne probatum. Hic est Dei zelus,  
 hic est fidei vapor, deuotionis seruator, qui nos velut  
 suauē cibum in Christo remollit & format. Quan-  
 ta Domini gratia, vt nos in suo ore constituat, &  
 quosdam meritorum nostrorum epuletur dapes, ac  
 si meremur, deuoret, si nostri cibi suauitatibus dele-  
 ctetur? Beatus quem sapientia deuorauerit, quē vir-  
 tus hauserit, quem iustitia receperit. Culpa in eo ha-  
 bere non potest portionem, quem absorberit re-  
 missio peccatorum. Vbi cum error inueniet, quem  
 integritas immaculata susceperit? Et quid miremur,  
 si angeli eum habent? Ipse Deus pater ait: Zelans ze-  
 labo Hierusalem zelo magno. Quia Deus magnus,  
 ideo & zelus eius magnus est; & pro vnusculiusque  
 potentia qualitate, ita & zelus aut mediocris aut  
 magnus est. Zelo vindicatur Hierusalē, zelo Eccle-  
 sia cõgregatur, zelo fides acquiritur, zelo pudicitia  
 possidetur. Dominus quoq; Iesus ait: Zelus domus  
 tuæ comedit me: increpans Iudæos quod domum  
 orationis fecerint speluncam latronum, fecerint &  
 domum negotiorum. Sed non solum locū Eccle-  
 siæ zelare debemus, sed hanc quoque interiorem in  
 nobis domum Dei, ne sit domus negotiationis, aut  
 spelunca latronum. Si enim lucra, quaestus pecuniæ  
 & emolumenta aucupemur, domum negotiationis  
 fecimus. Si inuadamus alienas possessiones, fines  
 viduæ vel minorum, fecimus speluncam latronum.  
 Veniat ergo verbum Dei, & de hac domo  
 proiciat fures, direptores, caupones, vt mundum sit  
 cor tuum, peccus tuum. Sed est zelus ad culpam, est  
 zelus ad gratiam. Nam & ipse Dauid ait: Zelauit in  
 peccatoribus pacem. Et in Ecclesiastico scriptum  
 est: Non zeles mulierem sinus tui, ne ostendat super  
 te malitiam doctrinæ nequam. Et mulier zelotypa  
 in muliere fidei iure reprehenditur. Auertimus er-  
 go quod mensura quædam & disciplina sit zeli, si-  
 cut disciplina virtutis. Et ideo beatus qui zeli nouerit  
 disciplinam, & oderit eos qui Domini gratiam  
 relinquentes, salutem propriam deserunt, errorem  
 sibi fraudis adfiscunt. Ideoq; ait: *Quoniam obliuisci  
 sunt verborum tuorum inimici mei. Qui sunt isti inimici?*  
 Si populus Iudæorum, quomodo inimici erant sub  
 eius imperio constituti? Dauid enim Iudæos omnes  
 regno proprio gubernabat. Si gentiles, quomodo  
 obliuiscunt verborum Dei, qui legem Domini nescie-  
 bant? Nemo enim nisi id quod perceperit, obliuisci  
 potest. Illi ergo inimici mei, qui inimici tui, qui Do-  
 minum in propria sua venientem non erant rece-  
 pturi. Hos graues hostes, hos inimicos suos Prophe-  
 ta restatur, nō qui sibi essent, sed qui Christo rebelles.  
 Denique alibi ait: Et super inimicos tuos tabesce-  
 bam. Iusto odio oderam illos. grauiora putans arma  
 perfidiæ esse, quam pugna. Nemo enim grauior ho-  
 stis omnium, quam qui omnium lædit auctorem.  
 Ideo ergo zelo magno acquisitus est populus natio-  
 num, quoniam à suo Deus populo negabatur. Nec  
 enim poterant aut fidei deuotionem, aut discipli-  
 nam tenere virtutis, qui memoriam præceptorum  
 cælestium non tenebant. Sic Adam de paradiso  
 ciecus, sic populus Iudæorum de prærogatiua ele-  
 ctionis exclusus est.

Ignitum

Ignitum alloquium tuum nimis, & seruus tuus dilexit illud.

Ignem quidem Dominus misit in terram, non vt  
 ea Sodomitano rursus, sicut scriptum est, arderet  
 incendio; nec vt eam donatę munere fecunditatis,  
 aut vsu vel flore viriditatis exueret. Opus enim suū  
 Dominus probare magis atque augere, quam mi-  
 nuere aut damnare consuevit. Neque verò dignum  
 erat vt elementa innoxia nostri luerēt sceleris vltio-  
 nem. Quid natura deliquerat, si adulta iam soboles  
 errauit? Non erat partus in vitio, si deuio lapsa est  
 errore progenies. Nō est hic natura, sed vsus in cul-  
 pa. Quem ergo Dominus ignem in nouo sparfit tes-  
 tamento? Qui secretos mētium diuinæ ardore cog-  
 nitionis inflammaret affectus, qui vaporem fidei  
 & deuotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis ac-  
 cenderet. Hoc igne calefactus dicit Hieremias: Et  
 erat ignis flammigerans in ossibus meis. Hoc sermo-  
 num igne cælestium vaporati Cleophas & ille alius  
 qui simul cum Domino ab Hierusalem vsque ad cas-  
 tellum confecerant iter, dicebant: Nōne cor nos-  
 trum ardens erat in nobis, cum aperiret nobis scri-  
 pturas? Ignis ergo hic, sermo Christi est. Et bonus  
 ignis, qui calefacere nouit, nescit exurere, nisi sola  
 peccata. Hoc igne super bonū fundamentū posito,  
 apostolicum illud aurum probatur: hoc igne illud  
 morū vel operam examinat argentum: hoc igne  
 pretiosi illi lapides illuminantur, scænum autem &  
 stipula consumitur. Mūdat ergo hic ignis animum,  
 consumit errorem. Vnde & Dominus ait: Iam vos  
 mundi estis propter sermonem quem locutus sum  
 vobis. Hic est ignis qui ardet ante Dominum. Nisi  
 enim quis flagrantia deuotionis sumpserit, præsen-  
 tiam Domini habere non poterit. Accende hunc  
 primum ignē in mētibus tuis, vt Christi tibi lumen  
 effalgeat. Hoc igne vrebatur rubus, & non exurba-  
 tur. Vt enim sermo diuinus, vt corrigat cõsciētiam  
 peccatoris, nō exurit vt perdat. Hic ignis hebetare,  
 hic ignis extinguere materialium scæna flammam  
 consumit incendia. Denique Hebræi hoc igne suc-  
 censi, fornacis ardētis vaporem nec timere, nec sen-  
 tire poterunt. Merito ergo bonus seruus diligit  
 ignitum Domini alloquium, quo induitur charitas,  
 quæ excludit timorem. Pulchrè autē addidit, *nimis*,  
 quia omnis quidē doctor inflammatur audientis affe-  
 ctum, sed supra omnes est sermo Dei, diuisiones ar-  
 tuum & intima penetrans medullarum. Tripliciter  
 ergo describe tibi ignitum alloquium Dei, vel quod  
 mundat, vel quod accendit, vel quod illuminat au-  
 dientes. Ideo ait Dominus: Scrutatus sum Hierusa-  
 lem ad lucernam. Sed neminem in ea vel qui mūda-  
 retur, vel qui incenderetur, aut illuminaretur, inue-  
 nit: ideo eam in tenebris dereliquit. Nec mireris si  
 seruus diligit ignitum Domini alloquium, quod &  
 sponsa dilexit, quæ ait: Sicut resticula coccinea la-  
 bia tua. In cocco enim species ignis, & crucis Do-  
 minicæ sanguis irrutilat. Coccinea labia Domini,  
 quæ passionē propriā loquebantur. Deniq; in Exo-  
 do cocco pro igne collocatum est. Non enim ex  
 cocco mundus, sed ex quattuor constat elementis.  
 Sed in cocco figura ignis expressa est, cuius vapor  
 nisi cælum atque acrem, maria, terraque penetra-

ret, omnia tamquam effœtis viribus soluerentur.  
 Per resticulam igitur vinculum persuasione agno-  
 scimus: per coccum vel cupiditatis ardorē passio-  
 nis. Vnde & alibi ait sponsa: Labia eius lilia stillantia myr-  
 rham plenā. Per myrrham enim passionis vnguen-  
 tum, & resurrectionis gratia declaratur, quæ redi-  
 uiuum vitæ odorē suscitatis mortuorum visceribus  
 infundit. Merito igitur alloquij eius accipiens sua-  
 uitatem, exclamās sponsa testatur: Fauces eius dul-  
 cedines, & totus desiderium.

Iuuenis sum ego, & despectus; iustificatio- nes tuas non sum oblitus.

*Iuuenis sum ego.* Multis sanctorum qui à prima ado-  
 leſcentia exercitati sunt duris laboribus, potest hic  
 versiculus conuenire. Nam & Ioseph cum à fratri-  
 bus iunior in Ægyptum venderetur, iuuenis erat &  
 despectus, qui ad seruitutis iniuriam vendebatur; &  
 postea cum eductus è carcere, præpositus Ægypto,  
 populis frumenta diuideret, fratribus vicem iniuriæ  
 non referret, sed refuso pretio alimenta donaret, se-  
 nilēm patris à fame atque ieiunio vindicaret æra-  
 tem, currūque summissis obuius, & famulantibus  
 cæteris amplæ potestatis insignibus adoraret, iurē  
 dicebat; *Iuuenis ego sum & despectus, iustificatio- nes tuas  
 non sum oblitus.* Ipse Dauid quoque iunior fratribus,  
 cum patris oues pasceret tamquam vili ablegatus  
 obsequio, non oblatus est sacerdoti, quasi indignus  
 qui vngeretur in regnum, sed à sacerdote quaesitus,  
 & accessit à pascuis, prærogatiuam regiæ vñctio-  
 nis accepit. Postea quoque progressus ad bellum,  
 cum Goliath totum populum Iudæorum corporis  
 sui mole despiciens, singulari certamine prouoca-  
 ret, timentibus cæteris poposcit à rege, vt congre-  
 diendi sibi permitteret facultatem. Necdum qui-  
 dem tanto certamini habilis æstimatus est, rege di-  
 cente: Non potes ire ad Allophylum, & pugnare  
 cum eo, quoniam tu puer es, & ille vir bellator est à  
 iuuentute sua. Neque esset admissus, nisi fecisset fi-  
 dem quod in sua adoleſcentia leonem suis manibus  
 strangulatum, extractis raptæ ouis cruribus pere-  
 misisset. Ipse etiam despectus ab Allophylis, quod ad-  
 uersus armatum præliatorem cum virga & lapidi-  
 bus processisset, retulit non viribus se fretum esse,  
 non armis, sed in nomine Domini confidentem ad  
 prælium esse progressum, vt laceſcitæ plebis aufer-  
 ret opprobrium. Hic ergo iuuenis atque despectus  
 strauit Allophylum, potitūque victoria, in decē mi-  
 libus iuencularum psallentium testimonio trium-  
 phauit. Gerebat enim typū eius qui quasi despectus  
 venturus esset in terras, & sine legato, sine adiutore,  
 sine nuntio totum populum mundi huius, crucis  
 suæ prælio liberaret: cui applaudebant anima san-  
 ctorum, per baptisimatis sacramēta renouatæ, quod  
 verum illum Goliath reuelatum nobis ac prodi-  
 tum verbi sui gladio trucidasset. Lacer igitur verus  
 Goliath humilitate filij Dei stratus, amisit caput,  
 quod in multas artes vertebat & fraudes. Psallunt  
 securæ iam animæ, quæ antè peccatorum suorum  
 tormenta descebant. Dicunt tympanis, hoc est, cor-  
 poribus suis peccato mortuis resurgentes: Saul tri-  
 umphauit in milibus, Dauid in decem milibus. Rex

Ios. 2. Num. 25.

Ios. 2.

4. Reg. 2. 3. Reg. 19. 1. Mach. 2.

Psal. 138. Luc. 6.

Esai. 26.

Cant. 8.

Reg. 6.

Apoc. 3.

Luc. 12. Genes. 19. Genes. 15. Genes. 1.

Luc. 12.

Hier. 20.

Luc. 24.

1. Cor. 3. Psal. 11.

1. Cor. 13. Ian. 15.

Luc. 6.

2. Cor. 4. Psal. 3.

Dan. 3.

1. Ios. 4.

Heb. 4. Psal. 22.

Esai. 1.

Psal. 138.

Reg. 11.

Esai. 35.

Genes. 3. Reg. 11.

Cant. 5. Ios. 19.

Cant. 5.

Genes. 37.

Gen. 40. Genes. 41. Gen. 42.

Genes. 47.

1. Reg. 16.

1. Reg. 17.

Ibid.

Ibid.

1. Reg. 18.

Esai. 63.

Zuc. 11.

1. Reg. 18.

Psal. 102.

Ioan. 6.

Num. 11.

Exod. 16.

Ioan. 6.

Psal. 103.

Psal. 77.

Ioan. 6.

Psal.

Ibid.

Psal. 72.

Ioan. 6.

Ibid.

Ioan. 4.

Psal. 33.

Psal. 35.

Psal. 37.

Ioan. 6.

Exod. 14.

ille durus indignatur, & irascitur diabolus, eo quod G canerent iuencula: quia duritia filius paucos de-  
cepit, Christus totum mundum redemit. Dicit ergo  
Christus natus ex Virgine: *Iuuenis ego sum & despe-*  
*ctus, iustificationes tuas non sum oblitus.* Dicit etiam po-  
pulus nationum, ille in prima lectione despectus, ru-  
dis adhuc fide, & studio primarum deuotionis ado-  
lescens, vel certe renouatus aquilæ iuuentute per  
baptismatis sacramenta: *Iuuenis ego sum & despe-*  
*ctus, iustificationes tuas non sum oblitus.* Ille ego despectus an-  
te, iam præferor, iam anteponor electus. Ille ante  
despectus populus peccatorum, habeo celestium  
sacramentorum veneranda consortia. Iam mensæ  
caelestis honore suscipior, epulis meis non pluuia  
vindatur, non terræ partus laborat, nō arborum fru-  
ctus. Potui meo non flumina quærenda, non fon-  
tes: Christus mihi cibus, Christus mihi potus. Caro  
Dei cibus mihi, & Dei sanguis est potus. Non iam  
ad satietatē meī annuos expecto prouentus, Chri-  
stus mihi quotidie ministratur. Non verebor ne qua  
mihi cæli intemperies, aut sterilitas ruitis immineat,  
si pij cultus diligentia perseueret: non iam cotur-  
nicum pluias mihi opto descendere, quas antē mi-  
rabar: non manna, quod antē cibus omnibus præfe-  
rebam: quia qui manna manducauerunt patres, esu-  
riferunt. Meus cibus est, quem si quis manducauerit,  
non esuriat. Meus cibus est, qui non corpus impin-  
guat, sed confirmat cor hominis. Fuerat mihi ante  
mirandus panis de cælo. scriptum est enim: Panem  
de cælo dedit eis manducare, sed non erat verus ille  
panis, sed futuri vmbra. Panem de cælo illum ver-  
rum mihi seruaui pater. Mihi ille panis Dei descen-  
dit de cælo, qui vitam dat huic mundo. Non Iudæis  
descendit, non synagogæ descendit, sed Ecclesiæ  
descendit, sed populo Dei iuueniori descēdit. Nam  
quomodo Iudæis descendit panis qui vitam dedit,  
cū omnes qui illum panem manducauerunt, hoc  
est manna, quem putauerunt Iudæi verum panem,  
in deserto mortui sunt? Quomodo synagogæ de-  
scēdit, cum synagoga omnis interierit, & aeterno iei-  
iunio fidei macerata defecerit? Deniq; si accepissent  
panem verum, non dixissent: Domine, semper da  
nobis panem hunc. Quid petis Iudæe, vt tribuat ti-  
bi panem quē dat omnibus, dat quotidie, dat sem-  
per? In te ipso est vt accipias hunc panem. Accede  
ad hunc panem, & accipies eū. De hoc pane dictum  
est: Omnes qui elongant se abs te, peribunt. Si te  
elōgaueris ab eo, peribis: si appropinquaueris ad eū,  
viues. Hic est panis vitæ. Qui ergo vitam māducat,  
mori nō potest. Quomodo enim morietur, cui ci-  
bus vita est? Quomodo deficiet, qui habuerit vita-  
lem substantiam? Accedite ad eum, & satiamini, quia M  
panis est: accedite ad eum, & potate, quia fons est:  
accedite ad eum, & illuminamini, quia lux est: accē-  
dite ad eum, & liberamini, quia vbi spiritus Domi-  
ni, ibi libertas: accedite ad eum, & abluamini, quia  
remissio peccatorum est. Qui sit iste, quæritis? Audi-  
re ipsum dicentem: Ego sum panis vitæ: qui venit  
ad me, non esuriat: & qui credit in me, nō sitiet vī-  
quam. Audistis eum, & vidistis eum, & non credidi-  
stis ei, ideo mortui estis: vel nunc credite, vt possitis  
viuere. Sed miramini Moysen, quia patres vestros  
per mare siccis duxit vestigiis. Moyses non impera-

uit, sed impetrauit: non iussit mari, sed seruauit iu-  
bēri fluctibus. Moysen laudatis, quia regem Pharao  
nem cum exercitu suo merfit. Moyses orabat, & a-  
lius imperabat. Moyses precabatur, Christus opera-  
batur. Moyses fugiebat, Christus insequebatur.  
Moyses columnam sequebatur, vt nocturnas tenc-  
bras declinaret, Christus illuminabat. Moysē agno-  
scis, quia aqua amaritudinem temperauit. Moysen  
agnoscis, qui aquam produxit de petra: Christum  
non agnoscis, qui veri illius Ægyptij regis strauit  
exercitum, & abyssi merfit profundo, qui nos liberat  
quotidie de mundi huius fluctibus, ne nos sæculi  
huius procella demergat. Quid profuit patribus  
transire per mare Rubrum, quibus ad terram repro-  
missionis non licuit peruenire? Quicumque enim  
exierunt de Ægypto, perierunt in deserto. Mortuus  
est Aarō, mortua est Maria, mortuus est & ipse Moy-  
ses: solum Iesum Naue nominis sacri similitudo ser-  
uauit. Plaudat Iudæus, quia sitienti illi vnam saxa  
vomuerunt: mihi de corpore Dei fons fluxit aeternus:  
meas amaritudines bibit Christus, vt mihi suæ  
donaret gratiæ suauitatē. Dicit ergo populus Chri-  
stianus: *Iuuenis ego sum & despectus, iustificationes tuas*  
*non sum oblitus.* Bene hoc dicit, qui iustificauit Deum  
baptismatis sacramentis. Qui enim baptizatur, iu-  
stificat Deum, quia peccata propria confitetur, & à  
Domino suorum præstolatur indulgentiam pecca-  
torum. Iustificauit Deum Dauid, qui ait: Tibi soli  
peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in  
sermonibus tuis. Non iustificauerunt Deum Phari-  
sæi, qui baptizari Ioannis baptismo noluerunt, vt in  
Euangelio legisti. Non solum iustificare satis est, sed  
etiam non obliuisci iustificationum Dei, id est, vt  
intemerata gratiæ spiritualis dona custodiat, & sacra  
remissionis munera illibata atque inoffensa conser-  
uet. Hæc generalia. Sed etiā specialis singulis Chri-  
stianis suppetit prerogatiua dicendi: *Iuuenis ego sum*  
*& despectus*, si humilis corde, si mitis atque mansue-  
tus. Dicat ergo: *Iuuenis ego sum & despectus.* Præmit-  
tat ætatis generalem iactantiam, quo plus commen-  
det humilitatis suæ gratiam. Non mirabilis humili-  
tas in senectute, quæ effœta viribus, fracta debilita-  
tibus, tristis doloribus, anhela suspiriis, cocta cura-  
rum æstibus, & ipso viuendi affecta fastidio, alacri-  
tatem est oblita iactantiæ. Rara sanè in iuuenibus  
est humilitas, ideoque miranda. Dum atas viget,  
dum vires solidæ sunt, dum sanguis exæstuat, dum  
solicitude nescitur, dum ignoratur debilitas, dum  
lætitia frequentatur, tunc seruet iactantia, tunc se  
iuuentutis superbus extollit affectus, tunc humilitas  
quasi vilescit, abiecta contemnitur: tunc subiectio,  
degeneris conscientia æstimatur infirmitas. Gran-  
dis igitur morum est assuefacienda maturitas, quæ  
vincat naturam. Denique si consideremus, in para-  
diso defecit humilitas, & ideo venit de cælo. In para-  
diso orta est inobedientia, & ideo obedientia cum  
Saluatore descendit. Inslabat caro, vnde subiectio  
mansuetudinis inueniri non poterat in terris. Intu-  
muerat omnis prauaricatoris hæreditas. Veniens  
Dominus Iesus primū se exinaniuit, non rapinam  
arbitratus esse se æqualem Deo, formam serui sibi  
accipiens, & specie inuentus vt homo, humiliavit  
semetipsum factus obediens vsq; ad mortem. Non  
te mo-

Ibid.

Exod. 15.

Exod. 17.

Exod. 14.

Num. 26.

Num. 20.

Dent. 34.

Esai. 53.

Math. 3.

Psal. 50.

Luc. 7.

Math. 11.

Exod. 38.

Gen. 3.

Philipp. 2.

1 Tim. 2.

1 Tim. 1.

1 Tim. 1.

Psal. 50.

Luc. 16.

Eccl. 3. et. 4.

1 Tim. 1.

Ibid.

Luc. 18.

Luc. 12.

te moueat, quia scriptum est, Vt homo. Non enim  
similitudinem suscepit hominis, sed veritatem. Nam  
iple Apostolus ait alibi: Mediator Dei & hominum  
homo Christus Iesus. Et vt de Euangelio asseramus  
exemplum: Vidimus, inquit Ioannes, gloriam eius,  
gloriam quasi vnigeniti a patre, plenum gratia &  
veritate. Numquid quia dixit, Quasi vnigeniti, simi-  
litudinem magis vnigeniti, quam veritatem voluit  
æstimari? Non enim superuacuo Christus aduenit.  
Iam potest dicere homo: *Iuuenis ego sum & despectus*,  
qui erat antē in populo priore senex superbus. Dicit  
ergo, *Iuuenis sum & despectus*: quomodo Ecclesia, Ni-  
gra sum, & decora. Præmisit nigrā, vt auerget deco-  
rem. Sic & hic præmisit iuuenē, vt auerget humili-  
tatē. Non dixit, Nigra sum decora, ne quod nigrum  
est, decorum æstimaretur. Nec dixit, Iuuenis sum  
despectus: ne iuuetus despiciabilis putaretur. sed ait,  
*Iuuenis*, & quod mireris, humilis, non superbus, deie-  
cto propior quam tumentis. Sic & ibi: Nigra sum su-  
periore peccato, sed decora confessione peccati, &  
correctionis studio, atque amore virtutis. Quamuis  
ergo, & syllaba, vt grammatici appellant, cōiuncti-  
ua sit, habet tamen distinctionem, qua confusio dif-  
iungitur ac separatur: vt si dicas Ambrosium Bassum  
intus esse, vnus putatur. Sin autem asseras Ambro-  
sium & Bassum intus esse, duo vtique intelliguntur.  
Dicat ergo: *Iuuenis sum & despectus*: quia Christus in  
paupere atque despecto mundum redemit, quia  
Christus humilitate diabolum vicit. Dicat: Despe-  
ctus sum, quia cor humiliatum Deus non spernit,  
quia despectus ille Lazarus in Abraham nunc requie-  
scit sinu, & diues ille iactantior affligitur in inferno.  
Despectus erat Moyses, nec sibi idoneus videbatur,  
cum ad liberandum Hebræorum populum mitte-  
retur. Despectus erat Hieremias, qui dicebat: Do-  
minator Domine, ecce nescio loqui, quia iuuenis  
sum ego. Sed facilius iste despectus eligitur. Deniq;  
dicitur ei: Noli dicere quia iuuenis sum ego: quia ad  
omnes quoscūq; misero te, adibis: & omnia quæcū-  
q; mandauero tibi, loqueris. Ne timeas a facie eorū,  
quia ego tecū sum, dicit Dominus, vt liberē te. De-  
spectus erat ille publicanus, qui oculos ad cælū non  
audebat leuare, & ideo facilius quam ille Pharisæus  
exaudiebatur. Omnis enim qui se exaltat, humiliat-  
bitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

Iustitia tua, iustitia in æternum, & lex tua  
veritas.

Possunt quidem singuli facere opera iustitiæ, sed  
non in æternum manentia. Diues ille cui abunda-  
uerant diuitiæ in hoc sæculo, fortasse fecerat aliqua  
opera iustitiæ, quorum remunerationem in presenti  
vita acceperit, quæ ad vitam æternam non perti-  
nerint, quod non magna fuerint opera illa, nec re-  
muneratione digna perpetua. Quid quod etiam si  
facimus opera aliqua iustitiæ, facimus tamen non  
continua, sed rara? Plerique non rapiunt aliena, sed  
nesciunt de proprio largiri. Alij inuadentes indebi-  
tas facultates, quod speciem iustitiæ sibi quærant,  
solent conferre pauperibus. Nō est ista in æternum  
iustitia. Multi iusti plerumque grauiter deliquerunt  
non habentes æternæ fructum iustitiæ. Soli Deo

A suppetit in perpetuū per omnia possidere iustitiam,  
qui patcit iustos & iniustos. Non enim beneficiis  
solis referēda iustitia est, sed illa vera iustitia est, quæ  
ipsis quoque defertur inimicis. Meritoque ait iusti-  
tia Dei: Diligite inimicos vestros. Ergo sicut in æ-  
ternum est iustitia solius Dei, ita lex Dei veritas.  
Sed quomodo istud accipimus? Vtrum quia lex  
Dei veritas est, hoc est vera: & quod statuit Deus  
omne verum est, sicut supra ait: Omnia præcepta  
tua veritas? An quia veritas lex Dei est, quia non  
mentitur Deus? Apud eum igitur veritas lex est,  
fallacia prauaricatio est. Sed & sic potest accipi:  
Lex Dei veritas est. Apud Iudæos ergo non est lex  
Dei, quia non recipiunt veritatem. Lex Dei spirita-  
lis est, sicut Apostolus dixit. Non habent ergo ve-  
ram legem, qui eam non acceperint spiritualiter.  
Quod autem non verum, mendax est: quod mentit-  
ur, occidit. Littera ergo quæ occidit, mentitur: spi-  
ritus qui viuificat, verus est. Accipiamus & sic: Lex  
Dei, non typus, non vmbra, non exemplar cæle-  
stium, sed ipsa cælestia. Vnde & scriptum est, quia  
finis legis est Christus. Non defectus vtique, sed  
plenitudo legis in Christo est: quia venit legem non  
soluere, sed adimplere. Sicut enim testamentum  
vetus venit non soluere, sed implere, ita nouum cer-  
tificare. Sed sicut omnis veritas in nouo est testa-  
mento, ita & lex per Moysen data, figura legis est  
vera. Ergo illa lex veritatis exemplar est. In exem-  
plari enim agni sanguis effunditur, in veritate Chri-  
stus immolatur. Meritoque Apostolus cū præmi-  
sisset vitorum immolationem secundum legem,  
adiicit: Necessarium itaque est exemplaria cælestium  
his mundari. nam ipsa cælestia melioribus hostiis.  
nō enim in manufacta sancta intrauit Christus ex-  
emplaria verorum, sed in ipsum cælū, & nunc apparet  
vultui Dei pro nobis. Vt cognoscamus autem quia  
legem nouam dedit Dominus Iesus, habes dicen-  
tem spiritum: Hoc autem est testamentum quod te-  
stabor ad eos, dicit Dominus: Dabo leges meas in  
cordibus eorum, & in sensibus eorum scribam eas,  
& peccati & iniustitiæ eorum non ero memor. Vbi  
ergo remissio, iam non oblatio pro peccatis. Quo  
euidenter ostenditur omnem veritatem Euangelio  
contineri, quia lex Dei in sensibus hominum & in  
cordibus scribitur, non in tabulis lapideis. Qui ergo  
præcepta Dei non habent in cordibus suis, non ha-  
bent legem, siue quia inueteratur in Iudæis, reno-  
uatur in nobis, vmbra est, non veritas: vt cū fiat  
oblatio pro peccatis secundum legem, non fiat re-  
missio peccatorum. Impossibile est enim sanguine  
taurorum & hircorum peccata mundari. Mendax  
ergo erat illa remissio, donec remissionis veritas ad-  
ueniret. Quid inde manifestius, quam Ioanis Evan-  
gelistæ sententia, qui ait: Quia lex per Moysen data  
est, gratia autem & veritas per Iesum Christum fa-  
cta est? *ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια* legis, retulit veritatē. Nam  
cū sit, autem, distinctio, intelligendum est dis-  
iunctionem ideo interpositam, quia si veritas fuis-  
set in lege, non fuisset gratia facta per Christum.  
Possimus & sic intelligere: Veritas Christus est;  
ergo veritas lex est. Et si mandatum Domini lex  
est, multo magis viuum & operatorium verbum  
Dei lex est.

Psal. 103.

Math. 5.

Sup. 07. 11.

Hebr. 6.

Rom. 7.

2. Cor. 3.

Hebr. 8.

Rom. 10.

Math. 5.

1. Cor. 10.

Exod. 12.

Hebr. 9.

Hebr. 31.

Hebr. 10.

2. Cor. 3.

Hebr. 108.

Ioan. 1.

Ioan. 1. 1.



Tribulatio & necessitas inuenerunt me: mandata tua meditatio mea est.

Quærun tribulationes & necessitates iustum, & interdum inueniunt, interdum non inueniunt eum. Inuenitur, cui corona debetur: non inuenitur, qui idoneus certamini non probatur. Tribulatio igitur velut quædam gratia est. Denique sacrificium Deo spiritus contribulatus. Annon est gratia, quæ operatur patientiam? Qui ergo nouerat tribulationis profectum esse: quæsitus à tribulatione, inuētus est, nec refugit. Dicit sapientia: Quærent me mali, & non inuenient, non quia Dominus nolebat inueniri ab hominibus, qui se omnibus etiam non quærentibus offerebat, sed quia his operibus quærebatur, vt indigni essent qui quærent inuenire. Ceterum Symeon qui eum expectabat, inuenit. Inuenit Andreas, qui ait ad Simeonem: Inuenimus Messiam, quod interpretatur Christum. Philippus quoque dixit ad Nathanael: Quem scripsit Moyles in lege, & prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph, qui est à Nazareth. Et vt ostenderet quemadmodum Christus inueniretur, ait: Veni, & vide. Qui ergo Christum quærit, veniat non corporis gressu, sed mentis vestigio: videat eum non exterioribus oculis, sed internis. Æternus enim corporalibus non videtur aspectibus, quoniam quæ videtur, temporalia sunt: quæ autem nō videntur, æterna. Christus igitur non temporalis, sed ex patre ante tempora, quasi Deus verus Dei filius, & quasi virtus sempiterna supra tempora est, quem nullus tēporum finis includat, quasi vita supra tempora, quem numquam dies mortis inueniat. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo. Audis quid dixerit hodie Apostolus? Peccato, inquit, mortuus est semel. Semel tibi peccatori mortuus est Christus. Noli iterum peccare post baptismū. Omnibus in cōmune semel mortuus est, & singulis semel moritur, non frequenter. Peccatum es, o homo: ideo peccatum fecit Christum suum omnipotens pater. Hominem fecit, qui peccata nostra portaret. Mihi ergo peccato mortuus est Dominus Iesus, vt nos in illo effemus iustitia Dei. Mihi est mortuus, vt mihi resurgeret. Semel est mortuus, semel resurrexit. Et tu cum illo mortuus, cum illo sepultus, cum illo in baptismate resuscitatus, caue ne cū mortuus fueris semel, moriaris iterum. Iam non peccato morieris, sed veniæ: nec cū resurrexeris, moriaris secundo. Christus enim resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors in eum iam non dominabitur. Ergo mors dominata est in eum. Vtique qui dixit, Non dominabitur, ostendit esse dominatam. Noli tantū amittere beneficium o homo. Propter te Christus dominationi mortis se subdidit, vt te iugo dominationis exueret. Ille suscepit mortis seruitutem, vt tibi tribueret vitæ æternæ libertatem. Qui quærit ergo Christum, quærit & tribulationem eius, nec refugit passionem. Denique Dauid qui dignus erat vt à tribulatione quæreretur, tribulationem & ipse quæsiuit. Nam nisi quæsiisset, non inuenisset. Quod inuenit autem, ipse testatur, dicens: Tribulationem & dolorem inueni, & nomē Domini inuocaui. Et alibi In tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit

me in latitudine. Bona ergo tribulatio, quæ dignos facit nos qui in latitudine exaudiamur a Domino. Gratia est autem exaudiri à Domino Deo nostro. Qui quærit igitur tribulationem, non refugit: qui non refugit, inuenitur. Non enim refugit, qui mandata Dei sensu operibusque meditatur. Nam vti que illum athletam certamina inueniūt, qui in vsu exercitij fuerit constitutus, qui verò exercitium dereliquerit, sine dubio non poterit reperiri, quia indignus est vt quæretur. Dauid ergo quasi bonus athleta dicit: Tribulatio & necessitas inuenerunt me, quia paratum semper habuerunt, non refugientem necessitatum & tribulationum prælia, sed petentem.

Iusta testimonia tua in æternum: intellectum da mihi, & viuam.

Quis tantus, qui possit intelligere Domini testimonia? Et ideo intellectus à Domino postulandus est, cuius tanta est vis, vt initium eius sit plenitudo virtutis. Deniq; scriptum est: Pietas autē in Deum, initium intellectus, quæ virtutum omnium fundamentum est, iuxta humanarum rerum & celestium disciplinam. Pietas amica Deo, parentibus grata, Dominum conciliat: necessitudines fouet, Dei cultura est, merces parentum, filiorum stipēdium. Pietas, inquam, iustorum tribunal, egenorum portus, miserorum suffugium, indulgentia peccatorū. Qui enim habet intellectum, ipse verē est pius. Intelligit enim humanæ lubricum fragilitatis, & citō ignoscit erranti. Intelligit commune nobis datum naturæ, vltusque consortium, & ideo pauperibus tamquam debitum soluit, non inficiatur tamquam indebitum. Intelligit vices esse calamitatum, & ideo tamquam naufragiis mundi istius portu quodam suæ humanitatis occurrit. Hæc perfecta virtus in hominibus, hæc plena in Deo laus est. Merito intellectum sibi etiam Salomon, magisterium secutus paternum, à Domino postulauit, dicens: Ego sum puer humilis, & ignoto introitum meum, & exitum meum, & seruus tuus in medio populi tui quem elegisti, populum multum sicut arena maris, qui dinumerari non potest præ multitudinem; & dabis seruo tuo cor prudens audire & iudicare cum iustitia populum tuum, & intelligere inter bonum & malum. Vnde complacuit Domino, quia non sibi longauitatem vitæ, & regalium diuitiarum copias, sed sapientiam ad intelligēda Domini iudicia & iustitias depoposcit: & ideo tantum populum regno pacifico gubernauit, quia non vsurpauit vt Adam boni & mali scire distantiam, sed intelligendæ eius gratiam orauit à Domino. Quod enim scire diuinum est, hoc à domino Deo tuo vt possis cognoscere promerendum est. Si petisset & Adam sicut petiuit Salomon, nequaquam illos inextricabiles erroris laqueos incidisset, quibus omnis eius hæreditas strangulatur. Ideoque mortuus est, & quod grauius est, morte peccati, quia antē vsurpauit scire, quam intellectum quo viuificaretur, acciperet. Viuificat ergo intellectus vt spiritus, quia ipse intellectus gratia spiritalis est: ideoque intellectum munere suo spiritus sanctus operatur. Intellectus autem bonus est omnibus qui eum faciunt. quo docemur, quia non solum sensu completi, sed etiam factis, id quod in-

Iacob. 1. Psal. 50. Rom. 5. Prom. 1. Esaiæ 65. Luc. 2. Ioan. 1. Ibid. Ibid. 2. cor. 4. Rom. 6. Ibid. 2. Cor. 5. 1. Petr. 2. 2. Cor. 5. Rom. 6. Ibid. Psal. 114. Psal. 117.

telligimus, exequi debeamus.

In octonarium decimumnonum enarratio.

¶ Koph.

Littera decimanona est Koph; cuius interpretatio est, Cōclusio; & sicut alibi inuenimus, Aspice. Dicit littera, congruit sensus. Nā qui concluditur circumspicere se debet, & causam periculi non dissimulare, maximè cū lethale discrimē sit. Concluditur vnusquisque tumescens visceribus, intermisit faucibus, cū intercluso spiritu commeatu, spirandi ac respirandi cōmercia coartantur. Cōcluditur scemina cum sit pericula matricis, qua peccatoris ipsius premitur principale, vnde graues oriuntur angustia, & nisi in locum suum illa recipiendorum feminum aula reuocetur, vitam consuevit excludere. Ita etiam qui animo angitur, & quibusdam aduersis imminenti bus perurgetur, concludit dicitur non minoribus angustijs mentis quam corporis. Maiores enim æstus febriles sunt animorum quam corporum. Conclusus igitur viscerum tumore, medicum quærit, vt possit propulsare periculum, & constricta laxare. Veniens medicus tentat omnia, explorat interna. Et tu ergo conclusus animi seruore, aspice te ipsum interiore oculo. Morbi vis vrget, feruet noxia conscientia, moles peccatorum premit, intercipiūt sensum mentis angustia: cognosce te ipsum, & orationis quære medicinam, posce vt veniat medicus ille qui descendit è cælo, qui maximè ægrotos requirit, sicut ipse ait: Nō opus est sanis medico, sed iis qui malè habēt. Habes vulnera? ne differas. non est apud eum vlla compendinatio sanitatis. Habes vlceras ne timeas: verbo, nō ferro curare consuevit. Aspice igitur illis oculis, quibus Dauid auxilium quæsiuit & meruit. Leuaui, inquit, oculos meos ad montes: quæsiui vnde mihi veniret auxilium. Non inueni nisi à Domino. Qui enim mundum condidit, tuetur accolat mundi. Aspice ergo, & semper aspice, quia iusti oculi semper ad Dominum. Hoc monet te etiam Hieremias in Threnis sub hac ipsa littera, dicens ad Hierusalem: Surge meditari in nocte, in principio vigilia: tuæ esfunde sicut aquam cor tuum coram facie Domini, extolle ad Dominū manus tuas pro animabus paruulorum tuorum qui deficiunt fame in plateis ænium itinerum. Nōnne & aperte cōclusionis ostendit angustias, & monet vt intentione cordis, in quo est oculi melioris obtutus, remedium tibi salutare prouideas? Denique etiam infra, iterum sub hac littera ait: Appropinquauit tempus nostrum, repleti sunt dies nostri, aduenit finis noster. Leues facti sunt qui persecuti sunt nos, super aquilas cæli. In montibus accensi sunt, in deserto insidiati sunt nobis. Demonstrauit summam conclusionem, nec vllum remedium nisi in aduētū Domini nostri Iesu Christi, qui solus desperatis possit afferre medicinam. Et quasi ostendens eum, dicit: Spiritus ante faciem nostram, Christus Dominus comprehensus est in interitum nostro. In vmbra eius viuemus inter gentes. Et infra: Bibes, inquit, & inebriaberis. Adhuc: Vistauit iniquitates tuas, reuelauit super peccata. Quā breuiter aduentum & passionem eius expressit, remissionemque omnium peccatorum, quā aperte congregationem futuram gētium declarauit. Hinc

illud Apostolicum, quia caritas ex parte Israel contigit, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Veni Domine Iesu, sed iam non in vmbra, sed in sole iustitiæ. Si vmbra profuit, si passionis tuæ vmbra protexit, si corporis vmbra saluauit, quantum conferre poterit claritas aperta virtutis? Per vmbra lepra curata est, per vmbra quoque illius scemina quæ simbriam vestis Dominicæ attigit, sanguis sterit: per vmbra te vidimus, quando non habebas speciem neq; decorem. Vmbra tua caro fuit, quæ nostrarum æstus refrigerauit cupiditatum, quæ compescuit insolētiam vitiorum, quæ restinxit ignes libidinum, quæ auaritiæ diuersarumque passionum incendia temperauit. Et quid dicam de vmbra Domini, quando & Apostolorum vmbra sanabat? Veniēte etenim Petro vnusquisque offerebat ægros suos, quos transeūdis Apostoli vmbra reddidit sanitati. Audi quia caro Domini vmbra erat. Ecce Dominus sedet super nubem leuem, & veniet in Ægyptum. Dauid dicit: Sub vmbra alarum tuarū protege me. Factus est igitur exinanitus vmbra nobis, quos sol iniquitatis exusserat. Vidimus ergo eum in vmbra eius, cum adhuc fides prima procederet. Sed nunc iam totum illuminat mundum, & tamen adhuc eum per sui corporis, quæ est Ecclesia, vmbra videmus, nondum facie ad faciem. Neque enim oculi corporis diuinitatis possunt recipere fulgorem. Hæc quoque vmbra totū quotidie protegit orbē terrarū. Profuit igitur cōclusio: Cōclulit enim Deus omnia in incredulitate, vt omniū miseretur. Sed iam consideremus quid in conclusione dicendum sit, & vnde incipiendum.

Exclamaui in toto corde meo, exaudi me Domine, iustitias tuas exquiram.

Cum impressiones patimur corporales, exclamare consueuimus, vt alios ad præsidium nobis vocare possimus. Premebatur sanctus Propheta appropinquantibus sibi persecutoribus. Saul primo infestus armato eum insequabatur exercitu; postea parricida filius imminebat: non contentus fugientis exilio, vitam patris quærebat eripere. Sed ab illis minus pati poterat quos in presenti videbat, quā ab aliis quos nō videbat. Est enim colluctatio sanctis non solum aduersus carnem & sanguinē, sed etiā aduersus principatus & potestates huius mundi, rectorēsq; tenebrarū, qui latronum modo in istius sæculi nocte humanis insidiantur affectibus. Horum igitur sanctus Dauid cum graues aduersum se videret fieri incurfus, exclamaui in toto corde suo. Etenim aduersus diabolum non vocis magnitudine, sed magnanimitate cordis vtendū est. Est tamē & vox cordis, quia est & vox sanguinis, quæ ad Deū peruenit. Deniq; Deus dicit: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Clamat ergo cor nostrū, non sono corporis, sed cogitationū sublimitate, cōcentūq; virtutū. Gradis fidei clamor. Denique in spiritu adoptionis clamamus Abba pater, & ipse spiritus dei clamat in nobis. Magna vox iustitiæ, magna est castitatis, per quā & mortui loquuntur: nec solum loquuntur, sed etiā sicut Abel clamant. At verò iniusti anima nec viuēs clamat, quia Deo mortua est. Nihil in illa sublime, nihil magnificū est, quale eorū, quorum sonus in omnem terram exiit, & verba in fines orbis terrarum.

Numb. 9. Psal. 120. Psal. 124. Thren. 2. Ibid.

Rom. 11. Malach. 4. Math. 8. Math. 9. Esaiæ. 53. Act. 5. Esaiæ. 19. Psal. 116. Coloss. 1. 1. Cor. 13. Rom. 11. 1. Reg. 2. 4. 2. Reg. 1. 7. Ephes. 6. Genes. 4. Rom. 8. Genes. 4. 1. Tim. 5. Psal. 118.

Exod. 14.  
A. 28.

Esai. 58.  
1. Reg. 1.

Exod. 14.

Ibid.

Ibid.

Exod. 9.

Prover. 9.

Ioan. 7.

Marc. 12.  
Matth. 6.

Esai. 29.  
Matth. 15.

Gracili voce erat Moyses, nec loquebatur: plus omnibus tamē audiebatur. Quotidie auditur in Ecclesia: ab illis solis, hoc est, à Iudæis nō auditur, qui aure audiunt, sed corde nō intelligunt. Prophetæ dicitur alteri: Exalta viribus vocem tuam. Anna tamē non clamabat in corde suo sicut moyses, sed loquebatur: fortasse quia filios postulabat, hoc est, bona quidē, sed priuata, non publica, clamabat. Sed quia à Domino postulabat, & Domino eum, si quē susciperet, offerebat, loquebatur Deo. Clamabat autē Moyses, quia nō pro se, sed pro omni populo precabatur. Vnde dictum est ei à Domino: Quid clamas? Clamabat affectu pio, & sensu profundo, & personabat in cælo, miraculis petens digna cælestibus, vt mūdi clementa mutaret. Denique vt ipsius loci seriem recensemus: Instabat Pharaō, & innumeris Ægyptiorum stipatus curribus urgebat Hebræos, hinc circumfusus hostis, inde interfusum mare plebē Dei clauferrat. Nulla in armis fiducia, spes nulla in viribus. Strepbat tantummodo querela miserabilis, quod commodius sibi foret dura in Ægypto seruitutis onera subire, quā acerba in deserto morte consumi: querela nihil præsidij ferens, plurimum offensæ afferens. Stabat ergo Moyses mœstus, sollicitus, anxius populi & periculis & querelis, expectans fidem cælestium promissorum: & tacitus secū ipse voluebat qua tandem Dominus ope, iniuriæ immemor, memor gratiæ, subueniret. Dicit ad eum Dominus: Quid clamas ad me? Sonum eius non audio, vocem eius agnosco: silentium eius lego, clamorem eius in operibus deprehendo. Clamabat populus, & non audiebatur: tacebat Moyses, & audiebatur. Non populo dictum est: Quid clamas ad me? Non enim ad Deum clamabat populus, qui iniusta & viris indigna clamabat. Sed Moyse dictum est: Quid clamas ad me? hoc est, Tu solus ad me clamas, qui de me speras. tu solus ad me clamas, qui virtutem meā excitas. tu solus ad me clamas, qui per vniuersam terrā annuntiatu meum nomē expectas. Clamabat ergo Moyses in corde suo, & omnis sapiens in corde suo clamat. Deniq; sapientia cū altissima prædicatione cōuocat ad craterem, dicens: Relinquitte insipientiam, & quærite sapientiam. Magnæ sublimitatis, magnæ vocis hæc prædicatione est, quæ stultis sapientiam pollicetur. Et Iesus Dominus clamabat: si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Et voce verē magna clamabat, qui vocabat homines ad regnum cælorum ad illum venerabilem potum quo vitæ æternæ fructus infunditur. Et tu cum oras, magna oratio est, ea ora quæ æterna sunt, non quæ caduca. Ora quæ diuina sunt atq; cælestia, vt sis sicut angeli in cælo. Noli orare pro pecunia, quia ærugo est: noli pro auro, quia metallū est: noli pro possessione, quia terra est. Ista oratio ad Deum non peruenit. Non audit Deus nisi quod dignum suis ducit esse beneficiis: sed audiam vocem plenam deuotionis & gratiæ. Non solum ergo clamandum in corde, sed etiam in toto corde clamandum est. Sicut enim corporaliter tunc bene clamatur, cum toto ore clamatur: ita spiritaliter toto est clamandum corde, si volumus magna referre, & à Domino quæ poscimus impetrare. Hæc Dominus vocē exigebat à populo, quam populus nesciebat. Ideoq; dixit Dominus: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longē est à me.

Qui ergo appropinquauerit corde, ipse auditur à Domino. Cor ergo prius clamet, vt sermo possit audiri. Sed non satis est clamare ad Dominum, sed etiam iustitias eius exquirere. Exquirat autem iustitias, qui id quod in omnibus creaturis, & maximē in animantibus rationabilibus vel etiam irrationalibus insitum est, prouidentia adscribit diuinæ. Vnde turturi studium pudicitie, quæ cōpare amisso, cōcubitu indulgere non nouit, quod homines seruare non possunt? Vnde plerisque animantibus tam sobria partus cura seruandi, vt vbi conceptionis munus agnouerint, coitum non putent esse repetendum, ne receptorum seminum fiat adulterina permixtio? Phoenix coitus corporeos ignorat, libidinis nescit illecebras, sed de suo surgit rogo sibi auis superstes, ipsa & sui hæres corporis, & cineris sui factus. Aquila ne degeneres partus nutriat, diligentiter librat examine, & adhuc teneros fetus pio vngue suspēdit, solisque offert radiis, vt si fortē oculos suos vi fulgoris inflexerint, tamquam degeneres laxato in præceps vngue dimittat. sin verō natura vigore constanti aduersum radios solis obtutum potuerint vindicare, digna indolem sobolis onere grato reportet. Volatilia cæli omnia non serunt neque metunt, & Deus patit illa, quia iustitias Domini custodiunt, nihil sibi proprium vendicando, sed ligno fructifero, quod Domini iudicio cōmunē ad escam datum est, famē releuare contenta. Ex his igitur nos cognoscimus quā diuinæ subsidia prouidentia hominibus non deessent, si Dei iustitiam seruare vellemus. Qui alit aues, nō aleret homines quos ad imaginem & similitudinē sui fecit? Nōne pluris sumus illis? Natura prærogatiua pluris sumus, sed inferiores diminutione gratiæ, & præuaricationis iniustitia. Clamaui ad te, salua me, & custodiā mandata tua.

Repetit quōd ad Deum clamauerit, & custodem se promittit cælestium statutorum, quæ cælo terræque testibus Dominus Deus sanxit, vt præuaricatores elementorum testimonio arguātur. Quomodo cælum aspiciat præuaricationis suæ cōscium? Quomodo fructus de terra expectet, quæ nouit ingratus? Vide igitur quā non parua promittat Propheeta. In clamando fidelis & promptus affectus exprimitur, in custodiendo testimonia tua, continentia virtus, obsequij sedulitas declaratur.

Anticipaui in maturitate, & clamaui: in verba tua speraui.

Anticipaui. Græcus ἐπιμαρτυροῦσα dixit, quod est, ante horam, ante tempus. Qui ergo Dominum deprecatur, nō velut præscripta præcipuē tempora præstoletur, nec vt sciens in obsecrationibus Domini tempus esse aliquod, sed semper in ipsis sit. Siue manducamus, siue bibimus, Christum annūtiemus, Christum rogemus, Christum cogitemus, Christum loquamur, in corde nostro semper, semper in ore sit Christus. Sed fortasse dicas: Quomodo scriptū est: Tempus omnibus, & tempus omni rei sub cælo est? Sed Dominus Iesus supra cælum est, nullo circumscriptus est tempore. Claudat os suum Ariana perfidia. Tempus, inquit, omni rei sub cælo: quanto magis sub Deo tempus, non supra Deum? Generatio ex patre non habet tēpus. Neq; enim opus ante auctorem,

Matth. 6.

Genes. 1.

1. ad

Matth. 6.

Deut. 30.

Esai. 1.

Ierem. 3.

Ibid.

Matth. 12. ex

Esai. 42.

Iudith. 8.

1. Cor. 10.

Ecl. 3.

Ibid.

1. Tim. 7.

1. Tim. 17.

Esai. 7.

1. Tim. 6.

1. Tim. 8.

1. Tim. 11.

1. Tim. 4.

1. Tim. 2.

1. Tim. 9.

1. Tim. 3.

Ibid.

1. Tim. 12. ex

Esai. 42.

1. Tim. 18.

auctorem, sed auctor supra operis exordiū. Fortasse obiciant quia dixit: Tempus meum nondum aduenit. Et iterum dixit: Pater venit hora. Sed hæc hora est passionis. Est etiam tempus virginalis cōceptionis. Ecce virgo in vtero accipiet: Quia virgo sub tēpore, & ideo præscripta ætate concepit. Qui rogat itaque, semper roget: & si non semper precatur, paratum semper habeat precantis affectum. Pernoctabat in oratione Dominus Iesus, non indigens precationis auxilio, sed statuens tibi imitationis exemplum. Ille pro te rogans pernoctabat, vt tu disceres quomodo pro te rogares. Redde igitur ei quod pro te detulit. Audi supra dicentem Prophetam: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Et tu surge vel media nocte, si non potes tota semper nocte vigilare, vt dū oras nocte, veri solis pectori tuo splendor irradiet: quia omnis anima quæ Christū cogitat, in lumine semper est. Nam dici lucem tibi Christus aspirat. Sed quia sequens versiculus de tempore precandi euidenter expressit, in isto versiculo actuum magis operumq; arbitror quā orationis tēpus intelligendum. Præcurrit ætatis maturitatem qui quis in adolescentia positus senilē grauitatē induit, & iuueniles annos veterana quadam continentia regit, feruoremque virētis corporis incana morū maturitate cōponit: Nā quid potest habere laudis, si effœrum corpus voluptatibus, & iam senectutis gelu frigidum, ad fera deuotionis officia deposito iam segnior vigore cōuertat? Non est corona, nisi vbi fuerit difficilioris lucta certaminis. Ad quā rari attingere possunt, nec omnes qui ingressi fuerint stadiū, perueniunt. Ille laudabilis, cui est in seipso ante certamen, qui carnē suam reluctante sibi mentis coercet imperio, parca frugalitate castigat, & seruituti redigit, ne effrænata libertate luxuriet, atq; indomita feruens cupiditate habenas animi regentis abripat. In hora est ergo senex, si munia sobriæ maturitatis exerceat: ante horam præcurrens iuuenis, si senilī pondere incentiua comprimat voluptatum, ac feruentes illecebras cupiditatis extinguat. Bonus est enim Dominus sustinentibus eum, Hieremias dicit: Et bonum est viro qui graue portauit iugum à iuuentute: sedebit singulariter, & silebit, quia tulit iugum verbi. Qui enim à iuuetute iugū portauerit, & habenis maturi moderaminis teneriora volens colla subdiderit, sedebit singulariter remotus à strepitu interpellatium passionum; & quietus silebit, cui necesse iam non sit iurgari cū corpore, decertare cum variis cupiditatibus, quia tulit iugum verbi anima quæ quarit Deum, quæ captiuas sibi fecit omnes delicias iuuetutis. Vnde fortasse & illud dominicū, Non clamabit neque contendet, neque audiet quisquam in plateis vocem eius: non solum ad defensionis silentium, absolutionisque contemptum, & tolerantiam passionis, sed etiam ad compressiones omnium accipere possumus corporalium voluptatum. Vnde & alibi scriptum est: Qui peccatum non fecit. Rectē igitur tacebat in mortis periculo constitutus, qui mortis aculeum non timebat. In verba (inquit) tua speraui. Græcus ἐπιμαρτυροῦσα dixit, quod est ad sperandum semper crescere, & spem spei adiungere. Iustus semper sperat, & in aduersis positus, & frequentibus afflictus ærumnis desperare nō nouit,

A sed quo grauiora tolerauit, magis sperat, & sperandi sumit profectum, secundum illud oraculum: Confolamini, consolamini populus meus, dicit Dominus. sacerdotes loquimini in cor Hierusalē, consolamini eam, quia repleta est deiectio, & solutum est peccatum eius, quia recepit de manu Domini duplicia peccata sua. Quā citō dixit plenitudinē deiectionis solutionem esse peccati, & repetiuit causam cōsolationis eo maius esse recōciliationis insigne, quo numerosior fuerit pœna quā culpa. Iob tot grauatus incommodorum acerbitatibus, pio spem cumulabat affectu, discretam à piis causam asserens impiorum, quorum lumen extinguitur. Lux autem secundum Salomonem semper iustis. Vnde colligitur quia iustus semper in verba Dei sperat, & spem adiicit spei. Quod euidentius expressit Esaias, dicens, Tribulationē super tribulationē, spēs super spem. Ad perlaetatos & abductos ab vberibus loquebatur, hoc est, ad eos qui prima infantia alimenta transissent, cibo iam habiles fortiori. Exemplo sit, quōd ablaetatus Isaac patriarcha tantus euaserit, vt adhuc inter rudimenta primæuæ positus ætatis, nequaquā tamen gladium ferituri parentis horuerit. Plures filios habuit Abraham, nullum ablaetauit alium, sed in hoc solo fecisse legitur epulum magnum. Et bene magnum epulū scriptura dixit, quia typus erat eius, quem semper epulantur corda sanctorum.

Esai. 40.

Iob. 2.

Iob. 28.

Prover. 13.

Esai. 28.

1. Tim. 2. ca.

7. 8. proueni.

Genes. 2. 2.

Genes. 2. 1.

Iob. 49.

Præuenerunt oculi mei mane, meditari verba tua.

Suprà ait: Anticipaui, & anticipaui, hoc est, ante horas, ante tempus: hinc ait, Mane, aliud significans tempus orandi atque psallendi Domino, vt sit illud prius secundum quod ait: Media nocte surgebam: hoc autem iuxta illud: Præueni orientē solem. Graue est enim, si te otiosum in stratis radius solis orientis inuerecundum pudore cōueniat, & lux clara feriat oculos somnolento adhuc torpore depressos. Arguit nos tanti temporis spatium, sine vilius deuotionis munere ac sacrificij spiritalis oblatione feriata nocte transmissum. An nescis o homo quōd primitias tui cordis ac vocis quotidie Deo debeas? Quotidiana tibi messis, quotidianus est fructus. Occurre ergo ad solis ortus, vt te oriens inueniat iam paratum, ne lumina tua madido adhuc sopore mergentia, primus diei fulgor exagitet. In cubiculo meo in noctibus quæsiui quem dilexit anima mea, dicit Ecclesia. Ideo meruit eum inuenire, ideo eius gratiā promereri, quia etiā in cubiculo quæsiuit, quæsiuit in noctibus, propterea copiam eius adepta, in posterioribus loquitur ad sponsum: Veni frater meus, exeamus in agrum, requiescamus in castellis, diluculo surgamus ad vineas. Aduertis quemadmodum sponsa verbum inuitet Dei, vt veniat in terras, & tollat peccata mundi? Ager hic erat ante desertus, sentibus nostrorum squalidus delictorum, horridus spinis. Castellum erat in quo relegatus Adam perpetuo suæ posteritatis hæredes stringebat exilio. Illo ergo dicit Ecclesia Christum, vt Adam liberet. Deinde exulibus absolutis cœpit mundi istius ager idoneos habere cultores: & qui erat ante ieiunus, factus est viris æternæ plantatione fecundus. Nec tamen sic

Sup. ver. 3.

Sup. O. 7. 8.

Sapient. 16.

can. 3.

can. 7.

Ioan. 1.

Genes. 3.

spiritualibus lata palmitibus euagatur, sed ad has vi-  
 neas vocat Christum, ubi psallentes sint & orantes,  
 ubi noctibus ac diebus fructus innoxius perseueret.  
 Ibi, inquit, dabo vbera mea tibi; dederunt mandra-  
 goræ odorem. Plerique discernunt quendam inter  
 mandragoras sexum, vt & mares putent esse & femi-  
 nas, sed feminas grauis odoris. Significat ergo  
 gentes quæ ante scerebant, cum essent infirmiores,  
 cuirata quadam imbecillitate perfidia, boni odoris  
 fructus ferre cepisse, postquam in aduentum Do-  
 mini crediderunt. Legimus etiam quod mandra-  
 goras accepit sancta Rachel à sorore sua Lia, vt  
 concederet ei illa nocte dormire cum sancto Iacob.  
 Mandragoras Ruben primogenitus attulerat ma-  
 tri suæ Lia, quæ lippientibus oculis synagoga fi-  
 guram accepit, quia Christi gratiam videre non po-  
 tuit, hebetato debilis mentis obtutu. Quo declara-  
 tur, quod fructus quos ante synagoga à primoge-  
 nito Dei filio susceperat, Ecclesiæ concessit. Sed  
 quia illius noctis potita concubitu concepit & ge-  
 nuit Lia suæ posteritatis hæredem; impletur myste-  
 rium, quoniam credentibus Apostolis reliquæ Iu-  
 dæorum per electionem gratiæ salutæ factæ sunt.  
 Vnde ait Ecclesia: Noua & vetera frater meus ser-  
 uauit tibi. Quis dabit te fratrem lætætem vbera ma-  
 tris meæ? lucentis te foris, oculos labor te, & qui-  
 dem non spernent me. Assumam te & inducam in  
 domum matris meæ, & in secretum eius quæ conce-  
 pit me, ibi docebis me. Habens igitur informatio-  
 nem nouarum & veterum scripturarum, nec despi-  
 cabilem se esse sentiens, non solum orationibus in  
 secreto cordis verbum tenet, verum etiam psallentis  
 chori vocibus velut quibusdam eum oculis gratiæ  
 oscylatur. Itaque malorum granatorum, hoc est, di-  
 uerforum & innumerabilium fructuum, & præcipue  
 fidei odoribus, gratiæ, sapientiæ, & gloriæ, vitæq; æ-  
 ternæ subnixæ diuitiis, quæ sunt circa sinistra & dex-  
 teram sponsum, per animas sanctas laudantium congre-  
 gationum, p' r'usibus excitat Christum, dicens: Ad-  
 iurauit vos filiæ Hierusalem, si susceperitis & excitetis  
 dilectionem vsquequo voluerit. Vnde eam miran-  
 tur filiæ Hierusalem, sanctæ animæ patriarcharum &  
 Prophetarum, veterumq; iustorum, vel cælestes po-  
 tentiæ, dicentes: Quæ est hæc quæ ascendit de albatra  
 innitens super fratrem suum? Hoc est, talibus solem-  
 nitatibus fulget Ecclesia: & quæ ante per diem sus-  
 ca erat, iam splendet in noctibus & relucet. Ipse quo-  
 que Dominus tanto munere psallentium delecta-  
 tus ait: Pone me vt signaculum super cor tuum, vt  
 sigillum super brachium tuum, quia valida est vt mors  
 charitas, durus sicut inferi zelus. Alæ eius, alæ ignis  
 flammæ: aqua multa excludere non poterit charita-  
 tem, & flumina non obruent eam. Quia vidit tantam  
 deuotionem Ecclesiæ, idoneos putat esse iam po-  
 pulos qui in corde nostro & in brachio signaculum  
 eius portare possimus. Ipsum enim pater signauit, &  
 qui testimonium eius accepit, signauit, quia Deus  
 verax est: & ideo operantes cibum permanentem  
 in vitam æternam, signati sunt ad imaginem & simi-  
 litudinem Christi, qui est imago inuisibilis Dei. Si-  
 cut ergo Deus verax est, & tu signa in tuo sensu &  
 opere veritatem, vt os tuum non loquatur menda-  
 cium: manus tuæ non operentur opera hominum,

quæ sunt fallacis istius mundi, sed illa quæ Dei sunt,  
 vt pauperibus largiantur, debiles subleuent, mor-  
 tuos honorēt tumulis sepultura: His operibus cha-  
 ritas queritur, vt nemo possit à Christo vel periculo  
 mortis auelli. Vnde ille ait: Quis nos separabit à  
 Christo? Tribulatio, an angustia, an persecutio? Et  
 infra: Confido enim, quia neque mors neque vita, ne-  
 que angeli. Ea specie etiam zelus durus est charita-  
 tis, & alæ eius alæ ignis. Habet alas sicut colum-  
 ba, sunt enim penne columbæ de argentata, quibus  
 euolat qui diligit, dicens: Ecce elongaui fugiens, &  
 mansi in solitudine. Sed alæ charitatis, alæ ignis, qui-  
 bus dilectionis inflammat ardor. Hoc vapore fer-  
 uentes fecit Dominus angelos suos spiritus, & mini-  
 stros suos ignem videntem, sed non exurentem. Legimus  
 & alii templi, supra quæ diabolus tētans fecit ascen-  
 dere Saluatorem, quæ erat in tēpli culmine. Sunt ergo  
 fastigia pietatis, sunt culmina charitatis, quæ vapo-  
 rem gratiæ pectoribus humanis adolere consue-  
 uerunt: & multa aqua extinguere atque excludere non  
 queat charitatem, & flumina eam secularium tem-  
 pestatum nulla concludant. Cum ergo tanta Eccle-  
 siæ gratia, tanta nos præmia deuotionis inuiteret, præ-  
 ueniamus orientem solem, occurramus ad eius ortus,  
 antequam dicat: Ecce adsum. Vult se præueniri sol-  
 iustitiæ, & vt præueniatur expectat. Audi quem ad-  
 modum expectet & cupiat præueniri. Dicit angelo  
 Pergami ecclesiæ: Age pœnitentiam, si quo minus  
 veniam tibi cito. Dicit angelo Laodiciæ: Remittite  
 ergo, & pœnitentiam age: Ecce sto ad ianuam, & pul-  
 so: & si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam,  
 intrabo ad illum. Poterit intrare denique, quia nec  
 resurgentem eum cum corpore vlla claustrum val-  
 uarum repagula retinere potuerunt, subito se apo-  
 stolicis penetrantibus improuitus infudit. sed studia  
 deuotionis tuæ desiderat experiri. Apostolos enim  
 iam probatos habebat. Aut forte in persecutione  
 præuenit: ubi tranquillitas est, præueniri cupit. Præ-  
 uenit certe hunc vides solem. Surge qui dormis,  
 & exurge à mortuis, vt illucescat tibi Christus.  
 Si hunc solem præuenieris antequam iste surgat, as-  
 picies Christum illuminantem. Ipse prius in tui cor-  
 dis illucescit arcano: ipse tibi dicenti, De nocte vige-  
 lat ad te spiritus meus; matutinum lumen temporibus  
 faciet splendere nocturnis, si mediteris verba  
 Dei. Dum enim meditaris, lux est: & videns lucem  
 non temporis, sed gratiæ, dices: Quia lux præcepta  
 tua. Cum autem te meditantem verba diuina dies  
 inuenerit, & tam gratum opus orandi & psallendi de-  
 lectauerit tuam mentem, iterum dices ad Dominum  
 Iesum: Exitus matutinus, & vespere delectaberis. At  
 verò Moyse magistro vsus est populus Iudæorum  
 quotidie in sermonibus suis, à mane vsque ad ves-  
 peram iudicium Dei operiendo. Quod videns cog-  
 natus eius esse intolerabile, consilium dedit nego-  
 tij consummadi, partito cum aliis onere qui ad hoc  
 munus electi sunt. Noctibus ac diebus sine vlla ces-  
 satione recenseto scripturas diuinas; quia & si quid  
 aliud seniorem interrogaueris, nescit nisi scripturæ  
 diuine feriem resutare. Vacat illic sermo de sæculo,  
 sola illic scriptura contexitur, singulorum sibi per  
 vices ora succedunt, ne quando sacer ille sonus  
 mandatorum cælestium ferietur: & tu Christiane  
 dormis,

Cant. 7.

Genes. 30.

Ibid.

Rom. 11.

Cantic. 7.  
Cant. 8.

Cant. 1.

Cant. 8.

Ibid.

Cant. 1.  
Cant. 8.

Ibid.

Ioan. 3.

Ioan. 6.  
Coloss. 1.  
Ioan. 6.

Matth. 29.  
Matth. 15.

Rom. 8.

Ibid.  
C. m. c. 8.

Psal. 67.  
Psal. 54.

Psal. 103.

Matth. 4.

Cant. 8.  
Sap. 16.  
Esaie 58.

Apost. 2.  
Apost. 3.

Ibid.

Ioan. 20.

Dmt. 6.

Leuit. 19.  
Ioban. 4.

Ibid.

Psal. 64.  
Esaie 18.

Ibid.

Ioan. 14.

Ibid.

dormis, cui magister est Christus? & non vereris ne  
 de te dicatur: Populus iste nec labiis me honorat?  
 Iudæus vel labiis, tu verò nec labiis. Si illius qui vel  
 labiis honorat, cor longè est à Deo: quomodo po-  
 test cor tuum propè esse, qui etiam labiis non ho-  
 noras? Quamdiu te somnus, quamdiu te secularia  
 tenent, quamdiu sollicitudo istius vitæ, quamdiu ter-  
 rena? Diuide saltem Deo & sæculo tempora tua: vel  
 quando non potes agere in publico quæ sunt istius  
 mundi, & tenebræ prohibent noctis, Deo vacato,  
 indulge orationibus: & ne obdormiscas, psallito:  
 somnum tuum bona fraude fraudato: mane festina  
 ad ecclesiam, deser primitias pij voti: & postea si vo-  
 cat secularis necessitas, non excluderis dicere: Præ-  
 uenerunt oculi mei mane, meditari verba tua. & sic secu-  
 rus procedis ad tuos actus. Quam iucundum in-  
 choare ab hymnis & canticis, à beatitudinibus quas  
 in Evangelio legis? quam prosperum vt te Christi  
 sermo benedicat, & dum recantas Domini benedi-  
 ctiones, studium alicuius virtutis assumas, vt etiam  
 in te benedictionis diuinæ meritum recognoscas?

Vocem meam exaudi secundum misericordiam  
 tuam Domine, secundum iudicium  
 tuum viuifica me.

Semper homo, etiam si sanctus, si iustus sit, debet  
 orare, vt exaudiat eum Dominus secundum miseri-  
 cordiam suam, non secundum merita virtutis ali-  
 cuius: quia rara virtus, multa peccata: & secundum  
 iudicium suum viuificet, vt infirmis opem ferat. Et  
 maxime hoc debemus orare cum aliquibus vrge-  
 mur aduersis. Vnde non otiose à sancto David præ-  
 missa est diuinæ misericordiæ postulatio.

Appropinquauerunt persequentes me ini-  
 que, à lege autem tua elongauerunt.

Græcus sic posuit: *Appropinquauerunt persequentes  
 me iniquitate*: hoc est, cum iniquitate me persequen-  
 bantur. Quanto magis mihi appropinquauerunt,  
 tanto amplius se à lege tua separauerunt: quoniam  
 qui fratrem suum persequitur, à lege secernitur. Lex  
 enim dicit: Diliges Dominum Deum tuum, diliges  
 proximum tuum. Non ergo oderim fratrem, ne di-  
 catur mihi: Si fratrem tuum non diligis quem vi-  
 des; quomodo potes Deum diligere quem non vi-  
 des? Nescis fratrem tuum mercem esse sanguinis  
 Christi? Mercem ergo non diligis Christi, si fratrem  
 non diligis. Ergo persecutor mihi appropinquat, vt  
 noceat, sed is se à lege determinat. Quæ enim por-  
 tio iustitiæ cum iniquitate? Qui autem à lege Dei se  
 separat, separat se ab æterna vita. Lex enim vita est.  
 Denique ostendens Propheta legem Dei, ait: Ecce  
 ista est vita; quoniam qui facit ea quæ legis sunt, vi-  
 uet in eis: quod legi cōuenit utique spiritali. Et for-  
 tasse qui mihi appropinquat vt noceat mihi, dum  
 separatur à lege, separatur à Christo, quia Christus  
 est vita. Ego autem si adhæream Christo, nec mihi  
 appropinquat: qui etiam si corporis mei habeat po-  
 testatem, anima tamen meam nocere non poterit.  
 Denique persecutores martyrum quàm longè ab  
 eorum meritis separati sunt. Sed forte dicas: Quo-  
 modo sancti adhærent Deo? Et ideo sequitur:

Prope es tu Domine, & omnia præcepta  
 tua veritas.

Prope est Dominus omnibus, quia vbique adest:  
 nec fugere eum possumus, si offendimus: nec falle-  
 re, si delinquimus, nec amittimus, si colamus. Spe-  
 ctat omnia Deus, omnia videt, assistit singulis, dicens:  
 Deus appropinquans ego sum. Et quomodo potest  
 deesse alicubi Deus, cum de spiritu Dei legeris: Spi-  
 ritus Domini repleuit orbem terrarum: Quia ubi Do-  
 mini spiritus, ibi Dominus Deus. Cælum & terram  
 ego compleo, dicit Dominus. Vbi igitur deficit qui  
 implet omnia? aut quomodo de plenitudine eius  
 omnes accepimus, nisi omnibus appropinquet? De-  
 nique David sciens illum vbique esse, & implere cæ-  
 lum & terram & maria, ait: Quò ibo à spiritu tuo, &  
 quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu  
 ibi es: si descendero in infernum, ades. Si sumptero  
 pennas meas ante lucem, & habitem in nouissimo  
 maris: etenim ibi manus tua deducet me, & tenebit  
 me dextera tua. Quàm citò significauit ubiq; Deum  
 esse: & ubi est Dei spiritus, ibi Deum esse: & ubi est  
 Deus, ibi spiritum Dei esse præsentem. Quo loco  
 indiuidua copula Trinitatis expressa est. Siquidem  
 hæc per os prophetæ locutus est Dei filius, in perso-  
 na hominis locutus, qui per incarnationem descendit  
 in terras, per resurrectionem ascendit in cælum, per  
 corporis mortem penetravit infernum, vt solueret  
 alligatos. Aut si ad prophetam referas, aduersus ex-  
 pressum, quod vbique manus & dextera Dei Chri-  
 stus assistat, ubi pater Deus, & sanctus Dei spiritus.  
 An cum de sole dubitare nequeamus quod procedens  
 toto orbe radios diffundat suos, & omnibus  
 lumen infundat, quem etiam illi qui videre non pos-  
 sunt, sentiunt tam è aeris ipsius foru esse præsentem?  
 Vbi enim deest calor illius? Quò radij eius non per-  
 ueniunt, cum discussis noctis aut nubium tenebris  
 illuminat terram? In cælo fulget, in mari rutilat, fer-  
 uet in terris. De sole ergo non dubitas quod vbique  
 resplendeat: de Deo dubitas, quod non vbique ful-  
 geat splendor gloriæ eius, & imago substantiæ? Quid  
 non penetret verbum Dei, splendor æternus, qui  
 etiam occulta mentis illuminat, quæ non potest ille  
 sol penetrare? Verbum enim Dei gladius spiritalis  
 est, vsque ad diuisiones animæ atque artuum, medul-  
 larumque perueniens. De quo dicit iustus ad Mariam:  
 Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt re-  
 uelentur multorum cordium cogitationes. Pene-  
 trat ergo animam, & quasi candor æternæ lucis il-  
 lustrat. Sed quamuis diffusè per omnes & in omnes  
 & supra omnes potestate sit, quia omnibus ortus ex  
 Virgine est, & bonis & malis, sicut & solena suum  
 riri iubet super bonos & malos: illum tamen fouet  
 qui appropinquat sibi. Sicut enim à se fulgorem so-  
 lis excludit qui fenestras domus suæ clauerit, lo-  
 cumque tenebrosum in quo diuersetur, elegerit: ita  
 qui se auerterit à sole iustitiæ, non potest splendorem  
 eius aspicere. In tenebris ambulat, & in omnium lu-  
 ce ipse sibi causa est cæcitatatis. Aperi igitur fenestras  
 tuas, vt tota domus tua veri fulgore solis illuceat. A-  
 peri oculos tuos, videas orientem tibi solem iusti-  
 tiæ. Sed caue ne eos vlla stipula festuca perturbet.  
 Si quid fordis in oculo fuerit mentis tuæ, non poteris

Psal. 138.

Hebr. 4.

Hebr. 23.

Sapient. 1.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.



Luc. 11.

Apo. 3.

Coloss. 1.

Coloss. 2.

Psal. 72.

Ibid.

Aet. 17.

Esai. 66.

Exod. 24.

Psal. 50.

Matth. 5.

Ioan. 3.

Psal. 18.

Genes. 2.

eum intueri: si quid aegritudinis, plus grauat, cum consulam oculorum aciem lux ferit, maioremque dolorē excitat. Sit ergo simplex oculus tuus, ne incipiat totū corpus tuum esse tenebrosū, & vacillet in lumine, sicut sunt cæcorum vestigia. Numquid si quis ostia domus suæ claudat, solis est culpa quod non illuminat domum eius? Ergo si quis peccatorum suorum repagulis obserandam mentem propriam iudicauerit, vt verbi à se splendorem stultus auertat, ac sibi inferat insipientiæ cecitatem, causari poterit quod sol iustitiæ noluerit intrare: aut infirmitatē luminis cælestis arguere? Pulsat ianuā tuam Dei verbum. Si quis mihi aperuerit, inquit, intrabo. Si quis ergo non aperuerit, numquid nō ingredientis, & non magis non aperiētis est culpa? Nihil quidem Deo est obseratum, nihil clausum æterno lumini, sed portas malitiæ dedignatur aperire, conclauia non vult penetrare nequitie. An verò quum animæ nostræ vigor putrem corporis refugiat portionem, quod eius gratiam corrupti artus sentire nō possint, Deus corruptæ animæ membra quædam dignatur habitare? Animæ tamen vigor per corpus omne diffunditur, siue manus, siue pes, siue digitus participes sensus est: Dei potest alicubi deesse sapientia, alicubi eius deesse maiestas? Sanè fugientes non retinet, non cogit inuitos, sed neque fastidit appropinquantes: & illius quidem virtus, illius verbum, Deus omnibus prope est. In ipso enim constāt omnia; & ipse est caput corporis Ecclesiæ; in quo omnis inhabitat plenitudo diuinitatis. Sed plerisque ab eo peccata secernunt, de quibus dictum est: Ecce qui elongant se à te, peribūt. Vnde sanctus Propheta ait: Mihi autem adherere Deo bonum est. Et Apostolus ait non esse longē Deum ab vnoquoque nostrum: In ipso enim, inquit, viuimus & mouemur & sumus. Vitalem etenim omnibus gratiam subministrans, omnibus præsto est munere bonitatis suæ; sed propior est illis qui contrito sunt corde. Quod vetus quoque per ænigmata historia docet. Moyse in montis Sina supercilio erat, & solus erat: populus in valle in imo montis, presbyteri in parte mōtis supra merita plebis, sed plurimo interuallo à Moyse meritis separati. Non omnes in vertice, neq; in imo omnes, sed populus. Moyse solus in vertice Sina montis, qui Latina interpretatione dicitur tentatio, Et tu si supra tentationes ascenderis, & contrito corde deruleris precē, Deo proximus eris. Si mundo corde fueris, & tu Deum videbis. Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbūt. Qui ergo Deo proximus est, dicit: *Prope es Domine, & omnia præcepta tua veritas.* Iudæus hoc non potest dicere, qui non recipit Dominum Iesum. Separauit enim se, nec in veritate, sed in vmbra credit. Quomodo dicit: *Præcepta tua veritas;* cum gratia & veritas per Iesum Christum facta sit? cum eum non agnoscat, qui veritate & plenitudine circumcissionis suæ totū mūdum redemit?

Initio cognoui de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea.

De testimoniis, inquit, tuis ab initio cognitionem & fidem assumpsi, quod in æternum fundata sunt. Testimonium enim fidele est, & præstat paruulis sapientiam. Si cognouisset Adam & Eva quod quasi

paruulis data essent eis cautiōra præcepta, ne vserparent sibi scientiam boni & mali, quam recto discernimine definire non possent, paradisi incolatum in perpetuum vendicare potuissent. Si considerent homines quia sanguis hominis ad Deum clamat, manus proprias à nece hominis abstinebunt. Si custodiant præcepta quæ dedit Dominus coram cælo & terra testibus (vnde dixit Propheta: Audi cælum, & auribus percipe terra) scientes quia quid quid flagitij commiserint, aduersus legem Domini fecisse, quod angelorum & potestatum, sanctorum quoque hominum testimoniis arguantur: supra hæc testimonia fundamentum sibi constituent, quia æterna sunt atque perpetua. Et nos ergo opus nostrum ædificemus supra fundamentum testimoniorum cælestium, vt non ardeat sicut lignum aut stipula, sed sicut aurum probetur, vt æterno maneat nixum fundamine.

*In octonarium vigesimum enarratio.*

Res.

Res littera, Latina interpretatione Caput dicitur, vel Primatus. Caput est, vt formam generis humani cōsideremus, quod fouet membra omnia, & dirigit atq; implet sensibus. Sensus enim sapientis in capite eius. Inde ductus venarum, meatūque spiritus, sanguinis vires in totius partes corporis deriuātur. Lustrat omnia, ornat omnia. Sublato capite, corpus sine nomine est. Non agnoscerit, nec vlla superest vsura viuēdi. Propterea qui in aliquo damnatur crimine, eo quod ornāmētum est totius corporis, capite abdicatur: & qui turpi vel scelesto reatu beluina obscenitatis illuuiem, vel bestialis immanitatis horrorem commisisse detecti sunt, tamquam ij qui proposito humanæ moderationis exciderint, formam quoque humanæ cōditionis iubentur exuere. Reciso enim capite, reliqui corporis trūcus bestiarum corpori comparatur, & sapientiæ arce fraudatur, qui sapientiæ non potuit tenere rationem. Sepelitur igitur sine decore suo corpus. In capite etenim vigor vitæ, in capite est gratia venustatis. Fertur coluber, cum vrgetur periculo, caput semper abscondere, & in orbē se colligens, obiecta reliqua parte corporis hoc solūm tueri, quod læsa ferantur membra cætera, saluo capitis vigore reparari. Hoc & tu moraliter caput serua, hoc seruato & mysticè. Mysticum caput Christus est, quia omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ. Hoc caput qui amiserit, viuēdi vltimū habere non poterit. Hoc solo distamus à bestiis, ad imaginē Dei & similitudinem virtutum vigore formati. Fides nos ab irrationabilium pecudum comparatione secernit. Hoc caput humani seruate serpentes; etiam si omnia membra cædantur, totum vratur corpus incendiis, mergatur profundo, euisceretur à bestiis, hoc tamen capite custodito, vita integra, salus tuta est. Nemo enim potest perire, cui non sublatus est Christus. Est & caput, summa studij atq; operis nostri, summa negotij, summa sp̄i, summa virtutū. Omnis autem summa est studij nostri, vt simus humiliores, veritatem sequamur, quam non videt extollens se frustra inflatus mente carnis suæ, & non

tenens

Ibid.

Esai. 9.

Ioan. 1.

Apo. 1.

Apo. 22.

Gen. 10.

Coloss. 2.

Philip. 2.

Ephes. 4.

Matth. 11.

Ioan. 4.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Psal. 33.

Thren. 4.

Ephes. 1.

Gen. 15.

Ibid.

Ibid.

Gen. 9.

Gen. 25.

Coloss. 2.

tenēs caput. Quod sit hoc caput, euidenter expressit, A ille terrenus propter intemperantiam gulæ primatum quem habuit, amisit. Populus autem Ecclesiæ per sobrietatem & continentiam, primatus quos ordine non habebat ætatis, & cessio:ne fraterna, & pio furto paternæ benedictionis eripuit. Quid est igitur quod populus rapuit Christianus, nisi Dominū Iesum? A diebus enim Ioannis Baptistæ regnum cælorum cogitur, & cogentes diripiunt illud, sicut ipse Dominus declarauit. Bona fraus, quæ vitam furatur æternam. Sed quoniam satis dictū de litteræ huius interpretationibus arbitramur, cōsideremus ea quæ huic litteræ Propheta subiecit. Primus itaque verus est: *Vide humilitatem meam, & erue me, quoniam legem tuam non sum oblitus.* Fortasse dicat aliquis: Glorietur de se Propheta. Et si gloriatur, gloriatur in infirmitatibus suis, in quibus & Apostolus gloriatur, dicens: *Glorior in infirmitatibus meis.* Alius in diuitiis, alius in titulis nobilitatis ac prosapia suæ, alius in administrationibus & honoribus gloriatur; iustus in humilitate gloriatur. Bona enim gloria, Christo esse subiectū. Vt scias autem quia iactare nō se cupiat, sed Domini in se gratiā prouocare; alibi idem Propheta ait: *Vide humilitatem meā, & laborem meum.* Ergo quasi is qui humiliauerit cor suum quasi is qui plurimū laborauerit, ibi sibi dimitti peccata desiderat, hic erui se precatur. Constitue aliquē sacerdotem pro ministri salutis sollicitum, quem probatum aduertat Deo, aliquem patrem pro filio in aegritudine constituto graui, aliquam fœminam vel pro filio, vel pro viro mœstam, orationibus incubātem, fundentem vberes lacrymas noctibus ac diebus, humiliantem se ac sternentem solo, multiplicātem ieiunia, & quod his grauius est, mentis atq; animi dolore confectam, morbi ac periculi dilatione torpentem, dicere ad Dominum: *Vide humilitatem meam, & erue me.* Considera etiam quia spiritali quodam oleo cælestium præceptorum vngit nos atque exercet quotidie scriptura diuina, & Dominus noster plurimos ad subeunda certamina gestiens prouocare, diuersa posuit premia coronarum. Cōsidera, inquam, Christi athleticam innumeris contentionibus fatigatum, ac propē iam lassatis viribus resistentem, periculi mole turbatum, cum videat sibi nō solūm aduersus carnem & sanguinem, sed etiā aduersus spirituales nequitias, quæ sunt in cælestibus, esse luctamen, dicere: *Vide humilitatem meā, & erue me, quoniam legem tuam non sum oblitus.* Non enim potuit obliuisci qui secundum eius præcepta certauit. Contuere etiam aliquem in martyrio constitutum, frequentibus afflictum suppliciis, retrusum in tenebras, graui fractum pondere catenarum, neruis crura distentum, euisceratum equaleo, exaratum vngulis, adustum candentibus laminis, perseverantis fidei virū, sed iam rædiantis animi quod diutius differatur lacrae mortis corona, dicentem: *Vide humilitatem meā, & erue me, quoniam legem tuam non sum oblitus.* Non solūm enim in studiis atque propositis, sed etiam in tentationibus humilitatem dici posse, testimoniis scripturarum docemur. Siquidem lectum est: *Homines acceptabiles in fornace humilitatis.* τὰ πτωδὲ

Gen. 27.  
Matth. 11.  
2. Cor. 12.  
Iacob. 1.  
Psal. 24.  
Ephes. 6.  
Ecl. 2.

Vide humilitatem meam, & erue me, quoniam legem tuam non sum oblitus.

τὰ πτωδὲ  
Kk iij

Hier. 11.

Hier. 6.  
Iob. 10.

Danie. 3.

Ephes. 4.

1. Cor. 3.  
Gen. 3.

Ioan. 21.

Matth. 16.  
Matth. 14.  
Psal. 65.  
Ioan. 21.

Cant. 8.

Ioan. 13.  
Luc. 17.  
Psal. 65.

Cant. 8.  
Ezech. 22.

Psal. 24.

Zach. 3.  
1. Pet. 2.

enim Græcus dixit, quod est humilitatis. Hoc ideo posui, quia plurimi habent Latini, in fornace afflictionis. Latinus discernit, Græcus non separat. *πειναισις*, & humilitas virtutis dicitur, & humilitas afflictionis. Nihil impedit si Latinus separat. Non enim Græcus ex Latinis transtulit, sed Latinus ex Græco. Denique & Hebraei quandiu in Ægypto erant, in fornace erant ferrea, hoc est, in fornace tationis, in fornace afflictionis, cum duris affligerentur imperiis. Unde & scriptum est: Quia eduxit eos Deus de fornace ferrea ex Ægypto. Fornax erat ferrea, quia nullius adhuc in Ægypto opera virtutum plena lucebant, nullius aurum illic fuerat comprobatum, nullius plumbum iniquitatis exustum. Dura fornax, fornax mortis perpetua. Quam fornacem nullus poterat euadere, quæ omnes consumeret, in qua solus dolor inesset & luctus. At verò fornax, in qua Ananias, Azarias, Misael hymnum Deo canebant; fornax aurea illa, non ferrea, per quam toto orbe sapientia fide de uocationis illuxit. Erat quidem etiam hæc fornax in Babylonia, ubi aurum non erat spirituale, nisi fortè captiuum. Captiuam enim Dominus duxit captiuitatem. Hoc erat aurum in Dei sanctis, qui captiui erant apud Babylonios corpore, spiritu autem liberi apud Deum, soluti vinculis captiuitatis humanæ, iugo gratiæ spiritalis innexi. Et fortasse eadem fornax ferrea fragilibus est, aurea perseverantibus. Omnes oportet per ignem probari, quicumque ad paradysum redire desiderant. Nō enim otiose scriptum est, quod eiecit Adā & Eua de paradysi sede, posuit Deus in exitu paradysi gladium igneum uersatilem. Omnes oportet transire per flammam, siue ille Ioannes Euangelista sit, quem ita dilexit Dominus, ut de eo diceret ad Petrum: Si cum uolo manere, quid ad te? tu me sequere. De morte eius aliqui dubitauerunt, de transitu per ignem dubitare nō possumus, quia in paradiso est, nec separatur à Christo. Sicut ille sit Petrus, qui clauas accepit regni caelorum, qui supra mare ambulauit, oportet dicat: Transiimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium. Sed Ioanni citò uersabitur igneus gladius, quia non inuenitur in eo iniquitas, quem dilexit aequitas. Si quid in eo uitij humani fuit, charitas diuina decoxit. Alæ enim eius sicut alæ ignis. Qui habuerit hanc charitatis ignem, illic ignem gladij timere non poterit. Ipsi Petro, qui toties mortem suam pro Christo obrulit, dicit, Transi, recūbe. Sed ille dicit: Igne nos examinauit, sicut examinatur argentum. Etenim in quo aqua multa excludere nō potuit charitatem, quomodo cam ignis excludet? Sed ille examinabitur ut argentum, ego examinabor ut plumbum: donec plumbum tabescat, ardebo. Si nihil argenti in me inuentum fuerit, heu me, in vltima inferni detrudar, aut ut stipula totus exurar. Si quid inuentum in me fuerit auri vel argenti, non per meos actus, sed per misericordiam & gratiam Christi, per ministerium sacerdotij, dicam fortasse ego: Etenim qui sperant in te, non confundentur. Illo igitur igneo gladio iniquitas exuretur, quæ sedet super talentum plumbeum. Ideo vnus ignem illum sentire nō potuit, qui est iustitia Dei Christus, quia peccatum non fecit. Nihil enim ignis in eo quod exurere posset, inuenit. Denique illi soli eleuatae sunt portæ

eternales, ut intraret rex gloriae, non reus causa. Et hinc quidem mortem caro illius gustauit. neque enim aliter posset resurgere. Quod legi, presumo: quod non legi, veneratus scientibus derelinquo: vnū cōfitemens, quia quidquid caro illius subiit, ideo subiit, ut uia ceteris vel triumphandi per martyrij passionem, vel transeundi in paradysum suis uestigij reformaret. Nemo ergo sibi arroget, nemo de meritis gloriatur, nemo de potestate se iactet; sed omnes speremus per Dominum Iesum misericordiam inuenire, quoniam omnes ante tribunal eius stabimus. De illo ueniam, de illo indulgentiam postulabo. Quæ enim spes alia peccatoribus? Et qui se hic aurum putat, habet plumbum: & qui putat se granum tritici, habet paleam quæ possit exuri. Sed hinc sibi multi aurum uidentur. Non illis inuidet: sed tamen aurum examinabitur, ut erit ut possit probari. Sic enim scriptum est: Sicut aurum in confatorio probabo illos. Ergo aduertant, quia examinabuntur omnes. Multi ergo qui se aurum putant, & ipsi humilitatem sequantur, ut uitia sua decoquant. Sed hinc inanis iactantia est. Ideo multis qui se massas putant auri, dicit sapientior auri massa: Omnes nos fornax probabit. Ergo quia examinandi sumus, sic nos agamus, ut in iudicio probari mereamur diuino. Teneamus hinc positi humilitatem, ut cum vnusquisque nostrum uenerit ad iudicium Dei, ad illos ignes quos transitori sumus, dicat: *Vide humilitatem meam, & erue me.* Nam si superbus fuerit, si arrogans, si contumax, non poterit hoc dicere. Nemo autem dicet, Vide superbiam meam: sed, *Vide humilitatem meam*: ut eius gratia erui ab illo igne mereatur. Est ergo humilitas laboris & fatigationis, est & humilitas virtutis atque propositi, quam & in secundis & prosperis & in otio positus tenet iustus. Nullo licet fractus labore, nullius certaminis dubius euentu, humile omnibus affectum exhibet, nec sua extollere studet, sed magis minuere operis sui pretium, & meriti sui gratiam. Audi iustum humiliantem se: Ego sum, inquit, minimus Apostolorum. Ille uas electionis diuinæ, ille gentium doctor minimum esse se dicit, indignum eius officij nomine quod suis operibus præfererat, nihilque sibi arrogat, sed totum gratiæ Dei deputat. Hoc utique decet iustum. Hac humilitate Abraham pater fidei nuncupatus est: qui cum diuino participaretur alloquio, terram se esse dicebat, & limum. Ipse quoque Dominus ait: Ego autem sum uermis, & nō homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis; cum de sui corporis passione loqueretur; qui nō quæ sua sunt quæsiuit, sed quæ aliorum. Cuius nos imitatores uult fieri Apostolus, atque hortatur, dicens: Hoc enim sentite in uobis, quod & in Christo Iesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Nec nos igitur nobilitatem generis, nec diuitias requiramus, si uolumus Christum sequi. Exinaniuit se, cum esset in Dei forma: cum diues esset, pauper factus est. Noli & tu cōtendere plebeum, quia nobilis es: noli despiciere seruum, quia potens es: noli pauperem fastidire, quia diues es. Numquid nobilior, numquid potentior, numquid locupletior Christo es? Ille pro te susceptus illa quæ tu despicias. Ille pro te humiliatus se uisq;

psal. 25.  
Hebr. 2.  
Esaie 53.  
Iuere. 9.  
Rem. 14.  
Matth. 3.  
Zach. 13.  
Sup. 3.  
1. Pet. 1.  
1. Cor. 3.  
1. Cor. 16.  
Act. 9.  
1. Tim. 2.  
Rem. 4.  
Gen. 18.  
Psal. 21.  
1. Cor. 10.  
Philipp. 2.  
2. Cor. 8.  
Philipp. 2.  
ad

1. Tim. 5.

Philipp. 2.

1. Tim. 12.

Matth. 20.  
Iuan. 19.  
Iuan. 13.  
Matth. 27.

Philipp. 2.

Eph. 3.

Gen. 1.

Psal. 21.

Iuan. 11.

Iuan. 2.

Matth. 22.

Luc. 22.

Eph. 2.

Luc. 17.

ad mortem, & mortem crucis, ut tua lapsum aboleret superbia, ut quod per vnus Adæ inobedientiam perdidideramus, per vnus Christi humilitatem reciperemus: propter quod Deus, inquit, illum exaltauit, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur: quoniam Dominus Iesus in gloria eius Dei patris. Considera, o homo, quid legas. Non laborauit Apostolus potentiam Christi probare, sed obedientiam prædicare, sed demonstrare quanta sit humilitatis gratia, quantus eius profectus. Si simplicibus accipias auribus, & Christum exaltauit. Sed Christus non quæ sua, sed quæ tua erant, illa humilitate quærebat. Ego, inquit, si exaltatus fuero à terra, omnia trahā ad me ipsum. Accipe ergo argutis auribus: Moraliter tibi profuit, mysticè tuam redemit salutem. Quomodo uis intellige: salus est tua. Si putas quod Christo profuit humilitas sua, cui ergo non perderit? Si illum exaltauit, quem non augebit? Factus est minister omnium Dominus, & auctor omnium uapulauit, pedes lauit, crucifixus est, mortuus est. Sed in his omnibus detrimentum nullū uideo diuinitatis eius, profectum operationis agnosco. Qui nihil habebat quod ad potestatem suam adderet, habuit quod ad cultum suæ maiestatis adiungeret. Audeo dicere: Operationis suæ munus amiserat, nisi id humilitas recepisset. Itaque nos quidē redemit, sed etiā sibi acquisiuit. Nihil ergo humilitas affert dispēdij. Ille qui se exinaniuit, plenus est. Ille qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, formam serui accipiens, in gloria est Dei patris. Suscepi quem nesciebam, agnouit quem non cognoscebam, confiteor quem negabam. Ipsi genu corporis flecto, ipsi genu mentis inflecto, ipsum adoro, quem antè fugiebam. Gratias tibi agimus Iesu Christe, quod creasti nos: sed creatos, feris bestis, mutis animantibus præfecisti. Maiora sunt uisitationis tuæ munera. Uisitatos maiestatis tuæ consortijs honorasti, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis. Suscepit enim corpore frater es factus, nec dominus esse desisti. Maior redemptionis gratia, quia periclitantes morte propria redemisti, sicut scriptū est: Expedit vnū hominem mori pro populo. Sulcicasti mortuum dicens: Soluite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud. In illo enim tēplo domini corporis omnibus ius resurrectionis accreuit. Resurgentes adæquasti angelis, sicut dixisti: Quoniam quæ non nubunt, & qui non ducunt uxores, erunt sicut angeli Dei in caelo. Postremò ad dexteram Dei in illo filij hominis solio collocasti, sicut ipse dignatus es dextere: Ex hoc autem erit filius hominis sedēs ad dexteram uirtutis Dei. Unde Apostolus admittans diuinæ dona pietatis, simul ostendens vnā patris & filij liberalitatem, ait: Deus autem qui diues est in misericordia, propter multam charitatem quæ dilexit nos. Audis in quo debeas homo diues esse, quas habere uirtutes? Amorem Dei te habere probato, imitare caelestis charitatis dulcedinem. Et addidit: Et iā cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluati, & simul suscitauit, simul fecit sedere in caelestibus in Christo Iesu. In Christo utique honoratur & caro. Ille igitur qui ad dexteram Dei sedet, propter nos humiliatus est. Ideo

que dicit nobis: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Nō dixit: Discite à me, quia potēs sum, sed humilis corde: ut tu illum imiteris, ut tu ei dicas: Domine audiui uocem tuā, impleui præceptū tuū. Dixisti ut à te disceremus humilitatē: didicimus nō solum sermone, sed etiam actu tuo: feci quod imperasti, *uide humilitatem meam.* Athleta bonus mēbra sua monstrat, ut conuersationis suæ approbet disciplinam. Monstrat etiam tunc membra sua, quādo post aliqua certamina grauiora iterum certare compellitur, ut iudex uidens fessum corpus, nequaquam eū certare compellat. Et tu ostende cordis tui humilitatem, ut titulos uirtutis ostendas. Ostēde & corporis tui certamina, ut dicas: Certamen bonum certauit, cursum consummaui: & uidens spiritalis iudex certaminis agonem, coronā iustitiæ decernat, quoniam legem agonis implesti.

Iudica iudicium meum, & libera me: propter uerbum tuum uiuifica me.

Festinat innoxij ad iudicium, & propriæ innocentiae arbitris desiderat citius comprobari. Habet hoc uisus etiam in saeculo, quod est commune cū sanctis. Verum is qui apud Deum iustus est, habet aliā causam iudicij non timendi, quia apud misericordem iudicem sibi causi est, apud redemptorem suum uult citò & sperat absolui. Absolutio enim matura sanctorum est. Unde & Dominus ait per Ezechielē ad angelos qui ministri sunt uisionū: A sanctis meis incipite. Non uult Dominus commune sanctorum cum diaboli focis consortium esse iudicij. Diabolus enim & ministri eius cum hominibus non flagellabuntur. Separata est poena, ubi distat & culpa. Ideo quæ alio loco scriptura ait: Tēpus est incipere iudicium à domo Dei. Quos miseratur enim citò castigat, ut non diutius afficiantur futuri expectatione iudicij, non prolixius misera reatus sorte maceantur, ut vnusquisque reddat etiam duplicia peccata sua, quò tandem possit absolui. Poena enim reorum, quaedam absolutio delictorum est. Videmus in hoc saeculo infertos nexibus catenarum reos in specie pompæ miserabilis duci: & nonnumquā hoc patiuntur insontes, ut tolerabilius sit mori, quàm talia subire supplicia. Optant utique audiri, bene sibi concessij. Optant etiam hi qui grauibz flagitijs uergentur, poenam mortis celeritate transigere, ut aliquanta compendia poenarum lucrentur. Spes est etiā de iudicij misericordia. Ipso exilio claustra carceris duriora sunt, nec reditus in perpetuum omnibus intercluditur relegatis. Si hoc operatur humanum examen, quanto magis Christi est omnibus expetendum? Differtur diaboli iudicium, ut sit semper in poenis reus, semper improbitatis suæ innoxius catena, conscientia suæ ut in perpetuum sustineat ipse iudicium. Ideo diues ille in Euāgelio, licet peccator poenalibus uirgetur ærumnis, ut citius possit euadere. Diabolus autem nequaquam puniri ad iudicium demonstratur, nequaquam adhuc poenis esse subiectus, nisi quas ipse tantorum conscius scelerum soluit timore perpetuo, ne aliquādo securus sit: immò ut uerius dicam, sanctus ad iudicium uenit; impius non uenit: quoniam non resurgunt impij in iudicium. Hic petit ut absoluantur, alius ut coercitus dimittat

Matth. 11.  
Ezech. 9.  
Ezech. 9.  
Ezech. 72.  
1. Pet. 4.  
Ezech. 12.  
Esaie 40.  
2. Pet. 2.  
Luc. 17.  
Psal. 11.

*Ioan. 3.* tur. Qui autem non credit, non iudicatur, sed impietatis suae iudicio ipse punitur. Apud imperatores istos non puniuntur sceleris rei barbari quod in sua gente commiserint, quia non sibi subditi: sed grauiore nomine hostes habentur, qui sine interrogatione priuati sceleris puniuntur. Ita & Christus suos castigat quos diligit, alienos tamquam generali damnatione impietatis adstrictos poena damnat aeterna. nouissima enim destruetur mors. & tamē uerecundē docet Propheta exemplo sui, ut etiam qui diffidit operibus suis, propter uerbum tamen Dei clementiorem speret sententiam. Alius propter diuitias uiuere cupit, alius propter filios; hic propter uerbum Dei uiuificari petit, sicut Symeon Domini expectauit aduentum: unde & Dominum accipiēs in templo, ait: Nunc dimitte seruum tuum in pace, quia uiderunt oculi mei salutare tuum: afferens uiuendi sibi cupiditatem aliam non fuisse, nisi ut Christum uideret. Denique uidit, & uinculis solui corporis postulauit. Possumus etiam intelligere: *Iudica iudicium meum*: quasi grauior nobis causa sit de iudicio nostro, quam de errore dicenda. Erranti enim facilius datur uenia, quam improbē in alium iudicanti. Necessē est enim eam formam in te redire iudicij, quam in alium ipse decernendam putaueris.

Longē est à peccatoribus salus, quoniam iustitias tuas non exquiserunt.

Quorum seruum est iudicium, eorum salus longē est: sed ipsi sunt sui auctores periculi, qui Domino non appropinquarunt. Ideo facti sunt longē, quia uoluntate sua à salutis se gratia separauerunt. Non reuoluit eos salus, sed ipsi salutē, qui se elongauerunt. Venit ad Iudaeos, sed illi salutem non receperunt. Quomodo non receperunt? Audi: Iesus salus est, Iesus filius hominis nuncupatus est. Venit filius hominis querere & saluum facere quod perierat: sed Iudaei dimitti sibi latronem postulauerunt, Iesum repudiauērunt. Quis autem est qui se longē facit à Domino, nisi qui non exquirat iustitias eius? Qui uerō iustitias exquirat, propē est, adhæret Deo. Et ideo iustitias Dei querentibus dicit Apostolus: Vos qui eratis longē, facti estis propē, in sanguine Christi. Sanguis Christi iustitia est. Denique ipse ait ad Ioannem: Sine nos implere omnem iustitiam.

Miserationes tuæ multæ nimis Domine, secundum iudicium tuum uiuifica me.

Et si longē est à peccatoribus salus, tamen nemo desperet, quia multæ sūt misericordiae Domini. Qui suo peccato pereunt, misericordia Domini liberantur. Miserebor, inquit, cui miserus fuero, &c. Palam apparuit non querentibus, uocauit refugientes, congregauit ignotos, pro omnibus se obtulit passioni. Non ergo multum misericors? Misericordia enim hominis in proximum suum, misericordia Domini in omnem carnem, ut omnis caro ad Dominum ascenderet, illa Domini miseratione donata. Sed cum dixerit multas esse Domini miserationes, quomodo secundum iudicia eius uiuificari petit, maxime cum alibi ipse dicat: Et nō intres in iudicium cum seruo tuo? Sed aliud est illud iudicium beneficio-

rum Dei, cui respondere non possumus (quis enim potest debitum referre naturae, debitum salutis & gratiae?) aliud iudicium quo fragilitatis nostrae estimatione censetur. In hoc ipso tamen iudicium cum misericordia copulatum est, ut ueritas iudicij miseratione Domini temperetur. Aut fortē, quia dixerat: Iudica iudicium meum; ideo subtexit miserationes Domini nimium multas esse. Graue est enim de alio iudicare. Unde etiam scriptum est: Nolite iudicare, & nō iudicabimini. Cum enim unusquisque sit suorum conscius peccatorum, quomodo potest de alterius iudicare peccato? Iudicet de alterius errore, qui non habet quod in seipso cōdemnet. Iudicet ille, qui non agit eadem quae in alio putauerit puniendae: ne cum de alio iudicat, in se ferat ipse sententiam. Iudicet ille qui ad pronuntiandum nullo odio, nulla offensione, nulla leuitate ducatur. Audisti hodie quid iudex uerus & iustus locutus sit: Non possum, inquit, ego à me facere quidquam. Nōnulli haeretici solebant hinc facere quaestiones, quasi infirmus esset filius, qui à se nihil faceret, quasi secundum diuinitatem quoque subditus, & paterno subiectus imperio: nec aduertunt quod hoc quoque magis potestatis diuinæ uinitas cōprobetur, ubi putant inter patrem & filium esse distantiā potestatis. Nihil à se facit filius, quia per uinitatem operationis nec filius sine patre facit, nec sine filio pater. Denique pater dicit ad filium: Faciamus hominē ad imaginem & similitudinem nostram: communem afferens operationem esse, ubi commune cōsiliū est. Quid sine sapientia facit, qui omnia in sapientia fecit: ut lectum est: Omnia in sapientia fecisti. Denique sapientia dixit: Quomodo faceret caelos, cum illo eram, & ego eram cui applaudebat. Et Euangelista ait: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. ut doceret non solum operatorem omnium filium, sed etiam paternae operationis consortē esse. Ego tamen arbitror quod hic locus ad iudicij formam videatur esse referendus. Euangelium etenim non solum fidei doctrina, sed etiam morum est magisterium, & speculum iustae conuersationis. Inuenio in Euangelio quod Dominus Iesus multorum affectus & officia suscepit, ut doceret quomodo nos in his conuersari oporteret officiis. Suscepit personam pastoris, & ait: Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis. Ideoq; pro rationabili grege seipsum passioni corporis non negauit, ut ouem lassam crucis suae humeris superponens, per oneris functione recrearet. Suscepit aduocati personam. Ipsum enim aduocatum habemus apud patrem. Pernoctabat in oratione pro nobis, ut nos suo informaret exemplo quemadmodum ueniam nostris debeamus exorare peccatis. Non enim ideo pernoctauit, quasi qui aliter patrem nobis reconciliare non posset; sed ut qualis aduocatus esse debeat, demonstraret; qualis sacerdos, ut non solum diebus, sed etiam noctibus pro grege Christi debeat precator assistere. An impetrandi egebat auxilio, qui facere ipse poterat quod rogabat, quemadmodum ipse dicebat: Ego ad patrem uado: & quodcumque ab eo petieritis in nomine meo, hoc faciam? Denique alibi ait, cum Lazari resuscitaret: Sciebam quod semper me audis. Hic quasi infirmus pernoctabat, qui sciebat quod semper

semper auditur, & clamauit: Lazare ueni foras. Locuta est resurrectio, mors recessit. Suscepit etiā affectū rei, & stetit ante iudicē quasi reus, nec dedignatus est Dominus omnium praesidis uilitatem. Interrogatus tacebat, ostendens non in clamore uocis, nec in forensis assertionē patrocini, sed in consciētia integritate esse innocentiae: nec salutem corporis ambiendam, sed animi puritatē. Denique qui Susannam absoluit tacentem, se obtulit morti. In illa causam ostēdit, ut nemo desperaret: in hac, ut redimendae uniuersitatis sacrificium non negaret. Cæsus postremō, non conuiciatus est, non percussit: & Dominus caeli atque terrarum studium deposuit uitionis, uocē humilitatis emisit, dicens: Si malē locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? Quasi infirmus, cædis deplorat iniuriam: & cum se posset uicisci, queri maluit quam vindicare. Ergo & hic personam iudicis propositumque suscepit, dicens: Non possum à me facere quidquam. Bonus enim iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito uolūtatis: sed iuxta leges & iura pronuntiat, statutis iuris obtemperat, non indulget propriae uoluntati, nihil paratū & meditatū domo defert: sed sicut audit, ita iudicat; & sicut se habet negotij natura, decernit. Obsequitur legibus, non aduersatur: examinat causę merita, non mutat. Discite iudices saeculi, quem in iudicādo tenere debeatis affectū, quam sobrietatem, quam sinceritatem. Dominus omnium dicit: Non possum ego à me facere quidquam. Alibi lego: Negare semetipsum non potest. Non potest utique, nō per infirmitatem, sed per integritatem: non per impossibilitatem faciendi, sed per obseruantiam iudicandi. Quid non potest qui omnia potest, nisi quod posse nolit? Non uult posse quod damnet, non uult posse aduersus fidem, non uult posse aduersus ueritatem. Audi postremō ipsum dicentem cur non possit à se facere quidquam: Sicut audio, inquit, iudico, hoc est, nō ex mea potestate decerno quod libitū, sed ex iudicādi religione quod iustum est: & ideo iudicium meum uerum, quia non uoluntati meae indulgeo, sed aequitati. Audite quid iudex dicat caelestis: Non possum à me facere quidquam, sed sicut audio, iudico. Et Pilatus dicebat ad Dominum Iesum: Potestatem habeo dimittendi te, & potestatem habeo crucifigendi te. Uirpas o homo, potestatem quam non habes, cum Dominus neget se habere, qui habet super omnia potestatem? Audi quid iustitia dicat: Non possum à me facere quidquam. Audite quid iudex aequitatis asserat: Sicut audio, ita & iudico. Audite quid iudex iniquitatis loquatur: Potestatem habeo dimittendi te, & potestatem habeo crucifigendi te. Tua Pilate uoce constringeris, tua damnaris sententia. Pro potestate igitur, non pro aequitate crucifigēdum Dominum tradidisti: per potestatem absoluisi latronem, auctore uero uitae interfecisti. Sed nec istam à te habuisti, quam habere te asseris potestatem. Denique dicit tibi Dominus Iesus: Non haberes potestatem aduersus me uillā, nisi data tibi esset desuper. Mala potestas posse quod non liceat. Potestas ista tenebrarum est, uerum non uidere, sed spernere. Audite quid uerus iudex loquatur: Non quero uoluntatem meam, sed uoluntatem

eius qui misit me. Quasi homo loquitur, quasi iudex docet: quoniam qui iudicat, non uoluntati suae obtemperare debet, sed tenere quod legum est. Constitue iudicem de hoc saeculo: numquid potest aduersum imperialis formam uenire recripti? Numquid potest normam augustae definitionis excedere? Quanto magis diuini formam debemus seruare iudicij? Christus dicit: Non quero uoluntatem meam: hoc est, hominis, quae uel odio dirigitur, uel studio intenditur, uel gratia inflectitur, uel aliorum mendacio deprauatur. Omnis enim homo mendax. Sed uoluntatem, inquit, eius qui me misit: hoc est, diuinæ cognitionis formam ueni docere, ut in iudicādo magis cordi sit ueritatis custodia, quam obedientia uoluntatis. Non ergo hic quoque infirmitas potentiae, sed forma est expressa iustitiae. Iustum igitur est iudicium filij Dei, quia est secundum uoluntatem Dei, nō secundum hominis affectū. Deus enim misericordiarum plenus est, & misericordia eius cū iudicio, & iudicium cum misericordia. Neque enim sine iudicio miseretur, neque sine misericordia iudicat. Denique scriptum est: Misericordia eius in stateras. Filij autem hominum mendaces in stateris, ut decipiant. Examinat ergo & trutinat Deus merita singulorum, & quemadmodum per mensuram dat gratiam, ne supra mensuram sit, ita per mensuram dat misericordiam. Unde ait: Mensuram bonam, cōfertam, commotam, supereffluentem dabunt in finem uestrum. Eadem uerō mensura qua mensi fueritis, reddetur uobis. Similiter in statera singulorum opera pensantur, ut si bona malis praeponderent, remuneratio praemij deferatur: si peccata uirtutibus; tristior reum poena cōstringat, quod expressum habes ad Timotheum, dicente Apostolo Paulo: Quorundam hominum peccata manifesta sunt praecedentia ad iudicium, quosdam autem & subsequuntur. Similiter & facta bona manifesta sunt: & quae aliter se habent, abscondi non possunt. Omnia ergo à Domino Deo nostro mensura quadam & ponderare sūt. Quis posuit, inquit, rupes in statera? Et supra: Quis mensus est manu aquam, & caelum palmo? Qui nostra examinat, sua utiq; examinata largitur, & saluo omnia decernit examine. Ponderat misericordiam, ponderat uitionē: in utroque certum pondus, habiliusque mensura est. Unde & David ait: Et potum dabis illis in lacrymis in mensura, ne sine moderatione mensurae poenae cumulo grauarentur, & sustinere non possent. Et alibi idem ait Propheta: Calix in manu Domini uini meri plenus est mixto. Et inclinauit ex hoc in hoc, ueritamen fax eius non est exinanita. Et Hieremias ait: Calix aureus Babylon in manu Domini, à quo inebriatae sunt gentes: hoc est, poena à nationibus persoluta est, ne diutius insultarent, quod Dei populum acerbissima populatione vexauerint. Sēsus igitur uersus Dauidici hic est: Parata & plena est poena quae debetur impijs, quā Dominus declinat in perfidos: sed tamen miseratione sua nō usque ad faciem dignatur effundere, ne plenitudinem supplicij ferre non possent. Inclinat ergo calicem, non euacuat. Quod inclinatur, censurā est: quod non euacuat, misericordiae. Ergo iudicium quoque misericordia temperat Dominus Deus noster. Quis enim nostrum sine diuina potest miseratione



1. Cor. 15.

Rom. 8.

Iob. 2.

Ast. 14.

2. Tim. 3.

Iob. 4.

1. Cor. 6.  
Iob. 4.

subsistere? Quid possumus dignum premiis facere caelestibus? Quis nostrum ita assurgit in hoc corpore, ut animum suum eleuet, quo iugiter adhaereat Christo? Quo tandem hominum merito defertur, ut haec corruptibilis caro induat in corruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem? Quibus laboribus, quibus iniuriis possumus nostra leuare peccata? Indignae sunt passiones huius temporis ad superuenturam gloriam. Non ergo secundum merita nostra, sed secundum misericordiam Dei caelestium decretorum in homines forma procedit.

Multi persequentes me, & tribulantes me: a testimoniis tuis non declinaui.

Non est magnum, si tunc a Dei testimoniis non declines, cum te nullus affligit, nullus persequitur. Quis enim inoffense cum sibi prosperorum euentuum secundant successus, fieret ingratus? Quis diuitiis affluens, iugi salute robustus, non ad Dei gratiam referat quod sibi illa concessa sint? Denique cum sanctum Iob predicaret Dominus, ait aduersarius: Num quid gratis colit Iob Deum? Nonne tu vallasti eum? Mitte manum tuam in omnia quae habet, si non in faciem te benedicet. Tunc igitur plus probatus est, quando amissis opibus & filiis, a Domini cultu & gratia non recessit. Sed non vnus persecutor est, multos ministros habet: sed non te terreat. Per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Si multae persecutiones, multae probationes: vbi multae coronae, multa certamina. Tibi ergo proficit quod multi persecutores sunt, ut inter multas persecutiones facilius inuenias quomodo coroneris. Ut amur exemplo Sebastiani martyris, cuius hodie natalis est. Hic Mediolanensis oriundus est. Fortasse aut iam discesserat persecutor, aut adhuc non venerat in haec partium, aut mitior erat. Aduertit hic aut nullum esse, aut tepere certamen. Romam profectus est, vbi propter fidei studium persecutiones acerbae feruebant. Ibi passus est, hoc est, ibi coronatus. Itaque illic, quod hospes aduenit, domicilium immortalitatis perpetuae collocauit. Si vnus persecutor fuisset, coronatus hic martyr utique non fuisset. Sed quod peius est, non hi solum persecutores sunt qui videntur, sed etiam qui non videntur, & multo plures persecutores. Sicut enim vnus persecutor rex multis persecutionis praecipua mittebat, & per singulas vel ciuitates vel prouincias erant diuersi persecutores: ita etiam diabolus multos ministros suos dirigit, qui non foris tantum, sed etiam intus faciant persecutiones in animis singulorum. De his dictum est persecutionibus: Omnes qui volunt pie viuere in Christo Iesu, persecutiones patiuntur. Omnes dixit, nullum exceptit. Quis enim exceptus potest esse, cum ipse Dominus persecutionum tentamenta tolerauerit? Persequitur auaritia, persequitur ambitio, persequitur luxuria, persequitur superbia, persequitur fornicatio. Vnde & Apostolus ait: Fugite fornicationem. Nam qua causa fugeres, si nulla te persequeretur? Est enim malus spiritus fornicationis, est malus spiritus auaritiae, malus spiritus superbiae. Isti sunt persecutores graues, qui sine gladio mentem hominis frequenter elidunt, qui illecebris magis quam terroribus animos expugnant fidelium.

Hi tibi hostes canedi, hi grauiore tyranni, per quos Adam captus est. Multi in persecutione publica coronati, occulta hac persecutione ceciderunt. Foris, inquit, pugnae, intus timores. Aduertis quam graue certamen sit quod est intra hominem, ut secum ipse confligat, cum suis cupiditatibus praelietur. Ipse Apostolus fluctuat, haeret, adstringitur, captiuari se asserit in lege peccati, & mortis corpore debellari, nec potuisse euadere, nisi esset Domini Iesu gratia liberatus. Verum ut multae persecutiones, ita multa martyria. Quotidie testis es Christi. Tentatus es spiritu fornicationis, sed veritus Christi futurum iudicium, temerandam mentis & corporis castitiam non putasti: martyr es Christi. Tentatus es spiritu auaritiae, ut possessionem minoris inuaderes, in defensa viduae iuramentum iurares: & tamen contemplatione caelestium praecipitorum opem magis ferendam, quam inferendam iniuriam iudicasti: testis es Christi. Denique tales vult testes Christus assistere, secundum quod scriptum est: Iudicate pupillo, & iustificate viduam, & venite disputemus, dicit Dominus. Tentatus es spiritu superbiae, sed videns in opere atque egenum, pia mente compassus es: humilitatem magis quam arrogantiam dilexisti: testis es Christi, & quod est amplius, non sermonis tantummodo, sed etiam operis testimoniū perhibuisti: testis es Christi. Quis enim locupletior testis est, quam qui confitetur Dominum Iesum in carne venisse, cum Euangelij praecipua custodit? Nam qui audit & non facit, negat Christum: & si verbo fatetur, operibus negat. Quam multis dicentibus: Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetauimus, & daemonia eiecimus, & virtutes multas fecimus, in illa die, respondebit: Discedite a me omnes operarij iniquitatis? Ille ergo testis est, qui ad stipulantibus factis Domini Iesu praecipua testatur. Quanti ergo quotidie in occultis martyres Christi sunt, & Iesum Dominum confitentur? Nouit hoc martyrium Apostolus, & testimoniū Christi fidele, qui dixit: Haec est enim gloria tua nostra, testimonium conscientiae nostrae. Quanti foris confessi sunt, & intus negauerunt? Namque vxoris ducendae gratia, quae gentili viro a Christianis parentibus negabatur, simulata ad tempus fide, plerique produntur quod foris confessi sunt, intus negasse.

An fornicationis causa tantummodo putamus Dominum Deum nostrum in populum Iudaeorum tantum fecerit esse commotum, ut quattuor & viginti milia de populo necarentur, propterea quod Madianitae gentis foemina concubitu miscerentur, ac non eo quod per illos concubitus alienigenarum discederet a fide, negare Dominum cogentur? Nolite, inquit, omni spiritui credere; sed a fructibus eorum cognoscite quibus credere debeatis. Venit quis in Ecclesiam, dum honorem affectat sub Imperatoribus Christianis, simulato metu orationem se fingit deferre, inclinatur, & solo sternitur, qui genu mentis non flexerit: videt illum homo, Christianum putat: videt homo orantem suppliciter, & credit: sed Deus audit negantem. Discedit probatus ab homine, sed condennatus a iudice. Quato tolerabilius fuerat homini negasse, & Deo esse confessum? licet hoc quoque sit reprehensibile. Perfecta enim confessio & animi querit deuotionem, & vocis professionem.

Corde

Gen. 3.

2. Cor. 7.

Rom. 7.

Esaia 1.

1. Ioan. 4.  
1. Ioan. 2.

Tit. 1.

Matth. 7.

2. Cor. 1.

Num. 25.

1. Ioan. 7.

Rom. 10.

Matth. 4.  
Rom. 6.

Rom. 8.

Iob. 6.

Luc. 14.

Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Ergo in persecutionibus interioribus esto fidelis & fortis, ut in istis forensibus persecutionibus approberis. Et in intimis persecutionibus sunt reges & praesides terribiles iudicij potestate. Habes exemplum in Domini tentatione quam pertulit. Demonstrata sunt ei omnia regna, & dictum est ei: Tibi dabo haec omnia, si procidens adoraueris me. Lectum est & alibi: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Vides ante quos reges statuaris o homo, ante quos praesides peccatorum, si culpa regnat? Quot peccata, quot vitia, tot reges. Et ante hos adducimur, & ante hos stamus. Habent etiam isti reges tribunal in mentibus plurimorum. Sed si quis Christum fateatur, statim regem illum facit esse captiuum, deiciit de solio suae mentis. Quomodo enim poterit diaboli tribunal manere in eo, cui Christi tribunal assurgit? Multi ergo persequentes & tribulantes me. Et fortasse Christus hoc dicit, & dicit in vocibus singulorum. ipsum enim aduersarius persequitur in nobis. Si declines persequentem, Christum abiicis, qui se tetari patitur, ut vincat. Vbi illum viderit diabolus, ibi parat insidias, ibi tentationum machinas admouet, ibi dolos nequit, ut illum, si possit, excludat. Vbi autem diabolus praeliatur, ibi Christus assistit. Vbi diabolus assidet, ibi Christus includitur, ibi murorum spiritualium septa defendit. Ergo qui persecutorem refugit, reiciit etiam defensorum. Sed cum audis: Multi persequentes & tribulantes me, noli timere, quia potes dicere: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Verum hoc dicit ille qui a testimoniis Domini nullo vitiorum declinat anfractu.

Vidi non seruantes pactum, & tabescebam, quoniam verba tua non custodierunt.

Beatus qui in charitate Dei tabescit, quia videt non seruantes pactum. Alius propter vitiosos amores tabescit, qui distillat dum est dilatus amore dilectae: & dum protelatur flagrantis cupiditatis affectus, animus deficit, vires corporis quadam deformitate palloris, fessorumque artuum tabe minuuntur. Alius qui pecuniam concupiscit, donec potiatur eam; auaro miser tabescit affectu. Alius immodice capessendi honoris impatiens, si desideria longa suspiret, non mediocri mentis tabe conficitur. Non talis est qui dicit: Quam distabit caro mea in terra deserta, inuia, & sine aqua. Hic enim castigabat carnem suam, & tabescere faciebat, dum indefesso desiderio diuinae cognitioni intentus, & lucem dei sollicita expectatione praueiciens, antelucanum soluere Domino canticis & hymnis gestiebat obsequium. Tabescit ergo vir pacificus quando alios videt pacem rescindere, consensuum abolere concordiam, iurgia de pace reparare, in tumultus redire de gratia. Quod utique non facit qui Domini praecipua custodit. Non facit qui audit dicentem: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Ergo qui pactum seruat, is Christi obedit imperiis. Qui autem non seruat, ille Christi praecipua contemnit: & quod peius est, comperta fastidit & negligit.

Vide quia praecipua tua dilexi, Domine: in misericordia tua viuifica me.

S. Ambros. tom. 2.

Vide quia praecipua tua dilexi. Hic quoque inuitat Dominum, ut plenum charitatis suae spectet affectum. Nemo dicit, vide, nisi qui iudicat se, si videatur, esse placiturum. Et pulchre dixit, vide, & secundum legem dixit, quia lex praecipit ut vnusquisque ter in anno se offerat in conspectu Domini. Quotidie se sanctus offert, quotidie apparet, & non vacuus apparet. Non est enim vacuus, qui de plenitudine eius accepit. Non erat vacuus Dauid, qui ait: Repletum est gaudio os nostrum, quia gaudium fructus est Spiritus sancti. Et sicut de plenitudine verbi nos omnes accepimus, quemadmodum dixit Ioannes, ita etiam Spiritus sanctus de plenitudine sua repleuit orbem terrarum. Non erat vacuus Zacharias, qui repletus est Spiritu sancto, & prophetauit aduentum Domini Iesu. Non erat Paulus vacuus, qui euangelizabat in abundantia, & repletus erat accipiens odorem bonae suauitatis, & ab Ephesus placentem Deo hostiam. Non erant Corinthij vacui, in quibus abundabat Dei gratia, iuxta eiusdem Apostoli testimonium. Offerebat se ergo Dauid quotidie Deo, & non vacuus offerebat, qui poterat dicere: Os meum aperui, & adduxi spiritum. Ideo ergo dicebat: Vide quia praecipua tua dilexi. Audi in quo te offerre debeas Christo. Non in his quae videntur, sed in occultis, sed in abscondito: ut pater tuus qui videt in abscondito, reddat tibi, & fidelem remuneret affectum. Praecipua (inquit) tua dilexi. Non dixit seruauit, non dixit custodiui. Nam imprudentes non custodierunt praecipua Domini. Aliqui enim codices habent ἀνετηρωται, hoc est insipientes, non intelligentes. Ergo qui non intelligunt, non sapiunt, hi non custodiunt. Qui autem perfectus est intellectu, perfectus sapientia, diligit: quod est amplius quam custodire. Custodire enim necessitatis plerumque est & timoris, diligere charitatis. Custodit qui euangelizat, sed qui volens euangelizat, mercedem accipit: quanto magis qui diligit, mercede donatur? Possumus etiam non amare quod volumus, non possumus nolle quod amamus. Sed quamuis mercedem perfectae charitatis expectet, & miserationis diuinae suffragium poscit, ut in ea viuificetur a Domino. Non ergo arrogans debita mercedis exactor, sed verecundus misericordiae diuinae est deprecator.

Principium verborum tuorum veritas: in aeternum omnia iudicia iustitiae tuae.

Cum principium verborum Dei veritas sit, veritas utique fidei fundamentum est. Primum etenim oportet ut credamus vera esse Dei summi quae in diuinis scripturis legimus oracula. Secundum est, ut virtutem eorum pleniore cognitione discamus. Sicut est initium sapientiae timor Domini, ita plenitudo sapientiae dilectio. Lex enim sapientia, plenitudo autem legis dilectio: ita plenitudo verborum Dei sapientia, cognitioque iustitiae. Nam sicut a timore Domini processus quidam est ad gratiam charitatis, ita a veritate ad iudicium iustitiae diuinae, quidam videtur fieri processus. Venisti ad Ecclesiam, audisti vnum Deum dici, vnde lex incipit, sicut habes scriptum: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est: crede vnum Deum esse, non plures deos. Cum autem coeperis legere Dominum Iesum Dei fili-

Exod. 34.  
Exod. 23.

Ioan. 1.  
Ipsal. 125.

Galat. 5.  
Ioan. 1.

Sapient. 1.

Luc. 1.  
2. Cor. 1.

Ephes. 5.

1. Cor. 1.

Sup. ocl. 17.

Matth. 6.

Deuter. 32.

1. Cor. 9.

Psal. 110.

Ecl. 1.  
Rom. 13.

Deut. 6.

1. Cor. 8.

lium in carne venisse propter totius mundi redem-  
ptionem, distingue sapienter vnum Deum patrem  
esse, ex quo omnia, & nos in illum: & vnum Domi-  
num Iesum, per quem omnia, & nos per ipsum. Cog-  
nosce quia ideo venit, vt virtutis semitis nostros  
informet affectus, vt morum mansuetudinem con-  
uersationis eius disceremus exemplo, vt aboleretur  
culpa per gratiam: & tunc a veritatis confessione ad  
cognitionem iustitiae processisti. Fides principium  
Christiani est, plenitudo autem Christiani iustitia  
est. Fides in confessione populorum, iustitia in mar-  
tyrum passione. Scientes igitur in aeternum man-  
sura iudicia omnia iustitiae Dei, caueamus ne opera  
nostra displiceant, & in aeternum incipiamus subire  
iudicium: nec si aliquid boni fecimus, resupino sol-  
uamur affectu. Omnes oportet nos ante tribunal  
Christi assistere, vt recipiat vnusquisque quod ges-  
sit, siue bonum sit, siue malum. Vides quia & ipse Pau-  
lus assistet, vt ipse commemorat. Caue ne ligna, caue  
ne stipulam ad iudicium Dei tecum deferas, quae  
ignis exurat. Caue ne cum in vno aut duobus ha-  
beas quod probetur, in pluribus operibus deferas  
quod offendat. Si cuius opus arserit, detrimentum  
patitur, potest tamen & ipse per ignem saluari. Vnde  
colligitur quia idem homo & saluatur ex parte,  
& condemnatur ex parte. Cognoscentes itaque  
multa esse iudicia, opera nostra examinemus om-  
nia. In viro iusto graue est detrimentum, graue ope-  
ris alicuius incendium; in impio poena miserabilis:  
sunt magis omnia iudicia plena gratiae, plena floren-  
tium coronarum, ne forte dum trutinantur facta no-  
stra, culpa praeponderet.

2. Cor. 5.

1. Cor. 3.

Ibidem.

In octonarium vigesimum primum enarratio.

Scin.

Luc. 10.

Esai. 1.

Ibidem.

Prover. 15.

SEquitur littera Scin, quae Latine dicitur, Super  
vulnus. Super vulnus quid est, nisi medicamen-  
tum, quo vulneris acerbitas mitigatur? Super vulnus  
oleum infunditur, vt omnis vulneris asperitas molli-  
atur. Super vulnus malagma, super vulnus alliga-  
tura, a quibus omne vulnus fouetur. Vbi ergo spes  
refundendae est sanitatis, ibi adhibentur medica-  
menta vulneribus. Vbi autem omne caput in dolo-  
re, & omne cor in aestu, non est vulnus neque  
cicatrix, non plaga est feruore, hoc est, vbi non por-  
tio, sed vniuersitas periclitatur, & quadam totius con-  
stitutio corporis tabe consumitur, ibi non est ma-  
lagma imponere, neque oleum, neque alligaturam.  
Multo igitur commodius est vt sit vulnus quod fo-  
ueas atque constringas quam sine vulnere morbus  
ferpat interior. Sed est non solum corporis vulnus,  
sed etiam mentis, quod oleo quodam mollioris al-  
loquij, & pacifici sermonis suauitate mitescit. Sunt  
fomenta verborum, sunt medicamenta caelestium  
praceptorum, quibus omne nequitiae virus abole-  
tur. Sunt legis vincula quae non adurant, sed magis  
liberant alligatos; & malagma spiritale, quo collisa  
animae quaedam membra solidentur. Consideremus  
igitur quid sit vulnus, quid supra vulnus. Principes  
persecuti sunt me gratis, vulnus est. Exulto autem  
in verbis tuis, sicut qui inuenit spolia multa, supra  
vulnus est, quia verbis Domiticiis vulnera dura cu-

rantur. In Threnis quoque Hieremiae habes sub hac  
littera scriptum: Audisti opprobrium eorum Domi-  
ne, omnia consilia eorum aduersum me, labia insur-  
gentium mihi, & meditationes eorum aduersum  
me tota die, sessionem eorum, & resurrectionem eor-  
um; vulnus est. Sed subiecit: Aspice in oculos eor-  
um, redde illis retributionem Domine secundum  
opera manuum ipsorum: super vulnus est, quia vin-  
dicta plerumque solet dolorem vulneris mitigare.  
Et infra idem Hieremias ait: Gaude & letare filia Ie-  
rudamae, quae habitas in terra Hus: & quidem ad te  
pertransibit calix, bibes, & inebriaberis adhuc: super  
vulnus est. Calix enim Domini remissio peccatorum  
est, quo sanguis effunditur, qui totius mundi peccata  
redemit. Hic calix inebriauit gentes, ne proprii me-  
minissent doloris, sed veterem obliuisceretur erro-  
rem. Bona igitur ebrietas spiritalis, quae turbare ne-  
scit corporis incesum, leuare mentis non nouit ve-  
stigium. Bona ebrietas poculi salutaris, quae mcesti-  
tiam peccatricis abolet conscientiae, iucunditatem  
vitae infundit aeternae. Ideo scriptura dicit: Et pocu-  
lum tuum inebrians quam praclarum est. Medica-  
mentum igitur super vulnus est; quia Dominus Ie-  
sus ipse est medicus, qui vulnera nostra curauit, in-  
fundens vinum & oleum, & alligans vulnera Adae il-  
lius, qui descendens ab Hierusalem a latronibus vul-  
neratus est. Caueat igitur vnusquisque ne descendat  
ab Hierusalem. Peccatis enim suis vnusquisque de-  
scendit, & meritis ascendit. Aut quia fragiles sumus,  
qui descendit, currat ad illum Samaritanum, custo-  
dem corporis sui, custodem legis & gratiae, vt vul-  
neri suo possit inuenire medicinam: qui alligaturam  
verborum caelestium super vulnus imponat, dicens:  
Poenitentiam agite, appropinquauit enim regnum  
caelorum. Bona alligatura, quae fracta animae tuae  
ossa conuectat, & soliditate reparata in pristinas vi-  
res referret, ac discissos artus sine vlla cicatricis of-  
fensione restituat. De litterae interpretatione satis  
pro capto nostro dictum putamus: adoriamur san-  
cti Prophetas versus considerare, quos Spiritu san-  
cto reuelante subiecit.

Principes persecuti sunt me gratis, & a ver-  
bis tuis trepidauit cor meum.

Si veterem repetamus historiam, & Saul & Abes-  
salon, & multi alienigenae principes sanctum David  
persecuti sunt, sed nemo potuit de eo triumphare.  
Sunt & principes mundi, rectorisque tenebrarum, qui  
te in tuo pectore conantur opprimere, & persecutio-  
num saeva intus operantur, promittentes regna ter-  
rarum, honores atque diuitias, si fragili mente succum-  
bas, & obediendum eorum imperiis arbitreris. Isti  
principes interdum gratis persequuntur, interdum non  
gratis. Gratis persequuntur, apud quem nihil suum  
inueniunt, & cum subiugare contendunt: non gra-  
tis persequuntur eum, qui se eorum dederit potes-  
tati, & in possessione saeculi totus intrauerit. In suos  
enim iure sibi dominatum vendicant, atque ab his  
mercedem iniquitatis efflagitant. Bene hoc mar-  
tyr dicit, quod iniuste persecutionum tormenta su-  
stineat, qui nihil rapuerit, nullum violentus oppres-  
serit, nullius sanguinem fuderit, nullius torum pu-  
tauerit esse violandum: qui nihil legibus debeat,  
& grauiora

Thren. 3.

Ibidem.

Thren. 4.

1. Ioan. 1.

Psalm. 22.

Luc. 10.

Mat. 3.

Ephes. 6.

Mat. 4.

Ioan. 14.

2. Tim. 1.

Psalm. 119.

Psalm. 133.

Psalm. 111.

Luc. 9.

Matth. 14.

1. Reg. 17.

& grauiora latronum sustinere cogatur supplicia:  
qui loquatur iuste, & non audiatur, qui loquatur  
plena salutis, & impugnetur, vt possit dicere: Cum  
loquebar illis, impugnabant me gratis. Gratis igitur  
persecutionem patitur, qui impugnetur sine cri-  
mine: impugnetur vt noxius, cum sit in tali confes-  
sione laudabilis: impugnetur quasi veneticus, qui in  
nomine Domini gloriatur; cum pietas virtutum om-  
nium fundamentum sit. Verè frustra impugna-  
tur, qui apud impios & infidos impietatis accessit,  
cum fidei sit magister. Verum qui gratis impugna-  
tur, fortis debet esse & constans. Quomodo ergo  
subtegitur: Et a verbis tuis trepidauit cor meum? Trepi-  
dare infirmitatis est, timoris atque formidinis. Sed  
est etiam infirmitas ad salutem, est etiam timor fan-  
ctorum. Timete Dominum omnes sancti eius. &:  
Beatus vir qui timet Dominum. Qua ratione bea-  
tus? Quia in mandatis eius cupit nimis. Pone ergo  
martyrem inter pericula constitutum, cum inde  
inmanitas bestiarum ad incutiendum terrorem in-  
fremat, aliunde stridor candentium laminarum, &  
flamma fornacis ardentis exarsuet, ex parte alia  
personent tractus grauium catenarum, hinc carni-  
fex cruentus adhaeret: pone, inquam, circumspectan-  
tem omnia plena suppliciorum, deinde cogitante man-  
data diuina, illum ignem perpetuum, illud sine fine  
incendium perfidorum, illam poenae recrudescens  
arumnam; trepidare corde, ne dum praesentibus  
cedat, perpetuis se dedat exitus; perturbari animo,  
dum futuri iudicij rhomphaeam illam terribilem  
quadam conspectus specie contuetur. Nonne ad  
hanc trepidationem fiducia viri constantis, a qua-  
lis in eundem concurrat effectum confidentia cu-  
pientis aeterna, & diuina trepidantis? Sit tamen  
fortior ille qui sperat, sit fortior qui praesumit. Vtinam  
ego talis esse merear, vt si forte persecutor ingruerit,  
non considerem suppliciorum meorum acerbitates,  
non metiar tormenta, non poenas, non cogi-  
tem vilius atrocitatem doloris: sed haec omnia leuia  
ducam; trepidem autem Christum, ne Christus me  
neget, ne Christus excludat, ne me repellat de con-  
cilio sacerdotum, si indignum eo collegio me iudi-  
cauerit: videat magis licet per motum corporalium  
terrore poenarum, plus tamen trepidantem futura  
iudicia. Et si dixerit mihi: Modicae fidei quare dubi-  
tasti; porriget tamen dexteram, & insurgentis huius  
saeculi fluctus mole turbatum, fida mentis statione  
firmabit.

Exulto ego in verbis tuis, sicut qui inuenit  
spolia multa.

Bona trepidatio a verbis Dei, si exultationem  
generat. Qui enim trepidat a verbis Dei, postea ex-  
ultat in verbis Dei. Ergo qui habet in aula sua, corde  
videlicet suo, verba Dei, excludit sermonem princi-  
pum a corde suo, excludit timor timorem. Si enim  
ingressus quis balneas, solis deponit arctus, & calor  
excludit calorem: quanto magis diuini iudicij ter-  
ror hunc terrorem excludit humanum? feruorem  
gratiae saecularis, gratiae feruor aeternae? Exultat ergo  
qui habet verbum Dei. Habet enim spolia multa,  
quae Iudaeis abstulit, habet prostrati hostis exu-  
uias. Sicut David abstulit Goliae gladium, & ipsius

gladio caput eius exsecuit: sic verus David humilis  
atque mansuetus Dominus Iesus, intelligibilis Go-  
liae caput armis ipsius amputauit. Arma diaboli  
gentes erant. Fide autem gentium vulneratus, ca-  
put quod habebat, amisit. Detracta sunt spolia pro-  
strato, vasa eius direpta, quia alligatus est fortis. Vas  
diaboli caro erat hominis peccatoris: sed postea-  
quam in Christum credidimus, caro nostra coepit  
esse vas electionis, vt habes de Apostolo Paulo, qui ad  
gentes missus est, dictum a Domino Iesu ad An-  
niam: Vade, quoniam vas electionis mihi est. Meritò  
ergo vocatum nomen est Christi: Velociter  
spolia detrahe, diuide cito: quia priusquam sciat  
puer vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem  
Damasci, & spolia Samariae contra regem Assyrio-  
rum. Ergo rex Assyriorum, eorum scilicet, quos vana  
sua perfidia fecerat, amisit spolia quae tenebat.  
Et vt iterum cognoscas quia spolia Christus a dia-  
bolo, quae in Adam ille inuaserat, vendicauit, & Sa-  
ba dona adduxit; viri excelsi ad Dominum Iesum  
alligati vinculis transierunt, atque coeperunt illum  
adorare, qui captiuam duxit captiuitatem. Ideo cap-  
tius eius abstulit, vt ipse caput esset corporis inter-  
empti. Meritò nunc gentes toto orbe caput regale  
circumferunt, quia membra sunt Christi. Cogno-  
uisti de nationibus, cognosce etiam de Iudaeis, qui-  
bus Dominus Iesus abstulit spolia: hoc est, regnum  
caelorum abstulit, & dedit genti facienti fractum e-  
ius. Abstulit virtutem panis, & virtutem aquae, prop-  
hetam, & admirabilem consiliarium, & pruden-  
tem architectum, & sapientem auditorem. Illis ab-  
stulit, nobis dedit. Meritò exulto, sicut qui inuenit spolia  
multa. Sine labore meo inueni spolia quae non habe-  
bam. Inueni heptateuchum, inueni Regnorum li-  
bros, inueni Prophetarum scripta, inueni Eldram,  
inueni Psalmos, inueni Prouerbia, inueni Ecclesia-  
sten, inueni Cantica canticorum, inueni admirabi-  
lem consiliarium Christum, inueni Paulum pruden-  
tem architectum, inueni sapientem auditorem  
populum Christianum, qui nouit ea quae leguntur,  
audire. Ille enim audit, qui ea quae audit, intelligit.  
Lex spiritalis est. Non illam audit Iudaeus, qui au-  
dit corporaliter: sed ille audit, qui audit in spiritu.  
Habent illi libros, sed sensum librorum non ha-  
bent. Habent prophetas, sed non habent quem illi  
prophetauerunt. Quomodo enim habent, quem  
non receperunt? Ideoque cum Moyses & Elia mihi  
apparuit, quia ab illis recessit. Multa habet spolia,  
qui habet Dei verbum. Habet resurrectionem, ha-  
bet iustitiam, virtutem atque sapientiam; habet om-  
nia, quia in ipso constant omnia. Hebraei spolia-  
uerunt Aegyptios, & vasa eorum abstulerunt. Iu-  
daeorum spolia habet populus Christianus, & totum  
habemus quod illi habere se nesciebant. Illi aurum  
& argentum materiale abstulerunt, nos aurum  
mentis accepimus, nos acquisiuimus caelestis ser-  
monis argentum.

In iustitia odio habui, & abominatus sum,  
legem autem tuam dilexi.

Meritò odit iniustitiam, qui habet arma iustitiae.  
Hebraeus cum haberet haec arma, hoc est, legem & prop-  
hetas; murè, & hominè abominabatur mortuum,  
L. I. ij

Luca. 11.

Act. 9.

Esai. 8.

Psalm. 71.

Esai. 45.

Ephes. 4.

Mat. 21.

Esai. 7.

Esai. 9.

1. Cor. 3.

Rom. 7.

Ioan. 3.

Mat. 17.

1. Cor. 1.

Coloss. 1.

Exod. 12.

Reg. 6.

Num. 19.

quia lex dicit: Omnis qui tetigerit mortuum, im-  
mundus erit. & humanitatis suprema negabat offi-  
cia defunctis. sed legi non est mortuus, nisi qui iniu-  
stus est. Hæc enim immunditia iustis quæ iniqui-  
tas. Quid enim immundius, quàm mentem, qua ni-  
hil homini pretiosius est datum, turpibus cõmacu-  
lare criminibus, & atrocibus effere commentis?  
Quid illis prodest quod mortuum hominem visere  
reformidant? Vtinam vita eorum non pollueret ap-  
propinquantem, quorum mors contaminare nemi-  
nem potest. Mors nemini nocet, vtinam vita non  
noceat. Contagium enim colluionis, consortium  
iniquitatis est. Quomodo ergo contaminare po-  
test, qui iniquus esse iam non potest, cum etiam si  
fuit, tamen esse desuit? Fuge ergo iniquitatem, ne  
te comprehendat. Fuge iniustitiam, quæ viuentes  
adhuc mortuos facit. Sed nemo fugit iniquitatem,  
nisi qui diligit æquitatem. & ideo ait: *Legem autem  
tuam dilexi.* In lege æquitas est, si spiritalem accipias  
legem, si confurgas cum Christo, & ibi altare sacro-  
sanctum illud cæleste consideres, non altare terre-  
num, quod hostili populatione destructum est. Si il-  
lam Hierusalem spectes quæ in cælo est, non istam  
quæ à populo Iudæorum frequentabatur in terris,  
quæ propter incolarum perfidiam à Romano exerci-  
tu triumphata, iniecto flagrauit incendio. Si in-  
tuearis illum principem sacerdotum, de quo scri-  
ptum est: Habentes itaque magnum sacerdotem e-  
gressum de cælis, Iesum filium Dei, tenemus con-  
fessionem fidelem: qui quotidie aduocatus pro no-  
bis est apud patrem: vt pro quibus in diebus carnis  
suar misericordiam est compassus affectu, pro his ope-  
retur remissionem quotidie peccatorum. Quæ e-  
nim spes alia generi humano, nisi omnium viu-  
entium delicta donentur? Ille ergo princeps solus est  
sacerdotum, cui adstant pij sacerdotes, intra cæle-  
stium sacrarium illud altissimū merito proprii cruo-  
ris ingressi. Illa ergo lex diligenda est, in qua verus  
Hebræus liber ab omni seruitute vitiorum, in qua  
magnum sabbatum, & inoffensa requies defuncto-  
rum, in qua mortui populi semen resuscitatur, non  
commixtione fraterna, sed redemptione. Secundum  
hanc ergo legem odio habet sanctus iniustitiam,  
non iniustum, qui potest sæpe conuerti; nec mor-  
tuorum reliquias, sed mortuam iniquitatem execra-  
tur & refugit.

Septies in die laudem dixi tibi, super iudi-  
cia iustitiæ tuæ.

*Septies in die.* Et numero quidem studium sanctæ  
deuotionis exprimitur. Sed puto magis quod pu-  
rus & quietus ac vacuus ab omni onere delictorum  
declaretur affectus: vt sine vllo iracundæ impreca-  
tionis, aut flagitiosæ cupiditatis incendio defera-  
tur oratio, nihil quod alij noceat postulemus, nihil  
quod nos sæcularibus petitionibus decoloret. Lau-  
demus in hymnis & canticis, vera semper & iusta ea  
quæ de diuinis canimus laudibus confitentis. Non  
sit anceps & dubia sententia, non discolor mentis  
intentio, non materialibus negotiis occupata à pro-  
positi spiritualis executione desleat. Iustificetur  
semper iustitia Dei tranquillo animo, non otio feri-  
riato.

Pax multa diligentibus nomen tuum, &  
non est illis scandalum.

Suprà diximus quia charitas excludit timorem;  
nunc dicimus quia excludit omnem perturbationem.  
Etenim qui Deum diligit, profunda est ei con-  
firmata mentis tranquillitas. Aquæ, inquit, multæ  
excludere non potuerunt charitatē, & flumina non  
obruent eā. Multa aqua diuersarū est passionū, & flu-  
mina sæcularium cupiditatū corporalibus motibus  
incitata, quæ tamen murū charitatis subuere non  
possunt. Ideoq; charitate fundatus dicit: *Tortētem  
pertrāsuit anima nostra.* Numquid aqua maris ex-  
cludere Moyse potuit charitatē? Et vt secundū litte-  
ram tibi Psalmorū series suffragetur, nemp diligēs  
Deum, tutū sibi credit iter esse per maria. *Qui au-  
tem nō dilexerunt Deū, hi demersi fluctibus dignū  
facilegiis suis exitū pertulerunt.* Elias atq; Elisæus  
Iordanē transierant pede, & hæc fuit nimia merces  
& gratia charitatis. Hi igitur vt transierant aquas flu-  
uij Iordanis, passionū fluentia nostrarum mētis prius  
vestigio transierunt. De hac aqua dicit Dominus: *Si  
transeas per aquā, tecum sum, & flumina non inun-  
dabunt te.* Ad est iustus suis semper cū aliquibus ter-  
rentur aduersis, si tamen transeant mente constan-  
ti, non dubitanti, non fidei turbētur incerto. Transi-  
ergo & tu fidelis animi directione, si diuinam vis ti-  
bi adesse præsentiam, si non solum pax, sed etiā mul-  
ta pax sit in animo tuo, nulla te prælia diuersæ cupi-  
ditatis impugnent, non iracundia stimulet, non li-  
bido: etsi est pugna, tamen foris, non intus sit. Præ-  
liare aduersus persequentes te, licet & ipsis silentio  
sæpe cedendum sit, quia tibi vincunt. Illorū potentia,  
tua victoria est. Tunc denique triūphantur, cum  
se vicisse crediderint. Non ergo te impugnet auari-  
tia, non cupiditas exagitet, nō tristitia deiciat, non  
inflammet libido, non resupinet superbia, non cur-  
uet ambitio, non formido consternat. Pax multa a-  
bundet, quæ exuperat omnem mentem, secundum  
Apostoli sententiam: quo nihil pulchrius dici po-  
tuit. Summus enim sapientiæ finis est, vt simus mente  
tranquilla. Non commentitiis poetarum fabulis lu-  
bricus turbetur affectus. Summus finis est iustitiæ,  
vt iniquitas mentem iusti mouere non possit. Virtu-  
tis totius hic finis est, & corporeæ ipsius fortitudi-  
nis, vt confecto bello miles pacē reformet. Paci ergo  
& ipsa plerumq; militat fortitudo belladi: nemo  
ergo pacificum turbet affectū. Multa generantur ad  
perturbationē hominis, & vxor plerumq; decepta  
serpentis insidiis animum viri exagitare conatur: &  
pater fidē filij frequenter irridet, & vir coniugis suæ  
mentem tentat opprobriis. Sed in his omnibus su-  
perat iustus, & dicit: *Quis nos separabit à charitate  
Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? Quo-  
ties bene facta crimini datur? quoties virtus oppro-  
brii ducitur? quoties ipsa ingrata est gratia? Vendi-  
dit iustus facultates suas, dispensauit pauperibus, ni-  
hil sibi reliquit: contēnitur plerumq; in ipsa ecclesia  
quia diues esse desuit, sicut scriptum est: Si dederit  
vir omnes facultates suas in charitate, contemptu  
contemptus erit. Non ergo moueatur. Non enim  
mercedem huius sæculi, nec gratiam, sed vitæ quæ-  
siuit æternæ. Non indignetur, quia homines pe-*

*culiis*

cuniis magis quàm operibus bonis deserunt. Nam  
si ei propter bonum opus in hoc sæculo defera-  
tur, & huius studij fructum hic adipiscatur, dicitur  
de eo: *Percepit mercedem suam.* Habet quidem o-  
pus bonum & hic gratiam, sed breuis portio eme-  
rendæ salutis est. Serua futuris mercedem tuam, &  
istius sæculi opprobria incrementa mercedis tuæ iu-  
dica. Cogita semper apostolicum illud, quod indig-  
næ sint passiones huius temporis ad superuēturam  
gloriam. Nullis ergo iustus frangatur iniuriis, nullis  
moueatur periculis, nullis tentetur procellis, siue  
mors ingruat, siue vita, siue angeli cælorum. Neque  
deiciatur aduersis, nec extollatur secundis. Nisi quæ  
sit eius infirmus affectus. Et mors tentat, & vita ten-  
tat. Cauet scandalum. Qui pacem habet, quæ om-  
nem mentem superat, magnus est, non de pusillis i-  
stis. Ideo scandalum pati nō debet, quia pusillorum  
est exagitari scandalo. Vnde & Dominus ait: *Qui-  
cumque scandalizauerit vnum de pusillis istis mini-  
mis. Non solum pusillos, sed etiam minimos dixit,  
quos perturbant scandala: & ideo graui obnoxius  
pœnæ est, vt legisti, quicumque turbauerit infirmæ  
mentis infantiam. Sicut enim grauiori dignus sup-  
plicio est qui persuaserit crimen infantulo, & incau-  
tam præcipitarit ætatem: ita qui inualidum & infi-  
pientem & improuidum circumscripserit persuasio-  
ne erroris, aut exagitatione cordis affectum. Vis sci-  
re quàm infirmus sit qui scandalizatur? Non man-  
ducabo, inquit, carnem, ne fratrem meum scandali-  
zem. Quanta infirmitas, & quædam infantia animi,  
vt eum etiam esca fratris exagitet. Vnde non potest  
homini esse præcipitium, quando etiam hinc est pe-  
riculū: Et quod peius est, infirmitas huiusmodi ser-  
pit in multos. Vides inopem iustum, tentaris: vides  
diuitem iniquū, tentaris. vides sine liberis sanctum,  
tentaris. vides liberis, honoribus, laudibus sæculari-  
bus abundantem iniustum, tentaris. Quantæ foueæ,  
quanti laquei, & quod est grauius, qui multos stran-  
gulent. In Sodomitana vrbe vix vnus Lot qui non  
tentaretur inuentus est, cuius tamen vxor non po-  
tuit tentationis laqueos euadere. Hebræorum po-  
pulus maria transiuit, sed non potuit tentamenta  
transire. Tentati sunt omnes præter Iesum & Caleb,  
qui ideo de senioribus terræ repromissionis introire  
meruerunt, quia fuerunt tentationis expertes. Nec  
Aaron introiuit, nec Maria, quia & ipsi tentati sunt.  
Nec Moyses introiuit, qui dux erat populi qui ten-  
tabatur, typus legis qui excludere tentamenta non  
poterat, nō poterat in terrā resurrectionis inducere,  
quia ista Euangelio gratia debebatur. Lex pacē non  
potuit dare: ideo Moyses quoad vixit, semper præ-  
liatus est, semper legis populus versatus in ancipiti  
bellorum est: Iesus autem Naue plebis animos pro-  
funda pace composuit, quoniam qui sub lege est, a-  
gitatur incertis: qui sub Euangelio, audit dicentem:  
Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. i-  
deoque diligentibus non est scandalum. Acepe al-  
liter: Crux Christi Iudæis scandalum, Græcis stulti-  
tia est. Scandalum est perfido, quia dicit Iudæus: Er-  
go hic Deus est, qui homo visus est? Hic Deus est  
qui ieiunauit? hic Deus est, qui vapulauit? hic Deus  
est, qui crucifixus est? qui de cruce descendere, & se  
liberare non potuit? Denique hoc dicebant tempo-*

re Dominicæ passionis: *Descendat de cruce, & cre-  
dimus ei.* Confidit in Deo, liberet eum nūc, si vult.  
Non te ista tentent, non te ista perturbent, non in  
animum tuum huiusmodi se inserant cogitationes.  
Vbi pax, & multa pax, ibi crux Christi non oppro-  
brii, sed salutis est. Non fuit opprobrium Petro crux  
Christi, qui tantū eius gloriæ dedit, vt inuersis Chri-  
stum honoraret vestigiis, metuens ne si ea specie  
crucifixus esset qua Dominus, affectasse Domini  
gloriam videretur. Crux ergo opprobrium perfido,  
fidei autem gratia, fidei redemptio, fidei resurre-  
ctio est: quia pro nobis passus est Dominus, quia illo  
nos redemit sanguine, illa ad paradysum resurrectio-  
ne reuocauit. Qui hæc credit, quomodo potest tur-  
bari, cui spes regni cælestis affurgit?

Expectabam salutare tuum Domine, &  
præcepta tua feci.

Qui expectat, sperat charitatem. Ergo spes præce-  
dit, sequitur salus. Spes igitur præcurrit effectum.  
ideo qui expectauit salutē à Domino, præcepta Do-  
mini fecit. Vnde & Dominus appellat amicos in E-  
uangelio, nō seruos, qui sua præcepta fecerunt. Qui  
diligit enim, facit: & qui fecerit, meritō dilectionis  
remuneratione donatur.

Custodiuit anima mea testimonia tua, &  
dilexit ea nimis.

Plus est diligere quàm custodire, vt suprà dixi-  
mus: quia custodire, interdum necessitatis est vel ti-  
moris: diligere, charitatis. Ideo quum hic dixisset,  
*Custodiui*, adiecit, *Dilexi*: vt custodia amantis fuerit,  
non timentis. Qui nimium diligit, nimium cu-  
stodit.

Seruauit præcepta tua & testimonia tua:  
quoniam omnes viæ meæ ante te Domine.

Beatus qui potest dicere: *Omnes viæ meæ ante te.*  
qui nolit abscondere omnes cogitationes suas, o-  
mnes actus suos. Abscondebat Adam viam suam,  
abscondebat Eua post culpam, abscondebat Cain  
necem fratris. In affectu habemus abscondere,  
non in effectu. Plena abscondentis perfidia, etsi a-  
pud Deum nulla sit latebra. Ideo Ecclesia in Can-  
ticis sua ei secreta monstrabat, dicens: *Assumam  
te, & inducam te in domum matris meæ, & in se-  
cretum eius quæ concepit me.* Nam etsi Deus o-  
mnia videat cordis occulta, bonum tamen est vt  
vnusquisque animam suam ei aperiat & expandat,  
& tamquam lumini vel calori eius occurrat. Nec  
immeritō gloriatur Ecclesia, dicens: *Ego eram in  
oculis eius tamquam inueniens pacem.* quoniam  
vias suas prodere non timebat. Iusti ergo est i-  
sta vox. Oculi enim Domini super iustos. Ita-  
que Domino Iesu Christo, qui est via & veritas,  
bene hoc dicitur ab iis qui illam veram viam fide,  
moribus, actūque desiderant conuenire: *Omnes  
viæ meæ ante te Domine.* Nulla enim potest via esse  
bona, nisi quam tu illuminandam tui visitatione  
luminis iudicaueris: cui est honor & gloria, laus,  
perpetuitas à sæculis, & nunc & semper, & in sæcula  
sæculorum. Amen.

1. Tim. 5.

Rom 7. Coloss. 3. Heb. 13. Eccl. 12.

Luc. 19.

Heb. 4. Hebr. 7. Heb. 5. Hebr. 9.

Deuter. 15.

Deut. 25.

Matt. 6.

Rom. 8.

Ibidem.

Philip. 4.

Matt. 18.

Ibidem.

Leuit. 19. 1. Cor. 8.

2. Cor. 7.

Psal. 72.

Genes. 19.

Exod. 14. 1. Cor. 10. Num. 20.

Deut. 34.

Genes. 3.

Iosep. 1.

1. Cor. 14.

1. Cor. 1.

Cantic. 8.

Sup. ver. 1. 1. Ioan. 4.

Cant. 8.

Psalm. 123.

Exod. 14.

4. Reg. 2.

Esaiæ 43.

Iacob. 1.

Philip. 4.

Genes. 3.

Rom. 8.

2. Cor. 9.

Cantic. 8.

Matt. 27.

1. Cor. 1.

1. Pet. 2.

Ioan. 15.

Octon. 20. ver. 7.

Cantic. 8.

Ribre. 23.

Sapient. 16.

Cantic. 8.

Psal. 33.

Ioan. 14.



In octonarium vigesimum secundum enarratio.

Tau.

**V**Ltima littera Tau, quæ Latina interpretatio-  
ne significat, Errauit: alia interpretatio habet,  
Consummauit. Quid est errauit? Vigesima secunda  
littera est, quæ apud Hebræos est vltima. Psalmo au-  
tem isto, hoc est centesimo octauodecimo, profes-  
tum hominis diximus significari, qui doctrinæ mor-  
nalis magisteris eruditus, deponeret omnem in-  
exercitæ mentis infantiam, assumeret autem veterani  
consilij scientiam, & prudentiæ senilis ætatem. **H**  
Vbi autem error est, culpa signatur. Hic ergo est profes-  
tus finis, vt etiam culpæ sit. Sed vide quid inter-  
pretetur. Errauit, inquit: non errat. Errasse, præteriti  
est temporis: errare, præsentis. Qui errauit, desinit  
errare, & veterem condemnat errorem. De eo enim  
dicitur errauit, qui in eo errore iam non sit. Nam is  
qui adhuc in errore permanet, non errasse dicitur,  
sed errare. Errare enim, permanentis in vitio est: er-  
rasse, corrigentis est lapsus. Denique emendator mo-  
rum ait: Eramus enim aliquando insipientes, incre-  
duli, errantes in desideriis & voluptatibus. Non dix-  
isset vtique, Erasmus aliquando insipientes, nisi qui  
adeptus esset postea sapientiæ disciplinam. Neque dix-  
isset, Erasmus errantes, nisi superiorem deposuisset  
errorem. Denique vt abolitum lapsum doceret, nec  
vllum offensionis refedisce vestigium, ait: Cùm au-  
tem benignitas & humanitas illuxit Saluatoris nos-  
tri, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed  
secundum suam misericordiam saluos nos fecit per  
lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus  
sancti. Veteri ergo errore deposito, & spiritu atque  
omni morum emendatione renouatus dicit: Era-  
mus enim aliquando errantes. Vides ergo quia er-  
rori renuntiasse non vitij, sed profectus est. Postre-  
mò ipse te doceat Dominus Iesus, si humanis con-  
siliis vel sententiis nõ putas esse credendum. Nam-  
que in Euangelio suo ipse asseruit quòd pastor re-  
linquit nonaginta & nouem oves, & vnã requirit  
quæ errauit. Centesima ouis est, quam dicit errasse,  
perfectio & plenitudo numeri ipsa te instruat & in-  
former. Non immeritò ceteris antefertur, quia plus  
est à vitio se reuocasse, quàm propè vitia ipsa nescisse.  
Imbutos enim vitiis animos exuere frænâ cupiditatis  
atque emendasse, non solum perfectæ virtutis, sed etiam  
cælestis est gratiæ. Emendare etenim futura, attentionis  
humanæ est: præterita damnare, diuinæ est potestatis.  
Denique inuentam pastor ouem humeris imponit suis.  
Agnoscis vtique mysterium, quomodo ouis lassâ reficiatur:  
quia non potest aliter humana conditio lassâ recreari,  
nisi sacramento Dominicæ passionis, & sanguinis Iesu  
Christi, cuius principij super humeros eius. In illa enim  
cruce infirmitates nostras portauit, vt ibi omnium  
peccata vacuaret. Meritò gaudet angeli, quia is qui  
errauit, iam nõ errat, iam suum est oblitus errorem.  
Non error igitur, sed consummatio est, vt altera doceat  
interpretatio. Consummatio autem, perfectio disciplinæ  
est. Vnde & Hieremias in suis Threnis sub hac littera  
ait: Defecit iniquitas tua filia Sion, non adiciet te  
expellere adhuc. Visitauit iniquitates tuas filia Edom,  
reuelauit super peccata tua. Ad-

**G**uertis quoniam iniquitas non potuit sine Dei  
visitatione deficere, nec plena esse correctio nisi per  
gratiam Domini saluatoris. Quomodo autem defi-  
ciat iniquitas, audi dicentem Ecclesiam: Exui tuni-  
cam meam, quomodo induam eam? Laui pedes meos,  
quomodo inquinabo eos? Veteris igitur hominis  
vestimentum vitiis erroris intextum, in lauacri  
regeneratione depositum, nescit quomodo possit  
inducere. Studio enim correctionis inoleuerat obli-  
uio peccatorum. Tanta vis consummata emenda-  
tionis est, vt in quandam pueritiæ redeat spiritalis  
ætatem, quæ vias erroris ignoret, crimen etiam si  
velit, non possit admittere, quia defuerit vsum  
nosse peccandi. Et iam de huius litteræ interpreta-  
tione satis dictum arbitror, nunc cognoscamus ex  
subditis, quæ sit viri consummati sententia. Itaque  
sic ait:

Appropinquet oratio mea in conspectu  
tuo Domine, secundum verbum tuum mihi  
tribue intellectum.

Volare facit orationem bona vita, & dat alas pre-  
cibus spirituales, quibus sanctorum ad Deum eucha-  
tur oratio. Sed & spiritus quo oramus, subleuat pre-  
cem iusti, maxime si corde cõtrito compatiens eam  
commendet affectus. Consummati autem viri ista  
est confidentia. Denique ipse Dauid in superioribus  
istius Psalmi lucernam suis pedibus requirebat, ne  
in hoc itinere terreno ambulâs possit errare. Nunc  
autem quasi iam in processu positus & in fine, con-  
summato viadi munere totus assurgit, & orationem  
suam dirigit in cælestia, mittit eam in conspectum  
Domini saluatoris, dans illi flabra iustitiæ, sapientiæ  
flamina, remigia deuotionis & fidei, innocentie, puri-  
tatisque subsidia. Peccato enim grauescit oratio,  
& longè fit à Deo. Tanto autem plus grauatur, quan-  
to improbius est vita deprecantis. Innocentium au-  
tem ascendit oratio, & gemitus compatiens affe-  
ctus, si Ægyptium lutum oderint, & opera terrena  
declinent. Denique sic legisti, quòd Hebræorum,  
qui dura Ægyptiorum imperia ferre non poterant,  
& vt graui, ita & lutulenta opera indigna sui nobil-  
itate generis recusabant, gemitus & vox ascenderit  
ad Dominum Deum nostrum. Ascendit enim ora-  
tio, quia etsi operabantur, tamen operabantur inui-  
ti. Descendebat itaque ad illos Dei misericordia,  
quia illorum ad Deum ascendebat deuotio. Ascen-  
debat itaque non corporaliter, neque enim propheta  
tantus precationem suam petebat corporaliter app-  
propinquare. Nam qui ita putat, vtique is Deum  
certo aliquo loco ac sede concludit, vt diffusorem  
locum in quo Deus sit, arbitretur, cùm vtique inui-  
sibilis, ineffabilis, incomprehensibilis impleat om-  
nia, & diuinitatis in eo habitat plenitudo. Legi Mo-  
ysen appropinquasse Deo cùm legem acciperet: sed  
solita Dauid verecundia non semetipsum, sed ora-  
tionem suam Deo appropinquare postulat, vt vi-  
deatur ordo quidam esse distinctus, quòd ij qui per-  
fectiores sunt, ipsi appropinquant Deo, sequentis  
autem ordinis iusti viri satis habeant vi appropin-  
quet oratio. Ex vsu autem nostri sermonis conside-  
remus quid sit appropinquare. Cõstitue magistrum  
atque discipulũ, si discipulus studiosus magistri vel

hauit

hausit ingenium, vel præceptis intendit, ita vt ad si-  
militudinem operis eius atque doctrinæ proximè  
videatur accedere, nõne dicere solemus quòd app-  
propinquit magistro? Ergo & tu si imitatore te  
præbeas Christi, sicut & ille qui ait: Imitatores mei  
estote, sicut & ego Christi: si dolum nescias, menda-  
cium oderis, veritatem sequaris, iustitiam non refu-  
gias, diligas castimoniam, appropinquasti Christo,  
& per Christum Deo. Ipse via est qua peruenitur ad  
patrem, qui apud patrem semper est. Didicimus quid  
sit appropinquare orationem, hoc est, vt eleuetur ac-  
tibus nostris. Si eleuas actus tuos, eleuasti orationem  
tuam. Qui nouit leuare manus suas, dirigit oratio-  
nem suam in conspectu Dei, sicut infra legisti: Diri-  
gatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo,  
eleuatio manuum mearum sacrificiũ vespertinum.  
Hæc vtique oratio ad vitã: alia oratio in peccatum.  
Et oratio, inquit, eius fiat in peccatum. Et tu si sæcu-  
laria petas, si flagitiosa postulas, oratio tua non ad  
Deum dirigitur, sed in peccatum. Ideoque intellige  
quæ petas. Secundum (inquit) verbum tuum mihi tribue  
intellectum. Aduerte quid postulet. Non intellectum  
generaliter dixit, sed intellectum secundum verbum  
Dei. Est enim intellectus ad mortem, sicut est pruden-  
tia ad interitum. Filij huius sæculi prudentiores  
sunt quàm filij lucis in hac generatione. Sed pruden-  
tia ista quæ sæculi est, ad vitam non suffragatur  
æternam. Circa honorem, circa lucella est, quæstio-  
bus coaceruatis intenta, non meritis comparandis.  
Postremò circa elementa mundi est, phalerata  
magis quàm vera sapientia: vt est philosophia om-  
nis, quæ aliena quærit, cùm sua nesciat: scrutatur  
cæli plagas, mundi spatia rimatur, quæ sibi prodesse  
non possunt: Deum ignorat, quem solum deberet  
inquirere. Ideo verus sapiens dicit: Si quis videtur  
sapiens esse inter vos in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit  
sapiens. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud  
Deum. Elaborandum est igitur vt in hoc sæculo  
stulti simus, nihil nobis cum philosophia, ne fide-  
dem nostram per elementa mundi huius traducat à  
vero, ne quis assertionem nostrã per philosophiam  
deprædetur. Sic enim Arianos in perfidiam ruisse  
cognouimus, dum Christi generationem putant v-  
su huius sæculi colligendam. Reliquerunt Aposto-  
lum, sequuntur Aristoteli. Reliquerunt sapientiam  
quæ apud Deum est, elegerunt disputationis tendi-  
culas, & aucupia verborum secundum dialecticæ di-  
sciplinam, cùm clamet Apostolus: Ne quis vos depræ-  
detur per philosophiam, & inanẽ seductionem,  
secundum traditiones hominũ, secundum elemen-  
ta huius mundi, & non secundum Christum. Vtinam  
possim imitari illam stultitiam qua sim sapiens, illum  
virum habentem amplas possessiones, sed negligenti-  
tem fructuum, intentum Deo: illum virum qui hono-  
res etiam delatos sibi respuat, doctrinam philo-  
sophiæ non requirat: & si antè cognouit, tamen sci-  
re dissimulet, & non requirendo dediscat. Non que-  
rat quæ sua sunt, sed aliis sua conferat, sibi acquirit  
æterna. Hic potest dicere: Secundum verbum tuum mi-  
hi tribue intellectum, id est, non secundum philosophos,  
non secundum caudillos, non secundum mercato-  
res huius sæculi, non secundum architectos do-  
morum, sed secundum verbum tuum, quod est verè

**A** sapientiæ bonorumque operum fundamentum, vt  
super illud constituat Propheta aurum cordis sui,  
argentum sermonis sui, lapides pretiosos operatio-  
num suarum, vt opus suum labi & perire non possit.

Intret postulatio mea coram te: secundum  
verbum tuum libera me.

Vide ordinem. Primum dixit: Appropinquet o-  
ratio mea: postea intellectum poposcit secundum  
verbum tuum: tertio ait: Intret postulatio mea coram te.  
Nõne quodam Dominus inuitat vsu, & suscipere  
dignatur affectu? Nõne cùm aliquem de primariis  
viris desideras conuenire, primum ad eius domum  
appropinquas, postea quæris informari atque instrui,  
vt cognoscas mentem patrisfamilias, deinde vt eius  
domum ingrediaris, imploras ne quis te abiciat &  
excludat? Pulsã ergo & tu regiam illam cælestem,  
pulsã non manu corporis, sed quadam rationis tuæ  
dextera. Non sola manus corporis pulsã, pulsã &  
vox. Scriptum est enim: Vox fratris mei pulsã ad ianuam.  
Pulsamus & digito. Denique & Thomas digi-  
to meruit ianuam resurrectionis aperire. Et tibi  
dicit Iesus: Infer digitum tuum huc, & mitte manus  
tuas in latus meum, & noli esse incredulus, sed fide-  
lis. Pulsã ergo digito, si non potes tota manu. Pulsã  
ianuam. Christus est ianua, qui ait: Per me si quis in-  
troierit, saluabitur. Cùm hanc igitur ianuam pulsa-  
ueris, vide quomodo ingrediaris, ne forè iam in-  
gressus extra conspectum regis sis. Multi ingrediun-  
tur palatia, & non statim regem istum terræ vident,  
sed frequenter obseruant, vt aliquando videre me-  
reantur. Nec præsumunt videndi copiam, sed iussi  
repræsentantur, & precem fundunt, vt cum benè-  
uolentia suscipiantur. Primus hic sui sermonis in-  
gressus est, ne quid titubet, ne quid offendant. Quan-  
to magis rogandus est Deus, vt ostium misericor-  
diæ suæ nostra ingrediatur oratio? Denique & Pau-  
lus rogat vt aperiat sibi ostium verbi ad loquen-  
dum mysterium Christi. Sed quia Græcus habet,  
εισελθῆτω εἰς τὸ ὄπισθός μου, hoc est, Intret dignitas mea: licet  
potuerit scriptor errare, & fecerit εἰς τὸ ὄπισθός μου, hoc est de-  
precatio: tamen hoc quoque explanemus vt possu-  
mus. Nempe cùm hominẽm rogas, regem te dicis,  
vt contemplationẽ habeat honoris tui, tangat, cum  
tuæ cõtemplatio dignitatis: vt aut misereatur si ve-  
nia est postulanda, aut deferat pro ordine dignita-  
tis. Et quid dicam, Rogas? Sic vnusquisque ingredi-  
tur, vt dignitatibus deferatur. Rectè ergo & deu-  
tus Deo dicit: Intret dignitas mea coram te. Habet  
& Christianus dignitatem suam, qui tanto impera-  
tori militat. Sunt maximæ etiam veræ fidei dignita-  
tes, sunt honorum diuersi & apud Christum ordi-  
nes. Posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, se-  
cundò prophetas, tertio doctores. Sed istæ admini-  
strantium dignitates. Sunt etiam priuatorum: vt est  
pietas, iustitia, sobrietas, castimonia, disciplina. Sunt  
etiam orationis dignitates: si pro vidua roges, si ro-  
ges pro pupillo, si roges pro misericordi, si roges  
pro nimium deuoto ac fideli, si roges in tribulatio-  
ne, roges cū dolore, si mœsto & ipse qui rogas com-  
patiaris affectu: intrat oratio tua Dei gratiam, intrat  
domum eius, si tecum Ecclesia deprecetur, si popu-  
lus vniversus imploret, vt Domini inclinet fauorẽ.

Ll iij

Sup. in pre-  
fat. huius Ps.

Sap. 4.

Tit. 3.

Ibidem.

Ibidem.

Luc. 15.

Ibidem.

Ibidem.

Esai. 9.  
Esai. 53.  
Luc. 15.

Thren. 4.

Cantic. 3.

1. Cor. 4.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Pet. 2.

1. Cor. 3.

Sup. ver. 1.

Cant. 5.  
Ioan. 20.

Ioan. 10.

Coloss. 4.

Ephes. 4.

2. Cor. 1.

Ephes. 6.

Psal. 119.

2. Cor. 2.

Psal. 44.

Ioan. 6.

Cantic. 2.

Cant. 4.

Matth. 23.

Psal. 138.  
Rom. 7.

Psal. 70.

Matth. 12.

Psal. 16.

Matth. 12.

Quid autem rogat? Ut eruat, ut liberetur, eo quod iam diu aduersus nequitias spirituales, aduersus tentamenta huius seculi praelictur, eo quod graue est fatigatus longæuo, cursus istius diurnam sustinere militiam. Denique & infra dicit: Heu me quod incolatus meus prolongatus est. Ingemiscit enim quod indefessas iugis labore tendat excubias. Ideo petit à tot aduersantibus liberari, nec cum terrenis hominibus vult habere confortium.

Erucebunt labia mea hymnum, cum docueris me iustificationes tuas.

Erucat hymnum, qui potest dicere: Bonus enim odor Christi sumus Deo. Et bene eruat, qui plurima & suauia præcepta Domini gustauerit. Erucat hymnum, qui eructauerit verbum. Denique & Dauid antè eructauit verbum bonum, hinc eruat hymnum. Bonum enim panem gustauit, qui de cælo descendit. Bonum panem, quem si quis manducauerit, non morietur in æternum. Habet verbum Dei epulas suas, alias fortiores, ut est lex & Euangelium: alias suauiores, ut sunt Psalmi, & Cantica canticorum. Erucebat hymnum Ecclesia, vel anima pia, cui dicebat Dei verbum: Insinua mihi vocem tuam, quia vox tua suavis est. Erucebat hymnum, cui dicebat: Fauum distillant labia tua ô sponsa, mel & lac sub lingua tua. Sed non potest quis antè eructare hymnum, nisi didicerit iustitias Dei, & didicerit ab ipso Domino Deo suo. Ideo specialiter hoc Dauid petit, ut eum doceat Deus. Audierat enim & cognouerat in spiritu, quia vnus magister est, & ideo vbi-que ipsum doctorem fieri postulabat, ut ab ipso disceret iustificationes eius. Quomodo cãtare potest in metu positus, & in timore pœnarum? Quomodo enim cantare potest grauium sibi conscius delictorum, nisi prius fiat veniæ securus? Denique in posterioribus habes: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena; in qua impugnetur, in qua captiuetur in lege peccati, in qua desceat atque deplorat suæ captiuitatis ærûnas? Et tu ergo ede scripturarum cælestium cibos, & ede ut permaneant tibi in vitam æternam, & ede quotidie, ut non esurias, ede ut replearis, ede ut verborum cælestium eructes faginam. Spirituales epulæ nõ obesse solent, sed prædesse fatiatis: ideó que repleti volebat Propheta, qui dicebat: Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam. Qui cantat Dei gloriam, hymnum Domino cor eius erucat.

Loquetur lingua mea verbum tuum, quoniam omnia mandata tua iustitia est.

Qui didicerit iustitias Dei, loquitur verbum Dei: & qui verbum Dei loquitur, otiosum verbum nõ loquitur. Otiosum verbum est, loqui opera hominum. Ideo sanctus dicit dari sibi à Domino gratiam, ut nõ loquatur os suum opera hominum, quia otiosum verbum est: nec solum otiosum, sed etiam periculosum, pro quo rationem redditori sumus. Omne enim verbum otiosum quodcumque locuti fueritis, reddetis pro eorum rationem. Non enim mediocre periculum est, cum habeas tanta cloquia Dei, & Dei opera quæ fecit in Genesi, fecit in Exodo, fecit in Leuitico, Numeris,

Deuteronomio, Iesu Naue, Iudicum libro, Regnorum, atque Eisdra libris, fecit in Euangelio, in Actibus Apostolorum; illis prætermisiss, loquaris quæ seculi sunt, audias quæ seculi sunt. Sepi aures tuas spinis, utinam & linguam obsepas, ne loquaris quæ seculi sunt, audias quæ seculi sunt. Sed quod peius est, circumdata est lingua tua spinis, quæ compungunt & vulnerant loquentem quæ mundi sunt. Ideo aduersarius etiam orantibus frequenter sarcularis offundit cogitationes. Si ergo non debemus audire aliena vel superflua, quanto magis nõ debemus obloqui, cum dicat vnicuique nostrum scriptura venerabilis: Argretum & aurum tuum alliga, & ori tuo fac iugum & pondus: Alliga sensum tuum fide, taciturnitate alliga sermones tuos, impone iugum ori tuo, ne indomita ceruice verborum se iactet. Impone pondus, ut cauto omnia quæ loquimur, trutinemus examine. Quibus tamen spinis sepias aures tuas, ut scriptura tibi dicit, nisi cõtrito corde, & timore iudicij? Salubriter ista compungunt, stimulant ista, non vulnerant, licet & vulnera vitia sint amici. Omnia (inquit) mandata tua iustitia est, quia sunt mandata iustitiæ, & ideo sine iustitia esse non possunt. Mandatum Dei est, ut diligas Dominum Deum tuum. Et Apostolus Paulus ait: Qui diligit proximum suum, legem impleuit. Scriptum est enim: Nõ adulerabis, non occides, nõ furaberis, nõ concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur. Si in hoc verbo instauratur omne mādatum, quod verbum iustitia est: (quid enim tam iustum, quam ut diligas Deum tuum, & diligas fratrem tuum?) vti que omnia Dei mandata iustitia est. Sicut enim qui occidere potest fratrem suum, vti que non diligit fratrem: qui furatur, qui concupiscit alienum, vti que non diligit eum quem fraudare desiderat: ita qui superbè despicit fratrem, qui eum deformare conatur, qui pascitur eius iniuriis, à confortio charitatis alienus est.

Fiat manus tua saluum facere me, quoniam mandata tua elegi.

Aduentum Domini videtur orare, quia manus Dei Christus est. Ipsum legimus dexteram Dei, de qua supra ait: Dexteram Domini fecit virtutem, dexteram Domini exaltauit me. Cur ergo hinc manum dixit, nisi fortè non solum propter diuersitatem gratiarum quam scriptores non prætermittere solent, sed etiam propter quandam proprietatem manuum, ut ibi dextera dicatur, vbi scribitur quod exaltauit cum virtute: hic manus, vbi intelligi oporteat quod cum humilitate seruauit? Potest & sic intelligi manus Domini, sicut dicitur in vsu: Magna est manus illius regis; hoc est, magnus exercitus. &, illius inferior est manus, ut etiam hinc intelligamus: Fiat adiuuentum tuum atque subsidium, ut mittas angelos tuos, opem tuam, subsidia potentie tuæ ad liberandum populum tuum. Hæc est manus Dei, de qua scriptum est: Nõne omnes ministri spiritus sunt, qui mittuntur in ministerium propter eos qui futuri sunt heredes salutis? Qui ergo elegit mādara Dei, vti utur confidentia, ut cum auctoritate deposcat sibi diuina subsidia.

Concupiui

Concupiui salutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea est.

Alius longæuitate vitæ istius delectatur, & concupiscit vsque ad depositæ senectutis tempora corporis huius vitam producere. Alij franguntur ægritudinis infirmitate, de quibus nemo potest dicere: Cum infirmor, tunc potens sum. Beatos se putant, si inoffensa valetudinis commoditate potiantur, quibus non est infirmitas ad salutem. Horum quoque nemo potest dicere: Concupiui salutare tuum Domine. suam enim magis salutem quam salutare Dei quaerunt, medicis potius quam scripturis obedientes. Contraria autem studiosis diuinæ cognitionis, præcepta sunt medicinæ. A ieiunio reuocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt. Itaque qui se medicis dederit, se ipsum sibi abnegat. Qui autem quaerit salutare Dei, Christum sequitur, qui dicitur salutare Dei: non quæ corporis, sed quæ æterna sunt quaerens. Qui autem salutare Dei quaerit, die vti que & nocte meditatur in lege. Iugis illi meditatio est diuinorum decretorum, neque aliqua cura corporis huius auertitur à studio disciplinæ.

Viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me.

Viuet anima mea. Futuræ vti que vitæ, non presentis sibi remuneratione blanditur. Hæc enim vita quomodo dici potest, de qua scriptum est: Et in puluerem mortis deduxisti me? Quam multi viuentes in inferno sunt? Ipse Paulus cupiebat de corpore mortis huius liberari, qui verè concupiuit salutare Dei, dicens: Dissolui enim cupio, & cum Christo esse, multo melius: permanere autem in carne magis necessarium, quam voluntarium. Quomodo ergo viuit anima aperta mortis inuolucro? Aut quæ est vita, quæ in vmbra est? In regione vmbrae mortis sumus: abscondita est vita nostra, non libera. Erit enim libera in regione viuorum, in qua fiduciam complacendi iustus assumit, ut placeat Domino in regione viuorum. Ibi ergo viuit anima nostra, vbi nihil mortale, nihil infirmum amicta sit, nihil debitum pœnæ. Ibi laudabit Dominum, vbi depositio infirmitatis corpore, conformis esse cœperit gloriae corporis Christi. Nam dum in peccato sumus, plenè laudare quid possumus? Peccatori enim dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas? In vmbra sumus hinc positi, in vmbra viuimus, in vmbra laudamus, perfectè in vmbra laudare non possumus. Denique in terra aliena sumus: audisti autem in posterioribus dicentes: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Adiuuant autem iudicia Dei sanctos, cum bonis operibus remuneratio vitæ confertur æternæ. Beatus qui dicit: Et iudicia tua adiuuabunt me. Ego infirmus, ego peccator timeo iudicia Dei propter conscientiam delictorum: mihi terrorem afferunt, me exagitant, sanctos adiuuant. Sed tamen iuuabunt etiam peccatorem, licet diuerso modo. Sanctus adiuuabitur, dum probatur: peccator adiuuabitur, dum humiliatur, dum castigatur, ut peccata soluat duplicia: dum opus eius exurit, ut ipse saluus fiat, sic tamen quasi per ignem. Fortas-

sis etiam sic conuenit sensus: Si dignus fuero iudicio, dignus ero ut exuar confortio impiorum, quoniam non resurgunt impij in iudicium. Et adiuuabunt me iudicia, quoniam qui credit in Domino, non iudicatur. Proderit illi iudex, & suffragabitur ad veniam, etiam si qua in operibus offensa sit.

Erraui sicut ouis quæ perierat: viuifica seruum tuum, quoniam mandata tua non sum oblitus.

Viuifica seruum tuum. Græcus habet: Quære seruum tuum, hoc est, ζήτησον, & potuit falli scriptor, ut scriberet ζήσον, quod est viuifica. Sensus quidem vterque constat, sed oportunior est huic loco, Quære seruum tuum: quoniam ouis quæ errauit, quaerenda est à pastore, ne pereat. Ideo dicit, Erraui. Dic & tu iniquitates tuas, ut iustificeris. Quod lapsum fateris, in eo tibi cum omnibus commune confortium, quia nemo sine peccato: negare hoc, sacrilegium est. Solum enim Deus sine peccato est. Confiteri hoc Deo, impunitatis remedium est. Erraui, inquit. Sed qui errauit in via potest redire in viam, reuocari potest in viam. Et pulchrè addidit: Sicut ouis quæ perierat. Non enim perit qui agnoscit errorem. Quære (inquit) seruum tuum, quoniam mandata tua non sum oblitus. Veni ergo Domine Iesu, quære seruum tuum, quære lassam ouem tuam; veni pastor, quære sicut oues Ioseph. Erraui ouis tua, dum tu moraris in montibus. Dimitte nonagintanouem oues tuas, & veni vnam quaerere quæ errauit. Veni sine canibus, veni sine malis operariis, veni sine mercenario, qui per inuam introire non nouerit. Veni sine adiutore, sine nuntio, iam dudum te expecto venturum. Scio enim venturum, quoniam mandata tua non sum oblitus. Veni non cum virga, sed cum charitate, spiritique mansuetudinis. Noli dubitare relinquere in montibus nonagintanouem oues tuas, quia in montibus constitutas lupi rapaces incurfare non possunt. In paradiso semel nocuit serpens, amisit ibi escam postquam Adam inde depulsus est: illic iam nocere non poterit. Ad me veni, quem lutorum grauium vexat incurfus. Ad me veni, quem electum de paradiso serpentis diu vlcis venena pertentant, quia erraui à gregibus tuis illis superioribus. Nam & me ibidem collocaueras, sed ab ouilibus tuis lupus nocturnus auertit. Quære me, quia ego te requiro. Quære me, inueni me, suscipe me, porta me. Potes inuenire quem tu requiris: dignare suscipere quem inueneris: impone humeris quem susceperis. Non est tibi pium onus fastidio, non tibi oneri est vectura iustitiæ. Veni ergo Domine, quia etsi erraui, tamen mandata tua non sum oblitus: spem medicinæ reseruo. Veni Domine, quia erraticam solus es reuocare qui possis, & quos reliqueris, non mœstificabis. Et ipsi enim peccatoris reditu gratulabuntur. Veni ut facias salutem in terris, in cælo gaudium. Veni ergo, & quære ouem tuam iam non per seruos, non per mercenarios, sed per te ipsum. Suscipe me in carne quæ in Adam lapsa est. Suscipe me non ex Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit virgo, sed virgo per gratiam, ab omni integra labe peccati. Porta me in cruce, quæ salutaris errantibus est,

in qua sola est requies fatigatis, in qua sola viuunt quicumque moriuntur. Pulchrè autem etiam viuifica potest dici eo quòd mori non possit, quem humeris suis virtus portauerit. Dicit ergo & anima, dicit & Ecclesia: *Erraui sicut ouis quæ perierat*. Sed dicit: *Quæsiui quem dilexit anima mea, hoc est dicere: Vniuersifica seruum tuum, quoniam mandata tua non sum oblitus*. Ego te quæsiui, sed inuenire non possum te, nisi tu volueris inueniri. Et tu quidem vis inueniri, sed vis diu quæri, vis diligentius indagari. Nouit hoc Ecclesia tua, quia non vis vt te dormiens quærat, non vis vt te iacens inuestiget. Denique pulas ad ianuam, vt excites dormientem: exploras si cor vigilat, & cato dormit. Vis iacentem leuare, dicens: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis*. Mittis manum per cavernam, vt surgat: & si tardius surrexerit, derelinquis. Vis vt quærat iterum, & quærat à multis, & non obliuiscatur quærere, non obliuiscatur sermones tuos: & si tenet eos, offeras te videndum, non refugas teneri. Quæ cum te meruerit amplecti, ostendet fructus suos, docebit non oblitam se mandatorum tuorum, dicensque tibi: *Veni frater meus, exeamus in agrum: in foribus nostris omnis germinatio arborum*. Poma noua & vetera frater meus seruaui tibi. Hoc est dicere: *Teneo imandata omnia noui & veteris testamenti*. Sola hoc dicere Ecclesia potest. Non dicit alia congregatio, non dicit synagoga, nec secundum litteram noua tenens, nec secundum spiritum vetera. Non dicit hæresis Manichæa: *Vetera seruaui tibi*; quæ prophetas non suscipit. Merito dealbata cernitur, quæ vtriusque fulget gratia testamenti. Respondit ei sponsus: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt sigillum super brachium tuum, quæ noua & vetera seruaui mihi*. Signaculum meum es, ad imaginem meam es & similitudinem. Fulget in te imago iustitiæ, imago sapientiæ, imago virtutis. Et quia imago Dei in corde tuo est, fit & in operibus tuis, fit effigies Euangelij in tuis factis, vt in tuis moribus mea præcepta custodias. Effigies Euangelij erit in te, si percutienti maxillam alteram præbeas, si diligas inimicum tuum, si crucem tuam tollas, & me sequaris. Ideo crucem ego pro te portauit, ne tu propter me portare dubitares. Audierunt hoc filia Hierusalem, quòd iam Dominus Iesus sibi Ecclesiam copulabat: & quia considerantes magnitudinem verbi, impares se tantis nuptiis aestimabāt, ne forte tantæ copulæ pondus sustinere non possent, excusant dicentes: *Soror nostra parua, & vbera non habet*. Sic enim qui volunt differre nuptias, excusare consueverunt, vt prætendant immaturæ ætatis infirmitatem: & adstruant quòd vbera non habeant, quæ nubilis significant tempus ætatis. Hoc solet symbolum commune omnibus virginibus esse nupturis, vt cum vbera cœperint eminere, tunc coniunctioni habiles iudicentur. Turbatæ igitur quòd studio dilectionis virgeat nuptias sponsus, dicunt: *Quid faciemus sorori nostræ in die qua loquetur in ea? vel, vt Symmachus, qua loquatur ei, hoc est, sponsalium celebrare solet fieri collocutio & confirmatio nuptiarum*. Quid ergo faciemus, dicunt turbatæ, quia virgetur coniunctio spiritalis? A tantis nuptiis excusare non possunt. Nemo enim est qui copulam vel animæ & spi-

ritus, vel Christi & Ecclesiæ non beatam putet. Sed quia plenitudo verbi vel Spiritus sancti vibrat & fulget, & nihil est quod illis possit æquari, ideo differre desiderant, vt illa dilatione vel anima vel Ecclesia possit esse perfectior. Dicit ergo: *Si murus est, ædificemus super eum receptacula argentea: & si ianua est, sculparamus super eam tabulas cedrinas*. Murus est anima sancti. Habet & Ecclesia muros suos, quæ iam perfectior dicit: *Ego ciuitas munita*. Hic est murus qui habet duodecim portas apostolicas, per quas populo nationum patet ingressus in Ecclesiam. Sed murus quamuis ambitum totius vrbs includat, tunc tamen est munitior, cum receptacula habuerit preparata, in quibus propugnatores vrbs tutum spectandi ac tuendi possint habere subsidium. Sed quia rationalis hæc ciuitas est, & omnis spes eius in Dei verbo est: non ferrea, sed argentea ei propugnacula requiruntur, eloquiis cælestibus magis quam corporeis voluptatibus hostiles impetus repulsare conuicta. Eo sulta præsidio, eo splendore fulgens habilior Christi copulæ iudicatur. Et quia ianua Christus est, qui ait: *Per me si quis introierit, saluabitur: & Ecclesia ianua nuncupatur, quia per ipsam patet populis aditus ad salutem: ne hereticorum corrumpatur tincis aut vermibus, dicunt filia Hierusalem, vel angeli, vel animæ iustorum: Ædificemus super eam tabulas cedrinas, hoc est, fidei sublimis bonum odorem*. Est enim suauis huius materiæ odor, quam non vermis, non tinea corrumpat. Ideo huius materiæ vsus eligitur teatorum fastigijs eleuandis, formandisque litterarum elementis, quibus ætas puerilis ad studium liberalis eruditionis imbuitur. Est ergo materia ista sublimis ad gratiam, leuis ad onus, suauis ad odorem, vtilis ad instrumentum scientiæ, habilis ad ministerium cognitionis æternæ. Sed quemadmodum sponsam suam diligens Christus virgebat ad copulæ spiritalis solemnitatem, ita & Ecclesia verbi decore iam capta festinabat ad nuptias. Ideoque morarum & dilationis impatiens, quas filia Hierusalem innectere gestiebant, dicit: *Ego murus, & vbera mea turres, hoc est, nolite dubitare vtrum murus sim*. Illæ enim dixerant, *Si murus est: Ego, inquit, murus sum, & non parua vbera habeo, sed vt turres vbera mea sunt*. Quomodo dicitis quia non habeo vbera? Sensus vt turres habeo sapientiæ, in quibus est abundantia, sicut scriptum est: *Et abundantia in turribus tuis*. His vberibus, id est sensibus, habilem se tantis nuptiis aestimabat: sed filia Hierusalem adhuc non poterant aestimare, quia sensuum eius abundantiam non videbant. Et addidit: *Ego eram in oculis eius tamquam inueniens pacem, hoc est, deliberatis de meis sensibus, cum pacem Dei inuenirem, quæ exuperat omnem mentem, & custodit & corda & sensus in Christo Iesu*. Talis, inquit, eram in oculis sponsi, qualis quæ habet pacem. Scriptum est enim: *Qui rectè quærunt pacem, gaudebunt*. Festinantibus igitur dilecto atque dilecta, celebrata coniunctio spiritalis est, mutuo expetita consensu. Ideoque tamquam nuptiale carmen, exultauit spiritus in Propheta, dicens: *Vinea facta est Salomoni*

Cant. 3.

Cantic. 5. Ephes. 5. Cant. 5.

Sup. vlt. 2.

Cantic. 7.

Cantic. 8.

Ibidem.

Genes. 1.

Matt. 5. Matt. 16.

Cant. 8.

Ibidem.

Cantic. 8.

Matt. 21. Luca 15.

Esai. 27. Ezech. 48. Apo. 21.

Cant. 8.

Cant. 8.

Ioan. 10.

Genes. 43.

Cantic. 8.

Luc. 12.

Genes. 3.

Cantic. 8.

Psal. 121.

Cant. 8.

Philip. 4.

Prouer. 12.

Salomoni in Beelamon, dedit vineam suam iis qui seruant. Clamat ergo spiritus, *Plantata est congregatio populorum, sed vitis æternæ radice fundata, & spiritalia sub iugum verbi corde mansueti colla subiecit*. Plantata autem in multitudine nationum. Hoc enim intelligendum Beelamon, Symmachus, Aquila, aliæque translationes Græco sermone docuerunt. Repudiata est vetus copula, quæ fructum afferre non poterat; data est vinea nouis fidelibusque cultoribus, qui non solum facere fructum possent, sed etiam custodire. Vna igitur ouis errauit, sed reuocata totius spatia orbis impleuit. Vnam ouem error abduxerat, sed multitudinem populorum Domini gratia congregauit. Errauit homo, sed Ecclesia iam murus est, & murus validus. Errauit Adam, murus est David, qui mandata Dei oblitus non est. Custodita igitur & vallata hæc vinea munimine spiritali, mille fructus dat Christo, ducentos autem custodibus. Ideoque ait Ecclesia: *Vitis mea in conspectu meo, mille Salomoni, & ducenti seruantibus fructum*. Perfectio & plenitudo Christi est portio seruulorum. Habes hoc mysterium in Genesi, vbi quinque partes Benjamin fratri iuniori tribuit Ioseph, singulas reliquis fratribus. Domino igitur quinque sensuum portio & prarogatiua defertur, quam illi vti que tribuit ipse quem diligit, sicut dilexit Paulum, cui dedit ad euocandas gentes sapientiæ principatum. His igitur fructibus delectata Ecclesia dicit ad Christum: *Qui sedes in hortis, amici intendentes sunt voci tuæ: vocem tuam insinua mihi*. Delectabatur enim quòd in hortis Christus sedebat, & in hortis positi amici intendebant voci eius. Sed quia amici illi de cælestibus erant archangeli, vel dominationes & throni (homines enim expulsi de paradiso fuerant propter inobedientiam cælestium mandatorum, atque ideo ad-

A hoc Ecclesia vocem eius audire non poterat, quam cupiebat audire) ideo ait: *Vocem tuam insinua mihi*. Vnde & nos si volumus eum in nobis sedere, simus horti clausi atque muniti, feramus virtutum flores, gratiæ suauitatem, vt disputantem cum angelis Dominum Iesum audire possimus. Sed quia futurum erat, vt cum ad plenitudinem Ecclesia peruenisset, persecutionibus variis tentaretur; ideo cum verbi gratia delectaretur, subito cernit insidias persecutorum: & quæ plus sponte quam sibi timeret, aut quia à persecutoribus Christus magis appetitur in nobis, ideo ait: *Fuge frater meus, & similis esto tu capreolæ, aut hinnulo ceruorum super montes aromatum*. Propter infirmos fugit, qui tentamenta grauiora ferre non possunt. Ideo scriptum est, vt de ciuitatibus ad ciuitates fugiamus: *& si nos in hac ciuitate fuerint persecuti, fugiamus in aliam*. Propter infirmos igitur, vt diximus, fugiat persequentes: aut fugiat ab infimis, & transeat ad montes aromatum, qui pro martyrio odorem possint beatæ resurrectionis afferre. Montes aromatum sancti sunt. Ad eos confugit Christus, quia fundamenta eius in montibus sanctis. Ad eos igitur confugit, qui sunt eius stabilia fundamenta. In nobis fugit, in illis fida statione consistit. Mons igitur aromatum Paulus est, qui potest dicere: *Bonus enim odor Christi sumus Deo*. Mons aromatum David, cuius orationis odor ascendebat ad Dominum, & ideo dicebat: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. Symmachus autem & Aquila interpretati sunt quod Christus dicit ad Ecclesiam: *Quæ sedes in hortis, hoc est; iam in hortis sedes, superno digna es paradiso. & ideo vocem tuam insinua mihi, cui amici intendunt*. Ego quoque eam audire desidero. Cœpit in hortis esse Ecclesia, postquam in hortis captus est Christus.

Cantic. 8.

Ibidem.

Matt. 10.

Psal. 86.

2. Cor. 2.

Psal. 140. Cantic. 8.

Ioan. 18.



# SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI.

IN SALOMONEM ET PROPHETAS

ENARRATIONES.

## Capita Libri de Salomone.

*Miratur quod sapientissimus hominum propheta Salomon proposuerit tria sibi impossibilia esse scitu, & quartum adhuc esse quod non valeret agnoscere, cum tam locuples possessor sapientiae fuerit, ut omnia cognouisse visus sit: & de hac admiratione rationem reddit.* Cap. I.

*De repetitione superius propositorum, & apertione mysterij absconditi in primo quod Salomon testatus est se scire non posse, videlicet vestigia aquilae volantis.* Cap. II.

*De expositione mysterij quod in secundo impossibili ad sciendum occultatur, vias scilicet serpentis super petram.* Cap. III.

*Quid mysticè significetur per tertium impossibile quod Salomon se scire non posse dixit, id est, semitas nauis nauigantis.* Cap. IIII.

*De mysterio quarti, viarum scilicet viri in iuuentute, quod Salomon se non valere cognoscere asseruit.* Cap. V.

SANCTI

Proverb. Cap. XXX.

**H**æc dicit vir credentibus Deo: Et quiesco, stultissimus enim sum omnium hominum, & prudentia hominis non est in me. Deus docuit me sapientiam, & cognitionem sanctorum cognoui. Quis ascendit in caelum, & descendit? Quis congregauit ventos in sinu? Quis conuertit aquam in veste? Quis dominatus est omnium summitatum terræ? Quod nomen ei? aut quod nomen filiis eius? vt cognoscas. Protegit autem ipse eos qui reuerentur eum. Ne addas sermonibus eius, ne redarguat te, & mendax fias. Duo peto à te, ne tollas à me gratiam antequam moriar ego. Inanem sermonem & mendacem longè à me fac: diuitias autem & paupertatem ne mihi dederis: confide autem mihi necessaria & sufficientia; ne repletus mendax fiam, & dicam, Quis me videt? aut pauper factus furer, & iurem nomen Dei. Ne tradideris seruum in manus domini, ne fortè maledicat tibi, & delearis. Filius malus patri maledicit, at matri non benedicit. Filius malus iustum se iudicat, at exitum eius non lauit. Filius malus excelsos oculos habet, at palpebris suis extollitur. Filius malus gladios dentes habet, & molares forcipes; vt consumat imbecilles à terra, & pauperes eorum ex hominibus. Sanguifugæ tres filiae fuerunt dilectione dilectæ, & tres istæ non repleuerunt eam, & quarta non contenta est dicere, satis. Infernus, & amor mulieris, & terra non repleta aqua: & aqua & ignis non dicant, Sufficit. Oculum qui deridet patrem, & qui inhonorat senectutem matris, eruant eum corui de conuallibus, & comedant eum pulli aquilarum. Tria autem sunt impossibilia mihi scire, & quartum quod non cognosco: Vestigia aquilæ volantis, & vias serpentis super petram, & semitas nauis nauigantis, & vias viri in iuuentute. Talis via mulieris meretricis, quæ cum fecerit, posteaquam abluta est, nihil dicit se fecisse mali. Per tria mouetur terra, at quartum non potest ferre: Si seruus regnauerit, & stultus repletus fuerit ciborum,

& serua si eiecerit suam dominam, & odiosa mulier si sortita fuerit virum bonum. Quatuor autem sunt minima in terra, hæc autem sunt sapientiora sapiētibus: Formicæ, quibus non est fortitudo, & præparant verè cibum. Et chero Grylli gens non valida, qui fecerunt in petris suas domos. Absque rege est locusta, & egreditur tamquam acies ab vna iussione ordinatè. Et calamotes piscis manibus innitens, & captu facilis existens, habitat in munitioibus regis. Tria autem sunt quæ prosperè gradiuntur, & quartum quod bene incedit: Catulus leonis fortior bestiis, qui non auertitur, neque horret bestiam: & gailus conscendens fœminas clementer, & hircus præcedens gregem, & rex concionans in gæte. Si immiseris te in latitiam, & extenderis manum tuam cum pugna, inhonoraberis. Mulge lac, & erit butyrum: si autem expresseris nares, exhibit sanguis. Si autem extraxeris sermones, exhibunt iudicia & pugna.

*Miratur quod sapientissimus hominum propheta Salomon proposuerit tria sibi impossibilia esse scitu, & quartum adhuc esse quod non valeret agnoscere, cum tam locuples possessor sapientiae fuerit, ut omnia cognouisse visus sit: & de hac admiratione rationem reddit.* CAPVT I.

**M**IRVM factis est, quod in hoc capitulo sapientissimus omnium hominum Salomon propheta proposuit tria impossibilia esse quæ scire non posset, quartum adhuc esse quod non valeret agnoscere: *Vestigia aquilæ volantis, vias serpentis super petram, & semitas nauis nauigantis, & vias viri in iuuentute.* Hæc se nescire testatur ille propheta Salomon, qui vt primum transactis infantiae rudimentis annos iuuentutis ingressus est, in quibus posita adhuc infirmæ aetas, quem cursum vitæ deligat, nutat incerta: nihil aliud à Deo quàm sapientiam postulauit, inter ipsa, vt dixi, vitæ tentamenta iam sapiens, qui in delectatione rerum, quod omnibus præiret elegit. Sic enim ipse in libro Sapientiae suæ se Dominum omnipotentem deprecatum fuisse commemorat: *Da mihi, inquit, sedium tuarum affestricem sapientiã: vt sciam dispositionem orbis terrarum, virtutes elementorum, initium & consummationem & medietatem rerum, mutationes temporum, anni cursus, & dispositiones stellarum, naturas animalium,*

& iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias arborum, & virtutes radicū. Omnium enim artifex, ait, docuit me sapientia. Et alibi ipse in eodem libro: Inuocauit, inquit, & venit in me spiritus sapientiae. Et quidem quod tam locuples possessor sapientiae Salomon, cum omnia cognouisset quae in arcanis abditarum dispositionum renebantur absconsa, haec sibi impossibilia esse praetendit: quippe qui à Deo esset sapientiam consecutus, qui nouerat mundanae dispositionis introitum, qualiter esset hoc caelum quod cernimus, ardua sublimitate suspensum, quemadmodum fieret aëris istius circumiectus & fufus equo moderamine libratus in medio, quibus modis pigro ad inum dilapsa pondere terra subsisteret, qua ratione intra certas littorum metas liquidi elementi impatiens fluctus lapsus exastuet: quod principium rerum, quis finis, & quae essent media. Quem iterum diuisiones & mutationes temporum non latebant, qui comprehenderat qualiter sibi annorum mutua vicissitudo redeunte orbe succederet, qua causa varios stellarum ageretur cursus praecedendo se nonnumquam, aut subito subsequendo, unde earum esset ortus aut obitus, & alia multa, quae sapientia docente cognouerat. Mirum, inquam, quod ista quae sibi impossibilia esse dicit, aut scire non potuit, aut videre. Sed quia omnia quae in libris diuinis prophetarum annuntiatione congesta sunt, suis sunt temporibus seruata, merito Salomon ante aduentum Domini nostri Iesu Christi, quid aquila volans, quid serpens in petra, quid nauis nauigans, quae iuuenis via in iuuentute esset, scire non potuit. Adhuc non erat tempus quo umbra corpus fieret, aut veritas de figura. Nobis verò, quibus Dominus noster Iesus Christus ostendit, quod omnia de ipso essent in lege conscripta, quibus nihil est occultum quod non reuelatur, & posteaquam signatum illum septem sigillis librum nemo alter potuit referare quam Christus; permissum & indultum est nobis ut omnia & videre possimus & nosse, sicut ipse Dominus ait: Pater confiteor tibi, quia abscondisti haec à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Et iterum: Vobis, inquit, permissum est scire mysterium hoc. Quae ideo reuoli, ut non tam Salomonem quod non potuisset scire reprehenderim, quam quod non fuisset temporis ut sciret.

*De repetitione superius propositorum, & apertione mysterij absconditi in primo quod Salomon restatus est se scire non posse, videlicet vestigia aquile volantis. CAP. II.*

Sed iam ne proposita lectio diutius differatur, pauca vobis quae ita in quaestionem veniunt, propitio Deo nostro cogitavi exponere. *Tria sunt* (inquit) *impossibilia mihi scire, & quarta quod non cognosco: Vestigia aquile volantis, & vias serpentis super petram, & semitas nauis nauigantis, & vias viri in iuuentute.* Quis enim vnamquam potuit ista cognoscere: Quasi verò sit facile vt suspensa aquila in altum celeri elatione pennarum, plausus sui & lapsus vestigia manifesta constituat, aut viam signet in vacuo, & lineam sui volatus figat in liquido? Quis cursum nauis deprehendat in fluctibus? Quis indicium eius, per quos aggeres & limites feratur, intelligat? Crebra sepe & inquieta mutatio,

dum vndis sequacibus aut obruitur quod praecessit, aut opprimitur quod secutum est. Quis in petra signum aliquod serpentis agnouit, quum & materia sit dura faxorū, & lubrica natura serpentum? Aut quomodo possunt viae viri in iuuentute cognosci, qui vnde veniat, & quò eat, non potest deprehendere? Haec sunt quae sapientissimus Salomon propheta dixit se non posse cognoscere. Nunc ergo de singulis rebus istis quid dicamus, audite. Aquilam in hoc loco Christum Dominum nostrum debemus accipere, qui post venerandam resurrectionem, qua docuit humanum genus in vitam redire post mortem, velut aquila reuoluit ad patrem, praedam secum referens, id est hominem, quem rapuerat de faucibus inimici. Haec est aquila, quam Ezechiel propheta in illa quadriformi sede, & Cherubim vidisse se reuoluit inter animalia, quae mysticum vehiculum rotis iuncta portabant. Vnum enim animal simile vituli, aliud leonis, tertium hominis, quartum aquilae, sicut in Apocalypsi Ioannes se vidisse conscripsit. Primum, inquit, animal simile vituli, secundum leonis, tertium hominis, & quartum aquilae. Sed de horum animalium qualitate alter locus ad tractandum necessarius est. Nunc interim quod cepimus, explicemus. Haec est aquila, de qua scriptum est: Sicut aquila tegit nidum suum, id est, Christus Ecclesiam. Et iterum inquit: In umbra alarum tuarum sperabo. Et iterum: Renouabitur sicut aquilae iuuentus tua. Nam ut aquila colona, quasi mater nidi semper vnus est, nec ad procreandam sobolem aliud aliquando cubile perquirat, & cum primum calidis ouis maturo ortu foetus eruperit interior, pullos educit implumes: hos contra faciem feruidi solis opponit, ut qui agrum & inualidam corusco radiorum appultu aciem submiserit oculorum, materno damnatus arbitrio, & à fratrum consortio separetur, & deiciatur in terram. Et sicut auis ista inimica serpentum est, quos cum in aëre alarum remigio subuectando supportat, hos obunco rostro, & armatis quasi quibusdam telis pedibus suis lacerat ac diuellit; quos cum deuorat, calore suo interno noxium illud virus extinguit: ita & Christus Dominus vnam diligit Ecclesiam, ut aquila nidum suum, quam ab actu persecutionis alarum suarum defendit in quibus fidei lumen infirmum est, qui igneam Euangeliorum lucem vitiiis secularibus inquinati ferre non possunt. Et ut aquila serpentes deuorat, & eorum venena calore coquit interno: ita & Christus Dominus noster percusso dracone, id est, diabolo lacerto, dum humanum sibi corpus assumit, peccatum illud quod hominem tenebat obnoxium, tanquam perniciosum virus extinxit, sicut Apostolus ait: Et de peccato damnauit peccatum in carne sua. Et alibi: Qui cum peccatum non nosset, pro nobis peccatum fecit. Ad hoc quoque Moyses serpentem aeneum in eremo suspendit in ligno, qui proprius erat typus corporis Christi, ut quicumque in eum aspiceret, non periret. Corpus enim hominis per transgressionem vas fuerat serpentis effectum. Sic & alibi ipse Moyses virgam proiecit in terram, quae in similitudinem est corporata serpentis: quae quia & ipsa imago erat corporis Christi, & tanta virtutis in se typum gerebat, omnium Aegyptiorum potestatem absorbit.

1. Cor. 15. Ephes. 4. Osee. 13. Ezech. 1.

Apoc. 4.

In proem. 7. Mar. in Luc.

Deut. 32. Psal. 56. Psal. 102.

1. Cor. 10.

Psal. 60.

Deut. 32. Psal. 136.

Ephes. 3.

Gen. 3.

Rom. 8.

2. Cor. 5.

Num. 21.

1. Tim. 2.

Exod. 4. Exod. 7.

forbuit. Hoc est ergo quod ait, *Vestigia aquile volantis*: quia etsi post passionem & resurrectionem suam praesentibus Apostolis Dominus noster ascendit in caelum, tamen cuius hominis tam altus sensus & rätus est, ut explicare possit quomodo illa tanta maiestas de caelo aut venire dignata fuerat, aut redire: cum hoc solum nobis scire liceat, quòd aut venit, aut rediit? Quis enim cognoscere potest quòd admodum verbum in Virginem venerit, ut repente conciperet, ut tam felicem foetum partus virginis effunderet, ut hominem Deus indueret, quem totus mundus non potest nec sufferre nec capere? Id est quod ait, *Vestigia aquile volantis*: id est, Christi Domini aduenientis ad terram, ac redeuntis ad caelos, vestigia comprehendi enarrarique non posse.

*De expositione mysterij quod in secundo impossibili ad sciendum occultatur, vias scilicet serpentis super petram. CAP. III.*

ET vias (inquit) serpentis super petram. Dixi iam quòd sinuosus labens membris nitidus & volubilis coluber tractibus suis vestigium aliquod in petra, quia res est dura, non faciat. Indicium enim nostri huius non nisi molli signatur in puluere. Nunc ergo videamus quid sit iste serpens, aut quae petra, in qua serpentis vestigium non apparet. Hanc petram Dominum nostrum esse ambigere non debemus. Sic enim Apostolus ait: Bibebant autem de spiritali sequenti petra, petra autem erat Christus. Et Psalmographus: In petra, inquit, exaltasti me. Et Moyses in cantico Deuteronomij: Lactauit eos mel ex petra, & oleum de solida petra: id est, quòd dulce daturus is esset Euangelij suauitatem, aut Spiritum sanctum per christum vnctiorem. Et alibi ait: Beatus qui tenebit & allidet infantes tuos ad petram, quod utique in religiosis parricidium esset, si petra ista figuram Christi corporis non haberet. Nemo enim beatus in funere est, qui infantes allidit ad petram: sed ideo beatus est, quòd illos coniungit ad petram. Dixit ergo petram Dominum & Saluatorem nostrum in scripturis omnibus inueniri. Serpens autem ex ipso nomine, quòd sit callidior omnium bestiarum quae sunt super terram, apparet quòd est diabolus: quia ideo serpentis dicitur, quòd occultat scriptat, & quòd sensus hominis tenuiter illabendo perterritat: quos si conuicerit, medullis se hominum atque ossibus implicat & immergit. Qui in corpore hominis, quod omnipotens Christus induerat, nulla malitiae suae potuit imprimere vestigia, quauis illud ausus fuerit saepe tentare, sicut ipse Dominus in Euangelio ait: Ecce venit princeps mundi huius, & nihil in me inuenit. Et alibi: Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit eum. Haec est ergo petra, id est, caro Christi, nulla inimici iniquitate respersa, in qua serpentis, id est, peccati alicuius vestigium non apparet, ut scriptum est: Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.

*Quid mystice significetur per tertium impossibile quod Salomon se scire non posse dixit, id est, semitas nauis nauigantis. CAP. IIII.*

Adhuc quid subiungat, audite: Et semitas (inquit) nauis nauigantis. Nauem adaeque Ecclesiam

debemus accipere in salo mundi istius constitutam, quae crebris ventorum fluctibus, id est, tentationum plagis & verberibus fatigatur: quam turbidi fluctus, id est, huius saeculi potestas conatur ad saxa perducere. Quae etsi vndarum fluctibus aut procellis saepe vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium, quia in arbore eius, id est, in cruce, Christus erigitur, in puppi pater residet gubernator, proram paraclitus seruat spiritus. Hanc per angusta huius mundi freta duodeni in portum remiges ducunt, id est, duodecim Apostoli, & similis numerus prophetarum. Inde Montani antra latratu falli carminis resonant, qui duabus foeminis prophetissis Priscilla & Maximilla tamquam alicuius Scyllae rabidis succinctus est canibus. In ista naue Ecclesiae ea feliciter praeterimus. Inde in Photinianam Charybdim non incidimus. Inde in illud baratrum, quasi Dathan & Abiron, id est, in profundum mortis, Vrsacij & Valentis non incurrimus. Inde Arium archipiratam, qui nos per mare saeculi ad instar Pharaonis insequitur, non timemus, illam stellam seruantes in caelo quae Magos perduxit ad Christum, per quam nos regnum Dei, qui malorum omnium futurus est portus, expectat. Inde numquam nos de hac naui Ecclesiae praecipitatos, Marcion ille cetus absorbitur. Inde Sabellius pirata non cepit. Inde nobis aquilo nocere non poterit, quamuis inde sint antichristi violenta flabra ventura, sicut scriptum est: Ex aquilone exardescunt mala. Inde Syrtes gentilium, & periculosas haereses, & scopulos euitamus, quos superiacens aquae tenuis occultat allapsus, quia haereticus sub praetextu nominis Christiani absconsa perfidia saxa fallaci confessione oris obducunt, in quae homines, dum illis quòd Christiani sint fides habetur, impingunt. Haec ergo nauis Ecclesia est, quae etsi quotidie saeculum istud tamquam aliquod pelagus sortitur infestum, numquam eliditur ad saxum, nec mergitur ad profundum. Nauem autem Ecclesiam esse diuinis testimoniis probamus, sicut ait: Illic transferunt naues. Et alibi. Ad omnem nauem maris, quia sunt Ecclesiae saeculi quae totam sibi spem quod sit in hoc tempore, non tam de Deo, quam de potestatibus huius saeculi repromittunt. Sed quod ait, *Vias nauis nauigantis*, proprie significat quòd in tempore miro modo persecutionis comprehendi omnino non posset, quemadmodum viuida per interitum & diues per damna reddatur, sicut ait ex persona ipsius Psalmographus: In tribulatione dilatatur, aut luna: quae etsi tunditur, non mouetur: & si moueatur, resurgit.

*De mysterio quarti, viarum scilicet viri in iuuentute, quod Salomon se non valere cognoscere asseruit. CAP. V.*

ET vias (ait) viri in iuuentute. Vir iste, Christus Dominus noster est, sicut in Actibus Apostolorum scriptum est: Viri Israelitae audite haec verba: Iesum Nazarenum virum à Deo electum, in vobis virtutibus & signis & portentis approbatum. Et Apostolus: Ut omnes in virum perfectum occurrere possimus in mensuram aetatis plenitudinis Christi. Et alibi: Destinavi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Hic est vir cuius viae cognosci in iuuentute

Ibid. Ibid.

Ecd. 1. 3. Reg. 3.

Sup. 7.

Ibid.

Tit. 1.

Coloss. 2.

1. Tim. 5. Math. 10. Apoc. 5.

Math. 11. Luc. 8.

Math. 14.

Matr. 6.

Num. 16.

Exod. 14. Math. 2.

Psal. 103.

Hier. 1.

1. Tim. 6. Rom. 16.

Psal. 103. Esai. 2.

Psal. 4. Cant. 6.

Act. 2.

Ephes. 4.

2. Cor. 11.

Luc. 24.

Matth. 11.

Marc. 16.  
Ioan. 11.

Matth. 14.  
Ioan. 6.

Ioan. 2.

Ioan. 27.

Ephes. 4.  
Matth. 27.

Marc. 16.

Ephes. 5.  
2. Cor. 11.  
Ios. 6.

Osee. 1.  
Sapient. 14.

Apoc. 2.

Esai. 1.

1. Petr. 2.

Sap. 7.

non possunt. Quis enim æstimare animo possit, aut capere quanta ille opere exercuerit cum secundum hominem moraretur in terris? quæ itinera virtutum duxerit, in quas vias beneficiorum circa humanum genus fuerit ingressus, dum claudis pedum restituit firmitatem, dum cæcis lumina amissa reddit, dum eloquium præstat mutis, & surdis insinuat auditum, dum largum in sanguine fluxum siccit in Martha, dum dæmones pellit ex Maria, dum corpus rediit spiritus calore cõstringit in Lazaro; & quod mors sibi vendicaret ad pœnam, lux denuo recepit ad vitam? Quid ille solidus gressus in fluctibus? quid reliquæ de paucis panibus? plus superesse saturata multitudine, quàm fuisse? Quid inopem in vino Galilæi coniugis apparatus, sed Domini operibus pretiosum? Et alia multa, sicut in Evangelio dictum est, quæ si omnia scripta essent, mundus ea capere non posset. Aut quid postremo descensus ad inferos, aut ascensus ad cælum? Quid illud quod in passione ipsius integram lucis consuetudinem sol habere non potuit, vt taccam ruptum velum, lapidem reuolutum? Hæc ergo viæ sunt in iuuentute, quas non tam deprehendere Propheta, quàm enarrare se non posse testatus est. Tales hic etiam dicit *vias meretricis, quæ posteaquam abluta est, dicit se nihil mali fecisse.* Meretrix ista Ecclesiæ typus est, aliquando in gemitibus constituta, idolorum cultibus viciata, quam vanæ superstitionis stupra polluerant, quam falforum deorum adulteram fecerat multitudo: lasciuosque ac turpes in compositis motibus saltus nemorum & lucorum inculta lustrabat, dedita luxuria, pompæ gentilium mancipata. Hanc posteaquã Dominus noster Iesus Christus puro baptismatis fonte perfudit, ablutionem & criminis accepit & nominis. Post meretricem fit virgo, quia vni se destinauit sponso. Nam & Rahab illa meretrix Hierichuntis, quæ speculatores Iesu Naue excepit hospitio, & quod signo cocci signata est, qui color figuram Christi sanguinis indicabat, & quod euerfionē ciuitatis euasit, Ecclesiæ typum habuit, quæ per sanguinem Christi ruinam mundi istius secura non metuit. Sic enim ait Propheta: Accipe, inquit, tibi vxorem fornicariam, & fac filios fornicationis. Vbi que enim cultura idolorum, fornicatio nuncupata est, vt in Apocalypsi scriptum est: Et finis fornicari seruos meos, & manducare idolis immolata. Denique Hierusalem ciuitas illa quondam nobilis Hebræorum, quotiescumque à veritate deflexerat, & idolis seruiebat, statim meretricis vocabulo nominabatur, sicut clamat Esaias: Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis Sion? Inde est ergo quod ait Salomon: *Talis autem via mulieris meretricis, quæ posteaquam abluta est, dicit se nihil mali fecisse.*

Fragmentum enarrationis super eodem capite.

**A**NTE aduentum Christi saluatoris nostri prophetæ multi concepto Spiritu sancto futurum nuntiarunt, inter quos & Salomon loco suo & ordine pro temporibus numeratur: sed inter alios & ipsum est aliqua distantia. Ideoque ceteri solo spiritu loquuti sunt, Salomon autem & spiritu & adiuncta sapientia est loquutus. Denique hoc testatur

lectio, quam ex verbis eius audiuius recitatam. Nam dum quorundam mysteriorum propriam profiteretur ignorantiam, assignare distantiam videtur inter sapientiam sibi collatam & spiritum. Dicit ergo: *Tria sunt mihi impossibilia scire, & quartum quod non cognosco: Semitas nauis nauigantis, vias serpentis super petram, & vestigia aquilæ volantis, & quartum quod non cognosco, vias viri in iuuentute.* Talis via mulieris meretricis, quæ cum fecerit postquam abluta fuerit, nihil dicit se fecisse mali. Hæc verba ex communi sensu quasi de vulgo videtur collecta, sed in omnibus sunt sancta mysteria: tria in Christo, & vnum in Ecclesia. Nã quod dixit, vias nauis nauigantis se inuenire non posse, hoc non est sine mysterio verbum. Nam quis inter fluctus ostenderet vel præscriberet viam, qua nauis transferret? Nauis enim transitu suo vndas teindit, & ilico se vndæ condensant: vt videatur quia transit, & nõ sciat quæ transierit. Visum enim habere potest, vestigium facere non potest. Christus est nauis, in qua ascendunt omnium credentium animæ: quæ vt firmius inter fluctus euehatur, de ligno fabricatur, & ferro configitur. hoc autem est Christus in cruce. Sed dicit nauem sine vestigio; quia verbum Dei viuum & efficax per aurem penetrat ad viscera sine lesione, & homine assumpto verbum inter homines nascitur sine sui diminutione, & Maria virgo generat sine corruptione. Transit ergo nauis per mare, & nulla in vndis vestigia remanent; quia venit Christus de cælo, aure concipitur, vtero tempore certo portatur: & talis Maria virgo remansit postquã peperit, qualis fuit antequam verbum aure conceperit, & vtero gestauerit. Merito Salomon inter Spiritum sanctum & insulam sapientiam distatiam ponit, dum ignorare se per Spiritum sanctum mysterium indicat, quod per collatam sapientiam non ignorabat. Deinde profiteretur se non videre semitas serpentis super petram. Commune est, & omnibus hominibus patet; quia ætatis tempore cum terra soluitur in puluerem, de latibulo suo egressus serpens, in impressione corporis sui in terra corrupta potest designare semitam: sed cum ad petram peruenit, non facit in lapide quod fecit in puluere. Sic & serpens diabolus in ipsis natalibus mundi inuenit corruptibilem terram, Adam & Eua libenter audientem quæ eis loquutus est. Fecit in auribus semitam, fecit & in pedibus, quibus interdictum fuerat iter ad arborem: fecit & in manibus, quibus contrædita sunt poma: fecit in lateribus, dum ab eis non vt fuerant concessæ celebratæ sunt nuptiæ. Tunc serpens potuit in primitium hominē quali in puluerem vestigium facere, peruenit ad petram, quod est Christus (talis enim factus erat Adam de limo, qualis & Christus est ex Virginis vtero) vidit hominis similitudinem, sed cooperatam corpore cognoscere non potuit maiestatem; potuit & ipsum tentandum aggredi. Sed Christus nec obtemperauit, nec iratus est, quia ira opus est diaboli. Sed quia diaboli contempta sunt verba, serpens in petra vestigium non fecit. Tertium verò se non intellexisse testatur, nempe vestigia aquilæ volantis. Aquila intelligitur Christus, qui volatu suo descendit ad terras. Quod animalis genus non nutritur, nisi primum castitas comprobetur matris, vt apertis oculis absque

Hebr. 4.

Sap. 7.

Gen. 3.

1. Cor. 10.  
1. Cor. 15.  
1. Cor. 2.

Matth. 4.

Apoc. 12.

Ioan. 14.

Ioan. 12.  
Ephes. 4.

1. Cor. 12.  
Ephes. 2.

absque palpitatione totum aspiciat solem. Merito enim hoc animal comparatur Saluatori, quoniam cum aliquid rapere voluerit, non vestigiis ambulat terras, sed excelsum eligit locum. Sic & Christus alta cruce suspensus, tonante strepitu & terribili volatu impetum ab inferis fecit, sanctosque rapiens ad superna remeavit. Quartum quod dicit de viis viri in iuuentute, & de muliere meretrice: hæc mulier Ecclesia intelligitur, quæ dudum sequens idola, vt fornicaria ibat post deos alienos. Sed vbi cognita veritate sedes quas dudum elegerat, relinquens, cum semel fuerit baptismo à peccato lota, carens delictis dicit se numquã peccasse: fit munda, fit noua, depo-

sita conuersatione sæculi: moritur diabolo, renascitur Deo, vt scribit Apostolus ad Corinthios. Siquis ergo in Christo noua creatura est; vetera transierit, ecce facta sunt omnia noua. Denique merito dicit se nihil fecisse mali, quia per regenerationis sacramentum ita sunt eius abolita peccata, ac si facta non fuissent; nec sunt in Dei memoria, vt Ezechiel propheta testatur, dicens: Vita viuet, & non morietur: omnium delictorum eius quæcumque fecit, nõ recordabitur ei. In hoc namque in mortem se tradidit Christus, vt Apostolus ad Ephesios scribit, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam.

2. Cor. 5.

Ezech. 18.

Ephes. 5.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS, IN CAP. XXXI. PRO-  
VERBIORVM SALOMONIS ENARRATIO.

Prouerb. Cap. XXXI.

**M**ERITO sermones dicti sunt à Deo rege, respõsum quod docuit mater eius. Quid fili custodies, quid? Sermones Dei, primogenite tibi dico. Fili, quid fili mei vteri? Quid filii meorum vtorum? Ne dederis mulieribus tuas diuitias, & tuam mentem & vitam in pœnitentiam. Cum consilio omnia fac, cum consilio bibe visum. Principes iracundi sunt: vinum ne bibant, ne cum biberint, obliuiscantur sapientiæ, & rectè iudicare, ne obruant debiles. Date merum his qui sunt in mœrotibus, & vinum bibere his qui sunt in doloribus: vt obliuiscantur egestatis, & laborum non recordentur amplius. Fili aperi tuum os verbo Dei, & iudica omnes sanè. Aperi tuum os, & iudica iustè, diiudica autem pauperem & imbecillem. Mulierem fortem quis inueniet? pretiosior autem est lapidibus pretiosis quæ talis est. Confidit in ea cor viri eius: talis bonis spoliis non indigebit. Operatur enim viro bonum & non malum tota vita. Filans lanam & linum fecit vtilia manibus suis. Facta est quasi nauis mercaturam exercens, de longè congregans suas diuitias. Exurgit de noctibus, & dedit cibaria domo, & opera ancillis. Prospiciens agrum, mercata est eum: de fructibus autem manuum suarum plantauit possessionem. Accincta fortiter lumbum suum, firmavit brachia sua ad opus. Gustauit quia bonum est operari, & non extinguitur tota nocte lucerna eius. Manus suas exten-

dit ad vtilia, at digitos suos firmat ad fufum. Manus suas aperuit pauperi, fructum autem extendit mendico. Non habet curam eorum quæ sunt in domo vir eius, cum alicubi moratur. omnes enim ab ea induti sunt. Binas vestes fecit viro suo: ex bysso autem & purpura sibi indumenta. Conspicius fit in portis vir eius, quando vtiq; federit in concilio cum senioribus terræ. Sindones fecit & vendidit, cinctoria autem Chananæis. Fortitudinem & honestatem induit, & lætata est in diebus vltimis. Os suum aperit sapienter & legaliter; at gratia eius in lingua eius. Angustæ semitæ domui eius, cibos autem otiosa non comedit. Surrexerunt filij eius, & diuites facti sunt, & vir eius laudauit eam. Multæ filia acquisierunt diuitias, multæ fecerunt potentiam: excellis tu & supergressa es vniuersas. Fallaces gratiæ, & vana species non est in te: Mulier enim prudens benedicitur: timorem autem Domini ista laudet. Date ei de fructibus manuum eius, & laudetur in portis vir eius.

*Mulierem fortem Ecclesiam, eius virum Christum, filios martyres interpretatur. Enarratio in die S. S. Macchabeorum habita.*



**R**ESTABILIT nobis qui hunc diem commendauit in sanctis suis, vt infirmitas vobis nostræ sufficiat intentioni vestræ. Hoc ideo commemorauit, vt vos me oratione & silentio adiuuare dignemini. Animus enim mihi ex-

CAP. I.



Matth. 26.

Esai. 26.  
Psal. 83.

Luc. 15.

CAP. II.

Matth. 5.

Luc. 15.

Matth. 5.  
Luc. 15.

Apo. 5.  
Heb. 1.  
Gen. 49.

Luc. 24.  
Iuan. 3.

Iuan. 19.  
Gen. 49.

ga vos promptus est, caro autem infirma. Et ipse animus quæcumque gaudia de scriptura fortè concepit & parturit, in auribus & mentibus vestris cū Dei auxilio ingerere sedulo gessit. Parate in vobis nidum sermoni. Commendatur enim in scriptura rurtur quærens sibi nidum vbi ponat pullos suos. Et hoc quod manibus gestamus, scriptura scilicet quam videtis, commendat nobis inquirendam & laudandam mulierem quandam, de qua paulo antè cūm legeretur, audistis, magnam, magnum habentem virum; eum virum qui inuenit perditam, & ornauit inuentam. De hac secundum scripturam quam me portare conspiciatis tenorem, pauca pro tempore vt Dominus suggererit, dicam. Dies iste, dies est martyrum, ideo mater martyrum est specialiter laudanda. Iam quæ sit ista mulier, me proloquente accepistis, videte vt etiam me legente cognoscatis. Omnis nunc auditor, vt ex aspectu vestro foris apparet, dicit in corde suo: Hæc mulier Ecclesia debet esse; & confirmat cogitationem istam. Nam quæ alia poterit esse martyrum mater? Verum ipsa est quidè quam vos cogitatis, mulier de qua aliquid dicturi sumus, id est Ecclesia. Non de quacumque alia muliere loqui nos deceret, quamquam & in recitatione passionis martyrum audiuimus feminas, de quibus decenter loquamur. Sed nec eas prætermittimus, quando earum matrem laudamus.

Attendite cuius membra estis, inspicite cuius filij estis. *Mulierem* (inquit) *fortem quis inueniet?* Cōgruit dici martyriū fortitudo mulieris: Nisi enim ipsa fortis esset, eius pignora in passione descisisset. Inquit ergo: *Mulierem fortem quis inueniet?* Difficile est inuenire eam; immò difficile necire eam. Nōne ipsa est ciuitas supra montem posita, quæ abscondi nō potest? Quare ergo dictū est: *Quis inueniet?* cūm dici debuisset: *Quis non inueniet?* Verum tu ciuitatem supra montem positam vides; sed vt supra montem poneretur, inuenta est quæ perierat. Quando illustrata est, quis eam nō videt? Quando latebat, quis eam inuenisset? Ipsa enim ciuitas, est illa ouis vna, quam perditam pastor quæsiuit, & inuentam gaudens in humeris reportauit. Ipse pastor mons est, ouis autem in humeris eius ciuitas est supra montem. Facile est vt videas collocatā in monte. Quando eam inuenisses cūm lateret in vepribus, in spinis vtique delictorum suorum? Ibi eam quæsisse magnum est; ibi eam inuenisse mirabile est. Hæc difficilis eius inuentio commendatur, cūm dicitur: *Mulierem fortem quis inueniet?* Quis enim, quia vnus non, quia nec vnus. Nam dixit Ioannes Apostolus: Nemo dignus inuentus est neq; in celo neque in terra: sed responsum est tandè: *Vicit leo de tribu Iuda.* Sic solus inuenit eam. De hoc Prophetam antè præfixit: *Ex germine filii mei ascendisti recubens, dormiisti vt leo. Ascendisti vtique, in crucē, dormiisti vtique in morte. Ascendisti, ecce crux: dormiisti, ecce mors. Quid est enim ascendisti, nisi quod scriptum est: Et crucifixi erunt eum? Vnde & ipse ait: Sicut exaltauit Moyses serpentem in eremo, sic exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quid est recubens, nisi quod scriptū est: Et inclinato capite tradidit spiritum? Cūm ergo dixisset ibi: *Ascendisti recubens: illico sequutus est: Dormiisti**

*vt leo. Dormiisti, inquit, vt leo: nō fugisti vt vulpes. Quid est autè: Dormiisti vt leo? Quia potestatem mortuus est, non necessitate. Dixit enim: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Vbi autem dictum est: Dormiisti vt leo, subiungitur: Quis suscitabit eum? Dixit verò quis, non quia nullus, sed quia nemo hominum. Solus nisi Deus; qui eum suscitauit à mortuis, & donauit ei nomen quod est super omne nomen, suscitauit se & ipse: vnde ait: Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud. Modò cūm auditis: *Mulierem fortem quis inueniet?* nolite putare de Ecclesia dici, quæ latebat illam enim solus inuenit Deus sicut dixit Apostolus: Cognouit Dominus qui sunt sui) sed de Ecclesia quæ iam inuenta est, vt neminem lateat. Hæc ergo describatur, laudetur, commendetur. Est enim vnus vxor, vt scribit Apostolus ad Ephesios, dicens: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Est quoque mater, sicut dictum est: Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra; & multorum filiorum: quia multi filij desertæ. *Mulierem ergo fortem iam inuentam, iam conspicuam, iam supra montem positam, æqualem isti quis inueniet?* quasi dicat, Nullus. Ideo subiungit: *Pretiosior est autem lapidibus pretiosis quæ talis est.* Pretiosior est hæc mulier lapidibus pretiosis, ideo ab omnibus amanda. Nam si ad humanam respiciatis cupiditatem, & iuxta proprietatem accipiantur lapides pretiosi, verè mulier hæc amanda est. Sed quid magnum, quod lapidibus pretiosis pretiosior est Ecclesia, cūm lapides pretiosi in illa sint? Dicit enim Ioannes: *Structura eius ex lapide iaspide, ipsa verò aurum mundum: & fundamenta omnia lapide pretioso ornata.* Immò lapides hos Petrus Apostolus appellat viuos, dicens: *Et ipsi tamquam lapides viui superædificamini. Verum pro modulo, & prout capere potestis, de his lapidibus pretiosis volo aliquid charitati vestræ commendare. Sunt in Ecclesia lapides pretiosi, & semper fuerunt; docti, abundantes scientia & institutione legis. Pretiosi planè lapides isti sunt. Sed ex eorum numero aberrauerunt quidam, & ab ornamento mulieris istius deciderunt. Quantum enim pertinet ad doctrinam, vnde hæc mulier fulget, lapis pretiosus erat Cyprianus, & mansit in huius ornamento: lapis pretiosus erat Donatus, sed resiliuit à compage ornamenti. Ille qui mansit, in ea se amari voluit: ille qui inde excussus est, extra illam nomen sibi quæsiuit. Ille permanens cum illa, ad illam collegit: ille resiliens, non colligere, sed dispergere concupiuit. Mali filij, quid sequimini lapidem pretiosum de ornamento huius mulieris excussum? Respondetis fortè: *Quid enim? Tu sic intelligis, quomodo ille? Tu sic loqueris, quomodo ille? Aut tu doctior es illo? Sed sit licet intelligens, sit licet doctus, sit licet lapis pretiosus; si non sit in ornamento huius mulieris, fordescit, iacet in tenebris; oportet permanere in vestimento huius mulieris, quæ pretiosior est lapidibus pretiosis. Redeat ergo ad compagem ornamenti eius, ego fidenter dico. Isti lapides dicuntur pretiosi, quia charitate valent. Iam vilis est, iam pretium perdidit qui non habet charitatem. Iacet quis doctrinam suam, iacet linguam: si audit***

1. Iuan. 10.

Gen. 49.  
Zech. 4.

Philipp. 2.  
Iuan. 2.

2. Tim. 1.

Ephes. 5.  
Galat. 4.  
Ibid.

Apo. 21.

1. Petr. 2.

Luc. 11.

1. Cor. 13.

CAP. III.  
Ibid. 79.

Num. 23.

Rom. 7.

Psal. 118.  
Ibid. 21.

1. Cor. 5.

1. Petr. 3.  
Galat. 1.  
Philipp. 2.

Esai. 54.

audit æstimatorem verorum lapidum, si artificem huius ornamentum, non pretiosus, sed vilis reputabitur lapis. Audi dicentem Apostolum: Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut ærumentum resonans aut cymbalum tinniens. Vbi iam lapis ille? Non lapis, sed cymbalum: non fulget, sed tinnit. Ergo negotiatores regni celorum discite æstimare lapides pretiosos. Nullus lapis placeat vobis extra huius mulieris ornamentum.

Sequitur: *Confidit in ea cor viri eius.* Planè confidit, & vt confidamus & nos, docuit. Commendauit enim Ecclesiam vsque ad terminos orbis terrarum, per omnes gentes, & à mari vsque ad mare. Hæc si non vsque ad finem perseveraret, in ea cor viri eius non vtique confideret. Cōfidit verò vt præcius futuri, & qui falli non potest. Non dictum est: *Confidit in ea cor filiorum* (possunt enim filij paruuli falli) sed *cor viri* cuius cor nullum mendacium recipit. Est enim Deus verax, vt inquit Apostolus, seduci non potest. Perseuerabit ergo Ecclesia sine fine. *Tabulis bonis spoliis non indigebit.* Mulier hæc spoliis non indiget, non quia nō quærat, sed quia abundat multis. Vndique midū spoliat, rapit vndique trophæa diabolo. Ideo dicit viro suo, sicut scriptū est in Psalmo: *Exultego in verbis tuis, sicut qui inuenit spolia multa.* Quæmadmodū spoliis indigebit, quæ vndique rapit, vndique trahit, vndique acquirit, vndique operatur bona? Ideo sequitur: *Operatur enim viro bonum & non malum tota vita.* Hinc mulier ista quia expoliat mundum, rapit gentes tota vita, operatur bonum: verum non sibi, sed viro: vt quæ iam non sibi viuat, sed qui pro omnibus mortuus est & resurrexit. Viro ergo operatur bonum, illi seruit, illi deuota est, illum diligit, illi placere semper studet. Nō se ornat, nec propter suos, nec propter alienos oculos: nō quærit hominibus placere, non quærit quæ sua sunt: operatur omnia viro suo. *Filans lanam & linum fecit vtilia manibus suis.* Lanificam & linificam matronam hanc sanctus sermo describit. Quæritur modò à nobis quid sit lana, quid sit linum. Lanam carnale quid puto, linum spiritale. Hoc audeo conicere ex ordine vestimentorum nostrorum. Nam vestimentorum nostrorum interiora sunt linea, exteriora lanæ. Quidquid carne operamur, in propatulo est: quidquid spiritu, in secreto. Operari carne, & nō operari spiritu, quauis bonum videatur, vtile nō est: operari verò spiritu, & non operari carne, pigrorum est. Inuenis hominem porrigentem manu elemosinam pauperi, de Deo tamè ibi nec cogitantem, sed hominibus placere cupientem: lanæ vestis est quæ videri potest, interiorē lineam non habet. Inuenis alium dicentem tibi: Sufficit mihi in conscientia mea Deum colere, Deo seruire: quid mihi opus est in Ecclesia ire, aut visibiliter misceri Christianis? lineam hic vult habere sine lanæ tunica. Nō nouit, nō commendat talia opera mulier ista. Docenda quidem sunt hæc spiritualia; sed doceri sine carnalibus non possunt. Illi tamen qui recipiunt, debent tenere spiritualia; & carnalia spiritaliter operari. Filauit hæc mulier lanam & linum, & fecit vtilia manibus suis. Multi filant lanam & linum, sed pauci faciunt vtilia manibus suis. Mulier hæc filauit, & fecit. Ideo ei alibi dicitur: *Protecte funiculos tuos, & clauos con-*

forta, adhuc in dextris & sinistris dilata: & sementuum gentes possidebit. Nunc verò subiungitur: *Fausta est quasi nauis mercaturam exercens, de longè conueniens suis diuitias.* Diuitiæ huius mulieris, laudes sunt viri eius. Videte quàm de longè congerat sibi diuitias. Dicit enim scriptura: *A solis ortu vsque ad occasum, laudabile nomen Domini.* *Exurgit de noctibus, dedit cibaria domo, & opera ancillis.* Exurgit de noctibus: quid valent noctes in eam? Non eam premit, non eam in tenebris iacere cogunt: ipsa vincit noctes, de noctibus ipsa confurgit. Noctes tribulationes sunt. Hæc ergo de noctibus exurgit, quia in tribulationibus proficit. *Dedit cibaria domo.* Quis comedit de nocte? prorsus hæc in nocte dedit cibaria. nec immeritò. Nā illi quibus dedit escas, semper esuriunt. Beati enim qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabuntur, & in nocte esuriunt, vt scriptum est: *De nocte confurgit spiritus meus ad te Deus.* &: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Hæc alim: etiam nocturna abundant in domo mulieris huius: nemo ipsi famem patitur, nec palpat vt inueniat quod manderet. Sed nūquid manducandū, & vacandū? non vtique. Nam illa quæ dedit escas domo, dedit & ancillis opera. Sed istæ ancillæ sunt ipsius, an viri eius? An quia ancillæ viri, & ipsius sunt? an quia multæ ancillæ, & ipsa est? Ipsa enim quamquam mater familias, tamen ancillam se appellare non dedignatur. Sed attēdat ista pretium suum, diligit Dominum suum, agnoscat se ancillam, nec erubescat conditione: quia nec vir dedignatur eam sibi vxorē assumere, quam tanti emit. Christus dilexit Ecclesiam, inquit Apostolus, & se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret. Bona coniux virum suum dominum vocat: sicut Sara obediebat Abraham, dicebat Petrus Apostolus, dominum eum vocans: bona, inquam, coniux non solum vocat virum suum dominum, sed hoc sapit, hoc sonat, hoc gestat corde, hoc proficit ore: tabulas matrimoniales instrumenta emptionis suæ deputat. Est ergo ancilla dans opera ancillis; & eius est mater filij qui dicit: *Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.*

Quæres fortè quid agat illis operibus etiam nocturnis. Respondit: *Prospiciens agrum, mercata est eum.* Prospiciens non in præsentia, sed in futuro, & prospiciens fide, spe, & charitate. Et inde est quod de noctibus exurgit. Quod enim non videmus, speramus, & per patientiam expectamus. Et multis tribulationibus mercatur agrum, quem prospicit. Hinc enim mulier fortis dicitur. Sed quid sunt noctes illæ pro agro illo? Respondit Apostolus: *Leue & momentaneum tribulationis nostræ in sublime æternæ gloriæ pondus operatur in nobis non prospicientibus quæ videntur, sed quæ non videntur.* Verum qualis est ager ille? quæ pulchritudo eius? Non est ille, de quo Adæ dictū est: *Comedes herbam agri in tristitia cūctis diebus vite tuæ.* Sed est ager benedictionis, quem sentiens Isaac patriarcha dixit: *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Eius pulchritudo est, de qua dixit per Prophetam Dominus: *Et species agri meum est.* Hic ager non coactum, sed spontaneum requirit mercatorem. Ideo commendatur ille qui vendit omnia sua, & emit agrum illū. Requirit cor, dicente Apostolo:

Psal. 115.

Matth. 5.  
Esai. 26.  
Psal. 118.  
1. Cor. 8.

Ephes. 5.

1. Petr. 3.

Psal. 115.

CAP. IIIII

Rom. 8.

2. Cor. 4.

Genes. 3.

Genes. 27.

Psal. 49.

Matth. 13.

2. Cor. 9.  
Matth. 6.

Vnusquisque prout destinavit in corde suo : & quia vbi est thesaurus tuus , ibi est & cor tuum. Requirit non segnem , sed industrium mercatorem. Idgo sequitur de muliere: *De fructibus manuum suarum plantavit possessionem.* Ideo opera dabat ancillis, vt de suarum fructibus manuum plantaret possessionem in aeternum. Illam ergo dixit possessionem quae futura est: non terrena, sed caelestis, de qua scriptum est: Et tribul Leni non dedit Moytes possessionem: Dominus enim Deus Israel ipse est possessio illorum. Hoc insinuavit dum dixit, *Prospiciens.* Nam a longè aspicebat, significans se futuram inquirere. Subiungit: *Accincti fortiter lumbos suos, firmavit brachia sua ad opus.* Vide si est ancilla: quam deuotè seruit, quam accuratè, ne qua parte influant cõcupiscentiarum sinus, & operantem impediunt. Accingit lumbos, vt nihil superfluum calcet, dum festinat in opus, & vt castitatem custodiat. Castitas enim huius mulieris, zona præcepti constricta, ad omne bonum opus semper est parata. Hoc docet Christus Dominus in Euangelio, dum dicit: Sint lumbi vestri præcincti. *Firmavit vero brachia sua ad opus,* quasi non defectura: quia qui aspicit retro, iam non est habilis regno Dei. Sed hoc quorsum? *Gustauit* (inquit) *quia bonum est operari.* Sed vbi est palatum quo gustatur hoc? Fugiant homines laborè, & quasi amarum timent gustare. Et quid facit laborem amare? conscientia bona. Conscientia bona dulce opus facit: nam cõscientia mala pungit, & omnia reddit amara. Gusta ergo opus Dei, & videbis quantum sapiat, & te ita delectabit, vt non desines, sed totum consumes. Gustate, inquit, Propheta, quia suavis est Dominus. Gustauit ergo mulier quia bonum est operari.

Deut. 10.

Hebr. 11.

Luc. 12.  
Luc. 9.

Psal. 33.

CAP. V.  
Matth. 5.  
Psal. 17.

1. Cor. 9.

Rom. 8.

Ibid.

Luc. 12.

Psal. 71.

Esai. 54.

*Non extinguitur tota nocte lucerna eius.* De lucerna dicitur: Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, & alibi: Tu illuminabis lucernam meam Domine: Lucerna eius, spes eius: ob illam operatur omnis homo. Sic testatur Apostolus: Quoniam qui in spe arat & triturat, debet spei suae fructum percipere. Quidquid boni facit homo, ob spem facit. Spe enim salui facti sumus, scribit Apostolus. Et bene lucerna ista ardet in nocte. Quod enim speramus non videmus, ideo nox est. Si autem non videmus, nec speramus; nox est, & lucerna non ardet. Quid tenebris huiusmodi infelicius? Vt autem in tenebris non deficiamus, sed per patientiam expectemus: quod non videmus, speremus. Tota ergo nocte ardeat lucerna nostra. Et quia qui nobis quotidie loquitur verbum, oleum infundit, ne lucerna extinguatur: ideo quotidie audiamus verbum, suscipiamus oleum, sustentemus lucernas ardentis, vt docet Dominus: Et lucernae ardentis in manibus vestris. Sic enim mulieris fortis huius exemplum imitabimur, quae manus suas extendit ad vtilia. Quantum has manus extendit? A mari vsque ad mare, dicit scriptura, & a fluminibus vsque ad terminos orbis terrarum. Ecce quò perueniunt. Vnde non frustra alibi etiam dictum est: Adhuc in dextris & sinistris dilata. *Extendit ergo manus suas ad vtilia, & digitos suos firmat ad fufum.* vocat non quo infundit, sed quo filat: est enim lanificij instrumentum. De hoc fuso aliquid dicam: neque lanificia sunt à viris aliena. Fusum ergo non frustra dixit, quamuis per ipsum non

absurdè lanificium intelligi videatur. De lanificio enim bonum opus tamquam castae mulieris, & matronae impigrae & diligentis procedit. Tamen quid ego per fufum intelligam non tacebo. Qui per opera bona in sancta viuunt Ecclesia, non neglector, sed effector est præceptorum Dei. Quid cras facturus fit non aestimat, quid fecerit hodie, propendit. De futuro opere timet, de præterito gaudet, & vt perseueret in bono vigilat: ne forte futurorum diligens, præteritum amittat. Itaque in omni operatione & deprecatione sua non habet firmam conscientiam de opere futuro, sed de præterito. confidens in eo quod fecit, non in eo quod facturus est. Iam ergo si mecum hoc verum esse consentitis, attendite præterea in lanificio duo instrumenta, colum & fufum, in colo lana inuoluta est, vt filo trahenda & nenda transeat in fufum. Quod in colo est inuolutum, est futurum; quod in fuso collectum, iam præteritum est. Opus ergo tuum in fuso, non in colo est. In colo est quod facturus es; in fuso quod fecisti. Vide ergo si aliquid habes in fuso, ibi firmetur digiti tui. Ibi sit fortis conscientia tua, ibi securus eris. Deo enim dices: Da, quia dedi: dimitte, quia dimisi: fac, quia feci. Nec enim respicis pretium, nisi operis gestu, non gerendi. In omni ergo opere tuo totus animus ad fufum sit: quia quod pendet in colo, ad fufum traiciendum est: non autem illud quod in fuso collectum est, ad colum est reuocandum. Itaque vt rectè agas, vide quid habeas in fuso, vt firmes in fuso digitos tuos, vt totum coletur ad fufum, vt habeat aliquid fufus quod te consoletur, quod te confirmet, quod tibi det fiduciam deprecandi & sperandi promissa. Sed forte dicis: Quid agam? quid me iubes habere in fuso? Audi ergo, nec nos pudeat lanificij sanctum docere vos. Videte, si quis habet plenum sacellum, plenum horreum, plenum apothecam: omnia ista in colo sunt; transeat in fufum. Videte quemadmodum neat: immò videte quemadmodum neet. Dū populi instruuntur, grammatici non timeantur.

Sequitur enim: *Manus suas aperuit pauperi, fructum autem extendit mendico.* Manus pauperi, fructum mendico. Est quidem pauper, manus tuas querit: est etiam mendicus, fructum tuum querit. Quid te non vult nisi quod necessitati suae prosit, pauper est; manus tuas querit. Est verò mendicus, de quo scriptum est: Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes. hic non quasi necessitati suae vult satisfieri de dato tuo, sed tamquam in arbore Dominica, quam plantauit & rigauit, fructum querit. Apostolum audi de talibus dicentem: Non quia quero datum, sed requiro fructum. *Non habet curam eorum quae sunt in domo vir eius, cum alicubi moratur.* Quomodo curam non habet eorum quae sunt in domo vir iste, cum scriptum sit: Nouit Dominus qui sunt eius, & alibi: Quos praedestinavit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iustificauit: quos iustificauit, illos & clarificauit. & deinde: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Si vir iste nouit, praedestinavit, vocat, iustificat, & clarificat, si etiam protegit, quomodo curam non habet? Sed hic cura pro metu, animique anxietate accipitur, non pro diligentia & studio. Habet enim hic vir eorum quae sunt in Ecclesia diligentiam: Nam capilli

Luc. 11.  
Luc. 12.  
Iuan. 10.  
Iuan. 18.

Psal. 36.  
Psal. 18.  
Esai. 66.

Apo. 6.

Luc. 12.  
Ibid.

Matth. 13.  
Matth. 25.

Gal. 3.

1. Cor. 5.

CAP. VII.

*Binas vestes fecit viro suo.* Operatur ergo viro suo duplices vestes. Iam acclamatis. agnoscitis enim quae sint binæ vestes, quas Ecclesia facit viro suo: vestes nempe fidei, confessionis, praedicationis. Dicuntur verò binæ, quia Christum Deum & hominem confitentur. Dupliciter ergo & tu lauda, simpliciter lauda: dupliciter, vt Christum Deum & hominem confitearis: simpliciter, vt non sis fictus. Quaedam mulier apud Photinum ab huius ornamento mulieris pretiosum lapidem excussum, iam vilem & abiectum (vnde haeretici Photiniani nuncupantur) elegit simplicem vestem facere viro suo. Ille ergo simplicem vestem accepit à coniuge sua: deo Christum solum hominem dixit. Rursum extitit nescio quaedam alia detestanda mulier, quasi texens viro suo simplicem vestem: texens autem pannos fabellas. Dicit enim: Christus est Deus tantum, omnino hominis nihil habens. Hoc Manichaei profiterentur. Photiniani hominem tantum asserunt, Manichaei Deum tantum. Illi nihil diuini in Christo confitentur, isti totum diuinum: & tam diuinum, vt ni-

hil humani fateantur in Christo. Verum si non erat homo, ergo mortuus non est, crucifixus non est; ergo nec resurrexit. Qui resurgere potuit ille, qui mortuus non est? Ergo & dubitanti discipulo fallas cicatrices ostendit. Proculdubio enim fallae cicatrices illae fuerunt, si vera vulnera non præcesserunt. Si autem vera præcesserunt vulnera, vera erat caro: si vera caro, vera mors, vera crux, verus homo: & totum veritas quidquid de telâ huius mulieris procedit. Qui duplicem hanc non agnouerunt vestem, dupliciligati mendacio remasere. Sicut ergo binas vestes fecit hæc mulier viro suo, sic confiteamur Christum Deum, cõfiteamur hominem: laudemus Deum in homine, confiteamur hominem in Deo. Texuit hæc mulier pretiosissimam illam vestem laudis: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum: hoc erat in principio apud Deum. Texuit & aliam vestem propter conuersationem inter homines quotidianam: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Has igitur binas vestes fecit viro suo.

Sibi quoque fuit vtilis, ideo subnequit scriptura: *Caput Ex bysso autem & purpura sibi indumenta.* Vestimenta VIII. itaque fecit & sibi. Non enim decebat tot filiorum matronam, tanti viri coniugem, vel nudam, vel pannosam incedere. Fecit de bysso & purpura indumenta sibi. De bysso, propter candidam confessionem: de purpura, propter gloriosam passionem. Huius byssum, cum oramus, agnoscimus: huius purpuram in martyribus collaudamus. *Cõspicuius fit in portis vir eius* Ille qui alicubi moratur, ille qui ob talè coniugè de domo sua sollicitus non est, ille quem alicubi morantem nunc nemo videt, conspicuius fiet in portis. Attende quando. audi quod sequitur: *Quando utriusque sederit in consilio cum senioribus terrae.* Nihil euidentius lege aliam prophetiam: Veniet ad iudicium cum senioribus populi, & principibus suis. In illo consilio, hoc est in vniuersali iudicio, iudicantibus secum sanctis, quibus dictum est: Sedebitis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel; conspicuius erit. Veniet enim, sicut dixit, filius hominis in maiestate sua. & omnes angeli eius cum eo. Ibi omnes angeli & archangeli caelorum, & omnes angeli annuntiatores verbi Dei, etenim & propheta dictus est angelus: angelus autem nuntius est, sicut scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum; qui praeparabit viam ante faciem meam. Quod de Ioanne dictum esse Euangelij testatur scriptura; dicens: Hic est; de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum, &c. Et Paulus Apostolus scribit: Sicut angelum Dei excepistis me. Ille ergo; ille qui alicubi moratur, de quo multi dicunt: Quando venturus est, aut qualis venturus est? conspicuius erit in portis; hoc est, in aperto & in manifesto. In portis conspicuius erit: sed alios admittet, contra alios claudet. Erit conspicuius vir eius, cum sederit in concilio cum senioribus terrae. Quod donec fiat, interim operetur quis, non cesset, expectet illum futurum conspicuum in portis, non contremisecat sanctum concilium iudicij Dei, cum bona conscientia veniat, lætanter veniat: quia ipsius membra sunt, ipsius filij sunt, qui sunt cum eius viro indicaturi.

1. Cor. 15.

Ioan. 20.

Ioan. 1.

Ibid.

CAP. VIII.

Esai. 3.

Matth. 19.  
Matth. 25.

Matth. 3.

Luc. 7.  
Galat. 4.

CAP. IX. Philip. 4.

*Sindones fecit & vendidit.* Bene vendidit sindones, quia fecit. Sed quare vendidit, nisi quia non querit datum, sed requirit fructum? Venditionem istam fratres, primo intelligite gratuitam. Ergo aliquis, inquit, emit gratis? Nam si gratis tollit, non emit: si emit, pretium dedit, non gratis tollit. Sed ubi est: Qui sitis, ite ad aquam: & quotquot non habetis argentum, euntes emite, & emite absque argento & pretio? Quando emis, non argentum das, & tamen emis. Si emis, aliquid da: non tamen argentum da; te ipsum da. Sindones autem referte ad illa linea spiritalia, quae facit & praedicat ista mulier per omnes terras. Et forte vendere dicenda est, quia dixit Apostolus: Si nos vobis spiritalia feminauimus, magnus est si vestra carnalia metamus? Etenim illa ratio est dati & accepti: quandoquidem in omni venditione ratio dati & accepti veratur. Contristatur vero Apostolus aduersus fora quaedam, ubi non venditur sindones: Nulla, inquit, mihi ecclesia comunicauit in ratione dati & accepti. Ille qui sindones vendit, non querit datum, sed requirit fructum: ne quasi venditorem Euangelij putetis. Est quidem ille mercator Domini sui: sed magis pretium querit, nam quidquid prorsus vendit, dat spiritalia: & quid querit? forte carnalia? non utique: nam debentur quidem & ista, sed non ista querebat Apostolus, dum dixit: Non enim quero vestra, sed vos ipsos quero. Date ergo pretium, date vos ipsos. Neque enim & Ioseph in Aegypto frumenta non vendebat, & tamen pretium non recipiebat, sed ipsos ementes seruos regios faciebat. Volentes viuere in illa fame, frumenta accipiebant, & regis fiebant serui: timemus nos fieri serui? Vae nobis si non fuerimus illius serui. Quid nobis prodest reculare talem dominum? Si eum reculumus, sub diabolo erimus, & famem patiemur, ut scriptum est: Et famem patientur ut canes. & tamen potestatem veri Domini non effugiemus: Quoniam si sumptero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illinc manus tua deducet me. Te ipsum ergo da, eme tibi sindonem, id est, spirituale amictorium; sicut etiam cuiusdam panis pretium, ipse te das. Quid enim? cum das te voluptati, non efficeris vnus panis pretium? nonne pro concupiscentia carnis, tamquam emas meretricem, te ipsum das pretium? Pretium enim scorti quatum & vnus panis: Quanto melius est ut Deo te des, panem viuum tibi emas, qui de caelo descendit, eodem ipso pretio quo te das meretrici? *Cinctoria autem Chananais.* Fecit cinctoria Chananais, ut & ipsi se cingant: operentur, veniant, sint serui de domo ista, ut omnes vestiti, omnes pasti sint. Cinctoria eis fecit, utique: ad opus: nam & ipsa opus faciens, accinxit fortiter lumbos suos. Qui sunt Chananais? gentes alienigenae, vicinae tamen populo Israel. Sic enim scriptum est: Et habitabat Chananais in Ephraim vsque in diem hanc. Ij nos sumus, qui aliquando eramus longae, facti sumus propere in sanguine Christi: & qui eramus peregrini testamtorum, & promissionis spe non habentes, & sine Deo in hoc mundo, nunc ciues sanctorum, & domestici Dei effecti. Acceptis itaque cinctoriis operamini in Domini domo, iam facti domestici ex Chananais: vnde erat illa mulier modo in Euangelio recitata. Chananais erat, ad mensam

Esaie 55.

1. Cor. 9.

Philip. 4.

1. Cor. 9.

2. Cor. 12.

Genes. 42.

Psal. 58.

Psal. 138.

Prover. 6.

Ioan. 6.

iosu. 16.

Ephes. 2.

Matth. 15.

filiorum accedere non audebat, sed tamquam canis micas requirebat. Vide quemadmodum praecinxerit se ad opus. Praecinctorium eius fides. Hoc Dominus laudat: O mulier, magna est fides tua. Sequitur: *Fortitudinem & honestatem induit.* Honestatem tamquam byssum, fortitudinem tamquam purpuram. Quia fortis latatur in passione: quia honesta, speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. *Et latata est in diebus ultimis.* In diebus ultimis latatur, quia in mundo hoc iugiter tribulatur. Quare pulchre scriptum est: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Et Dominus ad discipulos: In mundo pressuram habebitis. & Tristitia vestra conuertetur in gaudium. Sine tribulatione vnde haberet purpureum indumentum? Hinc sciscitanti Prophetas: Quare rubra sunt vestimenta tua, & indumenta tua sicut calcari torcularis? respondet: Torcular calcaui solus, & c. Mox subiungit: *Os suum aperit sapienter & legaliter.* Praeflet nobis Dominus in illius mulieris domo constitutus, illam laudantibus, illi coherentibus, cum illa & in illa virum eius expectantibus, & vt nos sapienter os nostrum aperiamus. Non temere, sed caute, sed legaliter, cum timore & tremore multo tibi apud vos, Apostolus dixit: ac si diceret, vt subiunxit: Os meum non temere aperui, sed praedicatione mea fuit in ostensione spiritus & virtutis. Et alibi: Os nostrum patet ad vos o Corinthij: quia sapienter aperuit. Quocirca fidelium se orationibus alibi commendans, dicit: Vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere, & c. *At gratia eius in lingua eius.* Gratia in eius lingua, quia nihil perturbatum, nihil inordinatum docuit. Non accipiens in vanum nomen Domini Dei sui: non sentiens creaturam de creatoris existere substantiam: non praeponeus potioribus inferiora, nec inferioribus potiora submittens, sed omnia iuste disponens, laudans Deum vt creatorem, angelos vero & homines vt creaturam. Nihil pulchrius ordine. Vnde & ipsa dicit: Ordinate me in dilectionem. Nolite praeposterere agere, nolite perturbare & confundere quae Deus ordinauit. Ordinate me in dilectionem: amate me tamquam me, amate Deum tamquam Deum, ne Deum offendatis propter me: nec me offendatis propter alium quempiam. Beata filia eius in hoc ordine constituta; cuius inter caeteras celebramus hodie passionem. Paulo ante audiui-mus confessione ordinans linguam suam: Honorem, inquit, Caesari tamquam Caesari reddite, timorem autem Deo. Os ergo suum aperuit sapienter, & gratia in lingua eius. *Angusta semita domui eius.* Angusta, quia non est ubi desuuant, non amant dissolutionem. *Cibus autem otiosus non comedit.* Est ergo mulier haec laboriosa, vigilans, sollicita, surgens de noctibus, anxia ne lucerna extinguatur, in tribulatione fortis, promissis nondum acceptis patiens, digitos suos ad sulcum firmans, panem pigra non manducans. Sed post labores istos quasi paupertatis & necessitatis saecularis, quid erit ei? quia in diebus ultimis latata est. Quid erit, audire vultis? Audite propter quam spem at-deat tota nocte lucerna sua. Audite: *Surrexerunt filij eius, & diuites facti sunt.* Modò cum dormimus, in

libid.

CAP. X.

Esaie 52.

Matth. 5.

Ioan. 16.

ibid.

Esaie 63.

1. Cor. 2.

ibid.

2. Cor. 6.

Ephes. 6.

Ezod. 20.

Sapient. 12.

Cant. 1.

Matth. 25.

Rom. 13.

CAP. XI.

M

libid.

CAP. X.

Esaie 52.

Matth. 5.

Ioan. 16.

ibid.

Esaie 63.

1. Cor. 2.

ibid.

2. Cor. 6.

Ephes. 6.

Ezod. 20.

Sapient. 12.

Cant. 1.

Matth. 25.

Rom. 13.

CAP. XI.

M

1. Cor. 15.

Matth. 6.

Apoc. 3.

CAP. XII.

1. Iuan. 2.

Cant. 2.

Matth. 24.

Matth. 7.

Luc. 13.

paupertate surgimus, & cum vigilamus, in paupertate degimus: tunc autem surgemus diuites effecti, & sine paupertatis timore perpetuo viuemus. Dicebat Apostolus: Seminatur in ignobilitate, surgit in gloria, tunc ditabuntur filij eius, ideo dicit: *Surrexerunt filij eius, & diuites facti sunt.* Compara nunc qualibet diuitias terrae huius, furibus & tenebris obnoxias fore inuenies. Quid igitur te iactas? Pauper es, multa sunt tibi necessaria: opus est vt vestiaris, quia frigus ferre non potes: infirmus es, opus est vt iumentis veharis, quia pedibus ambulare non vales. Ista fulcimenta sunt infirmitatis, non ornamenta potestatis. Tibi dicitur: Nescis quod tu es miser & miserabilis, pauper, caecus, & nudus? Quae diuitiae sunt angelorum? Vnam vestem habent lucis, quae numquam teritur, numquam sordidatur. Illae sunt verae diuitiae, ubi nulla erit inopia, nulla indigentia. Quid modò quaeris hoc antequam lurgas? Si filius es mulieris huius, attende quando tibi diuitiae promittantur. *Surrexerunt filij eius, & diuites facti sunt.* Para ergo te diuitias resurrectionis accipere. Noli terrenas amare diuitias, vt merearis ad eas peruenire. *Et vir eius laudauit eam.* Nos eam laudamus, sed modò, quia praesentia nos delectant: ipse vir laudat eam, sed quando surrexerunt filij eius ditati. Tunc attendit eam, tunc inspexit, tunc laudauit. Quis nolit audire quomodo laudauerit? Si tam iucunde auditis cum laudatur a nobis, quomodo non audietis cum laudatur a viro? Sed laudat eam in resurrectione. Cum ergo resurgemus, tunc audiemus. At & modò non tacuit laudem ipsius. Hec est laus, qua eam modò profequitur. Audiamus ergo: *Multa filiae acquisierunt diuitias, multae fecerunt potentias.* Quae filiae huic comparandae sunt? nulla profecto. Attendite, iam in fine sumus lectionis. Vereor ne vos fatigatos habeam, ubi maxime intentos exigo. Subiungit: *Excellis tu & supergressa es vniuersas.* Quasi dicat, Tu omnibus praestas, tu superasti cunctas. Filiae quae diuitias acquirere, quae potentiam fecere, sunt haereses. Haereses quare filiae? quia & illae ex hac muliere natae sunt, dicebat Ioannes Apostolus: Exierunt ex nobis. Sunt ergo filiae, sed filiae male: filiae non integritate morum, sed similitudine sacramentorum. Habent enim & ipsae sacramenta nostra, habent scripturas nostras, habent Amen, Alleluia nostrum habent. Pleraque symbolum nostrum habent: multae baptismum nostrum habent: ideo & filiae. Quocirca de hac muliere dictum est in Canticis canticorum: Sicut lilius in medio spinarum, sic amica mea in medio filiarum. Mirum dictum, eandem dixit spinas & filias: sed & illae spinae faciunt potentiam. Plane non videtis quemadmodum ipsae haereses orent, ieiunent, dent eleemosynas, laudent Christum? Possunt dicere ibi esse pseudopphetas, de quibus dictum est: Dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce praedixi vobis. Faciunt & spinarum potentiam, de qua potentia dicitur: Nonne in nomine tuo prophetauimus, in nomine tuo demonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & alibi: Manducauimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Manducauimus & bibimus, inquit, sed non de quocumque cibo aut potu, sed

de fraudulento & pernicioso: & virtutes multas fecimus. Faciunt ergo & male filiae potentiam, non negamus. Nam & spinarum florem habent, sed fructum non habent. Haec nihilominus mulier supergressa est vniuersas, quia non florem solum, sed & fructum habet. Denique quem fructum habet? Vnde vniuersas supergressa est? dicatur mihi. Et adhuc, inquit, magis excellentiorem viam vobis demonstrabo. Quare magis excellentior est viam? quia inde ista excellit, inde supergressa est vniuersas. Si linguis, inquit, hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aramentum resonans, aut cymbalum tinniens. Loquitur linguis, ad potentiam illam flores pertinent. Esti sciam omnia mysteria, & omnem scientiam, & habeam omnem prophetiam, & omnem fidem, ita vt montes transferam (quanta potentia?) charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Audi adhuc alias potentias ad florem non ad fructum pertinentes: Et si erogauero omnem substantiam meam pauperibus, & si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Sola haec mulier hanc magis excellentiorem viam habet. Vnde illi dictum est: *Muliere filiae & c.* quia multae fecerunt potentias, multae loquuntur sunt linguis, scierunt mysteria, demonia exarserunt, res suas pauperibus distribuerunt, corpora sua ignibus cremanda tradiderunt: tamen quia charitatem non habuerunt, inflatae sunt, & laude & premio defraudatae remanserunt. Haec vero mulier & flore & fructu abundat, quia charitate plena est, quam spiritus fructum testatur. Apostolus ad Galatas. Ipsa est botrus vineae dilectae: ab ea enim procedunt caeterarum perfectiones virtutum, quas Apostolus ad Galatas enumerat, dicens: Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, & c. Verum quia in his filiis quae & potentias fecerunt, defuit charitas, ideo illis dicitur: *Fallaces gratiae, & vanae species.* Quia sine charitate sunt sicut aramentum resonans, & sicut cymbalum tinniens: nihil sunt, nihil virtutes profunt. Igitur fallaces gratiae. Ista vero quia quaesuit quid intelligeret, quia intellectum custodiuit, merito sapiens, merito commendatur. Quare sequitur: *Mulier enim prudens benedicitur; timorem autem Domini ista laudet.* Ista vnde benedicitur? quia prudens est. Quo autem ad prudentiam ac sapientiam perducta est? Timore utique Domini: quia initium sapientiae timor Domini, dicit Prophetas. Tandem in tot operibus laboriosa, inter tot discrimina fortis, tot noctibus vigilans, provida ad expectandum, patiens ad tolerandum, constans ad perseverandum, consummatis laboribus quid erit illi? *Date ei de fructibus manuum eius.* Quid date? quod scriptum est: Percipite paratum vobis regnum. Quare paratum? propter fructus utique manuum eius. Qui fructus? Esuriui enim, & dedisti mihi manducare. Quid vltra? *Et laudetur in portis vir eius.* Portus nostrorum laborum est videre Deum, laudare Deum. Hoc docet Ioannes in Apocalypsi, dum beati in regno caelorum se mutuo inuitantes dicunt: Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam Deo. Non ibi dicitur: Labora, vesti seruos, vesti te ipsam, orna te purpura, da escas ancillis, attende ne extinguatur lucerna, sollicita esto, surge de noctibus,

Matth. 7.

1. Cor. 12.

1. Cor. 13.

ibid.

ibid.

Galat. 5.

Cant. 1.

Galat. 5.

CAP. XII.

1. Cor. 13.

Psal. 110.

Matth. 25.

ibid.

Apoc. 19.



aperi manum pauperi, traice de colo in fufum: non erūt opera neceffitatis, vbi nulla indigētia, non erūt opera mifericordiae, vbi nulla miferia. Non enim frangis pauperi panem, vbi nemo mendicat: non fufcipis peregrinum, vbi quilibet in patria quiefcit: non vifitas aegrotum, vbi omnes perpetua potiuntur fanitate: non veftis nudum, vbi cuncti aeterna induti funt luce: non mortuum fepelis, vbi omnes fine termino viuunt. Nec ramen ifta non agendo eris otiofus. Quid ergo facies? Docet Propheta: Vt videam voluptatem Domini. Videbis quem defi-

deraffi, eumque laudabis indeficienter. Hunc recipies fructum. Tunc poteris illa vna quam popofciffi, dicens: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnes dies vitae meae. Tunc mors vltra non erit, neque luctus, neque dolor. Tunc laus, exultatio & gaudium comprehendet, & fugiet dolor & triftitia & gemitus. Tunc erit Deus omnia in omnibus. Tunc laudabitur in portis civitatis eius, quia beati qui habitant in domo tua, Domine, in faecula faeculorum laudabunt te. Qui vivis & regnas in aeternum. Amen.

S. AMBROSII IN PROVERBIA SALOMONIS ENARRATIONVM FINIS.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
SVPER CAPVT III. ECCLESIASTES, AD  
CLERICOS EXHORTATIO.

Eccleſtaſtes Caput IIII.

ET verſus ſum ego, & vidi cunctas calumnias quae geruntur ſub ſole: & ecce lacryma calumniantium, & non eſt eis conſolator: & à manu calumniantium eos fortitudo, & non eſt eis cōſolator. Et laudaui ego ſimul mortuos qui iam mortui ſunt, ſuper viuentes, quicumque ipſi viuunt nunc: & optimum iudicaui ſupra hos eum qui nondum natus eſt, qui nō vidit hoc opus malū quod factum eſt ſub ſole. Et vidi ego omnem laborem, & omnē fortitudinem operis: quoniam hoc zelus viri ab amico ſuo. Et hoc vanitas, & electio ſpiritus. Stultus complexus eſt manus ſuas, & deuorauit viſcera ſua. Bonum repletio pugilli quietis ſuper repletiones duorum pugillorū laboris & electionis ſpiritus. Et conuerſus ſum ego, & vidi vanitatē ſub ſole. Eſt vnus, & non eſt ſecūdus, & filius & frater non eſt ei; & non eſt finis omni labori ſuo, & oculus eius nō repletur diuitiis: & cui ego laboro & fraudo animā meam à bonitate. Et hoc vanitas & occupatio mala eſt. Optimi duo ſuper vnū, quibus eſt merces bona in labore ipſorū: quoniam ſi ceciderit vnus, alter eriget ſociū ſuū. Vā ipſi vni cūm ceciderit, & nō eſt ſecūdus qui erigat eum. Et ſi dormierint duo, eſt calor eis; ſed vnus quomodo caleſcit? Et ſi victus fuerit vnus, duo ſtabant cōtra eum: & ſpartum triplex non cito rumpetur. Et bonus puer pauper & ſapiens ſuper regem ſenem & ſtultum, qui non nouit praecauere vltra: quoniam de domo vinculorū exhibit ad regnan-

dum: quoniam & in regno ſuo natus eſt pauper. Vidi cunctos viuentes qui ambulant ſub ſole: cum adoleſcente ſecundo, qui reſurget pro eo. Non eſt finis omni populo, omnibus quicumq; fuerunt ante eos: & vltimi non latrabūt in eo. quoniam & hoc vanitas & electio ſpiritus. Custodi pedē tuum, in quo vtiq; ambulaueris in donum Dei. Et propē vt audias ſuper domū ſtultorum ſacrificiū tuum: quoniam non ſunt ſcientes facere bonum.

*Monet clericos ne propter aliquorum offenſionem ab iniuncto eis munere deſiſtant, ad conſtantiāque hortatur.*

**A**MBROSIVS clericis. Plerumque humanis obreperit mentibus, vt aliqua leui offenſione perſtricti, ſi non illis cedant pro ſtudio voluntaria, officio deſiſtant, quod in alio genere hominum tolerabile: in iis verò qui rei diuinā intendūt, plenum doloris. Sunt enim aliqui in clericorum munere, quibus inimicus obreperere ſtudet ſtaliās eos nō potuerit circumuenire, vt laeſis huiusmodi inferat cogitationes. Quid mihi prodeſt in clero manere, ſubire iniurias, labores perpeti, quaſi non poſſit ager meus me paſcere, aut ſi ager deſit, quaſi aliter excrecere ſumptum nō queam? Itaque huiusmodi cogitationibus etiam boni mores ab officio retrahuntur: quaſi verò hoc ſolum ſit in clerico, vt ſumptum expediat ſuum, & non vt diuinum ſibi poſt mortem potius ſubſidium locet: quamquā ille poſt mortem abundet, qui tutus hic potuerit decernere aduerſum tot inimicorum inſidias. Vnde Eccleſiaſtes ait: *Optimi duo ſuper vnū, quibus eſt merces bona in labore ipſorum: quoniam ſi ceciderit vnus, eriget ſocium ſuum.* Vbi ſunt duo

duo optimi ſuper vnū, niſi vbi Chriſtus eſt, & iſtuc Chriſtus tuetur? Quoniam ſi ceciderit qui cum Domino eſt Ieſu, erigit eum Ieſus. Sed qua ratione dixit: *In labore ipſorum?* Ergo & Chriſtus laborat? Vtique laborat, qui ait: Laboraui clamans. Laborat, ſed in nobis. Denique ad puteum fatigatus ſedebat. Sed quomodo labore, docuit nos Apoſtolus minore exemplo, dicens: *Quis infirmator, & ego non infirmor?* Docuit & ipſe Dominus ſua voce: *Aeger eram, & non viſitasti me: nudus eram, & non operuiſti me.* Laborat vt me iacentem erigat. Vnde & in Eliſeo figura Domini praecellit, qui proiecit ſe, vt mortuum erigeret: in quo ſymbolum eſt quòd nobis Chriſtus commortuus ſit, vt nobis reſurgeret. Proiecit itaque ſe vſque ad noſtram Chriſtus fragilitatem, vt nos erigeret. Proiecit ſe, non cecidit, ſed erexit conſortem. Ipſe enim conſortes nos ſibi fecit, vt ſcriptum eſt: *Quia vnctus eſt oleo latitiae praec conſortibus ſuis.* Vnde pulchrè ait Eccleſiaſtes: *Quoniam qui ceciderit, eriget ſocium ſuum.* nō ipſe erigitur, Chriſtus enim non alterius auxilio atq; opere erectus eſt, ſed ipſe ſe reſuſcitauit. Denique ſoluite, inquit, hoc templum, & in triduo illud reſuſcitabo. Hoc autem dixit de templo corporis ſui. Nec immeritò erectus non eſt ab alio, qui nō cecidit. Nam & ille qui à ſecundo erigitur, cecidit: & qui cecidit, indiget auxilio vt erigatur. Quod & ſubiecta docet, dicente ſcriptura: *Vā illi qui cūm ceciderit, & non eſt ſecundus qui eum erigat. & ſi dormierint duo, eſt calor illis.* Commortui enim ſumus Chriſto, & ideo conuiuimus. Chriſtus nobis commortuus eſt, vt nos caleſceret, qui ait: *Ignē veni mittere in terram.* Mortuus eram, ſed quia in baptiſmate commortuus Chriſto ſum, accepi lumen vitae à Chriſto. Et qui in Chriſto moritur, per Chriſtū calefactus vitae & reſurrectionis vaporem accipit. Frigidus erat puer, caleſcit eum Eliſaeus ſpiritu ſuo, dedit ei vitae calorem. Con dormiuit ei, vt eum calor quietis eius qui in ſymbolo conſepultus ei fuerat, excitaret. Frigidus itaque eſt qui non moritur in Chriſto. Caleſieri non poteſt, cui ignis ardens non appropinquat. Inualeſcere non poteſt alteri, qui ſecum non habet Chriſtum. Et vt cognoſcas ſecundum myſterium dictum, non ſecundum numerum, quia optimi duo quā vnus, ſubiecit myſticum: *Et ſpartum triplex non cito rumpetur.* Tria enim quae non ſunt composita, non rum-

puntur. Trinitas itaque in composita naturae rumpi non poteſt, quia Deus vnus & ſimplex & incompositum eſt quidquid eſt. Quod autem eſt, permanet, non ſubiicitur. Bonum eſt itaque adherere alteri, & inferere collum in torques eius, & ſubiicere humerum, & portare illum, nec tædiare ad vincula, quia de domo alligatorum exhibit qui regnet, puer ille qui ſuper regem ſeniorē & ſtultum eſt. Ideo que qui cum ſequentur, alligati vinculis ſunt. Denique Paulus vnctus Ieſu Chriſti. Vnde & ipſe Ieſus captiuam duxit captiuitatem. Non ſatis viſum eſt ei ſoluere captiuitatem, quam diabolus impoſuerat, ne iterum liberos vacanteſque inuaderet: ſed perfecta abſolutio exiſtimata eſt ſub Chriſto degere, & iniicere pedes in compedes ſapientiae ipſius, captiuum eſſe, vt ſis liber ab aduerſario. Rectè puer, quoniam puer natus eſt nobis, & verè optimus puer, cui dictum eſt à patre Deo: *Magnū tibi eſt vocari puerum meum.* Sapiens quoque, vt Euangelium docet: *Quia proficiebat aetate & ſapientia.* Conuenienter etiā pauper, quia cūm diues eſſet, pauper factus eſt, vt nos ſua inopia ditaret. Et ideo non ſatidit in regno ſuo pauper, ſed exaudit eum, & liberat ex omnibus anguſtiis & moleſtiis. Sub hoc ergo viuamus, vt rex ille ſenior & ſtultus, qui non nouit praecauere vltra, nullam habeat poteſtatem ſupra nos. Qui dum vult regnare quaſi voluntatis ſuae dominus, nec ſub vinculis eſſe Domini Ieſu, inueteratus in peccatis, ſtultitiae incidit deformitatem. Quid enim ſtultius quām relictis ceſteſtibz ad terrena intēdiſſe, & poſt habitis perpetuis elegiſſe ea quae caduca ſunt & fragilia? Nemo ergo dicat: *Nō eſt nobis portio in Dauid, neque haereditas in filio Ieſe.* Nemo dicat, *Non ſum in clero, quia ſcriptū eſt: Date Leui clerōs eius.* Et iterum Dauid ait: *Quia is qui inter clerōs duos medius requieſcit, ipſe ad ſuperna alis euolat ſpiritalibus.* Non dicas de Deo tuo, *Grauis mihi eſt: nec de loco tuo, Inutilis mihi eſt, quia ſcriptum eſt: Locum tuum noli relinquere.* Vult enim auferre cum aduerſarius, vult te abducere, quia inuidet ſpei tuae, inuidet muneri. Sed tu quicumque in clero eſ Domini, portio eius & poſſeſſio, noli recedere de Domini poſſeſſione, vt dicas Domino: *Poſſediſti renes meos, ſuſcepisti me ex utero matris meae.* Et ille tibi quaſi bono ſeruo dicat: *Transi, recumbe. Valet ſilij, & ſeruite Domino, quia bonus Dominus.*

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS SVPER CAP. III. ECCLESIASTICI,  
DE ELEEMOSYNA, SERMONES DVO.

Eccli. Cap. III.

**M**E patrem audite filij, & ſic facite, vt ſalui ſitis. Nam Dominus honorauit patrem in filiis, & iudicium matris firmavit in filios. Qui honorat patrē, veniā impetrat peccatorū, & ſicut theſaurizans, qui honorat matrem ſuā. Qui honorat patrē latabitur in filiis, & in die orationis ſuae exauditur. Qui hono-

rat patrē, longā vitā viuet: & qui obedit Domino, quietē dabit matri ſuae. Qui timet Dominum, honorabit patrem, & quaſi dominis ſeruiet his qui genuerunt ſe. In opere & ſermone honora patrem tuum & matrem, vt ſuperueniat tibi benedictio ab hominibus. Benedictio enim patris firmat domos filiorum,

maledictio autem matris eradicat fundamenta. Ne glories in contumelia patris tui: non enim est tibi gloria patris ignominia. Nam gloria hominis ex honore patris sui, & dedecus filii mater in ignominia. Fili, adiuua in senecta patrem tuum, & ne contristes eum in vita tua: & si defecerit sensu, veniam habe, & ne inhonores eum in tota virtute tua. Eleemosyna enim patris tui non dabitur obliuioni, & pro peccatis reedificabitur tibi. In die tribulationis recordabitur tui: sicut serenitas in glacie, sic soluentur tua peccata. Quam male famæ qui relinquit patrem suum, & maledictus à Domino qui exasperat matrem suam. Fili, opera tua in mansuetudine perface, & ab homine acceptabili diligere. Quatum magnus es, tantum humilia te ipsum, & coram Domino inuenies gratiam. Multi sunt excelsi & gloriosi, sed mansuetis reuelantur mysteria. Quoniam magna potentia Domini, & ab humilibus honoratur. Difficiliora te ne quaeras sine sensu, & fortiora te ne exquiras cum stultitia. Quæ præcepta sunt tibi, hæc cogita sanctè: non enim est tibi opus occulta videre oculis. In superuacuis sermonum tuorum ne sis curiosus: plura enim intellectu hominum ostensa sunt tibi. Multos supplantauit suspicio illorum vana, & cogitatio praua labefecit sententiam eorum. Pupillas non habens indigebis luce, cognitione autem carere proficaris. Cor durum malè habebit in nouissimis: & qui amat periculum, in illo peribit. Cor duru grauibitur laboribus, & peccator adiciet peccata super peccata. In inductione superbi non est sanitas: itinera eius eradicabuntur. planta enim nequitie radices misit in eo. Cor sapientis cogitabit parabolam; & auris auditoris desiderium sapientis. Ignem ardentem restinguet aqua, & eleemosyna resistit peccatis: & Dominus qui retribuit gratias, meminit in posterum, & in tempore casus sui inueniet firmamentum.

*Sermo primus.*

**I**CIT scriptura diuina: *Ignem ardentem restinguet aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Magna planè & cunctis ambienda sententia, quæ hominibus pene iam mortuis, & peccatorum suorum incendio refectis rediuuium quoddam beneficium pollicetur, vt interueniente eleemosyna, sicut aqua inter mortuis, succus refrigerium arescentibus infundatur; hoc est, vt miseri homines qui in mortè pecca-

tis auerant, ad vitam eleemosynis reuiuiscant; sitq; illis misericordia fons salutis, quibus auaritia fuerat mortis incendium, vt flammam quas sibi peccando incenderant, largiendo restinguant; atque vtiliore commercio qui pecuniam quondam dederat vt adulterium perpetraret, nunc pecuniam erogat vt adulter esse iam desinat, & amat sibi quodammodo innocentiam, qui sibi emerat aliquando peccatum. Dicit enim Dominus ad discipulos suos: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Quis ergo pollutus, quamuis multis criminibus circumseptus, si eleemosynas feceris, innocens esse capisti. Abstergit enim eleemosyna quod auaritia polluebat, & maculam quam res alienas diripiendo cotraxeras, tuas erogando purificas. Vide ergo quæ sit misericordiae gratia, quæ vna & sola virtus cunctorum est redemptio peccatorum. Videamus namque interpretationem ipsius diuinæ sententiæ, vt intelligamus cui rei eleemosyna comparetur. Ait enim: *Ignem ardentem restinguet aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Aqua ergo misericordiae comparatur: sed quia aquam inuenio de fonte procedere, necesse mihi est misericordiae fontem quaerere. Inuenio planè fontem misericordiae, fontem, de quo dicit Propheta: Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Ipse inquam est fons, qui in Euangelio à Samaritana muliere, sicut lectum nuper audiuimus, aquam postulat, sed peccata condonat: aqua putei reprobatur, sed fontè vitæ perennis indulget. Ait enim: Omnis qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quæ ego dabo illi, non sitiet in æternum. Aquam ergo Saluator à muliere postulat, & sitire se simulat: vt sitientibus æternam gratiam largiatur. Neq; enim poterat fons sitire, neq; in quo est aqua viua, poterat vnam terrenæ facis haurire. Sitiebat ergo Christus? Sitiebat planè, non potu hominū, sed salutè sitiebat: non aqua mundi, sed redemptione generis humani. Miru igitur in modu fons super puteu sedes misericordiae ibidem fluente producit, & mulierè sexto iam non viro, sed adultero fornicantem, viui meatus vnda purificat; nouoque admirationis genere mulier quæ ad puteum Samaritane meretrix aduenerat, à Christi fonte casta regreditur; & quæ aquam petere venerat, pudicitiam reportauit. Statim etiam indicante Domino sua peccata recognoscens, confitetur Christum, annuntiat Saluatorem, & relinquens aquæ vasculum, ad ciuitatem non refert hydriam, sed fert gratiam. Vacua quidem videtur reuerti onere, sed plena reuertitur sanctitate. Plena inquam redit, quia quæ peccatrix aduenerat, reuertitur prædicatrix. Et quæ hydriæ vasculu amiserat, Christi plenitudinem reportabat, in nullo ciuitati suæ inferens detrimentum. Nam etsi ciuibus aqua non intulit, tamè fontem salutis inuexit. Sanctificata ergo per fidè Christi mulier domu rediit. De hac igitur dixisse Prophetam puto: Eiusmodi est, inquit, via mulieris meretricis, quæ cum se abluerit, nihil se dicit fecisse prauum. De hac planè dictu est, quæ posteaquam est fonte abluta Saluatoris, delictorū vitia non meminit, virtutè prædicationis assumit, & viua, & aqua abstergens maculas suas, ad euangelizandum non cōscientia peccati retrahitur, sed fidei calore compellitur. Nihil enim se dicit fecisse prauitatis,

prauitatis, dum sit nuntia veritatis: & obliuione abnegat impudicitiam, dum deuotione prædicat castitatem. Hæc enim virtus Christi est Domini, vt quamuis peccator qui eius vnda se lauerit, denuo in virginem reparatus, non meminerit ante quod fecerit, & rediuua natiuitate infantie innocentiam præferat, iuuentutis scelera non agnoscat; sitque virgo fide Christi, qui fuerat adulter corruptione peccati.

*Sermo secundus.*

**R**etinet vestra dilectio ante dies aliquot cum sermonem ad vos de eleemosynis faceremus, primitus nos originè misericordiarū quaerere voluisse, & reperto earū fonte virtutum ostendisse quod mulieris Samaritanæ sordes melius Christi vnda diluerit, quàm Samaritane aqua purgarit, & quod mundius misericordia deterferit peccata quàm puteus. Mundiū planè misericordia quàm puteus detergit maculas, quia putei aqua tantum corporis cutè abluat, misericordiae autè bonitas animæ interna purificat. Hoc etiam demonstrasse, quod huic euangelicæ mulieri illa prophetica meretrix conueniret, quæ posteaquam viua aqua se lauit, obliuione possessa prauitatis, nitore puritatis exultat. Neque enim de meretrice huius mundi talem sententiam Propheta diceret, cuius pollutio non solum aqua non diluitur, sed etiam polluit ipsa quod tangit, dicente Apostolo: Qui autem se iungit meretrici, vnum corpus efficitur. Quod si vnum corpus tactu suo efficit, & in coherentem sibi ignominiam suæ membra transfundit, quomodo potest purificari ipsa, cum polluat? Quæ ergo sit ista meretrix, quæ ista Samaritana mulier, cuius adulterij sordes fons Christi deterferit, sollicitius requiramus. Ego hanc mulierem Ecclesiam esse puto de gentibus congregatam, quæ & transactis annis quinque milibus, cum in sexto millesimo anno idolorum fornicationibus subiaceret, omnè ignominiam suam adueniente Christi fonte purgauit, & maculas quas adulterinis sacrilegiis contraxerat, fide Saluatoris absterfit, ac relinquens sicut inanem hydriam priorem patrium cultum, vniuerso orbi Domini annuntiauit aduentum. Hæc inquam illa est meretrix, quæ posteaquam lota est, nihil se dicit fecisse prauum. Posteaquam enim Ecclesia baptismi nitore purgata est, diabolicæ impietatis non meminit, religione veritatis exultat, facta que de meretrice virgo non recordatur priorum scelerum, sed gloriatur in integritate. Ait ergo Propheta: *Ignem ardentem restinguet aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Saepè quidem videmus hoc fieri, vt aqua effusa flammarum restinguat incendia; sed & e contrario interdum videmus quod immensi ignium globi aquarum fluente consumant, & veluti ab aquis accepta esca vehementius rediuuii ardoribus conualescant, ita vt videatur aqua non extinxisse incendia, sed auxisse. Quanam est illa aqua, quæ consumit flammam, nec ipsa consumitur? Illa est puto, quæ in lauacro de Christi fonte profuēs non consumitur à peccatoribus, sed gehennæ consumit incendia. Quæ dum per baptismum infunditur, & ipsa in hominibus & tartari restinguit ardorem. Viuit planè in hominibus, sicut ait Dominus: Aqua autem quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis, & reliqua. Mirum ergo in modum aqua Christus vna eademque operatione & viuificat & extinguit. Viuificat enim animas, delicta restinguit: has lauacri sui refrigerio reparat, illas gurgitis sui vnda consumit. Et quod ad maiorem baptismatis pertinet gratiam; apud superiores mysterium celebratur, & apud inferos gehenna restinguitur: hic fluunt aquæ, & illic tepescit incendium: hic in fonte homo mergitur, & illic de tartaro liberatur. Sed nec miru si in baptismi sacramento aperiat infernus, cum tunc quoque referetur & calum. Aperiantur enim hæc elementa, vt ad lauacrum Christi conueniat libertas & gratia: libertas de inferno, gratia de celo. Libertas resurrecturis tribuitur, gratia regnaturis. Illi eruuntur de pœna, hi assumuntur in gloria. Illi qui erant serui peccati, liberi fiunt iustitiæ: hi qui angustiis sæculi tenebantur, paradisi amœnâ percipiunt. In baptismo ergo Christi aperiantur cæli, aperiantur & tartara. Inde vt Spiritus sanctus adueniat, illuc vt misericordia Saluatoris accedat: deferatur de celo vita, mors à tartaro destruat. Ita igitur eleemosyna resistit peccatis, sicut aqua baptismi gehennæ restinguit incendiū. Ergo eleemosyna quodammodo animarū aliud est lauacru, vt si quis fortè post baptismū humana fragilitate deliquerit, super sit ei vt iteru eleemosynæ emundetur, sicut ait Dominus: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Nisi (quod salua fide dixerim) indulgentior est eleemosyna quàm lauacru. Lauacru enim semel datur, & semel veniā pollicetur: eleemosynam autè quotiens feceris, toties veniā promereri. Hi ergo duo misericordiarū fontes sūt, qui & vitā tribuunt, & peccata condonant. Qui vtrumque custodierit, regni cælestis honore ditabitur. Qui autè maculato fonte viuo, ad misericordiae se fluente contulerit, & ipse misericordiam consequetur.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS SVPER CAP. I. ESAIÆ

PROPHETÆ SERMO.

*Esaie Caput I.*

**V**isio quæ vidit Esaia filius Amos, quam vidit contra Iudæam & contra Hierusalem in regno Ozia & Ioathan, Achaz & Ezechia, qui regnauerunt in Iudæa. Audi cælum,

& auribus percipe terra, quia Dominus loquutus est: Filios genui, & exaltaui, ipsi autem me spreuerunt. Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel

autem me non cognouit, & populus me non intellexit. Væ genti peccatrici, populo pleno peccatis, semini pessimo. filij iniqui dereliquisti Dominum, & ad iracundiam concitasti sanctum Israel; alienati sunt in retro. Quid ultra percutiemini addentes iniquitatem? Omne caput in dolore, & omne cor in mœstitia: à pedibus vsque ad caput non est vulnus neque cicatrix, non plaga cum feruore; non est malagma imponere, neque oleum, neque alligaturam. Terra vestra deserta, ciuitates vestrae succensae igni, regionem vestram coram vobis alieni deuorant eam: & desolata est subuersa à populis alienis. Derelinquetur filia Sion sicut tentorium in vinea, & sicut pomorum custodia in cucumerario, sicut ciuitas obsessa. Et nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis seminem, quasi Sodoma vtiq; fuisset, & quasi Gomorrhæ vtiq; assimilati essemus. Audite verbum Domini principes Sodomorum, attendite leges Dei nostri populus Gomorrhæ. Quid mihi multitudo vitimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum holocaustis arietum, & adipem agnorum, & sanguinem taurorum & hircorum non volo, neque veneritis apparere mihi. Quis enim quaesuit hæc de manibus vestris? calcare atrium meum non apponetis. Si obtuleritis similitudinem, vanum incensum abominatio mihi est. Neomenias vestras & sabbata, & diem magnum non feram. Ieiunium & otium & neomenias & festiuitates vestras odio habet anima mea: facti estis mihi in satietatem. Non amplius remittam peccata vestra: cum extederitis manus, auertam oculos meos à vobis: & si multiplicaueritis orationem, non exaudiam vos: nam manus vestrae sanguine plene. Lauamini, mundi estote, auferite nequitias ab animabus vestris coram oculis meis: cessate à nequitias vestris, discite bonum facere, querite iudicium, liberate iniuria oppressum, iudicate pupillo, & iustificare viduam: & venite & disceptemus, dicit Dominus. Et si fuerint peccata vestra sicut rubeum, quasi niuem dealbabo: si autem fuerint sicut coccinum velut lanam dealbabo. Et si volueritis, & exaudieritis me, bona terram comederitis. Si autem non volueritis, neque audieritis me, gladius vos deuorabit: nam os Domini loquutum est ista. Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis Sion plena iudicio? in qua iustitia dormiuit in ea, nunc autem homicida. Argentum vestrum reprobum, caupones vestri miscent vinum aquae. Principes

tui non obediunt, participes furum, diligentes munera, sequentes retributionem, pupillis non iudicantes, & iudicium viduarum non attendentes. Propter hoc hæc dicit dominator Dominus sabaoth: Væ fortes Israel, non cessabit enim meus furor contra aduersarios, & iudicium de inimicis meis faciam: & inducam manum meam in te, & igne examinabo te ad purum, at inobedientes perdam. Et auferam omnes iniquos à te, & omnes superbos. Et institui iudices tuos sicut prius, & consiliarios tuos sicut ab initio. Et post hæc vocaberis ciuitas iustitiae, metropolis fidelis Sion. Cum iudicio enim saluabitur captiuitas eius, & cum elemosyna: & conteretur iniqui & peccatores simul, & qui dereliquerunt Dominum consumentur: quia non fundetur ab idolis suis quae ipsi voluerunt, & erubuerunt in hortis quae desiderauerunt. Erunt enim sicut terebinthus quae deposuit folia, & sicut hortus aquam non habes. Et erit fortitudo eorum sicut stipula stupae, & opera eorum quasi scintilla ignis. Et succedentur iniqui & peccatores simul, & non erit qui extinguet.



ON incommodè ante dies paucos profecuti sumus functionem hanc sacerdotalem vicem quandam negotij retinere, & quantum esse non modicum hoc clericatus officium. Est quantum planè non modicus, vbi lucrum non pecuniarum, sed adquiritur animarum: est magna negotiatio, vbi redemptio hominis constat, non annumeratione pretij, sed annuntiatione precepti. Preceptum enim Christi talentum quoddam est pretiosum, quo salus comparatur, quo vita redimitur: & magna est redemptio, cum & pretium datur, & pecunia non videtur. Talentum ergo magnum preceptum est Saluatoris, quod commodati vice apud idoneos proficere potest, apud negligentes non potest deperire. Aliis enim cum multiplici gratia restituitur, ab aliis cum poenarum vsura deposcitur. Christus enim talentum quod commendat, necesse est ut requirat, & soluenti gratiam referat, non soluentem subdat iniuriis. Subdit planè iniuriis more mundi, ut debitor qui redhibitione substantiae satisfacere non potest, satisfaciatur vel corporis vltione. Hoc ergo talentum fratres, nos praedicatione nostra vestris pectoribus commendamus, ut lucrum aliquod salutis vestrae Domino designemus. Rationem daturi sumus qualiter aut praedicatione nostra proficiat, aut obediencia vestra fructificet. Non enim sine causa Euangelium annuntiat, Apostolus clamat, sacerdotes loquuntur: in cuiuscumque aures vox sancta peruenerit, aut beatus erit de deuotione, aut reus de contestatione. Loquimur enim beatitudinem credentibus, contestamur iudicium criminosis. Mercimonium igitur est administratio sacerdotum. Vnde & Propheta hodie dicit ad filios Israel: *Caupones vestri miscent vinum aquae.* Non

Non enim de iis cauponibus Esaias sanctus loquitur qui publicis ministeriis seruietes, meram vini speciem fraudulenta aqua colluione permisceret (nec enim hoc ad beatum virum more iudicis saeculi pertinere poterat, cum corruptis tabernarum vasculis minus ebrioso potu populus vteretur) sed de illis vtiq; cauponibus loquitur qui praesunt ecclesiis, non tabernis: qui sitientibus populis non concupiscentiae calicem porrigunt, sed virtutis: non ebrietatis ministrant poculum, sed poculum Saluatoris. Istos ergo caupones Propheta arguit & obiurgat, & queritur eos vini speciem aqua permiscere. Hoc increpat in eis: cum functionum diuinarum essent praesules, sectatores rerum facti sunt humanarum, sicut ipse ait Propheta: *Sectamini vnusquisque domum suam.* Quisquis enim sacerdos relicto pontificali officio, mundi oblectationibus delectatur: hic aqua vinum permiscet, hoc est, res sanctas & feruidas inserit rebus vilibus & frigidis. Sed & sic possumus accipere, quod iidem Iudaeorum sacerdotes aqua vinum miscuerint, cum Dominum Saluatorem non sicut Deum suscipere, sed sicut hominem indicaret, & sinceram ac meram eius diuinitatem turbido cuiusdam ac sordido inferre voluerint, dicentes ad eum: *Quia cum sis homo, facis teipsum Deum.* Et iterum: *Nos ex prostitutione non sumus nati.* Dum enim se ab adulterio prostitutionis excusant, illum in diuinitate natiuitatis suae adulterare nituntur. Sed adhuc diligentius videamus quid sit quod ait: *Miscent aqua vinum.* Legimus vinum in Ecclesia specialiter abun-

S. AMBROSII IN CAPVT I. ESAIÆ SERMONIS FINIS.

## SANCTI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS, IN CAP. LII. ESAIÆ

PROPHETÆ ENARRATIO.

Esaiæ Caput LII.

EXurge, exurge, induere fortitudinem tuam Sion, & tu induere gloria tua Hierusalem ciuitas sancta: non ultra adiciet ut pertranseat per te incircumcisus & immundus. Exurge puluerem, & surge, sede Hierusalem; solue vinculum colli tui captiua filia Sion. Quia hæc dicit Dominus: *Gratis venundati estis, & non cum argento redimemini.* Quia sic dicit Dominus Deus: *In Aegyptum descendit populus meus prius, ut peregrinaretur ibi, & in Assyrios videnter adducti sunt.* Et nunc quid erit hic? Hæc dicit Dominus: *Quia captus est populus meus gratis admiramini, & vlulate.* Hæc dicit Dominus: propter vos semper nomen meum blasphematur in gentibus. Propter hoc sciet populus meus nomen meum, propter hoc in die illa: quia ego ipse qui loquebar, adsum.

Sicut hora super montes, sic pedes annuntiantis auditum pacis, sic euangelizantis bona: quia audiam faciam salutem tuam, dicens: *Sion, regnabit Deus tuus.* Vox custodientium te exaltata est, & voce simul laetabuntur: quia oculus ad oculos videbunt, quando misertus fuerit Dominus Sion. Erumpant lætitia simul deserta Hierusalem, quia misertus est Dominus eius, & eruit Hierusalem. Reuelabit Dominus brachium sanctum suum in conspectu cunctarum gentium, & videbunt omnes fines terrae salutare quod à Deo nostro. Recedite, recedite, egredimini inde, & immundum ne tange, exite de medio eius, separamini, portantes vasa Domini. Quia non cum tumultu exibitis, neque cum fuga ibitis: praecedet enim prior vos Dominus, & congregas vos Deus Israel. Ecce intelliget puer meus, &



exaltabitur, & gloriabitur, & sublimis erit valde. Quemadmodum stupebunt super te multi, sic gloria erit ab hominibus species tua, & gloria tua a filiis hominum. Sic mirabuntur gentes multae super eum, & continebunt reges os suum: quia quibus non est annuntiatum de eis, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.

Verbi Dei predicatione ad Christi cognitionem pervenimus, quo summum adipiscimur bonum.

Ad Irenaeum.



AMBROSIVS Irenaeo. Inter legendum, cum paululum requievissem animo (nam a lubricatione destiteram) versiculum illum cepi mecum volvere, quo vesperi in vigiliis vbi fueramus: *Ὁ θεὸς ἡμεῖς τὸν ἑσπέρην ἡμῶν πᾶσι ὡς ἀγαπᾷ οἱ πατέρες τὸν εὐαγγελιστὸν ἑαυτῶν*. Et verè nihil speciosius illo summo bono, cuius etiam prædicatio speciosa est nimis, & maximè perseverantis servonis processus, & quædam apostolica prædicationis vestigia. Sed illa qui possunt? Quibus donavit Deus non solum ut Christum annuntiarent, sed etiam pro illo paterentur. Nos quantum possumus intendamus illò animum, & in illo simus, illud animo teneamus, quod est pulchrum, decorum, bonum, ut fiat illuminatione eius & fulgore speciosa anima nostra, & mens dilucida. Nam si oculi nostri cum aliqua obducuntur caligine, pascuntur agrorum viriditate, & specie nemoris vel collis herbofi omnem inæqualitatem ægrefcentis obtutus repellunt, & quadam salubri specie pupillæ ipsæ atque orbis colorati videntur: quanto magis hic mentis oculus cum illud summum intuetur bonum, & in eo versatur, atque eo pascitur, splendescit atque enitet, ut fiat illud quod scriptum est: Tamquam adipe & pinguedine repleatur anima mea? Denique qui scienter agnoscit animas gregis sui, curam adhibet herbis campestribus, ut sint ei pascua plurima. Herbis enim suavioribus & agni pinguioribus sunt, & succus lactis salubrior: quibus pascuis vbi sunt divites illi qui manducauerunt & adorauerunt. Sunt enim bona fidei pascua, in quibus collocatur sanctus Dei. Est ergo & scœnum, quo aluntur greges omnium, qui emittunt vellera sapientiæ, & dant amictum prudentiæ. Et fortasse hoc est scœnum montanum, in quod verba descendunt Prophetæ sicut nix super scœnum, & quod diligenter colligit sapiens, ut sint ei oves ad vestitum, spiritalis utique velaminis. Habet ergo cibum suum & amictum anima quæ illi summo bono adheret, quod est diuinum, quod Apostolus Petrus suadet quærendum, ut per eius cognitionem acquisitionem diuinæ simus confortes naturæ. Huius cognitionem aperit sanctis suis Deus bonus, & donat hoc de thesauro suo bono, sicut testificatur lex sacra, dicens: Quia iuravit Dominus patribus tuis dare tibi & aperire thesaurum suum bonum: de quo thesauro cælesti dat pluuiam terræ suæ, benedicere omnia opera manuum tuarum. Hæc est pluuiam, eloquium legis, quod irrorat animam fœcudam & fertilem bonorum operum, ut habeat humorem

Rom. 10. vbi sup. 1.

Psal. 62. Prover. 27.

Psal. 21. Psal. 22.

Psal. 71. Prover. 27.

Deut. 32. Prover. 27.

2. Petri. 1.

Deut. 28.

Deut. 32.

gratiæ. Huius boni cognitionem quærebat David, sicut ipse significat, dicens: Vnam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ, & videam delectationes Domini, & considerem templum eius. Denique hoc esse summum bonum subrexit statim in eodem Psalmo: Credo videre bona Domini in terra viventium. Hic enim quæritur, illic facie ad faciem plenè videtur. Hoc bonum in domo Dei est, in illo secreto eius ac recessu. Vnde iterum ait: Replebimur in bonis domus tuæ. Alibi quoque hæc summam esse benedictionis expressit, dicens: Benedicat te Dominus ex Sion, & videas quæ bona sunt in Hierusalem. Ideo beatus qui illic habitat in ingressu fidei, hospitioque mentis, deuotionis habitaculo, conuersatione virtutis. In illo igitur simus, atque in eo mancamus, de quo & Apostolus dicit: Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Qui sunt qui euangelizant, nisi Petrus, nisi Paulus, nisi omnes Apostoli? Quid euangelizant nobis, nisi Dominum Iesum? Hic est pax nostra, hic est bonum illud summum, quia ipse bonus ex bono. Ex arbore enim bona, bonus fructus legitur. Denique & spiritus eius bonus, qui ex ipso accipit, & deducit Dei seruos in viam rectam. Quis autem habens spiritum Dei in se, neget bonum, cum ipse dicat: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Hoc bonum veniat in animam nostram, in nostræ mentis viscera, quod propitius Deus dat petentibus se. Hic est thesaurus noster, hic est via nostra, hic est sapientia nostra, iustitia nostra, pastor noster, & pastor bonus, hic est vita nostra. Vides quanta bona in vno bono? Hæc bona nobis prædicant Euangelistæ. Hæc bona requirès David, ait: Quis ostendit nobis bona? Et ostendit ipsum esse bona, subiiciens: Signatum est in nobis lumen vultus tui. Quis autem lumen vultus patris, nisi splendor gloriæ, & imago inuisibilis Dei, in quo & videtur & clarificatur pater, sicut ipse clarificat filium suum? Ipse est ergo Dominus Iesus summum bonum quod nobis annuntiatum à prophetis, prædicatum ab angelis, promissum à patre, euangelizatum est ab Apostolis. Qui nobis tamquam maturitas aduenit. Nec solum tamquam maturitas, sed tamquam maturitas in montibus adest: ut nihil acerbum, nihil immaturum in nostris consiliis sit, nihil immite, nihil asperum in operibus ac moribus, qui primus euangelizans bona adfuit. Vnde ait: Ego ipse qui loquebar, adsum: id est, qui loquebar in prophetis, adsum in corpore quod suscepi ex Virgine; adsum interior imago Dei, character substantiæ; & adsum ut homo, sed quis cognoscit me? Hominem enim viderunt, sed operibus supra hominem crediderunt. An non ut homo cum Lazarum fieret, & rursus supra hominem, cum eum resuscitaret? An non ut homo cum vapularet, rursus supra hominem cum totius mundi peccatū tolleret? Ad illum igitur properemus, in quo summum est bonum, quoniam ipse bonitas, ipse patientia Israel, qui ad penitentiam te vocat, ne venias in iudicium, sed accipias remissionem peccatorum. Agite, inquit, penitentiam. Ipse est de quo clamat Amos propheta: Exquirite bonum. Ipse est summum bonum, qui nullius indiget, & abundat omnibus. Facile abundat, in quo plenitudo diuinitatis

Psal. 26.

Ibid.

1. Cor. 13.

Psal. 64.

Psal. 117.

Rom. 10.

1. Cor. 1. Ephes. 2.

Math. 7.

Psal. 142. Matt. 20.

Luc. 11.

3. Reg. 19.

Math. 17.

1. Petri. 1.

Psal. 4. Ibid.

Hebr. 11.

Ioan. 17.

1. Tim. 3.

Hebr. 1. Eiere. 17.

Ioan. 11.

Ioan. 1.

Rom. 2.

Math. 4. Amos. 5.

Coloss. 2.

unitatis habitat corporaliter. Facile abundat, de cuius plenitudine omnes accepimus, & in illo repleti sumus, ut dicit Euangelista. Hoc igitur verum & summum bonum, si illo concupiscibili suo & delectabili anima gustauerit, & duabus his hauserit affectionibus, excludens dolorem & formidinem, incredibiliter exæstuat. Osculata enim verbum Dei, modum non capit, nec expletur, dicens: Suavis es Domine & in iucunditate tua doce me iustificationes tuas. Osculata Dei verbum, concupiscit super omnem decorem, diligit super omnem lætitiā, delectatur super omnia aromata, cupit, frequenter videre, sæpe intendere, cupit attrahi, ut sequi possit. Vnguentum, inquit, exinanitum est nomen tuum: propterea te diligimus adolefcentule, propterea certamus, sed comprehendere te non possumus. Attrahe nos, ut possimus currere, ut odore vnguentorum tuorum accipiamus virtutem sequendi. Festinat etiam interna mysteria videre, ipsam requiem verbi, ipsam boni illius summi habitationem, & lucem eius, & claritatem. In illo sinu ac recessu patrio festinat audire sermones eius: & cum audierit, super omnem suauitatem accipit. Doceat te Propheta, qui gustauit, & ait: Quam dulcia faucibus meis verba tua, super mel & fauam ori meo. Quid enim aliud desideret anima quæ semel suauitatem verbi gustauerit, quæ semel claritatem eius viderit? Moyses in monte positus quadraginta diebus legem accipiens, cibum corporis non requirebat: Elias ad illam festinans requiem rogabat ut acciperetur anima sua à se: Petrus aspiciens & ipse in monte Dominicæ resurrectionis gloriam, nolebat descendere, dicens: Domine, bonum est nos hic esse. Quanta igitur illa diuinæ substantiæ gloria, quanta verbi bona, in quæ concupiscunt & angeli prospicere? Anima igitur quæ illud videt, corpus hoc non requirit, minimamque sibi familiaritatem cum eo esse debere intelligit, renuntiat sæculo, abducit se à vinculis carnis, exiit omnibus voluptatum istarum nexibus. Denique Stephanus Iesum videbat, & lapidari non formidabat: immò cum lapidaretur, non pro se, sed pro illis à quibus perimebatur, rogabat. Paulus quoque raptus usque ad tertium cælum, cum corpore esset, an sine corpore esset, nesciebat: raptus inquam in paradysum, vsum proprium iam non sentiebat corporis, & audiens verba Dei, quodammodo ad corporis infirmitates descenderet, erubescibat. Itaque sciens quid vidisset in paradiso, vel quid audisset, clamabat, dicens: Quid adhuc velut viuentes de hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, ne attaminaueritis, ne gustaueritis, quæ sunt omnia ad corruptelam ipso vtu. Volebat enim nos in figura esse istius mundi, non in possessione atque vtu: ut ita vtamur hoc mundo tamquam non vtamur, tamquam prætereuntes, non tamquam residentes, ambulantes tamquam in imagine sæculi, non in cupiditate, ut velocissima præteritione ipsam imaginem huius mundi transeamus. Denique ipse fide ambulans, non specie, peregrinabatur à corpore, sed aderat Domino: & cum esset in terris; non in terrenis, sed in cælestibus conuersabatur. Ergo anima nostra, quæ Deo vult appropinquare, eleuet se à corpore, semper illi summo adherat, illi bono quod est diuinum, quod est semper, & quod erat ab ini-

1. Cor. 1.

Psal. 118.

Cont. 1.

Ibid.

Psal. 118.

Exod. 34.

3. Reg. 19.

Math. 17.

1. Petri. 1.

Act. 7.

2. Cor. 12.

Coloss. 2.

1. Cor. 7.

Psal. 38. 1. Cor. 5. Phillip. 3.

1. Ioan. 1.

tio, & quod erat apud Deum, hoc est, Dei verbum. Ipsum est illud diuinum, in quo viuimus; & sumus, & mouemur. Ipsum est quod erat in principio, ipsum est quod est. Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis est, non fuit, inquit, in eo Est, & Non, sed Est in illo fuit. Ipse dixit Moysi, ut diceret: Qui est, misit me. Cum hoc igitur anima nostra sit, & sit (si fieri potest) semper, ut & nostrum possit quis dicere: Anima mea in manibus tuis semper. Erit autem, si non in carne sit, sed in spiritu. Erit, si se terrenis non misceat. Cum enim ad carnalia reflectitur, tunc ei illecebra obrepit corporis, tunc ira & indignatione exæstuat, tunc mortificia afficitur, tunc supinatur per arrogantiam, tunc dolore affligitur. Hæc sunt ægritudines animæ graues, quibus plerumque ad mortem cogitur, dum oculi eius cæcantur, ut non videant verum lumen gloriæ, & diuitias æternæ hæreditatis. Quod si eos ad Deum semper intendat, accipiet à Christo fulgorem sapientiæ, ut videat illam spem nostræ vocationis, aspiciat illud quod est bonum, & placitum, & perfectum. Quod enim bonum, complacitum patri: quod complacitum, perfectum: sicut habes in Euangelio, vbi dicit Dominus: Diligite inimicos vestros, ut imitemini patrem, qui pluit super iustos & iniustos; quod est utique bonitatis. Et postea concludit, dicens: Estote perfecti sicut pater vester qui in cælis est, perfectus est. Caritas enim perfecta est: denique plenitudo legis est. Quid autem tam bonum quam caritas, quæ malum non cogitat? Et ideo terras fugito, in quibus inuidia est; vbi ambitio, vbi contentio. Boni ergo illius capace se anima tua præbeat, ut supra nubes volet, sicut aquila renouetur, sicut aquila pennas emittat, ut renouatis alarum remigiis alta petere non reformidet, hanc habitationem relinquat. Terrenum enim habitaculum grauat animam. Exuat vetera, abiicit erroris desideria, abluat oculos suos, ut videat illum fontem veræ sapientiæ, illum fontem vitæ æternæ, qui affluit atque exūdāt omnibus, nullius indigēs. Quis enim dedit illi, cum ex ipso, & per ipsum, & in ipso omnia sint? Vitæ igitur fons est summum illud bonum, ex quo viuendi substantia ministratur omnibus. Ipsum autem in se habet vitam manentem, à nullo quasi inops accipit. Largitur bona aliis, non aliunde assumit sibi. Neque enim nostri indiget. Vnde & ait ex persona hominis: Quoniam bonorum meorum non indiges. Quid ergo pulchrius, quam ei appropinquare, ei adherere? Quæ maior voluptas est, quam cum quis id viderit, & de fonte aquæ viuæ regna? Quas potestates? quam pecuniam? cum aduertat quam miseræ etiam hic regum condiciones sint, quam mutabiles imperij status, quam exigua vitæ huius spatia, quanta in ipso imperio seruitia, cum ad aliorum non ad suum viuant arbitrium. Quis autem peculiatus ad vitam æternam transit, nisi virtutum fultus peculio, quod receptum omnibus, solis diuitibus impossibile pronuntiat? Non ergo his uti beatum est, sed illud videre quo ista despicias, & vana veri refellas, atque inania & cassā iudices, illam nudæ veritatis pulchritudinem diligas, quæ has sæculi fucosissimas vanitates redarguat. Erige igitur

Act. 17.

Ioan. 1.

1. Cor. 1. Exod. 3.

Psal. 118.

Ephes. 1.

Rom. 12.

Matth. 5.

Luc. 6.

Rom. 13.

1. Cor. 13. Esai. 60.

Psal. 102.

1. Petri. 2.

Rom. 11.

1. Ioan. 5.

Psal. 15.

Esai. 55.

Matth. 12.

Cant. 4.  
Cant. 7.Apoc. 22.  
Apoc. 7.

Apoc. 21.

Ioh. 8.

Luc. 24.

Gen. 19.

Esai. 35.  
Gen. 19.

oculos anima tuos, illos oculos de quibus tibi verbum Dei dicit: Corde nos cepisti foror mea sponsa, corde nos cepisti vno ab oculis tuis. Ascende in palmam, vince sæculum, vt teneas verbi altitudinem. Imaginem istam mundi foris relinque, foris malitiam, introduce autem bonitatem mentis, quæ habet gratiam in ligno vitæ; si lauerit stolam suam, & ingrediatur in ciuitatem, quæ vera est patria sanctorum, in qua est Dei tabernaculum, circa quod scribæ Domini prætendunt, vbi non dies, aut sol, aut luna lumen ministrant, sed ipse Dominus lumen est totam illam ciuitatem illuminans. Est enim lux mundi. Non vtique lux visibilis, sed animarum quæ in hoc mundo sunt, intelligibilis claritudo, quibus se splendenti lumine rationabilis infundit prudentiæ, & vt prædicatur in Euangelio, incorporeæ virtutis inflammas vapore secreta mentium, animorumque penetrantia. Si quis igitur incola esse conuerfatione ac moribus, non discedat ab ea, non exeat, non respiciat vestigium: non corporis dico, sed mentis vestigium: non reuertatur retro. Retro luxuria, retro impuritas est. Denique ascendens ad montem Lot, retro reliquit Sodomitana flagitia. Quæ autem respexit retro, non potuit ad superiora euadere. Non ergo pedes tui retro, sed mores non reuertantur. Non hiant manus tuæ remissæ, & deuotionis tuæ ac fidei genua dissoluta. Non fiat voluntatis tuæ recidiua infirmitas, non vllus intercurfus criminum. Si ingressus es, mane: peruenisti, consistet saluus salua animam tuam. Ascendens directum arrolle gradum, nullus inde turo redit. Hinc via, inde ruina est. Hinc ascensus, inde præcipitium. Ascendendi quidem labor, sed descendendi peri-

culum. Sed potens est Dominus, qui te fundatum illic custodiat, septum propheticis muris, & apostolicis turribus. Ideo tibi dicit Dominus: Intrate, calcate, quia afflitit vindemia. Intus, non foris sumus. Et in Euangelio Dei filius dicit: Qui est in tecto, nõ descendat vasa sua tollere. Non utiq; de hoc tecto dicit, sed de illo: Extendit cælum sicut camerã. Intus ergo esto, intra Hierusalem, intra animam tuam pacificam, mitem atque tranquillam. Non ex eas de ea, neque descendas vas tuum istud aut honoribus, aut diuitiis, aut arrogantiã attollere. Intus esto, vt per te alienigenæ non transeant, peccata animam tuam non transeant, vanæ operationes & cogitationes inanes: non transibunt autem, si sanctificaueris bellum pro deuotionis & fidei certamine, pro veritatis studio aduersus passionum illecebras, & sumptis arma Dei aduersum spirituales nequitas, & astutiam diaboli, qui pertentat sensus nostros fraude ac dolo, quem mansuetos bellator facile proterit, qui non serat iurgia, sed sicut decet seruũ Domini, cum modestia fidem doceat, & eos qui aduersantur, redarguat. De hoc dicit scriptura: Qui mansuetus est, bellator exurgat: & infirmus dicat: Omnia possum in eo qui me confortat. Hac fide fretus etiam qui infirmus est præualebit, & erit sancta anima eius, & stillabunt ei montes prophetici vel apostolici dulcedinem, & colles fluent lac; qualis ille collis qui lactis potum Corinthiis dabat: & fluent ei aquæ de suis vasis, & de puteorum suorum fontibus: vel de ventre eius aquæ viuæ; spirituales videlicet, quas fidelibus suis Spiritus sanctus ministrat: qui etiam animam tuam dignetur rigare, vt abundet in te fons aquæ saluæ in vitã eternã. Vale, & nos vt filius dilige, quia nos te vt parentes diligimus.

SANCTE AMBROSII IN ESAIAM ENARRATIONVM FINIS.

## SANCTI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, IN CAP. XVII. HIEREMIÆ PROPHETÆ ENARRATIO.

Hierem. Cap. XVII.

Hæc dicit Dominus: Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, & vngue adamantino sculptum super tabula cordis eorum, & super cornibus ararum eorum. Cum recordati fuerint filij eorum ararum eorum, & lucorum eorum super ligno frondoso, super collibus excelsis: ð montane in campo, diuitias tuas & omnes thesauros tuos direptioni dabo: excelsa tua in peccato in omnibus terminis tuis. Et relinqueris ab hereditate tua, quã dedi tibi, & seruire te faciam inimicis tuis in terra quam non scis: quoniam ignem succendistis in furore meo, vsque in sæculum ardebit. Hæc dicit Dominus: Maledictus homo

qui spem habet in homine, & firmabit carnem brachij sui, & à Domino recesserit cor eius. Et erit quasi siluestris miryca quæ in deserto, non videbit cum venerint bona, & habitabit in saluginibus in deserto, terra falsa quæ non habitatur. Et benedictus homo qui cõfidit in Domino, & erit Dominus spes eius; & erit quasi lignũ abundans iuxta aquas, & super humorem mittet radices suas, & non timebit cum venerit æstus: & erunt in eo rami frondosi, in anno siccitatis non timebit, & nõ desinet faciens fructum. Profundũ cor super omnia; & homo est, quis cognoscet eum? Ego Dominus scrutans corda, probans renes, vt

dem vnicique secundum vias suas, & secundum fructus adinventionum suarum. Clamauit perdix, congregauit quæ non peperit, faciens diuitias suas non cum iudicio: in dimidio dierum suorum relinquent eum, & in nouissimis suis erit insipiens. Solum gloriæ exaltatum à principio, sanctificatio nostra, expectatio Israel. Domine omnes qui dereliquerunt te, confundantur, recedentes in terra scribant, quia dereliquerunt fontem vitæ Dominum. Sana me Domine, & sanabor; salua me, & saluabor, quia gloriatio mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me: Vbi est verbum Domini? Veniat: ego autem non laboravi sequens post te, & diem hominis non desideravi. Tu scis quæ egressa sunt per labia mea, ante faciem tuam sunt. Ne fias mihi in alienationem, parcens mihi in die mala. Confundantur persequentes me, & non confundar ego: paucaut ipsi, & non pauca ego: induc super eos diem malam, & duplici contritione conterere eos. Hæc dicit Dominus ad me: Vade, & sta in portis filiorum populi, in quibus ingrediuntur reges Iuda, & in quibus egrediuntur in eis, & in omnibus portis Hierusalem, & dices ad eos: Audite verbum Domini reges Iuda, & omnis Iudæa & omnis Hierusalem ingredienti in portis ipsis. Hæc dicit Dominus: Custodite animas vestras, & ne portetis onera in die sabbatorum, & ne inducatis per portas Hierusalem, & ne efferatis onera de domibus vestris in die sabbatorum, & omne opus non facietis: sanctificate diem sabbatorum sicut præcepi patribus vestris. Et non audierunt, & non inclinauerunt aurem suam, & indurauerunt ceruicem suam super patres suos ne audirent me, & ne acciperent disciplinam. Et erit, si auditu audieritis me, dicit Dominus, ne inferatis onera per portas ciuitatis huius in die sabbatorum, & sanctificaueritis diem sabbatorum, ne faciatis in ea omne opus: & ingredientur per portas ciuitatis huius reges & principes sedentes super folium Dauid, & ascendentes in curribus & equis suis ipsi & principes eorum viri Iuda: & habitantes in Hierusalem; & habitabitur ciuitas hæc in æternum. Et venient de ciuitatibus Iuda, & de circuitu Hierusalem, & de terra Benjamin, & de campestri, & de monte, & de ea quæ ad Austrum, ferentes holocausta, & sacrificia, & thy-

miamata, & munus, & thus, ferentes laudem in domum Domini. Et erit, si non audieritis me, vt sanctificetis diem sabbatorum, ne portetis onera, & ingrediamini per portas Hierusalem in die sabbatorum: & incendam ignem in portis eius, & deuorabit turtitas domos Hierusalem.

*Perdix natura & qualitates describuntur, quæ de bolo, eiusque membris comparatur.*

Ad Sabinum.

**A**MBROSIVS Sabinus. Clamauit perdix, congregauit quæ non peperit. Liceat mihi de superioris ad Irenæum de incarnationis Dominicæ sacramento contra Apollinarium, epistolæ sine, sequentis mutuari exordium. Celeberrima quæstio: & ideo vt possimus eam absoluerè, quid de natura auis istius habeat historia, consideremus. Nam & hoc considerare non mediocri prudentiæ est, siquidẽ & Salomon cognouit naturas animalium, & locutus est de pecoribus, & volatilibus, & de reptilibus, & de piscibus. Dicitur itaq; auis ista plena esse doli, fraudis, fallaciæ, quæ decipiendi venatoris vias calleat, atq; artes nouerit, vt eũ à pullis auertat suis, omniãque tẽtametã versutiã non prætermittere, quò possit venantẽ abducere à nido & cubilibus suis. Certè si insistere aduerterit, tãdiu illudit, quãdiu soboli fugiendi signum tribuat & potestati. Quã vbi euasisse senserit, tunc se & ipsa subtrahit, & lubrica arte deceptũ insidiantem relinquit. Fertur etiam promiscuæ esse permixtionis, vt in fœminas cum iummo certamine mares irruant, & vaga calefiant libidine. Vnde impurum & maleuolum & fraudulentũ animal aduersario & circũscriptori generis humani, fallacissimòque, & impuritatis auctori conferendum putatur. Clamauit ergo perdix, qui à perdẽdo nomẽ accepit, fatanas ille, qui Latine contrarius dicitur. Clamauit in Eua primum, clamauit in Cain, clamauit in Pharaone, Dathan, Abiron, Core. Clamauit in Iudæis, quando petierunt sibi fieri deos, cum Moyses legem acciperet. Clamauit iterum, quando de Salvatore dixerunt: Crucifigatur, crucifigatur. &: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Clamauit quando sibi regem fieri postulauerunt, vt recederent à Domino Deo rege. clamauit in omnino vano & perfido. His vocibus congregauit sibi populos, quos nõ creauerat. Deus enim hominẽ ad imaginem suam fecit, & diabolus sibi hominẽ vocis suæ fraude sociauerat. Congregauit sibi nationum populos, faciens diuitias non cum iudicio. Vnde in prouerbio est de diuite auaro: Quia perdix iste congregat diuitias non cum iudicio. At verò meus Iesus quasi iudex bonus cum iudicio omnia agit, qui venit, sicut scriptum est, dicẽs: Ego loquor iustitiam & iudicium salutaris. Ea igitur gratia depradatus est perdicem illum diabolum, abstulit ei malè congregatas diuitias multitudinis, reuocauit ab errore animas gentium, mentesque nationum deuantium. Et quia diaboli voce deceptos sciebat, & ipse vt vincula

Sap. 7.  
3. Reg. 4.Plin. lib. 10.  
natu. hist. ca.  
33. Arist. lib.  
9. de histor.  
animal. ca. 8.Gen. 3. & 4.  
Exod. 5.  
Num. 16.  
Exod. 32.Matth. 27.  
1. Reg. 8.

Gen. 1.

Esai. 63.

Gen. 4.  
Exod. 14.  
Iosue. 1.  
Psal. 118.  
Psal. 40.  
Prou. 9.

Habac. 2.

Matth. 27.

Luc. 23.

nexūque veteris erroris solueret, clamauit primū in Abel, cuius clamauit vox sanguinis. Clamauit in Moyse, cui dixit: Quid clamas ad me? Clamauit in Iesu Naue: clamauit in Dauid, qui ait: Clamauit ad te, salua me. clamauit in omnibus prophetis. Vnde & ad Esaiam dicit: Clama. & ille ait: Quid clamabo? Clamauit in Salomone, conuocans cum altissima predicatione ad sapientiam: Venite, edito de meis panibus, & bibite vinum quod miscui vobis. Clamauit etiam in corpore suo, sicut scarabaeus in ligno. Clamauit vt insidiatorem falleret & circumueniret, dicens: Deus Deus meus quare me dereliquisti? Clamauit vt despoliaret, respondens latroni: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Ita que vbi clamauit Iesus, continuo perdix ille à congregatis in dimidio dierum suorum derelictus est. Vnde & quidam naturæ perdicis etiam istud aptandum putarunt, eo quod aliena diripiat oua, & foueat suo corpore, atque hac sua fraude partus alienos studeat acquirere. Sed (quod aiunt, cornicis oculum, habent enim & volatilia suas artes) vbi istud aduerterit cuius aut singula oua direpta, aut cubile fuerit inuasum, sollicitata soboles errore fi-

militudinis, speciei simulatione decepta, est infirmior viribus, induit se atque armat versutia, & cum labor omnis impenitus nutrimentorum educantem exhauerit, atque adolefcere pulli cœperint, tunc vocem emittit, & quadam pietatis tuba prolem aduocat. Quæ naturali quodam auditu excitata agnoscit parentem, & simulantem deserit. Ita cum vult congregare quæ non peperit, amittit quos nutriendos putauit. Non superfluo igitur & Iesus clamauit, vt quia totius mundi populus voce perdicis, blanditiis, arte, specie deceptus ab auctore proprio deuiauerat, lubricas artes secutus, veri parentis voce reuocatus fallacem relinqueret, atque in dimidio dierum eius fraudulentū desereret, id est, ante huius finem sæculi, cui nos eripuit Dominus Iesus, & ad vitam æternam vocauit. Itaque nunc mortui mundo, viuimus Deo. Cum igitur perdix iste penitus à falsis filiis derelictus fuerit, tunc erit stultus ille quæ elegit Deus, & sapientem confudit, saluus: quoniam quæ stulta sunt mundi, elegit Deus. Ideo si quis videtur sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt fit sapiens. Vale fili, & nos dilige, vt facis, quoniam nos te diligimus.

Galat. 1.  
Rom. 6.

1. Cor. 1.  
1. Cor. 3.

## SANCTI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, IN CAP. XIII. DANIELIS PROPHETÆ SERMONES DVO.

### Danielis Cap. XIII.

ET erat vir habitans in Babylone, & nomē ei Ioachim: & accepit vxorem cui nomen Susanna, filia Helchiae, pulchram valde, & timentem Dominū: & parces eius iusti, & docuerunt filiam suam secundum legem Moyfi. Et erat Ioachim diues valde, & erat ipsi hortus vicinus domui eius: & ad eum congregabatur Iudæi, eo quod esset ipse honorabilior omnibus. Et designati sunt duo seniores ex populo iudices in anno illo, de quibus loquutus est Dominus: Quia egressa est iniquitas ex Babylone à senioribus iudicibus, qui videbantur gubernare populum. Isti expectabant in domo Ioachim, & veniebant ad eos omnes litigantes. Et factum est quando recedebat populus medio die, ingrediebatur Susanna, & deambulabat in horto viri sui. Et videbant eā duo seniores quotidie ingredientem & deambulantem, & facti sunt in concupiscētia eius: & peruerterunt suum sensum, & declinauerunt oculos suos, vt non respicerent in cælū, neque recordarentur iudiciorum iustorum. Et erant ambo compuncti circa eam, & non annuntiauerunt adinuicem dolorem suum,

quia erubescabant annuntiare concupiscētiā suam, quod volebant commiseri ei. Et obseruabant diligenter quotidie videre illā. Et dixerunt alter alteri: Eamus in domum, quia prandij hora est. Et egressi discesserunt adinuicem. & reuersi venerunt in idipsum: & sciscitantes adinuicem causam, confessi sunt adinuicem concupiscētiā suam: & tunc communiter constituerunt tempus quando ipsam possint inuenire solam. Et factum est cum obseruarent ipsi diem aptum, ingressa est Susanna sicut heri & tertia die cum duabus solis puellis, & desiderauit lauari in horto, quia æstus erat: & non erat vllus ibi præterquam duo seniores absconditi, & obseruantes eam. Et dixit puellis suis: Afferte iam mihi oleum & smigma, & ostia horti claudite, vt lauer. Et fecerunt sicut dixit: & clauserunt ostia horti, & egressæ sunt per obliquas portas, vt afferrent præcepta eis: & non viderunt seniores, quia erant absconditi. Et factum est, vt egressæ sunt puella, surrexerunt duo seniores, & accurrerunt ei, & dixerunt: Ecce ostia horti clausa sunt, & nemo videt nos, & in concupiscētia

tia

tia tui fumus: ideo concumbe nobiscū, & esto nobiscum, alioqui testificabimur contra te, quia erat tecum iuuenis, & propterea emisisti puellas à te. Et ingemuit Susanna, & ait: Angustiae mihi vndique. siue enim hoc fecero, mors mihi est: siue non fecero, non effugiam manus vestras. eligibilis mihi est non faciētem incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. Et exclamauit voce magna Susanna: clamauerunt autem & duo seniores aduersus eam, & currens vnus aperuit portas horti. Vt autem audierunt clamorem in horto qui ex domo, insilierunt per obliquam portam, vt viderent quid quod acciderat ei. Quando autem dixerunt seniores verba sua, erubuerunt serui valde, quia vniquam non dictus est sermo talis de Susanna. Et factum est die crastina, vt conuenit populus ad virum eius Ioachim, venerunt duo seniores pleni iniqua cogitatione contra Susannam, vt interficerent eam. Et dixerunt coram populo: Mittite ad Susannam filiam Helchiae, quæ est vxor Ioachim. Illi autem miserunt. Et venit ipsa, & parentes eius, & filij eius, & omnes cognati eius. At Susanna erat delicata valde, & pulchra specie. At tiqui iusserunt discooperiri eam (erat enim cooperta) vt fatiarentur pulchritudine eius. Flebant autem qui ab ea, & omnes videntes eam. Surgentes autē duo presbyteri in medio populi, posuerunt manus super caput eius. Illa autem flens respexit in cælum, quia erat cor eius confidēs in Domino. Dixerunt autem seniores: Deambulātibus nobis in horto solis, ingressa est hæc cum duabus ancillis, & clausit ostia horti, & dimisit ancillas: & venit ad eam iuuenis qui erat absconditus, & concubuit cum ea. Nos autem existentes in angulo horti, videntes iniquitatem cucurrimus ad eos: & videntes commixtos eos, illius quidem non potuimus compotes fieri, eo quod præualuit ipse super nos, & aperiens ostia exiliuit: hanc autem apprehēdētes interrogauimus quis erat iuuenis, & non voluit annuntiare nobis. hæc testificamur. Et credidit eis multitudo quasi senioribus populi & iudicibus, & condemnauerunt eam vt moreretur. Exclamauit autem voce magna Susanna, & dixit: Deus æterne, absconditorum cognitor, qui scis omnia antequam fiant ea, tu scis quia mendaciter contra me testificati sunt: & ecce morior non faciēs quid-

quam quorum isti malignati sunt contra me. Et exaudiuit Deus vocem eius: & adducta ea vt periret, suscitauit Deus spiritū sanctū pueri iunioris, cui nomen Daniel: & clamauit voce magna: Mundus ego sum à sanguine huius. Cōuersus est autem omnis populus ad eum, & dixerunt: Quis sermo iste quem tu loquutus es? Ille autem stans in medio eorum, dixit: Sic fatui filij Israel, non iudicantes, neque certum cognoscentes, condemnastis filiam Israel? Reuertimini ad iudicium: falsa enim isti testificati sunt contra eam. Et reuersus est omnis populus cum festinatione, & dixerunt ei seniores: Veni sede in medio nostrum, & annuntia nobis; quia tibi dedit Deus honorem seniorum. Et dixit ad eos Daniel: Separate illos ab inuicem procul, & diiudicabo eos. Vt autem separati sunt vnus ab vno, vocauit vnum eorum, & dixit ei: Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua quæ faciebas prius, iudicans iudicia iniusta, & quidem innocentes condemnans, dimittens autem noxios, dicente Domino: Innocentem & iustum non interficies. Nunc ergo hanc si vidisti, dic sub qua arbore vidisti eos conuersantes adinuicem? At ille dixit: Sub schino. Dixit autem Daniel: Rectē mentitus es in tuum caput, iam enim angelus Dei accipiens sententiam à Deo, scindet te medium. Et amouens eum iussit adducere alterum, & dixit ei: Semen Chanaam, & non Iuda, pulchritudo decepit te, & concupiscētia peruerit cor tuum. Sic faciebatis filiabus Israel, & illæ timentes conuersabantur vobis, sed nō filia Iuda sustinuit iniquitatem vestram. Nunc ergo dic mihi sub qua arbore deprehendisti eos conuersantes adinuicem? Ille autem dixit: Sub prino. Dixit autem ei Daniel: Rectē mentitus es & tu in tuum caput; manet enim angelus Dei gladium habens, vt secet te mediū, vt interficiat vos. Et exclamauit omnis synagoga voce magna, & benedixerunt Deo, qui saluat sperantes in eum. Et surtixerunt in duos seniores, quia constituerat eos Daniel ex ore suo fallum testimonium dixisse: & fecerunt eis sicut malignati sunt proximo, vt facerent secundum legem Moyfi: & interfecerunt eos: & saluatus est sanguis innoxius in die illa. Helchias autem & vxor eius laudauerunt Deū super filia sua Susanna cum Ioachim viro suo, & cognatis omnibus, quia nō

Exod. 23.



est inuenta in ea turpis res. Et Daniel factus est magnus in conspectu populi à die illa & ultra. Er rex Astyages appositus est ad patres suos, & accepit Cyrus Perses regnum eius.

Sermo primus.

**M**IRUM forsitan videatur vobis fratres, cur Dominus apud præsidem Pilatum à principibus sacerdotum accusetur, & taceat, nec nequitiam eorum sua responsione conuincat, cum vtrique ingestam accusationem non nisi refellere soleat subsecuta defensio. Mirum inquam sit fratres, quod arguatur Saluator, & taceat. Taciturnitas enim interdum pro consensu habetur. Videtur namque confirmare quod obiicitur, cum non vult respondere quod queritur. Accusationem ergo suam Dominus tacendo confirmat. Non plane accusationem suam tacendo confirmat, sed despiciat non refellendo. Bene enim tacet, qui deensione non indiget. Ambiat defendi, qui metuit superari: festinet loqui, qui timet vinci. Christus autem cum condemnatur, superat: cum iudicatur, vincit; sicut ait Propheta: Ut iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Quid ergo opus erat ei loqui ante iudicium, cui ipsum iudicium erat plena victoria? Vincit enim cum iudicatur Christus, quia sic innocens approbatur. Vnde ait Pilatus: Innocens ego sum à sanguine huius iusti. Melior est igitur causa quæ non defenditur, & probatur: plenior iustitia est, quæ non verbis adstruitur, sed veritate fulcitur. Taceat lingua necesse est, ubi ipsa æquitas sibi adest. Taceat lingua in bono negotio, quia & malas causas obtinere cõsuevit. Nolo sic defendi iustitiam, sicut solet iniquitas excusari. Quod vincit Christus, non orationis est, sed virtutis. Scit enim Saluator, qui est sapientia, quomodo tacendo vinceret, quomodo non respondendo superaret, atque ideo causam suam mauult comprobare quam dicere. Quæ enim res illum cõpelleret ad loquendum, cum silentium satis sufficeret ad vincendum? Sed forsitan metus eum cogeret, ne salutem perderet, nisi quod ipsa erat tota causa victoria. Suam enim salutem perdidit, vt salutem omnium lucraretur. In se viuere maluit, vt victor esset in cunctis. Sed quid de Christo loquar? Susanna mulier apud inimicos suos tacuit, & vicit. Non enim apud Danielẽ iudicem verborum se ratione defendit, non patrociniij sermone tutata est: sed in sancta femina tacete lingua pro ea castitas loquebatur. Castitas enim Susannæ adfuit in iudicio, quæ eam defendit & in paradiso. Ibi enim pudori eius consuluit, hic salutem, ibi ne macularetur pudicitia, hic ne innocentia damnaretur, Castitas ergo Susannæ & seniores impudicos conuicit in paradiso, & in iudicio falsos accusatores obtinuit: bisque victrix reos facit testimoniij, quos reos fecerat adulterij, atque tandem iudicem meretur castitas Danielẽ puerum iuniorum necdum pubescentis ætatis. Multum igitur de Deo pudicitia consequitur, cum iudicem virginẽ premeretur. Secura enim est de victoria castitas, cui est iudicatura virginitas. Pudicitia autem causam nisi vir pudicus audire nõ debuit, talẽ enim

psal. 50.

matth. 27.

1 cor. 1.

arbitrum meretur castimonia, apud quem non periclitetur verecundia. Cognito igitur Daniel Susannæ negotio, cum eã falsis accusationibus vellet plebs imperita damnare, ait idem: *Mundus ego sum à sanguine huius.* Quo dicto peccatis populi reuocauit errorem. Hac ergo voce circa Susannam Daniel vtitur, qua circa Dominum vñs est & Pilatus. Ait enim Pilatus: *Mundus ego sum à sanguine huius iusti.* Eadem igitur sententia soluit pudicitia, qua est absoluta iustitia: sed Daniel melius quam Pilatus. Ille enim pudicum sanguinem non condemnat, sed liberat: hic autem iustum sanguinem confitetur, & tradit. Quid enim profuit testimonium perhibuisse innocentia, & velut reum addixisse nequitia: nisi, quod grauius peccatum est, vnum eundemque & pronuntiare iustũ, & tradere quasi criminiosum? Ipse enim iniquitatis suæ testis est, qui ore absoluit, & corde condemnat. Lauerit licet manus suas Pilatus, tamen sua facta non diluit: & quamuis abstergere se putauerit iusti sanguinem de suis membris, eodem tamen sanguine mēs eius tenetur infecta. Ipse enim occidit Christum, qui eum tradidit occidendum. Iudex enim constans & bonus, ne sanguinem innocentis addiceret, nec inuidia cedere debuit, nec timori. Daniel ergo melius quam Pilatus. Ille peccatis populi reuocauit errorem, hic autem furentis synagoga sacrilegium confirmauit.

Matth. 27.

1. i. 18.

Matth. 27.

Sermo secundus.

**A**NTE dies profecuti sumus sanctæ Susannæ iudicium simile admodum fuisse iudicio Saluatoris, & iisdem criminationibus laborasse memorata castitatem feminae, quibus Christi laborauit integritas. Similiter enim persecutores in Susanna passa est pudicitia, sicut & in Christo passa est iustitia. Illa enim dum in adulterio conuincit presbyteros, ipsa tamquam adultera retinetur: hic dum in sacrilegio arguit Phariseos, ipse tamquam sacrilegus accusatur. Quod quidem sacrilegium in Phariseis maius adulterium vocari potest. Grauius est enim religionis adulterium, quam corporis: & plus est integritatem diuinitatis ledere, quam integritatem hominis violare. Condemnatur ergo Susanna, condemnatur & Dominus. Illa, quia castitatem corporis tuebatur: hic, quia religionis castimoniam defendebat. Similis igitur erat in vtroque causa iudicij, nisi quod meliore vsa est iudice Susanna quam Dominus. Hunc enim præses iudicat, hanc propheta. Hunc audit vir qui Phariseorum seditionibus terrebatur, hanc audit puer qui sancto spiritu replebatur. Ille quod sentit, constanter pronuntiat: ille quod pronuntiat, non defendit. Susannæ enim iudex quam absoluit, & liberat: Domini cognitor quem absoluit, damnat & tradit. Simile ergo fuit penè per omnia Susannæ, Dominiq; iudicium. siquidem nec accusatio in iis fuerit ipsa dissimilis. Susannam enim seniores deferunt, Dominum Iudas accusat. Illam doctores sui, hunc discipulus proprius criminatur. Susannam inquam pseudopresbyteri arguunt, prodit pseudoepiscopus Saluatorem. Episcopus enim & Iudas fuit, sicut ait Propheta de eodem, dicens: *Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius*

psal. 108.

eius

Matth. 1.

1. i. 18.

Matth. 27.

eius accipiat alter. Sed nec locus, fratres, in vtraque causa videtur esse dissimilis. Susanna enim in viri paradiso ab accusatoribus circumuenitur, Dominus in hortuli paradiso à traditoribus circumdatur. Illa ibi insidiatores patitur, iste hic sustinet proditorem. Videamus autem exitum vtriusque iudicij. Susannæ accusatores tamquam falsi testes prophetica sententia feriuntur, & eiusdem criminis puniuntur rei, cuius damnare innocentis sanguinem gestiebant. Domini autem traditorem non inuenio à iudice esse damnatum. Non enim damnat eum Pilatus, non damnat populus: sed quod est grauius, se ipse condemnat, & cessante iudice propria sententia condemnatur. Quem enim alter iudicat, potest vtrumque esse excusabilis: reus autem sine excusatione est, qui conscientia suæ iudicio condemnatur. Quem alter iudicat, potest quandoque à suo iudice sperare indulgentiam: qui se ipse iudicat, à quo indulgentiam postulat? Referens enim Iudas Dominici sanguinis pretium, ait Iudæis: *Peccaui, quod tradiderim sanguinem iustum.* Magnum igitur Dominicæ innocentia testimonium est, dum accusator eius & confitetur de scelere, & reus est de mercede. Dum enim miser refudit venditionis pretium, putat se facinoris sui soluere posse contractum. Sed nec iste absoluitur. Dum enim auctor venditionis suæ reus est, constat istos sceleratum cum sacrilego iniisse

contractum. Sua ergo sententia Iudas proditor condemnatur. Mirum fortè sit vobis quod nõ eum populus iudicauerit, non præses addixerit. Hoc sacrilegi solet esse iudicium, vt impietate suam ipse dum recordatur, & puniat: scelus suum dum recognoscit, & vindicet. Omnium enim supergreditur sententias, qui à sua conscientia, sua sententia condemnatur. Hoc inquam sacrilegi solet esse iudicium, vt cõfiscius facti ipse se damnet, sicut ait Apostolus Paulus de hæretico, dicens: *Hæreticum hominem post primam correptionem deuita, sciens quia peruersus est huiusmodi, & delinquit proprio iudicio cõdemnatus.* Ipse enim se damnat hæreticus, cum de Ecclesia ipse se proiicit, & de cõtatu sanctorum nullo repellente recedit. Ipse enim ostendit quid mereatur à cunctis, qui suo iudicio separatur à cunctis. Ipse inquam se damnat hæreticus, quia cum omnes criminiosi, episcopi sententia prouiciantur de consortio Christiano, hæreticus cunctorum vota præueniens, sententia suæ voluntatis abiicitur. Tali ergo hæreticus, quali & Iudas pœna damnatur: vt idẽ sui & reus sit sceleris, & iudex vltionis. Tali inquam hæreticus, quali & Iudas pœna damnatur: nec immerito, quia Dominum quẽ ille vendidit, iste blasphematur: quem ille persecutoribus tradidit, quotidie iste persequitur. Persequitur enim hæreticus Dominum, cum diuinitatem ei derogat, & asserit creaturam.

Tit. 3.

Cõsel. Nicen. 1. can. 5.

SANCTI AMBROSII SERMONVM IN DANIELEM PROPHE TAM FINIS.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, IN CAP. III. ET IIII. IONÆ PROPHE TÆ ENARRATIONES.

Iona cap. III.

**E**T factus est sermo Domini ad Ionam secundò, dicens: *Surge, & vade in Niniuen ciuitatem magnã, & prædica in ea secundum prædicationem priorem, quã ego loquutus sum ad te.* Et surrexit Ionas, & abiit in Niniuen, sicut loquutus est Dominus. At Niniue ciuitas magna Deo quasi itineris viæ dierum trium. Et cœpit Ionas ingredi in ciuitatem quasi itinere diei vnus, & prædicauit, & dixit: *Et adhuc tres dies & Niniue subuertetur.* Et crediderunt viri Niniue Deo; & prædicauerunt ieiuniũ, & vestiti sunt saccis à magno eorum & vsq; ad paruum ipsorum. Et appropinquauit sermo ad regẽ Niniue; & surrexit rex de throno suo, & abstulit stolam suam à seipso, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Et prædicatum est in Niniue à rege & ab omnibus magnatibus eius, dicens: *Homines, &*

pecora, boues & oues non gustent neque pascantur, & aquam non bibant. Et cooperti sunt saccis homines & pecora, & clamauerunt ad Deum vehementer. Et reuersus est vnusquisque de via sua mala, & iniquitate quæ in manibus eorum, dicentes: *Quis scit si pœnitentiã aget Deus, & reuertetur ab ira furoris sui, & non pereamus?* Et vidit Deus opera eorũ, quoniam reuersi sunt à viis suis malis, & egit pœnitentiam Deus super malitia, quam loquutus est vt faceret eis, & non fecit.

Iona cap. IIII.

**E**T contristatus est Ionas tristitia grãdi, & confusus est, & orauit ad Dominum, & ait: *O Domine, nõne isti sermones mei sunt, adhuc existente me in terra mea? Propterea præueni fugere in Tharsis, quia cognoui*

quod misericors & miserator, patiens & multae misericordiae, & agens poenitentiam super malitiis. Et nunc dominator Domine tolle animam meam à me, quia bonum mori me magis quam viuere. Et dixit Dominus ad Ionam: Si vehementer contristatus es tu? Et egressus est Ionas ex ciuitate, & sedit contra Orientem: & fecit sibi tabernaculum, & sedit sub eo in umbra, donec videret quid erit ciuitati. Et praecepit Dominus Deus cucurbitae, & ascendit super caput Ionae, ut obumbraret eum, & protegeret eum à malis suis. Et lateratus est Ionas super cucurbita gaudio magno. Et praecepit Deus vermi matutino in crastinum, & percussit cucurbitam, & arefacta est. Et factum est cum oriretur sol, & praecepit Deus spiritui ardoris vrenti, & percussit sol super caput Ionae, & angustabatur, & relinquebatur anima sua, & dixit: Bonum mihi mori quam viuere. Et dixit Dominus ad Ionam: Si valde contristatus es tu super cucurbitam? Et ait: Valde contristatus sum ego vsque ad mortem. Et dixit Dominus: Tu pepercisti super cucurbita, pro qua non laborasti super ea, neque enutristi eam, quae sub nocte nata est, & sub nocte perit: ego autem non parcā super Niniue ciuitate magna, in qua habitāt plures quam duodecim decem millia virorum, qui non cognouerunt dexteram suam, neque sinistram, & iumenta multa.

#### Enarratio prima.

*Niniuita ieiunio & aliis poenitentiae operibus comminatum. Dei euaserunt iram, & eius sunt misericordiam consecuti: quorum exemplo ad diuinam nobis comparandam clementiam serio prouocamur.*

**REGIMVS** in recitata Ionae prophetae lectione, quod cum Niniuae ciuitati subuersio diuinitus immineret, & iuxta sententiam Dei, destruendi illam tempus ingrueret, consistentes in ea aliud non habuisse praesidium, nisi ut abiectis crapulosis epulis, ieiunia continuata susceperent, & diuitiarum ambitione seposita, humilitate se paupertatis induerent: scilicet ut exinde remedium perciperent, vnde his perditio cōtingebat: hoc est, ut irā diuinitatis quam luxuriando prouocauerant, abstinendo lenirent: & offensam quam in eos superbia contraxerat, humilitas mitigaret. Legitur enim: *Et surrexit rex de throno suo, & abstulit stolam suam à seipso, & indutus est sacco, & sedit in cinere.* In illa ergo tribulatione ipse rex deposita imperiali purpura, regali ambitione submota, membra sua cilicio praeinxit, atque in sacco & ci-

gere se diebus ac noctibus volutauit. Sapiens itaque rex, qui sciret quemadmodum aduersa sibi superare deberet. Hostes enim virtute superabat, Deum autem humilitate vincebat. Sapiens planē rex, qui intelligeret quibus armis vteretur pro temporis qualitate. Cum enim insidiantur illi homines, apprehendit arma bellica: cum irascitur ei Deus, corripit arma iustitiae. Sapiens inquam rex, qui pro salute ciuium peccatorum se magis confiteretur esse quam regem. Obliuiscitur enim se regem esse, vbi Deam regem omnium pertimescit: nec potentia sua meminit, vbi potentiam diuinitatis agnoscit. Obliuiscitur ergo se regem esse dum proicit purpuram, dum diadema deponit, cilicio autem vestitur & sacco, ieiuniis perseuerat, orationibus immoratur. Mira res: dum se regem hominum esse non meminit, rex incipit esse iustitia. Religiosus igitur princeps non perdidit imperium, sed mutauit. Principatum enim antē militaris disciplina tenuit, nunc caelestium disciplinarū obtinet principatum. Non inquam perdidit imperiū, quia siue ferro siue iustitia pro ciuium salute primus inuigilat. *Et praedicatum est in Niniue à rege, & ab omnibus magnatibus eius, dicens: Homines, & iumenta, boues & oves non gressent neque pascantur, & aquam non bibant.* Primus planē inuigilat, qui aut tota ciuitas ieiunaret, famē sibi rex primus indixit: & solus omnium causa prior coepit esurire quam miles. Necessē enim erat ut qui potentior cunctis fuerat, deuotior fieret vniuersis. Exēplo ergo suo praeparat religionis exercitū, non armis, sed sola deuotione munitū: iubet omnem sexum, omnem aetatem à diurnis epulis abstinere. Additur religioso exercitui numerus, cum in tali deuotione etiam infantia militare compellitur.

Inquit enim: *A magno eorum vsque ad paruum ipsorum.* Pietas enim esse creditur in tali causa, paruulis quoque cibi substantiam denegare. Non enim sufficiebat ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi seniorū quoque peccata, paruulorum innocentia deploraret, & stertibus alienis delicta sua iuuetus ablueret. Ita autem fratres, omnia in cōmonitionem nostri facta esse nemo est qui nesciat, ut quotienscūque tribulationibus perurgemur, ad hęc praesidia concurramus: ut putā aduersarius imminet, inimicus in promptu est, ieiunemus, ut vincamus. Solent quidem homines quotiescumque necessitatem arduam nimis patiuntur, ad proximas gentes auxilij causā destinare legatos. Nos, quod est meli⁹, legationem ad Deū per ieiunia destinemus, ab ipso imploremus auxilia, ad ipsum nos corde & orationibus cōferamus. Auxilium enim Niniuita: nō aliunde rogando petiuerunt, sed de suis ieiunando visceribus exegerunt. Cur enim petat ab altero, qui intra se potest inuenire quod quarit? Quanto enim Deo viciniore fuerimus, tanto aduersarij nostri à nobis longius repellentur. Oportet igitur proximos nos fieri Deo, quoniam dicit Propheta: *Eccc qui elongant se à te, peribunt.* Quod si à Deo qui longē sunt, peribunt: utique qui sunt proximi, saluabūtur. Aliter ergo proximi Deo esse non possumus, nisi ad eum ieiuniis & orationibus & elemosynis propinquemus. Deus enim ipse semper misericors, ieiunus & sanctus est. Atque ideo qui vult proximus Deo esse, debet imitari hoc esse quod est De⁹. Tota igitur

in tribulatione Niniuitarum ciuitas ieiunauit. Be-  
ne dixi, tota non solum senes, iuuenes & infantes, sed etiam pecora legimus ieiunasse. Mira res: ieiunant pro ciuitatis peccato, quae peccati conditio non constringit. Vnde & nos fratres, temporum angustias sustinentes, omnes pariter ieiunare debemus, & misericordiam Dei cū eorum abstinentia deplorare. Nam quale sit, hoc Christianum pro salute sua nō facere, quod pecora pro hominum salute fecerūt nisi quod solidior pecore est qui in dicto profese à sacerdote ieiunio nō ieiunat. Nōne enim pecus est qui non intelligit quid illi imminet, quid incūbat? Et pecus quidem vidēs declinat foueam, cauet praecipitia: tu autem nō vis ieiunādo periculum declinare quod cernis: Desperationis enim genus est, tunc te manducare cum abstinere debeas: tūc gaudere, cum debeas deplorare. De hac desperatione Apostolus dicit, quod à nobis auertat Deus: *Māducemus & bibamus: cras enim moriemur.* Ieiunemus ergo fratres sine intermissione, ut hostes nostros orationibus & abstinentia superare possimus, per Dominum nostrum Iesum Christum.

#### Enarratio altera.

**DIXIMVS** anteriore Dominico Niniuitas in tribulatione positos diuinitatis misericordiam per abstinentiam meruisse, & ciuitatem suam de periculo ieiuniis liberasse. Dicitur enim: *Et vidit Deus opera eorum, quoniam reuersi sunt à viis suis malis: & egit poenitentiam Deus super malitia quam locutus est ut faceret eis, & non fecit.* Tanta fuerūt Niniuita: sapientia, ut non alienis se praesidiis defenderent, sed propria deuotione saluarent. Nam non statim desperauerunt de salute sua, quia audierūt à Propheta cum ciuitatis se mœnibus subuertendos: sed quanto proximum annuntiabatur excidium, tanto magis religiosi actibus armabantur: nec reliquerunt euertendam ciuitatem suam, sed in ea potius permanferunt, sapientes scilicet, ut quae ciuium vexabatur peccatis, ciuium orationibus saluaretur: & cui perditionem mala cōuersatio intulerat, ei salutem deuotio religiosa conferret. Iustum enim erat ut quos fuerat passa peccatores, eosdem haberet proprios defensores. Ciuitati enim non nisi propter ciuium peccata infertur excidium. Desine ergo peccare, & ciuitas non peribit. Quid fugis patriā? Si vis saluus esse, tua potius peccata subterfuge. Si tu peccare desieris, victus est inimicus. Dicit ad Abraham scriptura diuina per decē

iustos patriā posse saluari. Igitur si iusti sunt qui saluā faciāt patriam, utique iniusti sunt qui relinquunt. Et si illi propter praesentiam suā consequuntur gratiam: necesse est ut ij propter desolationē mereantur offensam. Iniustus planē & impius est filius, qui periclitatē deserit matrem. Mater enim quodāmodo dulcis est patria, quae te genuit, quae nutriuit, quae vt fugere possis diuitem te fecit. Nam si nō tibi suppeteret sumptus copiosa substantia, fugae praesidiū non haberes: atque ideo auaritia ductus, dū metuis diuitias tuas perdere, impius in matrem esse non dubitas. Vnde intelligimus plus te pecunię tuae cōsulere quam salutis. Dic mihi ō bone ciuis, cur fugere disponis? cur patriam derelinquis? Captiuitatem fortasse metuis. Da veniam, nō intelligis, nescis quod haec est prima captiuitas, patriam nō videre, & quod grauius est omni malo hostili, peregrinationis exilium. Solet qui aliquid sceleris admiserit, huiusmodi poena dānari vt pellatur patria, regionibus incognitis relegatur. Hoc igitur malum propria tibi prouides voluntate, quod solet supplicij causa damnatus excipere. Sed ponamus te forti esse animo, & æquanimiter tolerare posse peregrinationis iniuriam. Dic mihi, qua inter extraneos libertate victurus es? nōne cum loqui cœperis, obicietur tibi: Vnde iste exul, vnde iste fugitiuus aduenit? Num & nostram ciuitatem opprimere nititur, sicut patriā suam pressit? Ita autē aperiaberis, ita conturbaberis, vt libertati tuae metuens, verearis ne ingenuitatis tuae ibi non inuenias assertorem. Mihi crede, in aliena patria tāta auditurus es, quanta in tua patria alius sepe dixisti. Illud autem nolo dicere, quod quamuis diues sis in patria tua, quāuis copiosis opibus perfruaris, statim vt exieris de domo tua, mendicus & pauper es. Dicit ergo Deus ad Abraham, per decem iustos ciuitatē posse saluari. Malē igitur de te sentis popule Christiane, si in tanto cœtu nostro ad saluandam ciuitatem decem iustos esse non credis. Dum enim deseris patriam, proferis non in ea esse dignos, quorum meritis liberetur. At ego vereor ne omnibus in ea iustis relictis, tu solus qui deseris, inueniaris iniustus. Sed nolo de decem iustorū numero te perturbes. legimus etiam quod de Sodomitarum excidio meritis suis Lot solus liberauerit Segor ciuitatem: quod magis valuerit ad saluandum vnius gratia, quam ad euertendum peccata multorum. Excanti enim illi de Sodomis, hospitij causa Segor parua cōceditur. Quod si iusto hospitij donatur ciuitas, quāto magis iusto patria conceditur?

S. AMBROSII IN IONAM PROPHETAM ENARRATIONVM FINIS.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI  
MEDIOLANENSIS, IN MICHÆAM PRO-  
PHETAM OBSERVATIONES.

Michæe Cap. I.

ET factum est verbū Domini ad Michæā G  
Morastithen in diebus Ioathan & Achaz  
& Ezechie regū Iuda, de quibus vidit de Sa-  
maria & de Hierusalē. Audite populi omnes  
sermōnes, attendat terra & omnes qui in ea,  
& erit Dominus Deus in vobis testimonium,  
Dominus ex domo sancta sua. Quia ecce Do-  
minus egreditur de loco suo, & descendet &  
ascendet super excelsa terræ: & commouebū-  
tur montes subter eum, & valles tabescunt si-  
cut tabescit cera à facie ignis, & sicut aqua pro-  
fluens in descensu. Propter impietatem Iacob H  
omnia hæc, & propter peccatū domus Israel.  
Quæ impietas Iacob, nōne tu Samaria? &  
quod peccatum domus Iuda, nōne Hieru-  
salem? Et ponam Samariam in pomorū cu-  
stodiam agri, & in plantationē vineæ: & de-  
traham in voraginem lapides eius, & funda-  
menta eius reuelabo: & cuncta sculptilia eius  
euertent, & omnes mercedes eius comburēt  
igni, & cuncta idola eius ponam in perditio-  
nem: quia ex mercedibus fornicationis con-  
gregauit, & ex mercedibus fornicariæ destru-  
xit. Propter hoc planget & lugebit, ibit discal-  
ciata & nuda, faciet planctum quasi draco-  
num, & luctum quasi filiarum Sirenum: quia  
obtinet plaga eius, quia venit vsque ad Iu-  
dam, tetigit vsque ad portam populi mei in  
Hierusalem. Qui in Geth nō magnificemini,  
& qui in Bachim non reedificetis de domo  
derisū terram: aspergite derisum vestrum ha-  
bitantes bene ciuitates eius. nō est egressa ha-  
bitatrix Sænan, plangite domum quæ est iux-  
ta eam, accipiet ex vobis plagā doloris. Quis  
cepit in bona quæ habitat in doloribus: quia  
descenderunt mala à Domino in portis Hie-  
rusalem, sonitus curruum & equitantiū ha-  
bitans. Lachis princeps peccati est filia Sion, L  
quia in te inuētæ sunt impietates Israel, ideo  
dabit emissarios vsque ad hæreditatem Geth:  
domos vanas frustra fuerunt regibus Israel,  
donec hæredes adducant tibi, habitans La-  
chis hæreditas tua. Vsque ad Odolam veniet  
gloria filia Israel. Decaluate & tondere su-

per filios delicatos tuos: dilata caluitium tuū  
sicut aquila, quoniam captiui ducti sunt ex  
te.

Cap. II.

FACTI sunt cogitantes labores, & operantes  
mala in cubilibus suis, & simul cum die  
consummabant ea, quia non leuauerunt ad  
Dominum manus suas: & desiderabant a-  
gros, & diripiebant pupillos, & domos op-  
primebant, & diripiebant virum & domum  
eius, virum & hæreditatem eius. Propterea  
hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito super  
tribum istam mala, de quibus non auferatis  
colla vestra, & non ambuletis erecti, quia tem-  
pus malum est. In die illa sumetur super vos  
parabola, & plangetur planctus in cantico  
dicentium: Miseria vastati sumus: pars popu-  
li demensa est funiculo, & non erat qui pro-  
hiberet eam, vt auerteret illum. Agri nostri  
diuisi sunt, propter hoc non erit mittens funi-  
culum in hæreditate in Ecclesia Domini.  
Ne flete lacrymis, neque plorent super his.  
Non abiiciet opprobria, qui dicit: Domus Ia-  
cob prouocauit spiritum Domini, si hæc adinu-  
entiones eius sunt: nōne sermones eius bo-  
ni cum eo, & recti ambulauerunt? Et prius po-  
pulus meus restitit in inimicitiam contra pa-  
cem eius, pellem eius excorauerunt, vt au-  
ferrent spem, contritionem belli. Duces po-  
puli mei proiicientur de domibus deliciarum  
suarum, propter malas adinuentiones suas e-  
iecti sunt. Propinquate montibus æternis, sur-  
ge & ambula, quia non est tibi ipsi requies  
propter immunditiam. Corrupti estis corru-  
ptione, fugistis nemine persequente. Spiritus  
statuit mendacium, stillauit ibi in vinum  
& in ebrietatem, & erit tibi de stilla populi  
huius. Congregatus congregabitur Iacob, cū  
omnibus suscipiens suscipiam ipsos reliquos  
domus Israel, in idipsum ponam auersionem  
eorum, sicut oves in tribulatione, quasi gregē  
in medio cubilis sui, exilient ex hominibus.  
Ascende per diuisionem ante faciem eorum.  
Diui-

Dimiserunt & pertransferunt portā, & egressi  
sunt per eam, & exiuit rex eorum ante faciem  
eorum, & Dominus dux erit eorum.

Cap. III.

ET dicit: Audite iam principatus Iacob, &  
Reliqui domus Israel: nōne vobis est scire  
iudicium? exosi bona, & quærentes mala; di-  
ripientes pelles eorum ab eis, & carnes eorum  
ab ossibus eorum; sicut deuorauerunt carnes  
populi mei, & pelles eorum excorauerunt ab  
eis, & ossa eorum confregerunt, & diuiserunt  
sicut carnes in lebethem, & sicut carnem in  
ollam. Sic clamabunt ad Dominum, & non  
exaudiet eos: & auertet faciem suam ab eis in  
tempore illo, eo quod impiè egerunt in adinu-  
entionibus suis. Hæc dicit Dominus super  
prophetas qui seducunt populum meum, C  
qui mordent in dētibus suis, & qui prædicant  
super eos pacem, & nō est data in ore eorum,  
sanctificauerūt super eum prælium. Propterea  
nox vobis erit de visione, & tenebræ vobis  
sunt ex diuinatione: & occūbet sol super pro-  
phetas, & cōtenebrescet super eos dies: & cō-  
fundetur qui vident somnia, & cōfundentur  
arioli, & maledicent eis omnes, quia non est  
qui exaudiat eos. Nisi ego implevero fortitu-  
dinem in spiritu Domini, & iudicium & po-  
tentiam, vt annuntiem Iacob impietates suas,  
& Israel peccata sua. Audite iā hæc duces do-  
mus Iacob, & reliqui domus Israel, qui abo-  
minamini iudicium, & omnia recta peruer-  
titis: qui ædificatis Siō in sanguinibus, & Hie-  
rusalē in iniquitatibus. Duces eius cum mu-  
neribus iudicauerunt, & sacerdotes eius cum  
mercede respōderunt, & propheta eius cum  
argento diuinabant, & super Dominum re-  
quiescebant, dicentes: Nōne Dominus in  
nobis est? non veniēt super nos mala. Idcirco  
propter vos Sion quasi ager arabitur, & Hie-  
rusalem vt pomorum custodia erit, & mons  
domus in locum saltus.

Cap. IIII.

ET erit in nouissimo dierum manifestus  
mons domus Domini, praparatus super  
verticem mōtium, & eleuabitur super colles:  
& festinabunt ad eum populi, & ibunt gen-  
tes multæ, & dicent: Venite ascendamus ad

montem Domini, & ad domum Dei Iacob:  
& ostendēt nobis viam suā, & ambulabimus  
in scemitis eius: quia de Sion exhibit lex, &  
verbum Domini de Hierusalem. Et iudicabit  
inter populos multos, & arguet gentes fortes  
vsque in longinquum. Et concident gladios  
suos in aratra, & hastas suas in falces: & non  
vltra tollet gens contra gentē gladium, & ne-  
quaquam discent vltra belligerare. Et requie-  
scet vnusquisque sub vite sua, & vnusquisque  
sub ficu sua, & non erit qui exterreat: quia os  
Domini omnipotentis loquutū est hæc. Quia  
omnes populi ibunt, vnusquisque viā suam:  
nos autē ibimus in nomine Domini Dei no-  
stri in æternū & vltra. In die illa, dicit Domi-  
nus, congregabo eam quæ contrita est, & quæ  
eiecta est suscipiam, & quos repulerā. Et po-  
nam contritā in reliquias, & repulsam in gen-  
tem fortē: & regnabit Dominus super eos in  
monte Sion, ex nunc & vsque in sæculum. Et  
tu turris gregis squallidi, filia Siō, ad te veniet,  
& ingreditur principatus primus, regnū de  
Babylone filia Hierusalem. Et nunc vt quid  
cognouisti mala? numquid rex non erat tibi?  
aut consilium tuum perit? Cur comprehen-  
derunt te dolores parturientis? Dole, & virili-  
ter age filia Siō quasi paries: quia nunc egre-  
dieris de ciuitate, & habitabis in cāpo, & ve-  
nies vsq; ad Babylonem: inde liberabit te, &  
inde redimet te Dominus Deus tuus de ma-  
nu inimicorum tuorum. Et nunc congrega-  
tæ sunt super te gentes multæ dicentes: Exul-  
tabimus, & videant in Sion oculi nostri. Ipsi  
autē non cognouerunt cogitationes Domi-  
ni, & non intellexerunt consilium eius: quia  
congregauit eos vt manipulos area. Surge, &  
mole eos filia Sion: quia cornua tua ponam  
ferrea, & vngulas tuas ponā æneas: & minues  
populos multos, & cōsecrabis Domino mul-  
titudinem eorum, & robur eorum Domino  
vniuersæ terræ.

Cap. V.

Nunc obstruetur filia obstrucone, angu-  
stia posuit super nos, in virga percutient  
super maxillā tribus Israel. Et tu Bethleē do-  
mus Ephrata, minima es vt sis in millibus Iu-  
da: ex te mihi egredietur vt sit in principē in  
Israel, & egressus eius ab initio à dieb; sæculi.  
Propterea dabit eos vsque ad tēpus parientis  
pariet, & reliqui fratrum eorum reuertentur



ad filios Israel. Et stabit, & pascet in fortitudine Domini, & in gloria nominis Domini Dei sui erunt, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ. Et hæc erit pax, quando Assyrius venerit super terram nostram, & cum ascenderit super regionem nostram: & consurgent super eum septē pastores, & octo morsus hominum. Et pascent Asur in gladio, & terram Nebrod in fouea eius: & liberabit de Asur, cum venerit super terram vestram, & cum ascendet super terminos vestros. Erit reliquum Iacob in medio populorum multorum, quasi ros à Domino cadens, & quasi agni super gramen, ut non congregetur quisquā neque subsistat in filiis hominum. Et erunt reliquæ Iacob in gentibus, in medio populorum multorum, quasi leo in iumentis in saltu, & quasi catulus leonis in gregibus pecorū. Quemadmodum cum pertransierit, & diuidēs rapiat, & non sit qui eruat, eleuabitur manus tua super eos qui tribulant te, & omnes inimici tui perdentur. Et erit in illa die, dicit Dominus, interficiam equos tuos de medio tui, & comprimā quadrigas tuas, & subuertā ciuitates terræ tuæ, & auferā omnes munitiones tuas: & auferā beneficia tua de manibus tuis, & qui loquantur nō erunt tibi. Et disperdā sculptilia tua, & statuas tuas de medio tui, & non vltra adorabis opera manuum tuarum. Et succidam lucos tuos de medio tui, & demoliar ciuitates tuas: & faciam in ira & in furore ultionem in gentibus, pro eo quod non audierunt.

Cap. VI.

**A**udite iam quæ Dominus dixit: Surge, iudicare apud montes, & audiant colles vocem tuam. Audite populi iudicium Domini, & valles fundamenta terræ: quia iudiciū Domino aduersus populum suum, & cum Israel iudicabitur. Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruitutis redemi te, misi ante faciem tuam Moysen & Aaron & Mariam: Popule meus recordare rogo, quid cogitauit aduersum te Balac rex Moab: & quid ei respōdit Balaam filius Beor de Schenis vsq; ad Galgal, ut cognosceretur iustitia Domini. In quo apprehēdam Dominum, suscipiam Deum meum excelsum? Si apprehendam cum in holocaustis in vitulis anniculis, si suscipiet Dominus in millibus

arietum, aut in decē millibus caprarum pinguium? Si dederō primogenita mea pro peccato meo, fructum ventris mei pro impietate animæ meæ? Renūtiatum est tibi homo quid sit bonū: aut quid Dominus exquirat à te, nisi ut facias iudicium, & diligas misericordiam; & paratus sis ire cum Deo tuo? Vox Domini ciuitati clamabitur, & saluabit timentes nomen eius. Audi tribus, & quis ornabit ciuitatem? Nunquid ignis & domus iniqui thesaurizans thesauros iniquos, & cū iniuria iniqua? Si iustificabitur in statera iniquus, & in sacco pondera doli; de quibus diuitias impietatis impleuerunt, habitantes eam loquuti sunt mendacia, & lingua eorum exaltata est in ore eorū: & ego cruciaui te perditione propter peccata tua. Tu comedes, & non saturaberis, & eiiciam te in temetipsam. Et apprehendes, & nō saluabis: & quoscumque saluaueris, in gladium tradentur. Tu seminabis, & nō metes: tu premes oleū, & nō vngeris oleo: & vinum, & non bibes. Et dissipabuntur legitima populi mei, & omnia opera domus Achab: & ambulasti in cōsiliis eorum, ut traderem te in perditionē, & habitantes eam in sibilum; & opprobria populorum accipietis.

Cap. VII.

**V**æ mihi, quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, & sicut racemum in vindemia, cum nō sit botrus ad comedendū primitiua. Væ mihi anima, quia periit timor à terra, & corrigens in hominibus nō est: omnes in sanguines iudicantes, vnusquisque proximum suū tribulant tribulatione, in malum manus suas parantes. Princeps postulat, & iudex pacifica verba loquutus est, desiderium animæ suæ est: & ego auferam bona eorum, quasi tinea comedens, & ambulans super regulam. Væ, ultiones tuæ venerunt, nunc erunt fletus eorum. Non credatis in amicis, neque speretis in ducibus, & ab ea quæ cubat tecum caue, ut non credas aliquid ei. Quia filius contumeliā facit patri, filia surget aduersus matrem suam, nurus cōtra socrum suam. Inimici omnes viri qui in domo eius. Ego autē ad Dominum meum aspiciā, expectabo in Domino salutem meam: exaudiet me Deus meus. Noli supergaudere mihi inimica mea, quia cecidi, sed resurgā: quia si sedero in tenebris,

brus, Dominus illuminabit me. Iram Domini sustinebo, quia peccaui ei, donec iustificet ipse causam suam, faciet iudicium meum, educet me ad lucem, ut videam iustitiam eius. Et videbit inimica mea, & operietur confusione quæ nūc dicit ad me: Vbi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt eam, nunc erit in conculcationem sicut lutum in viis tuis. Dies lituræ lateris deletio tua, & depellet legitima dies illa: & vrbes tuæ venient in conuersionem, & in diuisionem Assyriorum, & ciuitates tuæ munitæ in diuisionem. A Tyro vsque ad flumen, & à mari vsque ad mare, & à monte vsque ad montem: & erit terra in dissipationem cum eis habitantibus eam, propter fructus adinventionum eorum. Pascet populum tuū in virga tua, oves hæreditatis tuæ habitantes per semetipsos in saltu, in medio Carmeli pascentur Basanitin & Galaaditin, sicut dies sæculi. Et secundum dies egressionis tuæ de terra Ægypti ostendam eis mirabilia: videbunt gentes, & confundentur in omni fortitudine sua: imponent manus super os suum, aures eorum obsurdescent: linget puluerem sicut serpētes qui trahunt terram, turbabuntur in clausura sua, super Domino Deo nostro formidabunt, & timebunt à te. Quis Deus sicut tu, auferens peccata, & transferens impietates his qui reliqui sunt hæreditatis eius? Non constituit in testimonium irā suam, quia volens misericordiam est: ipse reuertetur, & miserebitur nostri, demerget iniquitates nostras: & proiciantur in profunda maris omnia peccata nostra. Dabit veritatē Iacob, misericordiam Abraham, sicut iurauit patribus nostris iuxta dies priores.

Observatio prima.

Anima quomodo à recto labatur tramite, quo processu primitium reparat, ad eumque reuertatur gradum, quō in eo perseueret, edocetur.

Ad Horontianum.



AMBROSIVS Horontiano. Prophetæ quidem congregationem gentium, atque Ecclēsiæ annuntiarunt ædificationem futuram, sed tamen quia in Ecclesia non solum fortium animarū iugis profectus, verum etiam infirmorum lapsus, & rursum conuersio est, ideo possumus ex prophetis libris colligere quemadmodum aut præclara illa & fortis anima sine vlla gradatur offensio, aut infirmior labatur, aut lapsa reparat ac reformet gradum. Itaque sicut in Canticis

Cant. 3. et 8.

canticorum beatæ illius animæ continuos profectus legimus, ita in Michæa, de quo nobis propheta sermo exortus est, confideremus lapsæ conuersionem. Non enim otiosè te mouit: *Et tu Bethleem domus Ephrata*, quod dictū est ab hoc propheta. Quomodo enim potest domus furoris esse, vbi Christus natus est? Hoc enim expriment locorum vocabula, sed illustrent operationū mysteria. Ac primum consideremus quid interpretationis in Latino habeat Michæas. Significat autem, quis à Deo: vel, ut alibi inuenimus, quis iste, Morasthi filius, hæres. Quis autē hæres, nisi filius Dei qui ait: Omnia mihi tradita sunt à patre: Et cum ipse esset hæres, nos esse voluit coheredes. Merito, quis iste, non è populo vnus, sed electus ad gratiā Dei in quo loquitur Spiritus sanctus, qui prophetare cœpit *in diebus Ioathan & Achaz & Ezechia regum Iuda*. Quo ordine significatur visionis profectus. A malis enim regibus ad boni regis peruenit tempora. Et ideo quoniam anima afflicta sub malis antè laborabat regibus, quem processum conuersionis suæ habeat, considerandum videtur. Destructa erat quasi infirmior, & omnis munitio eius facta erat via transeuntium, & incurfus passionum, luxuria deliciis resoluta ac contrita erat, ac relegata à facie Domini. *Turris eius squalida erat*, quæ posita est (vt in Esaiæ cantico legimus) in medio florentis vineæ. Squaleret etenim turris, quando vitis arefcit, & ovis sua errat. Regrediente autem vitis viriditate, vel oue, respundet. Nihil enim squalidius iniquitate, nihil splendidius iustitia. Ad hanc turrim reuocatur ovis, quando anima reuocatur à lapsu, & in illa oue Christi regnum redit, quod est initium: quia ipse est initium & finis, vel initium salutis: sed tamen corripitur prius, eo quod tam grauiterrauerit, & dicitur ei: *Nunc ut quid cognouisti mala? Numquid rex non erat tibi?* Hoc est, habebas regem qui te regeret & tueretur, deuiare à iustitiæ tramite non debuisti, relinquere vias Domini, qui tibi rationabiles sensus impartiuit. *Aut consilium tuum periit?* quasi dicat: Vbi sunt cogitationes tuæ, vbi consilia, quibus præuide-re iniustitiam, propulsare iniquitates inuito tibi vigore potuisti? *Cur comprehenderunt te dolores parturientis*, vt parturires iniquitates, & pareres iniustitias? Nullus enim maior est dolor, quàm is qui peccati mucrone vulnerat conscientiam: neque vllum grauius est onus, quàm peccatorum sarcina, & pondus flagitiorum. Deprimunt animam, curuat vsque ad terram, ne se erigere possit. Grauius filii, grauius nimis delictorum pondera. Denique illa in Euangelio mulier quæ curuata erat, speciem prætendens animæ laborantis, à Christo potuit solo erigi. Huic ergo animæ dicitur: *Viriliter age, & dole filia Sion vt parturientis*. Dolores enim parturientis tribulationem operantur, tribulatio patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit in æternum. Simul egeritur atque excluditur omne quod aduersum est bonis moribus, ne recidentia eius frutescant semina, atque in nouos iterum germinent partus. *Cornua tua ponam ferrea, & ungulas tuas ponam æneas*. Non otiosè dantur ei cornua & ungulæ, vt conterat omnes manipulos aræ, sicut vitulus Libani. Nisi enim manipuli contriti fuerint, paleæ ventilatæ, fructus

apparere interiores & absolui nequeunt. Commi-  
 nuic igitur atque excutit prius anima proficiens pas-  
 sionum superflua, vt fructus suos demonstrare pos-  
 sit in ipsa segete. Quæcumque aduersa sunt quæ par-  
 tus impediunt bonos, hæc prius extirpanda sunt, ne  
 his fructifera internecetur animæ fata. Tunc etiam  
 illud prospicit prouidus animæ consultor, vt con-  
 cludat eam in voluptatibus suis, atque intercludat  
 eius cupiditates, ne in iis delectetur. Vtiles enim  
 sunt correptiones parentis, qui non parcit virgæ, vt  
 obedientem præceptis salutaribus præstet animam  
 filij sui. Virga enim visitat, sicut legimus: Visitabo in  
 virga iniquitates eorum. Itaque qui virga maxillam  
 percutit Israeliticæ animæ, erudit eam ad discipli-  
 nam patientiæ Dominicæ correptione. Nemo enim  
 desperare debet quicumque corripitur atque ar-  
 guitur. Qui enim diligit filium, corripit. Nemo de  
 remedio diffidat. Ecce tibi vbi domus furorem vi-  
 dentis erat, ibi domus panis est: vbi crudelitas, ibi  
 pietas: vbi pœna innocentium, ibi vniuersorum re-  
 demptio, sicut scriptum est: Et tu Bethleem domus  
 Ephrata, non es minima inter principes Iuda. ex te  
 enim exhibit princeps in Israel. Bethleem domus pa-  
 nis est. Ephrata domus furorem videntis. Hoc ha-  
 bet interpretatio istorum nominum. In Bethleem  
 natus est de Maria Christus, eadem autem Bethleem  
 quæ Ephrata. In domo igitur furoris generatus  
 est Christus, & ideo iam non domus furoris, sed do-  
 mus panis, quia panem recepit cum qui descendit  
 de celo. Domus autem furorem videntis Ephrata,  
 quia illic Herodes dum Christum requirit, perimi  
 statuit infantulos: vnde vox in Rama audita est Ra-  
 chel plorantis filios suos. Sed iam nemo timeat,  
 quia requies illa quam quærebat Dauid, audita est  
 in Ephrata, inuenta est in campis siluæ. Tunc adhuc  
 silua erat nationum congregatio: sed posteaquam  
 in Christum credidit, fructuosa facta est, quia bene-  
 dicti ventris fructum recepit. Mortua est ergo Ra-  
 chel parturiens, quia iam tunc quasi patriarchæ  
 vxor furorem Herodis videbat, qui nec minuscule  
 ætati peperit. Simul quia in Ephrata peperit Ben-  
 iamin specie superiorem, mysterio posteriorem,  
 Paulum scilicet, qui antequam generaretur, non  
 minimos dolores matri præstitit, cuius filios perse-  
 quebatur. Et illic mortua & sepulta est, vt nos com-  
 mortui & consulti cum Christo in Ecclesia resur-  
 gamus. Inde enim alia interpretatio, vel sæcun-  
 data, vel repleta fructibus, Ephrata significat. Hic  
 tamen, id est, in libro prophetico inuenimus *ὀλιγοὶς*  
 εἶ, id est, in paucioribus es. In Matthæo autem: Et tu  
 Bethleem domus Iuda non es in paucioribus. Ibi  
 domus Iuda, hic domus Ephrata: in quo verborum  
 discrepantia, non sensuum est. Nam & Iudæ interior  
 vidit furorem, & exterior pertulit. Et in pauciori-  
 bus est, quia pauci sunt qui intrant in domum panis  
 per angustam viam. Et non est in paucioribus, id est,  
 de proficientibus, quæ Christum non agnouit. Nec  
 minima est, quæ est domus benedictionis, & diuinæ  
 gratiæ receptaculum, & in eo minima, cui is qui ali-  
 quid confort Christo, videtur deferre. Et qui appe-  
 tit Ecclesiam, Christum appetit. In quouis minimo  
 enim Christus aut læditur aut honoratur, secun-  
 dum quod ipse ait: Quod enim vni horum minimo-

rum fecistis, mihi fecistis. Ipsam autem Bethleem  
 esse quæ est Ephrata, docet lectio Genesis, vbi ait:  
 Mortua est autem Rachel, & sepulta est in via E-  
 phrata, ipsa est Bethleem. In via sepulta est sancta  
 Rachel, quæ typus fuit Ecclesiæ, vt transeuntes di-  
 cant: Benedictio Domini super vos: & venientes  
 veniant in exultatione. Omnis itaque anima quæ  
 recipit panem illum descendentem è cælo, domus  
 panis est, hoc est panis Christi, quæ habitantis in se  
 panis celestis firmamento alitur, & corde confir-  
 matur. Vnde & Paulus ait: Omnes enim vnus panis  
 sumus. Omnis anima fidelis Bethleem est, sicut Hie-  
 rusalem dicitur, quæ pacem & tranquillitatem ha-  
 bet superioris Hierusalem quæ in celo est. Verus  
 panis est qui fractus & comminutus fatiat vniuersos.  
 Quinta autem editio habet: Domus panis. Beth-  
 leem enim domus est, leem panis dicitur. De aliorum e-  
 ditionibus propter perfidiam Iudaicam, ne ipsi se  
 redarguerent, vel ab ipsis præteritum putamus, vel  
 sublatum ab aliis. De Iuda quoque tribu esse Beth-  
 leem docet lectio in Iudicum libro, quia vir ille Le-  
 uita accepit sibi concubinam de Bethleem Iuda, &  
 irata est ei concubina eius, & rediit in domum pa-  
 tris sui in Bethleem Iuda. Et egressus eius ab initio à die-  
 bus sæculi. Egressus itaque Christus à diebus sæculi  
 (tunc enim nobis incipit sæculum, quando dies salu-  
 tutis) & egressus ad currendam viam, dedit Israel *ref-  
 que ad tempus parientis*, cui aduenit Christus, aduenit  
 fecunditas, aduenit partus, sicut aduenit Ecclesiæ,  
 quæ peperit plures quàm quæ filios habebat: & pe-  
 perit septem, id est legitimos, tranquillos, pacificos.  
 Incipit ergo cõcipere anima, & formari in ea Chri-  
 stus, quæ receperit aduentum eius, & pascitur in di-  
 uitiis eius, vt nihil ei desit, vt videntes etiam eam a-  
 liæ animæ reuertantur ad viam salutis, & erit ei pax,  
 sed non potest probari nisi tentationibus. Tunc en-  
 im pax eius æstimabitur & tranquillitas, cum ex-  
 cluserit vanas cogitationes vel compresserit, cum  
 motus omnes edomuerit passionum insurgentium,  
 cum increbuerint angustiarum, persecutio, fames, peri-  
 culum, gladius. Tunc erit (inquit) pax: quia in his o-  
 mnibus superamus propter eum qui nos dilexit,  
 quoniam confidimus in eo, quod neque mors ne-  
 que quiduis tentationum nos ab eius diuellat cha-  
 ritate & separet. Tunc ergo dabit tentationes, vt ius-  
 ti probentur. Et Dominus quidem dat tentationes  
 ea voluntate, vt neminem decipi velit. Sed quia ple-  
 riq̃ue vincuntur infirmi tentationibus, qui fortes  
 sunt probantur. Tunc illis erit *ros à Domino*, tunc re-  
 quies: tunc erit anima iusti sicut *catulus leonis in oregi-  
 bus pecorum*. Quod euāgelico exemplo ad Christum  
 referre non dubitauerim, quia ipse dixit: Tunc iusti  
 fulgebunt sicut sol in regno patris sui. Complimen-  
 tur enim quadrigæ eius, irrationabiles scilicet im-  
 petus & motus istius corporis: sedabitur illud: Foris  
 pugna, intus timores: sed vbiq̃ue, id est, intus & for-  
 ris, tranquillitas erit, & non erit qui respondeat &  
 resistat bonæ voluntati, quia obedientia carnis sub-  
 blato pariete maceræ, cum fuerint vtraque vnum,  
 omnes abolebit discordias. Si qua autem anima in-  
 firma, sicut ille secundum carnem Israel, titubaue-  
 rit, & ab illa Christi charitate persecutionibus tur-  
 bata se aliquantulum separauerit, corripitur atque  
 arguitur

Genes. 35.  
 Psal. 128.  
 Psal. 125.  
 Ioan. 6.  
 Psal. 103.  
 1. Cor. 10.  
 Heb. 12.  
 Ioan. 6.  
 Iudic. 19.  
 Mich. 5.  
 2. Cor. 6.  
 Psal. 38.  
 Mich. 5.  
 1. Reg. 2.  
 Mich. 5.  
 Psal. 36.  
 Psal. 22.  
 Mich. 5.  
 Rom. 8.  
 1. Cor. 11.  
 Mich. 5.  
 Matt. 13.  
 Mich. 5.  
 2. Cor. 7.  
 Ephes. 2.

arguitur quasi infida, quasi ingrata, quasi incredula,  
 quæ liberata à vanitatibus sæculi, in eas respiciendo  
 reciderit, à qua non munerata, non taurorum sacrifi-  
 cia, sed tantummodo vt bonum egnosceret, iustiti-  
 am faceret, postulatam est. *Renuntiatum est* (inquit)  
 tibi homo quid sit bonum, aut quid Dominus exquirat à te,  
 nisi vt facias iudicium, & diligas misericordiam, & para-  
 tus sis ire cum Deo tuo. Sed quia non seruauit hæc illa  
 infirmior anima, ideo Dominus ait: *Vae mihi, quia fa-  
 ctus sum sicut qui colligit stipulam in messe, & sicut rabe-  
 mum in vindemia*. Audiens ergo hæc Propheta in quo  
 loquebatur Deus, ait ad illam animam: *Vae mihi ani-  
 ma, quia perit timor à terra*. Vel si ipse Dominus dicit,  
 miseratus futuras pro peccatis vltiones, atque pro  
 nostris erroribus ingemiscens. Audiens hæc anima,  
 quia seminum suorum fructus non colliget, nullum  
 messe amissa firmamentum inueniet sui, premet oli-  
 uam, & vnctionem lætitiæ non habebit, neque bi-  
 bet vinum iucunditatis. Cognoscens etiam in ope-  
 ribus carnis omnia plena sanguinis, plena circum-  
 scriptio, fraudum, fallaciæ, ficta officia pietatis,  
 compositas simulationes, & inimicos sibi omnes  
 qui in domo sunt, ideoque proximi sibi corporis  
 motus cauendos, qui sunt graues animæ nostræ ad-  
 uersarij, conuertitur, & de Deo sperare incipit, & in-  
 telligens verè inimicam sibi carnem existere, ait ad  
 eam: *Noli supergaudere mihi inimica mea, quia cecidi, sed  
 resurgam: quia si sedero in tenebris, Dominus illuminabit me*.  
 Considerans etiam insultare sibi aliquam potesta-  
 tem quæ resistebat sibi ne meliorè sequeretur viam,  
 & inequitare quod tradita esset in interitum carnis,  
 vt diuersis attereretur malis, quæ vel à Domino pro-  
 pter peccatorum solutionem decernerentur, vel ab  
 iniquo propter inuidiam conuersionis, vt ad se re-  
 uocaret afflictam, dicit adhuc: *Inram Domini sustinebo*:  
 qui vel lapsam castigat, vel tibi potestatem assigen-  
 di dedit: *quia peccavi ei, sustinebo tamen, donec iustificet  
 ipse causam meam*. Nisi enim confessus fuero, & exol-  
 uero pretia iniquitatum mearum, non potero iustifi-  
 cari. Cum autem fuero iustificata, soluens duplicia  
 peccata, *faciet iudicium meum*, deponens indignationem,  
 quia satisfactum sententiæ est. *Educat me ad lu-  
 cem, vt videam iustitiam eius*, & aspiciam delectatio-  
 nem eius. *Videbit hoc lumen reconciliationis meæ  
 inimica mea*, id est, diaboli nequitia, & operietur confu-  
 sione, quæ nunc dicit: *Vbi est Dominus Deus tuus?* Videbit  
 in me misericordiam eius, videbit pietatem eius. Et  
 ideo non audiamus eam quando sumus in aduersis  
 aliquibus sæculi, cum aut dolor corporis est, aut fi-  
 liorum amissio, vel cæterarum necessitudinum, non  
 audiamus inquam dicentē: *Vbi est Dominus Deus tuus?*  
 Tunc eius tentationes cauendæ sunt, cum grauis vr-  
 get dolor, tunc animam a gram auertere studet. Ergo  
 anima quæ illum non audierit insidiantem sibi,  
 videns postea mirabilia Dei, videns se in cælo, dia-  
 bolum autem sicut colubrum reptantem in terre-  
 stribus, gratulabitur dicens: *Quis Deus sicut tu, auferens  
 peccata, & transferens impietates?* Qui non fuisti memor  
 indignationis tuæ, sed in mari misisti iniquitates  
 nostras sicut Aegyptium plumbum, & redisti ad mi-  
 sericordiam voluntarius, quam gemino contulisti  
 munere, dimittens peccata, atque abscondens, se-  
 cundum quod scriptum est: Beati quorum remissa

Mich. 6.  
 Ibidem.  
 Mich. 7.  
 Ibidem.  
 Rom. 7.  
 Mich. 7.  
 1. Cor. 5.  
 Mich. 7.  
 Esai. 40.  
 Mich. 7.  
 Ibidem.  
 Ibidem.  
 Exod. 15.  
 Psal. 31.

sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Alia  
 enim sanguine filij tui abluis, alia donas nobis, vt  
 bonis operibus & confessionibus nostros errores  
 tegamus. Quod ergo ait: *Auferens peccata*, ad remi-  
 sionem pertinet: quia penitus ea tollit, ita vt nõ sint,  
 quorum memor non erit. Quod verò ait: *Transferens*  
 impietates, ad misericordiam: eo quod contentibus  
 nobis lapsus nostros, & obumbrantibus eos bonæ  
 operationis fructu, referantur in auctorem culpæ, &  
 peccati inuentorem. Quid enim aliud agit qui cul-  
 pam fatetur, nisi vt aduersantis nequitia spiritalis  
 dolo se & malitia transductum probet? In eo itaque  
 gratias agit anima ista, quia & auferit Dominus pec-  
 cata, & transfert iniquitates, & demergit in profun-  
 dum maris. Quod potest & ad baptismum referri,  
 quo Aegyptius mergitur, Hebraeus resurgit: & quo  
 altitudine sapientie, & bonorum operum abundan-  
 tia tegantur peccata superiora, per diuitias miseri-  
 cordiæ Dei nostri, qui memor promissionis suæ  
 quam dederat Abraham, hæredem eius animam non  
 est passus perire. Et illa quidem anima hoc reuoca-  
 tur modo. Tu autem fili, qui à primo flore pueritiæ  
 es hæres Ecclesiæ, quæ te suscepit & tenet, perseu-  
 rato in proposito, memor gratiæ Dei, & muneris  
 quod per impositionem suscepisti manuum mearum,  
 vt & in hoc gradu sicut in ministerio sacro  
 fidem tuam demonstres atque industriam, & expe-  
 ctes remunerationem Domini Iesu. Vale, & nos vt  
 filius dilige, quia nos te diligimus.

Observatio altera.

Inchoatum de anima se reformante sermonem prosequitur, & quomodo Christus eam perfecit, explicat.

Ad Horontianum.

AMBROSIVS Horontiano. Superiore epi-  
 stola de ea anima sermonem confecimus,  
 quæ itineris sui deuios aliquos habuerit  
 anfractus, vt vetus Israel secundum car-  
 nem fluctuans, quia & ipse liberabitur per Domini  
 nostri Iesu Christi gratiam, cum intrauerit plenu-  
 do gentium, licet ista leuiore errore conuersione  
 sese reformauerit. Hac verò epistola de Ecclesiæ  
 filia nobis sermo sit, quam Dominus Iesus quemad-  
 modum primò suscepit, erudierit, consummaue-  
 rit in suo Euangelio, consideremus. Suscepit itaque  
 eam primo tuendam in confusione positam (exul  
 enim paradisi vbi nisi in confusione degeret anima  
 vniuscuiusque hominis?) deduxitque eam in Beth-  
 leem. Iam profectus susceptæ animæ significatur,  
 quod ascendit ad domum panis, in qua famem fidei  
 & sterilitatem nesciat. De nostratum animarum ge-  
 nere & ordine loquor, quibus nos viuimus & mo-  
 uemur, non de aliqua specialiter. Non enim de pro-  
 prietate & specie alicuius, sed de genere, vt dixi, ani-  
 marum disputandum putamus. Descendit in Aegy-  
 ptum Christus, patrocinium & ductum nostræ ani-  
 mæ ferens, inde rediit in Iudæam. Fuit in deserto,  
 fuit in Capharnaum, fuit iuxta fines Zabulon circa  
 maritima, transiuit per sata, fuit in Bethphage, fuit  
 in Ephren, in Bethania, inde transiuit in paradisum,

Mich. 7.  
 Ibidem.  
 Exod. 14.  
 2. Tim. 1.  
 Rom. 8.  
 Rom. 11.  
 Genes. 3.  
 Matth. 2.  
 Luc. 6.  
 Matth. 21.

*Mat. 11. & 12.* ubi se capiendum dedit, passus est in Golgotha. Omnes isti processus animæ nostræ sunt, per quos exercita gratiam piæ institutionis inuenit. Nam posteaquam exclusa de paradiso conditio humana in Adam & Eua in castellum relegata est, vagari coepit huc atque illuc, errabunda circumferens vestigia sine vlllo delectu. Sed tempore complacito sibi exinanivit se Dominus Iesus, vt exulem in se suscipere, & veteri reformaret gratiæ. Itaque inuentam recurso anfractu erroris reuocauit ad paradysum, vt euangelicæ lectionis docet assertio. Per fata eam duxit, vt icinam pasceret, primum in deserto, deinde in Capharnaum agri non vrbs incolatu, deinde in iuxta fines Zabulon, circa nocturna profluua, id est, prophetarum obscuriora ænigmata, vt disceret prætereundere ad fines gentium, quo omnes conuenirent, nec timeret fluctus vitæ huius & procellas, quia habet Christus naues Tharlis, intelligibiles scilicet, quæ percurrant mare, & ad templi constructionem piæ merces aduehant. In huiusmodi nauibus nauigat Christus, & in puppe tamquam bonus gubernator tranquillo quiescit mari. Commoto excitatur, & increpat ventos, vt suis tranquillitatem refundat. Transiens quoque ad gentes hanc animam liberat, quæ legis vinculis tenebatur, ne transfret ad nationum confortia. Venit in Bethaniam in locum obeditionis, ideo ibi mortuus suscitatur. Cum enim caro subdita fuerit animæ, tunc iam non quasi mortua iacet in sepulcro suo conditio humana, sed resuscitatur per gratiam Christi. Ibi etiam se pro Dei nomine passioni discit offerre. De loco obeditionis, vt Ioannes docet, in Ephren ducitur, id est, ad bonorum fructuum fecunditatem. inde in Bethaniam reducitur, id est, obedientiam. Semel enim quæ piæ subiectionis fructum gustauerit, seruare eam, & in ea probari sæpius nequaquam recusat. Vnde iam probata Hierosolymam venit, digna quæ

fit templum Dei, in qua Christus habitaret. Denique sedens super pullum asinæ Dominus Iesus cum gratulatione & gaudio innocentis suscipitur ætatis. Postea in paradiso verba vitæ æternæ docentur: Vnde etiam Dominus se permisit capi, sicut Ioannes scribit Euangelista, significans animam nostram, vel potius conditionem humanam solutis erroris vinculis eò vnde eiecta erat in Adam, per Christum regressam. Vnde & latroni illi confitenti dicitur: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Ille dixerat: Memento mei cum veneris in regnum tuum: Christus non de regno respondit, sed ad causam: Hodie mecum eris in paradiso; id est, reformandum est antè quod amissum est, postea conferendum id quod augendum est: vt per paradysum ad regnum perueniatur, non per regnum ad paradysum. Seruatur discipulis quod plus conferatur pro laboribus, ideoque incolatum promisit, regnum distulit. Itaque is qui sub ictu mortis conuertitur, & confitetur Dominum Iesum, mereatur incolatum paradisi: qui verò multo ante se exercuit, & Christo militauit, acquisiuit populorum animas, pro Christo se obtulit, habeat paratum stipendiis suis Dei regnum, cuius se remuneratione donatum gaudeat. Ideoque Petro dicitur: Tibi dabo clauis regni cælorum. Ex latrocinio conuersus requiem habet, in apostolatam probatus accepit potestatem. Hæc est anima euangelica, hæc est de gentibus, hæc filia Ecclesiæ, longè meliore cursu quam illa ex Iudæa proiecta, ad Dominum Iesum & ad superiora se bonis cõsiliis & operibus attollens, quam suscepit in Golgotha Christus, ubi Adæ sepulcrum, vt illum mortuum in sua cruce resuscitaret. Vbi ergo in Adam mors omnium, ibi in Christo omnium resurrectio. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

*Ibidem.**Ioan. 18.**Luc. 23.**Ibidem.**Mat. 16.**Luc. 13.**Ioan. 19.**1. Cor. 15.*

SANCTI AMBROSII IN MICHEAM PROPHETAM OBSERVATIONVM FINIS.

## SANCTI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, IN AGGÆVM PROPHETAM OBSERVATIO.

Aggæi Cap. I.

**I**N secundo anno sub Dario rege, in mense sexto, vna mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophete, dicens: Dic ad Zorobabel filium Salathiel de tribu Iuda, & ad Iesum filium Iosedec sacerdotem magnum, dicens: Hæc dicit Dominus Deus exercituum, dicens: Populus iste dicit: Non venit tempus ædificandi domum Domini. Et factum est verbum Domini in manu Aggæi prophete, dicens: Si tempus vobis est, vt

habitetis in domibus cælati, at domus ista deserta est. Et nunc hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra in vias vestras. Seminastis multa, & intulistis pauca: comedistis, & non in saturitatem: bibistis, & non in ebrietatem: operi estis, & non estis calefacti in ipsis: & mercedes congregans, congregauit in ligamentum pertusum. Hæc dicit Dominus omnipotens: Ponite iam corda vestra in vias vestras, ascendite in montem, ca-

dire

dite ligna, & ædificate domum, & complacitebo in ea, & glorificabor, dicit Dominus. Respexistis in multa, & facta sunt pauca: & intulistis in domum, & exufflaui illud. Quam obrem dicit Dominus exercituum, pro eo quòd domus mea deserta est, vos autem festinatis vnusquisque in domum suam: propter hoc cælum nõ dabit rorem suum, nec terra dabit germina sua: & inducam gladium super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & super homines, & super iumenta, & super omnes labores manuum eorum. Et audiuit Zorobabel filius Salathiel, & Iesus filius Iosedec sacerdos magnus, & omnes reliqui populi vocem Domini Dei sui, & verba Aggæi prophete, sicut misit eum Dominus Deus eorum ad eos: & timuerunt à facie Domini. Et dixit Aggæus nuntius Domini in nuntiis Domini: Dic populo, Ego sum vobiscum, dicit Dominus. Et excitauit illis Dominus spiritum Zorobabel filij Salathiel de tribu Iuda, & spiritum Iesu filij Iosedec sacerdotis magni, & spiritum reliquorum populi: & ingressi sunt, & faciebant opera in domo Domini exercituum Dei sui.

## Cap. II.

**Q**uarto & vigesima mensis sexti, in secundo anno sub Dario rege, septimo mense, vna & vigesima mēsis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophete, dicens: Dic iam ad Zorobabel filium Salathiel de tribu Iuda, & ad Iesum filium Iosedec sacerdotem magnum, & ad omnes reliquos populi, dicens: Quis ex vobis vidit domum istam in gloria sua quæ ante? & quomodo vos videtis ipsam nunc sicut non existentem in conspectu vestro? Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus, & confortare Iesu filii Iosedec sacerdos magnus, & confortetur omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum, & facite: quoniam vobiscum sum, dicit Dominus exercituum. Verbum quod pepigi vobiscum cum egredimini vos de terra Ægypti, & spiritus meus stetit in medio vestro. Confidite, quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc semel ego mouebo cælum & terram, & maria & desertum, & commouebo omnes gentes, & venient electa omnium gentium: & replebo domum hac gloria, dicit Do-

minus exercituum. Meum argentum, & meum aurum, dicit Dominus exercituum: quia magna erit gloria domus istius nouissima super primam, dicit Dominus exercituum: & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. Quarta & vigesima, nono mense, anno secundo sub Dario, factus est sermo Domini ad Aggæum prophetam, dicēs: Hæc dicit Dominus exercituum: Interroga sacerdotes legem, dicens: Si sumpserit homo carnem sanctam in summitate vestimenti sui, & tetigerit summitas vestimenti eius panem, aut coctionem, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, si sanctificabitur? Et responderunt sacerdotes, & dixerunt: Non. Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima de omnibus his, si contaminabitur? Et responderunt sacerdotes, & dixerunt: Cõtaminabitur. Et respondit Aggæus, & dixit: Sic populus iste, & sic gens hæc coram me, dicit Dominus: & sic omnia opera manuum suarum: & quicumque appropinquauerit ibi, contaminabitur. Propter munera eorum matutina dolebunt à facie malitiarum suarum, & odio habebatis, qui in portis arguebant. Et nunc ponite iam corda vestra à die hac, & supra, antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini: qui eratis quando mittebatis in modiu ordei viginti sata, & facti sunt ordei decē sata: & ingrediebamini in torcular, vt hauriretis quinquaginta amphoras, & factæ sunt viginti. Percussi vos in sterilitate, & in corruptione aeris, & in grandine omnia opera manuum vestrarum, & non reuersi estis ad me, dicit Dominus. Ponite iam corda vestra à die ista, & vltra, à quarta & vigesima noni mēsis: à die qua fundatum est templum Domini, ponite in cordibus vestris, si vltra cognoscetur super terram area, & si adhuc vinea, & ficus, & malogranata, & ligna oliuæ quæ non ferunt fructum, à die hac benedicā. Et factum est verbum Domini secundo ad Aggæum prophetam quarta & vigesima mensis, dicens: Dic ad Zorobabel filium Salathiel de tribu Iuda: Ecce ego mouebo cælum & terram, & mare & aridam, & subuertam thronos regum, & subuertam currus & ascensores: & descendent equi & ascensores eorum vnusquisque in gladio ad fratrem suum. In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te Zorobabel filiu Salathiel seruum meum,



dicit Dominus, & ponam te quasi signaculum: quia te elegi, dicit Dominus exercituum.

Si nobis superiores & celatas edificamus domos, cur non potius Deo? Deo igitur nostro omnium conditori, meliora edificanda templum etiam in nobis docet.

Ad Irenaeum.

AMBROSIVS Irenæo. Vbi superiorem abfolui epistolam, & perferendam tibi tradi, venit in mentem illud quod Dominus in manu Aggai propheta locutus est, dicens: Si tempus vobis est, ut habitetis in domibus habitatis? Quid ergo istud est, nisi in superioribus habitandum, non in vellestribus & subterraneis habitaculis? Qui enim infra terram habitant, non possunt edificare templum Dei, & dicunt: Non venit tempus edificandi domum Domini, simul quia luxuriosorum est hypogæa querere, captantium frigus æstium, eo quod resoluti deliciis æstus aliter ferre ac tolerare non queant, & ideo requirant umbrosa penetralia: vel quod desidiosi ignava sub terris agant otia: deinde quod tenebrosa illos & opaca delectent magis, quibus operiri flagitia sua credant, secundum illud: Tenebre circumdant me & parietes, quem vereor? Sed frustra hoc sperant, cum profunda abyssi & abscondita Deus cernat, & omnia deprehendat antequam fiant. At non Elias in hypogæis, non Elitæus habitabant. Denique alter mortuum vidua filium tulit ad superiora, in quibus consueverat sedere, & ibi cum resuscitavit. Alteri quoque Sunamitis illa magna mulier (ut scriptura testificatur) in superioribus hospitium paravit, & ibi concipere sobolis, quia non habebat, meruit prærogativam, ibidemque resuscitati pignoris vidit miracula. Quid de Petro dicam, qui ad horam sextam ascendens in superiora, baptizandarum gentium cognovit mysteria? At verò paritica Abessalò in valle regis sibi titulum statuit, & in fossam proiectus est, cum esset peremptus. Ergo sancti ascendunt ad Dominum: flagitiosi ad vitia descendunt. Sancti in montibus, criminiosi in vallibus. Deus enim montium est, & non Deus vallium. Inquit ergo: Ponite iam corda vestra in vias vestras, ascendite in montem. Qui ergo illic, id est, in domibus habitabant vellestribus, in quibus non habitat Deus, domum Dei in se habere non poterant. Hanc enim Dominus querebat ab illis domum, ut semetiplos edificarent, atque intra se Dei templum viuis fidei lapidibus attollerent. Neque enim terrenorum parietum constructiones, & siluestrium ligna culminum desiderabat, quæ cum fuissent, manus diruerat hostilis: sed illud templum querebat, quod in hominum conderetur mentibus, quibus dicendum foret: Vos estis templum Dei: in quo habitaret Dominus Iesus, & vnde ad redemptionem vniuersorum procederet, ut in vtero Virginis sacra reperiretur aula, in qua rex habitaret caelestium, & corpus numanum Dei templum fieret, quod etiam cum solutum esset, in triduo resuscitaretur. Sed hanc domum non luxuriosi edificant, qui celatas inhabitant domos, & celato argento delectantur. Sordet

Agg. 1.

Ibidem.

Ecl. 23.

Ecl. 24.

Ecl. 48.

3. Reg. 17.

4. Reg. 4.

Agg. 10.

2. Reg. 15.

2. Reg. 18.

3. Reg. 20.

1. Pet. 2.

1. Cor. 6.

1. Tim. 2.

Agg. 1.

enim illis purum argentum, ita & istis sordet simplicis habitationis locus. Sinuant spatia domorum, & adiciendo adiciunt, coniungentes domum ad domum, & villam ad villam, effodiunt terram, ut elementum quoque eorum cedat habitaculis, & quasi terræ filij intra eius recondantur verum, & abscondantur aluo. Isti planè sunt, de quibus dicit Hieremias: O qui edificat domum suam non cum iustitia. Qui enim cum iustitia edificat, non in terrenis edificat, sed in caelestibus. Edificasti, inquit, domum, metire superiora eius, perflatilia distincta fenestris, & contignata cedro, & illita minio. Metitur autem superiora, qui contemplatus iudicium Dei, iudicat iudicium humilis, & iudicium pauperis. Qui autem in auaritiam intendit, & in sanguinem innocentis, non edificat superiora cum iudicio: nec mensuram tenet, quia non habet Christum: nec aspirare sibi diuinæ statur explorat gratiæ, nec pleni luminis splendorem requirit: nec illita minio habet cernacula, cui non potest dici: Sicut resticula coccinea labia tua. Non sepelietur, inquit, huiusmodi. Qui enim viuum se sub terram infodit, & tamquam in sepulcro sepeliuit, eripuit sibi mortuo requiem sepulturæ. Depositus itaque in valle corporalium delectationum, non inuenit sepulcrum de quo possit resurgere. Huiusmodi ergo vir nec templum Deo edificat, quia non nouit tempus correctionis suæ. Quomodo enim possunt tales homines templum edificare, qui quasi ferae ac bestiarum in spelæa ferarum & bestiarum latibula sese receptant, atque in foueas serpentium more demergunt, & consuetudine fraudulenta: vulpis infodiunt? Sed nec sepulcrum sibi condit qui ante tempus moritur. Viuens enim mortuus est: nec audit vocem Aggai, id est epulantis, ut interpretatio declarat: quoniam non ingreditur tabernaculum Dei in voce exultationis & confessionis sonus epulantis. Quomodo enim vocem eius audit, qui opera eius non videt? Nam si videret, audiret verbum quod in eius manu factum est, delectatus eius adibus, quibus pulsauit, & apertum est ei, & descendit in eius animam, ut epuletur in eo sinceritatis & veritatis cibos. Ergo quia non audiuit, fit iterum in manu Aggai verbum, & dicit: Ascendite in montem, cædite ligna, & edificate domum. quasi dicat, Surgite de celatis & depressis malitia domibus, & ascendite in montem scripturarum caelestium, & cædite lignum sapientiæ, lignum vitæ, lignum cognitionis, & dirigite vias vestras, ordinate actus vestros, ut habeant ordinem suum debitum, qui necessarius & utilis est ad edificandam Domini domum. Nam si non feceritis, nec calum dabit rorem suum, id est, sermo caelestis, qui sicut ros descendit super fœnum, non temperabit feruidos corporalium motus passionum, nec ignita restinguet diuersarum spicula cupiditatum: nec terra eius, id est anima, germina sua dabit: eo quod arefcant, nisi repleatur irriguo verbi Dei, & perfundatur rore caelesti, spiritalis vberitate gratiæ. Et quia sciebat desideres esse habitantes in hypogæis, & voluptatum gurgustius: Excitauit (inquit) illis Dominus spiritum Zorobabel de tribu Iuda, & spiritum Iesu filij Iosedec sacerdotis magni: ut incitentur ad edificationem diuinæ domus. Nisi enim Dominus edificauerit sibi domum, in vanum laborauerunt

Esaia 5.

Et iere. 22.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

Cantic. 4.

Hier. 22.

Agg. 1.

1. Tim. 5.

Psal. 41.

Apoc. 3.

1. Cor. 5.

Agg. 1.

Genes. 2.

Deuter. 32.

Agg. 1.

Psal. 126.

Coloss. 1.

1. Tim. 7.

3. Reg. 18.

4. Reg. 9.

1. Esdr. 3.

Psal. 18.

Agg. 2.

Exod. 14.

Exod. 16.

Exod. 17.

Matth. 27.

Matth. 14.

1. Ian. 4.

Psal. 18.

Esaia 54.

Esaia 35.

runt qui edificant eam. Ipse est Zorobabel iugis redundantia, ut pote fons vitæ, & verbū Dei, per quod omnia, & ex quo omnia, & omnia in ipso. Hæc dicit redūdantia: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Hoc est profluuiū indeficientis meatus. Profluuiū quoque nocturnū legimus, quod est propheticum, & ipsum huius fluēti infusione respandit, per quod euauit illud profluuium vanitatis in Iezabel, quæ inimica veritati, & aduersaria prophetarum eloquiis, ita dilacerata est canum moribus, ut nullum eius superesset vestigium, sed toto corpore suo cum omnibus posteritatis suæ insignibus extingueretur. Ipse igitur Zorobabel ex tribu Iuda, ipse Iesus magnus sacerdos, & tribu designatus & nomine: duo significari videntur, & vnus exprimitur, quia idem quasi potens natus ex potente, quasi redemptor ortus ex Virgine, in vtriusque idem naturæ diuersitate diuiduæ, vnus filij Dei veritatem gigas salutaris impleuit. Excitaturus itaque Zorobabel sanctum ait: Adhuc semel ego mouebo calum & terram, & maria & desertum. Mouerat ante hæc, cum de Ægypto liberaret populū suū, quando in cælo colūna erat ignis: terra inter fluctus, murus in mari, via in aqua, in deserto messis quotidiana frugum caelestium multiplicabatur, petra soluebatur in fontes aquarum: sed mouit & postea in passione Domini Iesu, quando cælum tenebris obductum, sol refugit, petra scissa, tumuli aperti, mortui resuscitati, draco victus in fluctibus suis vidit piscatores hominum non solum nauigantes in mari, sed etiam ambulantes sine periculo. Desertum quoque motum, quando infructuosus nationum populus in messem cepit deuotionis & fidei flauescere: & consue deserti, & gentium commotio facta est, ut Apostolorum quos direxit ad gentes vocandas, tanta esset & tam vehemens prædicatio, ut in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Tanta inquam commotio deserti, ut plures filij fierent desertæ, quàm eius quæ habebat virum: & floreret desertum ut liliū, introirent electa gentium ad residuos populi,

quod reliquæ saluæ fierent per electionem gratiæ. Et replebo (inquit) domum hæc gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum. Replebo ergo argento meo & auro, eloquiis caelestibus; quæ sunt sicut argentum igne examinatum: & viri claritate luminis, sicut auro spiritali in sanctorum occultis mentibus resurgente. Hæc diuitias confert Ecclesiæ suæ: quibus intelligibiles thesauri repletur, & gloria augetur domus super priorem gloriam quam populus habuit electus. Hoc enim est quod sequitur: Magna erit gloria domus istius nouissimæ super primam, dicit Dominus exercituum: & in loco isto dabo pacem. Pax enim & tranquillitas animæ super omnem domus gloriam est, quia pax superat omnem fensum. Hæc est pax super pacem, quæ dabitur post tertiam commotionem cæli, maris, terræ, deserti, quando destruet omnes potestates & principatus. Cælum enim & terra transibunt, & omnis istius mundi figura: & vnusquisque in romphæa insurget ad fratrem suum, id est, verbo penetrat medullas animæ, ut destruat quidquid est contrarium, curus ex Ephren, & equus ex Hierusalem, ut Zacharias dixit. Et sic erit pax per omnia, ut nullis obstitētibus corporis passionibus, aut incredulæ mentis impedimentis, fiat in omnibus omnia Christus, subdita patri exhibens corda vniuersorum. Vnde & ad ipsum solum mysticè dicitur: Assumã te Zorobabel, & ponam te sicut signaculū, quia te elegi. Etenim cū fuerit anima nostra pacifica, ut dicatur ei: Cōuertere cōuertere Sunamitis, quod pacificā significat, & ut tuo nomine utar, tunc accipiet in se sicut signaculum Christum, id est imaginem Dei, ut sit ad imaginem: quoniam qualis caelestis, tales & caelestes. Et oportet nos portare imaginem caelestis, id est pacem. Atque ut istam pacem verum esse, habes in Canticis, in vltimo, iam perfectæ animæ dici, quod & tibi dicat Dominus Iesus: Pone me ut signaculum in brachiū tuum, ut luceat pax in corde tuo, & in operibus tuis Christus, & formetur in te sapientia, & iustitia, & redemptione. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Rom. 11.

Agg. 2.

Psal. 111.

Philip. 4.

1. Cor. 15.

Matth. 24.

1. Cor. 7.

Hebr. 4.

Zach. 9.

1. Cor. 15.

Agg. 2.

Cant. 6.

1. Cor. 15.

Cant. 8.

1. Cor. 15.

S. AMBROSII IN AGGÆVM PROPHETAM OBSERVATIONIS FINIS.

SANCTI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, EX VERBIS CAP. I. MALACHIE PROPHETÆ SERMO.

Malach. Caput I.

Assumptio verbi Domini super Israel in manu angeli eius. Dilexi vos, dicit Dominus. & dixistis: In quo dilexisti nos? Nōne frater erat Esau Iacob? dicit Dominus: & dilexi Iacob, at Esau odio habui: & posui terminos eius in desolationem, & hereditatē eius in domos deserti. quia dicit, Idumæa sub-

uersa est: & reuertamur, & reedificemus deserta. Hæc dicit Dominus omnipotens: Ipsi edificabunt, & ego destruam: & vocabuntur eis termini iniquitatis, & populus super quē præparatus est Dominus vsq; in æternum. Et oculi vestri videbūt, & vos dicetis: Magnificatus est Dominus super terminos Israel. Filiius

honorificat patrem, & seruus dominū suum. Si dominus sum ego, ubi est timor meus? si pater, ubi amor meus? dicit Dominus omnipotens. Vos sacerdotes qui despiciatis nomen meum, & dixistis: In quo despeximus nomen tuum? offerentes ad altare meum panes pollutos, & dixistis: In quo polluimus te? in eo quod dicitis vos: Mensa Domini polluta est, & imposita despexistis. Quia si offeratis cæcum in sacrificium, non malum? & si offeratis claudum aut languidum, nonne malum? Offeretiam illud duci tuo, si suscipiet te, si accipiet faciem tuam, dicit Dominus omnipotens. Et nunc deprecamini faciem Dei vestri, & rogate eum: in manibus vestris facta sunt hæc: si suscipiam ex vobis facies vestras, dicit Dominus omnipotens. Quia & in vobis claudentur ostia, & non succedet altare meum gratis. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens: & sacrificium non suscipiam de manibus vestris: quia ab ortu solis vsque ad occasum nomen meum glorificatum est in gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium mundum, quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens. Vos autem contaminatis illud, in eo quod dicitis vos: Mensa Domini polluta est, & qui superponuntur despecti sunt cibi eius. Et dixistis: Ecce ex afflictione sunt, & exufflastis ea, dicit Dominus omnipotens, & inferebatis rapinas, & clauda & debilia, & offerebatis in sacrificium. si suscipiam ea de manibus vestris, dicit Dominus omnipotens. Et maledictus homo qui erat potens, & fuit in grege suo masculum, & votum eius super eo, & immolat debile Domino: quia rex magnus ego sum, dicit Dominus omnipotens, & nomen meum illustre est in gentibus.

**S**atis abundeque in superioribus dixisse me credo ad correptionem eorum qui diuinis muneribus perfuentes, gratias non referunt creatori, & videntes beneficiis celestibus tanquam ingrati & indigni beneficiorum non remunerantur auctorem. Ingrati inquam, qui Deum nec quasi serui metuant ut dominum, nec quasi filij honorificat ut parentem. Dicit per Prophetam Deus: Si dominus sum ego, ubi est timor meus? si pater, ubi amor meus? Hoc est, si seruus es, redde domino timoris obsequium: si filius exhibe patri pietatis affectum. Tu autem cum gratias non agis, Deum nec diligis, nec vereris. Unde aut contumax seruus, aut superbus es filius. Qui est

igitur utilis Christianus, semper debet patri ac Domino suo laudes dicere, & in eius gloriam omnia procurare, sicut ait beatus Apostolus, dicens: Siue māducatis, siue bibitis siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Videte quale viri Christiani Apostolus voluit esse cōuiuuium, ut magis fides Christi, quam prandij sagina comedatur: & plus reficiat hominem Domini nominis frequens inuocatio, quam epularum multiplex & copiosa collatio: meliusque pascat esuriem religio, quam sagina. Omnia, inquit, in gloriam Dei facite. Omnes ergo actus nostros Christo vult socio vel teste compleri: hac scilicet ratione, ut bona ipso auctore faciamus, mala propter ipsius contubernium declinemus. Erubescit enim mala facere, qui scit Christum se habere participem. Christus autem in bonis adiutor est, in malis noster est conseruator. Ergo cum diluculo surgimus, debemus priusquam procedamus è cubiculo gratias agere Saluatori, & ante omnes actus sæculi, actus habere pietatis, qui nos quiescentes & dormientes in lectulis custodiuit. Quis enim nisi Deus dormientem custodit hominem? qui ita resolutus in somnium, & oblitus vigoris humani, à se alienus efficitur, ut nesciat quid ipse sit, ubinam demoretur, adesse sibi certè ipse non possit. Nec cessarius igitur Deus adest dormientibus, quia dormientes sibi adesse non possunt: & à nocturnis insidijs genus hominum ipse custodit, quia id temporis ad custodiendum alter nemo peruigilat. Debeo ergo illi gratiam, qui ut ego securus dormiam, ille peruigilat. Ipse enim nos Deus ituros cubitum quodam gremio quietis suscipit, & thesauro pacis reconditos seruat, & caliginum quadam tuitione in lucem defendit, ut malitia inimicorum hominum repellatur tenebris, quæ non potest benignitate depelli, & pacem fessis præstet obscuritas, quam non præstabat humanitas. Dum enim nescit homo ubi suum aduersarium persequatur, pacem, quam volens præstare noluit, præstat inuitus. Debemus ergo surgentes gratias Christo agere, & omne diei opus in signo facere Saluatoris. Nonne cum adhuc gentilis es, solebas signa perquirere? quæ signa quibus rebus essent prospera, magna inquisitione colligere? Tam nunc nolo erres in numero, scito quia in vno signo Christi omnium rerum est tuta prosperitas. Qui in hoc signo seminare cœperit, vitæ fructum cōsequetur æternæ. Qui in hoc signo iter facere aggreditur, ad caelum vsque perueniet. In hoc igitur nomine omnes actus nostri dirigendi sunt, & ad ipsum totius vitæ nostræ commotio referenda, quia sicut ait Apostolus: In ipso viuimus, & mouemur, & sumus. Sed & cum vespera diem claudit, ipsi debemus per psalterium laudem dicere, & gloriam eius modulata suauitate concinere, quod operum nostrorum consummato certamine, veluti victores requiem mereamur, & laboris quædam palma sit soporis obliuio. Hoc autem vt faciamus fratres, non solum docemur ratione, sed etiam admonemur exemplis. Nonne enim videmus minutissimas aues cum illucescentem diem aurora producit, in quibusdam nidorum cubiculis varia dulcedine personare, & id studiosè agere priusquam procedant, ut creatorem suum, quia loquela non possunt, suauitate demul-

ccant? &

ceant? & quemadmodum vnaquæque earum quoniam confessione nequit, modulis prodat obsequium, ita vt videatur sibi deuotius gratias agere, quæ dulcius personauit: hoc etiam peracto diei cursu similiter facere? Quid ergo sibi vult ista certis temporibus disposita cantilena, & iugis intentio, nisi gratiarum quædam sit immoderata cōfessio? Pastori enim suo auis annoxia, quia sermone non potest, suauitate blanditur. Habent enim & aues pastorem suum, sicut ait Dominus: Respicite volatilia cæli, quoniam non nent, neque metunt: & pater vester qui est in cælis, pascit illa. At quibus tandem cibis pascuntur aues? vilissimis scilicet & terrenis. Aues ergo propter vilis escas gratias agunt: tu pretiosissimis epulis pasceris, & ingratus es? Quis igitur non erubescat sensum hominis habens, sine Psalmorum celebritate diem claudere, cum ipsæ aues ad gratificandū psalterij suauitate persultent: & eius gloriam non veruum dulcedine personare, cuius laudem volucres modulata cantilena pronuntiant? Imitare ergo frater minutissimas aues, mane & vesper creatori

gratias referendo. Et si es deuotior, imitare lusciniam, cui quoniam ad dicendas laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia peruigili cantilena decurrit. Et tu igitur laudibus tuis diem vincens, operi tuo adde nocturna curricula, & in somnem suscepti laboris industriam psalterij serie consolare. Et quia de his auibus mentionem feci quæ noctibus vigilant, nolo te imitatore esse nocturæ, quæ licet per noctem vigilet, per diem tamen pigra vel cæca est, quæ grandibus oculis tenebrarum caligines diligit, splendorem solis horrescit. Mirum enim in modum illuminatur obscuritate, luce cæcatur. Istud animal hæreticorum figura est atque gētium, qui tenebras amplectuntur diaboli, lucem Saluatoris horrescunt, & grandibus disputationum oculis cernunt vana, non respiciunt sempiterna. De his ait Dominus per Prophetam: Oculos habent, & non videbunt. Et alibi: In tenebris ambulant. Sūt enim acuti ad superstitiosa, hebetes ad diuina: qui dum se putant subtilibus euolare sermonibus, tamquam nocturæ viri luminis splendore turbantur.

SANCTI AMBROSII IN MALACHIAM PROPHETAM SERMONIS FINIS.

S. AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI  
OPERVM TOMI SECVNDI FINIS.

PARISIIS.

Excudebat Iamet Mettayer, in Mathematicis  
Typographus Regius. M.D.LXXXIII.